

JO. BAPTISTÆ
DE LUCA
Venusini, S.R.E. Presbyteri Card.

THEATRUM
VERITATIS, ET JUSTITIÆ,

SIVE DECISIVI DISCURSUS PER MATERIAS, SEU TITULOS DISTINCTI, & ad veritatem editi in forensibus Controversiis Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una Partium scripsit, vel consultus respondit.

Cum Annotationibus, ac Discursibus, qui antea in Supplimentis extabant; necnon aliquibus S. R. Rom. recentissimis Decisionibus, & Sum. Pont. Constitutionibus.

Adjectis insuper in hac novissima EDITIONE quamplurimis EXCERPTIS selectisque RATIONIBUS potissimum ad rem facientibus, in materiis præsertim FEUDALIBUS, JURISDICTIONALIBUS, & de PRÆEMINENTIIS. Quæ quidem omnia ex authenticis ALLEGATIONIBUS, aliisque MSS. AUTHORIS CODICIBUS in BIBLIOTHECA BALLEONIANA asservatis, nunc primum eruerunt, suisque locis aptaverunt J. B. S & F. G.

LIBER DECIMUSQUARTUS,

Cujus I. Pars de Regularibus, & Monialibus; II. de Matrimonio, Sponsalibus, & Divortio; III. de Decimis, Oblationibus, & Eleemosynis; IV. Miscellaneum Ecclesiasticum, de Immunitate Ecclesiastica, locali, reali, & personali: Et de Episcopis, Prælatis, & Clericis, ac etiam de Censuris, Missis, Processionibus, & aliis materiis Ecclesiasticis; V. Aonotationes practicæ ad S. C. Trideot. io rebus concernentibus reformationem, & forcosia.



V E N E T I I S,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
M. DCC. LIX.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

INDEX ARGUMENTORUM IN DISCURSIBUS.

Qui habentur in hac parte Prima Lib. XIV. de Regularibus, & Monialibus.

gis Generalis; & localis, vel Provinciales Superiores, in loco propriæ Prælaturæ.

D I S C. XVII.

Romana præcedentiæ.

An Vicarius Guardiani, seu alterius superioris, qui secundum locum propè superiorem occupare debet; in casu, in quo idem superior, ob interventum alterius superioris majoris, occupet secundum locum, debeat occupare tertium, vel potiùs, continuando propè personam dicti superioris localis, debeat occupare quartum, cedendo tertium alteri dignioris; Et generaliter de gradibus, & præcedentiis in Religione Minorum strictioris observantiæ.

D I S C. XVIII.

Romana præcedentiæ.

De ordine præcedentiæ, sive antianitatis, inter Magistros Ordinis Sancti Dominici, an desumi debeat à die magisterii, vel à die admissionis intra numerum præfinitum; Et quid in concursu illorum, qui sint de provinciis numeratis, cum aliis de provinciis non numeratis.

D I S C. XIX.

Mediolanen. præcedentiæ.

De præcedentia inter religiosos, & de eorum divisione, si aliquo tempore uniti incedere consueverint; Et incidenter de origine Ordinis Sancti Benedicti, ejusque variis Congregationibus.

D I S C. XX.

Neapolitana associationis Statutæ.

De pluribus Ordinibus ejusdem Instituti Montis Carmeli, antiquo scilicet Calceatorum, & moderno Discalceatorum, vel S. Teresiæ; An constituant unum, vel potius duos distinctos ordines, ad effectum celebrationis solemnitatum, aliosque effectus.

D I S C. XXI.

Hispalen. habitus.

An una Religio prohibere possit professoribus alterius Religionis, gestationem proprii habitus, vel consimilis, ad effectum, ut una distinguatur ab altera.

D I S C. XXII.

Toletana de Veles.

In causis Regularium, ad quos Judices sit appellandum, vel habendus recursus; Et quomodo in causis Regularium procedendum sit, præsertim in Religionibus militaribus.

D I S C. XXIII.

Neapolitana Monasterii.

De controversia jurisdictionali inter Cardinalem Protectorem, & Ministrum Generalem Ordinis, super regimine Monasterii monialium subjecti eidem Ordinem, ac super facultate deputandi Guardianum, seu Prælatum, aliosque Officiales.

D I S C. XXIV.

Brixien. jurisdictionis.

Commisso regimine Monasterii monialium alicui Religioni, ejusque Prælatis, & Religiosis; An id intelligendum sit quoad omnimodam jurisdictionem; vel potiùs quoad regimen spirituale administrationis sacramentorum, & divinorum aliosque actus particulares.

D I S C. XXV.

Angelopolitana Conventus.

An, & quando Monasterium, vel Conventus, dicatur principale, quod fiet de per se, vel potius membrum dependens alterius Monasterii, cui annexum sit, adeout in divisione Provinciæ, quamvis ejus situatio sit in una Provincia, pertinere censeatur ad aliam Provinciam, in qua sit Monasterium principale, seu dominans.

D I S C. XXVI.

Tudertina collectarum.

De eadem materia, quando scilicet unum Monasterium ab altero dependens dicatur, ejusque membrum sit, præsertim ad effectum communicationis exemptionum, & privilegiorum, quibus gaudet ipsum Monasterium principale.

D I S C. XXVII.

Portugallien. divisionis Provinciæ.

An, & quando locus esse debeat divisioni alicujus provinciæ Regularium, necnè.

D I S C. XXVIII.

Baren. & Sipontina confinium.

De divisione confinium, inter duas provincias Religiosorum Mendicantium, ad effectum quæstuationis, & ne quæstuarii unius provinciæ fines alterius ingredi valeant.

D I S C. XXIX.

Cæsaraugustana fundationis Conventus.

De requisitis necessariis pro nova fundatione Conventus Religiosorum in loco, ubi præsertim agatur de Religiosis mendicantibus per veritatem, utpote ex ostiaria mendicitate, & quæstuatione viventibus.

D I S C. XXX.

Vicana Monasterii.

De eadem materia novæ fundationis, an in ea requirant beneplacitum Apostolicum, ubi non agatur de religiosis Mendicantibus, sed de Monachis; Et an consensus Episcopi, & Parochi sufficiat tacitus, sive implicitus.

D I S C. XXXI.

Murana fundationis Conventus.

De eadem materia novæ fundationis Conventus, non faciendæ sine consensu Religiosorum existentium infra quatuor milliaria; Et de modo mensuræ dicti spatii, quomodo facienda sit, & quæ mensura debeat attendi.

D I S C. XXXII.

Romana hereditatis de Rubeis.

De Constitutionibus Apostolicis prohibentibus novas erectiones Conventuum, vel Monasteriorum, in quibus duodecim Religiosi substentari non possint, an locum habeant in Urbe; Et quatenus habeant, quando eis dispensatum censeatur; Et an redditus & bona unius Monasterii applicari possint pro substentatione alterius.

D I S C. XXXIII.

Neapolitana Seminarii.

De eadem materia novæ fundationis Monasteriorum, vel Ecclesiarum, seu aliorum piorum locorum in eadem Civitate sine consensu aliorum Monasteriorum, vel Ecclesiarum existentium intra certum spatium: Quando, & quomodo hujusmodi prohibitiones procedant: Et de modo mensurandi hoc spatium.

D I S C. XXXIV.

Marsicana legati, seu fundationis.

De eadem materia novæ fundationis Conventus, quando illa secuta dicatur ad effectum inspiciendi, an defecta sit, necnè conditio, sub qua altera Religio vocata sit, sive ad substitutionis, vel alterius effectus purificationem.

D I S C. XXXV.

Nullius Baren. fundationis.

An pro fundatione Conventus Capuccinorum vel Minorum Observantium, valeant legata, & donationes, aliæ

Index Argumentorum.

aliæque dispositiones, incapacitate non obstante; Et de aliis ad dictam incapacitatem pertinentibus; Et quatenus dispositio fiat per viam irrevocabilis donationis inter vivos, an ob Religionis incapacitatem, ea sit revocabilis, necne?

D I S C. XXXVI.

Eugubina Abbatiæ.

De manualitate beneficiorum, seu officiorum regularium, quodque in eis non detur perpetuitas; Et quid, si illa concedantur regulari professo, cui ex religionis instituto permittatur vivere extra claustra etiam in habitu clerici sæcularis.

D I S C. XXXVII.

Romana, seu Papien. transitus.

De translatione, seu transitu Religiosi professi, ab una Religione ad alteram; An, & quando, & quomodo concedatur? Et quid ubi sit unica Religio quamvis diversa in diversum vitæ Institutum, ut sunt Minores Observantes de Familia, & alii Observantes Reformati; Atque sub nomine alicujus Religionis ad quam transitus concedatur, veniat illa, ex qua plures filiales prodierint.

D I S C. XXXVIII.

Romana regressus ad Religionem.

De eadem materia transitus ab una Religione ad alteram; Et quando Sacra Congregatio Regularium absque oraculo Sanctissimi hanc licentiam concedat, & de effectibus hujusmodi transitus; Et in specie si secunda Religio supprimatur, an ille, qui ab alia transitum fecit, teneatur, necne redire ad primam?

D I S C. XXXIX.

Neapolitana transitus.

De eadem materia transitus religiosi, vel monialis, de una Religione, seu de uno Monasterio ad alterum; An ultra effectus spirituales, quos operatur, eosdem operetne, quoad bona temporalia, quæ sequantur personam religiosi; Vel potiùs ea remaneant penes primam Religionem, seu primum Monasterium.

D I S C. XL.

Bononien. census.

De tacita professione resultante a gestatione habitus, aliisque actibus, qui professis conveniunt, an, & quando sequi dicatur, necnè? Et de differentia inter casum, in quo nullus expressæ professionis actus accedat, vel probetur; Et alterum, in quo accedat, sed nullitèr, unde per confessionem tacitam inferatur ad sanationem.

Et an nullitas professionis allegari possit à tertio, si ipse professus usque ad obitum in Religione perseveravit?

D I S C. XLI.

Romana nullitatis professionis.

De professione emissa ante annum decimum sextum, cum dispensatione Apostolica, an dicatur valida, vel invalida; Et quatenus invalida sit, an; & quando per diuturnam continuationem in Religione cum susceptione ordinum inducatur ratihabitio sanativa, seu nova professio? Et de forma tenenda in judicio nullitatis professionis, ad præscriptum Concilii Tridentini.

Et incidenter, an annullata professione, bona interim quæsita, & possessa per religiosum, ei restitui debeant, vel remaneant penes Religionem, vel Monasterium?

D I S C. XLII.

Neapolitana nullitatis professionis.

De eadem forma præscripta à Concilio Tridentino super annullatione professionis, an procedat, quando non ipse professus reclamat, sed ipsa Religio ob invalidam professionem, professum dimittat?

D I S C. XLIII.

Romana, seu &c. nullitatis professionis.

An, & quando dicatur assumptus habitus in alia Religione, unde propterea resultet nullitas professionis emissæ in altera Religione ob ejus Constitutiones, vel institutum non admittendi eos, qui alterius Religionis habitum gestaverint?

D I S C. XLIV.

Bononien. nullitatis professionis.

De nullitate professionis emissæ per vim & metum; Et an, & quando expressa ejus ratificatio nullitatem sanet, necnè; Ac de aliquibus circa interruptionem novitiatus ob egressum intra annum.

D I S C. XLV.

Parmen. nullitatis professionis.

De nullitate professionis emissæ in Religione Hierosolymitana ob non servatam formam Stabilimentorum circa deputationem Commissariorum, ac professionis emissionem ante ætatem in ipsis Stabilimentis præfinitam: Et de modo reclamationis intra quinquennium quomodo facienda sit.

D I S C. XLVI.

Melevitana nullitatis professionis.

De nullitate professionis in eadem Hierusolymitana Religione ex defectu novitiatus, & quando iste corruptus, vel interruptus dicatur ob egressum à Conventu, seu à loco ad id destinato, adeout novus novitiatus ex integro requiratur.

D I S C. XLVII.

Romana seu Florentina transactionis.

An & quando simoniaca, & invalida dicatur conventio, super statu religioso, assumendo, vel retinendo, ob aliquam rem temporalem, datam, vel receptam.

D I S C. XLVIII.

Neapolitana donationis.

De eadem materia, an scilicet id, quod ingrediens Religionem, vel Monasterium, dat, vel promittit, ut ad professionem admittatur, importet simoniam.

Et incidenter, quatenus donatio ad hunc effectum facta non subsistat, firma verò remaneat professio, quæ non impugnetur, cui tam acquirantur bona in hac invalida donatione contenta, & an religiosus de eis disponere possit?

D I S C. XLIX.

Lucana fideicommissi.

Religiosorum nomine, seu appellatione, quinam veniant; Et de religiosorum exclusione à fideicommissis, aliisque successionibus ex judicio testatoris.

D I S C. L.

Mediolanen. Conservatorii.

An & quando domus, in qua collegialiter sub certo instituto etiam Regulari vivant aliquæ mulieres, dicatur Monasterium monialium, ipsæque mulieres dicantur moniales, & personæ ecclesiasticæ, vel potius dicatur domus sæcularis, ipsæque mulieres etiam sæculares, qualemve potestatem isto secundo casu habeat loci Ordinarius.

D I S C. LI.

Turritana conservatorii.

An, & quando facultas eligendi, & habendi Confes-

vatorum privilegiorum, amissa, seu præscripta dicatur per non usum; Et quam potestatem, seu jurisdictionem hodie habeant hujusmodi Conservatores, & in quo eorum potestas per Constitutionem Gregorii XV. moderata fuerit.

D I S C. LII.

Papien. seu Mediolanen. Conservatoris.

De eadem materia Conservatoris privilegiorum Regularium, an scilicet deputatus in loco, ubi est Monasterium principale, ibique cum eo Diœcesano servata sit forma Constitutionis Gregor. XV. jurisdictionem habeat in aliarum diœcesum locis, in quibus adsint ejusdem Monasterii granciæ, seu membra, vel bona, quamvis cum illo Ordinario dicta forma Gregorianæ Constitutionis servata non sit.

Et quid in iis, quæ concernunt jura Parochialia, an Conservatores possint se ingerere, vel potius cognitio de eis pertineat ad loci Ordinarium.

D I S C. LIII.

Colonien. coadjutoria.

De electione Abbatis, vel Prælati regularis alicujus Monasterii, spectante ad Capitulum Conventuale ejusdem Monasterii, quomodo explicanda sit; Et an ejus forma adimpleri debeat, quando vivente adhuc Prælato, agatur de consensu præstando super deputatione Coadjutoris.

D I S C. LIV.

Romana seu Montis Virginis redditionis rationum.

An, & de quibus Generalis, vel alter Prælatus regularis, expleto officio, teneatur reddere rationes; Et præsertim, an teneatur de œconomica administratione inferiorum officialium, ac ministrorum.

D I S C. LV.

Caven. Abbatiæ.

De intelligentia decretorum generalium Sacræ Congregationis Concilii prohibentium, ne Prælati, ac Superiores Regulares, mutuas pecunias sub usuris accipere possint, sive bona pignori dare, vel ea obligare.

D I S C. LVI.

Romana pecuniæ, seu annui redditus.

An monialis condonare seu remittere possit debitori, seu aliàs alienare annuam vitalitiam subventionem, quæ pro communi stylo pro ejus extraordinariis usibus sibi constituta fuerit.

D I S C. LVII.

Licien. Salviani, seu Annualitatum.

De eadem materia vitalitiæ præstationis assignatæ religioso, vel per eum reservatæ ad ejus dispositionem, si sint decursæ, & non exactæ plures annualitates, an esse debeant ad dispositionem ipsius religiosi, vel spectent ad Monasterium, vel Religionem; Et incidenter, cui Monasterio acquirantur bona Religiosi.

D I S C. LVIII.

Spoletana donationis.

De forma, vel solemnitate, cum qua concipi debent renunciationes, vel donationes, aliæque dispositiones volentium profiteri in aliqua Religione; & de differentia inter eas, quæ fiant post susceptum habitum in statu novitii, & illas quæ fiunt ante ingressum in statu sæculari.

D I S C. LIX.

Parmen. renunciationis.

De eadem materia renunciationis, vel alterius contractus initi per ingressurum Religionem, in statu, quod fuerit jam acceptatus, atque de facto vivat in noviziatu sub disciplina magistri; & in statu novitii, adhuc tamen ex Religionis instituto, retineat habitum sæcularem.

D I S C. LX.

Neapolitana Pharmacorum.

An Regularibus liceat vendere sæcularibus pharmaca, quæ conficiantur in Monasteriis, vel domibus regularibus, pro servitio religiosorum, & aliorum ibi viventium; Et quando dicatur illicita negotiatio, necnè.

D I S C. LXI.

Melevitana suspensionis receptionis.

An M. Magister, ejusque Consilium demandare possint suspensionem receptionis aliquorum fratrum in genere de uno trium ordinum; Et de ordinibus, ex quibus Religio Hierosolymitana constituitur; Et de modo, seu gradu appellandi ab eodem M. Magistro, vel Consilio ad Papam, ejusque Curiam.

D I S C. LXII.

Januen. Testamenti.

An clericatus regularis, seu professio in Religione, tollat obstaculum patriæ potestatis, ad effectum, ut filiusfamilias fiat testabilis: Et quid de illis, qui primam, vel simplicem professionem emiserunt in Societate Jesu, ante scilicet emissionem quarti voti, an habeant testamenti factionem, atque de bonis patrimonialibus disponere valeant.

D I S C. LXIII.

Romana, seu Alatrina hæreditatis.

De incapacitate Domuum Professarum Societatis Jesu; Et an, & quomodo obtinere possint hæreditates, & legata, aliasque dispositiones, ubi præsertim annexum habeant onus perpetuum Missarum, & anniversariorum; Et de hæreditatibus, & legatis, relictis ipsis professis in particulari.

D I S C. LXIV.

Surrentina functionum.

An Regulares impedire possint ne Episcopus, vel eo absente, aut impedito, prima Dignitas, principales functiones peragere valeat in eorum Ecclesiis, sed quod illæ peragi debeant ab ipso Prælato Regulari; Et quando Ecclesia cui serviunt Regulares, adhuc dicatur sæcularis, atque primævum statum sæcularem retineat.

D I S C. LXV.

Neapolitana Funerum.

An interveniente Capitulo Cathedralis in funere cadaveris sepeliendi in Ecclesia Regularium, idem Capitulum jus habeat ingrediendi Ecclesiam cum cruce, cum qua peracta fuit processio, ibique erectam retinendi; Vel potiùs à Regularibus id impediri possit; Et de jure faciendi officium super cadavere.

EX SUPPLEMENTO

D I S C. LXVI.

Romana Professionis, seu Monasterii.

De eadem materia, de qua supra *disc.* 50. an & quando domus, in qua sub aliquo regulari, vel pio instituto collegialiter vivant, dicatur verum Monasterium, ipsæque mulieres dicantur Moniales professæ.

D I S C. LXVII.

Majoricen. fundationis Conventus.

De eadem materia, de qua supra *disc.* 39. *cum pluribus seqq.* & præsertim *disc.* 31. super nova fundatione Conventus Mendicantium per veritatem, reluctantibus aliis consimilibus Mendicantibus.

DISC.

I N D E X
C A U S A R U M

De Regularibus, ordine Alphabetico per Diœceses dispositus.

INDEX ARGUMENTORUM IN DISCURSIBUS.

Qui habentur in hac parte Secunda Lib. XIV. de Matrimonio Sponsalibus, & Divortio.

D I S C. I.

Romana nullitatis matrimonii.

An, & quando dicatur contractum domicilium in aliqua Parochia, ad effectum, ut coram illo Parocho contrahi possit matrimonium, ad formam Concilii Tridentini? Et quid ubi novum domicilium ita affectatè, ac in fraudem contrahatur, ut actus clandestinè fieret; Et quid operetur licentia, quæ Parocho conceditur per Ordinarium loci pro statu libero.

D I S C. II.

Neapolitana matrimonii.

De matrimonio celebrato coram Parocho proprio unius ex contrahentibus, an valeat, si Parochus non audivit quid ageretur? Et an ejus dissensus, ac omissio denunciationum obstent, necne? Et quomodo probetur quod matrimonium contractum sit, & qui testes admittantur.

D I S C. III.

Bononien. matrimonii.

De matrimonio contracto coram simplici presbytero non Parocho cum licentia Ordinarii, concessa sub nomine, vel cognomine diverso contrahentium, an valeat?

D I S C. IV.

Meclinien. matrimonii.

De eadem materia matrimonii contracti coram non Parocho de Parochi licentia, an valeat, si licentia sit vaga, & incerta, contrahentium nominibus non expressis? Et de matrimonio contracto per militem coram Vicario, seu Capellano exercitus.

D I S C. V.

Leodien. nullitatis matrimonii.

De matrimonio contracto inter raptorem, & raptam, an, & quando ex decreto Concilii Tridentini decedente sit invalidum, & qualis propriè dicatur raptus, de quo Conciliare decretum loquitur; Et incidenter de invaliditate matrimonii coram Parocho loci contracti per exteros ibi casualiter moram trahentes.

D I S C. VI.

Vicentina matrimonii.

De probatione matrimonii coram Parocho, & testibus, juxta formam Sac. Concil. Trid. per solos testes: Et an obstet validitati matrimonii dissensus Parochi: Seu quod idem, ac testes, cum dolo & fraude ad id vocati sint, non factis denunciationibus.

Et de invaliditate matrimonii, ex causa metus, ut casu præciso, quod de nocte vir in domo mulieris, cum ista, per conjunctos deprehensus esset, eique mors comminetur.

D I S C. VII.

Romana matrimonii.

An, & quando, ex sponsalibus mulieris contractis cum patre, resultet impedimentum publicæ honestatis, quod irritet matrimonium contractum cum filio; Et an dispensatio concedenda sit super præcedenti matrimonio rato tantùm, ad effectum, ut substineatur secundum matrimonium consummatum?

DISC.

INDEX CAUSARUM

Hoc Titulo de Matrimonio, Sponsalibus, & Divortio ordine Alphabetico per Diœceses dispositus.

IN-

INDEX
ARGUMENTORUM
IN DISCURSIBUS,
Qui habentur in hoc Lib. XIV. Parte III. de Decimis, & Oblationibus, &c.

D I S C. I.

Hispalen. decimarum.

De privilegio exemptionis à solutione decimarum, an & quando ei obstet Concilium Lateranense *in cap. nuper, de decim.* Et de istius decreti Conciliaris intelligentia.

An decimæ debitæ sint potius Ecclesiæ prædiali, quàm sacramentali, vel è contra; Et quæ consuetudo, vel præscriptio in hoc attendi debeat?

Et an Parochus Parocho decimam solvat, sive una Ecclesia alteri.

D I S C. II.

Prænestina decimarum.

De eadem materia text. *in cap.* 2. *de decimis*, ut scilicet clerici clericis decimas non solvant, quomodo id intelligendum veniat, & an procedat in illis bonis quæ assignata sint pro dote beneficiorum, & capellaniarum existentium in eadem Ecclesia Parochiali, non tamen ex causa parochialitatis, & cum animarum?

D I S C. III.

Calaguritana decimarum S. Asensii.

Ad materiam text. *in cap suggestum, de decim.* ad scilicet, & quando privilegiativa, vel conventionalis exemptio à solutione decimarum cessare, vel moderari debeat, si tractu temporis id magnam redoleat læsionem; Et incidenter de probatione, ac signis parochialitatis, ad effectum juris decimandi; Et de validitate transactionis super decimis.

D I S C. IV.

Toletana decimarum horti.

Ad materiam textus *in cap. ex part. de decim. & cap. fin. de privileg.* super exemptione ab onere decimarum ex novalibus, & quæ sint novalia.

Et incidenter de exemptione Religiosorum à decimis, pro hortis, & rebus ad proprium usum deservientibus; Et de aliquibus ad materiam privilegiorum exemptionis.

D I S C. V.

Viterbien. decimarum.

De differentia inter decimas prædiales, & Sacramentales; Et de prima decimarum specie debita per dominos prædiorum, quamvis ibi non vivant, neque sacramenta percipiant.

D I S C. VI.

Taurinen. decimarum.

De concessionibus decimarum, seu juris decimandi, facti per Episcopos, aliosque Prælatos, cum Apostolica confirmatione, vel respectivè sine, ad favorem laicorum; An & quando cadant sub revocatione Concilii generalis *in cap. nuper, de decim.* Et quando decimæ præsumendæ sint temporales, vel spirituales; Et de aliquibus ad materiam immemorabilis pro capacitate laicorum in hoc jure activo decimarum.

D I S C. VII.

Illerdien. decimarum.

De eadem materia laici obtinentis jus decimandi in vim immemorabilis, & quando huic obstet lis, quæ sub diversa re agitata fuerint necne.

D I S C. VIII.

Rossanen. decimarum.

An privilegia exemptionis, quantumvis ampla, suffragentur pro bonis conductis, seu arrendatis: Et an pro decimis temporalibus; Et quando istæ dicantur temporales potiùs, quam spirituales.

D I S C. IX.

Ferrarien. decimarum.

An exemptio generalis, concessa per Papam, in ejus Statu temporali, & ex causa temporali, ab omnibus oneribus, comprehendat etiam decimas spirituales; Et de materia novalium, seu bonorum, quæ licèt verè non sint novalia, pro talibus tamen habenda sint; Et de aliquibus circa potestatem Papæ concedendi exemptionem à decimis; Et de juris assistentia in Episcopo,

D I S C. X.

Urbinaten. decimarum.

De jure decimandi in aliena Parochia, privativè ad proprium Parochum, an, & quando congruat; Et quid ad talis juris acquisitionem requiratur?

D I S C. XI.

Barbastren. decimarum.

De eadem materia juris decimandi, quòd possessor alterius Ecclesiæ, vel dignitatis, obtineat intra fines alicujus Parochiæ, privativè ad proprium Parochum, ratione unionis, ex qua jus habituale resultet.

D I S C. XII.

Novarien. decimarum.

Facta erectione novæ Parochialis, cum dismembratione partis territorii, & populi alterius Parochiæ; An jus decimandi, intra fines novæ Parochiæ assignatos, in istam transferatur, vel potiùs remaneat penè antiquam Ecclesiam matricem?

D I S C. XIII.

Pampilonen. primitiarum.

De primitiis, an debeantur potiùs Ecclesiæ prædiali, quàm Sacramentali, vel è contra; Et an inter primitias, & decimas aliqua dignoscatur differentia.

D I S C. XIV.

Marsicana decimarum.

Si ex consuetudine decimæ solvantur solùm de quibusdam fructibus; in aliis autem generalis exemptio habeatur, an illæ solvendæ sint ex specie fructuum de novo in regione, seu loco introducta; Vel potiùs isti cadant sub genere exempto.

D I S C. XV.

Ariminen. decimarum.

An, & quando, restricto jure decimandi ad certas fructuum species, illud competat pro aliis fructibus, qui percipiantur ex agris, vel prædiis, ex quibus aliàs fructus decimales percipi solebant, ob immutatam culturæ formam; Et è converso quid ubi mutatio fiat ex fructibus non decimabilibus, ad decimabiles; Et incidenter de judicio summario, & executivo in exactione decimarum.

DISC.

DISC. XVI.
Urbevetana decimarum.

De tedecima, seu duplici decima, ac, & quando debita sit; Et incidenter, an venditor prædii, qui expressè illud asseruit, ac promisit liberum, & exemptum ab omni onere, & præstatione, teneatur de evictione, vel actione quanti minoris pro onere decimarum Parocho solvendatum.

DISC. XVII.
Toletana decimarum de Uzeda.

De portione canonica debita Episcopo ex decimis, an sit quarta, vel alia portio, & quomodo consuetudo in ea attendi debeat; Et qualem juris assistentiam, vel directam actionem contra Parochianos Episcopus habeat.

DISC. XVIII.
Corduben. decimarum.

De decimis molendinorum, an dicantur prædiales, vel potiùs personales, & industriales; Et de consuetudine non solvendi decimas de industriis.
Et de regula, an, & quando expensæ deducantur, necne, ante decimationem?
Et an Capitulum habeat assistentiam juris in causa universali sine Episcopo?

DISC. XIX.
Prænestina oblationum.

De oblationibus, quæ fiant sacris, ac devotis imaginibus intra limites Ecclesiæ Parochialis, an & quando pertineant ad Parochum, seu Rectorem, sive ad Episcopum, aut alium?

DISC. XX.
Januen. eleemosynæ, vel subventionis.

An eleemosynæ, ac subventiones, quæ ex judicio testatoris, vel ex alia dispositione, in certos usus erogari debent, erogari valeant, ac debeant in alios usus majoris pietatis, & indigentiæ, & præsertim in redemptionem existentium in captivitate infidelium; Et generaliter de modo distribuendi eleemosynas, & quinam dicantur pauperes.

EX SUPPLEMENTO

DISC. XXI.
Conchen. decimarum.

An ille decimator, qui participet solùm de aliquibus speciebus fructuum, prætendere valeat participationem de illis fructibus, qui colliguntur, mutata cultura de illis prædiis, ex quibus dictæ species percipiebantur, ad eandem materiam, de qua supra *disc.* 14. & 15.

DISC. XXII.
Sutrina decimarum.

De modo exigendi decimas, & quando plures invicem conviventes, vel socii unum constituant domum, sive unum foculare.

INDEX CAUSARUM

De Decimis ordine Alphabetico per Diœceses dispositus.

INDEX ARGUMENTORUM IN DISCURSIBUS,

Qui habentur in hac Parte IV. Lib. XIV. Miscellanei Ecclesiastici.

DISC. I.
De Episcopis, & locorum Ordinariis, aliisque Prælatis, & Officialibus Ecclesiasticis.

DISC. II.
Discursus generalis instructivos super iis, quæ triplicem localem, personalem, & realem immunitatem respicientia, tractari solent in Sacra Congregatione Immunitatis, divisus ut infra.

DISC. III.
Melphiten. contributionis.

An Clerici, & Ecclesiastici contribuere debeant in expensis

pectis in constructione mœnium, & arcium pro defensione civitatis ab Infidelibus.

D I S C. IV.

Melevitana collecta.

De eadem materia contributionis Clericorum, & Ecclesiasticorum in expensis, pro mœniis, & fortificationibus, adversus incursiones infidelium; Et de modo quo ista contributio facienda sit; Et incidenter de modo præstandi consensum per Ecclesiasticos in hujusmodi contributionibus; Aceiam de materia monetæ reprobæ seu inferioris valoris, quam Princeps cudat, qualis exinde resultet.

D I S C. V.

Bituntina Gabella farinæ.

De exemptione ecclesiasticorum à gabella farinæ, seu panis, quomodo eis debita sit, ad tollendas fraudes; Et de antiquis transactionibus, vel conventionibus in hac materia, an debeant servari; Et incidenter de gabellis, & oneribus Regni Neapolitani & taxa franchitiarum.

D I S C. VI.

Eadem Bituntina.

De gabella vini quòd vendatur ad minutum, an debeatur per ecclesiasticos pro vino, quod colligunt in prædiis patrimonialibus, vel Ecclesiarum, & quomodo?

D I S C. VII.

Bojanen. decimæ.

An, & quando Clerici, aliive Ecclesiastici teneantur ad decimas, aliaque onera laicalia, quæ ratione bonorum, solvantur Baroni, vel Domino temporali loci? Et quid ubi iste sit etiam Episcopus, qui habeat utramque potestatem.

D I S C. VIII.

Parmen. Prædii.

De exemptione Clericorum, & personarum Ecclesiasticarum, à Statutis, & legibus laicalibus, an operativa sit ad effectum substinendi contractus, qui contra ejusdem legis formam, initos sit per laicum ipsi legi subditum favore Clerici, vel alterius personæ exceptæ à potestate statuentis?

D I S C. IX.

Licien. Immunitatis.

Qualis dicatur proditio, quam Gregoriana constitutio recenset inter casus exceptuatos, eique immunitatem ecclesiasticam denegat.

D I S C. X.

Nullius seu Parmen.

An, & quando dicatur commissum delictum in Ecclesia, ad effectum ut dicatur casus exceptuatus à Gregoriana Constitutione?

D I S C. XI.

Lucana Immunitatis.

Quinam dicantur latrones exceptuati per eandem Gregorianam Constitutionem; Et de aliis circumstantiis immunitate privantibus; Et de provisionibus, quæ per Sedem Apostolicam, vel per Sac. Congregationem capi solent super aliqua pœna extraordinaria facinorosorum hominum, qui ad Ecclesias confugiunt.

D I S C. XII.

Urbevetana Censurarum.

An domus Canonicales, vel domus Prælati, seu aliorum Ecclesiæ ministrorum, gaudeant Ecclesiastica immunitate? Et quid ubi illas inhabitent personæ sæculares?

D I S C. XIII.

Messanen. Censurarum.

An inferior Prælatus Ecclesiæ exemptæ, in qua actualem jurisdictionem habeat, se ingerere valeat in causis concernentibus immunitatem ejusdem Ecclesiæ, vel aliarum sibi subjectarum, atque censuras proferre sine consensu Ordinarii loci; Et è converso, an & quando Ordinarius proferre possit censuras contra exemptos; ubi præsertim isti habeant speciale indultum, ut ab Ordinariis locorum censurari non possint?

D I S C. XIV.

Neapolitana Censurarum.

An, & quando Ordinarius declarare possit excommunicatos, seu in alias censuras incursos Regulares exemptos ab ejus jurisdictione; Et incidenter, an, & quando incurrent censuræ prolatæ à Concilio Tridentino, & Apostolicis Constitutionibus contra usurpatores, & occupatores bonorum Ecclesiæ?

D I S C. XV.

Nuscana Censurarum.

An, & quando Ordinarius loci procedere valeat ad censuras contra Regulares exemptos; Et quatenus procedat, an ab illis detur appellatio suspensiva, necne; Ac etiam ubi agitur de processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus; An scilicet Regulares exempti istas facere valeant sine licentia Parochi, vel Ordinarii?

D I S C. XVI.

Neapolitana jurisdictionis.

An, & quando Ordinarius jurisdictionem exerceat cum Regularibus exemptis pro contraventione eorum, quæ sibi commissa sunt; Et in specie pro accessu ad Monasteria Monialium; Et quid in concursu cum Nuncio Apostolico Commissario generali Regularium, an huic competat cognitio privativa?

D I S C. XVII.

Asculana Censurarum.

De censuris aliisque pœnis incurrendis ob recursus ad Magistratus sæculares in causis ecclesiasticis, an, & quando eis locus fiat, & an Ordinarius contra exemptos ad censuratum declarationem procedere valeat? Et quid de trahentibus personas ecclesiasticas ad forum laicalem.

D I S C. XVIII.

Cæsaraugustana absolutionis.

An obtinens absolutionem ab aliquibus expressis censuris, dicatur rectè ab illis absolutus, si aliis censuris non expressis innodatus esset; Et an detur absolutio ab una specie censurarum, alia firma remanente?

D I S C. XIX.

Faventina Censurarum.

De eadem materia validitatis, vel invaliditatis declarationis incursus censurarum contentarum in Bulla Cœnæ ob turbatam, vel impeditam ecclesiasticam jurisdictionem.

D I S C. XX.

Neapolitana Censurarum.

An, & quando occidens, vel graviter percutiens clericum ex causa defensionis vitæ, vel honoris, sive ex causa indignationis, vel magnæ provocationis, evitet censuram contentam in Canon. *si quis suadente diabolo*?

DISC.

Index Argumentorum.

D I S C. XXI.

Castri maris, seu &c.

An absolutio à censuris Papæ reservatis, obtenta à quolibet probato, & legitimo confessario in viim Jubilæi, suffragetur pro censuris in judicium deductis, per publicos Cedulones jam declaratis?

D I S C. XXII.

Neapolitana impartitionis Bracchii.

An possit Nuncius Apostolicus, invito, vel inscio Ordinatio loci, in ejus diœcesi impartiri bracchium alteri Ordinario, volenti ibi exequi ejus sententias contra proprios subditos; vel potiùs id privativè spectare debeat ad Ordinarium loci in quo executio fieri debet?

D I S C. XXIII.

Neapolitana Competentiæ.

An illa jurisdictio, quam Nuncius habet in causis particularibus; præsertim in causis illicitæ negotiationis, & receptationis bannitorum, intret in illis, qui sint ministri, officiales, vel familiares Ordinarii loci? Et quid ubi idem Ordinarius sit etiam Cardinalis.

D I S C. XXIV.

Neapolitana Competentiæ.

An, & quando intret decretum Concilii Tridentini *sess. 25. de reform. cap. 6.* super modo procedendi in causis Capitularium cum Adjunctis?

D I S C. XXV.

Neapolitana collationis.

An Episcopus cogi possit invitus conferri primam tonsuram, aliosque ordines proprio diœcesano, adeout à denegatione detur appellatio, vel recursus ad superiorem, qui eumdem ordinem conferat, vel alteri conferendum committat; Et ad quem superiorem isto casu sit recurrendum?

D I S C. XXVI.

Acheruntina, & Materanea. Distributionis Olei Sancti.

De confectione Olei Sancti, ejusque distributione per diœcesim, quando agatur de pluribus diœcesibus æque principaliter unitis, quomodo facienda sit.

D I S C. XXVII.

Pradestina Concionatoris.

An, & quando Populus, vel Communitas cogi valeat ad præstandum eleemosynam concionatori per ipsam non nominato, sed deputato per Episcopum? Et de aliis ad hanc materiam concionatoris.

D I S C. XXVIII.

Romana Sepulchri.

De jure sepulchri an sit hæreditarium, vel familiare, sive, an veniat sub fideicommisso, vel remaneat in hæreditate directa; Et de jure prohibendi illationem cadaverum in propriam sepulturam.

D I S C. XXIX.

Vulturarien. Restaurationis Ecclesiæ.

An quem pertineat onus restaurationis Ecclesiæ, an scilicet ad Rectorem habitualem, qui ejus fructus, & emolumenta obtinet, vel ad Rectorem actualem, aut ad Episcopum, qui ejus usum habeat, sive ad populum, vel alios.

D I S C. XXX.

Romana, seu Predestina fundationis Monasterii.

An, & quando ille, qui incipit construere Ecclesiam vel Monasterium, teneatur opus perficere ac dotare? Et incidenter de facultatibus executoris testamentarii; Ac etiam an certa destinatio bonorum pro pio opere adimplendo, fiet taxativè, vel demonstrativè?

D I S C. XXXI.

Majoricen. Juris quæstuandi.

De jure quæstuandi competente alicui Hospitali, vel Ecclesiæ sub certa invocatione privativè ad alios, quando per consuetudinem acquisitum dicatur, necne; Et quomodo id procedat; & quæ species præscriptionis, vel consuetudinis requiratur.

D I S C. XXXII.

Andrien. Solemnitatis.

An una Ecclesia possit alteri prohibere celebrationem ejusdem solemnitatis; Et quatenus non, quomodo utraque peragenda sit; Et an, & quando Cathedralis cogat clericos aliarum inferiorum ad interveniendum in processionibus? Et de istarum ambitu, seu modo.

D I S C. XXXIII.

Senen. celebrationis, vel reductionis Missarum.

De reductione, vel cessatione assumpti oneris Missarum, ob deficientes redditus bonorum assignatorum. Et an bona assignata stare dicantur potiùs demonstrativè, adeout per fundatorem, vel per hæredes piè disponentis aliundè supplendum sit pro implemento pii operis, vel potiùs taxativè?

D I S C. XXXIV.

Romana, seu &c.

An Judæi aliique infideles ad fidem conversi, vel eorum filii aliquam patiantur irregularitatem pro assecutionem ordinum, vel beneficiorum? Et quid ubi talis vigeat consuetudo inhabilitativa, an afficiat illos originarios, qui contraxerint domicilium in alio loco, in quo ea non vigeat?

D I S C. XXXV.

Lucana opera.

An administratio oblationum, & eleemosynarum, quæ fiant alicui Ecclesiæ, vel devotæ imagini, necnon sacræ suppellectiles, esse valeant penes sæculares, privativè ad Rectorem, vel ad Capitulum Ecclesiæ, in qua Imago existat?

D I S C. XXXVI.

Romana administrationis.

An administratoribus Montis pietatis erecti pro subventione indigentium, cum mutuo gratuito, liceat occasione Banci, seu Mensæ nummulariæ, quæ hac occasione teneatur, mutuare in summa considerabili pecunias mercatoribus, & aliis banci correspondentibus, præter ejusdem Montis institutum?

D I S C. XXXVII.

Theatina præminentiarum.

An, & quando Clerici unius Ecclesiæ, accedere teneantur ad processiones publicas, & solemnes, quæ per aliam Ecclesiam ejusdem loci celebrantur, vel potiùs prætendere possint facere proprias processiones, & solemnitates distinctè, ac independenter?

D I S C. XXXVIII.

Calaguritana Præminentiarum.

An ubi Capitulum, ex consuetudine, vel ex conventione, in aliqua Ecclesia, vel solemnitate intervenire debet, requiratur interventus omnium Dignitatum, & Canonicorum, vel sufficiat aliquis competens eorum numerus? Et de obligatione Capituli associandi Episcopum, sive illi obviandi, eidemque assistendi, de tempore concionum, aliarumque functionum.

D I S C. XXXIX.

Majoricen. Jurisdictionis sedendi.

De jure, sed ordine sedendi in choro; Et an Canonici occupare possint sedes vacuas Dignitatum; vel

ref.

respectivè an beneficiati sedes Canonicorum; Ac etiam de sede, & præcedentia celebrantis, cum aliis ad hanc materiam chori.

DISC. XL.
Romana denominationis.

De ordine tenendo per quamdam speciem præcedentiæ, tam super expressione nominum, quàm super expressione imaginum, inter plures Dei servos, ab Ecclesia eodem tempore canonizandos, atque Sanctorum Catalogo adscribendos.

DISC. XLI.
Imolen. Venationis.

An Clericis, & Ecclesiasticis prohiberi possit per Baronem, vel Dominum temporalem, venatio, vel piscatio in locis prohibitis, seu reservatis; Et quando hæc prohibitio intret, seu quomodo practicanda sit.

EX SUPPLEMENTO

DISC. XLII.

Romana Jubilei universalis.

De modo visitandi Ecclesias, & numerandi dies visitationis, ad effectum assequendi Jubilæum universale, quod dicitur Anni Sancti.

DISC. XLIII.
Ruben. Gabella.

De eadem materia de qua supra *disc.* 5. super franchitia Ecclesiasticorum à gabella farinæ, vel panis.

DISC. XLIV.
Castren. Subjectionis.

An & quomodo Clericus sæcularis nullum habens beneficium residentiale dicatur subjectus Episcopo, Et an eodem tempore possit esse subditus plurium Episcoporum.

DISC. XLV.
Alexandrina Præminentiarum.

An Ecclesia collegiata inferior teneatur accedere processionaliter ad aliam collegiatam digniorem, ut exinde accedatur ad Cathedralem, idemque agere in regressu in processionibus, quæ per Cathedralem fiunt.

DISC. XLVI.
Nullius Baren. seu Juvenacen. Clericatus.

An intelligentiam *Clem. primæ de Pœnis* super inhabilitatione filiorum, & descendentium eorum, qu occidunt Episcopum, vel alium Prælatum, & an procedat pro assecutione primæ tonsuræ, aliorumque ordinum.

DISC. XLVII.
Romana Franchitiarum.

De Franchitiis, quibus Clerici Cameræ, aliique Camerales potiuntur à Dohanis, aliisque Gabellis quomodo competant.

DISC. XLVIII.
Romana Taxæ viarum.

De exemptionibus, & Franchitiis à taxis, & contributionibus pro refectionibus pontium, & viarum quibus in Urbe competant, & quomodo intelligi debeant.

DISC. XLIX.
Romana Immunitatis duodecim filiorum:

De Immunitate duodecim filiorum, quando, & quomodo competat.

DISC. L.
Senecen. Translationis.

An, & quando Ecclesia Cathedralis ab uno loco ad alterum ejusdem Diœcesis transferri possit, ac debeat.

DISC. LI.
Romana Dimissionis Episcopatus.

An, & quando constare dicatur de causis dimittendi Episcopatum, tam pro dimissione libera, quàm pro translatione ad aliam Ecclesiam.

DISC. LII.
Bituricen. & Albicen. Juris Metropolitici;

De dismembratione Provinciæ, & erectione unius ex Ecclesiis suffraganeis in Metropolitanam, cum assignatione suffraganeorum Provinciæ antiquæ.

DISC. LIII.
Helnen. seu Narbonen. juris Metropolitici.

De jure Metropolitico per unam Ecclesiam prætenso cum Ecclesia Cathedrali, quæ se prætendat exemptam, vel subjectam alteri Metropolitano.

DISC. LIV.
Romana sive &c. Commendarum.

An concedi possint, ac respectivè debeant Monasteria regularia in Commendam Clericis sæcularibus, quando, & quomodo.

INDEX CAUSARUM

Hujus Miscellanei Ecclesiastici ordine Alphabetico per Diœceses dispositus.

INDEX ARGUMENTORUM

Quæ continentur in Adnotationibus ad Sac. Conc. Trid.

DISC.

JO: BA-



JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Decimiquarti Pars Prima,

DE REGULARIBUS UTRIUSQUE SEXUS.

DISCURSUS PRIMUS,

Generalis, sive instructivus in materia Regularium, & Monialium, divisus, ut infrà.

I.

De occasione scribendi, & de antiquo statu Regularium; Et unde proveniant illorum controversiæ à num. 1. ad 16.

II.

De controversiis inter Regulares, & Episcopos, seu locorum Ordinarios à num. 17. ad 42.

III.

De controversiis inter Regulares, & Parochos, aliosque clericos sæculares à num. 43. ad 66.

IV.

De controversiis inter ipsos Regulares diversarum Religionum à num. 67. & 87.

V.

De controversiis inter ipsos Regulares ejusdem Religionis, seu inter Religiosum, & Religionem à num. 88. ad 104.

VI.

De controversiis inter Regulares, & privatos sæculares super rebus temporalibus & aliis à num. 105. ad 125.

VII.

De Monialibus, & Monasteriis Monialium à num. 126. ad 157.

SUMMARIUM.

I.

1 *Occasio scribendi.*
2 *Distinctio discursuum, seu materiarum.*
3 *De quibus forenses debeant agere.*
4 *De regularium origine, & introductione remissivè.*
5 Regulares *antiquitùs non erant clerici, imò erant prohibiti clericari.*
6 *Solvebant decimas more populi; quia eodem more divina recipiebant in Parochia.*
7 *Subjecti erant Ordinario loci eodem modo quo clerici, & alia persona Ecclesiastica.*
8 *Quare priùs non aderant controversiæ inter* Regulares, *& Ordinarios, vel clericos sæculares?*
9 *Et quare non aderant inter ipsosmet* Regulares *earundem, vel diversarum* Religionum?
10 *Antiquitùs Monasteria singulariter, ac independenter de per se regebantur.*
11 *Hodie omnes penè* Regulares *habent privilegium exemptionis à jurisdictione* Ordinarii.
12 *Item redacti sunt ad regimen universitatis, seu* Reipublica.
13 *Unde proveniant tot* Regularium *lites, & controversiæ.*
14 *Causa* Regularium *debent etiam de jure communi tractari summariè, & extrà figuras judicii.*
15 *De erectione S. Congregationis Episcoporum, &* Regularium, *& de modo procedendi.*
16 *Distinguuntur species controversiarum, seu materiæ inspectiones.*

II.

17 *De eadem exemptione* Regularium *à jurisdictione Ordinariorum, & quando secus.*
18 *De ratione differentiæ inter Monasteria singularia, &* Religiones *constituentes universitatem.*
19 *De casibus, in quibus cesset exemptio, de qua numer. 17.*
20 *De jurisdictione Ordinarii in parvis Conventibus.*
21 *Exempti adhuc debent reverentiam.*
22 *In Ecclesiis* Regularium *qualem præeminentiam habeat loci Ordinarius, et quando usum Pontificalium eis prohibeat.*
23 *Fiunt subditi Ordinarii in iis, quæ concernunt curam animarum, et administrationem Sacramentorum.*
24 *Ordinarius quando possit* Regularibus *denegare facultatem audiendi confessiones, vel licentias concessas revocare, vel suspendere.*
25 *De eadem subjectione, ubi ipsi Ecclesia* Regulari *annexa sit cura.*
26 *Quæ facere possint* Regulares *in eorum Ecclesiis, et præsertim de Processionibus.*
27 *Quid de Confraternitatibus laicorum in Ecclesiis* Regularium.
28 *De delictis* Regularium *extra claustra.*
29 *An, et quando Ordinarius procedat ad censuras contra* Regulares?
30 *De generali subjectione* Regularium *Ordinario ratione turbatæ, vel offensæ jurisdictionis.*
31 *De exemptione laicorum, vel Clericorum sæcularium, qui sint* Regularium *coloni, servientes, et ministri.*

nistratorum Monasterii, illud obligent, & an ipsi Religiosi particulares obligentur?

110 De decretis de celebratione Missarum super acceptationibus onerum Missarum, & investimentis pecuniarum.

111 De licentia, quæ concedi solet super alienationibus, quam Regulares faciant, & de revocatione illarum facultatum, quas Regulares Prælati habebant.

112 De Religiosorum capacitate succedendi in fideicommissis, vel hæreditatibus eorumque extinsione resultante à disponentium voluntate, vel à propria renunciatione, eorundemque Religiosorum testamentis ante professionem, & similibus.

113 An, & quando Religiones incapaces in communi ob professatam paupertatem fiant capaces legatorum, & dispositionum?

114 De eodem, de quo num. 12. super capacitate Religiosorum Religionum capacium in communi succedendi in fideicommissis.

115 De renunciationibus aliisque contractibus, qui fiant ante professionem.

116 De testamentis, quæ fiant per ingredientes Religionem, quando recipiant perfectionem.

117 De solemnitatibus adhibendis in renunciationibus, quæ fiant per ingressuros.

118 De intestata successione Novitii decedentis in noviciatu.

119 De quæstionibus super successionibus, & bonis, ubi religiosus fiat Episcopus, vel à Religione capaci ad incapacem transeat, sive ob suppressionem Religionis ad sæculum transeat.

120 De generali exemptione Regularium à legibus, & oneribus laicalibus.

121 An milites S. Stephani, aliarumque similium militiarum professores sint Religiosi, vel Ecclesiastici?

122 Quando Religiosi subjiciantur gabellis, & oneribus publicis laicorum.

123 De distinctione mendicantium inter veros, & fictos, seu privilegiatos.

124 De capacitate, vel incapacitate Regulariũ obtinendi beneficia Ecclesiastica sæcularia, vel pensiones super eis.

125 De eorundem capacitate succedendi in feudis, vel in emphyteusi.

VII.

126 Quæ sint veræ Moniales, & an sint tales mulieres oblatæ?

127 De jurisdictione Ordinarii in his oblatis, vel mulieribus, quæ vivant in Conservatoriis more Monasteriorum.

128 An id quod datur istis mulieribus dicatur dos, & an eis congruant legata subsidiorum dotalium?

129 De Conoνessis.

130 Quod non dentur præsertim in Italia veræ moniales sine clausura.

131 De Monasterio Turris speculorum Urbis, & similibus.

132 De distinctione inter Monasteria Monialium exempta, & non exempta.

133 Etiam non exempta esse solent sub regimine Regularium, qui in hoc munere subjacent Ordinario, cui subest Monasterium.

134 In quibus Ordinarii potestas sit restricta in Monasteriis Monialium, unde propterea recurratur ad Sac. Congregationem.

135 De controversiis super Abbatissa.

136 De concessionibus servarum particularium.

137 De controversiis super Confessariis ordinariis, vel extraordinariis.

138 De delegata jurisdictione Ordinarii loci in Monasteriis exemptis circa clausuram, & alia.

139 De prætensionibus deputatorum laicorum super clausura, & aliis concernentibus Monasteria Monialium.

140 Cujus ætatis esse debeat Abbatissa.

141 Electio Abbatissæ fieri debet per duas ex tribus partibus votorum, iisque non concordantibus, quid Ordinarius, vel Prælatus facere debeat?

142 Abbatissa est triennalis, sed quandoque perpetua, & non potest confirmari inconsulta Sacr. Congregatione.

143 Tertia soror non habet votum activum, vel passivum.

144 Quomodo novarum monialium acceptatio fieri debeat circa solutionem, vel depositum dotis?

145 Non secuta professione etiam per mortem Novitiæ, ad quem dos data pertineat?

146 Dos Monialium est uniformis, & an alteretur, & quando sit duplicata, vel major?

147 Est licita, & debita, & an per Monasterium minui, vel remitti possit, & quando condonari, vel minui soleat?

148 Quod sit vera dos ad omnes effectus, omniaque privilegia, & aliqua recensentur.

149 Legata dotium, an conveniant his dotibus Monialium, & quomodo?

150 De competentia dotis, ubi Monialis transeat de uno Monasterio ad aliud.

151 De transitu perpetuo, vel temporali de uno Monasterio ad alterum, & de egressu.

152 Quid veniat sub nomine dotis præstandæ Moniali?

153 An vitalis præstatio Monialis ab ea remitti valeat?

154 De privilegio Monialium impediendi ædificia, vel prospectus.

155 De novis erectionibus Monasteriorum Monialium.

156 De educandis.

157 De Confessariis, & aliis ad materiam remissive.

DISC. I.

I.

De occasione scribendi, & de antiquo statu Regularium, Et unde proveniant illorum controversiæ.

Cum quidam nobilis magnatitii etiam primatii ordinis, digne ad purpuram evectus esset, sufficientem verò negotiorum Curiæ peritiam non haberet, utpotè per gradus Prælaturæ non incessus, atque Sacris Congregationibus Episcoporum, & Regularium, & Sac. Concilii Tridentini, ac Ecclesiasticæ Immunitatis adscriptus esset; Hinc proinde, piè ac prudenter cupiens, suum munus, quo magis fieri posset, benè explere, aliquam à me petiit generalem hujusmodi negotiorum instructionem: Unde propterea in quodam autumnali Tusculano otio, (cui aliquorum meorum laborum, non infœcundæ matris titulus non immeritò congruit,) quantum memoria suggerere potuit, quatuor edidi distinctos Discursus generales; Unum scilicet super negotiis Regularium, & Monialium; Alterum super negotiis Episcoporum, aliorumque Ordinantium, & Prælatorum pro Congregatione Episcoporum, & Regularium; Tertium super triplici ecclesiastica immunitate, personali scilicet reali, & locali pro S. Congregatione Immunitatis; Et quartum pro Sacr. Congregatione Concilii super magis contingibilibus, & practicis quæstionibus, de quibus in eadem Sac. Congregatione, vel in Rota, aliisque Tribunalibus agi contigit super observantia, & praxi, non autem super interpretatione decretorum Sacr. Concilii Tridentini, non tamen me ingerendo in iis, quæ respiciunt Fidei dogmata, sive forum internum, utpotè extra propriam sphæram, seu professionem, cùm semper in me, ac in aliis laudaverim illud vulgare dictérium, *nè Sutar oltra crepidam*; ideòque ut pluries in omni ferè materia advertitur, præsertim verò *sub tit. de usuris*, nimium deferendo (ut par est) Moralibus, in iis, quæ forum internum concernunt, nunquam commendare potui, ut in iis, quæ concernunt forum externum, ipsi debeant se ingerere, sive quod per Judices in concursu forensium Canonistarum eis deferendum sit; Et è converso non laudo forenses, qui se ingerant in iis, quæ forum externum concernunt. 1 2

Primus discursus Regularium habetur in præsenti; De secundo infra *hoc eodem lib. tit. miscell. disc.* 1. De tertio pariter *dicto tit. miscellan. disc.* 2. *in fin.* Et de quarto pariter infra *eod. lib.* 3

Quatenus igitur pertinet ad hunc primum, circa materias Regularium; illud in primis admonebam, mirandum non esse, quod apud antiquos Canones, sive apud primos, ac antiquos Canonistas, non habentur illæ Regularium quæstiones, quæ hodie, vel cum Episcopis, & clericis sæcularibus, vel inter seipsos, adeò frequentes habentur, quoniam relinquendo locum veritati, super quæstione, in qua Regularis vitæ professores adeò insudare solent, super origine scilicet, sive introductione vitæ regularis discretæ à clericis sæcularibus, an à temporibus D. Petri, aliorumque Apostolorum, in ipsa nascente primitiva Ecclesia, vel potius ab introductione vitæ anachoriticæ, cujus auctor fuit S. Paulus primus Eremita, & secuti fuerunt S. Antonius Ægyptius, S. Hilarion, ac alii; sive à Regulari Instituto, cum quo collegialiter vivere cœperunt S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Basilius, & S. Benedictus, ac similes; Quidquid enim sit de his, 4

Illud tamen certum est, atque apud omnes Scriptores concorde, quod antiqui, sive monachi, sive anachoritæ, 5

aliisque Regulares, qui (à Monachis discreti Mendicantes
6 dicuntur) non erant clerici; Quinimò clericari prohibiti
erant, ideòque more reliqui populi sæcularis sub Parocho
vivebant, à quo sacramenta, aliaque divina recipiebant;
b Indeque prodiit, quod decimas, reliqui populi more,
solvebant; *c* Ac etiam ejusdem populi, & cleri sæcularis
7 more subjacebant loci Ordinario, seu Diœcesano ob ad-
huc non introductum usum privilegiorum super illa exem-
ptione, quam hodie praxis docet. *d*
8 Hinc proinde sequebatur, quod nulla aderat controver-
siarum occasio inter Regulares, & Ordinarios, vel Paro-
chos, aliosque Clericos sæculares, quoniam si more reliqui
populi Ordinario, & Parocho respectivè in omnibus subja-
cebant, atque non se ingerebant in divinorum, & sacra-
mentorum administratione, minusque in funeribus, & an-
niversariis, utique nulla suberat controversiarum occasio.
9 Prout ferè nulla suberat occasio controversiarum, sive
inter diversarum Religionum professores, super præceden-
tiis, aliisque præeminentiis, ut hodierna praxis docet; Aut
inter ipsosmet religiosos ejusdem Ordinis, vel Instituti;
Tum quia cùm non intervenirent in processionibus, aliis-
que ecclesiasticis functionibus deerat præcedentiæ occasio;
Tum etiam, quia attento eo primævo statu, ejusdem Ordi-
nis, vel Instituti professores, ac Monasteria, non constitue-
bant illam universitatem, quam penè omnes Religiones
hodie constituunt sub uno Prælato Generali, aliisque Offi-
cialibus, ac Prælatis, qui sub Diffinitorum, vel Assisten-
tium, seu Consultorum, ac Provincialium, & Visitatorum,
seu alio vocabulo nuncupantur, cum formalibus comitiis
10 generalibus, ac provincialibus, quæ statutis temporibus ce-
lebrari solent, unde proptereà manant inter eosdem Reli-
giosos pro hujusmodi Prælaturis, aliisque muneribus con-
tentiones, ac factionariæ æmulationes, & divisiones, cùm
solùm aliqua rara dissensio pro electione Abbatis, ac Præ-
lati localis inter singulorum Monasteriorum alumnos an-
tiquitus audiri solita esset, dum quodlibet Monasterium de
per se, ac independenter regebatur, eo modo quo hodierna
quoque praxis docet, in iis, Germaniæ præsertim, aliarum-
que provinciarum ultra montes Monasteriis, quæ anti-
quum statum retinendo, iis singulari jure reguntur. *e*
Postquam verò Sedis Apostolicæ benignitas cœpit, ali-
11 qua conspicua, nimiumque qualificata Monasteria, sub
ejus, ac B. Petri immediata protectione, ac subjectione re-
cipere, ideòque ab Ordinariorum, seu Diœcesanorum po-
testate, ac jurisdictione eximere, quod paulatim tractu tem-
poris, sive per privilegia expressa, sive per extensionem, aut
per communicationem, omnibus penè Religionibus, præ-
sertim circa montes concessum esse praxis docet, *f*
Atque omnium Religionum, vel Ordinum regimen ad
12 formam Reipublicæ, sive universitatis redactum est; Nec-
non Regularibus concessa fuerunt indulta se clericandi,
sacrosque ordines suscipiendi, ac etiam sacramenta, alia-
que Divina ministrandi,
Hinc factum est, ut tot audiantur Regularium quæstio-
13 nes, inter seipsos in eadem Religione; Vel inter plurium
Religionum professores; Vel cum locorum Ordinariis,
aut cum Parochis, & cum Capitulis Cathedralium, & Col-
legiatarum, aliisque Clericis sæcularibus.
Quamvis autem, etiam ex juris communis dispositione,
14 vel intentione, religiosorum causas, non per juris apices, ne-
que cum tela judiciaria, sed summariè, ac potiùs in forma
extrajudiciali (ut religiosā simplicitatem decet) tractari de-
bere, tàm antiquiores Canonistæ firmaverint; *g* Contrarius
tamen invaluerat usus; Unde proptereà Sixtus V, per ejus
15 Constitutionem, *h* inter quamplures alias Congregationes,
istam quoque erexit, super negotiis Regularium, eam con-
jungendo cum altera super negotiis Episcoporum, ita ut u-
nam, eandemque constituant; Et meritò, ob hujusmodi ne-
gotiorum frequentem connexionem, ut ita more Principis,
absque strepitu, & figura judicii, & absque processu, vel tela
judiciaria, summariè, sola facti veritate inspecta, & quando-
que, imò frequentiùs, etiam per solas extrajudiciales, ac se-
cretas informationes, controversias terminet, prudentiales
regulas sæpiùs adhibendo potiùs, quàm rigores legales.
16 Plures igitur sunt Regularium controversiarum species,
quas pro clariori notitia distinguere congruit; Primò nem-
pè inter Regulares viros, & locorum Ordinarios, seu Diœ-
cesanos, aut alios Prælatos, qui ordinariam ecclesiasticam
jurisdictionem habeant in loco; Secundò inter eosdem Re-
gulares viros, & Parochos, aliosque Clericos sæculares, absq;
eo, quod Episcopus, vel Ordinarius sit in causa; Tertiò inter
eosdem plurium Religionum professores; Quartò inter pro-
fessores ejusdem Religionis, vel Instituti, seu Monasterii, sive
inter religiosū, & ipsam Religionem; Quintò inter religio-
sum, & privatū sæcularem super rebus temporalibus; Sextò
circa Monasteria Monialium, ipsasq; moniales; Et septimò
inter aliquarum Militiarum ecclesiasticarum professores, si-
ve inter laicos Regularium servientes, & Magistratus sæcu-
lares; Ista verò ultima inspectio ecclesiasticæ immunitatis
personalis, vel realis materiam potiùs percutit, ideòque de
illa agitur infrà *d. disc. 2. tit. miscellan.* In præsenti autem
agitur de dictis sex aliis speciebus, earumque appenditiis.

a tit. de jurisd. disc. 28. & hoc tit. disc. *b tit. de decim. disc. 1. & seqq. & d. disc. 28. de jurisd.* *c ibid.* *d d. disc. 28. de jurisd. latius Card. de Albiz. in discept. super tit. Card. impress. post eund. tit. de jurisd.* *e dicto disc. 28. de jurisd. & hoc tit. disc. 53.* *f eod. disc. 28. de jurisd.* Card de Albiz. *ubi supra* *g hoc tit. disc. 23.* *h Const. 74.* Sixti V.

§ II.

De controversiis inter Regulares, & Episcopos, seu locorum Ordinarios.

QUatenus igitur ad primam pertinet, ea in duas alias
subdistinguitur species; Unam scilicet passivæ exem-
ptionis, de qua Regulares contendant cum Ordinario, seu
Diœcesano prætendente cum eorum personis, vel servienti-
bus, ac ministris, atq; in eorum Ecclesiis ejus jurisdictionem
ac potestatem exercere; Et alteram jurisdictionis ecclesiasti-
cæ activæ, quam ipsi Regulares, eorum Prælati, cum clero,
& populo sæculari habere, ac exercere prætendant, privativè
ad Ordinarium, vel Diœcesanum, sive etiam cumulativè.
In prima specie; Regula generalis, ubi præsertim de illis
Religionibus agatur, quæ universitatem, ut supra cōstituãt, 17
jureque Reipublicæ regantur, assistit Regularibus super ex-
emptione ab Ordinariorum, seu Diœcesanorum jurisdictio-
ne, visitatione, correctione, ac potestate, cùm, sive ea privi-
legiis directè concessis, sive indirectè, ac implicitè per com-
municationem, nulla dignosci videatur Religio per Sedem
Apostolicam approbata, cui hoc privilegium non cōpetat.
Dubitandi etenim ratio cadit in illis, etiam antiqua-
rum, ac primariarum Religionum, Monasteriis, & Re-
ligiosis, in quibus universitatis, vel Reipublicæ qualitas
non verificetur, quia nempe, quodlibet Monasterium sin-
gulariter, ac independenter se regat, ut supra insinuatum
est, cum in eis, exemptorum, ac non exemptorum discre-
tiva praxis, seu observantia doceat,
Ex ea nimiùm probabili differentiæ ratione, inter unam 18
speciem, & alteram, quòd ubi agitur de Monasteriis, vel
Regularibus domibus, universitatem constituentibus, at-
que Reipublicæ gubernium habentibus sub Prælato Genera-
li, aliisque Officialibus, ac Prælatis, ut supra tunc Reli-
giosi, eorumque locales Superiores, Visitatores, & con-
gruos correctores habent, qui rectè suppleant eas partes,
quæ Diœcesanis, seu locorum Ordinariis per sacros Cano-
nes commissæ sunt, quod non contingit in altera specie. *i*
Multis autem eadem generalis exemptio subjacet limita- 19
tionibus per Concilium Tridentinum, & per Apostolica
Decreta, sive per receptam DD. traditionem, ex Canonum
mente præsumpta resultantibus in plerisque casibus, in qui-
bus exemptione non obstante, Diœcesanus, vel Sedis Aposto-
licæ jure delegato, vel ejus antiquam, ac nativam reassu-
mendo potestatem, Regularium Superior, & protector est;
Longum verò, ac tædiosum esset omnes hujusmodi casus
recensere, nulla exigente necessitate, cùm de facili inspici
possint apud modernos Collectores, qui eos referunt. *l*
Ultrà verò dictos casus, Constitutiones Urbani VIII. & 20
Innocentii X, quasdam magis generales induxerunt limita-
tiones per quandam speciem regulæ, in iis scilicet Mona-
steriis, vel regularibus domibus, quæ de novo fundentur
cum minori numero duodecim religiosorum, sive etiam
in antiquis, in quibus sex ad minus non vivant,
Ex quoque generali limitatione, seu regulæ declaratio- 21
ne accedenie, ut exemptio, quæ subjectionem jurisdictio-
nalem sustulit, alteram tamen reverentialem non abole-
verit, ideòque Regulares, & alii, quantumvis exempti,
reverentiam, ac obsequium Ordinario debeant, in pristi-
næ potestatis, ac superioritatis reverentiam, ac etiam ob
eam habitualem in plerisque casibus ad actum deducibi-
lem, quam adhuc retinet. *m*
Hinc proindè, quamvis in Regularium Ecclesiis exem- 22
ptis, Ordinarius visitandi, seu aliàs corrigendi jus non ha-
beat, quod generaliter in sua diœcesi, vel territorii Ecclesiis
habe-

habere dignoscitur, adhuc tamen, ubi in eis adesse casus præbeat, throni erectio, aliæque præeminentiæ Episcopo; vel Ordinario in suæ diœcesis Ecclesiis de jure competentes; competunt, ipsoque præsente, in Divinis celebrandis, aliisque ecclesiasticis functionibus jus non est Prælati Regularis eas exercere functiones, & præeminentias, quæ aliàs de jure, vel ex privilegiis competunt, nisi ipsomet Diœcesano permittente, cùm debitæ reverentiæ ratio id exigat. *n*

Juris communis autem dispositione attenta, Regularibus Prælatis Pontificalium usum habentibus, loci Ordinarius prohibere potest illum immoderatum, vel etiam consuetum ipso præsente; Hodie verò per Decreta Generalia S. Congregationis Rituum hic usus nimiùm est restrictus ad certas anni solemnitates, & cum nimia moderatione. *o*

23 Frequentiores verò, super casibus limitatis quæstiones cadunt, ubi Regulares, in iis se ingerunt; quæ clerum, ac populum sæcularem Diœcesano subjectum percutiunt; Putà in Divini verbi concione, ac Sacramenti pœnitentiæ administratione, aliisque actibus, animarum curam, ac Sacramentorum administrationem concernentibus.

In istis etenim, absque Ordinarii licentia, & auctoritate, quovis amplo privilegio non obstante, se ingerere non possunt, ideòque se ingerendo, ipsum Ordinarium in Superiorem agnoscere tenentur, atq; ab eo corrigi, ac puniri possunt ex ea congrua ratione quod ad Pastorem inspicere pertinet, an sibi commissis ovibus per inferiores ministros Divina pabula, benè, vel malè ministrentur, ipsique exempti, in iis se ingerendo, per implicitam suæ exemptionis cessionem, ejusdem Pastoris, ac primi regulatoris subditos se faciunt.

24 Quamvis autem in hujusmodi rebus, præsertim verò in Sacramento pœnitentiæ ministrando, etiam in propria Ecclesia, cum clero, & populo sæculari, certa sit Ordinarii potestas, atque in ejus arbitrio repositum sit, licentias Regularibus concedere, vel denegare, aut concessas suspendere, seu revocare, aut novum examen super idoneitate in earum renovatione exigere; Attamen discretè hanc potestatem exercere debet, ne erga universam Religionem, seu Ordinem, animosa sit; Ideòque ubi hæc facultas, omnibus illius Religionis, vel Monasterii Religiosis, absque meriti, vel demeriti personalis discretione, denegetur, vel animatur, pluries Sac. Congregatio id damnare consuevit, atque Ordinariis prohibere; Quoties particulares facti circumstantiæ, ob rebellionem, vel denegatam reverentiam in universum, seu ob aliam justam causam, quæ omnes tangat, aliud non suadeant. *p*

25 Itaque potestas in animarum cura, & Sacramentorum administratione, Ordinario cum Regularibus exemptis etiam in eorundem Ecclesiis, in iis tamen, quæ id concernant, non autem in aliis, nedum competit, ubi Regulares voluntariè, seu precariò hanc administrationem capiùt, vel assumunt, sed etiam ubi de jure, ac in titulum id eis competat, ut frequens praxis docet, ubi ipsorum Regularium Ecclesia Parochialis existat, seu ipsi animarum cura annexa sit, cujus exercitium ipsis Regularibus competat, quoniam ii, qui huic muneri per Superiores Regulares præficiantur, ab Ordinario, prævio etiam examine, super idoneitate scientiæ, ac moribus, approbari debent; Atque approbati, in iis; quæ id concernunt, ei subjacet, ipsaque Ecclesia etiam subjacet, limitatè tamen ad Sacramenta, & curam. *q*

26 Alia verò Divina, quæ devotionem potiùs concernunt, atque jus Parochiale non lædunt, ut sunt Missarum, ac officiorum celebrationes, ac etiam processiones intra earum propria septa, etiam cum cleri, & populi sæcularis interventu, non prohibentur; Prohibitione cadente in processionibus, quæ extra propria septa, in territorio Episcopi, vel Parochi fiant; Nisi speciale indultum Apostolicum, vel antiqua consuetudo, cujus vigore idem indultum juridicè allegari valeat, id concedat. *r*

27 In visitatione autem, aliavè jurisdictione, ac Superioritate Societatum, seu Congregationum, aliarumque adunantiarum, quæ ex clero, & populo sæculari constitutæ, in Regularium Ecclesiis exemptis, vel domibus erectæ sint, quæstiones cadunt, Regula tamen Ordinario, seu Diœcesano assistit, nisi peculiare privilegium aliter concedat, cum ad diœcesanum pertineat de hujusmodi adunantiis inquirere, ne aliàs prohibitæ conventiculæ, cum Catholicæ Religionis præjudicio, vel bonorum morum corruptione fiant, sive abusus inducantur, pro facti qualitate. *s*

28 In delictis, & excessibus, quæ per Regulares extra claustra committantur, per locorum Ordinarios jurisdictio, seu potestas prætendi solet, pluries tamen Sac. Congregatio censuit, ut ubi de casibus exceptis non agatur, in quibus ille jurisdictionem habeat, possit quidem in eos manus injicere, atque carcerare, sed proprio Superiori intra brevem terminum, puniendos, & corrigendos remittere debeat; Nisi jam experta Regularium Superiorum negligentia, etiam in casibus non exceptis, hanc potestatem Ordinario tribuat, cùm tunc eos cognoscere, & corrigere valeat. *t*

29 Cùmque plerisque Religionibus, specialiter per Apostolicam sedem indultum sit, ne eorum professores excommunicari, aliisque censuris innodari valeant; minusque eorum Ecclesiæ, Ecclesiastico interdicto subjici, nisi quando interdictum generale loci, respectu populi id exigat; Hinc frequentes cadunt quæstiones, an hujusmodi privilegio non obstante, ad censuras Ordinarius contra eos procedere valeat.

Receptaque distinctio est, ut auctoritate sua, eas non inferat, quas ab homine inferri DD. dicunt; Nisi rebellionis, vel injuriæ, seu violentiæ ratio in forma extrajudiciali per speciem defensionis id exigat; *u* Benè tamen à jure illatas declarare possit, cùm tunc propriam jurisdictionem, ac potestatem cum exemptis exercere non dicatur, neque eos censuris subjicere, sed jam à lege affectos declarare, seu denunciare, legis ministrum agendo, sive (magis ad rem) sibi commissum clerum, & populum monendo, ut sciant à quorum commercio abstinere debeant, sivè quos fidelium communioni admittere non debeant, ita cum ejus subditis suum munus exercendo. *x*

30 Ultrà verò casus, qui per Collectores, ut suprà enumerantur, in quibus specialiter Concilium Tridentinum, vel Apostolica decreta, Regulares, exemptivis privilegiis non obstantibus, Ordinariis subjiciunt, ut (ex gr.) sunt accessus ad publicas processiones, festorum observantia, & similia; Ea generalis, ex juris communis dispositione limitatio resultat, quà turbata jurisdictio, vel offrosæ aures inducant, cum ab omni exemptione, hujusmodi casus excepti sint, illique, quantumvis incompetentibus, competẽtiam, ac jurisdictionẽ tribuant, quoties omnimoda incapacitatis ratio non urgeat, ut ea per Canonistas recensentur, quam in Judice laico, cum clericis, vel ecclesiasticis, sacri Canones induxerunt. *y*

31 Quia verò hujusmodi exemptiva privilegia, Monasteriorum, ac Regularium domorum, colonos, ac famulos, & servientes, aliosque ministros, ferè generaliter complectuntur, quamvis de clero, & populo sæculari existant, Ordinariis aliàs ea lege diœcesana subjecti. Hinc proindè, super hac personarum specie, frequentiores quæstiones cadere solent.

Ex pluribus tamen tam istius S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, quàm alterius S. Concilii Tridentini Interpretum declarationibus, & Rotæ decisionibus, hodie firmum, ac certum videtur, ut exemptio non intret, nisi copulativè concurrentibus, ac verificatis tribus requisitis à Constitutione Gregorii XIII. præscriptis; Primò nempè, ut Monasteriis, vel Domus regularis servitio firmiter addicti sint; Secundò, ut intra ejusdem domus septa vivant; Et tertiò, ut ibidem, non more populi, sed eo modo quo ipsimet Regulares, sub Prælati, vel Superioris regularis obedientia vivant; Secus autem, ubi extra septa, intra quæ regularis clausura restricta est, cum uxoribus, & familia more populi, quamvis in aliquo adjacenti ejusdem Monasterii, vel domus regularis ambitu, seu recinctu vivant, qui tamen extra regularem clausuram existat. *z*

32 In iis verò locis, in quibus existat Sedis Apostolicæ Nuncius, vel alter ab eodem ad aliquod causarum genus, deputatus, qui Regularium, ac exemptorũ Commissarius Generalis, vel Delegatus quoque deputatus fuerit, ut præsertim est Neapolitani Regni Apostolicus Collector Generalis, cui Nuncii nomen tribuitur, (illud retinendo quod habebat, quando apud Reges ibi morantes residebat,) quæstiones cadere solent, cum Diœcesanis, seu locorum Ordinariis, potissimùm verò cum ipsius Regiæ residentialis Civitatis, in qua ipse Nuncius quoque residet, Archiepiscopo, ipso Nuncio prætendente cum Regularibus privativam cognitionem; Improbabilem tamen hanc pretensionem pluries S. Congregatio censuit; Vel quia dicta in Regulares delegata jurisdictio, seu commissio ad certos casus restricta sit; Vel quia ea procedat in concursu cũ Prælato, vel Superiori regulari pro iis casibus, in quibus exemptio intrat, non autem in iis, in quibus exemptione cessante, Ordinariis, delegato, vel proprio ordinario jure, per obstaculi remotionem competat. *a*

33 Eædem quæstiones, inter locorum Ordinarios cadere solent, ac speciales Delegatos, qui privilegiorum Conservatores dicuntur, dum sæpiùs isti longè majorem sibi assumunt jurisdictionem, ac potestatem, quàm de jure competat, ipsis Ordinariis inhibendo.

Sacrorum autem Canonum generali dispositione attenta, istorum potestas, ad solos manifestæ injuriæ, seu manifestæ violentiæ casus restricta est, ideòque formalis Tribunalis erectio est eis prohibita.

Aliquibus tamen Religionibus, ut sunt præsertim Sacra Religio Hierosolymitana, & illa Societatis Jesu (aliis non exclusis, quibus id quoque concessum esse dignoscatur) ex Apostolico speciali indulto tributum est, ut omnium causarũ civilium, criminaliũ, & mixtarum Judices existãt, sive sint activæ, sive sint passivæ, ac sive sint rei, sive sint actores.

Id autem rationabiliter Gregorii XV. Constitutio moderata est, ut in causis passivis, in quibus ipsi Regulares Rei existant, id procedant, non autem in activis, in quibus fiot Actores; Cùm præsupposita tamen etiam in passivis, ut de iis causis agatur, quæ sub regula generali exemptiva cadant, ideòque ratio conservationis privilegiorum intret, non autem in exceptis, in quibus privilegia cessant, ideòque Ordinarii, ex ordinaria, vel delegata potestate, competentes existant.

Super hujusmodi autem Conservatorum electione, seu deputatione, eadem Gregoriana Constitutio, certam induxit formam, qua nullatenus, vel malè servata, hæc potestas ipsis locorum Ordinariis commissa est, ipsique Conservatores censentur, ut scilicet quodlibet Monasterium, seu quælibet Regularis Domus, cui exemptiva privilegia competant, unum tantùm, & non plures singulis quinquenniis interdicta variandi potestate, in eo loco, in quo ipsum Monasterium est, deputare debeat, ac deputationem ejusdem loci Ordinario denunciare, ejusque authenticum documentum penes ejusdem acta exhibere.

Cedente quæstione ubi contingat, quòd Monasterium, vel Domus regularis, grancias, & membra, seu bona in aliis diœcesibus possideat, an in eis eadem forma denunciationis, ac exhibitionis coram illis Ordinariis servari debeat, sive potestas dicti Conservatoris exerceri, quod adhuc indecisum remanet.

Apostolici Delegati, hujusmodi Conservatores dicuntur, à quibus ad Papam deleganiem, non autem ad Metropolitanos, vel Primates, quinimò neque ad Legatos appellare licet; nisi legato id specialiter in facultatibus attributum sit, ut quandoque praxis docet; Vel nisi de illo generali Apostolico appellationum Judice agatur, qui generaliter pro aliquo Regno, vel regione ob difficultatem accessus ad Curiam, deputatus fuerit, ut de Judice appellationum Insulæ, seu Regni Sardiniæ Sacra Congregatio Concilii declaravit.

An autem hæc appellatio, suspensivum quoque effectum operetur, vel ad devolutivum tantùm admittenda sit, pendet ex causæ qualitate, an celeritatem desideret, eique mora præjudicet, necne, ut præsertim in casu regularis, & consuetæ hujusmodi Conservatorum potestatis contingit, quòd scilicet de manifestis injuriis, aut violentiis agatur, cùm tunc ad solum devolutivum appellationem intrare eadem Sacra Congregatio Concilii decrevit; Secus autem ubi hæc ratio cessat.

Hujusmodi autem Conservatoribus, aliam subdelegandi, vel suo loco substituendi facultas denegata videtur; Atque pleræque aliæ super eis contingunt, magis tamen raræ, minùsque frequentes quæstiones, quas memoria recensere non concedit, de facili tamen apud peculiaris materiæ Auctores tractatæ habentur, apud quos in casus occurrentia inspici poterit, ut generaliter de aliis Regularium, ac Ordinariorum quæstionibus dici potest. *b*

34 A supradicta distinctione, inter concernentis curam animarum, & Sacramentorum administrationem, aliaque super spirituali regimine cleri, & populi sęcularis, quod Ordinario loci tanquam illarum ovium pastori commissum est, ac ea quæ concernunt ipsorum Regularium disciplinam, sive propriæ Ecclesiæ cultum, aliaque indifferentia, quę nvile Episcupi, seu Ordinarii non percutiant, pendet decisio quæstionis, an Regulares ad Diœcesanam synodum accedere teneantur, necne? Ut iis, qui in prima parte distinctionis versantur, atque illi qui dicti ovilis inferiores operarii sint, accedere teneantur, ut a pastore leges recipiant, quomodo oves regere debeant, eisque divina pabula ministrare, ideòque ubi Ecclesiæ Regularium annexa sit cura animarum, sive sit Sacramentalis, sive sit Jurisdictionalis Ordinario subordinata, illi qui dictam curam exercent in Synodo intervenire debent, non autem alii, quamvis tanquam indifferentes Regulares, sine jure Parochiali, ad audiendas sæcularium confessiones, vel ad faciendum conciones populo ab Ordinario licentiam habuerint, nisi legitima consuetudo aliter suadeat, cùm Regulares, quoad seipsos, eorumque regimen, non juxta leges diœcesanas, sed juxta propriam regulam sub propriis regularibus Prælatis vivant.

Non improbabiliter tamen dici posse videtur, ut si Regulares parvorum Conventuum, qui ad præscriptum Constitutionis Innocentii X. super reformatione Regularium, jurisdictioni, & correctioni Ordinarii loci in omnibus subjacent, ad instar Clericorum sæcularium, eisque exæquati, tanquam per restitutionem antiqui status ex remotione obstaculi exemptionis, ad id cogi valeant. *c*

35 Eademque distinctio cadere videtur in alia quæstione, an Regulares ab Ordinario cogi valeant, accedere ad lectiones, vel Congregationes, aliasque conferentias casuum conscientiæ, vel Sacræ Scripturæ: *Benè verum quòd* isto casu si non præcisè, attamen causativè videtur, ut Ordinarius ad id cogere valeat illos Regulares, qui etiam sine formali annexione, vel exercitio curæ animarum, audire volunt confessiones sæcularium, quoniam probabiliter Ordinarius in licentia, quam eis tribuit, hanc legem, seu conditionem adjicere potest, sine qua talis facultas exerceri non valeat. *d*

36 Quemadmodum enim verius, magisque receptum est, atque ab ista, ac altera Sac. Congregatione Concilii pluries determinatum, ut Ordinarius possit hujusmodi licentias audiendi confessiones concedere ad tempus determinatum, eoque elapso denegare confirmationem, vel prorogationem absque novo examine, ad effectum inspiciendi, an in eo munere ille profecerit, atque in studiis ad id necessariis se exercuerit, cùm etiam iis, qui uno tempore sint idonei, ac habiles, deserendo studia, atque in otio, & ignavia torpescentes, indocti, minùsque idonei evadere possint, ut occasione agendi de novo examine etiam Parochorum habentium Parochias in titulum perpetuum, habetur in propria Parochorum sede; Ita probabilius ad alliciendum ad studia, sive ut hujusmodi operarii in proprio munere meliùs se exerceant, atque istud faciant circuli studium, quod est omnium melius, magisque proficuum, debeant in hujusmodi Congregationibus, vel conferentiis intervenire; Itaque lex, seu conditio, eis præscribi possit. *e*

37 Contingit etiam quandoque, ejusdem exemptionis Regularium, singularis, ac extraordinaria limitatio ex lege fundationis, quia nempè Regularibus, Ecclesia, vel Domus, aliaque bona sub hac lege concessa sint in ipsa eorum introductione, seu fundatione. *f*

38 Vel quòd, Ecclesia remanente in suo statu sæculari, sub Rectore etiam sæculari, illius usus precariò Regularibus ibi adjacentibus concedatur, ut ibi ministrare, atque Divinum cultum peragere valeant, quoniam in iis, quæ concernunt ipsius Ecclesiæ cultum, non autem disciplinam regularem, vel alia, quæ extra Ecclesiam in Conventu sequantur, Ordinarius rectè dici potest superior. *g*

39 Ad instar eorum, quæ ex probabiliori sententia, habentur in illis Ecclesiis, quæ assignatæ sunt pro titulis Cardinalium in Urbe, quibus inserviunt, atque in eis Divina peragunt, ibi adjacentes Regulares, (ut frequens praxis docet,) quoniam in iis, quæ concernunt ipsam Ecclesiam, ejusque cultum, multòque magis curam animarum, quæ eisdem Ecclesijs annexa sit, Cardinalis Titularis, qui in ea reputatur tanquam Ordinarius, ac Diœcesanus, erit superior etiam exemptorum; *h* Quamvis de his, quæ contingunt in Urbe, in hac Sacra Congregatione agi non soleat, ex ratione, de qua in relatione praxis Curiæ, ubi 40 generaliter de istis Sacris Congregationibus, earumque auctoritate, & stylis agitur.

41 Alia hujus inspectionis pars est, ubi inter loci Ordinariũ, & Regularem Prælatum quæstio fit, super Ecclesiastica, vel quasi Episcopali jurisdictione activa in clerum, & populum sęcularem; Cùm etenim frequenter casus præbeat, ut Monasteria, ex antiquis Principum concessionibus, possideant aliqua Oppida, vel Castra, cum jurisdictione temporali in vassallos, vel incolas; Atque Apostolica privilegia exemptiva, concessa eisdem Monasteriis, vel Religioni in universum, loqui etiam soleant de colonis, ac servientibus, & vassallis; Hinc proindè inolevit usus pęnè universalis, quòd cũ Monasterii Pręlati essent personæ Ecclesiasticæ, quibus ecclesiastica jurisdictio non incongrua est, utramque jurisdictionem spiritualem, ac temporalem tam cum populo, quàm cum clero exercere consueverint, Episcopis negligentibus; Potissimè verò quoniam ante Concilium Tridentinum, usus vel abusus inoleverat, concedendi Cardinalibus, vel Prælatis Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas, in commendam absque residentia, eo modo quo dantur Monasteria, &

Abba-

Abbatiæ, ideoque Vicarii, ac Ministri id negligebant, proindeque iidem Prælati Regulares, se loci Ordinarios esse, cum plena, & quasi Episcopali jurisdictione, privativè ad Diœcesanos prætendere cœperunt.

Verùm quia id non est peculiare Regularium tantùm, cùm generaliter in plerisque inferioribus Prælatis id verificari soleat, atque pariformiter procedat; Hinc proindè de hoc agitur infra, *d. disc. 1. tit. miscellan.* ubi generaliter de hujusmodi controversiis jurisdictionalibus inter Episcopos, seu locorum Ordinarios, & Prælatos inferiores; Quamvis etenim, pro frequentiori contingentia cum Prælatis Regularibus istæ quæstiones quoque contingant, attamen in sæcularibus etiam Prælatis, vel Capitulis, seu Collegiis, eædem contingere solent, neque status regularis, in hoc aliquid peculiare habet ab aliis Prælatis inferioribus sæcularibus discretum, cum illa eorum ampla privilegia exemptiva, quæ colonorum, ac servientium, & vassallorum mentionem quoque continent, (ut supra advertitur) jurisdictionem, vel subjectionem passivam percutiant, & quatenus in sæcularibus, hujusmodi servitii, vel coloniæ, aut vassallagii qualitatem habentibus, superiùs recensita tria requisita Constitutionis Gregorii XIII. concurrant.

Vel quòd activa jurisdictio Ordinarii, vel alterius Prælati, non percutiat personas ipsorum sæcularium, tanquam de populo, & clero sæculari, ac de ovili, cujus regimen Ordinario loci, vel alteri Prælato commissum est, sed influat in bona, & jura ipsorum Regularium; Unde proptereà privilegiorum, ac exemptionis violationem id redoleat; Istorumque casuum, vel effectuum confusio, vel non benè facta distinctio, tot producere solet in hac materia æquivoca, & non benè regulata judicia, & quandoque etiam scandalosas quæstiones.

42 Illud autem in Regularibus quoad inferiorum Prælatorum hanc activam spiritualem, seu quasi Episcopalem jurisdictionem cum clero, & Populo sæculari, considerabile videtur, quod ubi agatur de ipsarum Religionum Generalibus, sive (adhibendo verba Concilii Tridentini) de Religionum Capitibus, tunc magis circumspectè cum eis proceditur, dum pleraque eis conceduntur, quæ aliis inferioribus Prælatis permittenda non sunt; Ea ea congrua ratione, quòd illi, qui idonei reputantur pro regimine alicujus universæ Religionis, mereantur reputari congrui, ac idonei in regimine cleri, & populi sæcularis alicujus loci, ideòque qualitas nullius cum plena ordinaria quasi Episcopali jurisdictione faciliùs admittitur in iis locis, in quibus ordinariam residentiam habeat, atque sit Prælatus ille, qui est universæ Religionis caput, vel Superior Generalis, cùm in reliquis ea, quæ infra *d. disc. 1. tit. miscellan.* habentur, circa hujusmodi Prælatos inferiores, de activa jurisdictione spirituali, in clerum, & populum sæculares, contendentes cum Diœcesanis, seu Ordinariis locorum, æquè percutiant Prælatos regulares, ac sæculares, neque Regularium privilegia in hoc operativa sint. *i*

Quando autem Regulares se ingerunt in munere executoris testamentarii piarum præsertim dispositionum, rectè locorum Ordinarii, exemptivis privilegiis non obstantibus, eos cogunt, ad suæ administrationis rationes reddendas; Ideòque eorum Regulares superiores id munus ei prohibere solent, ut infra in quinta Rubrica advertitur.

i *eod. disc. 28. de jurisd. & alibi, ut suprà.* l Barbos. *de potest. Episcopi, alleg. 105.* Tamb. *de jur. Abbat. tom. 1. disp. 15. quæst. 2.* Frances *in manual. Pastor. Regul. part. 2. quæst. 2. & d. disc. 28. de jurisd.* m *tit. de jurisd. disc. 35.* n *tit. de jurisd. disc. 31. & tit. de praemin. disc. 22.* o *dicto tit. de jurisd. disc. 31. & de praemin. disc. 15. & in tit. miscellan. disc. 1. & in annot. ad Sacr. Conc. Trid.* p *De his omnibus concernentibus curam animarum, & administrationem sacramentorum, ac licentias audiendi confessiones, & similia sub tit. de jurisd. disc. 6. 15. 32. & 34. & in discept.* Card. de Albiz. *post d. tit. & sub. tit. de Paroch. disc. 11. & 12. & in aliis.* q *locis proximè citatis.* r Barbos. *de Episc. alleg. 78. & in summ. Apostol. decis. collectan. 605.* s *hoc tit. disc. 50. & sub tit. de jurisd. disc. 45.* t *apud eosdem, de quibus suprà, num. 19.* & Barbos. *in summ. Apostol. decis. collect. 639.* u *tit. de jurisd. disc. 47.* x *eod. tit. jurisd. disc. 29. & infra hoc eod. libr. tit. miscellan. ad materiam immunitatis, disc. 2.* y *eod. tit. de jurisd. disc. 36.* z *eod. tit. de jurisd. disc. 1. 4. & 6. & in aliis.* a *dicto tit. de jurisd. disc. 36. & infrà hoc eod. lib. disc. 1. tit. miscellan. ubi quod ita Card. de Luca, Lib. XIV.*

resolutum fuit per S. Congregat. Episcoporum favore Archiepiscopi Neapolitani. b *De hac materia Conservatorum hoc tit. disc. 51. & 52. & tit. de jurisd. disc. 49. cum ibi allegatis.* c *tit. de jurisd. disc. 37.* d *tit. de Paroch. disc. 16. ubi de materia cum ibi allegatis.* e *eod disc. 16. de Paroch.* f *sub tit. de jurisd. disc. 30.* g *eod. tit. de jurisd. disc. 34. & in discept.* Card. de Albiz. *eod. tit.* h *locis proximè citatis.* i *Sac. Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 11. hoc eod. lib. in fine, & de jurisd. disc. 12. & in aliis.*

III.

De controversiis inter Regulares, & Parochos, aliosque Clericos sæculares, vel eorum Capitula, & Collegia.

43 INter Regulares, à Parochorum etiam jurisdictione, ac Parochiali jure exemptos, ipsosque Parochos, aliosque clericos sæculares, vel regulares, qui hoc jus Parochiale habeant, sive etiam ipsummet Episcopum, seu Ordinarium loci, & Capitulum Cathedralis, quod jus connexum cum Ordinario habeat tanquam Parochum in illis diœcesibus, in quibus Parochiarum distinctio non habeatur, unde proptereà universa diœcesis unicam constituat Parochiam in Ecclesia Cathedrali, ideòque Episcopus sit unus, ac universalis Parochus, ut in plerisque Hispaniarum præsertim Diœcesibus, ac præcipuè magnis, & qualificatis, Toletana, & Hispalen. *l.* praxis docet, quod plures cadere solent controversiæ, præsertim verò illa decimarum, seu juris decimandi, ob exemptiva privilegia, quæ per Regulares prætenduntur, etiam ab ea solutione decimarum, ad quam generaliter omnes de clero, & populo erga Parochum tenentur.

44 Atque in hoc, quidquid antiquiori tempore, inter Scribentes certatum fuerit; Hodie per tot Rotæ Romanæ decisiones, materia explanata videtur, ut scilicet, regula generalis Parochos assistat, quibuscunque privilegiis exemptivis non obstantibus, quæ derogationem non habeant Concilii Generalis Lateranensis sub Innocentio III. celebrati, ac registrati *in c. nuper, de decim.* Præterquam quoad illos hortos, aliaque prædia, quorum fructus deserviant pro usu præciso ipsorum Regularium, eorumque servientium, qui in ipsis eorum septis vivant, adeout sub eorundem Regularium privilegiis cadant; Alia etenim, quæ in hac decimarum materia habentur, super novalibus, vel aliis dictæ regulæ generalis limitationibus, non percutiunt aliquod ipsorum Regularium peculiare jus, vel privilegium, sed proveniunt a subjecta materia, seu ratione, quæ omnibus congruit.

Meritò autem Regulares, quamvis à Parocho sacramenta, aliaque divina hodie ex Apostolicis indultis non percipiant sed sibi ipsis ea, aliaque jura Parochialia ministrent, quoad hoc decimarum onus, reliqui populi, & cleri sæcularis jure recensendi veniunt, spectato scilicet eorum originario, ac primævo statu, qui proptereà mysteriosè suprà insinuatus est, illeque in consideratione habendus venit, quoniam regularis Instituti professores antiquitus, clericari, atque divina peragere prohibiti erant, ideoque more reliqui populi, in Parochia sacramenta, aliaque divina recipiebant; Et consequenter decimas solvebant tanquam hujusmodi operis, seu ministerii præmium congruum; Et licet Sedes Apostolica, gratiosè eis concesserit privilegia se clericandi, atque sacramenta, aliaque divina sibi ipsis ministrandi, noluit tamē jus Parochorum tollere in bonis jam decimalibus quæsitum; Unde proptereà, non improbabilis opinio est, ut in iis, quæ nunquam decimalia fuerunt, Regularium privilegia à quibuscunque oneribus exemptiva, hanc speciem non complectantur, neque sub dicto decreto Concilii Generalis Lateranensis cadant, ut in sua peculiari decimarum sede, latiùs, magisque distinctè advertitur, ac examinatur. *m*

45 Verum ista controversiæ species, pro frequentiori praxi, in forma judicii agitari solita est in Rota, aliisque contentiosis Tribunalibus, utpotè exigens formalem processum, ideòque tractari non solet in illa Sacra Congregatione, quæ ex ejus instituto, illa solùm tractare solet, vel debet, quæ in forma summaria, & extrajudiciali, formalem processum, ac telam judiciariam non exigunt. *n*

46 Altera frequentior species controversiarum cadentium inter Regulares, & Parochos, aliosque Clericos, jus Parochiale habentes, vel exercentes, percutit defunctorum sepulturas, & exequias, ac funera, sive anniversaria; Eaque plures habet species; Primò nempè super ipso jure sepeliendi,

Secundò super jure faciendi officium; Et tertiò super emolumentis, seu quarta Parochiali.

47 In prima specie, juris scilicet sepeliendi; Ubi agatur de defuncto, qui sit de populo, vel de clero sæculari vivente in privata domo, tunc extra omnem controversiam est, ut Regulares, quantumvis privilegiati, atque in specie habentes hoc expressum in privilegiis, quod à Parocho impediri non possint, ne in eorum Ecclesiis sepulturam cadaveribus tribuant, non possint sine Parocho funus peragere extra eorum Ecclesiam, ut ad illam cadaver ducatur, quoniam esset exercere jurisdictionē in territorio Parochi, in quo ipsi nullum jus habent, utpote restrictum ad territorium proprium quod consistere dicitur intra ambitum, ac septa Monasterii.

48 Quinimò neque in propria Ecclesia funus peragere possunt, ac sepulturam fidelibus de clero, & populo sæculari, qui sub Parocho vixerint, tribuere, sine ejus interventu, seu consensu puta, quia absque ipsorum Regularium interventu, vel facto, conjuncti, vel benevoli defuncti, clam de nocte, seu aliàs illud cadaver ad eorum Ecclesias asportarent, quoniam neque id fieri potest, ex quo ipsum jus funerandi, & sepeliendi dicitur Parochiale ex jure privativo Parochi. *n*

49 Privilegia verò de hoc in specie agentia percutiunt remotionem illius obstaculi, seu prohibitionis, quam antiquitus Regulares habebant, ut in eorum Ecclesiis, nulli sæculari, quamvis ex electione, sepultura daretur, eo modo quo de præsenti, ex proprio tamen Instituto ab ejusdem Religionis Prælato dispensabili, servat Religio Capuccinorum.

50 Ac fortius, etiamsi casus præbeat, ut agatur de eo, qui intra ipsum Monasterium, vel Domum regularem, ejusque septa decedat, adhuc tamen, quoties non concurrant superius enunciata tria requisita Constitutionis Gregorii XIII. ex quibus ille dici valeat formalis serviens, vel minister comprehensus sub privilegiis exemptivis, putà quia hospitalitatis gratia, seu alias accidentaliter, ibi defunctus viveret ac decederet, adhuc tamen privilegia non intrent, sed jus funerandi pertinet ad Parochum, cujus, ac Ordinarii jurisdictio, turbari ita dicitur, & consequenter est unus ex casibus, in quibus, exemptione non obstante, Regulares efficiuntur subditi Ordinarii, ac de ejus foro. *o*

51 Nisi agatur de illis Regularibus, qui ex Instituto pauperum infirmorum hospitalitatem exerceant, ut est Religio Beati Joannis Dei vulgò nuncupata *fate ben fratelli*, quoniam intra eorum Conventus, vel domus ambitum ex Apostolicis indultis, ipsimet religiosi dicuntur infirmorum Parochi, idcòque eis viventibus omnia sacramenta ministrare possunt, morientibus autem dare sepulturam, ac facere funus in eorum annexa Ecclesia, ut me scribente cum acri disputatione decisum fuit per Rotam, atque ita servatur. *p*

52 Ubi verò ille, qui in hospitali moriatur, in alia Ecclesia sepulturam eligat, unde propterea cadaver cum funere asportandum sit, tunc non possunt Regulares hospitalis in hoc se ingerere extra septa propriæ Domus Regularis, sed tali casu subintrat Parochus; Non quidem ille loci materialis, in quo hospitale situm sit, sed Parochus proprius defuncti, sub cujus parochia vivebat; Nisi ex privilegio, vel ex consuetudine, quæ improbabilis non est, præsertim in magnis Civitatibus, in quibus id causaret confusionem, sive magnum incommodum, quod pertineat ad Parochum, intra cujus fines hospitale situm, alias stantem sit, ut in Urbe docet praxis insignis hospitalis S. Salvatoris prope Basilicam Lateranensem. *q*

53 Quoad secundam hujus controversiæ speciem, super jure scilicet celebrandi funus, sive ut vulgò dicitur, faciendi officium postquam defunctus in Ecclesia Regularium ratione electionis, vel quia ibi sit sepultura majorum, tumulandus veniat Hodie per plures determinationes S. Congregationis Rituum (ad quam potiùs, quàm ad istam hujusmodi materia pertinent) decisa est quæstio, quæ retroactis temporibus plurium inconvenientium, ac scandalorum productiva fuit; quoniam tam in domo defuncti, quam per viam, donec accedatur ad Ecclesiam Regularem, in qua exequiæ peragendæ sint, ad Parochum pertinet officium peragere, atque cum stola in ultimo, & digniori loco jurisdictionaliter incedere, omniaque alia peragere, quamvis oporteat per aliarum Parochiarum fines transitum facere, dum ita dicitur continuare jus suum jam inceptum in suo termino, à quo, usque ad terminum, ad quem; Verum in ingressu portæ, vel atrii Ecclesiæ regularis Parochus suum munus dimittit, illudque trasfumit Prælatus illius Domus Regularis, vel alter Religiosus de ejus mandato, qui in propria Ecclesia officium peragit supra funus, quoniam ibi habetur tanquam Parochus. *r*

54 Duplex autem isto casu quæstio cadere solet, Primò nempè, an Parochus, vel Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, seu Collegiatæ, in ipsamet Ecclesia Regulari intervenire debeat in celebratione funerum, atque erectam crucem retinere, eodem modo, quo in via asportaret, vel potiùs in hoc per Regulares prohiberi possit, atque per S. Congregationem, etiam per viam Decreti generalis, decisum fuit contra Regulares. *s*

Altera verò quæstio est, an hoc jus officiandi in propria Ecclesia locum habeat, quando in funere interveniat Capitulum Cathedralis; Non quidem repræsentando Parochum tantùm ratione curæ, quæ annexa sit Ecclesiæ Cathedrali, sed tanquam Capitulum Cathedralis contradistinctum a Parocho ratione majoris pompæ, vel solemnitatis, & isto pariter casu favore Regularium, quandoque S. Congregatio Rituum decrevit; Quod tamen mihi non placet, parùmque probabile videtur, ut in propria sede particulariter actum est. *t* 55

Prout probabilius videtur, ut hoc jus peragendi solemne funus alicujus Principis, vel Magnati in propria Ecclesia, Regularibus competere non debeat, quando Episcopus loci Ordinarius cum suo Capitulo ibi intervenire velit, illudque munus peragere; Quamvis in casus contingentia, Regularium potiùs favore ab eadem Sacra Rituum Congregatione resolutio prodierit ex quadam tamen particulari circumstantia. *u* 56

Ex eisdem distinctionibus, resultat determinatio super tertia hujus controversiæ specie, circa scilicet quartam Parochialem, seu funeralem Parocho debitam ex ceteris, & candelis, ac etiam ex culcitra, & ornamentis, aliisque emolumentis omnibus funeris, & exequiarum, ac etiam aliarum functionum, quæ pro locorum moribus etiam post sepultum cadaver in eorum commemoratione fieri solent; Atque in hoc regula assistit Parocho, quoties agatur de funere ejus subditi, adeo ut (ut supra distinctum est) ad ipsum jus sepeliendi tanquam Parochiale pertineat; Nisi aliter concedant indulta Apostolica, quibus aliquæ Religiones, seu aliqua Monasteria particularia potiuntur, ut præsertim potiri videtur Religio Minorum Observantium; Quatenus tamen in loco in usu sint, cum declarationibus, de quibus specialiter agitur in ejus propria, & peculiari Parochorum, seu Parochiarum sede, ubi advertitur, ut generaliter hæc privilegia in Urbe locum sibi non vendicent. *x* 57

Quamvis autem ista portio Parocho debita, quotitativa sit in quarta parte, quæ illi generaliter pro frequentiori usu nomen tribuit, non tamen semper, ac pernecesse talis est, cùm ex locorum consuetudine, major, vel minor esse possit, sive ad certam quantitatem reduci; Et præsertim in Urbe est in medietate. *y* 58

Super legatis autem piis, quæ per defunctum facta sint Ecclesiæ, in qua sepulturam elegerit, quæstiones cadere solent, an Parocho quoque ista portio, seu quarta Parochialis debita sit; Atque cessante consuetudine, cui affirmativæ, vel negativæ deferendum venit, decisio pendet à circumstantiis facti, an scilicet legatum sit sepulturæ præcisè correspectivum, vel potiùs, ex alia causa, seu motivo factum sit, ut pariter in dicta Parochiarum, seu Parochorum sede advertitur. *z* 59

Pariter ex eisdem distinctionibus pendet decisio aliarum quæstionum, quæ inter Parochum, & Regulares oriri solent super administratione sacramentorum, quæ moribundis fiat, & quæ regulariter sit de jure Parochiali, ut est Sacramentum Eucharistiæ pro viatico, & alterum Extremæ unctionis, (cum illud pœnitentiæ sit absque dubio etiam apud moribundos liberum) quoniam hæc jura connexa sunt cum jure sepeliendi, atque sub eisdem regulis, vel respectivè limitationibus cadunt, utpotè dependentia ab eodem principio jurisdictionali. *a* 60

Super funere quoque processionaliter peragendo, quæstiones inter Parochos, vel clericorum sæcularium Capitula, & Regulares, cadere solent, an scilicet Regulares teneantur accedere ad Ecclesiam Parochialem, vel matricem, seu digniorem, ex qua processio dirigenda sit, ad effectum accipiendi cadaver in propria domo, illudque cum solita funebri pompa asportandi ad locum sepulturæ, vel potius sufficiat, quod Regulares invitati expectantur in loco, in quo sit cadaver, eamdē tantùm processionem peracturi; Atque in hoc deferendum pariter est consuetudini, quæ in hujusmodi Ecclesiasticis functionibus, & cæremonialibus, seu præeminentialibus controversiis, magnum locum occupat; Ea verò cessante, contra Regulares, quandoque decisum fuit, ut scilicet ad Ecclesiam Parochialem, vel majorem, à qua funeris processio dirigenda est, accedere teneantur. *b* 61

Nulla verò in hujusmodi, vel similibus functionibus, inter

ter Clericos sæculares, & regulares loci, seu præcedentiæ quæstio cadit, cum extra omnem controversiam sit, ut ratione simetrici, vel hierarchici ordinis, clerus sæcularis præcedat regularem in genere; Idèoque Clerici Ecclesiæ collegiatæ, vel etiam simplicis modernæ, digniorem occupant locum supra regulares quantumvis in loco antiquor, quoniam dicta controversia esse non dicitur inter singularum Ecclesiarum Clericos, vel religiosos respectivè, sed inter unum, & alterum genus, seu ordinem in universum. c

63 Benè tamen quæstio cadere solet, super jure deferendi cruces, an scilicet in processionibus, quæ fiant ratione funerum, regulares proprias cruces erigere possint, vel potius sub unica Ecclesiæ Cathedralis, vel majoris loci, incedere debeant; Atque regula est, ut omnes sub unica cruce incedant, nisi consuetudo aliter statuat; In aliis verò processionibus, ac solemnitatibus, singuli proprias cruces deferant, ita tamen, quod si in eadem Civitate plures existant ejusdem Religionis conventus, vel domus, omnes sub unica conventus antiquioris cruce incedant, ut advertitur infra in proximè sequenti inspectione super controversiis inter ipsosmet regulares diversarum Religionum professores, quamvis & id non ad hanc S. Congregationem Regularium, neque ad illam Concilii, sed ad superius enunciatam Rituum, decidendum pertineat, atque in ea hujusmodi quæstiones peragi soleant. d

64 In eadem quoque Rituum Congregatione, ut plurimum peraguntur illæ controversiæ, quæ frequenter cadunt inter regulares, & parochos, aliarumque Ecclesiarum clericos super processionibus, & solemnitatibus, quas regulares, vel in vim privilegiorum, vel in vim consuetudinis peragere velint etiam extra propria claustra, seu septa; Quinimò etiam in propriis Ecclesiis, vel septis, quod quandoque parochi, vel clerici sæculares impedire prætendunt ratione aversionis concursus populi, quia nempè eadem functio celebretur in parochia, seu alia Ecclesia sæculari, super quo certa, & determinata regula dari non potest, cùm totum pendeat, vel à consuetudine, vel à privilegiis, vel à populorum, & locorum qualitate, aliisque facti circumstantiis. e

65 Super jure celebrandi Missas, inter clericos sæculares, & regulares (secluso etiam Jure parochiali) quæstiones cadere solent, quia nempè regulares prohibeant, ne clerici sæculares capellanias in eorum Ecclesiis obtineant, seu Missas celebrare valeant, & è converso sæculares regularibus; Decisum tamen pariter est, ut id prohiberi non possit, nec debeat, quodque aliud in summo (parum tamen commendabili) rigore prætendi non valeat nisi, ut celebrare volentes, contribuere teneantur in expensis desuper necessariis, candelarum, hostiarum, vini, paramentorum, & clericorum, sive inservientium; Dummodò tamen agatur de capellanis manualibus nullum titulum præbentibus, ac æquipollentibus illi Missarum celebrationi, quæ ex devotione, vel pro diurna eleemosyna fiat; Secus autem ubi de capellaniis, vel beneficiis perpetuis in titulum, cùm tunc intret diversa ratio prohibitionis beneficiorum sæcularium in Eccl. regulari, vel è contra, seu incompatibilitatis, ut sæculares regularia, vel regulares sæcularia obtineant beneficia. f

66 Quamplures aliæ (quamvis magis raræ) inter clericos sæculares, & regulares oriri solent controversiæ, etiam quandoque super jure quæstuandi, quæ tamen ex consuetudine, vel ex privilegiis determinationem recipiunt.

l *Infra sub tit. de decim. disc.* 1. m *Dict. tit. de decim. disc.* 1. *cum plur. seqq.* n *Constit.* 73. *Sixti V. & lib.* 15. *in relat. Curiæ.* o *Sub tit. de Paroch. disc.* 23. *& seq. Rot. dec.* 348. *part.* 11. *rec.* o *Hoc tit. disc.* 52. p *D. disc.* 22. *de Paroch. & d. decis.* 348. *part.* 11. *rec.* q *Dict. tit. de Paroch. disc.* 38. r *D. tit. de Paroch. disc.* 25. *& tit. de jurisd. disc.* 22. s *De quo in causa Neapolitana enunciata infra in tit. miscel.* t *D. disc.* 22. *de jurisd. & de Paroch. disc.* 25. u *Tit. de jurisd. disc.* 31. x *Tit. de Paroch. disc.* 25. y *Ibidem.* z *Eod. disc.* 25. *de paroch.* a *Et idem locis proximè citat.* b *Barbos. de jur. Eccl. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 65. *& in summ. Apost. decis. collect.* 393. *num.* 5. c *Sub tit. de præeminent. disc.* 24. *& infra hoc tit. disc.* 19. d *D. tit. de præeminent. disc.* 25. *& infra d. t.* 19. e *Barbos. in summ. Apost. decis. collect.* 605. *& faciunt quæ habentur sub tit. de præeminent. disc.* 10. f *Tit. de legatis, disc.* 25.

IV.

De controversiis inter ipsos Regulares diversarum Religionum.

Frequentiores quæstiones huic Sacræ Congregationi Regularium congruæ, cadunt inter plures religiones, seu earum professores, quæ percutiunt novas fundationes Monasteriorum, & Conventuum, quibus se opponant Religiosi aliarum religionum, qui in eodem loco, vel in aliis ibi adjacentibus habeant jam Monasterium, vel Conventum, eorumque propterea intersit aliam Religionem non introduci; idque duplicem habet inspectionem; Unam scilicet, ubi agatur de oppositione religiosorum unius loci, ne fiat erectio in altero contiguo; Et alteram, ubi de illa religiosorum ejusdem Civitatis, vel loci, in quo nova erectio facienda sit. 67

Quatenus pertinet ad primam, ea percutit solùm Religiones mendicantes per veritatem, non autem per fictionem, seu privilegium juxta hujusmodi mendicantium distinctionem, de qua infra *cap.* 6. quia nempe ex actuali diurna ostiaria mendicitate omninò vivant; Sive etiam, ubi bonorum, ac redituum capaces, eis tamen non sufficienter provisis, pro consuetudine, ex mendicitate victum in notabili parte obtineant; Tunc etenim, inter plura requisita in novis fundationibus necessaria, quæ sunt; Primò consensus Apostolicus; Secundò ille Episcopi seu Ordinarii loci; Tertiò parochi, & cleri; Quartò populi; Et quintò ille religiosorum ejusdem loci, juxta alteram inspectionem, de qua infrà; Et ulteriùs ex Apostolicis Decretis, requiritur etiam consensus religiosorum habentium conventus, vel domos in aliis locis adjacentibus intra spatium quatuor milliarium, idque ratione præjudicii, quod ita eis infertur super quæstuatione, ac eleemosynis, aliisque oblationibus, & emolumentis. g 68

De his autem quæstionibus in ista Sacra Congregatione tractari contingit; Tum quia consensus Apostolicus per ejus organum, seu nonnisi prævia ejus consultatione præstari solet; Tum etiam quia hujusmodi aliorum regularium, ac etiam Ordinarii, vel parochi, seu cleri oppositiones examinare solet, & quandoque eas rejicere, illorumque consensum supplere; Quando scilicet justa causa ita suadeat, quia nempè, oppositio ex parum rationabili motivo sequatur; Sive ubi etiam justum habeat motivum, adhuc tamen judicetur quòd præponderent alia motiva, quæ novam fundationem exigant: h Ideòque certa, & determinata regula generalis desuper tradi non potest cuicunque casui applicabilis, cum determinatio, pro ejusdem S. Congregationis prudenti arbitrio, ex facti qualitate, singulorumque casuum circumstantiis pendeat, bene ponderando ea, quæ hinc inde urgeant, atque præponderantia attendendo. 69 70

Super distantia verò, seu mensuræ modo quatuor milliarium disputari solet, circa utrunque terminum, à quo scilicet, & ad quem; Et an a situatione Conventuum, in quibus existant, vel respectivè destinati sint, vel ab ipsis Oppidis, seu locis inhabitatis; Cum etenim Minores præsertim Observantes, vel Capuccini, inter quos frequentius hujusmodi quæstiones oriuntur, ac similes Mendicantes per veritatem, pro frequentiori stylo, præsertim ubi non agatur de magnis Civitatibus, procul a sæcularium habitatione, saltim per quandam imaginem anachoretici Instituti vivere soleant; Hinc propterea, notabilis differentia distantiæ dignoscitur, an uno, vel altero modo fieri debeat mensura; Probabilius tamen est, ut ipsorum Oppidorum, seu locorum, in quibus populi respectivè vivant, ratio habenda sit; Ea ea congrua ratione, quod cùm hæc distantia certam rationem habeat, seu certum finem, vel effectum percutiat, circa præjudicium scilicet quæstuationis, & eleemosynarum; Ideòque attendendum non est in sola materialitate distantiæ inter unos religiosos, & alios, sed inter populos, à quibus eleemosynæ obtinentur. i 71

Atque ea eadem ratione, probabilius est, atque ita per hanc Sacram Congregationem quandoque determinatum fuit, ut hæc mensura, non per aerem, neque recta via per campos, sive per scottos, ac semitas earum usitatas, sed per vias publicas magis frequentari solitas, fieri debeat. k. 72

Eaque fiat more Romano, qui legalis est, nempè ut quodlibet milliare constituatur ex mille passibus, & quilibet passus ex quinque pedibus latinis, & quilibet pes ex sexdecim digitis juxta pedis delineationem, quæ juxta antiquorum traditionem habetur insculpta in lapide affixo in quodam loco fori Capitolini, neglecta consuetudine loci super diverso mo- 73

so modo mensurandi; Ex ea congrua ratione, quòd cum de hoc agendum sit, ad effectum practicandi Apostolicum Decretum Clementis VIII. idcirco attendenda venit illa distantia, quam verisimiliter in animo habuerunt idem Pontifex legis auctor, & illi qui in Urbe ejus Consiliarii fuerunt. m

74 Cumque ista, & aliæ circumstantiæ principaliter attendi soleant, spectato fine, seu affectu ut supra, hinc proinde, ista distantia potiùs moraliter, quàm physicè attendi solet; Incongruum siquidem esset, quod si casus præberet, ut ob aliquam modicam passuum differentiam, istius distantiæ affirmativa, vel negativa resultaret, aliæ autem rationes, vel circumstantiæ erectionem exigerent, vel respectivè prohiberent, ratione præjudicii quod aliis resultat, ita judaico more in sola litera, seu formalitate immorandum esset.

75 Quo verò ad alteram inspectionem oppositionis, quæ novæ fundationi fieret, per alios religiosos in eadem Civitate, sive in eodem loco existentes, frequentius id provenit à privilegiis, quibus directè, vel per communicationem, potiantur Religiones se opponentes, ne scilicet infra certum cannarum spatium, novæ fundationes fieri possint; Istoque casu probabilius est, magisque receptum, ut per aerem distantiæ mensura fieri debeat; Et nihilominùs isto etiam casu, cum debita proportione instat idem, quod in præcedenti Inspectione observatum est, ut scilicet moraliter id attendi debeat, spectato fine, sive effectu, ob quem privilegia prodierunt, quodque præclusum non remaneat Sac. Congregationis arbitrium ex causa magis præponderanti, cum oraculo Sanctissimi super dispensatione hujusmodi privilegiorum oppositionem rejicere.

76 Ex dicta igitur congrua ratione ut non sola materialis distantia, ad literam judaico more attendi debeat, sed principaliter inspici finis, seu effectus, ob quem ita statutū est; Rationaliter pluries determinatum fuit, tam per istam sac. Cōgregationem quàm per Rotam, ut hæc prohibitio non percutiat illas regularium domos, quæ pro sola habitatione personarum ad formam hospitii, acquirantur, seu fundentur cum interno oratorio, ad effectum Missas, aliaque divina privatè, pro eorum spirituali usu celebrandi, quoties non erigatur Eccl. formalis, cum janua in via publica, itaut divina publicè peragantur, atque sacramenta ministrentur, publicęque fiant conciones, alięque functiones, unde propterea interet ratio spiritualis ęmulationis, ac diversionis populi. n

77 Atque hinc etiam manat, ut nihil referat, an nova aliorū religiosorū mansio in loco, in propria, vel in aliena cōductitia domo sequatur, quoniam punctus est in effectu ut supra. o

78 Inter religiosos Monasteriorum, seu Conventuum jam in loco existentium quæstiones, huic pariter S. Congregationi congruè cadunt, vel circa modum quæstuandi, vel circa functiones spirituales, ac solemnitates super eadem celebritate alicujus Sancti, seu super eadem invocatione, vel super piarum Societatum, seu Congregationum erectionibus, in quibus eadem spiritualis æmulationis ratio super populi concursu, vel diversione cadat, quod etiam inter clericos seculares contingit; Idque certam ac determinatam regulam generalem non recipit, cùm pro singulorum casuum qualitate, ac circumstantiis spectato fine, seu effectu, de quo suprà, pro arbitrio id decidi soleat. p

79 Super delatione ejusdem habitus, vel similis, aut alicujus signi, quæstiones quoque cadunt, pro facti qualitate etiam decidendæ, spectato pariter fine, seu effectu, ne scilicet ita confusiones oriantur, & ne scandala, quæ in populo ex magis licentiosa vita religiosorum unius Instituti resultare possunt, præjudicium alteri Instituto, vel Religioni causent, ideoque tunc prohibendum est. q

80 Temporalium bonorum quoque, oriri solent quæstiones inter unam & alteram Religionem, sive ejusdem Religionis diversa Monasteria, quando contingat, ut religiosus ab una ad alteram transferatur; Idque pariter certam non recipit regulam generalem, cuicunque casui applicabilem, sed ex qualitate transitus aliisque circumstantiis determinationem expectat, ita se regulando cum resolutionibus aliàs per eandem Sacram Congregationem captis, cum debita tamen combinatione circumstantiarum facti, debitaque casuum proportione, ac resolutionum applicatione, non autem ut resolutiones in aliquibus casibus secutæ, quibuscunque aliis indiscretè applicandæ sint. r

81 Quia verò quandoque contingit, ut plures Religiones, vel Congregationes simul uniantur; Id aliquando controversias inter easdem ita unitas producere solet, vel super unionis dissolutione, vel super Prælaturarum assecutione, cum ordine turbato, cum similibus, super quibus pariter, certa regula dari non potest, cùm totum pendeat à facti qualitate, & circumstantiis, ex quibus S. Congregationis arbitrium est regulandum juxta consimilium casuum contingentias, ac resolutiones, de quarum aliquibus in meis annotationibus habetur; De facili autem dissolutio concedi solet, cum hujusmodi unio, post exortas discordias, multa pariat inconvenientia. s

82 Tanquam diversæ de facto frequenter reputari solent, cum acribus controversiis inter eas, illæ Religiones, quæ de jure pro una habendæ sint ut (ex. g.) est Religio Minorum Observantium de facto diversa inter Observantes, qui de Familia dicuntur, ac alios cujusdam strictioris Instituti, qui Reformati appellantur, tam super libero transitu religiosorum de uno ordine ad alterum, quam super illis prælaturis, & muneribus, quæ utrique communia sint, sive super quibusdam aliis præeminentiis. t

83 Præcedentię quęstiones quoque inter Religiones ipsas in universum, sive inter singulorum locorum Conventus frequentes esse solent occasione interventus in publicis processionibus vel funeribus, aliisque functionibus, De istis tamen nun ad istam Congregationem Regularium, sed ad alteram Rituum agere pertinet; Atque licet ante Constitutionem Gregorii XIII. magna desuper dignosceretur opinionum diversitas stantibus pręsertim aliquarum Religionum privilegiis præcedentiam concedentibus, ac etiam ob nimium controversam originem, seu antiquitatem, ex qua supponebatur, ut præcedentiæ ordo regulari deberet; Hujusmodi tamen quæstiones, in magna parte sustulit dicta Constitutio, quæ in primis mandat, ut antiquæ legitimę consuetudini, ubi extet, deferri debeat; Et meritò, enim in ista præcedentiæ materia, observantiæ nimium deferendum veniat, eaque principatum obtinere videatur. u

Ubi verò consuetudo desit, sive quod pacifica, & legitima dici non valeat, tunc disponitur, ut in singulis locis attendi debeat antiquitas receptionis, seu fundationis, ut scilicet ille Ordo, qui prius in loco receptus est, ac Monasterium fundavit, digniorem occupet locum, Religionis antiquitate, vel privilegio firmo remanente in actibus singularibus explicandis, non per singulorum Conventuum religiosos collegialiter, ac in forma universitatis, sed per singulos religiosos, juxta illum ordinem, quem Prælati, vel Conservatores generales servant in Capella Pontificia, aliisque functionibus. x

84 De quæstione autem præcedentiæ inter Religionum Generales, & Prælatos utriusque Signaturæ Referendarios habetur infra *in miscellanea Eccles.* ubi de Episcopis, & Prælatis, ac etiam insinuatur *sub tit. de judic. in relatione, & praxi Curiæ*, occasione agendi de utraque Signatura, gratiæ, & Justitiæ.

85 Inter plurimos Religionum professores jam defunctos quibus tanquam Beatis Ecclesia cultum pręstari posse concessit, occasione solemnis canonizationis factę de anno 1671. per Clementē X. quinque Sanctorum præcedentię quæstiones nostris temporibus excitarunt Regulares (qui ex piorum dispositionibus, ac eleemosynis, de victu, & vestitu, ac habitatione provisi, sustentationis proprię familiæ, aliarumque Mundi rerū onus non sentientes, de facili in hujusmodi piis quæstionibus se occupant;) Atque juxta meum votum, prodiit resolutio, ut non attenta mortis, vel Beatificationis antiquitate in eorundem Sanctorum ordine, seu hierarchia, puta inter ęquè Confessores, vel respectivè inter ęque Martyres, servaretur idem ordo hierarchicus, qui inter Ecclesiæ militantis ministros, seu milites servatur, ut scilicet (ut suprà insinuatum est,) universus clerus sæcularis præcedat clerum regularem. Et consequenter Sancti de uno clero præcedant illos de altero. Inter ipsos autem ejusdem cleri, seu hierarchici ordinis, servetur antiquitas ex Beatificatione desumenda, *ut infra in miscellanea*.

86 Adhuc tamen dicta Gregoriana Constitutio hujusmodi quæstionibus omnimodum non dedit finem, eaque non obstante plures exoriri solent controversiæ, præsertim verò, ubi contingat, ut ejusdem Religionis plura in eadem Civitate adsint Monasteria, quarum aliqua antiquiora, aliqua verò recentiora sint; Intermedia verò adsint aliarum Religionum Monasteria; Atque ubi de processionibus generalibus agatur, in quibus omnium Monasteriorum religiosi interveniunt, tunc plana res est, cùm omnes ejusdem Religionis, vel Instituti professores, sub unica antiquioris Monasterii, vel Conventus cruce incedant, ideoque unum corpus repræsentent; Quæstio autem est ubi contingat, ut in funeribus, aliisque privatis processionibus, quæ ex devotione peragantur, invitentur solùm, ac interveniant religiosi con-

ventus

ventus recentioris, non autem illi antiquioris, an scilicet
ex propria, vel ex alterius fundatione locus metiri debeat?
Atque per Sacram Rituum Congregationem, me scribente,
decisum fuit, ut idem locus antiquæ fundationis retinea-
tur, ne eadem Religio apud Populum has distinctiones non
callentem, modò in loco digniori, & modò in altero mi-
nus digno cernatur; Ac etiam quia universa Religio cum
prima fundatione locum ita occupasse videtur, recentiores-
que Conventus tanquam antiqui membra, seu dependen-
tiæ quodammodò censeri debeant. *y*

87 Super fundatione item Monasterii, vel Conventus in lo-
co, quæstio inter diversas Religiones esse solet, non cumu-
lativè pro pluribus fundationibus, ut suprà; sed privativè,
quia nempè, vocata per disponentem una Religione, sub
lege fundationis intra certum tempus faciendæ, eaque non
secuta, vocata sit altera; Per quem scilicet actum conditio
fundationis adimpleta dicatur, ad effectum, ut alterius
substitutio deficiat, necnè; Idque me scribente disputatum
fuit in hac Sacra Congregatione Regularium, atque deci-
sum, ut omninò formalis, ac perfecta fundatio, cum o-
mnium requisitorum interventu intra præfinitum tempus,
necessaria sit, sed sufficiat initiatio, seu ille actus præparato-
rius, qui desuper haberi solet, ad acceptationem denotan-
dam; Itaque dici meretur quæstio potiùs facti, & volun-
tatis, quàm juris, certam, ac determinatam non recipiens
regulam cuicunque casui applicabilem, sed pro facti quali-
tate, ac singulorum casuum circumstantiis recipiens deter-
minationem, quoniam voluntas disponentis varia esse po-
test, atque validam, ac perfectam fundationem in condi-
tione ponere potuit, ut quandoque praxis docuit. *z*

g *Hoc tit. disc. 29. & 31.* h *Locis proximè citatis.*
i *Dicto disc. 31. hoc tit.* l *Ibidem.*
m *Eod. disc. 31. hoc tit.* n *Hoc tit. disc. 30. & 33.*
o *Eod. disc. 33.* p *Sub tit. de praeminent. disc. 10.*
q *Hoc tit. disc. 21.* r *Hoc tit. disc. 38. & 39.*
s *Hoc tit. disc. 5.* t *Hoc tit. disc. 20. & 37.*
u *Hoc tit. disc. 29. & sub tit. de praeminent. disc. 24. & 25.*
x *Eisdem locis proximè citatis.*
y *Tit. de praeminent. disc. 25. & hoc tit. disc. 19.*
z *Hoc tit. disc. 34.*

V

De controversiis inter ipsos Regulares ejusdem Religionis seu inter Religiosum, & Religionem.

88 AD tres species frequentiùs quæstiones, inter ejusdem
Religionis, seu plurium simul unitarum, unicam
ita constituentium, professores, inter seipsos, vel inter
eos, ipsamque Religionem restringi solent; Primò nempè
super præcedentia, aliisque præeminentiis inter singulos;
Atque de his præcedentiæ, vel præeminentiarum quæstio-
nibus privatis, quæ Ecclesiasticos ritus in genere non per-
cutiunt, non ad Sacram Congregationem Rituum, sed ad
istam Regularium agere pertinet; Secundò super electioni-
bus, quæ in Capitulis generalibus, vel provincialibus, aut
etiam conventualibus sequantur de Prælato Generali, vel
Provinciali respectivè, sive de localibus Superioribus, aliis-
que Prælatis & Officialibus; Et tertiò super nullitate pro-
fessionis, quam intentet professus, vel cum Religione,
quæ illi se opponat, vel cum interessato; Quamvis etenim
aliæ non desint species controversiarum, illæ tamen magis
satæ sunt.

89 Quatenus pertinet ad primam; Impossibile est, certam,
ac determinatam regulam generalem, cuicunque casui ap-
plicabilem desuper statuere, cùm totum pendeat vel a sin-
gularum Religionum legibus scriptis, vel non scriptis;
Vel à singulorum casuum particularibus circumstantiis;
Præsertim verò, ubi agatur de illis præeminentiis, quæ se-
maneant ob jam obtentam prælaturam, quomodò scilicet
illa esse debeat. *z*

Sive ubi graduatorum numerus præfinitus in una pro-
90 vincia adsit, in altera verò non, quomodò inter eos præce-
dentiæ ordo servari debeat, cum similibus, de quorum ali-
quibus in meis particularium casuum adnotationibus, seu
discursibus actum habetur; *a* Aut inter Superiores locales,
& Generales socios, vel ministros. *b*

51 Super secunda specie, pariter impossibile est, certam re-
gulam generalem statuere, cùm determinatio etiam pendeat
à singulorum casuum qualitate, ac particularibus circum-
stantiis, ex quibus, attentis legibus particularibus Religio-
nis, vel regulis generalibus juris communis, quas in hac ele-
ctionis materia habemus, inspiciendum, an electio cano-
nica sit, necnè, ejusque forma benè servata? Sive an &
quando inter plures Nationes, vel Provincias benè ser-
verut alternativa, seu ordo turnarius, qui in ea Reli- 92
gione servari debeat in electione passiva? Vel an aliqua
Religionis pars facultatem eligendi Generalem præscripse-
rit, cum similibus, de quorum aliquibus pariter in meis 93
particularium casuum notis, vel discursibus actum est. *c*
Illud tamen generaliter insinuando, quòd cùm hæc Sac.
Congregatio, more Principis, potiùs, quàm Judicis, ri-
gorosis legum cancellis adstricta non sit, sed cum pruden-
tialibus legibus frequenter procedere soleat; Hinc proinde
sæpiùs contingit, ut electio, quamvis de stricta juris cen- 94
sura invalida censenda sit, adhuc tamen quandoque revali-
dari soleat, ubi non ex vitio personæ, minusque ex vitio
culposo, seu peccaminoso actus, sed ex sola juris subtili-
tate, nullitas proveniat; Quoties dignoscatur, quòd ele- 95
ctio de persona digna secuta sit; *d* Quod tamen, ut dictum
est, ex singulorum casuum circumstantiis prudenti arbi-
trio pensari solitis, varias recipit determinationes, secun-
dùm loca & tempora, aliasque contingentias.
Facti potiùs quoque, quàm juris est tertia species quæ-
stionum frequenter contingibilium, super professionis nul-
litate, quæ, Vel ex novitiatus non legitimè peracti; Sive
ex defectu legitimi, ac liberi consensus; Aut ex defectu 96
ætatis, vel simili, invalida prætendatur, cùm totum pen-
deat ex facti circumstantiis, ex quibus etiam pendet inspe-
ctio revalidationis, quæ ex quinquennali gestatione habi-
tus, aliisque actibus professo congruis, deduci solet; *e*
Sive an justæ accedant, necnè causæ restitutionis in inte-
grum adversùs quinquennium, ob cujus lapsum Sacrum
Concilium Tridentinum audientiam denegat, atque ju-
dicandi potestatem adimit: Ideoque impossibile quoque
redditur, certam regulam generalem desuper statuere;
Aliqua verò materiæ notitia, si non omnimoda, in
magna tamen parte haberi poterit ex iis, quæ in eis-
dem meis particularibus notis habentur. *f*
In quibus etiam habetur, an id, quod per professu- 97
rum datur Religioni, vel Monasterio, simoniam sa-
piat, necne. *g*
Prout in eisdem sub hac Regularium sede agitur de ple- 98
risque aliis quæstionibus, puta de quæstuatione inter u-
nius, vel alterius provinciæ, sive unius, vel alterius Con-
ventus religiosos infra certos fines. *h* Aut super ipsarum
Provinciarum, vel finium divisionibus, *i* Vel super pro-
visionibus Prælatorum, quæ in eadem Prælatura, vel
munere fiant per Papam, & per Generalem, quæ scilicet
prævalere debeat, *l* cùm omnia pendeant à facti qualita-
te, ac singulorum casuum circumstantiis.
Religio præsertim militaris Hierosolymitana, plures 99
producere solet quæstiones, quæ sæcularium potiùs, quàm
Regularium more, prius in ejusdem Religionis Linguis,
vel respectivè, Ordinario, & Completo Consiliis, pera-
gi solent, deinde verò in forma judiciaria & conten- 100
tiosa, in Signatura Gratiæ pro appellationum commis-
sionibus, quæ Rotæ dirigi solent; Quod etiam in ali-
quibus aliis militaribus Religionibus, quandoque (licèt
rariùs) praxis docere solet. Ideòque non de facili in ista,
vel aliis Congregationibus audiuntur hujusmodi quæstio-
nes, quæ, vel inter ipsos milites, vel Capellanos, ac
respectivè servientes, esse solent super Commendis & Di-
gnitatibus, cum ordine antianitatis, vel respectivè cum
qualitate benemerentiæ in concursu obtinendis, ideoque
sub beneficiali materia potiùs de his agitur. *m*
Vel super sufficienti justificatione generosæ nobilitatis, 101
aliisque requisitis pro assecutione præsertim habitus Justi-
tiæ, idque pariter certam regulam non recipit, cùm ex
facti particulari qualitate totum pendeat. *n*
Super passiva intestabilitate particularium Religioso- 102
rum cum ipsa Religione, ejusque superioribus disputa-
ri solet, ne scilicet legata, aliasque dispositiones sub
executoriæ, vel distributionis piæ prætextu, obtineant,
ob fraudem, quæ voto paupertatis, ac prohibitæ pro-
prietati fieri valet. *o*
An autem Religiosus testamentarii executoris munus 103
acceptare, ac exercere valeat, est sub quæstione, cujus
decisio à variis pendet distinctionibus, ideòque ex fa-
cti qualitate regulanda venit, certamque determinatio-
nem non recipit. *p*
De Apostatis quoque, & ejectis, atque incorrigibilibus, 104
pluries agi contingit, cum quibus pro singularum Religio-
num Instituto, seu legibus procedi solet, sive cum generali-
bus

bus Decretis, quæ desuper habentur apud modernos Collectores, apud quos facile est in casus occurrentia reperire, cùm occasio non dederit de his peragere.

a *Hoc tit. disc. 16. 17. & 18.* a *Eodem tit. disc. 18.*
b *Hoc tit. disc. 16.* c *De hac materia electionis activæ & passivæ, ac alternativa, vel turno, & aliis hoc tit. a disc. 2. usque ad 14. & sub tit. de Canonic. & Capitulo pluries, & ad S. C. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 6.*
d *Hoc tit. disc. 3. & 4. & 33. & d. tit. de Canonic. & Capitulo, disc. 27.*
e *De hac materia nullitatis professionis hoc tit. disc. 31. cum plurib. seqq.*
f *Locis proxime citatis.* g *Disc. 47. & 48.*
h *Hoc tit. disc. 28.* i *Hoc tit. disc. 27.*
l *Hoc t. disc. 8. & 9.* m *Sub tit. de benefic. disc. 68. & 69.*
n *Tit. de praeminent. disc. 32. & seqq.*
o *Sub tit. de testam. disc. 56. & sub tit. de legat. disc. 27.*
p *Eod. disc. 57. de testam. disc. 27. de legat.*

VI.

De controversiis inter Regulares, & privatos sæculares, super rebus temporalibus, & aliis.

105 INter illas controversias, quæ in ista Regularium Congregatione, inter regulares, & sæculares, summariè, & absque figura judicii peragi solent; Sunt illæ, quæ scandali occasionem, vel disciplinæ regularis corruptionem, seu præjudicium causare possunt, puta super jure expellendi à domibus, quæ Monasteriis, vel Conventibus regularium proximæ sunt, meretrices, aliasque personas scandalosas.

106 Sive super jure impediendi vicinis, ne altius elevent eorum domos, ac ædificia, ex quibus prospectus, vel introspectus activus, vel passivus in regularium cellas, & claustra, vel ortos, aliasque officinas haberi valeat, unde propterea ex hujusmodi aspectu, vel introspectu activo, vel passivo, scandali, vel tentationis occasio resultet; Aut ubi de jam constructis ædificiis agatur, consulendo, ut idem prospectus, vel introspectus tollatur. q

Quamvis etenim istud, pro frequentiori contingentia, peculiare sit privilegium Monasteriorum Monialium, in quibus majus viget periculum, non solum disciplinæ regularis, sed etiam virginalis pudoris, vel honestatis, ideòque major subest scandali ratio, ac propterea, rejectis distinctionibus desuper tradi solitis, super majori antiquitate Monasterii, vel domorum respectivè; Aut super regula subsidii, ut scilicet vicinis id prohibendum sit, quando cum majori elevatione murorum Monasterii, seu aliàs ex ejus parte consuli non potest, quasi generaliter, & indefinitè hujusmodi provisiones capi soleant; Atque sub quæstione sit inter Doctores, an ea, quæ de monialibus disposita sunt, in viris religiosam vitam profitentibus quoque locum habeant, probabiliorque videatur opinio negativa, quæ pro regula statuenda sit, ob longam differentiæ rationem. r

107 Adhuc tamen refrænatum non est, etiam ordinarii Judicis arbitrium, multò verò magis illud istius adeò supremi Magistratus qui Principis potiùs, quàm Judicis partes explere videtur, etiam cum Monasteriis, vel Conventibus, virorum, easdem adhibere provisiones, potissimè verò ubi de illis agatur, qui strictum profitentur Institutum, pro facti qualitate, & circumstantiis, ex quibus hoc arbitrium regulandum est, ideòque certa, & determinata regula desuper statui non potest. f

Hujusmodi autem provisiones per hanc Sacram Congregationem indefinitè adhibentur, sive vicini sint personę Ecclesiasticæ æque regulares, vel sæculares in temporali Ditione Ecclesiæ, in qua, uterque gladius, spiritualis & temporalis in eadem manu est; Extra verò hanc Ditionem, in Principum sæcularium dominiis, circumspectè procedi solet, ubi agatur de puris laicis, qui in hac prohibitione Rei censendi sint; Quamvis etenim districta juris censura sacrorumque Canonum, & Conciliorum, seu Apostolicorum decretorum, dispositione attenta, plurium DD. sensus sit, ut etiam loci Ordinarius, saltim cum remedio spirituali censurarum, ita inhibere valeat. Attamen quia juxta aliquorum Principatuum leges, vel stylos id non de facili per sæculares Magistratus permittitur, idcircò, quidquid sit de hoc, super quo relinquitur locus veritati, prudens consilium reputatur, pro faciliori, ac celebriori hujus finis assecutione, rem cum delicatis quæstionibus jurisdictionalibus non involvere, atque ita potius desideratum effectum impedire, sed conniventibus oculis permittere, ut ipsa Monasteria, sive sint mulierum, sive virorum, à sæcularibus Magistratibus, contra laicos hujusmodi petant provisiones, piè, ac promptè in aliquibus Principatibus dari solitas, ita expressè disponentibus eorum legibus particularibus, ex quibus juris communis dispositionem ampliatam, aliqui DD. credunt, ut ita faciliùs, etiam favore virorum, idem recipiendum sit. t

108 Super alienationibus bonorum, & jurium Monasteriis; Sive super debitis à Prælato, vel administratore contractis, aut super redditione rationum per ipsos regulares facienda de administratione, quæ prælatoræ, vel alteri officio incumbat, audiuntur quoque in ista Sacra Congregatione quæstiones, inter ipsos Regulares; Potissimè verò, ac frequentiùs ad effectum incursus pœnarum, & præsertim privationis officii, ac vocis activæ, & passivæ ex Statutis Religionis, vel ex Apostolicis Decretis, seu legibus resultantium ab alienationibus, vel ab æris alieni contradictione. u

109 Ubi etenim de privatis quæstionibus agatur, cum sæcularibus, super validis, vel invalidis alienationibus, sive super debitis contractis cum eisdem sæcularibus, an scilicet obligentur, necne Monasterium, sive ipsosmet religiosos, agi solet in forma judiciaria, & contentiosa coram Judicibus competentibus; Quamvis aliquando ipsis sæcularibus ad hanc Sacram Congregationem recurrentibus, ea desuper prævis opportunis veritatis informationibus providere opportunè quandoque soleat, cum ejus consuetis legibus prudentialibus ad eorum regularium fidem conservandam, & ne aliàs in indigentiis destituti sint eo notabili beneficio, quod fidei observantia, & communis commercii libertas, ac securitas præbet, atque ad id reflectendum est.

Hinc proinde in hujusmodi casuum occurrentiis frequenter disputatis, laudare non consuevi illos summos juris rigores, quibus mediantibus Monasteria, vel successores in Prælatura juridicè, ac citra justitiæ læsionem denegare possunt solutionem æris alieni contracti per prædecessorem Prælatum, vel alium administratorem, sed mea consuetudo fuit, frequentiùs consulendi implementum, vel saltim honestum temperamentum pro fide, & libertate commercii conservanda, quoties in sæculari mutuante, seu alias credente, fraudis, & collusionis probabilis suspicio non urgeat, cùm sæpiùs verificari videatur vulgare dicterium, seu axioma, quod summum jus, summa injuria. x

110 Et quamvis in hac Sacra Congregatione Regularium, ac in altera Concilii Tridentini, frequenter agatur de alienationibus, quæ per regulares faciendæ sint; sive de acceptationibus piorum legatorum, cum perpetuis Missarum, & anniversariorum oneribus, Aut de investimentis pecuniarum, quæ ex eisdem legatis, seu aliàs obveniant; Attamen id non percutit causas contentiosas cum sæcularibus, sed sequi solet, vel ad satisfaciendum decretis generalibus Sacræ Congregationis Concilii, quæ vulgò dicuntur *de celebratione Missarum*, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & decretis super hujusmodi legatorum, & onerum acceptationibus, ac pecuniarum investimentis. y

111 Vel ad satisfaciendum dispositioni *Extravagant. Ambitiosæ, de rebus Eccles. non alienan.* aliisque prohibitionibus, quæ super alienatione habeantur, præsertim per decreta generalia ejusdem Sacræ Congregationis Concilii, adimentia, vel reformantia illas facultates, quas ex privilegiis Apostolicis aliquarum Religionum, Prælati in hac alienationis materia habebant, ad effectum scilicet habilitandi ad contrahendum, ac reddendi actum validum, cùm illud Apostolicum beneplacitum, quod per Datariam, vel Secretariam Brevium super alienatione bonorum Ecclesiæ expediri solet, in regularibus, pro specie tamen, seu qualitate alienationum, ac Religionum respectivè, sive pro diversis Pontificum stylis ab ista Congregatione, vel ab altera Concilii concedi soleat. z

112 Aliæ verò forenses quæstiones, quæ inter regulares, & sæculares haberi solent, vel super retractatione bonorum malè alienatorum, Vel super intestatis, ac testatis directis, ac obliquis, seu fideicommissariis successionibus, Aut super obstantia, vel operatione renunciationum, sive testamentorum, aliarumque dispositionum, quas Religiosi fecerint ante professionem, cum similibus, de quibus infra, peragi solet in Tribunalibus, & foris ordinariis in forma judiciaria, & contentiosa, cum tela judicii, formalique processu, quamvis aliquando ista Sacra Congregatio pro facti qualitate hujusmodi causas quoque summariè cognoscere, ac tractare soleat, nimium tamen rarò, ac fortè præter ejus

In-

Institutum; suæque erectionis legem diversimodè disponentem; a

113 Solumq; ubi de legatis, aliisque piis dispositionibus agatur ad favorem Religionum, quæ etiam in communi incapaces existant, quæstiones peragi solent, adhuc tamen frequentiùs in forma contentiosa in Tribunali Fabricæ Sancti Petri, & quandoque in ejusdem Fabricæ Congregatione generali, super capacitate scilicet, vel incapacitate, cùm in casu incapacitatis intrent facultates ipsius Fabricę sibi applicando hujusmodi legata, aliasque dispositiones; Non semper tamen etiam in Religionibus incapacibus ista incapacitas intrat; Vel quia illa percutiat perpetuam retentionem, non autem assecutionem ad effectum vendendi; & erogandi pretium in ejus quotidianas indigentias; Vel quia pia dispositio sit pro illis usibus, pro quibus necessaria sit pecunia in notabili quantitate, neque cum ostiaria mendicitate consuli valeat, putà pro constructione, vel refectione, aut ornatu Ecclesiæ, seu Conventus, vel pro sacra supellectili Sacristiæ, aut pro infirmaria, vel pro libraria, sive pro illis provisionibus, quę necessariæ sunt ad vestitum cum similibus. b

114 Ubi verò agatur de Religionibus capacibus in communi; Receptum est, ut professio in Religione non tollat jura sanguinis, ac successionis, perinde ac si persona esset in statu sæculari, idque non solùm in successionibus intestatis, vel testamentariis directis, sed etiam in illis fideicommissariis, quæ agnationis, ac familiæ favore ordinatæ sint, nisi expressa, vel tacita, seu conjecturalis accedat contraria disponentis voluntas, quam hodie in foro, extrà controversiam receptum est, validam, ac servandam esse, rejecta opinione negantium hanc potestatem. c

115 Sive ubi non obstent renunciationes, vel aliæ dispositiones factæ per ipsos religiosos ante professionem, super quarum validitate, vel operatione, sive interpretatione, quæstiones esse solent, quasi quòd renunciationes, quæ fiant per ingressuros Religionem, majorem habeant operationem quàm illæ, quæ fiant per sęculares adhuc in sæculo permansuros, ut etiam in propria renunciationum sede habetur, cùm desuper certa, ac determinata regula generalis statui non valeat, ex quo decisio ex singulorum casuum particularibus circumstantiis pendet. d

116 Prout etiam circa testamenta, aliasque dispositiones per ultimam voluntatem, quando scilicet perfectionem, ac irrevocabilitatem recipiant, an per mortem civilem, quæ ex professione resultat, vel mors naturalis potiùs expectanda sit; Atque prior pars probabilior, magisque recepta videtur, nisi facti circumstantiæ aliud suadeant. e

117 Cùm autem Sacrum Concilium Tridentinum in renunciationibus, aliisq; dispositionibus, certam præscripserit formam, atque præsertim in Italia frequentia sint Statuta certam formam in donationibus, aliisque contractibus præscribentia, præsertim in minoribus, ac mulieribus; Hinc proinde super hujusmodi actuum validitate, vel invaliditate ex unius, vel alterius formæ defectu quæstiones audiuntur, super quibus certa regula statui non potest, cùm ex facti circumstantiis, ac plerisque distinctionibus, decisio pendeat, neque de his in hac Sacra Congregatione agi soleat.

118 Prout etiam quæstiones audiuntur super intestata successione in bonis ipsius religiosi, qui ante solemnem professionem in statu novitiatus objerit; g Aut inter sæculares, ipsumque religiosum, vel ejus respectivè Religionem, ubi ex causa Episcopatus, vel aliàs à Religione egrediatur, atque ad sæculum redeat; Sive à Religione incapaci ad capacem in communi transeat; Aut quòd ob Religionis suppressionem ad sæculum redeat, h cum similibus, de quibus in suis sedibus in meis notis agitur, utpotè extra hoc institutum, quod est insinuandi ea, de quibus pro frequentiori contingentia in Sacris Congregationibus, in ista præsertim Regularium, agatur.

119 De regularium verò personali, vel reali exemptione à foro, ac legibus & oneribus laicalibus, agere non oportet, cùm id non percutiat peculiarem ipsorum Regularium materiam, sed generaliter clericis, & personis Ecclesiasticis congruat. i

120 Solùmque in illis alicujus Instituti Ecclesiastici, seu religiosi professoribus, personalis, vel realis exemptionis quæstio cadit, qui de facto extra claustra, sæcularium more, in domibus vivant, ut sunt aliquarum militiarum professores, præter illam Sancti Joannis Hierosolymitani, quæ in omnibus est vera Religio, ejusque professores sunt veri religiosi, utpotè prævio formali Novitiatu, formalia vota emittentes, ut in jurisdictionali materia advertitur. l

121 Quia verò in temporali Ecclesiæ Ditione frequentiùs, ac etiam alibi ex Apostolica concessione, ex justis motivis fieri solita, etiam Ecclesiastici, & religiosi publicis oneribus, & gabellis subjici solent, cum expressione, ut etiam mendicantes comprehensi censeantur; Hinc proinde sub quæstione cadere solet, de quibus mendicantibus id intelligendum sit.

Siquid istud Mendicantium vocabulum duplicem habet significationem; Unam scilicet veram, ac propriam in illis verificabilem, qui juxta primævum institutum, in statu mendicitatis ex quæstuatione, ac eleemosynis vivunt; Et alteram impropriam, seu fictam, & privilegiativam eorum, qui ex primævo Instituto, erant quidem veri mendicantes, deinde verò ex Apostolicis indultis, ad possidendum bona, & redditus, ex quibus vivant, habilitati sunt, dictum titulum adhuc retinentes, ut ita distinguantur à monachis; Ac etiam pro retentione privilegiorum, quæ mendicantibus concessa sunt. 122

Itaque distinctione sic stante, Intrat quæstio prædicta, In qua variè fuit judicatum, ut in meis adnotationibus advertitur; Regula verò videtur assistere mendicantibus per veritatem, ut hujusmodi oneribus eorum statui incongruis non subjaceant, quodque asperum videatur, ut pro eleemosynis gabellæ solvi debeant; Adhuc tamen ex observantia, aliisque facti circumstantiis, ac ponderationibus, à me factis in dictis adnotationibus, decisio pendere videtur; Ideòque certa, & determinata regula desuper non cadit; m Alia etenim, quæ onerum, & gabellarum laicalium solutionem, vel respectivè exemptionem percutiunt, clericis sæcularibus, aliisque personis Ecclesiasticis communia sunt, ideòque de eis habetur infra *d. disc. 2. tit. miscell.* n. 123

Super regularium incapacitate obtinendi beneficia Ecclesiastica sæcularia, vel Ecclesiasticas pensiones super eis, quæstiones in Rota, aliisque Tribunalibus, non autem in ista Sacra Congregatione audiuntur, occasione dispensationum Apostolicarum, quæ desuper obtineantur, sive quando talis sit status regularis, ut hunc effectum producat. o 124

Ac pariter super capacitate eorundem obtinendi feuda, vel emphyteusim, atque in eis succedendi, vel obtenta retinendi, sive an succedat Monasterium, ad emphyteuticam, ac feudalem pertinet materiam, ab eadem S. Congregatione extraneam. p 125

q *sub tit. de servit. disc. 1. & 22.* r *eod. tit. de servitut. disc. 18. cum plur. seqq.* s *d. disc. 1. & 22. de servitut.* t *apud Rovit. dec. 92. cum aliis, de quibus locis proximè citatis.* u *hoc tit. disc. 34. & 35. et sub tit. de credit. disc. 82. et 83.* x *Ibidem.* y *agitur sub tit. de donat. disc. 24.* z *tit. de alien. et contract. prohib. disc. 9. et 12. hoc tit. disc. 53. et seqq.* a *Constit. 74.* Sixti V. *et habetur lib. seqq. in relatione, et praxi Curiæ.* b *hoc tit. disc. 35.* c *sub tit. de fideicommiss. disc. 42. et 44. et 63. cum plurib. seqq. et sub tit. de success. ab intest.* d *sub tit. de renunc. disc. 1. et seqq. et sub tit. de donation. discurs. 15. et hoc titul. discurs. 58. et 59.* e *sub tit. de testament. disc. 35. et 36.* f *dicto discurs. 58. et 59. hoc tit. et ad S. Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 16.* g *hoc tit. disc. 40.* h *hoc titul. discurs. 38. et 39. et sub titul. de renunc. discurs. 17.* i *infra titul. miscellaneo Eccl. disc. 2.* l *sub tit. de jurisdict. discurs. 92. et tit. de jurispatr. disc. 20. et tit. de Regal. disc. 84.* m *sub tit. de Regalib. disc. 57.* n *sub tit. de benef. et sub tit. de pension.* o *tit. de feud. disc. 47. et sub tit. de emphyteus. disc. 28. et 30.*

V.

De Monialibus, earumque Monasteriis.

Moniales, quæ virgines Deo sacratæ, vel sanctimoniales, in utroque jure appellantur, verè, & propriè illæ sunt, quæ cum solemni trium votorum substantialium emissione, matrimonium spirituale, quod per professionem contrahi dicitur, Christo desponsatæ sunt, prævio integro probationis anno, ac in legitima ætate, eo modo, quo in viris religiosis professis, ex Canonum, & Concilii Tridentini decretis requiritur ad hujusmodi regularis status immutationem, ac impressionem; Illæ siquidem mulieres, quæ virginitatem, vel castitatem Deo offerentes, atque sub aliquo Instituto ab Ecclesia approbato, more monialium vivunt, adeòut vulgò moniales, passiformiter nuncupentur, ac existimentur, professionem tamen cum dictorum votorum solemnitate non emittunt, neque formalem novitiatum peragunt, 126

ragunt, Oblatæ potiùs, quàm moniales censendæ sunt; Quæstione cadente, an licèt non sint personæ religiosæ, attamen personæ Ecclesiasticæ reputari debeant, quoad fori, ac legum, & onerum laicalium exemptionem, quod certam non recepit regulam generalem cuicumque casui applicabilem ob Institutorum hujusmodi varietatem diversamque regionum, seu Principatuum observantiam, cui desuper nimium deferendum videtur. *p*

127 Quamvis etenim, cessantibus privilegiis explicitis, vel aliis implicitis, quæ vigore immemorabilis, vel centenariæ scriptionis benè probatæ, allegare licet, certa sit Ordinarii loci jurisdictio, ordinaria, vel delegata super visitatione, ac recognitione hujusmodi adunantiarum mulierum, quibus scholarum, vel conservatoriorum, seu templorum nomen congruit, ac etiam ex vulgari usu, Monasteriorum; Attamen, hoc jure secluso, in reliquis, an personæ sæculares, vel Ecclesiasticæ censendæ sint, ex singulorum casuum, seu locorum qualitate, ac circumstantiis pendet, attentis præsertim legibus fundationis, aliaque lege, quam observantia producit; Ideòque respectu istarum mulierum, quæ verè moniales ac personæ religiosæ non sint, sive collegialiter cum formali clausura, sive absque clausura vivant, super hujusmodi visitatione, vel recognitione quæstiones frequenter audiuntur, etiam in Sacris Congregationibus, Conciliis, & Immunitatis, frequentiùs verò in ista Regularium, quæ aliquando hujusmodi adunantiarum dissolutionem demandare solet, mulieres ad proprias domos transmittendo, quando facti circumstantiæ ita suadeant. *q*

128 Cùmque dos, à matrimonio carnali, vel spirituali, nomen, ac essentiam recipit, illaque, sine uno, vel altero matrimonio non detur; Hinc proinde, quemadmodum in istis mulieribus, quamvis cœlibem vitam collegialiter in habitu monastico ducentibus, nullum dignoscitur matrimonium, ita quoque dotatæ dici non possunt, quamvis ad instar monialium, sub nomine dotis, certa summa in ingressu solvatur Loco, quoniam in effectu non est dos, sed quædam alimentorum assignatio ad sustentationis recompensam; Adeòut pia legata, quæ pro dotalibus subsidiis monialium facta sint, hujusmodi mulieribus non congruere Sacra Concilii Congregatio in facti contingentia decreverit. *r*

129 Posita igitur qualitate formalis Monasterii, ac monialium per veritatem, ut supra; Quidquid sit in aliquibus regionibus, ultra montes, in quibus aliquarum Canonissarum usus absque clausura adhuc retinetur, quæ tamen sæculares potiùs reputantur. *f*

130 Quatenus pertinet ad mores præsertim Italiæ, non datur hodie hujusmodi monialium professarum usus, nisi viventium in Monasteriis, sub formali perpetua clausura, cùm ea Monasteria, in quibus illam non servari praxis docet, verè Monasteria non sint, sed potius Conservatoria, ipsæque mulieres non moniales, sed oblatæ.

131 Ut est præsertim celebre Monasterium Turris speculorum Urbis, ad cujus instar, pleraque alia per Italiam, & extra, erecta sunt, & quod tanquam exemplar communiter DD. de hac materia agentes, allegare solent, cùm in eo mulieres primariæ nobilitatis exemplarissimè sub nimium austero Instituto vivant, fundatricem habentes Sanctam Franciscam Romanam, & tamen reverà moniales, ac personæ religiosæ non sunt, quamvis Ecclesiasticæ censeantur. *t*

132 Duplicis autem generis, Monasteria monialium dignoscuntur. Aliqua enim ex Apostolicis privilegiis, frequentiùs in limine fundationis concedi solitis, ab Ordinarii loci jurisdictione, ac potestate exempta sunt, Regularium jurisdictioni, ac regimini, pro frequentiori contingentia commissa; Alia verò non exempta, sed sub omnimoda Ordinarii jurisdictione, ac administratione.

133 Adhuc tamen aliqua etiam non exempta, pro eorum regula, seu instituto, Regularium spirituali regimini commissa sunt, cùm pleraque Monasteria, etiam non exempta, confessarios, aliosque ministros habeant regulares, in istoque casu Regulares, in iisque hanc administrationem concernunt, ipsi Ordinario, eorum exemptione non obstante, subjacent, eo modo quo supra de Regularibus in cura animarum, ac sacramentorum administratione cum clero, & populo sæculari se ingerentibus, advertitur.

Respectu autem non exemptorum, rarò in hac Sacra Congregatione audiuntur quæstiones, inter Ordinarium, ipsaque Monasteria in universum, seu singulares moniales, præterquam pro recursibus, in casu gravaminum, eo modo, quo illum habent omnes clerici, omnesque personæ Ecclesiasticæ subditæ.

Frequens autem hujus Sac. Congregationis occupatio est in iis, in quibus Ordinariorum potestas per Apostolicas Constitutiones, aut per ejusdem Sacræ Congregationis, vel alterius Concilii decreta generalia, vel particularia, restricta est; Putà circa admissionem monialium supra numerum præfixum; Sive circa admissionem trium sororum, & fortius in majori numero; Aut circa admissionem viduarum, seu alias corruptarum, circa Monasterii Institutum; Vel circa ingressum, ac moram puellarum sæcularium educationis gratia, & quandoque etiam custodiæ, quamvis de nuptis mulieribus agatur, cum similibus prohibitionibus, in quibus dispensare oportet. 134

Aut circa controversias, quæ nascantur, super electione Abbatissæ, quando una Partium, suspectum habeat Ordinarium, sive sentiendo ab eo se gravatam, recurrat, ut frequens praxis docet; Vel quod de ejusdem Abbatissæ prorogatione, ad majus tempus ipso Monasterio flagitante, agatur; Aut de concessione majoris numeri Conversarum. 135

Potissimè verò, & frequentiùs, (in magnis præsertim Civitatibus) tam ipsis Ordinariis, quàm Sacræ Congregationi, magnas inferunt molestias petitiones super concessione conversarum, seu familiarium, monialibus particularibus ratione gravis ætatis, vel infirmæ valetudinis, sive nimiæ nobilitatis, vel ex alia justa causa, quòd certam non habet regulam, cum totum pendeat ab arbitrio, ex singulorum casuum qualitate, ac particularibus circumstantiis regulando; Licèt enim a S. Congregationis potestate, id pendeat, Ordinarii tamen arbitrio, vel relationi in his nimium deferri solet. 136

Eædemque molestiæ frequentes, ob ipsarum monialium factionarias divisiones, per Ordinarios, & per hanc Sacram Congregationem habentur, super prorogatione confessarii ordinarii ultra triennii tempus consuetum; Sive super ejusdem remotione infra dictum tempus præfinitum; Aut super concessione confessarii extraordinarii, tam in universum, quem Concilium Tridentinum dari mandat, quàm aliquibus monialibus in particulari, cum similibus contingentiis, pro mulierum perpetuò reclusarum, connaturali, (compatibili tamen) inquietudine, seu levitate. 137

Majores autem quæstiones, quæ in ista, vel altera Concilii Congregatione audiantur, sunt circa jurisdictionem, quam in Monasteriis exemptis, Concilium Tridentinum, & Apostolicæ Constitutiones, locorum Ordinariis delegarunt, circa plura, præsertim verò circa visitationem, & custodiam clausuræ, & quid sub hac jurisdictione veniat, an scilicet id solum, quod materialem clausuram concernit, vel quod etiam formalem, seu ea, quæ ad clausuræ custodiam, & conservationem tendunt; occasionem violationis removendo. 138

Super his autem pariter certa, & determinata regula statui non potest, cùm ex privilegiorum tenore, seu qualitate, vel ex illa interpretatione, quam ei dederit observantia, determinatio pendeat, potissimè ubi alter Prælatus in loco existat, cui Apostolica Sedes hujusmodi visitationem, & custodiam commiserit, an scilicet Ordinarii loci delegatio esset, vel cumulativa sit; Atque juxta hanc posteriorem partem, una, vel altera Sacra Congregatio respondere consuevit; Quamvis aliquando, in casibus particularibus, pro eorum qualitate, ac particularibus circumstantiis, diversimodè demandari soleat tanquam per speciem limitationis regulæ. *x*

Tam in exemptis, quàm in non exemptis, cum Ordinariis, aliisque Prælatis, Monasteriorum curam, ac jurisdictionem habentibus, & cum sæcularibus, qui per Communitates laicorum deputati sunt, audiuntur quæstiones, super ingressu præsertim in clausuram, ut per ipsosmet Prælatos, vel alios officiales, sive per confessarios, vel per medicos, & chirurgos, aliosque operarios fieri non possit sine eorum interventu; Pluries tamen una, vel altera Congregatio censuit, ut cessante expresso Apostolico privilegio, sive lege fundationis, per Sedem Apostolicam approbata id ab Ordinario, vel alio Superiore invito, in ratione auctoritativa, prætendi non valeat; Non improbando tamen, sed potiùs laudando, ut per ipsos Ordinarios, aliosque Prælatos ex regulis prudentialibus ista cautela libenter adhibeatur, quando mores regionis, aliæque facti circumstantiæ, ita exigant, ideòque id certam non recipit regulam generalem cuicunque casui applicabilem. *y* 139

Abba-

140 Abbatissa eligi non potest nisi ea, quæ ad minus quadragenaria sit, atque per plures annos professa; Ideòque electio aliàs invalida est, si moniales provectæ adsint; Non tamen prohibetur eadem denuò eligi in ipsamet vacatione, ubi interim ætatem expleverit, quoniam, ubi electio non ex vitio personæ, vel alio defectu positivè criminoso, sed ex legali impedimento cassata sit, non prohibetur idem malè electus, denuo validè eligi. *z*

141 Et quamvis de jure, major pars votorum concludat electionem, quamvis in dimidiato voto medietatis accessus concurrat; Attamen in electione Abbatissæ statutum est, ut duæ ex tribus partibus votorum concurrere debeant; Quando autem non concordent, tunc per Sacræ Congregationis decreta, monetur Ordinarius, vel alter Prælatus, ad quem pertinet, scrutinium in forma servari solita pluries repetere, seu vota monialium audire pro ejus arbitrio; Eisque non concordantibus, Abbatissam præficere, *a* ut egomet in praxi habui, dum essem Vicarius Capitularis in patria, quòd cùm moniales in factionarias divisiones abiissent, ita tenaciter, ut per exactissimas diligentias, ac monitiones, in quinque, vel sex scrutiniis, neque unum votum immutari potuerit, præficiendam censui eam, quæ majorem votorum partem habebat, ultra medietatem, adeòut juris communis dispositione attenta, electio conclusa esset, quamvis in altera factione tres meæ germanæ sorores adessent, monialem conjunctam promoventes.

142 Temporale pro frequentiori usu ad solum triennium est Abbatissæ munus, nisi Monasterii Institutum, vel consuetudo, aliud suadeat, cùm in plerisque, præsertim ultra montes, perpetua, sive ad vitam sit, idque toleratur; Neque eadem denuo eligi, seu confirmari potest, inconsulta Sacra Congregatione, quæ quandoque concedit, & quandoque denegat pro ejus arbitrio ex facti qualitate, & circumstantiis regulando.

143 Activæ autem, ac passivæ vocis privationem pati solet tertia soror, seu alia, quæ ex dispensatione ad professionem admissa sit pro facti qualitate. *b*

Moniales de novo non recipiuntur, nisi de consensu monialium capitulariter præstando, sive de iis intra, sive supra numerum agatur, atque juxta generalia decreta Sacræ Con-

144 gregationis receptio, seu admissio ad habitum sequi non potest, nisi prævio deposito dotis dari solito faciendo penes ædem Sacr. vel penes idoneum campsorem, ab Ordinario loci, vel Monasterii Prælato approbatum, hisque modis deficientibus in arca depositorũ Monasterii sub pluribus clavibus quarum unam ipse Ordinarius, vel Prælatus retineat, ad effectũ, ut secuta professione, pecunia deposita, ad Monasterii commodum in bona stabilia, vel æquivalentia investiatur. *c*

145 Quatenus verò non sequatur professio, vel quia puella propositum mutaverit, atque ad sæculum redeat, vel redire velit, Vel quia adhuc novitia decedat, eadem dos restituatur, cui de jure; Adeòut quamvis non completo anno novitiatus, vel ante legitimam ætatem moribunda ex devotione, seu pro spirituali consolatione, vel indulgentiarum assecutione, emittat professionem, quæ valida, & perfecta dici non valeat, adhuc tamen dos restituenda est, neque exinde à Monasterio retineri potest.

146 Ejusdem dotis taxa, uniformis est, regulariter non alterabilis, nisi facti circumstantiæ alterationis justam causam præbeant, quæ tamen generalis, non autem particularis esse debet; Alteratio autem quotitativa potius quàm quantitativa practicari solet, ubi aliqua alternativa qualitas in muliere accedat, quia nempe vidua, vel corrupta sit, sive in gravi ætate, aut extera, vel supranumeraria, sive tertia soror &c. cùm in his, vel similibus casibus duplicata, & quandoque etiam triplicata dos præstari soleat, *e*

147 Quamvis etenim aliqui, illicitam hanc dotis solutionem crediderint, quasi quòd simoniacam labem sapere videatur pro admissione ad habitum monasticum, tanquam pro re spirituali, pecuniam, vel aliam rem temporalem dare; Omnino tamen probabilis, rejectaque est hæc opinio, quoniam non pro spiritualitate, sed pro recompensa temporalium sumptuum, in monialium substentatione, id præstatur, ad instar dotis, quæ viro per mulierem carnaliter nubentem solvitur, cùm eadem sit ratio, cum in matrimonio carnali quoque Sacramenti spiritualitas adsit.

Adeòque id firmum est, ut neque volens possit Monasterium hanc dotem dari consuetam, in toto, vel in parte remittere, atque minori summa contentari, nisi lex fundationis, alicujus generis puellarum favore ita disponat; Vel nisi justa accedat causa, per hanc tamen Sac. Congregationem approbanda, & non nisi de hujus licentia, quæ quandoque (ubi paupertas exigat) favore puellarum de genere fundatoris, vel magni benefactoris, sive ratione eximiæ nobilitatis aut virtutis personalis puellæ, præsertim in musica, concedi solet, pro arbitrio ex facti qualitate regulando, ideòque certam non recipit regulam. *f*

Ob existentiam igitur veri matrimonii spiritualis, dicitur ista vera dos, quòd omnes effectus, omniaque privilegia, quæ doti matrimonii carnalis in utroq; civili, & canonico Jure attributa leguntur, super jure scilicet cogendi ad dotandum, sive super jure extrahendi dotem ex fideicommisso; Ac etiam super usuris, vel fructibus dotalibus, quæ Monasterio adinstar viri debeantur, cum similibus. *g* 148

Sed dotium item, vel subsidiorum dotalium legatis, vel dispositionibus, hæc dos matrimonii spiritualis quoque venit, nisi contraria accedat expressa, vel conjecturata disponentis voluntas, quæ servanda est; Vel quia ad solas carnales nuptias ea restricta sit; Vel quia minor summa pro una specie, quàm pro altera solvatur, ea reprobata opinione, quæ potestatis defectum in disponente credit ratione aversionis à statu Religioso, cùm id ad aliam justam, & non criminosam causam referendum sit. *h* 149

Ejusdem dotis acquisitio per validam ac perfectã professionem irretractabiliter fieri dicitur, adeòut, quidquid de successionibus, aliisque bonis dicendum sit, in casu transitus, quamvis necessarii, vel liciti de uno Monasterio ad alterum, an ea sequantur personam, necnè, quod à facti circumstantiis, pluribusque distinctionibus, decisionem recipit, firmum est, ut dos non restituatur, atque ad summum, ex justa causa per ipsam Sacr. Congregationem cognoscenda. ad alimenta suppeditanda donec vivat, primum Monasterium cogi solet, quando aliàs consultum non sit. *i* 150

Super hoc autem transitu de uno Monasterio ad alterum, sive perpetuò, sive provisionaliter, Aut super temporali egressu pro aeris salubritate, ac valetudine recuperanda, inanes hodie remanent omnes illæ quæstiones, quæ per DD. disputari consueverunt, cùm locorum Ordinariis, aliisq; Monasteriorum Prælatis ista potestas adempta sit; Licitè fieri non valeat, nisi dè licentia Sacræ Congregationis, quæ nimium rarò, ac non nisi ex magna causa id concedit; Ea solùm Ordinario, vel Prælato remanente potestate, quam periculi præcisa imminentia concedat, adeòut moram non admittat, quæ in consulenda hac Sacra Congregatione sit necessaria, quod tamen nimium rarò praxis docet. 151

Sub nomine, vel obligatione dotis, non solùm venit id quod Monasterio ad effectum deponendi, & respectivè investiendi, ut supra tradi solet, sed etiam totum id, quod pro aliis expensis, ac provisionibus etiam honorificis juxtà Monasterii, ac personarum qualitatem, & consuetudinem necessarium, vel congruum reputatur; Præsertim verò illa annua, vel menstrua vitalitis subventio, quæ ex consuetudine per Ecclesiam toleratis monialibus assignari solet pro illis indigentiis, vel honestis usibus, quibus Monasterium non occurrit. 152

Cadente quæstione, an monialis hanc præstationem remittere, seu aliàs alienare valeat, quod à pluribus distinctionibus in rerum Regularium adnotationibus recensitis determinationem recipit. *l* 153

Privilegium verò, quod in præcedenti Rubrica respectu virorum insinuatum est, prohibendi sæcularibus vicinis novas ædificiorum elevationes, seu aliàs generaliter præjudiciales aspectus, vel prospectus, clarius, atque cum minori dubitatione in monialibus locum sibi vendicat, ut ibidem advertitur; Dubitandi solùm ratione cadente, ubi cum consimili monialium Monasterio quæstio sit, cùm tunc honestatis, vel scandali ratio cesset, ideòque solùm illa urgeat amœnitatis aeris, vel ventorum salubritatis, idque propterea certam non recipit regulam generalem, sed à facti qualitate, & circumstantiis arbitrium regulare debentibus determinationem recipit. *m* 154

Novorum Monasteriorum erectio fieri non potest, inconsulta ista Sac. Congregatione, quæ nimiùm circumspectè in hoc procedere solet, tam circa congruam dotem ab initio, ut ita cum ea aliisque subsidiis dotalibus, tam in primo ingressu, quàm successivis temporibus Monasterium bene provisum remaneat, adeòut præsertim vita communis peragi possit, illæque non sequantur inconvenientiæ, quæ in antiquis Monasteriis inconsultò fundatis, ac non benè provisis dignoscuntur circa vitam communem, cujus Introductionem Sacr. Congregatio Ordinariis locorum inculcare solet, frequenter tamen Monasterii inopia cogit, ut vita privata toleretur. 155

Plures quoque habentur in hac materia provisiones per decre-

decreta generalia hujus Sacræ Congregationis, vel alterius Concilii, circa puellas sæculares educationis gratia in Monasteriis morari solitas præsertim verò, ut non nisi ante ætatem septem annorum permittatur ingressus, atque post illam annorum vigintiquinque demandetur egressus, quodque à monialibus separatæ vivant, neque ultra præfinitum numerum recipiantur.

Ac etiam circa Confessarios tam ordinarios, quàm extraordinarios, aliasque medicorum, & chirurgorum, ac operariorum introductiones in clausura, quæ omnia, ac similia, nec memoria suggerit, neque facile est absque tædio recensere, nimium verò de facili apud Modernos declarationum unius, vel alterius Sac. Congregationis elaboratos, ac
157 notos Collectores, quando occasio suppetat, videri poterunt; Itaque pro aliqua Regularium, ac monialium materiæ instructione, seu generica notitia adnotasse satis videtur.
158 An autem donationes, vel aliæ dispositiones, quæ fiant pro Monasterii, vel Conventus erectione resolvantur, ipsa erectione effectum non sortiente, vel ea secuta, sed postmodùm contingente suppressione, vel desertione, donationum materiam potiùs percutit, atque ea variis distinctionibus determinationem recipit, n

p tit. de jurisdict. disc. 45. & 92. & hoc tit. disc. 50. & in notis ad S. Conc. Trid.
q d. disc. 45. de jurisdict. & hoc tit. disc. 50. & fuit decisum per Sacram Congregationem Episcoporum de anno 1670. in una Ravennaten.
r sub tit. de dote disc. 167. ubi generaliter de dotibus monialium, & in aliis ibidem.
s Rot. apud Buratt. dec. 821. 827. & 840. Latter. de re benef. lib. 1. quæst. 19. n. 15.
t Sub t. de dote disc. 5. & disc. 167. & in notis ad S. C. T.
u Hoc tit. disc. 24.
x tit. de jurisd. disc. 26. & seq. & in notis ad S. C. T.
x dicto tit. de jurisd. disc. 18. & disc. 25. & duob. seqq. & hoc tit. disc. 24. & in notis ad S. C. T.
y hoc tit. disc. 27. in fin.
z hoc tit. disc. 2. cum plurib. seqq ad materiam electionis, & de eadem sub tit. de Canon. & Capitulo, & in annot. ad S. C. T. sess. 25. de Regul. c. 6. & 7.
a in dictis annot. ad S. C. T. sess. 25. de Reg. c. 6. & 7.
a in annot. ad S. C. T. ubi supra.
b Rot. apud Ottbob. dec. 115.
c sub tit. de dote disc. 167. ubi de dote monialium.
d eodem disc. 167. sub tit. de dote. e ibidem.
f eodem disc. 167. de dote.
g eod. disc. 167. de dote, & in aliis ibid.
h eod. tit. de dote disc. 12. & 167.
i hoc tit. disc. 30. & dicto disc. 167. de dote.
l de his vitalitiis subventionibus, quod etiam remitti, vel alienari possint hoc t. disc. 56. & 57. t. de Regal. disc. 33. de dote disc. 145. & 167. & de don. disc. 32. & 49.
m sub tit. de servit. disc. 17. cum pluribus seq.
n tit. de donation. disc. 12. cum duobus seqq.

ANNOT. AD DISC. I.

ISte Discursus utpotè generalis, & instructivus in hac materia Regularium habet suas adnotationes ab eodem Auctore in glossis marginalibus appositas, ac propterea alis non indiget suppletione; Solùmque in idem videri poterunt ea, quæ latiùs habentur superaddita in Summa, sive compendio, quod antea impressum non fuerat, dum unà cum *d. disc. generali* confert ad universam materiam.

ROMANA SEU PARISIEN. JURIS ELIGENDI GENERALEM.

PRO ITALIÆ, ET HISPANIÆ PROVINCIIS CUM QUATUOR PROVINCIIS GALLIÆ.

Responsum pro veritate.

De jure eligendi Generalem Ordinis Santissimæ Trinitatis redemptionis captivorum, an spectare debeat ad universam Religionem, omnesque ejus Provincias, vel potiùs ex consuetudine, vel præscriptione spectet ad aliquas Provincias tantum?

S U M M A R I U M.

1 *DE fundatione Religionis redemptionis captivorum, & de consuetudine Religionis circa electionem Generalis.*
2 *De stylo sanandi electiones invalidas.*
3 *In prudentialibus non se ingerunt Respondentes de jure.*
4 *Solet consuetudinibus derogari.*
5 *De potestate Papæ derogandi etiam Conciliis generalibus.*
6 *De eadem absoluta potestate in beneficialibus, ac in officiis Regularium.*
7 *Quando derogatio juris tertii sit favorabilis, & justa.*
8 *De confirmatione in forma specifica, vel communi.*
9 *Quando dicatur forma specifica.*
10 *De clausula addaci solita in confirmatione in forma communi.*
11 *De eadem materia confirmationis.*
12 *Statuta, vel leges regredientia ad jus commune antiquum dicuntur favorabilia.*
13 *Generalis debet eligi ab universa Religione.*
14 *De virtute immemorabilis, vel centenariæ.*
15 *Mala fides impedit præscriptionem.*
16 *Quando dicatur adesse mala fides.*
17 *De mutatione instituti Religionum.*
18 *De requisitis immemorabilis.*
19 *De eadem, & an admittat initium?*
20 *Eligentes possunt suo juri renunciare.*
21 *Improbabile videtur quod Prælati unius regionis tantùm habeant jus eligendi Generalem totius Religionis.*
22 *Quando excludantur actus facultativi.*
23 *Observantia æquivoca, & referibilis ad alium titulum non attenditur.*
24 *Ubi res reducitur ad injustitiam debet moderari.*
25 *De stylo aliarum Religionum in electione Generalis.*
26 *De rationibus ob quas convocari solet Capitulum generale universæ Religionis.*

D I S C. II.

FUndata, sive approbata de anno 1198. sub Innocentio 1
III. Religione sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis, cujus institutum est, vacandi pio operi redemptionis Christianorum, qui sub infidelium captivitate existant; In ipsa primæva regula fundamentali, registrata in Constitutione prima dicti Pontificis ejus confirmatoria, inter alia statuitur id, quod omnibus approbatis Religionibus est commune, ut electio Ministri generalis per omnium fratrum Concilium fieri debeat; Eademque regula registrata quoque est *in Constitutione* 20. Clementis IV. occasione aliquarum reformationum ejusdem Ordinis, atque ita circa ea primæva tempora pluries practicata fuit convocatio Capituli generalis in Urbe.

Cùm autem per aliqua sæcula casus dedisset, (incertum est, ex quo principio seu causa) quod Capitulum generale in aliquo Galliarum Conventu celebrari consueverit per solos Religiosos, vel Prælatos vocales quatuor provinciarum, Franciæ, Piccardiæ, Campaniæ, & Normandiæ, cum consuetudine obtinendi à Sede Apostolica confirmationem singulorum Ministrorum Generalium, ita electorum; Atque ista confirmatio sub Innocentio X. peteretur per Ministrum Generalem electum in Conventu Parisien. celebrato de anno 1652. Huic petitioni se opposuerunt Provinciæ Hispaniæ, & Italiæ, allegantes dictæ electionis nullitatem, quodque propterea confirmatione, vel sanatione indigna esset, utpotè facta contra formam regulæ legitimè non convocata universa Religione; Quare remisso (juxtà stylum,) negotio Consultationi Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium negotiis præpositæ, ex prudentialibus motivis, visum fuit confirmationem concedere, cum dictæ nullitatis sanatione.

Id autem per Sedem Apostolicam prudenter practicari solet, quando electionis jam factæ irritatio, inconvenientia causare potest, ut advertit *sub tit. de Canonic. & Capit. in Monasterien. Coadjutoriæ disc.* 27. & infrà *hoc eodem tit. in Colonien. Coadjutoriæ disc.* 53. ac etiam *infrà in annot. ad S. C. Trid.* Potissimè verò, ubi nullitas non sit culposa de facto, quia ex dolo, vel delicto positivo resultet, sed potiùs proveniat à dispositione juris, quia nempè facta sit juxtà consuetudinem, quamvis à jure improbatam, ut in proposito alterius electionis Generalis habetur *disc. proximè sequenti*; Idque comprobatur etiam ex pluribus factis canonibus *sub tit. de elect. in Decretalib. & sexto*, occasione nunc frequentiorum quæstionum in electionibus Episcoporum, quoniam pluries de electionis nullitate, vel cassatione respondere consuevit, personam tamen electam 2

tan-

tanquam dignam, Ecclesiæ vacanti præficiendo Apostolica Authoritate.

In eisdem tamen literis Apostolicis, super hujusmodi confirmatione emanatis dispositum fuit, ut quacumque consuetudine non obstante, Capitulum generale singulis sexenniis, in loco à præcedenti Capitulo determinando, celebrari deberet, cum interventu universæ Religionis, duorum scil. vocalium cujuslibet provinciæ, nempè Ministri provincialis, & socii; Atque in eisdem literis injunctum fuit Cardinali, tunc temporis Ordinis Protectori, ut juxtà aliorum Religionum universalem usum, Constitutiones pro regulæ observantia, & interpretatione, bonoque Religionis regimine edi deberent, ut de facto de anno 1656. editæ fuerunt, quæ per Alexand. VII. successorem de anno 1658. in forma specifica (earum tenore inserto) confirmatæ fuerunt, demandando observantiam per universam Religionem, cum amplissimis derogatoriis quarumcunque obstantiarum, & præsertim consuetudinum, sub decreto irritanti; Atque inter alia in ejusdem Constitutionibus contenta, præscripta fuit forma Capituli generalis, ac electionis Ministri Generalis, aliorumque Prælatorum, cum interventu universæ Religionis ad præscriptum regulæ & dictarum Constitutionum Innoc. III. & Clem. IV. ac etiam dictarum literarum Innoc. X. Cùmque his non obstantibus, dictæ quatuor Provinciæ Galliarum, in earum prætensione persisterent, juris convocandi Capitulum ac eligendi Ministrum Generalem privativè ad alias provincias, atque de facto ad id processum fuisset; Hinc proindè, cùm ex parte moderni Cardinalis Protectoris desuper pro veritate consultus fuerim.

3 Respondi, quòd quidquid esset de motivis prudentialibus de quibus J. C. respondere debens de jure agere non pertinet, (ubi præsertim in iis, qui consilium petunt, utpote in hac majori Ecclesiastica dignitate constitutis, atque per Summum Pontificem ad universalis Ecclesiæ regimen pro consilio assumptis, hujusmodi prudentialium regularum peritia major, quàm in fori judiciarii professoribus præsupponenda est;) Quatenus tamen pertinet ad ea, quæ juris sunt pro dictæ prætensionis improbatione, ac regulæ fundamentalis, modernorumque Constitutionum observantia respondendi debere censui, dicta consuetudine non obstante, absque necessitate examinandi de ejus viribus, ac validitate.

4 Siquidem, ubi etiam de stricta juris censura, consuetudo valida dici posset, atque hujus juris privativi præscriptiva, adhuc tamen, stante geminata ejus improbatione per literas Apostolicas, Innoc. X. & Alexandri VII. planum remanebat, ut ea in futurum attendi non deberet, ob Sedis Apostolicæ, & generalium Conciliorum frequentem stylum in Religionum reformationibus, ac aliis provisionibus, ipsius Catholicæ Ecclesiæ universalis reformationem concernentibus contrariis consuetudinibus derogandi, ut præsertim patet ex iis, quæ infrà hoc eodem libro habentur in remissivis adnotationibus ad Sacrum Concilium Tridentinum, super iis, quæ externum forum judiciarium concernunt.

5 De suprema verò Summi Pontificis potestate id agendi, inter Catholicos nefas est dubitare, Si etenim, juxtà veriorem opinionem in Romana Curia de pleno receptam, derogare potest sacris Canonibus, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & Decretis, quinimò etiam Conciliis generalibus, quorum respectu, aliud non dignoscitur speciale, nisi quædam magis certa voluntas, ob quam specialis mentio desiderata est, ut in eisdem adnotationibus ad Concil. Trident. advertitur, ac etiam *infrà sub tit. de decim.* occasione agendi de decreto Concilii Lateranensis sub Innocentio III. su-
6 per exemptione Regularium à solutione decimarum, & de decreto alterius Concilii Lateranensis sub Alexand. III. occasione incapacitatis sæcularium obtinendi jus activum decimandi cum similibus. Multò minus dubitandum est de potestate derogandi huic juri non scripto, quod ex quadam antiqua observantia resultaret. Potissimè verò in iis quæ sunt merè spiritualia atque Ecclesiastica beneficia, vel officia concernunt, dum in istis ex veriori, ac recepta sententia, Papa dicitur supremus, ac absolutus dominus, removendo provisos, vel electos etiam ab ipsamet Sede Apostolica, quamvis nulla justa causa accedat, quòd ea, quæ concernunt forum externum, quidquid sit de iis, quæ concernunt forum internum, de quibus Theologi morales loquuntur, ex iis, quæ circa hanc potestatem habentur deducta *sub tit. de Regalib. disc.* 148. ubi specialiter agitur de potestate Papæ, aliorumque Principum tollendi jus tertii.

7 Clariùs verò, ac potissimè, ubi (ut in hac facti specie) derogatio juris tertii non fiat in gratiam alterius privati, ad istius supplicationem, vel suggestionem, aut aliàs ex aliqua privata affectione, vel motivo, (quo casu aliqua major dubitandi ratio de potestate cadere videtur, plerisque distinguere solitis inter ordinariam, & absolutam, seu plenam potestatem;) Sed agitur de provisione perpetua, & universali per viam legis pro alicujus Religionis, vel Ecclesiasticæ universitatis reformatione, ac meliori regimine, prævio etiam S. Congregationis maturo consilio, causa cognita, cùm tunc absque dubio id magis de plano procedat.

Adeò etenim considerabilis est hæc circumstantia præcedentis consultationis præstitæ per aliquam Congregationem ordinariam, seu aliam extraordinariam, & specialem, quòd licèt receptam distinctionem habeamus in materia Apostolicæ confirmationis, inter illam, quæ fiat in forma specifica ac alteram in forma communi, ob longè diversam operationem, unius ac alterius, quæ nempè confirmatio in forma communi non attendatur in iis, quæ sint expressè juri contraria, sicuti attenditur, ac operativa est altera in forma specifica, istaque non dicatur talis, nisi ubi rei confirmatæ tenor sit insertus, seu aliàs de certa, & specifica scientia Papæ confirmantis, constet juxtà distinctionem, de qua, cæteris relatis Mantic. dec. 555. Spad. cons. 38. seg. 5. decis. 195. & 510. p. 1. rec. dec. 166. p. 5. & 555. p. 7. 8

Attamen ubi confirmatio sequatur ex voto alicujus Con- 9
gregationis ordinariæ, vel particularis, cujus consultationem Papa desideraverit, ad effectum deliberandi, an petita confirmatio concedi debeat, necnè, tunc quamvis ista fiat in forma simplici absque insertione tenoris, adhuc tamen dicitur in forma specifica, ejusque vim ac operationem habet, dum ita ea causæ cognitione habita per Congregationem resultat certa scientia, ac informationis probatio, ex qua dicta differentia oritur, ut in specie advertitur, d. dec. 102. & 150. p. 1. rec.

Nisi ista etiam confirmatio explicitè contineat clausulam in confirmationibus in forma communi adjici solitam (& 10
quæ etiam non adjecta in confirmationibus in forma communi subintelligenda est.) *Dummodo scilicet ea, quæ confirmantur, non sint juri, vel Conciliis præsertim Tridentino, ac Apostolicis Constitutionibus, & Decretis contraria.*

Talisque naturæ, in forma scilicet communi reputatur 11
confirmatio præsumpta, quæ resultat ex longissimi temporis observantia, ex iis, quæ ad hanc materiam confirmationis, vel beneplaciti præsumpti ob temporis lapsum junctum eum observantia, habentur *sub tit. de alien. & contract. prohib. disc. 1. & seq.* ac etiam *sub tit. de dot. disc.* 143. & alibi pluries.

Cùm igitur omnia præmissa (quæ singulariter, ac disjunctà sufficerent,) in hac facti specie simul juncta concurrerent, quòd scilicet, Constitutionum confirmatio cum contrariæ consuetudinis derogatione erat in forma verè specifica, in-
serto scilicet ipsarum Constitutionum integro tenore, eamque præcesserit matura consultatio ordinariæ Congregationis Regularium negotiis, & consultationibus propositæ, idque non per viam gratiæ, vel provisionis specialis ad alicujus privatam utilitatem, cum alterius privato præjudicio gestum esset, sed per viam generalis, ac perpetuæ legis pro universali regimine Religionis; Hinc de defectu potestatis, vel etiam de altero, qui in Papa, alioq; supremo Principe considerari solet, non benè regulatæ voluntatis, dubitandum non videbatur. 12

Ponderando quoque in diem ea, quæ recepta habemus in materia Statutorum, & consuetudinum, aliorumque novarum legum & provisionum super earum favore, vel respectivè odio, & consequenter super lata, vel stricta, seu favorabili vel odiosa interpretatione quòd scilicet, ubi nova lex scripta, vel non scripta, quamvis alterius legis correctoria sit, attamen contineat restitutionem alteriùs legis antiquæ, ad quã fiat reversio, & tunc dicatur potiùs favorabilis, ideòque benignè, ac latè interpretanda veniat, juxtà celebre *consilium* Anchar ani, ut advertitur pluries *sub tit. de success. ab intest.* & alibi, Et hunc dicebam esse casum, cùm ista nova lex, intermediæ contrariæ non scriptæ revocatoria, restitutiva sit primæ regulæ fundamentalis; Et quod magis, circa id, quod tam per sacrorum Canonum dispositionem, quàm per aliarum Religionum universalem stylum statutum est, unde proptereà versari videbamur in terminis clarioribus.

Hinc proindè, nulla suppetebat necessitas agendi de præfatæ consuetudinis validitate, & an ea dici deberet legitima, necnè, dum ista etiam qualitate posita, difficultas cessabat ex dicta revocatione. Verùm ubi de hoc puncto agendum esset respondi adhuc probabilius videri, ut ista consuetudo minùs legitima esset, ideòque revocatione, vel improbatione digna, quamvis id secutum non esset, cùm dubitari non posset, quòd multiplicem haberet claram juris resistentiam,

Tum ob sacrorum Canonum dispositionem expressam,
13 ut Religionum supremi Prælati, seu Ministri Generales, ab
universa Religione, non autem ab aliqua ejus parte eligi
debeant, ut multa desuper colligit modernus Passer *in tract.
de elect. c. 3. n. 35.* Tum etiam, ob universalem aliarum Re-
ligionum consuetudinem, ita statutis temporibus Capitu-
lum generale convocandi, ibique supremum moderato-
rem, aliosque Prælatos eligendi; Ac etiam ob ipsam na-
turalem rationem, ut qui omnibus præesse debet, omnium
habeat consensum, quoties legitima consuetudo non in-
duxerit, ut aliquis personarum ordo hunc universum Rei-
publicæ consensum omnium vice explicare possit.

Posita igitur clara, & expressa juris resistentia, exindè
resultat certa consequentia, ut contraria consuetudo regu-
lariter improbata sit, atque corruptelæ speciem potiùs re-
doleat, quoties ea non sit immemorabilis, de cujus vitio-
so, vel infecto initio non constet, ob hujus præscriptio-
nis peculiarem virtutem, seu operationem frequenter in
14 omni penè materia insinuatam, præsertim *infra sub tit. de
decim.* pluries *& sub tit. de alien. & contr. probib. in Co-
lonien. disc. 3.* ubi etiam de centenaria, quòd scilicet ejus
vigore quicunque titulus de Mundo melior allegari potest,
absque justificatione, & sic privilegium, vel decretum
Apostolicum etiam cum consensu aliarum Provinciarum,
eoque alio meliori modo, quo id sequi potuerit.

15 Quare ponderabam, quòd controversia restringeretur
ad punctum hujusmodi probationis, pro cujus exclusione
considerabam; Primò malam fidem, quæ ex recepta dis-
positione juris canonici etiam in profanis, ac in foro
Principum sæcularium recepta perperuò impedit præscri-
ptionem, quantumvis longissimum tempus accedat juxta
vulgatem textum *in c. fin. de præscript.* Istamque malam fi-
dem resultare dicebam ex eo, quod tam Minister Generalis,
quàm Provinciales, aliique Officiales, & Vocales ista-
16 rum Provinciarum, quinimò privati Religiosi, utpotè vi-
ventes cum dicta regula fundamentali, eam semper re-
tinuerunt, atque præ manibus habuerunt, ideòque ita per
tam in mala fide constituti fuerunt, utpotè disponentem,
quòd electio Ministri Generalis per omnes fieri debeat jux-
tà celebre *cons. 96.* Gemin. passim receptum per Rotam
præsertim apud Cavaler. *decis. 77. n. 7. & 91. n. 10.* apud
Merlin. *dec. 663. repetit. dec. 3. p. 7. rec. n. 28.* & frequenter.

17 Verùm reflectendo ad veritatem; Quamvis conclusio in
abstracta vera sit; Dubitabam tamen de applicatione, quo-
niam non implicat, ut primæva, seu fundamentalis regula
uno modo statuat, deindeque tractu temporis, ex Aposto-
licis privilegiis, seu ex ejusdem regulæ relaxatione per Se-
dem Apostolicam tolerata, vivendi diversus modus indu-
ctus fuerit, in plerisque, ac penè in omnibus Religionibus
habemus, quòd nimium diversus est modus, cum quo ho-
die vivitur ab eo, qui per primævum institutum præscriptus
fuit; Et præsertim primus in Ecclesia Latina Ordo benedi-
ctinus, in ejus primæva erectione, diversimodè regebatur,
quàm hodie, ut advertitur *infrà in Mediolanen. disc. 19. &
sub tit. de jurisd. disc. 28.* Ac etiam Ordo Minorum, in pri-
mæva erectione erat unicus in strictissimo paupertatis voto
erectus; nunc verò divisus in tot species, quæ majorem, vel
respectivè minorem habent regulæ relaxationem, ac præ-
sertim circa modum celebrandi Capitulum generale, ac
eligendi Ministrum Generalem, & quoad Religionem Mi-
norum Observantium qui ex Constit. 23. Leonis X. retinet
titulum universæ Religionis S. Francisci, introducta fuit
divisio inter ultramontanam, & citramontanam familiam,
cum alternativa, tam circa locum celebrationis Capituli,
quàm circa passivam electionem Ministri generalis, ex de-
ductis *infrà in Romana juris visitandi, disc. 7.* Et conse-
quenter, cùm diversus status subsequens, ob istam mutatio-
nem sit compatibilis cum antiquo, dici non potest, ut ex
scientia primævæ regulæ ista mala fides resultet; Potissimè
quia in Prælatis, ac religiosis aliarum Provinciarum, in-
trat eadem scientia, & tamen id passi sunt; unde propterea
legitimi tituli præsumptio vehemens resultare videtur.

18 Ponderabam quoque, circa defectum probationis im-
memorabilis, quòd nullum accederet requisitum ex iis,
quæ recensentur per celebrem glos. *in cap. 1. de præscript. in 6.*
dum nulli inducti fuerunt testes deponentes de quadra-
genaria pacifica de visu, subducto utroque tempore filia
ac eorum pupillaris ætatis, ac de auditu à majoribus,
absque eo quòd unquam contrarium gestum, dictum, vel
auditum sit, & cum probatione famæ per capitulum sepa-
ratum, ac particulare, ut in omni ferè materia adverti-
tur, & præsertim in sua peculiari sede *sub tit. de judic.* Et
fortiùs, quia immemorabilis præcipuum requisitum est il-
lud, ut non constet de ejus initio contrario, cùm initium
dicatur immemorabili de directo oppositum, ut *d. disc. 3.
de alien. & contract. & infrà sub tit. de decim.* & sæpius.

Sed pariter istud fundamentum videbatur parum tutum; 19
Vel quia etiam centenaria eandem virtutem habere videtur
ut ejus vigore quicunque possibilis, ac melior titulus alle-
gari possit, ex deductis præsertim *d. disc. 3. de alien. & contr.
probib.* Vel quia non implicat, ut etiam immemorabilis, sine
testibus, per scripturas, vel alias certas probationis species
probari possit; dicta enim propositio, quod initium excludit
immemorabilem, eique se opponit, procedit, quando illud
statum diversum ita denotet, quod infectum, vel illicitum
declaret alium, qui suprà hominum memoriâ inductus fue-
rit, non autem ut ita res à Mundi creatione esse debuerit,
quoniam ut advertitur *d. disc. 3. de alien.* ac alibi pluries, da-
ri non posset immemorabilis super dominis temporaneis, ac
libertate in iis, quæ per historias notorium est fuisse Roma-
ni Imperii, minùsque in jurepatronatus Ecclesiarum, quo-
rum usus utique habebatur priùs quàm Ecclesia modernis
sæculis, ad alliciendum sæculares ad fundandas, & dotan-
das Ecclesias, istud jus introduxerit, ut in sua materia *sub
tit. de jurepatr.* cum similibus; Ideòque, cùm ex chronicis
Religionis, ipsaque facti notorietate, certum esset, quod
suprà hominum memoriam, & per plura sæcula ita serva-
tum est, rectè hic sufficiens probatio adesse videbatur.

Tertiò ponderabam ad hujusmodi præscriptionem, vel 20
consuetudinem impediendam, quòd in facultate sit Pro-
vincialium, aliorumque Prælatorum, & Vocalium accede-
re, vel non accedere ad comitia, ibique votum proferre,
quoniam quilibet potest suo juri renunciare ab eo se extra-
neum, ut ad hanc materiam electionis advertitur pluries
infrà, *& sub tit. de Canon. & Capit. disc. 27.* Et consequen-
ter intraret vulgaris, ac recepta conclusio, de qua infra
in dicta romana juris visitandi disc. 7. ac etiam apud Rojas
dec. 327. & 356. & dec. 337. p. 10. rec. & in aliis, quod in
facultativis præscriptio non intrat, quia nempè aliæ Pro-
vinciæ noluerint istud incommodum pati.

Verùm pariter istud motivum periculosum videbatur; 21
Tum quia in Religionibus, (quarum præcipuum peculium
consistit in obedientia) singulis quibusque temporibus ad
Capitulum generale celebrandum statutis, fieri solent om-
nium Vocalium convocationes per consuetas literas cir-
culares, & consequenter improbabile est, ut tam diuturno
tempore, ac reiteratis actibus per tot Religiosos, & Præ-
latos universæ Italiæ & Hispaniæ, aliorumque locorum hæc
obedientia regulari instituto adeò opposita adesse potuerit;
Tum etiam quia ubi accedunt duæ circumstantiæ; Primò,
nempè, diuturna & reiterata frequentia actuum; Et secun-
dò inverisimilitudo faciendi, vel respectivè negligendi id,
quod non expediat, vel pro communi usu fieri, vel negli-
gi non soleat, cessat præsumptio facultaria, ac potiùs in-
trat altera necessitatis ex iis, quæ cæteris relatis habentur *in* 22
Majoric. celebrationis Missarum cor. Bichio inter suas *dec.
522. & 542. repetit. dec. 186. & 380. p. 11. rec.* Nimia ete-
nim improbabilitas facultatis exclusiva adesse videtur, quo-
niam istud jus electionis activæ, & passivæ in Capitulis ge-
neralibus Regularium ex omnium Religionum usu est ma-
jus negotium, majusque studium, ac solicitudo,

Tria verò alia fundamenta videbantur magis probabilia,
nonquidè singulariter ea considerando, sed simul juncta, cũ
regula, *ut singula quæ non prosunt, &c.* quodque ita præceden-
tia pariter simul juncta, considerabilia remanerent pro istis
comprobandis, vel confovẽdis; Seu verius cũ ex omnibus, &
præsertim ex sequentibus tribus justum resultet motivũ, ob
quod rationabiliter Sedes Apostolica istam consuetudinem,
ut suprà improbaverit, atque rem primævo statui restituerit.

Primò scilicet ex eo facti præsupposito (ubi subsisteret)
quòd modernis temporibus, per alias Provincias contradi-
ctum fuerit, celebrando etiam diversum Capitulum gene-
rale, præsertim de anno 1546 & 1570. quodque ubi casus de-
dit, ut aliarum provinciarum Prælati, & Vocales ad Capi-
tulum accesserint, admissi fuerint, ac votum protulerint,
quod tamen facti potiùs, quàm juris erat.

Secundò fortius quia dici non poterat, ut adesset pacifica 23
observantia præscriptiva, dum ista potiùs destructa remane-
bat, ex eo quòd Minister Generalis pro tempore ita electus,
præter aliarum Religionum stylum, curavit obtinere Apo-
stolicam confirmationem cum suppletione omnium defe-
ctuum, undè propterea duo exindè resultare observabam;
Primò nempè agnitionem defectus potestatis hujus Capituli
celebrati per unam partem Religionis, ita curando obtinere
hanc

hanc suppletionem, vel sanationem aliàs nec necessariam, nec usitatam, Et secundò, quod observantia dici non poterat univoca, dum obedientia, quam aliæ provinciæ hujusmodi Generalibus, aliisque Officialibus pro tempore præstiterunt, Apostolicæ potius, quàm ipsius Capituli potestati referenda erat, Ideòque intrat vera & recepta conclusio de qua præsertim *sub tit. de jurepatr. & sub altere de benef.* in proposito juris conferendi vel præsentandi, sive firmandi statum pro observantia, quòd ista eatenùs suas consuetas facit operationes, quatenus univoca sit, adeout, id quod gestum est, pernecessè illi juri, vel titulo referri debeat. Secùs autem, ubi æquivoca & referibilis diverso titulo, vel juri.

24 Et tertiò nimiùm probabiliter quod intraret saltim à simili termini textus *in c. suggestum, de decimis*, vel similes in proposito exemptionis Regularium à decimis pluties ponderati infra *sub tit. de decim.* quòd scilicet, quando tractu temporis consuetudo, vel etiam expressum privilegium, quinimò contractus correspectivus ad aliquam magnam injustitiam, vel irrationabilitatem reducitur, etiam ex inferioris, ac ordinarii Judicis officio, reformari, vel irritari, aut aliàs ad justitiam, & æqualitatem reduci debet; Ideòque cùm attento præsenti statu, numerus Conventuum, ac Religiosorum Italiæ, & Hispaniæ in triplo, vel quadruplo excederet numerum Conventuum ac Religiosorum illarum quatuor Provinciarum quod antiquioribus temporibus forte non verificabatur; Ita justè Summus Pontifex, non solùm tanquam supremus Princeps Ecclesiasticus, ac tinus absolutus, cum superiùs insinuata suprema & ab ta ejus potestate, sed etiam tanquam justus Judex, be abrogavit hanc consuetudinem, quæ ita ad corruptelæ speciem potiùs devenisse dicitur; Ac propterea probabilius debatur, ut prædictarum Apostolicarum literarum observantiæ omninò incumbendum esset.

25 Supponebatur quòd ex parte dictarum provinciarum, fundamentum constitueretur in pluribus consimilibus consuetudinibus aliarum Religionum, & præsertim Cisterciensis, & Præmonstratensis, ac etiam Carthusianæ, quòd semper Capitulum generale celebretur in Gallia, atque electio passiva Ministri generalis in illius nationis Religioso cadere soleat; Verùm istud non videbatur fundamentum considerabile, quoniam respectu Cisterciensium, & Præmonstratensium, id provenit ob earundem Religionum divisionem in plures congregationes, vel provincias, quarum singulæ proprium Generalem, aliosque Officiales, in proprio respectivè Capitulo Generali eligunt; Et consequenter meritò Itali, ac alii eo Capitulo non interveniunt, quoniam ille Generalis non est illorum superior ideòque non intrat inconveniens, ut aliæ provinciæ obedire debeant illi Generali, in cujus electione nullam habeant participationem; Ut etiam observantia comprobat in Ordine S. Teresiæ, quo diversus est Generalis, qui eligitur in Hispaniis, ab eo qui eligitur in Italia, cum diverso Capitulo generali; Idemque praxis docet in aliis Religionibus.

Et quoad Religionem Carthusianam, advertebam, quòd ejus praxis potius retorquetur, quoniam licèt semper Capitulum celebrari soleat in Gallia, attamen in eo intervenit universa Religio, mediantibus omnium provinciarum Prælatis, & Officialibus; Aliud enim est consuetudo localis eo modo, quo est alia superius insinuata in Religione Sancti Francisci, seu Minorum Observantium; Aliud verò, ut una pars Religionis privativè ad alteram hoc jus habere debeat, potissimè quia dicta consuetudo circa localitatem in hac Religione Carthusiana probabilem habet rationem initii, seu fundationis Religionis in eo loco.

26 Alia etiam nimiùm convincenti ratione ponderata, ob quam, justè, ac prudenter dicta consuetudine improbata, restituta fuit prima regula fundamētalis, quoniam in Capitulo generali, vice omnium Religiosorum intervenire debent omnium provinciarum, ac nationum Prælati, & deputati, non solùm ex insinuata ratione, ut omniū in jure activo, & passivò coæquale sit jus eligendi, omnesque participent in electione illius superioris, cui obedire debent; Sed etiam, ac fortiùs, quia potissima causa convocandi statutis tēporibus comitia generalia, respicit totius Religionis, ac singularum ejus partium regimen, tam spirituale circà observantiam regularem, quàm etiam temporale & œconomicum, cùm singuli provinciales, ac Socii, vel Discreti, relationem faciunt de provinciarum statu ac stylis, ut ita dignoscatur, an adsint abusus, quibus occurri possit, omnesque Minister Generalis, aliique Diffinitores, vel Officiales in universo regimine deputati, informationem habeant de statu universæ Religionis, ac singularum partium Nec non ut ab universa Religione

Card. de Luca, Lib. XIV.

ne ita congregata, audiri valeant recursus, & querelæ illorum Religiosorum, qui credant, se à Superioribus, & Prælatis oppressos, & consequenter dicta restrictio perniciosa est, atque clarum redolet abusum, meritò sublatum; Hæc respondi consultus; Incertum verò est quid secutum sit.

S U M M A R I U M.

1 *De electione Prælatorum Regularium.*
2 *Turnus quando dicatur consummatus.*

ANNOT. AD DISC. II. cum seqq.

Agitur in his discursibus de electione Generalium, aliorumque Prælatorum Regularium, ac respectivè confirmatione, & deputatione, super qua in *hoc tit.* alia non super fuit occasio disputandi præterquam in casu, de quo *disc.* 72. In quo agitur de electione Abbatissæ.

Quo autem ad ea, quæ concernunt alternativam, seu turnum ad effectum videndi, quando iste dicatur consummatus, habetur *sub tit. de Jurepatr. disc.* 41. 1

Et de pluribus ad materiam electionis videri poterunt deducta *sub tit. de Can. & Capit. & in Annot. ad S.C. Trid. disc.* 31. & 37. 2

ROMANA SEU CAMALDULENSIS ELECTIONIS GENERALIS

PRO GENERALI ELECTO.

CUM OPPOSITORIBUS.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium, resolutus pro Generali electo.

De turno, seu alternativa per nationes, vel provincias in passiva electione Generalis, aliorumque Prælatorum; an & quando subsistat?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Ad materiam text.* in cap. consulationibus de jurepatr. *favore possessoris.*
3 *Quod eadem dispositio procedat etiam in electionibus.*
4 *De distinctione inter jus quæsitum, vel quærendum in beneficiis, & quando in manualibus non detur remotio.*
5 *De stylo sanandi nullitatem electionis, atque electum ex integro deputandi.*
6 *Quando sit locus rigorosæ revocationis attentatorum, necne.*
7 *De causis inducentibus bonum finem.*
8 *De clausula* sublata, *& decreto irritanti, eorumque operatione.*
9 *An admitti debeat in Religionibus turnus per nationes, vel Provincias in Prælaturis?*
10 *De eodem, & quando hæc alternativa, vel turnus admitti debeat.*
11 *Quod auctoritati* Fagnani *in his materiis Regularium sit deferendum, & de ratione.*
12 *De alio casu controversiæ super eodem turno, seu alternativa.*

D I S C. III.

Cum in Capitulo Generali Camaldulensium secuta fuisset electio Abbatis Generalis in Persona P. Jo. Marinetti Provinciæ Venetæ, post aliquod temporis intervallum, ipso electo jam pacificè administrante, de electionis nullitate opposuerunt aliqui Religiosi Provinciæ Etruriæ, ob neglectum alternativæ ordinem in hac Religione præscriptum, in electione passiva per literas Apostolicas Pauli V. ut scilicet Generalis, aliique officiales per turnum provinciarum, seu nationum eligi deberent, prohibita continuatione ejusdem provinciæ, seu nationum; Introductaque causa in Sac. Congreg. Episcoporum & Regularium, prodiit de mense Junii 1670. resolutio electo favorabilis, electionem scilicet substineri.

In disputationibus autem desuper habitis, duo erant puncti, Primò nempè super validitate, vel invaliditate hujus electionis particularis, & an electus, qui jam pacificè prælaturam per aliquod tempus possederat, continuare deberet pro toto tempore præfinito usque ad novum Capitulum generale; Et secundò quid servandum esset in futurum, & an literæ prædictæ suum effectum sortiri deberent, necnè?

Quatenus pertinet ad primum, scribens pro electo, dicebam etiam cùm sensu veritatis, quod cùm in facto, ex Capitulorum generalium, ac respectivè electionum seria constaret, quòd modus in dictis literis præscriptus, non esset servatus,

cus, sed quandoque continuata esset electio passiva in eadem provincia, vel natione, quandoque autem in religiosis diversæ provinciæ electio contigisset ex causa, absque eo, quòd servatus fuisset turnus justa ordinem in eisdem literis præscriptum; Hinc proindè de plano intrabat conclusio desumpta

2 ex text. *in cap. consultationibus, de jurepatr.* de qua pluries *sub tit. de jurepatr.* præsertim *in Capuana Abbatia, disc. 36.* ubi de recepta distinctione in proposito ultimi status, & an jam facta præsentatio, vel provisio substineri debeat, quod scilicet; Aut res est integra, quis nempè, nemine ex contendentibus adhuc instituto, disputetur quænam præsentatio prævalere debeat, & quis eorum sit instituendus, & tunc ubi constat de bono jure unius in petitorio, istud absorbeat possessorium, neque attendatur ultimus status, qui non sit legitimè præscriptivus status antiqui; Aut verò jam secuta est pacifica institutio ejus, qui præsentatus fuit per existentem in quasi possessione præsentandi, atque ad limites ultimi status, adeòut ille, qui contendit de bono jure in petitorio, agat de removendo jam institutum, vel possessorem; Et tunc secus, quoniam ejus boni juris canonizatio suffragabitur pro futuris vacationibus, non autem pro ea, quæ jam effectum sortita est, ex ibi deductis,

3 Quòd autem ista conclusio, ex rationis identitate, procedat quoque in materia electionis, probare videtur textus *in cap. querelam, de electione*, ac advertunt Abb. *in eodem cap. consulationibus, n. 2.* & alii apud Fagn. *ibid. n. 7.* Atque ubi non haberentur auctoritates, id claré convinceret identitas rationis, à qua in jure in iis, quæ in contrarium decisa non sunt, rectè licitum est arguere; Si enim ut pluries in omni ferè materia advertitur, in casibus expressè à jure, vel per receptas DD. traditiones non decisis, licitum est recurrere etiam ad leges particulares aliarum Ditionum, vel Provinciarum, multò magis ad jus commune.

4 Ac etiam, ad evidentiam comprobari dicebam ex ipsamet ratione, quæ tam à naturali, quàm à positivo jure manat, quòd scilicet sine delicto irrogari non debeat pœna, vel gravis injuria fieri, ut in præsenti per remotionem Generalis, aliorumque Prælatorum, re non integra sequeretur, quoniam juxtà receptam distinctionem frequenter insinuatam præsertim *sub tit. de benef. disc. 70.* inter non admissionem ad jus quærendum, ac privationem juris quæsiti, ista posterior formalem pœnam irrogare dicitur. Potissimè verò ubi talis privatio, vel remotio gravem injuriam, ac famæ, seu existimationis præjudicium causaret, cùm tunc, etiam in iis, quæ de sui natura sunt manualia, atque ad nutum amovibilia circumspectè procedatur, neque remotio permittatur, ubi dicta ratio urgeat, ut ad materiam manualitatis advertitur *eod. tit. de benef. disc. 80. & 97.*

5 Hinc proindè, ut insinuatur *disc. præcedenti*, atque in hac materia electionis habetur pluties *sub tit. de Canonic. & Capitul.* præsertim *disc. 24. & seq.* antiquus est Sedis Apostolicæ stylus de præsenti etiã continuari solitus, quòd ubi electionis nullitas non proveniat ex culpa inexcusabili de facto, adeòut, tam in eligentibus, quàm in electo, mala fides non dignoscatur, atque eorum, quæ gesta sunt, retractatio aliquando scandalum, vel grave præjudicium parere potest, tunc nullitatem sanare solet, sive electum, cassata electione, ex sua auctoritate eidem muneri præficere; Isteque est etiam frequens stylus hujus Sacræ Congregationis, in electionibus Provincialium, vel Superiorum localium, quòd scilicet, ubi etiam electio de stricta juris censura sit nulla, adhuc tamen rescribi solet, ut electus (præsertim ubi res non est integra) in suo munere continuet, tanquam ab ipsa Congregatione deputatus; Ut etiam in electionibus Vicarii Capitularis Sede vacante practicavi.

6 In idem conferentibus iis, quæ *sub tit. de judic.* habentur in materia revocationis, vel purgationis attentatorum, quòd scilicet ea negligitur, ubi non agatur de attentatis inexcusabilis, quæ facti, seu dolosa dicuntur, sed de illis, quæ proveniunt ex dispositione juris, ubi revocatio scandalum, vel aliud inconveniens, seu grave præjudicium paritura sit.

7 Id autem in hac facti specie, rectè verificari observabam, quoniam ex retroacta diversa observantia annorum circiter sexaginta, ac etiam ex plerisque aliis facti circumstantiis; præsertim ex eo quòd illi religiosi, qui inscia Religione, istas literas à Paulo V. obtinuerant, in primo Capitulo generali postmodum celebrato de ann. 1611. eis in Difinitorio exhibitis, declaraverant nolle uti, ipso Difinitorio huic declarationi plaudente. Et fortiùs quia, vel sufficiens probatio, vel satis vehemens fumus dabatur, quòd deputata per Urbanum VIII. particulari aliquorum Cardinalium Congregatione, super istarum literarum observantia, prodierat resolutio, ut earum ratio habẽda non esset, utpote ad aliquorum particularium religiosorum supplicationem, vel suggestioné emanatarum; Quamvis etenim per Scribentes in contrarium utrumque factum, seu ejus concludens probatio negaretur, attamen ubi etiam ista non adesset, negari non poterat, quin exindè resultaret, tam eligentis, quam electi justa credulitas, bonaque fides, exclusiva culpæ, & delicti, sine quibus deveniendum non erat ad hanc irritationem, ex qua injuria, non solùm electo, sed etiam universæ Religioni, seu ejus generali Diffinitorio inferri dicebatur; Ideòque quoad hunc primum punctum resolutio (reflectendo etiam ad solam veritatem) probabilis, beneque fundata visa est.

Licèt enim Scribentes in contrarium nimiùm insisterent in clausula *sublata*, & decreto irritanti, contentis in dictis literis Apostolicis, quorum virtus, ac operatio est inficiendi quamcunque contrariam possessionem, vel observantiam, ideòque impediendi ipsius observantiæ, vel consuetudinis initium, & ne illa nascatur, ex iis, quæ plenè habentur, cæteris relatis *in Casenaten. seu Sarsinaten. Laudemiorum cor. Ghisilerio, & Albergatio impress. dec. 400. p. 9. & dec. 199. p. 12. rec.* & frequenter insinuatur in omni ferè materia, præsertim verò *sub tit. de judic.* Attamen, ut ibidem, ac alibi pluries advertitur, id rectè procedit, quando omninò certum, ac indubitatum est, ut servari debeat id, cujus observantia cum dictis clausulis demandata est, adeòut contraria observantia inexcusabilis, & culposa dicenda veniat; Secùs autem ubi aliqua probabilis dubietas desuper cadat, cùm tunc in possessorio, vel alio incidenti, cui eadem congruat ratio hujusmodi clausularum obstantia non attendatur, ex iis, quæ aliis relatis habentur apud Cavaler. *dec. 522. n. 2. & 3.* Buratt. & Add. *de. 131. 659. & 720.* & frequenter. 8

Quo verò ad alium punctum petitorii, super observantia turni, seu alternativæ, ad formam dictarum literarum pro tempore futuro; ista quæstio, an scilicet congruat, necnè ut in Religionibus iste turnus introducatur, vel permittatur in passiva electione Generalis, aliorumque Prælatorum, plenè disputatur per Fagn. *in cap. cùm dilectus, de consuetudine*, ubi constituitur regula negativa firmata per Rotam *dec. 65. n. 7. & 8. p. 1. rec.* quòd scilicet iste turnus potius est in jure prohibitus, & contra naturam electionis, quæ debet esse libera, cùm apud Deum non sit acceptio personarum, & ne aliàs contingat, ut electores, neglectis personis dignis, quas agnoscant Religionis bono regimini, ac administrationi magis proficuas, cogantur eligere minus dignum, ex sola ratione nationalitatis. 9

Et quamvis idem Fagn. agendo de *Congregatione Somasca*, examinata per partes quæstione, atque deductis argumentis, quæ hinc inde urgent, pro ejus voto concludat, ut id potiùs permittendum sit, ad pacem in Religione conservandam, ac ad evitandas oppositiones, vel monopolia alicujus nationis, adhibendo præsertim juridicam, beneque fundatam distinctionem, de qua in proposito libertatis matrimonii, vel ad alios similes effectus, plenè habentur *sub tit. de testam. disc. 73.* an scilicet provinciæ, vel nationes inter quas hæc alternativa, seu turnus introducatur, sint magnæ, atque notabilem habeant numerum Religiosorum, inter quos probabiliter personæ dignæ, ac idoneæ extituræ sint, undè propterea rectè practicabilis remaneat electionis libertas; Secùs autem in casu converso; Accedente potissimè plurium aliarum Religionum consimili usu insinuato *disc. proximè seq.* 10

Attamen dicebam (quatenus ad hanc rem pertinet), ut id rectè procedat, quando ipsa Religio pro bono pacis, & quietis universalis ita concorditer statuit, adeòut ea supplicante Sanctissimo pro approbatione hujus Statuti, vel determinationis, de hoc disputari contingat, ad effectum consulendi Papæ, an petitam approbationem sit concessurus, vel denegaturus; Atque in his terminis, & ad hunc effectum loquitur Fagn. Secùs autem ubi majori parte Religionis reluctante, aliqui particulares unius Provinciæ, vel Nationis id petant, cùm tunc ex sensu ejusdem Auctoris, contrarium dicendum sit. 11

Huic autem auctori in ista præsertim Regularium materia nimiùm deferendum venit, tanquam in ea per annos circiter quinquaginta, & forsan ultra, nimiùm versato, præsertim verò occasione formationis Regularium sub Innocentio X. sibi commissa, sub aliis quoque Pontificibus successoribus continuata. 12

Hinc proindè in una *Portugallien. electionis* disputata in eadem Sacra Congreg. Episcoporum, & Regularium de eodem anno 1670. inter provinciã Interamnensem, & religiosos aliarum provinciarum Congregationis Benedictinæ Regni Portugalliæ; Cùm dicti Religiosi aliarum provinciarũ

insta-

instarent pro dicta divisione, seu alternativa, ex eo fundamento, quòd ob majorem numerum religiosorum dictæ provinciæ Interamnensis inter eos penè semper caderet electio passiva, ideòque ipsi recurrentes à muneribus Religionis penè exclusi remanerent, me scribente pro dicta provincia repræsentante majorem partem Congregationis, ita quòque resolutum fuit, adhibitis tamen aliquibus prudentialibus temperamentis, pro illius prudentialibus legibus, cum quibus ista Sac. Congreg. (commendabiliter quidem) procedere solet, more Principis potiùs, quàm more Judicis, juxtà finem, ob quem instituta fuit, ut advertitur *in lib. seq. de Judic.* occasione agendi de relatione, & praxi Curiæ.

ROMANA SEU VALLIS UMBROSÆ TURNI

INTER

CONGREGATIONEM VALLUMBROSANAM, ET CONGREGATIONEM SYLVESTRINAM;

Responsum pro veritate.

Ordinato turno, seu alternativa super Generalis aliorumque Prælatorum passiva electione inter plures Religiones simul unitas, vel inter ejusdem Religionis provincias, vel nationes, si contingat, quòd Generalis electus decedat, seu ad alium statum assumatur, durante termino suæ prælaturæ, an subrogari debeat alius de eadem Religione, vel provincia, ut turnus pro toto tempore sortiatur effectum, vel potiùs eo jam consumpto, fiat locus turno ad favorem alterius expectantis?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Moriente Generali intra solitum tempus, quid agendum sit.*
3 *An & quando provisio, vel electio consumat turnum, distinguitur.*
4 *Moriente officiali infrà suum terminum, an subingrediatur alter deputatus pro alio termino?*
5 *An mortuo Generali, in creatione novi mutari etiam debeant alii Officiales, & Diffinitores?*
6 *De Cælestino Bruno Episcopo Bojanen. Venusino insigni Theologo.*
7 *Beneficia, & officia Regularia sunt omnia manualia, & obedientialia.*
8 *De consuetudine Regni Siciliæ circa deputationem officialium.*
9 *De turno in Congregatione Olivetana.*
10 *Consuetudo strictè intelligenda est, & non datur extensio.*
11 *In quo consistat jus turnarium.*
12 *Resolutio causæ.*
13 *Quandoque prodeunt resolutiones ex motivis ignotis, & non deductis à partibus.*

DISC. IV.

1 ANtiquiori tempore, nonnis consimilis habitus, ac penè ejusdem Instituti Congregationibus Vallumbrosana, & Sancti Joannis Gualberti, cum quodam turnario in Ordine in Prælaturis inter eas pacificè servato; Censuit tempore moderno Alexand. VII. eisdem quoque unire alteram Congregationem Sylvestrinam, quæ suo eodem turno, de prima prælatura Generalatus, aliisque muneribus participare deberet, ut scilicet singulis trienniis celebrando Capitulum ex tribus Congregationibus constituendum in quolibet ex earum una per turnum Abbas Generalis eligi deberet, qui omnibus præesset; Cùm autem in primo Capitulo ad formã ejusdem unionis celebrato, electus fuisset Abbas Generalis P. Tamborinus, Auctor tractatuum de Jur. Abbatum, & de Jure Abbatissæ, professus Congregationis Vallumbrosanæ, isque ad annum circiter diem clausisset extremum, undè propterea per Cardinalem protectorem ex Pontificio oraculo processum esset ad convocationem Capituli generalis in Urbe; Atque Vocalibus jam congregatis, propè diem ad Capituli celebrationem deveniendum esset; Exorta est difficultas, super passiva electione Generalis, aliorumque Prælatorum, an scilicet subrogandus esset alter professus ejusdẽ Vallumbrosanæ Congregationis, qui suppleret quadriennium à defuncto inceptum, ut ita ista Congregatio ejus turno perfectè gauderet; Vel potiùs eodem turno jam consumpto juxta Ordinem literarum Apostolicarum subintrare deberet turnus Congregationis Sylvestrinæ; Quare desuper tam per dictum Cardinalem Protectorem, quam per universum Capitulum pro veritate consultus fui, ut alios quoque Advocatos desuper consultos fuisse credo.

Respondi incongruam videri consilii petitionem, utpotè re non integra, cum id fieri debuisset, priusquam ad Capituli generalis convocationem cum jam subsecuto coadunationis effectu deveniretur; Tum etenim, ex fundamentis, de quibus infra, probabilius pro suffectione alterius professi ejusdem Congregationis, in locum defuncti responderi debuisset, ut ita intiua præcedentia Capituli generalis ordo in aliis Prælatis non revolveretur pro hujusmodi suffectione facienda per Diffinitorium generale deputatum regimini Congregationum, & pro graviorum negotiorum determinatione, eo modo quo praxis me docuerat in casu enunciato infrà *disc. 6.* quod scilicet mortuo infrà sexennium Ministro Generali familiæ Cismontanæ Minorum observantium, dilata fuit celebratio Capituli usque ad consueti temporis præfinitionem, suffecto interim per Diffinitorium alio Religioso ejusdem familiæ Cismontanæ pro exercitio muneris cum nuncupatione Vicarii Generalis (atque ità rectè adaptabilia essent fundamenta, de quibus infra; Secùs autem, dum jam ad Capituli generalis imminentem celebrationem processum fuerat, cum tunc in puncto juris verius videretur, ut (turno jam consumpto,) electio novi Abbatis Generalis, ex alia Congregatione fieri deberet. 2

In ista etenim quæstione super turnario jure conferendi, vel præsentandi activo, vel respectivè passivo per Beneficialistas disputari solita, atq; in suis respectivè materiis pluries insinuata *sub tit. de benef.* & sub altero *de jurepatr.* Verior, magisque recepta distinctio est, de qua cæteris relatis plenè apud Gonz. *ad reg. 8. glos. 45. §. 3. per tot.* & Rot. *dec. 898. par. 4. divers* cum aliis deductis in præfatis sedibus, quod scilicet; Aut turnaria provisio, vel præsentatio nullum effectum sortita est, non quidem ex casu, sed ex impedimento, quod collator, vel respectivè provisus indebitè passus fuerit, eoque durante contigerit mors naturalis, vel civilis; Et tunc, juxtà unam sententiam, turnus non dicitur cõsumptus, ex regula quòd quelibet dispositio intelligenda est cum effectu, juxtà verò alteram opinionem, instat distinctio, an impedimentum præstitum fuerit ab alio, cui successivus turnus competebat vel à tertio, absque facto, vel culpa ejus qui turnum expectabat; Ut primo casu non intret consumptio, ex regula quòd impeditus, in odium impedientis habetur pro faciente, vel non faciente, prout impedito magis expedit, nè alias impediens, ex propria culpa, vel delicto, commodum reportet; Secùs autem ubi à tertio, ut tunc id cadat sub diversa regula casualis inefficitationis, quæ non impedit turni consumptionem, quamvis provisus beneficii possessionem adeptus non esset, dummodò provisio esset jam perfecta, adeò ut provisus habere diceretur jus in re, non autem actua remaneat in solis terminis præparatoriis, pro futuro jure assequendo juxtà distinctionem de qua *in Calagur. benef. de Bilbao, sub tit. de benef. disc. 70.* Multò vero magis, ac extrà controversiam, ubi provisio, jam plenarium effectum sortita est, etiam cum possessione, & exercitio, per aliquod tempus, cùm isto casu cesset omnis ratio dubitandi. 3

Potissimè verò, quoniam literæ Apostolicæ hunc turnarium ordinem præscribentes, non disponebant, ut quælibet Congregatio integro quadriennio præfinito, inter unius, ac alterius Capituli celebrationem, habere deberet Generalem, aliosque Prælatos, sed in eis disponebatur, ut in Capitulis generalibus pro tempore celebrandis, iste ordo turnarius super passiva electione servari deberet, ideòque attenduntur solùm Capitula generalia, quoties eorum celebratio sequi contingat, tempus autem quadriennii est accidentale, tanquam spatium quod intermediare debet, quatenus aliter casus non præberet. 4

Atque ad id proximè conferri dicebam doctrinam Felin. *in cap. fin. de judic. post n. 4.* & Roman. *in l. fin. C. qui admitt. n. 5.* quod scilicet, stante statuto, vel conventione, ut unus officialis pro primo anno, vel semestri administrare debeat; Alter verò in alio anno, vel semestri subintrare, si casus præbeat, quod primus infra istum terminum deficiat, illicò subintrare debeat alter, non expectato termino, cùm jam turnus in primo consumptus fuerit, terminus autem esset adjectus, cum præsupposito, quod primò electus naturaliter, vel civiliter viveret, ac administrare posset, unde propterea licèt aliqua inæqualitas ita resultaret inter habentes hos jus turnarium, id casui referendum est, qui læsionem non causat. 5

Majorem autem difficultatem inferebat inconveniens, quod resultabat aliis Prælatis, & Officialibus in præcedenti Capitulo electis, quoniam, aut isti continuare debuissent per integrum quadriennium, juxta formam deputationis, & ita revolvebatur ordo celebrationis futuri Capituli, Aut ad novam electionem totius Diffinitorii procedendum erat, & tunc istis jam electis grave præjudicium, ac injuria inferri diceretur, eos removendo à munere infra tempus, absque culpa, vel demerito.

5 Verùm advertebam, quòd hæc difficultas non videbatur considerabilis, quodque potiùs ad integri Diffinitorii novam electionem, juxta consuetam formam Capituli generalis procedendum esset, ita edoctus ab observantia, seu decisione secuta de ann. 1649. in Religione S. Augustini; Cùm etenim in præcedenti Capitulo, pro consueto sexennio, electi fuissent Generalis, & Diffinitores generales, seu nationum Assistentes; Atque ad assistentiam Italiæ electus fuisset insignis Theologus meus concivis Cœlestinus Brunus Auctor *quolibeti* aliorumque operum, qui postmodùm ad Ecclesiam Bojanensem assumptus fuit; Casus autem dedisset mortem Generalis infra sexennium, unde propterea, hujus termini lapsu non expectato, ad Capituli generalis celebrationem deventum esset, processum fuit quoque ad electionem novorum Assistentium, rejecta oppositione eorum, qui in præcedenti Capitulo electi instabant pro continuatione eorum temporis; Atque mihi, licèt more Advocati, ad petitionem dicti concivis, pro antiquis Assistentibus scribenti, justa, benèque fundata visa est resolutio, quoniam quando devenitur ad convocationem Capituli generalis, quod universam religionem repræsentat, ita dissolvi dicitur totum illud corpus politicum, seu intellectuale, quod in præcedenti Capitulo ipsa Religio formaverat, eique suas vices commiserat, efformando ex integro corpus novum constitutum ex Generali tanquam capite, & ex Assistentibus, aliisque officialibus, tanquam membris, ideòque truncato capite, membra inutilia remanent,

6 Eatenus autem antiquorum officialium continuatio locum habere solet, quatenus, expectato consueto termino, pro universæ Religionis convocatione, novique corporis efformatione, alter sufficiatur in locum capitis defecti, quod ita fingitur, ut nunquam formaliter defecerit, mutando solam personam materialem, in eadem persona formali, quæ ex legis fictione, vel operatione adhuc continuare dicitur; Et consequenter non sequitur dissolutio capitis, onde propterea ad novi corporis efformationem procedere oporteat,

7 Potissimè verò quia ut advertitur *sub tit. de benef.* pluries præsertim *disc.* 97. ac etiam infrà *disc.* 6. omnia officia, & beneficia regularia sunt manualia, & obedientiaria, neque provisis invito superiore, continuationem prætendere possunt, quamvis pro stylo eadem officia vel beneficia, ad vitam, vel ad certum tempus retineri solita essent, ut contingit in Dignitatibus, & Commendis Hierosolymitanæ Religionis, quoniam non per hoc tollitur manualis, seu obedientiaria qualitates, quæ oritur ex voto obedientiæ, quod regulares profitentur,

8 Atque hinc resultare dicebam responsionem ad ea, quæ pro continuatione ejusdem Congregationis facere videbantur, & præsertim ea quæ habentur apud Mastrill. *de Magistr. l. 2. cap. 7. n. 75.* ubi agendo de stylo Regni Siciliæ ultrà Pharum, ut in comitiis, quæ singulis statutis temporibus celebrantur super deputatione Judicium magnæ Curiæ, & Consistorii, cum hoc turnario ordine inter tres Civitates, vel partes, in quas illud Regnum divisum est, Panormitanam scilicet, Messanensem, & Catanensem, cum suis respectivè anneais, quòd scil. si contingat, ut intermedio tempore, inter una, & alia comitia decederent aliqui officiales, eorum loco subrogatio fieri debet ex eadem Civitate, vel Natione, ex qua erant defecti: Quoniam id rectè procedere dicebam eò quia, juxta suprà insinuatum exemplum Religionis Minorum observantium, hæc suffectio non fit à comitiis generalibus, denuò congregatis, sed per Protegem, cum consilio eorum, qui juxtà laudabiles illius Reges consulendi sunt, unde propterea continuare dicitur eorundem officialium persona formalis, mutata solùm persona materiali,

9 Magis autem proximè obstare videbantur ea, quæ habentur apud Vermigliol. *cons.* 164. *& seq.* ubi agendo de Olivetana Congregatione, in qua electio Abbatis Generalis singulis trienniis est turnaria inter sex provincias, juxtà ordinem per ejus Constitutiones præscriptum, ut scil. deficiente Generali jam electo infra triennium, subrogari debeat in ejus locum, usque ad triennii complementum alter religiosus ejusdem provinciæ, quoniam id rectè procedit per viam subrogationis faciendæ à Diffinitorio tantum, non autem ubi novi Capituli generalis formalis convocatio sequatur;

Sive ubi etiam in casu hujus convocationis, in ea Congregatione ita servaretur, id referendum est particulari consuetudini, cujus extensio in jure non datur, sed attendi debet in casu præciso, ac individuo, in reliquis autem procedendum est cum dispositione, vel ratione juris communis juxtà celebre, ac receptum *cons.* 237. Oldradi, ex deductis apud Mantic. *dec.* 357. Gregor. & Add. *dec.* 44. *&* 162. *dec.* 178. *&* 304. *p.* 12. *rec.* & habetur pluries in omni ferè materia, præsertim *in Majoricem. Canonicatus sub tit. de benefic. disc.* 30. 10

Licèt enim *Vermigliol.* potissimum fundamentum constituere videatur in motivo servandi æqualitatem, procedendo cum propositionibus, seu axiomatibus generalibus; Attamen istud pro meo judicio videbatur debile fundamentum tam docto viro parum dignum, quoniam æqualitas consistit in ordine turnario servando in Capitulis generalibus, quoties ea celebrari contingit, dum juxtà regulas beneficiales magis proximas, & in hac materia attendendas, turnus consumi dicitur per effectuationem electionis, non curata ineffectuatione exercitii per consuetum tempus ob impedimentum, quod à casu resultet. 11

Quamvis autem in puncto juris, ita probabiliùs respondendum mihi videretur; Auditis tamen motivis, ex quibus Cardinalis protector erat in sensu, ut electio Generalis cadere deberet in persona religiosi professi ejusdem Congregationis Vallumbrosanæ stante consensu alterius S. Joannis Gualberti, eundem sensum laudavi, atque ita secutum fuit, eò quia cùm experientia docuisset, quòd hæc nova unio Sylvestrinæ Congregationis, ob habitus, ac etiam Instituti, & morum difformitatem, dissentiones, ac inconvenientia potiùs producebat, neque sequebatur ille bonus finis, ob quem Pontifex ad hujusmodi unionem devenerat, idem Pontifex jam in animo determinaverat ad dissolutionem procedere, ut illinc ad aliquod tempus sub Clemente successore, voluntatis prædecessoris benè conscio, ad consultationem Sacr. Congr. Episcoporum, & Regularium secutum fuit juxtà deducta *disc. seq.* 12

Atque inde edocemur id, quod benè observat Rovit. *dec.* 29. *n.* 13. quòd scilicet per magna præsertim Tribunalia, vel supremos Magistratus, frequenter prodeunt resolutiones, ex motivis, quæ ipsilmet Partibus obtinentibus, vel earum Advocatis ignota sint; Subsecutus etenim eventus divisionis, justam, ac prudentem comprobavit hanc resolutionem, quæ tunc, illis Curialibus, qui cum regulis legalibus solùm procedebant, parùm probabilis visa fuit. 13

EADEM SEU VALLISUMBROSÆ DIVISIONIS

INTER

EASDEM CONGREGATIONES.

Casus reservatus per Sac. Congregationem Episcoporum, & Regularium pro divisione.

An, & quando procedi debeat ad dissolutionem jam factæ unionis, plurium Religionum, seu Congregationum?

SUMMARIUM.

1 *Facti series,*
2 *Quando unio Religionum dissolvenda non sit.*
3 *Novitates sunt prajudiciales, ideoque non de facili admittenda,*
4 *Dismembratio, vel divisio Ecclesiarum, vel corporum Ecclesiasticorum, est species alienationis prohibita,*
5 *Quando non intret conclusio, de qua n. 2. atque unio dissolvenda sit,*
6 *Quod leges, & provisiones Principum debeant revocari, ubi praxis eas doceat præjudiciales,*
7 *Principi est replicandum, neque ejus provisiones tertio præjudiciales sunt exequendæ,*
8 *Quando provisio reducitur ad injustitiam, vel alia producit inconvenientia, est reformanda,*
9 *In communione nemo vivere tenetur, atque contrarium præceptum sperni potest.*
10 *Unio duarum Universitatum super pascuis est quandocunque dissolubilis,*
11 *In specie dissolutionis unionis Religionum,*
12 *Dantur exempla plurium dissolutionum unionum Religionum,*

12 De

DISC. V.

1 EXperientia docente, quod unio istarum Congregationum, effectus produceret diversos ab iis, qui sperabantur, idem Alexander VII. qui eam fecerat, in animo concepit ad dissolutionem procedere, quòd tamen morte præventus, perficere non potuit. Quare instantibus duabus Congregationibus Vallumbrosana, & S. Joannis Gualberti, neque Silvestrina dissentiente, positivum tamen consensum non tribuente, pro eadem dissolutione supplicatum fuit Clementi IX. immediato successori, qui licèt voluntatis prædecessoris benè conscius esset, attamen ex motivo honestatis, & ne vulgus crederet, quòd prædecessoris gesta revocaret, negotium (pro frequentiori stylo) remisit consulationi Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, ex cujus voto id secutum fuit, cum Partium acquiescentia.

2 In propositione autem causæ, cùm duo essent puncti, unus scilicet prudentiæ, vel honestatis, super clerì retractatione eorum, quæ à prædecessore gesta fuerant, & alter joris, an scilicet ad dictam dissolutionem procedendum esset; Hinc proindè super utroque pro parte dictarum Congregationum petentium divisionem scribendo.

3 Quatenus pertinet ad primum, dicebam, quòd tunc aliqua probabilis difficultas cadere posset, quæ in alterum punctum quoque influeret, quando ageretur de divisione, vel de dismembratione ejusdem Religionis sive etiam duarum, quæ antiquo unitæ, per pacificam observantiam; ita simul coagulatæ, seu conglutinatæ essent, quod apud populum, seu vulgus, antiquæ diversitatis ignarum, id scandalum, vel novitatem considerabilem causare posset; Tunc etenim circumspectè procedendum est; Tum ex dicto motivo, ut non de facili retractanda sint gesta per prædecessorem; Tunc etiam ex generali axiomate, quòd novitates frequentiùs esse solent perniciosæ, neque regulariter immutanda sunt quæ longa observantia dedit, ex deductis *sub tit. de præminent. disc.* 30. & alibi.

4 Ac etiam quia divisiones, vel dismembrationes Ecclesiarum, vel corporum Ecclesiasticorum, speciem formalis alienationis redolere dicuntur, adeòut cadant sub dispositione *extravag. Ambitiosa*, omnesque, ac fortè majores solemnitates exigunt, cum justæ causæ, necessitatis, vel utilitatis requisito, eo modo quo in formalibus alienationibus desideratur, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Orthob. *dec. 6. & dec.* 224. *p.* 10. *rec.* & frequenter ut advertitur in sua materia *sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc.* 1. *& sub tit. de benef. disc.* 42. *cum seqq.*

5 Hæc autem omnia, in hac facti specie cessabant, quoniam unio erat valdè recens, istaque Silvestrina Congregatio aliis duabus adjuncta, diversitatem habitus adhuc retinebat, cum Instituti etiam, ac moris vivendi diversitate, adeòut esset solum quædam unio intellectualis, cujus praxis habebatur tantùm apud ipsos Religiosos in Capitulo generali; Vulgus autem, seu populus id ignoraret, easque tanquam diversas, ut priùs crederet; Ideòque experientia præbente, etiam circa ipsa initia, quòd unio potiùs malos produceret effectus, exinde resultare dicebam, quòd omnes juris, ac prudentiæ, & congruentiæ regulæ exigerent, ut procedendum esset ad dissolutionem ab ipsomet Authore destinatam.

6 Cum etiam Principes, aliique Reipublicæ directores, tanquam homines, futurorum præscientiam habere non valeant; Frequens autem experientia doceat, ut ea, quæ ad salutare remedium Reipublicæ, vel proficuum finem diriguntur, diversum quandoque producant effectum. Hinc proindè, quando id sequi contingat, prudentiæ potius adscribitur, mutare consilium in melius, ad notata per Canonistas *in cap. notavit de Judic.* cum Concordantibus relatis per Galeot. *respons. fisc.* 23. Rovit. *super pragm.* 1. *de gratiar. revocat.* Add. *ad dec.* 2. *p.* 3. *rec. n.* 237. & habetur præsertim *sub tit. de Regal. disc.* 148. ubi de materia potestatis Principis tollendi jus tertii, ac revocandi privilegia, vel alia, quæ a seipso, vel prædecessore gesta sint.

7 Quinimò, ut *eod. disc.* 148. habentur, etiam ejusdem Principis magistratibus, ac ministris conceditur denegare executionem eorum, quæ ab ipso Principe demandata sint, eique etiam pluries replicare, donec melius certioretur, ut retractet, cùm ad id agendum potius teneatur, si non ea vi

Card. de Luca, Lib. XIV.

coactiva, quam Princeps non agnoscit in iis, quæ sunt juris positivi, ex vi tamen directiva.

Quo verò ad secundum punctum legalem, deducebam ea, 8
quæ infrà *sub tit. de decim.* plures insinuantur ad materiam text. *in cap. suggestum, de decim.* ac etiam alibi, præsertim *sub tit. de empt. & vend.* ac *sub altero de alien. & contr.* quòd scilicet, quando sive sit privilegium, sive sit contractus, tractu têporis ad talem reducatur statum, quod injustitiam, vel nimiam læsionem redoleat, sive alia convenientia producat, tunc retractationi, vel moderationi locus esse debet.

In idem quoque ponderando ea, quæ generaliter in jure 9
habemus de necessaria societate, vel communione non permittenda, adeout, etiam testatorum præcepta de non dividendo sperni valeant, quoties ex justo motivo, restrictionem non habeant ad certam ætatem, vel certum tempus ad notata *in l. nemo potest, ff. de l.* 1. cum Concordantibus per Rotam *dec.* 241. *n.* 33. *p.* 5. *rec.* Adeòut non desint Canonistæ, & Morales volentes, ut etiam juratæ conventiones de non dividendo, ac permanendo in communione, non sint obligatoriæ.

Et de unione duarum Universitatum, seu Communita- 10
tum, super promiscuo usu pascuorum, & territorii, ut una partium petente, debeat esse quandocumque dissolubilis, habetur apud Rovit. *super pragm. in Rubr. de pascuis*, *n.* 18.

Ac in specialibus terminis dissolutionis unionis aliquo- 11
rum Monasteriorum, quando dignoscatur, quod unio sit præjudicialis, vel inconvenientium productiva, cæteris relatis firmatur per Rotam *dec.* 65. *p.* 1. *rec.* quæ reputatur in hac materia magistralis.

Deducebam quoque plura exempla dissolutionum hujus- 12
modi unionum, per Pontifices prædecessores factarum, & præsertim, cùm Clemens VIII. & Paulus V. univissent duas Congregationes Somascam scilicet, & illam Doctrinæ Christianæ, ob inconvenientia, quæ praxis docebat ex tali unione resultare, Innoc. X. eam dissolvit, ut testatur Fagn. *in cap. novit. de jud. vac. n.* 43. *ubi n.* 40. *& seq. & in cap. sane, de Reg. n.* 64. testatur de dissolutione consimilis unionis alias factæ, Congregationis Montis Coronæ, & alterius Congr. Camaldulensium Eremitarum, cum aliis pluribus exemplis, quæ insinuabantur, non solum circa dissolutionem unionis plurium Religionum, vel Congregationum, quæ verè ac de facto antiquitùs essent diversæ, sed etiam in eadem Religione, quando diversa vivendi forma, laxior, vel respectivè strictior in ea irrepsisset.

Atque inter plura exempla valdè frequentia, insinuabam 13
præsertim illud Religionis Santi Francisci juxta ejus historicam seriem enunciata *sub tit. de praemin. disc.* 11. occasione agendi de controversia habita in Rota inter PP. Observantes Conventus S. Mariæ Angelorum, & PP. Conventuales Sacri Conventus Assisii, super oblationibus, quæ fiant in die Portiunculæ.

Quòd scilicet, fundata per S. P. Franciscum Religione Minorum, in summo statu paupertatis, per quandam speciem vitæ eremiticę, seu anachoriticæ, extra dictæ Civitatis Assisii ejus patriæ mœnia, in loco, qui *Rivus tortus* dicitur, ita circa ea prima tempora religiosis anachoritico more viventibus in speluncis, vel capannis; Postquam magnifico, peneque Regio sumptu, constructus fuit intus eandem Civitatem dictus Conventus, (qui proinde tanquam primus per antonomasiam *Sacer* appellatur, unde propterea ex tunc irrepsit nomen Conventualium, distinguendo scilicet alios, qui in speluncis, vel capannis vivebant, introductoque postmodùm usu studii sacrarum literarum, & concionum, quarum primus professor fuit Sanctus Antonius, qui vulgò Patavinus dicitur; Hinc proindè, ex Apostolicis privilegiis, pro sacrarum literarum meliori cultura, ex qua majus Ecclesię Catholicę servitium resultabat, relaxatus fuit primęvi Instituti usus, ac regulæ fundamentalis observantia, multis circa eandem regulam in illis temporibus habitis etiam scandalosis quæstionibus per Sedem Apostolicam decisis *in c. exiit, de verb. signific. in* 6. *& in Clementina exivi, eodem tit.* Quare tractu temporis, aliqui Religiosi prioris Instituti, ac regulæ fundamentalis zelantes, in eodem Sac. Conventu Assisii, aliisque partibus, juxta illud, non curatis privilegiis dispensativis vivere cœperunt, quorum author, vel unus ex illis primis Observantibus reputatur S. Bernardinus Senensis; (Unde propterea Observantium nomen irrepsit distinctivè ab aliis in antiquo Conventualium vocabulo continuantibus) Verùm quia hæc diversa vivendi forma in eodem loco, tractu temporis dissensiones, ac inconvenientia producebat, Hinc proindè, sub eorundem Superiorum obedientia, per solum modum diversæ materialis habitationis,

nulla data formali divisione, illi, qui juxta rigorosam regulæ observantiam vivere volebant, assignata fuit Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum, quæ tunc erat membrum, ac de pertinentiis dicti Sacri Conventus; Quia verò dicti Observantes nimiùm creverant, atque ista materialis separatio non suffragabatur, ideircò sub Leone X. processum fuit ad formalem separationem, etiam cum diverso Generali, ut patet ex ejus Constit. 23. insinuata etiam *disc. 7.* occasione agendi de Religiosis tertii Ordinis.

14 Et in nostro sæculo, in ipsamet Religione Conventualium, sub quorum regimine, ac obedientia vivebant alii ejusdem strictioris observantiæ professores, *Cappuccini* nuncupati; Cùm inconvenientia in dies resultarent ex unione personarum agentium diversam vitam; Hinc proindè sub Paulo V. de anno 1617 ad formalem separationem cum omninò distinctis Generalibus, aliisque Prælatis processum fuit.

15 Quinimò inter ipsosmet Observantes, ut supra, per Leonem X. divisos, cum tot majoribus prærogativis; Cùm antiquus rigor aliquam accepisset relaxationem, atque ad instar ejus, quod ut supra inter Conventuales gestum fuerat, aliqui strictiorem vitam ad præcisam formam regulæ ducere cœpissent per quandam speciem reformationis, ideoque *Reformatorum* nomen irrepsit sub eisdem tamen Prælatis, & Superioribus. Ideircò sub Urbano VIII. firmo solùm remanente Ministro Generali, qui promiscuè ex uno, vel altero Ordine eligi solet, Provincialium, ac Provincialium, aliorumque Prælatorum formalis divisio secuta fuit, remanente quæstione super libero transitu de uno Ordine ad alium, ut infra, *disc. 37.* Igitur multò magis in isto casu.

ROMANA PROROGATIONIS OFFICII

PRO P. BONAVENTURA CABALLO

CUM OPPOSITORIBUS.

Casus disputatus in Congregatione particulari, resolutus pro P. Bonaventura.

De alternativa inter Minores observantes nuncupatos de Familia, & Minores observantes reformatos Familiæ Cismontanæ in Officio Commissarii Generalis, quando Minister Generalis est de familia ultramontana, diviso inter ipsos Ordines sexenni tempore, An eidem alternativæ præjudicatum dicatur, si ille, qui pro primo triennio dicto muneri præfectus est, prorogationem Apostolicam pro alio triennio habeat? Et an ex isto capite, prorogatio subreptitia dicenda veniat?

SUMMARIUM.

1 *De alternativa in Prelaturis in Religione Minorum Observantium.*
2 *Facti series, cum resolutione casus.*
3 *De materia invaliditatis gratiæ ex defectu subreptionis, vel defectu intentionis.*
4 *Quando intret regula de jure tertii quæsito non tollendo.*
5 *Quod inane sit cumulare allegationes in conclusionibus planis, & receptis.*
6 *Omnes quæstiones hodie videntur sopitæ, atque difficultas est in applicatione.*
7 *Materia subreptionis, vel obreptionis est arbitraria pro facti qualitate decidenda.*
8 *Quomodo concepta sit alternativa, de qua n. 1.*
9 *Quando quis ratione turni, vel alternativa, aut qualitatis rationalis habere dicatur jus quæsitum in beneficio.*
10 *Prorogatio, sive gratia, nè expiret jus alicujus, non tollit jus alterius.*
11 *In facultate transferendi pensionem super beneficio de jurepatronatus non est facienda ejus mentio.*
12 *Idem in facultate retinendi, non obstante mutatione status incompatibilis.*
13 *Sive in retentione beneficiorum de jurepatronatus.*
14 *De gratiis expectativis, vel de investituris abusivis, ut non impediant resignationes, & alienationes.*
15 *Quando prorogatio temporis tollere dicatur jus quæsitum tertio.*
16 *De distinctione quando officium prorogatum sit idem, vel diversum.*
17 *De eadem materia prorogationis non præjudicantis alternativæ.*
18 *De præjudicio resultante à legitimatione illegitimorum, vel dispensatione inhabilium.*
19 *Fidejussor officialis ad certum tempus, non obligatur pro tempore prorogato.*
20 *De ratione cui innixus est ordo turnarius, sive alternativa.*

DISC. VI.

Ttenta alernativa in hac Religione introducta super celebratione Capituli Generalis, ac electione Ministri Generalis, ut scilicet in uno sexennio Capitulum celebretur ultra montes, ibique electio Ministri Generalis cadere debeat in Religioso familiæ Cismontanæ, & in alio celebretur intra, seu citrà montes, & è converso electio dicti Ministri cadere debeat in ultramontanum; Quando iste secundus casus contingit pro familia Cismontana, tunc ex eadem eligitur alter Prælatus, cui Commissarii generalis nomen, (ad differentiam Ministri) tribuitur, quòd etiam in casu converso, pro Hispania, aliisque ultramontanis partibus sequitur juxta quæstionem inter Ministrum Generalem, & Commissarium disputatam per Rot. *decis. 577. 584. & 598. p. 5. rec.* 1

Quamvis autem inter duos Ordines Observantium, & Reformatorum, hanc Religionem æquè constituentes, eadem dignoscatur habilitas super electione passiva; Attamen cùm id præsertim in hac cismontana familia aliquam æmulationem, & inconvenientia produceret; Hinc proindè in Capitulo generali celebrato de anno 1664 super isto munere Commissarii generalis, pro bono pacis concorditer statuta quoque fuit divisio per turnum, ut scilicet una vice Commissarius esse deberet de Familia, & in altera Reformatus, vel è contra.

Cùmque casus dedisset, quòd in primo triennio electio facta in Capitulo generali secuta esset in persona insignis Concionatoris P. Bonaventuræ Caballi Reformati atque imminente lapsu triennii, Alexander VII. motu proprio prorogationem officii ad aliud triennium, atque usque ad futuri Capituli generalis celebrationem illi concessisset; Hinc acriter se opposuit alter Ordo, ob præjudicium, quod sibi resultabat, circa dictam alternativam, cujus respectu hæc prorogatio subreptitia, atque invalida prætendebatur, Unde propterea deputata particulari Congregatione, atque puncto acerrimè disputato, prodiit resolutio super prorogationis validitate; Ad consulendum tamen inconvenientibus, quæ ex hujusmodi scissura oriri posse prævidebatur, idem P. Bonaventura (ejus meritis ita quoque exigentibus) provisus fuit de Ecclesia Casertana, unde propterea vacante officio, in eo deputatus fuit pro dictæ alternativæ observantia, Religiosus alterius Ordinis Familiæ. 2

In disputationibus autem desuper habitis, Scribentes pro oppositoribus deducebant præfatæ Apostolicæ provisionis subreptionem, ac invaliditatem ex eo, quòd non contineret derogationem regulæ de jure tertii quæsito non tollendo; Ac etiam insistebant in consuetis generalitatibus, quæ adversus Principis gratias, ac provisiones deduci solent, ut scilicet regulariter sub se contineant præservationem juris tertii, ob præsumptionem generalem, quòd Princeps non censeatur voluisse præjudicare tertio, juxta ea, quæ in foro habemus quotidiana in materia obreptionis, vel subreptionis, seu defectus intentionis, ratione taciturnitatis eorum, quæ Principem retraxissent, vel difficiliorem reddidissent, cum similibus. 3

E converso autem, ego & alii pro hac parte scribentes, insistebamus quoque in aliis generalitatibus; Primò scilicet, quod dicta regula de jure tertii quæsito non tollendo non intrat in gratiis de sui natura præjudicialibus; Secundò, quòd ad evitandum defectum subreptionis, vel obreptionis, vel defectu intentionis sufficit generica cogitatio, seu probabilitas, quòd Princeps potuerit cogitare, istaque probabilitas adesse videbatur, dum factum erat recens, quòd scilicet idem Pontifex Statuta edita in dicto proximo Capitolo generali in forma specifica confirmaverat, & tamen in literis super ista confirmatione editis, amplissimæ continebantur derogatoriæ quorumcunque in contrarium obstantium cum specifica mentione Statutorum Religionis, quæ Apostolica authoritate munita essent; Et tertiò clariùs, quòd non ageretur de gratia ad Patris supplicationem, sed de illa motu proprio, quæ non subjacet defectui sobreptionis, vel obreptionis. Atque super prædictis conclusionibus hinc inde deductis, fiebant consueti allegatio- 4

num 5

num cumuli hodie verè inanet, & inepti, utpotè super valde notis, ac receptis conclusionibus, de quibus pluties habetur sub diversis materiis, præsertim verò in sua peculiari sede *sub tit. de judic.* occasione agendi de executione literarum Apostolicarum, & quænam illis impedimentum præbere soleant, adeòut nullæ videantur cadere quæstiones juris, sed illæ sint solùm facti, & applicationis.

6 Advertebam tamen, quòd istæ essent generalitates pro meo sensu in causis decidendis non de facili attendendæ, ubi solæ sint, ideòque cum eis tantùm procedendum non est, quoniam omnes ferè legales quæstiones, quæ apud nostros majores erant nimiùm involutæ, atque hinc indè habebant sequaces quasi per classes divisos, hodie per Tribunalium decisiones videntur benè sopitæ, statuta scilicet pro regula, ea opinione, quæ magis communis, ac recepta visa sit; Altera verò opinione recepta pro limitatione, ac proptereà, ut plurimùm omnes juris propositiones, quæ per Advocatos hinc indè deduci solent, generaliter, ac in abstracto sunt veræ, fallacia verò est in applicatione, quæ regulanda est ea particularibus facti circumstantiis.

7 Præsertim verò in hac materia subreptionis, & obreptionis, vel defectus intentionis tollendi jus tertii, quoniam quidquid aliqui involvant; Verius est, atque frequentius per Rotam firmatum, ut ista sit quæstio nudi facti, & voluntatis, & consequenter arbitrii ideòque non apta recipere certam regulam generalem cuicunque casui applicabilem, eùm potiùs justa generalem naturam quæstionum voluntatis, decisio in singulis casibus ex eorum peculiari qualitate pendeat, ex adeò frequenter in omni penè materia infinuatis.

8 Quare præmissis dictis generalitatibus, quæ pro ornatu scripturæ, juxta currentem stylum cum superfluis allegationibus comprobabantur; Atque descendendo ad magis specialia, quæ pro meo sensu oppositionem improbabilem reddebant; Advertebam in primis, quòd dictum Statutum Religionis non habet præfinitionem certi temporis, quia nempè dicat, ut diviso inter istos Ordines sexennio, pro uno triennio deberet esse unus, & pro alio triennio alter, & quo casu aliqua probabilis dubitandi ratio cadere potuisset, sed dicitur per verba præcisa, *quod una vice eligatur Commissarius generalis cismontana familia ex Reformatis, altera vero vice ex Observantibus;* Et sic præscribitur solùm circa passivam electionem, illa lex turnaria, de qua habetur in *præcedentibus*, ut scilicet quoties contingat electionem fieri, talis ordo servari debeat, ne possint eligentes illum pervertere; Id autem non importat aliquod jus formatum, quod quæsitum sit certæ personæ, unde proptereà intrare possit dicta regula de jure tertii quæsito sed solùm importat quandam majorem aptitudinem, ut scilicet illi de uno Ordine solùm dicantur Candidati super quibus cadere debeat electio passiva, non autem illi de altero.

9 Ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de benefic. disc.* 70. quando scilicet dicatur quis habere jus quæsitum ob qualitatem patrimonialem, sive ob illam sanguinis, seu de certo genere habente juspatronatus passivum, seu privilegium; ut intra illud præsentatio, vel provisio cadere debeat, quoniam id non tribuit jus formatum alicui, neque in re, neque ad rem, sed solùm quandam spem, seu majorem aptitudinem, quando contingat præsentationem, vel provisionem fieri debere.

10 Ideòque si Papa, vel alter, qui ad id sufficientem habeat potestatem, occurrat vacationi, atque impediat, nè illa sequatur, adeòut prior provisio, quæ aliàs de jure cessare debuisset, per protogationem termini, vel per remotionem obstaculi, continuet, tunc non dicitur tolli jus activum, vel passivum præsentandi, vel eligendi, seu conferendi, sed dicitur solum impediri nè fiat casus vacationis, ob quem dictum jus exerceri deberet; Ideòque magna differentia est inter casum, & alterum.

11 Ad quod comprobandum deducebam ea, quæ habentur *sub tit. de pensionibus*, præsertim, *disc.* 58. quòd licèt super beneficiis, quæ sint de Regio jurepatronatus, non soleant reservari pensiones absque patroni consensu; Attamen in facultate transferendi pensiones jam reservatas, iste consensus non desideratur, quoniam non dicitur imponi, seu reservari nova pensio, sed mutata solùm persona manentiali, eadem pensio continuat.

12 Sive ea, quæ habentur *eod. tit. de pension. disc.* 1. & in aliis quòd licèt in reservationibus pensionum super Ecclesiis Metropolitanis, vel Cathedralibus requiratur derogatio Concilii Generalis Lateranensis, vel respectivè alia derogatio, sive alicujus consensus desideretur; Attamen id non requiritur in indulto, quod concedatur pensionatio retinendi pensiones, matrimonio, vel bigamia, seu militia, aut professione in Religione, non obstante, quoniam non est pensionem conferre, vel reservare, sive Ecclesiam novo onere gravare, sed solùm removere obstaculum futuræ extinctionis, quæ alias ex tali statu incompatibile de jure resultare debuisset, ita occurrendo per quandam speciem remedii præservativi, unde proptereà eadem antiqua pensio continuet jure suo primævo.

Idemque habetur *sub tit. de jure patron*, præsertim *disc.* 13
66. quòd licèt regulariter invalidæ sint provisiones, quæ fiant beneficiorum de jurepatronatus laicorum, absque istius speciali mentione, ac derogatione; Attamen si possessori beneficii de hoc jurepatronatus, etiam Regio (quod in hac parte saltim de facto est magis privilegiatum, quoniam illi derogari non solet) promoto ad Episcopatum, vel assumenti alium statum incompatibilem, ob quem beneficii vacatio sequi deberet, concedatur indultum retinendi incompatibilia, non requiritur consensus patroni, vel derogatio jurispatronatus, neque intrat ratio præjudicii, quoniam dispensatus nihil obtinet de novo, sed solùm ei removetur obstaculum; Adinstar illius, qui ex potentia supernaturali impediret, ne moreretur ille, qui pro naturali cursu tunc mori debebat, quoniam conqueri non potest ille, qui per talem mortem tanquam de genere vocato, obtinere debuisset officia, vel beneficia per hunc moriturum possessa, quoniam non est tollere jus expectanti, sed principaliter concedere beneficium morituro, nè moriatur, ut ita vivendo continuet in retentione eorum, quæ jam habebat.

Ut etiam in proposito habentium gratias expectativas, 14
de beneficiis, vel officiis vacaturis per cessum, vel decessum possessoris, ut præsentationes ad favorem, vel permutationes non dicantur tollere jus habentis hujusmodi gratiam, sed solum impedire, seu differre, nè sequatur casus, advertitur in sua materia *sub tit. de benefic.* præsertim *disc.* 40. Ac etiam *sub tit. de Regalibus* ad materiam officiorum *disc.* 3. & *sub tit. de emphyt. disc.* 1. in proposito investituræ præventivæ, seu abusivæ, cum similibus.

Igitur in hac materia, prorogationis officii, vel alterius 15
juris, quod quis habeat, atque alter speret, vel expectet, in duobus casibus advertebam, quòd adesse potuisset considerabile præjudicium juris tertii, unde proptereà intraret dicta regula de jure tertii quæsito, &c. Primò scilicet ubi in præcedenti Capitulo Generali jam facta esset electio utriusque Commissarii, cum distinctione, ac præfinitione temporis, quod scilicet pro primo triennio exercere deberet Reformatus, & pro altero ille de Observantia, quoniam tunc uterque diceretur officialis jam deputatus ab initio, atque ambo haberent coæquale jus quæsitum habituale in officio, diviso solum exercitio, juxta illam turnariam divisionem in exercitio juris insolidum pluribus coæqualiter competentis, & de qua habetur pluries *sub tit. de jurepatron.* ac etiam *sub tit. de feud. disc.* 8. ideòque prorogatio termini contineret præjudicium formale in jure jam quæsito.

Et secundò ubi prorogatio officii pro majori termino concederetur post jam elapsum terminum, quoniam tunc diceretur nova concessio officii ex integro, atque ille reputaretur novus, ac diversus officialis, & consequenter de directo violaret alternativam, secus autem termino adhuc durante, juxta receptam distinctionem Bartoli Baldi, Romani, Castrens. & aliorum *in l. dies cautioni*, *ff. de damn. infect. & l. sed si manente ff. de precar.* Unde proptereà præsertim Castrens. *in d. l. dies cautioni*, *n.* 2. in specie advertit, quòd si officium de sui natura duraturum erat ad biennium, eoque adhuc durante Princeps, vel alter habens sufficientem potestatem, illud proroget ad aliud biennium, tunc erit unum, & idem officium, perinde ac si ab initio illud collatum esset ad quadriennium, cùm ista sit natura prorogationis, quæ obveniat re integra, atque per viam continuationis non interruptæ; Ut in terminis officiorum firmant Apont. *de potest. Prorег. tit. de divers. provision. in Rubr. de potest. sub tit. in officio*, *n.* 7. Larre. *allegat.* 50. *n.* 108. *in fine*, Mastrill. *de Magistrat. lib.* 1. *cap.* 28. *n.* 68. Rovit. *cons.* 104. *n.* 12. *lib.* 2. Staiban. jun. *resol.* 59. *num.* 40. & cæteri plenè collecti per Noguerol. *allegat.* 21. & Salgad. *in labyrint. p.* 2. *cap.* 27. *n.* 62.

Et in specie prorogationis, quæ esset præjudicialis alter- 17
nativæ statutæ inter provincias, vel nationes, super passiva electione Ministri Provincialis Regularium habetur apud Barbos. *vot.* 47. *n.* 91. *& seqq.* Et benè ad rem conferunt ea, quæ habentur apud Marcell de Maur. *alleg.* 10. quòd scilicet si pro quolibet parlamento statutis temporibus habendo eligi do-

gi debeat Syndicus, cum alternativa, seu cum ordine turnario, inter plures Civitates, vel Provincias, sive inter ejusdem Civitatis plateas, vel contratas, tunc si differatur parlamentum ad aliquod tempus ultra consuetum, dutat idem Syndicus, neque exinde præjudicatum dicitur alternativæ, cum similibus.

18 Et benè conferunt quoque ea, quæ habentur *sub tit. de fideic.*& alibi pluries,& præsertim *sub tit. de Regal. disc.*148. in materia legitimationis naturalium sive dispensativæ habilitationis aliàs inhabilium,ut præsertim contingit in electicis super successione feudorum, circa dictam distinctionem habilitationis præventivæ, priusquam fiat casus successionis, & quando alteri jus quæsitum dici non potest, ac alterius, quæ sequatur post jam factum casum, & jus quæsitum.

19 Tunc etenim, ut advertunt superius allegati,præsertim Castrens. *in dict.l. dies cautioni, n.* 2. cum aliis per Marcell. de Maur. *dicta alleg. to.n.* 8. & 9 etiam ex prorogatione, quę re integra,durante adhuc primo termino fiat tertius lędi dicitur,atque suum jus tolli,quando fieret major ejus obligatio, seu positivè deterior efficeretur ejus conditio;Putà (juxta exemplum quod tradit Castrens.) quòd quis fidejusserit pro officiali ad certum tempus, putà ad annum, vel biennium, quoniam tunc, licet tempus prorogatum re integra,primo tempori inesse dicatur, atque reputetur unum, & idem, non tamen id præjudicare debebit fidejussori, qui ad primum tempus suam obligationem restrinxit; Ut præsertim habemus de fidejussore conductoria, ut non remaneat obligatus pro reconductione *sub tit. de locat. disc.* 36. cum similibus, in quibus eadem intrat ratio, ideòque punctus est, quòd prorogatio non inducit novum terminum, sed solùm impedit nè primus terminus expiret, ut bene habetur per Rotam, *dec.* 21. *de praeben. in nov. n.* 5. & 8. ideòque justa, benèque fundata visa est resolutio.

20 Ponderando etiam rationem, ob quam hujusmodi alternativa, sive ordo turnarius in passiva electione in Religionibus statui solet, ad tollenda scilicet monopolia, & nè superiores pro tempore, assumendo ad officia, & prælaturas personas ejusdem Provinciæ, vel nationis, aut Ordinis, à quibus pendet futura electio, ita supplantarent alios, atque perpetuò redderent in una natione regimen Religionis, ut per Fagnan. *in cap. cùm dilectus, de consuet.* & Rota *d. dec.* 65. *part.* 1. *rec.* Ista etenim ratio cessat his casibus, in quibus accidentalis prorogatio, vel provisio, aliàs quàm per electionem sequatur; Et conferunt quæ habentur supra, *disc.* 3. & in aliis *hoc eod. tit.*

ROMANA JURIS VISITANDI

PRO

MINISTRO GENERALI ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM,

CUM

VISITATORE GENERALI, ET RELIGIONE PP. TERTII ORDINIS ITALIÆ.

Casus disputatus in Congregatione particulari deputata, non resolutus.

De Jurisdictione Ministri Generalis Minorum Observantium visitandi PP. Tertii Ordinis Italiæ, & confirmandi Visitatorem generalem à Capitulo ejusdem Ordinis eligendum, An, & quomodo procedat?

SUMMARIUM.

1 *De origine, progressu, & institutione Tertii Ordinis Sancti Francisci.*
2 *Jus, seu facultas visitandi, an amittatur per longaevum non usum?*
3 *Declaratur quando id procedat, & quando non.*
4 *Quando dicatur adesse mala fides impeditiva praescriptionis.*
5 *Quando procedat conclusio, quòd jus superioritatis non praescribitur.*
6 *De eadem materia praescriptionis juris superioritatis, & jurisdictionis.*
7 *Actus visitationis faciendae per superiorem, an, & quando dicatur actus facultativus, vel necessarius?*
8 *Visitator generalis Tertii Ordinis non est caput, & supremus superior Ordinis.*

DISC. VII.

Quamvis moderni, ad propriam affectionem potiùs, quàm ad veritatem scribentes, varia dicant super origine, ac progressu Religionis Tertii Ordinis; Scribens tamen in ista controversia,circa initia professionis pro Ministro Generali Minorum Observantium, atque historica veritate desumpta solùm ex Constitutionibus Apostolicis,canonizata etiam per Rotam *in Ulyssiponen. juris conferendi habitum coram Pirovano, & Merlino impress. inter recent. dec.* 577. 584. & 598. *part.* 5. *recent.* Supponebam in facto, pro causæ congrua resolutione; Quòd tertius Ordo Pœnitentium à S. Francisco institutus fuit de anno 1221. non quidem ad formam Religionis, ut institutus fuit ipse Ordo Minorum,ac etiam alter Sanctæ Claræ,sed pro personis sæcularibus extra claustra in propriis domibus degentibus, cujuscumque sexus, gradus, & qualitatis, quibus non regulam, sed tantùm certum vitæ, ac vestitus modum honestum ostensus præscripsit, cùm non reperiatur scriptura per dictum fundatorem desuper edita, eo modo quo de aliis Ordinibus reperitur, ut observat Rota locis citatis. 1

Hunc autem Ordinem, in Italia, & Sicilia crescentem, Innocentius IV. de anno 1247. regendum, & gubernandum commisit Ministro Generali Ordinis Minorum, qui tunc unicus erat, ucque tantas scissuras iste Ordo adhuc passus fuerat; Verùm quia non habebat regulam scriptam à Sede Apostolica approbatam; Hinc eam præscripsit Nicolaus IV. de anno 1289. atque in ea illud præsertim continetur, ut Fratres, ac Sorores, in qualibet Civitate, vel loco, unum Visitatorem haberent, per ipsos discretivè eligendum, qui esset alicujus approbatæ Religionis sacerdos; Consulendo tamen, ut quò magis fieri potest, assumeretur ex ipso Ordine Minorum, per loci Guardianum assignandus, atque ex hoc tempore irrepsit in hoc Ordine nomen *Visitatoris*, cujus officium propriè versabatur circa directionem Fratrum ac Sororum, ad vitam spiritualem, ut hodie (exempli gratia) sunt Præfecti Congregationum Rosarii, & Carminis, ac similes, dum quoad jurisdictionalia subjacebant Ordinariis locorum, ac respectivè Judicibus, & Magistratibus sæcularibus, ut post alios firmat Rota *d. dec.* 598. *n.* 3. & 4. *p.* 5. *recent.* 2

Quia verò nonnulli ex istis Fratribus, & Sororibus, circa annum 1400. vivere cęperant collegialiter & in communi,ad instar Regularium; Attamen malè absque Superiore vivebant Hinc proindè Martinus V.deanno 1427. universum cœtum Tertii Ordinis mandavit subjacere regimini, visitationi, & correctioni Generalis, ac Provincialium prædictorum, quòd Sixtus IV. de anno 1471. ad universum Orbem ampliavit, atque sub eodem celebratum fuit Capitulum generalissimum, omnium trium Ordinum complexum; Idemque deindè mandavit Julius II. 3

Demum verò Leo X. anno 1521. multa circa hunc Ordinem providendo, præsertim Conventuales ab Observantibus separando ex iis quæ habentur in *Assisien.oblationum, sub tit. de praeminent. disc.* 11. Existimans inconveniens esse, ut sub eodem Instituto, & regula viverent claustrales, ac personæ uxoratæ, in sæculo degentes, unos ab aliis separavit, mandando, ut existentes in sæculo vivere deberent sub regula,jam ut supra præscripta per Nicolaum IV.Regulares autem viverent juxta regulam Minorum, sub dicto Generali, & Provincialibus Minorum Observantium; Ideòque Ordo Regularis & claustralis Tertii Ordinis in hac forma, in qua nunc existit, tunc initium habuit; Quamvis enim Clemens VII deputasset quendam Superiorem sub nuncupatione Visitatoris generalis Tertii Ordinis in aliquibus locis, & Regionibus Hispaniarum; Attamen Pius V. de anno 1578. hujusmodi officium suppressit, atque inhærendo prædictis Leonis X. & aliorum Pontificum Constitutionibus, mandavit, ut hic Tertius Ordo, ut supra subjacere deberet jurisdictioni, atque correctioni Ministri Generalis, & Provincialium Minorum Observantium. 4

Ita verò ex tunc de facto per totum Orbem servatum fuit, ac servatur præterquam in Italia, in qua Sixtus V. reintegrando antiqua officia Visitatoris Generalis & aliorum inferiorum officialium,ab istis intra hanc provinciam, Ordinem prædictum regi voluit, ita tamen, quòd dictus Visitator, in Capitulo Generali Minorum observantium, suæ electionis confirmationem obtineret, quòdque dictus Minister Generalis, singulis quatriennis post expletam visitationem factam à dicto Visitatore, eundem Ordinem per se ipsum, non autem per Substitutum visitare; Hæc tamen visitatio, ob residentiam, quam hujus Ordinis Generales, 5

pro

pro notabili parte temporis facere solent in Hispania, atque in reliqua sexennii parte alias provincias peragrari, adeòque parum in Italia resideant, utpotè personaliter facienda, neglecta fuit, cùm solùm appareat de aliquibus actibus visitationis circa illa principia in Urbe per duos Ministros Generales, quorum unus de Gonzaga, & alter de Caltagyrona nuncupantur.

Cùm autem modernus Minister Generalis ejusdem Ordinis Minorum Observantium nuncupatus P. Jo. de Neapoli, hujusmodi jurisdictionem exercere vellet, eique se opponerent Visitator Generalis, totusque Ordo prædictus Italiæ; Hinc desuper per Innocentium X. deputata fuit aliquorum Cardinalium Congregatio particularis, Verùm ob subsecutam mortem dicti P. Generalis, causa ulteriorem progressum non habuit.

In disputationibus autem in ista Congregatione habitis, scribens pro dicto Ministro Generali, fundatam dicebam ejus intentionem ex præfata serie historica, per Rotam aliàs in locis citatis in parte deducta, atque concludenter, non ex modernorum Chronistarum affectatis, & mendacibus præsuppositis, sed solum ex Constitutionibus Apostolicis comprobata, illis præsertim Leonis X. & Pii V. in viridi observantia quoad reliquum Orbem existentibus, solùmque quoad Italiam moderatis per literas Sixti V. eamdem Generalis jurisdictionem, ita restrictam comprobantes.

2 Ideòque fundata evidenter intentione actoris, totus disputationis punctus restringebatur ad rei conventi exceptiones, quæ unicè consistebant in prædictæ jurisdictionis, ac facultatis amissione per longævum non usum, per quem privilegia amitti, atque libertatem præscribi, ultra regulas generales in materia indifferenti, de qua Scribentes *in l. 1. ff. de nundinis, & in cap. cùm accessissent, de Constit.* In specialibus terminis jurisdictionis, ac juris visitandi, adducebatur text. *in cap. cùm ex officii, de præscription.* ubi Abb. & cæteri, de quibus Fusc. *de visitatione, lib. 1. cap. 2. n. 16.* Præsertim verò ubi agitur de præscribendo libertatem adversus visitare volentem, non de jure communi, ut est Diœcesanus, qui visitare vult Ecclesias, ac personas intra suæ Diœcesis limites existentes, sed ex privilegio, ac jure speciali, ut advertunt Zabatell. & Imol. *in Clem. 1. de censibus*, ille *n. 8.* hic *n. 10.* Soccin. *in tract. de visitatione, n. 53.* Felin. *in eadem cap. cum ex officio, nu. 15.* Et in specie præscriptionis juris visitandi prætensi per hunc Ministrum Generalem adversus Fratres Tertii Ordinis, adducebantur authoritates Calderin. *in cons. 13. ad med. tit. de censibus*, & Bero (qui loquitur etiam de hoc Ministro generali) *cons. 25. num. 10. lib. 1.*

Pro hujusmodi objecto removendo dicebam, quòd tunc
3 illud alicujus momenti esse posset, quando ageretur de jure visitandi competente ex privilegio particolari, cui privilegiatus posset expressè renunciare, cùm tunc intret illa renunciatio tacita, quæ ex longo non usu, seu ex longæva contraria patientia resultat; secus autem ubi hæc potestas desit, quoniam nunquam fictio superare potest veritatem, neque tacitum, vel præsumptum esse potest majoris operationis quàm expressum; Ideòque ubi persona privilegiata non potest privilegio expressè renonciare; Fortiùs verò ubi non est privilegium particulare, sed facultas, quæ de jure generali competat; Tunc non potest inferior præscribere contra suum Superiorem jurisdictionem, ac obedientiam, & jus visitandi, sub prætextu non usus, etiam quòd ille longissimus esset, ad text. *in cap. cum ex officio, de præscript.* ubi Innoc. Abb. & cæteri de quibus Bald. *de præscript. prima, p. 8. partis principalis, quæst. 12. n. 2.* Barbos. *de Officio Episcopi, alleg. 128. & 129.* Rota *in Pampilonen. juris visitandi 15. Martii 1624. coram Merlino inter suas dec. 101.* & habetur *sub tit. de jurisd. disc. 1. cum pluribus seqq.*

Hinc proindè, ultrà dictum fundamentum non dandi præscriptionem in subdito adversùs Superiorem, minusque dandi immissionem per actus tacitos illius juris, quod expressè renunciari non potest, resultare dicebam alterum fundamentum malæ fidei, quod est præscriptionis omninò exclusivum; etiamsi mille annorum spatium intercederet juxtà text. *in cap. fin. de præscript.*

4 Cum enim juxta jam dictam hujus Ordinis nativam subjectionem, fundata esset intentio dicti Ministri Generalis tanquam superioris ordinarii totius Ordinis extra casus exceptos, & qui proindè causam, seu regulam generalem pro se habet; Intentio autem hujus Religionis intra Italiam fundaretur in exceptione resultante ex dicta concessione Sixti V. quæ habet in ventre dictam præservativam antiquæ jurisdictionis; Hinc proindè sequi dicebam, ut tam Visitator, quàm Religiosi in hac Provincia existentes, istarumque literarum vigore practicantes exemptionem ab alia omnimoda, & ordinaria jurisdictione dicti Generalis, ita dicantur habuisse scientiam explicitam, dicti juris eidem reservati impeditivam, unde propterea resultat mala fides, juxta celebre, ac receptum punctuale *cons. 96.* Geminian. *n. 4. vers. sed quoties legunt*, sæpiùs per Rotam canonizatum, præsertim, *disc. 324. n. 8. part. 1. recent.* apud Cavaler. *decis. 91. num. 10.* apud Buratt. *decis. 912. num. 9.* & in aliis; Istudque fundamentum esse irrefragabile dicebam, neque pendente disputatione per alteram partem illis adæquatè responsum fuit.

Scribentes in contrarium respondendo alteri insinuatæ conclusioni de non dando præscriptionem in inferiori erga 5
Superiorem, illam admittendo dicebant, ut procedat, quando ipsi subditi hujusmodi præscriptionem allegarent, adeò ut acephali, & absque superiore remanerent; Secus autem ubi alter Prælatus, vel superior talem jurisdictionem præscripsisse alleget contra Ordinarium, quoniam non implicat, ut ab alio Prælato, quamvis inferiori, jurisdictio adversùs loci Ordinarium acquiratur, ex deductis *in dicta Toletana jurisdictionis, sub tit. de jurisdictione, disc. 1. & seq.*

Quamvis autem hæc distinctio aliquam non levem impressionem apud nonnullos ex deputatis faceret, eò quia tali casu cessare dicatur inconveniens, ut subditi remanere dicantur acephali, & sine superiore; Attamen replicando motiva, duo deducebam pariformiter solida, quorum unum sufficere videbatur; Primò nempè, quod ubi jurisdictio inferioris Prælati, restricta non est ad certos actus particulares, sed prætenditur omnimoda, cum totali privatione Ordinarii superioris, & per quandam speciem omnimodæ separationis seu dismembrationis, tunc non sufficit ordinaria præscriptio quadragenaria, sed (cessante explicito privilegio Apostolico) requiritur, vel immemorabilis, vel saltem centenaria, de cujus initio vitioso non constet, ex deductis *in allegata Toletana jurisdictionis*, & in aliis frequenter *d. tit. de jurisdictione*.

Ex his autem, nec una nec altera erat justificabilis, adeò 6
ut cessaret potentia probationis, dum à tempore Pontificatus Sixt. V. non aderat tanti temporis lapsus; Multò verò magis, stantibus aliquibus actibus jurisdictionalibus ac superioritatis gestis per dictos duos Ministros Generales ideòque dicebam, quòd difficultas cessabat ex solo facto;

Et secundò, quòd non dicta conclusio de præscribendo jurisdictionem per alium Prælatum procedit, quando hic, alium visitandi, vel jurisdictionis exercendæ titulum non habet, adeò ut suæ jurisdictionis exercitium sit incompatibile cum illa Superioris, ejusque actus ad illum privandum tendant; Tunc enim Superior, videndo, quòd alter exerceat jus suum, atque longo tempore patiendo & non prohibendo, neque idem jus exercendo, videtur tacitè illi renunciare; secus autem ubi alter Prælatus, actus jurisdictionales exerceat jure suo, compatibili cum jure alterius Prælati superioris, quoniam tunc actus referuntur ad jus proprium, sine præjudicio alterius, qui licèt superioritatem longo tempore non exerceat semper tamen retinere dicitur habitum, proindeque tanquam ex omissione actus facultativi sibi non præjudicat, Innocen. *in cap. audites, de præscrip.* & benè ad rem Calderin. *cons. 2. de præscript. circa med.* cum aliis *sub tit. de præeminent. disc. 26.*

Undè propterea si Prælatus inferior, qui de jure, vel ex privilegio, seu consuetudine habeat jurisdictionem cumulativam, seu compatibilem cum Episcopo, ut præsertim hodie generaliter habemus ex Concilio Tridentino in locis exemptis, sub inferiori Prælato existentibus intra limites Diœcesum, longo tempore visitet, suamque ordinariam jurisdictionem exerceat; E converso autem Episcopus suam delegatam exercere negligat, non per hoc inducitur privatio, vel præscriptio, nisi constet, quòd Prælatus inferior voluit omnimodam jurisdictionem exercere non cumulativè, vel subordinatè, sed privativè ad Episcopum, seu alium Superiorem, cum istius prohibitione, ac scientia & patientia, cùm nunquam præscriptio jurisdictionis detur per solam negligentiam non exercentis absque actu positivo importante privationem favore præscribentis, Bald. *cons. 439. n. 11. lib. 3.* Oldrad. *cons. 172. n. 11.* Calder. *d. cons. 2.* Tusc. *verb. Præscriptio, concl. 136. & seq. & 543.* & melius, *conclus. 585.* Capuraq. *decis. 303. num. 7. p. 1.*

Atque receptum habemus in materia beneficiali, vel altera jurispatronatus, quòd si unus ex Patronis, vel Collatoribus præsentet, vel respectivè conferat; Alter verò præsentare negligat, non per hoc sibi præjudicat, neque

præ-

præsentationes ab uno sectæ inducunt præscriptionem, nisi constet, præsentantem id egisse tanquam unicum patronum, privativè ad alium, animo præscribendi; Et sic similiter de collatore.

Idque potest etiam exemplificari in Metropolitano habente facultatem visitandi Provinciam, ac Synodum Provincialem celebrandi, quoniam si longo tempore, Episcopi suffraganei visitant eorum respectivè diœcesim, atque Constitutiones Synodales ordinant, omnimodamque jurisdictionem exercent, non per hoc tamen præscriptum dici potest jus Metropolitani, quamvis longo tempore suam potestatem exercere non curaverit, stante actuum, & jurisdictionum compatibilitate. Ac etiam quia tractatur de actibus merè facultativis, in quibus officii necessitas non exigit eorum necessarium exercitium, quoniam superior videndo fortè, quòd per inferiorem benè administratio fieret, neque haberentur subditorum recursus, & querelæ, idcircò necessarium non judicaverit suam jurisdictionem exercere.

7 Ex hoc autem responderi dicebam ingenioso motivo deducto per aliquos Scribentes pro altera parte, quòd scilicet visitatio non sit actus merè facultativus, sed necessitatis, eò quia malè faciant Prælati, ad quos spectet, si non visitant, ut firmant glos. & Vitalin. ac Imol. & alii *in Clem. 2. de statu monachorum*, & benè in his terminis præcisis observat Calderin. *in consil. 13. in fine de censibus*; Id etenim rectè procedit in ea visitatione, quæ ex debito officii facienda est, quia nempè aliàs subditi remanerent sine visitatore; secùs autem, ubi ordinarium visitatorem, ac superiorem habent, quo benè exercente suum officium, Prælatus major, cessantibus inconvenientibus potest se abstinere, ab actu, quem non reputet necessarium.

8 Clariùs autem præmissa procedere dicebam in proposita facti specie, ex ejus particularibus circumstantiis; Facultas, enim visitandi, concessa est singulis quatriennoiis Ministro Generali per se ipsum, & non per alium, idque vix redditur practicabile, quoniam cum hujusmodi Religione servetur, ut Ministri Generales alternatim singuli sexennoiis eligantur, ex cismontana, & ultramontana familia, atque ubi est ultramontanus soleat, parum curendo res Italiæ, earum administratione commissa Commissario generali, pro majori parte temporis peragrari reliquas provincias, atque ut plurimum in Hispaniis residere, apud Curiam Regis Catholici, fortè, ut aliqui dicunt, ut expleto Generalatu, sibi paret illos magnos honores, quos summa pietas dicti Regis eis concedere solet; Idemque stimulus vigeat in cismontano, qui pariter ex dicto fine, dictam residentiam potiùs affectat quàm illam Italiæ, & Curiæ Romanæ; Hinc proinde mirum non est, si hujus Religionis prærogativæ in hac regione negliguntur, neque eadem Religio habet eam majorem existimationem, quam in aliis regionibus, præsertim in Hispania retinet.

Clariùs verò dum idem Minister Generalis, continuare dicitur in hujus Tertii Ordinis superioritate, atque in prærogativa, ut sit ejus caput, & superior, dum per reliquum Orbem actu jurisdictionem, ac superioritatem habet Ordinis prædicti, qui tanquam unicus, & idem, habere non potest plura capita, nè detur monstrum plurium capitum in uno corpore; Ideòque visitator, qui per solam Italiam eligi solet, dicendus non est caput Ordinis, sed Prælatus inferior, Ministro Generali subordinatus, eodem modo, quo in eadem Religione Minorum sunt Commissarii Italiæ, ac respectivè Hispaniæ in Curia Romana, vel in Curia Regia absente Generali: Atque sunt plurium Congregationum Vicarii Generales in Religione Eremitarum S. Augustini, cum similibus; Istaque mihi videbatur veritas; Nihil tamen resolutum fuit in causa quæ ut præmissum est, remansit indecisa ob discessum ab Urbe, & mox secutum obitum dicti zelantis Generalis, cujus vestigia in hac parte successores ex jam dictis causis hucusque sequi, ac imitari neglexerunt.

ROMANA VICARIATUS.
PRO P. MENDOZA,
CUM P. ASCANIO DE ASSISIO.

Casus disputatus in Congregatione particulari, & resolutus ut infra.

In concursu deputationis Vicarii Generalis factæ per Papam, & per Ministrum Generalem, quænam prævalere debeat, & cum qua forma Minister Generalis Observantium deputare debeat Vicarium Generalem; Et an consilium sit pernecessè sequendum, necnè?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Papa potest concurrere cum quolibet Prælato inferiori, eumque prævenire.*
3 *Quomodo Generalis Minister debeat deputare Vicarium generalem.*
4 *Negativa est probanda per allegantem.*
5 *An, & quando consilium sit sequendum?*
6 *De differentia inter Judicem ordinarium, & delegatũ.*
7 *De alia differentia inter delegationem generalem, & particularem.*
8 *Quomodo facere sufficiat deputationem, de qua nu. 3.*
9 *Et quare expediat id non facere publicè, sed clam.*

D I S C. VIII.

QUemadmodum ex insinuatis *disc. præcedenti*, quando in hac Religione Minorum Observantium Minister Generalis est ultramontanus, eligitur de familia cismontana Commissarius generalis, ita è converso, quando est cismontanus, eligitur pro partibus ultramontanis Commissarius generalis, ex ista natione, atque ubi contingat, quòd Minister Generalis Italiam egrediatur, pro ista deputare solet duplicem Vicarium generalem, unum scilicet pro Observantibus nuncupatis de Familia; Et alterum pro aliis, qui nuncupantur Reformati ad formam Constitutionis 23. Leonis X. 1

Hinc proinde, discessurus ab Italia Minister Generalis, deputavit Vicarium Reformatorum P. Mendozam in Civitate Mediolani, seu in aliis partibus ibi adjacentibus; Verùm cùm hujusmodi deputationes publicari, ac effectum sortiri non soleant, nisi postquam Minister Generalis Italiam egressus est, idcircò cùm adhuc dictus egressus secutus non esset, cum ejus præsupposito, post plures dies, Pontifex deputavit in eodem munere P. Ascanium de Assisio, qui de facto administrationem suscepit; Unde propterea accedendo ad Urbem P. Mendoza cum literis suæ deputationis, invenit locum occupatum; Exortaque propterea desuper controversia, atque deputata particulari Congregatione, post aliquas deputationes, nulla (quæ mihi innotescat) prodiit resolutio, dum ex aliquibus prudentialibus motivis, Pontifex mandavit supersederi usque ad ejus novum ordinem, unde propterea P. Ascanio possessore in exercitio officii continuante, controversia habuit illum finem, quem (ut vulgò dicitur) habere solent controversiæ super banco prædicationis tempore Quadragesimali, dum per reditum Generalis, cessavit causa litigandi.

In disputationibus autem desuper habitis, duo fuerunt puncti; Primò scilicet in concursu provisionis Papæ, & alterius Prælati ordinarii, qualis prævalere deberet; Et secundò quatenus (ut instâ) in puncto juris prævalere deberet illa Generalis, an adhuc ea corruere deberet, tanquam invalidè facta non servata forma dictæ Constitutionis 23. Leonis X. vel Statutorum Religionis?

Primus punctus erat potiùs facti, quàm juris, super veritate scilicet datæ, sub qua concepta legebatur deputatio facta per Ministrum Generalem, ob antidatam à collitigante prætensam, unde propterea deducebantur hinc indè facti circumstantiæ veritatem, vel respectivè antidatam suadentes; Posita autem veritate actus, dicebam scribens pro deputato à Ministro Generali, quòd in puncto juris huic omninò assistebat major probabilitas; Quamvis etenim Papa tanquam supremus Ecclesiæ Prælatus, dicatur Ordinarius Ordinariorum, atque concurrere possit cum quolibet Ordinario collatore, eumque prævenire; Attamen (ultra quod in dubio non præsumitur, quòd hac facultate uti voluerit) quando etiam de hoc constet, intelligitur cum certo præsupposito quod prævenerit; Sive difficultas cadere potest, ubi id sit incertum, quia nempè eadem die utraque deputatio facta sit, non constito quænam sit prior, vel posterior; secus autem, ubi certum sit, quòd inferior collator eum prævenerit, quoniam tunc, nisi constet, quòd Papa ejus suprema, & absoluta potestate uti voluerit, removendi jam deputatum, seu provisum, Apostolica provisio non attenditur, ex iis, quæ ex ceteris relatis habentur apud Dunozettum, *dec. 856. plenius de-cis. 65. part. 10. recent.* & habetur actum *sub tit. de benefic. disc. 23.* 2

Re-

Retento igitur dicto præsupposito veritatis datæ, unde de consequenti resultabat dicta juris conclusio ad favorem provisi ab Ordinario collatore; Hinc proindè causa restringi videbatur ad secundum punctum objectæ nullitatis dictæ provisionis ob non servatam formam præscriptam in dicta Constitutione 23. Leonis X. quòd scilicet deputatio fieri debebat cum interventu Diffioirorii, quod secutum non erat.

3 Verùm hæc difficultas cessabat ex Statutis Religionis editis de annis 1639. & 1642. habentibus Apostolicam confirmationem cum amplis derogarotiis quibuscunque contrariis Constitutionibus, per quæ disponitur, ut hæc deputatio spectare debeat ad Generalem, de consilio aliquorum discretorum Ordinis, unde propterea cessat necessitas interventus, & Consensus Diffinitorum, sed sufficit adhibere consilium aliquorum Discretorum ad libitum ipsius Generalis, ut in specie observat P. Sanctorius Melphien. Ordinis Reformatorum professor *in commentar. dictorum Statutorum, cap. 8. Statut. 27. fol. 607.*

4 Et quamvis Miranda ejusdem Ordinis Observantium Reformatorum professor, contrarium dicat; Attamen eidem respondet Sanctor. quòd scilicet ipse loquatur cum præsupposito antiquioris Statuti Toletani editi pro deputatione Vicarii Familiæ ultramontanæ, dum hæc Statuta pro Familia cismontana edita fuerunt; postquam Miranda scripsit.

Replicabant autem Scribentes pro altera parte, quòd adhuc nullitas firma remanebat, ex eo quòd non constaret de isto concilio, & an ad ejus normam deputatio secuta esset; Unde propterea assumpta fuit disputatio articuli, an lege disponente, ut aliquid de consilio alterius fieri debeat, istud, nedum adhibendum, sed etiam sequendum sit; Et in hoc duo dicebam pro nullitate evitanda; Primò nempè, quòd cùm per alteram partem opponeretur de hac negativa consilii non adhibiti, vel non secuti, atque in hac negativa consisteret fundamentum intentionis ejus, qui allegat nullitatem actus, pro cujus validitate in dubio stat præsumptio, idcircò onus non erat istius Partis probare affirmativam, sed alterius probare negativam, quæ probanda est per allegantem, quoties in ea consistat suæ intentionis fundamentum, ex relatis per Gabliel. *de probat. conclus. 6. num. 5.* Buratt. & add. *decis. 10. & 948.* Franch. *decis. 241. num. 2.* ubi Add. & passim.

5 Et secundò clariùs, quoniam licèt aliqui (ut pro stylo nihil in hac facultate pacificum relinquerent) velint, ut per necesse sequendum sit consilium à lege demandatum; Atque alii adhibeant distinctionem, an lex utatur dictione, *de*, vel *ex*, vel potiùs dictione *cum*, ut isto secundo casu consilium non sit necessarium; secus autem in primo.

Et quam distinctionem habemus in Curia per practicorum ora volitantem in commissionibus alicui directis *cum voto*, vel *de voto alterius* Judicis, vel respectivè Tribunalis, ut advertitur in sua materia *sub tit. de judic. & in relatione, ac praxi Curiæ.*

Nihilominus, indistinctè, verior videtur generalis theorica Innocentii, Ancharan. Abb. Card. Anan. imolæ, & aliorum *in cap. cum olim, de arbitr.* ut plenè firmatur apud Bursat. *cons. 90. n. 36. & seqq. ubi, nu. 46. & seqq.* in specie rejicit dictam distinctionem Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 34. n. 4. cum seqq.* Rot. apud Buratt. *decis. 29. n. 16.*

6 Potissimè verò, & cum minori difficultate, ubi agatur de Prælato, vel Judice ordinario, qui ex dispositione, vel intentione juris communis, in vim ordinariæ, vel universalis jurisdictionis, hanc potestatem habeat, tanquam nativam, & annexam ejus ordinariæ, ac universali jurisdictioni, ac de natura prælaturæ, cùm aliqua dubitandi ratio cadat in delegatis ad casus particulares, qui seclusa commissione, seu delegatione, habentur tanquam personæ privatæ, jurisdictionem dativam, seu accidentalem mendientes ex commissione, quæ præcisè, & cum qualitatibus in ea annexis attendi debet; ut in specie advertit Bursat. *d. cons. 90. nu. 39.* & est communis, ac recepta distinctio inter jurisdictionem ordinariam, seu nativam, & delegatam, seu dativam.

7 Clariùs autem, ubi non agatur de delegatione ad universitatem causarum, sive de illa delegatione, quæ sit potiùs restitutiva antiquæ jurisdictionis ordinariæ, ac remotiva obstaculi exemptionum, ut est illa delegata jurisdictio, quam Concilium Tridentinum, & Apostolicæ Constitutiones tribuunt locorum Ordinariis supra Regulares, aliosque exemptos juxtà pluries deducta in sua materia *sub tit. de jurisdict. disc. 1. cum seq.* Cum tunc ista jurisdictio delegata, ordinariæ æquipollere videatur, eandemque latam, & favorabilem naturam habeat, quoniam in effectu est restituere id, quod erat proprium, ac removere intermedium impedimentorum, juxtà ea, quæ *sub tit. de benef.* habentur in materia indultorum, quæ locorum Ordinariis conceduntur conferendi beneficia reservata, secùs autem, ubi agatur de delegatione speciali facta personæ, quæ in eo genere causarum, nativam, seu habitualem propriam jurisdictionem, vel potestatem non habeat, cum tunc strictè ad limites verborum, ac juxtà præcisam formam delegationis jurisdictio attributa censeatur, ad textum *in cap. P. & G. de offic. delegat.* cum Concordantibus in sua materia *d. tit. de judic.* ac etiam habetur infra *hoc eod. lib. sub tit. de matrim. in Bonon. disc. 3.*

Hinc proindè cùm ageretur de Prælato ordinario, cui de 8
jure communi competebat hæc facultas, in ejus absentis, vel impediti locum, deputandi Vicarium, eo modo, quo competit Episcopis, aliisque Ordinariis, ita versabamur in prima parte distinctionis; Et fortiùs ratione subjectæ materiæ, quoniam non agebatur de exercitio jurisdictionis contentiosæ, faciendo causa cognita, sed de actu extrajudiciali, quod potiùs occultè, cum regulis, ac circumspectionibus prudentialibus explicare expedit, ut occurratur favorum violentiis, quas ambitiosi adhibere solent, vel calumniantium oppositionibus adversùs personam destinatam, seu electam, ut frequens praxis docere solet, ob æmulationes, quæ Regularibus solent esse quodammodò connaturales, ideòque non est desuper fabricandus processus, sed sufficit singulariter, ac in forma confidentiaria audire sensum aliquorum, sive extra- 9
judiciales informationes accipere de idoneitate, aliisque qualitatibus aliquorum Religiosorum, inter quod electio facienda sit, adeout, pro consilio potiùs, quàm pro forma præcisa, id præscriptum videatur; Et consequenter, istius causæ difficultas non residebat in jure, sed in facto, scilicet in dicta antidatæ suspicione, quæ tamen benè tolli videbatur, neque in dubio præsumenda est ex regula generali exclusiva delicti; Sive fortiùs, major difficultas residebat in aliquibus motivis prudentialibus, ex quibus tverà hæc deputatio effectum sortita non fuit.

JANUEN. VICARII PROVINCIALIS
PRO P. BENEDICTO A POMPEJANA,
CUM P. GEORGIO A SAXELLO.

Casus disputatus in Congregatione particulari sub incerto exitu,

De eadem materia concursus inter Vicarium Provincialem suffectum à Diffinitorio in locum Provincialis defuncti, & Alterum, qui postea per Papam deputatus fuerit; Et an deputatio facta à Diffinitorio, importet veram electionem, vel potiùs dicenda sit deputatio provisionalis?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quomodo in forensibus quæstionibus procedendum sit.*
3 *Provisionaliter deputatus non dicitur verè, ac propriè officialis.*
4 *Papa potest prævenire quemcunque Prælatum inferiorem in provisione officiorum.*
5 *Provisio Vicarii non consumit vacationem.*
6 *Distinguitur plures species Vicariorum.*
7 *De eadem conclusione, de qua, num. 3.*
8 *Quando Vicarius dicatur verus Prælatus, vel Officialis.*
9 *De eodem, & de modo distinguendi unam speciem deputationis ab altera.*
10 *Verba præsuppositiva non inducunt dispositionem.*
11 *De observantia hujus Religionis.*
12 *Quod non expediat immutare tempora consueta celebratione Capituli Generalis, vel Provincialis,*

D I S C. IX.

Defuncto Ministro Provinciali Provinciæ Januen. Ordinis Minorum strictioris Observantiæ, adhuc non expleto primo anno sui officii; Diffinitorium, ad præscriptum Statutorum Ordinis, sub die 2. Novembris elegit in Vicarium Provincialem P. Benedictum, atque electio per Ministrum, seu Vicarium generalem confirmata fuit sub die 12. ejusdem, cum subsecuta possessione, ac administratione; Verùm P. Georgius ejusdem Ordinis obtinuit se deputatum

tari Vicarium per literas Apostolicas in forma Brevis, unde propterea exorta desuper controversia, atque per eundem Pontificem deputata Congregatione particulari aliquorum Prælatorum, incertum est quid determinatum fuerit, cùm post unicam disputationem, non audierim amplius de negotio actum.

Hujus controversiæ punctus erat super jure quæsito dicto Vicario electo per Diffinitorium, pro quo scribebam; Sive super dicti Vicariatus qualitate, an scilicet esset solùm deputatio provisionalis, donec de mandato Ministri Generalis (quamprimùm commodè sequi posset) celebraretur Capitulum pro novo Provinciali eligendo; Vel potiùs esset formalis electio, quam Diffinitorium vice universę provinciæ fecisset, tanquam per speciem veræ, ac formalis subrogationis in locum defuncti, adeòut dicendus veniret verus provinciæ ordinarius Prælatus, eo modo quo erat defunctus, cujus formalem personam in omnibus repræsentaret, ideòque duraturus per totum tempus, in quo defunctus durare debuisset.

2 Ex hac etenim distinctione pendebat determinatio, seu applicatio conclusionum, quæ hinc indè deducebantur, cùm omnes in suis respectivè casibus essent veræ, punctus autem consisteret in applicatione, juxtà frequentiorem, ac penè generalem naturam quæstionum forensium, cùm ex hoc, juxtà adeò frequenter insinuata, pendeant omnia æquivoca, quòd scilicet procedatur cum generalitatibus, sive cum decisionibus, ac doctrinis in sola litera, non reflectendo ad differentiam circumstantiarum inter casum controversiæ, & casus, de quibus ipsæ agunt.

Ubi etenim hæc deputatio esset provisionalis, tunc ita 3 deputatus habere non dicitur officium in aliquem titulum, sed est simplex manualis ad nutum deputantis quandocunque amovibilis, ex iis, quę in terminis Vicarii, cæteris relatis habentur apud Fagnan. *in cap. nullus num. 49. & 50. de elect.* & in qua authoritate insistebatur; Potissimè quia idem Author erat unus ex Prælatis istius Congregationis; E converso autem, ubi esset juxtà supradictam speciem, formalis electionis, ac subrogationis in universum jus defuncti, ita translatum in hunc Vicarium, qui continuaret cum diversa persona materiali, eandem formalem personam ordinarii Prælati habentis prælaturam in officium, atque in illum titulum, qui datur pro subjecta natura officiorum, ac beneficiorum regularium manualium, ac obedientiariorum, tunc secùs dicendum est.

4 Quamvis enim, ut advertitur, *disc. præcedenti*, etiam in beneficiis sæcularibus, de sui natura perpetuis in verum titulum conferri solitis, de suprema, & absoluta Papæ potestate non sit dubitandum, non solùm in præveniendo quemcunque ordinarium collatorem, sed etiam removendo jam provisum, ac possessorem, aliumque deputando; Attamen id facere non solet, neque ejus voluntas præsumenda est, quoties clara, & expressa non sit. ideòque prævalere debet provisio ordinarii collatoris, qui prævenerit, ut ad literam disponitur *in cap. dudum*, *§. non igitur*, *& cap. si à sede de præb. in 6.* cum concordantibus per Gonzal. *ad regul. 8. §. 3. proœm. num. 1. cum seqq.* Lotter. *de benef. lib. 2. qu. 23. num. 1. cum seqq.* Rot. *decis. 25. part. 10. rec.* & apud Dunoz. *dec. 856.* & in aliis pluries, ac habetur in sua materia *sub tit. de benefic. disc. 23.*

Id autem non negabant Scribentes in contrarium, quoties ista deputatio fuisset in titulum, ut suprà. Et è converso ego non negabam eorum assumptum, quando et fuisset provisionalis, quoniam quemadmodum, circa injuriam, vel præjudicium personæ deputatæ potuisset Generalis demandare quamprimum convocationem Capituli pro electione Provincialis, sive postquam alium huic muneri præfecerit, juxtà praxim, de qua in alia Religione *disc. proxime seq.* ita multò magis id facere potuisset Papa.

Et in summa punctus erat, an istud officium dicendum 5 veniret adhuc esse in statu vacationis, ut esse dicuntur Ecclesiæ parochiales, donec juxtà formam à Concilio Tridentino præscriptam, ab Ordinario, vel à Sede Apostolica fiat formalis provisio, quæ effectum sortiatur, quamvis ad ejusdem Concilii præscriptum, interim deputetur Vicarius, juxtà deducta in sua materia *tit. de paroch.* quoniam id non consumit vacationem, neque ita deputatus aliquod jus, vel titulum habet.

Pro congrua igitur dictę theoricę applicatione, in qua to-6 tus punctus residebat; Advertebam, quòd triplex Vicariorũ species in hujusmodi officiis regularibus, vel respectivè in beneficiis sæcularibus habetur, inter se diversæ naturæ, seu qualitatis, ideòque non omnes authoritates, quę de Vicariis loquuntur, cuicunque Vicario applicandæ sunt, sed reflectendum est ad eorum species; Prima etenim est illa superius enunciata, quæ per Ordinarium, vel per alium superiorem, juxtà expressam determinationem legis communis, vel particularis fiat, donec duret vacatio, atque fiat nova provisio, ut interim Ecclesia vel administratio detrimentum non patiatur, adeòut non dubitetur de qualitate provisionali; Et tunc rectè procedant ea, quæ per alteram partem dicebantur, quòd iste nullum jus formatum habeat, neque dici possit, quòd ordinarius collator Papam prævenerit.

Altera est species illorum Vicariorum, qui per Prælatos, 7 etiam præsentes, deputantur pro quodam eorum adjutorio, atque pro supplendis aliquibus muneribus, quæ non de facili per eos explicari possunt; Ad instar illius deputationis Vicarii Generalis, vel respectivè Foranei, quam faciunt Episcopi, atque est in usu inter regulares, quòd superiores etiam locales, quamvis pręsentes, Vicarium deputant, ut advertitur infra, *disc. 17.* Et tunc benè dicitur quòd iste vicarius precario deputatus nullum habere dicitur titulum, vel jus formale, ut per Abb. & Butr. & alios *in cap. G. perpetuus de fid. instrum. n. 1.* ubi Fagn. *n. 5.* Et in terminis regularium Passerin. *de elect. c. 25. q. 20. n. 220.* Tertia demum est species illius Vicarii, qui mortuo Prælato, in istius locum, ac universum jus subrogatur, tanquam persona materialis, quę repræsentet eandem personam formalem, ac jure formalis prę-laturæ independentis, adeòut non differat à Prælato ordinario, qui in Capitulo, seu aliàs eligi solet, nisi in sola nuncupatione; Et tunc per istius deputationem vacatio officii 8 consumi dicitur, isteque dicitur verus Pręlatus ordinarius habens jus in officio, ut advertit Passer. *d. cap. 25. qu. 20. num. 220.* Atque in Vicariis Ecclesiarum parochialium, de eadem distinctione inter illum Vicarium, qui pendente vacatione, seu provisione deputatur solùm provisionaliter, & alterum perpetuum, qui provideatur in titulum sub hoc nomine Vicarii propter jus habituale rectoriæ, quod penes Capitulum, vel aliquam Dignitatem residear, habetur in dicta sua materia *sub tit. de Paroch.* & advertitur per Fagnan. *in d. cap. G. perpetuus, n. 2. cum seqq.*

Quòd autem iste Vicarius esset hujus naturæ, seu qualita-9 tis, clarè comprobari dicebam ex pluribus; Primò nempè quia ejus deputatio fit capitulariter, ac in forma veræ electionis, eodem modo, quo fit electio Provincialis in Capitulo, cum sola differentia numeri vocalium, quòd scilicet illa potestas, quæ per universam Provinciam attributa est superioribus localibus, & aliis, qui pro Religionum Instituto habent vocem in Capitulo, ex istius delegatione in hujusmodi contingentiis, restricta est ad solos Diffinitores, & alios juxtà Religionum Statuta præfinitos, qui universam provinciam repræsentant.

Secundò, quia hic Vicarius formiter confirmatur à Generali, eodem modo, quo confirmatur Provincialis ele-10 ctus in Capitulo; Et tertiò, quòd non solùm durante officio, obtinet eandem potestatem, easdemque præeminentias Provincialis in capite, absque aliqua differentia, sed etiam expleto officio, gaudet illis prærogativis, quibus gaudent Provinciales post officium expletum.

Restringi autem videbatur difficultas per Scribentes in contrarium ad punctum, quòd iste Vicarius non haberet certam durationem per totum tempus triennii, quod decurrere debet inter unum Capitulum, & alterum, eò quia in libito Generalis esset quamprimùm demandare Capituli convocationem pro nova electione, ideòque inferebatur, quòd ita resultaret, ut hæc deputatio esset provisionalis, constituendo fundamentum in quodam Brevi Urbani VIII. anni 1625. Verùm istud videbatur parum probabile fundamentum; Tum quia istud Breve non loquitur de hoc dispositivè, sed solùm præsuppositivè, quod non inducit dispositionem aliquam juxtà axioma, de quo apud Gregor. & Add. *decis. 208. & decis. 62. post tollust. Bonden.* & frequenter; Tum etiam quia contrarium dispositum videtur per Statutum editum in Capitulo generali celebrato de anno 1639. ab eodem Pontifice confirmatum, unde propterea posteriora derogant prioribus.

Magna item opinionum diversitas fuit inter aliquos ejus-11 dem Religionis PP. Antianos, qui in muneribus Vicarii, vel Commissarii generalis versati fuerunt super hac observantia an scilicet Vicarius, ita per diffinitorium deputatus in locũ provincialis defuncti, continuaverit necnè, per totum tempus, quo defunctus durare debuisset, dilata celebratione Capituli ad tempus commodum, vel potiùs istius anticipatum esset? Magis autem concordantia videbantur testimonia ad favorem istius partis super continuatione; Aliqui verò da-

bant

bant quandam conciliativam distinctionem, an vacatio contingeret potiùs circa initium, vel respectivè circa finem triennii; Dicebam verò, ut magis deferendum esset deponentibus de hac observantia juxtà sensum istius partis; Tum quia magis assistere videbatur dictum Statutum anni 1639. Tum etiam ob observantiam majorem de recenti secuta in eo Ministro Generali, cujus mentio habetur supra, *disc.* 7. quoniam de defuncto intra sexennium per diffinitorium aliquorum PP. in Urbe electus fuit Vicarius generalis, qui continuavit usque ad integri sexenni complementum; Et meritò quidem, quoniam ita expedit, magisque laudabile est ob inconvenientia, quæ aliàs interrumpendo cursum ordinarium Capitulorum, resultant circa diffinitores, aliosque officiales in Capitulo eligi solitos, quoniam oporteret, vel eos intra terminum removere, vel pati eorum continuationem ultra tempus juxtà casum, de quo supra *disc.* 4.

APRUTINA, SEU NEAPOLITANA TURNI

4

PRO NATIONE NEAPOLITANA.

CUM NATIONE HETRUSCA.

Responsum pro veritate.

De alternativa, seu ordine turnario inter plures alicujus provinciæ partes, vel nationes, super passiva electione Provincialis; An turnus consumi, seu respectivè adimpleri dicatur, per deputationem Provincialis, quæ extra Capitulum, ac extra formam electionis facta sit, per Generalem, vel per Papam?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quando turnus consumi dicatur.*
3 *Provisiones Apostolicæ non mutant statum.*
4 *Tempus belli humani non computatur in termine.*
5 *Idem de bello divino pestis*
6 *Quòd à jure activo non inferatur ad passivum.*
7 *Contrarium.*
8 *Quomodo intelligenda sit turni præfinitio in electione.*
9 *Quod magis existimentur Prælati per electionem, quàm per provisionem unius.*
10 *Officialis ad tempus durat etiam elapso tempore, si non potest haberi successor.*

D I S C. X.

1 PRovincia Aprutina Ordinis Prædicatorum, constituta est ex tribus nationibus, quæ ex antiqua consuetudine, jure cujusdam societatis simul junctæ sunt. Ad tollendas verò dissensiones, quæ oriri solebant, super electione ministri Provincialis, in Capitulo generali celebrato de anno 1629. conditum fuit Statutum Apostolica auctoritate confirmatum, super alternativa, seu turno inter istas nationes, ad æqualitatem inter eas servandam, ut scilicet, in uno Capitulo, passiva electio Provincialis cadere deberet in una natione, & sic successivè in aliis duabus; Cùm autem de anno 1656. peste in Neapolitana Civitate adeò grassante obiisset Provincialis in ultimo Capitulo electus nationis Etruscæ; Idcircò stante dicto impedimento, ob quod Capitulum celebrari non poterat Generalis Ordinis, dispensando cum ea, quam habet, potestate quibuscunque obstantiis, (eadem dispensatione Apostolica quoque authoritate munita) deputavit usque ad futuri Capituli celebrationem, in Provincialem quendam religiosum nationis Neapolitanæ, qui officium exercuit penè per totum illud tempus, in quo Provinciales electi exercere solent, deindeque celebrato Capitulo electus fuit religiosus nationis Aprutinæ, cui post Etruscam, juxtà retroactum ordinem electio debita erat; Hujus autem Provincialis termino expirante novaque Capituli celebratione imminente; Cùm juxtà ordinem turni, electio cadere deberet in natione Neapolitana, excitata fuit difficultas coram P. Generali ex parte alterius nationis Etruscæ, quod ei potius passiva electio debita esset, dum Neapolitana jam suum habuerit Provincialem inter Etruscum, & Aprutinum ut supra. Quare desuper ea parte Neapolitanæ nationis meum pro veritate responsum expetitum fuit, etiam pro directione ut supponebatur, ipsius Generalis; Incertum tamen est quid secutum sit; Credo autem quòd juxta votum, ad favorem nationis Neapolitanæ fuerit resolutum; cùm juxtà regulas juris, ita pro meo judicio, justitia exigere videretur.

2 In responso igitur desuper tradito, Dicebam quòd punctus in eo residebat, an per dictam provisionem factam per Generalem extra Capitulum, ac sine forma electionis, consumptus esset, necne turnus debitus huic Neapolitanæ nationi, quoniam non data consumptione, iidem oppositores hunc ordinem non negabant?

3 In hoc autem, pro non consumptione respondendum censui, quoniam de jure hujusmodi turnariæ divisiones intelligendæ veniunt, in illis provisionibus quæ sequantur per viam electionis factæ per ipsos, inter quos hæc alternativa, seu turnaria divisio introducta est, pro æqualitate servanda, seu pro æquali exercitio illius juris, quod omnibus pariformiter, & coæquali jure competit, non autem ubi id, citra ipsorum factum proveniat, ex provisione superioris, quæ pro ea vice impediat dicti juris exercitium; quoniam tunc id quoad eos habetur pro infecto, atque ex quodam jure postliminii, sublato hoc intermedio tempore, quilibet juxtà præfinitum ordinem, exercet jus suum *juxta cons.* 26. Calder. *pr prebend.* rejecta contraria opinione Joan. Andr. & aliorum antiquiorum, ut per Rotam *dec.* 2. *de preb. in antiq. & dec.* 10. Cassador. *nu.* 3. *de concess. prebend.* cum Concordantibus per Gonzal. *ad regul.* 8. *glos* 45. §. 3. 8. *cum seq.* Rot. apud Buratt. *dec.* 153. *n.* 4. *& dec.* 926. *n.* 10.

4 Ad quod confert regula generalis, de qua plures *sub tit. de benefic.* ac etiam sub altero *de jurepatr.* quòd scilicet provisiones Apostolicæ, sive sint per resignationem, vel permutationem, sive quia Papa cum ejus suprema potestate, quam habet in beneficialibus, prævenire voluerit inferiorem collatorem, vel etiam patronos, pro ea vice derogando juripatronatus non immutant statum beneficii, neque aliquam inducunt alterationem.

5 Potissimè verò hæc extraordinaria provisio, per Superiorem facta sit ex justo motivo impedimenti belli Divini, vel humani, cum tunc intrare videatur dispositio textus *in l.* 1. *&* 4. *& fin. C. quib. non obst. long. temp. præscr.* cum Concordantibus per Rovit. *super pragm.* 3. *de pactis de retrovend. nu.* 3. & habetur *sub tit. de feud. disc.* 57. *in fin.* quòd scilicet tempus belli non connumeratur in termino conventionali, seu alias non habetur in consideratione, sed eo subducto, ac si non extitisset, tanquam per postliminii fictionem, conjungitur primum cum ultimo tempore. Istique termini adaptabiles videbantur, cùm pestis dicatur bellum Divinum, ideòque cadit sub eisdem legibus, quæ de bello loquuntur, ut pluries occasione defalchi, seu remissionis pensionis ex causa unius, vel alterius belli humani, vel Divini, habetur *sub tit. de Regalibus*, ac etiam sub etiam altero *de locat. & conduct.* & occasione cursus fatalium habetur *sub tit. de judic.*

6 Non negabant Scribentes pro oppositoribus, veritatem dictæ conclusionis, utpotè receptæ; Dicebant tamèn, ut ea procedant, in eligendi, vel conferendi seu præsentandi jure activo, non autem in jure passivo: Ex ea differentiæ ratione, quòd isto secundo casu, provisio extraordinaria facta per Superiorem in personà unius nationis, vel generis, cui turnaria passiva electio debita erat, eundem producit effectum, atque per eam adimpletur ille finis, ob quem idem turnarius ordo introductus est, ut scilicet quælibet natio, seu pars; ità honorata remaneat, atque servetur æqualitas; Et consequenter, quòd à jure activo licitum sit urgere ad passivum, ob deficientem rationis identitatem.

7 Hoc autem fundamentum mihi parùm probabile videbatur; Tum quia hæc distinctio nullibi in jure inducta videtur, neque Scribentes in contrarium desuper auctoritates, vel juridicas rationes deducebant; Atque ut advertitur *sub tit. de jurepatr.* hoc argumentum è jure activo ad passivum vel è contrà, licèt non sit concludens per necesse, attamen est probabile.

8 Tum etiam quia Statutum in verbis adhibet verbum eligere, ibi, *alternatim semper Provinciales eligantur, ita ut ex eadem natione bis Provincialis immediatè eligi non possit*; ex quibus verbis hæc duo inferri observabam. Primò nempè quòd Statutum prohibet solùm immediatam continuationem, tanquam per speciem successionis, ne Provincialis prædecessor, successorem, vel factionata potentia per eum in officio parata, ex eadem natione sibi deputet, quod ita cessabat. Et secundò quòd licet in consequentiam, Statutum inhabilitet in passiva electione illam nationem, ex qua in præcedenti Capitulo electus fuit Provincialis, attamen principaliter præscribit legem electoribus.

Ac

9 Ac etiàm quia, licèt quoad effectus juris, hujusmodi Provinciales, qui ob aliquod accidens deputantur quasi provisionaliter per Generalem, vel per Papam, sive per particulare Deffinitorium, juxta casum de quo *disc.prec.* Attamen de facto non reputentur veri Provinciales, illius majoris existimationis, ut reputantur illi, qui ab universa Provincia formiter eliguntur, utpotè ex judicio multorum digniores reputari, cùm illæ provisiones, quæ ab unius tantùm judicio pendent, quandoque casui, vel fortunæ, quæ frequentiùs imprudens est, atque à ratione deviat, referendæ veniant.

10 Ponderabam quoque, quòd licèt tempus hujus officii sit præfinitum; Attamen id intelligitur, quatenùs juxtà stylum commodè celebrari possit Capitulum pro successoris electione, undè propterea si legitimum superveniat impedimentum, etiam post tempus, tunc idem Provincialis in munere continuabit; Ad instar eorum quæ passim recepta habemus in officiis annalibus, ut sunt gubernia in Regno Neapolitano, quòd hoc obstante, etiam post annum, si non veniat successor, continuant illum expectare debentes, & in specie Provincialis habetur actum apud Barbos. *vot.* 47. Adeòut si Provincialis nationis Etruscæ non obiisset, stante hoc impedimento, etiam post expletum triennium, continuare debuisset, per totum illud tempus, in quo, expectando commodam convocationem Capituli post omninò cessatum impedimentum, ejusque suspicionem continuavit iste ejus loco subrogatus, in quo casu præbuit, ut de una vel altera natione esset, cùm de nulla quoque ex his tribus esse potuisset; Prout etiam ex casu provenit, ut sui muneris exercitium duraret penè eodem tempore, quo durat Provincialis electus; Et consequenter non dicebatur, ita honorata tota ipsa natio in jure electionis passivæ, ad quam omnes habiles, ac habentes requisita concurrere potuissent; Istaque mihi videbatur veritas, atque ita credo quod secutum sit.

BAREN. ELECTIONIS PRO PROVINCIALI ELECTO.

Votum decisivum traditum Commissario generali pro electionis confirmatione.

An electioni Provincialis factæ in Capitulo per schedulas secretas cum scrutatoribus, aliisque formalitatibus, obstet, necne deficientia alicujus voti, seu schedulæ, quia nempè cùm essent 45. Vocales, repertæ essent solùm 44. schedulæ, & quando id obstet, necne?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Publicato scrutinio non est deveniendum ad novum, si electio est conclusa.*
3 *Ideòque non obstat, quòd in secundo schedula non reperiantur integra.*
4 *Major pars, quæ concludit electionem, est, ubi excedit medietatem.*
5 *Post publicatum scrutinium schedulæ lacerantur, vel comburuntur, seu negliguntur.*
6 *Recensetur casus electionis Urb. VIII. super errore unius schedula.*
7 *Quando vota sunt excedentia nil obstat, quod deficiat una schedula.*
8 *Possunt aliqui Vocales non dare votum, atque se facere extraneos.*
9 *Quod schedula alba non obstet.*
10 *Et quando intret dubitatio.*
11 *In dubio pro electione.*
12 *Etiam ubi electio est nulla, solet sanari, vel deputari electus.*
13 *An id fieri possit per Generalem Religionis?*
14 *In quo differant in hoc Papa, vel Sacra Congregatio, & Generalis.*

DISC. XI.

1 Coadunato Capitulo Minorum Observantium Provinciæ Baren. pro electione Ministri provincialis, atque servatis iis, quę ad formam Statutorum servanda erant, intervenerunt 44. Vocales provinciæ, ultra exterum Visitatorem, Capituli Pręsidentem, qui votum quoq; habebat; Cùmque singuli juxtà morem schedulas in urna posuissent, atq; tres Disquisitores bis publicè dictas schedulas numerassent in integro n. 45. eisque apertis, ac lectis, ex votorum adnotatione pro stylo facta per Secretarium, compertum fuit, quòd triginta tria vota concurrebant in persona P. Gratiani ab Altamura, decem verò in persona P. Michaelis ab Andria; & reliqua duo erant dispersa in aliis personis; Verùm his secutis, Visitator Capituli Præsidens, schedulas jam apertas, ac lectas numerari denuò demandavit, atque in ista numeratione compertæ fuerunt in solo nu. 44. Quare idem Præsidens, asserendo quòd electio non esset canonica, benèque completa mandavit ut procedi deberet ad novum scrutinium; Se opposuerunt autem Vocales, qui pro majori parte, asserendo quòd electio erat jam perfecta, ac exeundo à loco Capituli, cantarunt juxtà stylum hymnum, seu canticum *Te Deum laudamus. &c.* dictoque P. Gratiano electo obedientiam pro more dederunt; Hinc proindè re delata ad eundem Commissarium generalem, de quo agitur supra *disc.* 6. pro electionis confirmatione, vel respectivè irritatione, idem Commissarius meum, ac alterius Advocati votum pro veritate, de super petiit.

Auditis itaque partibus, earumque defensoribus; atq; benè concordato facto super legitima Convocatione Capituli, aliisque validæ electionis requisitis, quæ tam de jure, quàm ex Statutis Religionis desiderabantur, Unica dubitandi ratio restringebatur ad deficientiam dictæ schedulæ, ob quam Præsidens Capituli ad novum scrutinium procedi debere mandaverat. 2

Hoc tamen defectu non obstante, fuimus in voto respondendi pro electionis validitate, quoniam cùm jam scrutinium esset publicatum, ad novam electionem, seu novum scrutinium, procedi non poterat, ad text. *in cap. publicato, de elect. glos. in cap. quia propter verbr publicè eod. tit.* cum Concord. collectis per Barbos. *de jur. Eccles. l. 2. c. 19. nu* 217. 3

Neque obstare censuimus deficientiam dictæ schedulæ; quoniam (ut præmissum est) illa non erat in primo scrutinio qui jam fuerat integer, atque integritas ad abundantiorem 4 cautelam confirmata fuerat per secundam numerationem; Hæc autem ulterior numeratio secuta fuerat post schedulas jam apertas, lectas, & publicatas, ex quarum publicatione constabat, quòd electio erat benè conclusa, non solùm cum excessu medietatis votorum, quod sufficit ex deductis ad hanc materiam electionis *sub tit. de Canonic. & Cap. disc.* 25. *& seqq.* Sed etiam ultra duas tertias partes, unde propterea juxtà communem usum, de quo testatur Barbos. *d. cap.* 19. *n.* 227. dictæ schedulæ erant lacerandæ, vel potiùs comburendæ, cùm solùm in eis diligentia adhibeatur, quando præcisè numerus necessarius adest; Et consequenter tanquam jam effectæ inutiles, & igni destinatæ, negligi poterant, ideòque non mirum si una earum perire potuit, excludendo etiam quamcunque malitiam, vel fraudem; Multò magis dum istius aliquis vehemens fumus aderat à præfata incongrua tertia renumeratione nimium adminiculatus, cùm id denotaret magnam affectationem. 5

6 Ac etiam quia (quidquid sit circa formam electionis Summi Pontificis præscriptam per Apostolicas Constitutiones Gregorii XX. & Urb. VIII. super deficientia unius schedulæ juxtà casum, qui contigit in electione ejusdem Urbani VIII. qui cùm hoc non obstante de suo jure tutus esset, adhuc tamen cum adeo memoranda generositate, ad omnem suspicionis umbram, vel occasionem tollendam, voluit ut deveniretur ad novum scrutinium, per quòd cum integris schedulis, primum approbatum fuit) cùm de hoc agere nulla in isto casu exigeret necessitas.

7 Quatenus pertinet ad terminos generales juris communis, credidimus, quòd ubi etiam iste defectus fuisset in ipso primo scrutinio, adhuc tamen, dum vota erant adeo exuberantia, id non præjudicaret, cùm provenire potuerit ex eo, quòd aliquis ex electoribus, fortè indeterminatus, vel ex alio motivo, votum dare noluerit, seu schedulam non apponere in urna; Id etenim aliud non operatur, nisi quòd vota illius, vel eorum, quorum schedulæ deficiunt, non numerantur, perindè, ac si non essent in Capitulo, à quo, atque à jure votandi, se extraneos reddunt illi, qui in Capitulo existentes, nullatenus, vel inutiliter votum proferunt, eodem modo quo habetur de illis, qui volun- 8 tariè à Capitulo discedunt, sive legitimè convocati ad illud accedere negligunt, ad text. *in cap. cum nobis, cap. quod sicut, cap. Ecclesia vestra* 2. *c. quia propter, de electione* cum Concordant. relatis per Barbos. *d. cap.* 19. *num.* 223. *& seqq.* Add. ad Buratt. *decis.* 809. *num.* 12. *& d. tit. de Canonic. & Capitul. disc.* & in aliis ibi proximis.

9 Et in specie, ubi in urna reperiatur aliqua schedula alba, idem concludunt Roderic. *quæst. regular. tom.* 2. *q.* 52. *art.* 13.

13. & Passar. *de elect.* c. 18. *n.* 24. *&* 25. qui eacitat difficultatem, quando studiosè, ac affectatè id gestum esset, ad effectum, ut ita electio remaneret à majori parte, quæ aliàs
10 conclusa adesset, istaque suspicio in hac facti specie non cadrbat, ob adeò magnam vototum eaubetantiam.

11 Nihilominus dicebamua, ut sufficeret casum reddi probabiliter dubium, in quo pro electionia validitate tespondendum est, cùm validitatis præsumptio potiua assistat ea iis, quæ cæteris telatis habentur *dec.* 289. *p.* 6. *recent. n.* 25. *& seqq.* ea authoritate Canonistarum *in c. licèt Episcopus, de præbend. in* 6.

12 Potissimè verò, quia non controvertebatur in facto, quod electua esset dignus, & qualificatus, cùm isto casu, ut pluries ego practicavi, occasione bujusmodi quæstionum, do qnibus frequēter super electionibus Provincialium agi contigit in Sac. Congregationa Episcoporum, & Regularium, etiam ubi in electione adessei aliqnis defectus, ob quem de stricto jure, illa invalida censenda veniret, adbuc tamen, ubi sit nullitas, quæ proveniat solùm à subtilitate juria, adeòut actus non tedoleat turpitudinem, seu machinationē, Sac. Congregatio soleat nullitatem sanare, seu ex integro electum deputare, inhærendo antiquo sedis Apostolicæ stylo, quem etiam hodie retinet Sac. Congregatio Consistorialis in electionibus Episcopoeum, vel Coadjutorum, ut suprà *hoc eod. t.* & alibi insinuatur, ac etiam habetur *dicto t. de Canon. & Cap. dicto disc.* 27. Attendendo etiam distinctionem, quam in furo receptam habenius circa attentata, vel nullitates inter attentata juria, & facti, seu dolosa, & non dolosa, ea deductis in sua materia *sub t. de jud.* cum similibus.

13 Quamvis enim probabiliter dubitati posset, an hæc potestas competeret dicto Commissario (cum id, utporè non necessarium, pto commendabili Cutiæ stylo, examinare neglexerimus;) Idque pendete videatur à singularum Religionum Constitutionibus, vel privilegiis particularibus, hanc facultatem Generali ttibuentibus, necne; Attamen id ponderabatur ad quandam superabundantiam pro dicto effectu, quòd scilicèt, ubi etiam versaremur in dubio, adeòut aliquod intraret Judicis arbitrium (quod tamen ex facti qualitate & circumstantiis, junctis cum regulis legalibus, non autem ea propria cervice, seu voluntate regulandum est,) adhuc tamen istud pro validitate interponendum veniret.

14 In hoc autem differunt Papa, vel ejus supremus Magistratua, (qui in his materiis est Sacta Congregatio Regularium,) & Generalis, cotam quo, de confirmatione, vel infirmatione disputare contingat; Quòd scilicet accedente justa causa, quæ resultet ab idoneitate personæ electæ, atque à sinceritate actus, qui ex ignota subtilitate juris rigorosæ nullitati subjaceat; Quando nullitas sit omninò certa, & clara, Pontifex, vel Sac. Congreg. nullitatem sanat, vel deputationem ea integro facit. Generalis autem eandem causam attendir, pro regulando ejus arbitrium in casu dubio; Sive ubi ea Constitutionibus Religionis posita certa nullitate electionis, non debeat demandari nova convocatio Capituli, sed jus deputandi Provincialem, tanquam ex jure devolutio ad ipsum pertineat, cùm tunc prudenter, ac laudabiliter agat, deputando eundem electum, qui tali casu esse non debet deterioris conditionis quocunque alio, quem deputare posset, dum per electionis actum, quamvis inutilem, de facto resultat certificatio, quòd illa persona grata sit Religioni, seu provinciæ, atque ab ea digna reputetur.

ANGELOPOLITANA ELECTIONIS,

PRO FERDINANDO DE GALINDO ELECTO,

CUM ANDREA DE MONTE.

& aliis Oppositoribus.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium, credo resolutus pro Ferdinando electo.

De eadem materia electionis Provincialis, an & quando valida, vel invalida censenda sit, præsertim, ob mutationem loci destinati pro Capitulo, an ista causet nullitatem: Et quandò contra electores, ad censuras, aliasque pœnas procedi valeat &c. Et de nova creatione Abbatum, vel Prælatorum vocalium, electione imminente.

Card. de Luca, Lib. XIV.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Puncti, seu species nullitatis electionis.*
3 *De decreto S.C.T. ne imminente electione possint creari novi Abbates, vel Priores.*
4 *Expedit Conventibus, vel Monasteriis, ut eorum Prælati interveniant in Comitiis.*
5 *An, & quando Vocales puniri, vel processari possint imminente electione?*
6 *De mutatione loci jam destinati pro electione, seu Capitulo.*

D I S C. XII.

CUM in Civitate Angelopolitana, duo adessent Conventus Ordinis S. Dominici, unus intra, & alter extra mœnia, sub invocationibus Sancti Pauli, & Sancti Dominici respectivè: Destinata verò esset celebratio Capituli Provincialis in Conventu Sancti Dominici, atque ita per consuetas literas facta esset vocalium convocatio; Eis jam coadunatis, atque ante ejusdem Capituli celebrationem occasione rebellionis, vel inobedientiæ Prioris, & aliquorum vocalium dicti Conventus S. Dominici adversùs Provincialis ordinationes ab eis spretas cum scandalosis recursib. ad magistratus sæculares, censuerit Provincialis pro majori libertate electionis, mutare locum, atque Capitulum celebrare in alio Conventu Sancti Pauli intra mœnia, cum notificatione dictę destinationis omnibus Vocalibus jam coadunatis, qui in totum erant vigintiquinque; Ex istis decem & septem superioris præcepto obedientes, ad præfatum alium Conventum accesserunt in eadem Civitate existentem: Accedere autem noluerunt præfati Prior, & adhærentes, qui ob insinuatam inobedientiam, cum recursu ad sæculares, tanquam notoriè inobedientes ab eodem Provinciali declarati fuerunt excommunicati, atque privati utraque voce activa, & passiva; Atque celebrato Capitulo in dicto alio Conventu, per dictos 17. vocales concorditer in Provincialem electus fuit Ferdinandus; E converso dictus Prior, aliique septem vocales illi adhærentes, Capitulum quoque in dicto alio Conventu celebrarunt, ibique elegerunt in Provincialem Andream; Quare delata re ad Generalem, hic partibus auditis, cum consueto consilio PP. sibi assistentium, juxta hujus Religionis stylum, confirmavit electionem factam in Conventu S. Pauli, in persona Ferdinandi, alium verò actum gestum in Conventu S. Dominici invalidum, ac attentatum declaravit, adversùs quam declarationem alter electus, eique adhærentes recursum habuerunt ad Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium, assumptaque desuper disputatione, credo quòd approbatum fuerit judicium P. Generalis. 1

In hac autem disputatione tres erant puncti. Primò nempè, an per Provincialem, ejusque Diffinitorium, imminente celebratione Capituli, ad effectum augendi numerum votorum, deputari potuerint Vicarii in quatuor Conventibus, qui Priore carebant. Secundò, an post jam convocatum, & coadunatum Capitulum, ejus electione imminente, potuissent dictus Prior, & septem alii vocales excommunicari, atque voce privari. Et tertiò, an post jam secutam eandem convocationem, & coadunationem, fieri potuerit dicta mutatio loci jam destinati, cùm in his consisterent oppositorum objecta: Verùm scribens pro electionis validitate (etiam in sensu veritatis) dicebam ea obstare non debere. 2

Quatenus igitur pertinet ad primum, per oppositores fundamentum constituebatur in decreto Sac. Concilii Tridentini *sess.* 35. *de Regul. c.* 6. per quod prohibentur novæ creationes Abbatum, Priorum, aliorumque Prælatorum, qui aliàs votum in Capitulo habeant, ut ita numerus votorum augeatur. 3

Verùm istud erat fragile fundamentum, quoniam hoc decretum percutit creationem Abbatum, seu Priorum, aliorumque officialium, merè titularium, unde propterea nulla concurrat necessitas, vel justa causa, sed probabiliter id referri valeat ad affectatum argumentum votorum, atque ne ita Superior, ad quem dicta creatio pertinet, supplantare valeat majorem partem legitimorum vocalium, quos dignoscat, vel suspicetur in diversam abire sententiam, ideòque decreti ratio consistit in hac fraude, seu affectatione; Secùs autem, ubi accedat justa causa providendi de Superioribus illos Conventus, qui eo carebant, ut isti non remanerent privati jure interveniendi in comitiis.

Id etenim ipsismet Conventibus nimiùm expedit: tum ob

eorum novam provisionem de Priore, sub Prælato, tum etiam quia in Capitulo non solùm fit electio Provincialis,
4 aliorumque officialium pro regimine provinciæ in universum, sed agitur etiam de statu, bonoque regimine singulorum Conventuum, quorum necessitates, vel occurrentiæ proponuntur per eorum Prælatos, vel Discretos, ut congruæ provisiones dari valeant, & consequenter fuit justa & rationabilis provisio, quæ cadere non videtur sub dicto decreto Conciliari,

5 Quo verò ad secundum punctum; Licèt prohibitum sit, imminente electione, ac etiam per aliquod tempus præcedens specialiter præscriptum per hujus Religionis Constitutiones, ac generaliter per illas aliarum Religionum, inquisitiones formare contra vocales, vel ad censurarum declarationem seu comminationem contra eos procedere, ex iis quæ cæteris relatis, habentur apud Barb. *vot.* 47. *n.* 183. *& seqq.* Passarin. *de elect. c.* 3. *n.* 13. Attamen (admittendo veritatem assumpti) dicebam illud rectè procedere, quando ejus ratio urgeat, quia nempè id per Superiorem in fraudem affectari posset, ex eodem motivo, de quo suprà prodiit decretum Concilii Tridentini prohibitivum creationis Abbatum, vel Priorum titularium; Isto enim casu rectè Superiori ita inquirenti imputandum venit, cur id præcedenti tempore neglexerit, ut etiam advertitur *sub tit. de Canonic. & Cap disc.* 27.

Secùs autem, ubi hæc ratio cesset, quinimò fortiùs altera probabilis in contrarium urgeat, quia nempè id proveniat ex notorio delicto rebellionis ac inobedientiæ, vel recursus ad laicos, vel simili, quod secum absque dubio trahat incursum censurarum, atque privationem vocis ipso jure, adeòut superior tunc, ad reprimendum delictum, quod de novo ex improviso patratum sit, procedat ad declarationem incursus censurarum, aliarumque pœnarum, cùm tunc utraque affectationis, ac negligentiæ ratio cessare dicatur; Et consequenter dicta propositio non est adaptabilis, quoniam alias esset dare ansam vocalibus, ut infra terminum comitiis proximum, quinimò in ipsomet loco comitiorum, quæcunque gravia scandalosa delicta committere possent, atque superiori obedientiam impunè denegare, quo nil absurdius, ideòque id intelligendum venit ad limites rationis, cui istud assumptum innixum est.

6 Demùm quoad tertium objectum mutationis loci, Tunc illud fuisset considerabile, quando ageretur de illa mutatione loci, quæ facta fuit in provincia Trinacriæ, pro electione Diffinitoris, qui intervenire debebat in Capitulo generali istiusmet Religionis (quamvis & hic defectus in eo casu sanatus fuerit) quòd scilicet facta convocatione pro uno loco, ad quem plures vocales accesserint, deinde secuta fuerit immutatio alterius loci remoti, ita & taliter, quòd vocales qui ad locum primò destinatum accesserunt, sive iter direxerunt, in alio loco statuta die moraliter intervenire non valeant, cùm tali casu rectè intret ratio fraudis, & contemptus; Secùs autem in hac facti specie, quòd uterque locus erat in eadem Civitate, adeòut ad horam, ac minus, promptè ab uno ad alium Conventum accedi potuerit, atque mutatio omnibus innotuerat, aliique concorditer eam acceptarunt; Aliorum autem non accessus provenit potiùs à positiva inobedientia; Unde propterea non intrabat ratio dubitandi,

ROMANA PRIORATUS

PRO GENERALI S. DOMINICI,

CUM PROVINCIALI LOMBARDIÆ.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, resolutus pro Generali.

De differentia inter electionem, & postulationem, & & quale jus una, vel altera tribuat; Atque electione non facta, vel non subsistente, ad quem fiat devolutio; & de aliquibus circa potestatem Generalis Ordinis S. Dominici.

S U M M A R I U M.

1 *De introductione Tribunalis Inquisitionis, & de prærogativa provinciæ Lombardiæ Ordinis S. Dominici.*
2 *Facti series.*
3 *Electus habet terminum unius mensis ad acceptandum electionem, & alterius mensis ad petendum confirmationem.*
4 *Per secundum beneficium incompatibile censetur renunciatum primo.*
5 *Electus non potest duabus electionibus inhærere.*
6 *Dari non potest de jure certi.*
7 *Superior absque justa causa non potest negare confirmationem, aliàs potest appellari.*
8 *In Religione Sancti Dominici, electio non tribuit jus electo.*
9 *Postulatio nullum jus tribuit.*
10 *Ad quem detur devolutio in hac Religione, si electio non fiat, vel electus non acceptet.*
11 *De magna potestate Generalis hujus Religionis.*
12 *Papa potest concurrere cum quocunque inferiori collatore, eumque prævenire.*
13 *Declaratur, quando exerceri debeat potestas, de qua n.* 11.

D I S C. XIII.

CUM occasione hæresis tunc Lombardiam infestantis, iste Ordo Sancti Dominici (ipsomet fundatore vivente,) majores in ea Italiæ parte progressus fecerit circa Fidei Catholicæ defensionem, & hæresum expulsionem, adeòut fortè dici valeat, ut exindè Inquisitionis Tribunal initium habuerit, primusque Inquisitor fuit S. Petrus Martyr, vel secundus post Sanctum Dominicum, ac propterea, ex ista provincia Commissarius Sancti Officii, aliique Inquisitionis officiales, ejusdem Ordinis assumuntur: Idque occasionem præbuit plurium professorum assumptioni ad Cardinalatum, ac etiam ad Pontificiam dignitatem, ut præsertim in S. Pio V. contigit: Hinc proindè, illa provincia, quandam longè majorem prærogativam, supra alias habere videtur, illeque Provincialis, eam omnimodam subordinationem Generali, quam alii habent, non de facili agnoscit, ut frequentes controversiæ docent, quæ nostris temporibus disputatæ fuerunt, tam in S. Congregatione Regularium, quàm in aliis particulariter deputatis. 1

Inter alias autem controversias fuit ista super deputatione Prioris Conventus Sanctæ Sabinæ Urbis, qui annexus est dictæ provinciæ Lombardiæ, cujusque membrum: Cùm etenim vacante Prioratu, Capitulum particulare ipsius Conventus, juxta hujus Religionis institutum, congregatum esset pro electione Prælati, in scrutinio desuper habito secuta fuit electio in persona cujusdam P. Vincentii, cum postulatione aliorum duorum Religiosorum: Cùmque pendente confirmatione electionis, quæ aliqualiter neglecta fuit per dictum Provincialem, ad quem ea pertinet, idem Vincentius (pariter per electionem, cum subsecuto effectu) obtinuisset Prioratum Regii; Hinc proindè, adhuc durante termino unius mensis, per Constitutiones præscripto P. Generalis cum ejus plenaria potestate, quendam P. Mauritium Priorem deputavit, idque ægrè ferendo Provincialis, recursum habuit ad Sac. Congr. Regularium, à qua post binam acerrimam disputationem, prodiit resolutio Generali favorabilis super approbatione dictæ deputationis. 2

In hujusmodi autem disputationibus, tria ex parte Provincialis, ac adhærentium deducebantur: Primò nempè, quòd cùm de jure electus habeat terminum mensis ad acceptandam electionem, & alterius mensis ad petendam confirmationem, ad textum *in c. cupientes, & c. quam sit, de elect. in* 6. cum concordantibus relatis per Donat. *in prax. rer. regular. p.* 3. *tr.* 6. *de elect. q.* 3. Passarin. *de elect. c.* 20. *n.* 23. *&* 24. (qui ambo sunt hujus Ordinis professores,) Hinc proindè dicto primo termino durante non poterat procedi ad provisionem hujus officii in præjudicium electi, ac juris ei quæsiti, 3

Secundò, quòd ubi etiam, ob acceptationem secundæ electionis, cum subsecuta effectuatione, dici posset, quòd simpliciter resultaret non acceptatio primæ electionis, seu renunciatio cuicunque juri ex ea quæsiti ad terminos textus *in c. de multa, de prabend. & c. cum qui, de prabend. in* 6. de quibus in sua materia *sub tit. de benef.* super vacatione primi per assecutionem pacificam secundi beneficii incompatibilis: Adhuc tamen potuisset Generalis alium religiosum præficere in Priorem, dum aderant alii duo postulati ab eodem Capitulo conventuali.

Et tertiò, quòd in omnem eventum, durante adhuc termino, procedi debuisset ad novam electionem, potissimè quia idem Generalis eam demandaverat, & consequenter quòd hæc deputatio fieri non poterat in præjudicium, tam Capituli habentis jus eligendi, quàm Provincialis habentis jus confirmandi electum. 4

Nullum tamen ex his fundamentis habere subsistentiam, dicebam ego scribens pro Generali (etiam cum sensu veritatis)

tis) qualem in secunda propositione, te minutius examinata, agnovit quoque Sacra Congregatio, quæ primo aspectu magnam conceperat difficultatem, adeòut in prima propositione, fuerit in limine resolutio contraria.

Singula etenim examinando; Quatenus pertinet ad primum, illud multipliciter tollebatur; Primò nempè ex jam insinuata conclusione, occasione secundi objecti, quod per acceptationem cum subsecuto effectu secundæ electionis, renunciatum fuerat primæ: istaque conclusio, quæ generaliter procedit in beneficiis, quæ jure provisionis in titulum conferuntur, etiam in illis, quæ de facto jam obtenta, & possessa sunt, multò magis procedit in hoc jure, potius ad rem, quàm in re, quòd per electionem acquiri dicitur.

5 Ex alia etiam regula, quòd non potest electus duabus electionibus inhærere, ut in c. ut qui duas, de elect. in 6. ubi gloss. & DD. communiter relati per Passerin. ibidem, & per Donat. in dicta prax. eod. tract. 6. part. 3. q. 12.

6 Secundò, quia esset dare de jure tertii non conquerentis, de quo planum juris principium est dari non posse agendo, quidquid sit excipiendo, ex iis, quæ plurica alibi habentur ad hanc materiam exceptionis juris tertii, præsertim in sua sede sub tit. de judic.

7 Et tertiò clarius, quoniam ea, quæ de jure communi habentur circa jus, quod electo per legitimam, benèque conclusam electionem acquiritur, adeòut superior, ad quem confirmatio pertinet, sine justa causa eam denegare non possit: atque in casu denegationis, concedatur electo appellatio, vel recursum ad Papam, vel alios superiores, non procedunt in ista Religione Sancti Dominici, ex cujus Instituto, ac legibus, per electum nullum jus formatum acquiri dicitur, per quòd Generalis, cessante justa causa, ex lege justitiæ, dicatur obligatus illum confirmare, sed in ejus libera potestate repositum est, etiam nulla assignata causa, confirmationem denegare, mandando, ut ad aliam procedatur electionem, sive aliàs providendo.

8 Hinc proindè, inter electionem, & postulationem, in hac Religione nulla dignosci videtur differentia, cùm adinstar postulationis, electio nullum jus electo tribuat, neque facultatem appellandi, vel recursum habendi adversùs denegatam confirmationem concedat, ut advertunt superius allegati ejusdem Religionis professores, nempè Donat. d. tract. 6. de elect. q. 1. n. 8. in fin. & qu. 16. n. 4. & Passerin. dicto tract. de elect. cap. 19. n. 28.

9 Atque ita per argumentum à fortiori, magis de plano resultabat solutio secundi objecti, fundati in jure postulatorum, quoniam si in hac Religione ipsa electio nullum jus tribuit, multò minus tribuere potest postulatio, quæ etiam in terminis juris communis, quibus attentis, per electionem acceptatam, vel pendente termino ad acceptandum quoddam jus quæri dicitur, adhuc tamen postulato nullum jus quæritur, cùm postulatio redoleat solùm preces, quæ porriguntur superiori, ut ex gratia, non autem ex justitia postulatum præficiat, ideòque in superioris arbitrio est concedere, vel denegare, neque exindè postulato jus competit appellandi, vel recursum habendi, ad textum in c. unic. de postulat. in 6. ubi gl. & Scribentes communiter, Hostien. in sum. t. de postulat. prælator. n. 1. cum concordantibus per Donat. dicta prax. p. 3. tr. 1. de form. elect. q. 1. n. 11. Passerin dict. tr. de elect. c. 24. n. 72. ubi ponit casum in individuo, quòd pro stylo forsan hujus Religionis, Capitulum eligat unum, & postulet plures, an scilicet, denegata confirmatione electi, teneatur Generalis deputare unum ex postulatis, & benè concludit negativè.

Demum quoad tertium objectum: Scribente apro Provinciali, longas inutiles retexendo allegationes, & conclusionum cumulos, quasi per viam formalis tractationis, deducebam ea, quæ apud Beneficialistas habentur in materia devolutionis, quasi quòd dici non possit devolutum esse ad Generalem jus deputandi istum Priorem; Tum quia adhuc durabat terminus, intra quem integrum erat jus Capituli Conventualis, procedendi ad novam electionem; Tum etiam quia data etiam negligentia, unde proptereà factus esset locus devolutioni, adhuc tamen juxtà hujus Religionis ordinem, illa aperta erat ad beneficium Provincialis, quo etiam negligente aperitur jus Generali, juxtà illum gradualem ordinem, quem in jure habemus de collatione beneficiorum, quæ sunt ad alterius electionem, vel præsentationem, idque in prima propositione magnam inferebat difficultatem.

10 Verùm advertebam, quòd in hoc procedebatur cum æquivoco, quoniam Generalis hujusmodi deputationem non fecerat ex jure devoluto, sed in vim ejus supremæ, & absolutæ potestatis, cùm ipse ex hujus Religionis instituto, ac legibus, dicatur omnium, & singulorum Conventuum Prior, ac Prælatus immediatus, unde proptereà Priores, aliique Prælati locales dicantur nudi vicarii deputati ad solum exercitium regiminis, adinstar illorum rectorum, seu parochorum, qui deputantur in illis diœcesibus, in quibus non habeatur vera, & formalis distinctio parochiarum, quòd Episcopus dicitur unicus parochus immediatus, qui cum non possit per se ipsum omnibus vacare, curam exercet per Rectores locales tanquam ejus vicarios, ut advertitur hoc eod. lib. sub tit. de decim. disc. 1. ac etiam pluries sub tit. de Benef. & sub altero de Paroch. dictaque potestas hujus Generalis insinuatur etiam alia occasione sub tit. de praeminent. disc. 27.

Et quamvis adversùs hanc supremam, & absolutam potestatem, idem Provincialis Lombardiæ, aliique adhærentes, sub Innocentio X. (sub quo magna fuit rerum Regularium revolutio) oppositio facta esset, exaggerando inconvenientia exinde resultantia; Nihilominus a Congregatione particulari desuper deputata de mense Junii 1652. prodiit resolutio, ut expediret hanc potestatem Generalis substinere, neglectis aliquibus inconvenientibus ob præponderantiam majoris utilitatis Ordinis, ad ejus unitatem conservandam, & ne aliàs aperiatur via illis scissuris, quas per tot diversas Congregationes passæ sunt plures Religiones, & præsertim Benedictina, Augustiniana, Carmelitana, & omnium magis Franciscana. 11

Quare per quandam similitudinem, atque cum ea proportione, quæ comparativè dari possit: Dicebam quòd huic Generali congruerent ea, quæ habentur sub tit. de benef. præsertim discurs. 23. circa potestatem Papæ concurrendi cum quolibet ordinario collatore inferiori, eumque præveniendi, ac etiam providendi beneficia, quæ ad alterius electionem, vel præsentationem provideri solent. 12

Et licèt ista propositio dura videretur, eo quia (ut aliqui Cardinales Congregationis dicebant,) id esset revolvere hujus Religionis ordinem, ac tollere jus electivum, quòd competit, non solùm Provinciis in electionibus Provincialium, aliorumque Prælatorum, sed etiam singulis Conventibus in deputatione Prælati localis. Attamen dicebam quòd quemadmodum Papa, qui hanc potestatem habet, ob ejus nimium rarum, ac discretum usum, hunc ordinem non pervertit, ita à pari, & cum debita proportione, in præsenti dicendum veniebat, quòdque tunc exaggeratum inconveniens esset considerabile, quando adesset talis facultatis frequens, ac indiscretus usus, in cujus casu ipsa Congregatio provideret: Expedit autem hanc potestatem conservare ob insinuatam congruam rationem conservandi unitatem Ordinis. 13

R O M A N A,

SEU VALLIS UMBROSÆ CONTRAVENTIONIS

PRO GENERALI CONGREGATIONIS VALLUMBROSANÆ,

CUM OPPOSITORIBUS.

Casus disputatus in Congregatione particulari, resolutus pro Generali.

An Generalis deputare possit, extra Capitulum generale, Diffinitores, aliosque officiales, in locum deficientium, quamvis in Constitutionibus mandetur, ut id fiat in Capitulo, & non aliàs? Et an prohibitio Constitutionum, ne Generalis, ac Diffinitores obtineant Abbatias, percutiat casum fixæ unionis alicujus Abbatiæ, quæ officio, seu prælaturæ Generalatus facta sit?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series, & de prohibitione in ista Congregatione, ne Generalis, & Diffinitores habeant Abbatias.*

2 *De rationibus dictæ Constitutionis, & quando non dicatur intrare ratio ambitus.*

3 *Esse potest Generalis totius Religionis, & Abbas unius Monasterii.*

4 *Dantur exempla, ut unus repræsentet plures personas diversas.*

5 *Quando intret beneficiorum incompatibilitas.*

6 *Unio, vel suppressio importat alienationem.*

7 *Generalis habet juris assistentiam super superioritate in omnibus non exceptuatis.*

8 *Diffinitores sunt Prælati habentes administrationem Religionis.*

9 *Quòd mortuo Generali, Diffinitorium interim alium subrogat.*

10 *De subrogatione Examinatorum synodalium extra synodum.*

11 *A pœna qualibet causa excusat.*

D I S C. XIV.

1 Disponentibus Constitutionibus hujus Congregationis, editis sub Gregorio XIII. ut electio Diffinitorum in Capitulo generali fieri deberet, quòdque Præses Generalis, ac Diffinitores, durante eorum officio, Abbatias obtinere, vel sibi appropiare non possent, injuncta generica pœna privationis officiorum, ac dignitatum inobservantibus, Cùm infrà spatium, quod intercedit inter unum Capitulum, & alterum, aliqui Diffinitores obiissent, atque Generalis (qui tunc erat P. Setsalis Neapolitanus,) alios eorum loco subrogasset; Idemque, ad sublevandam Congregationem à consuetis contributionibus, pro substentatione Generalis, aliorumque officialium, perpetuam annexionem fecisset Abbatiæ Viculi, dignitati, seu Officio Generalatus, ut cum ea se substentare posset; Hinc aliqui æmuli, vel zelatores, prætendentes, quòd ob hanc duplicem Constitutionum contraventionem, à prælatura cecidisset, preces porrexerunt Pontifici, qui desuper deputavit particularem Congregationem, à qua prodiit resolutio Generali favorabilis, non constare scilicet de aliqua contraventione.

Duo igitur erant hujusmodi quæstionis puncti; Primò
2 nempè, circa appropriationem dictæ Abbatiæ sibi ipsi factam: Et secundò circa deputationem Diffinitorum; Quatenus igitur pertinet ad primum; Dicebam (etiam cum sensu veritatis) quòd oppositio vere injusta, malèque fundata esset, quoniam Constitutiones in hac parte ad duas referri poterant rationes: Vel scilicet ad aliam incompatibilitatis, juxtà terminos textus *in c. de multa, de præbend. cum concord.* de quibus ad materiam incompatibilium *sub tit. de benefic.* Vel (& verius) ad tollendum ambitum, sive aliorum Religiosorum oppressionem, ne scilicet ipsi Generalis, & octo Præsidentes, ad quos Abbatiarum vacantium provisio spectare solet, vel in quarum provisione, etiam in Capitulo generali facienda, magnam partem, ac auctoritatem habent, sibi ipsis applicarent meliores, ut fortè retroacta praxis induxerat.

Utraque autem ratione attenta, earum neutra ad rem adaptabilis erat; Non quidem prima, quoniam Generalis, non
3 ex ambitu, vel ex avaritiæ, majorisque utilitatis motivo, id egerat, ut scilicet obtineret copulativè, officii, ac Abbatiæ redditus, & emolumenta, sed ex bono animo, rectoque fine sublevandi Congregationem, quæ ære alieno pressa erat, à consuetis impensis, pro substentatione Generalis, ejusque familiæ, ita hanc Abbatiam officio, pro majori Religionis utilitate prudenter unire curavit, absque aliqua utilitate propria; Ita etenim dicebam rectè intrare verum principium, quòd utilitas publica præferenda est utilitati privatæ, dum hæc annexio importabat solùm diminutionem unius Abbatis, & sic præjudicium unius religiosi, qui de illa provideri debuisset, cum utilitate omnium Abbatiarum, totiusque Religionis, ideòque sine dubio applicabilis non erat secunda ratio ambitus, vel oppressionis, dum utilitas Generalis non crescebat, neque duplicabatur.

Minùsque intrabat prima ratio incompatibilitatis juxtà
4 dictos terminos beneficiales: Tum quia reverà isti non cadebant, cùm Generalatus non importat certum beneficium, vel prælaturam unius Monasterii, unde propterea intret illa incompatibilitas, quæ datur inter duo beneficia inter se distincta, duos rectores, vel Prælatos regulariter exigentia, ad instar duarum mulierum, quæ duos viros habere debent, non autem, ut unus duas habeat uxores, quod Apostolica authoritate non dispensante in prælaturis in jure prohibitum est: Siquidem Generalatus est officium, quod importat quandam præsidentiam generalem omnium Monasteriorum, quæ proprios habent Prælatos, pro subditorum recursibus, aliisque contingentiis Religionis: Ideòque nil implicare videtur, ut possit una, & eadem persona materialis hanc duplicem personam formalem repræsentare.

Eo modo quo infrà, *hoc t. disc. 32. & in Miscell. Ecclesiastico, disc. 1. & sub t. de præmin. disc. 1.* & alibi pluries habemus in persona Summi Pontificis, qui, secluso Principatu temporali, ac agendo solùm de regimine spirituali, reduplicativè consideratur tanquam Episcopus particularis Urbis, & tanquam Episcopus universalis totius Orbis: Atque Generales Duces exercituum, habent particularem cohortem, cujus respectu, consideranur tanquam Duces, seu Capitanei particulares, & tamen præsunt universo exercitui, aliisque Ducibus, & Capitaneis, cum similibus, talisque est aliquarum Religionum, seu Congregationum praxis.

Et nihilominus, ubi etiam dicti termini incompatibili- 5
tatis intrarent: Adhuc tamen cessare dicebam eorum applicationem, quoniam, ut in dicta sua materia beneficiorum advertitur, illi procedunt, præsupposita continuatione utriusque beneficii incompatibilis, in priori natura, vel statu, adeò ut requirerentur duo rectores distincti, eodem modo quo ut supra, duæ mulieres, duos diversos habere debent viros: Secus autem ubi unum beneficium alteri uniatur per viam accessoriæ, ac subjectivæ unionis, quoniam tunc beneficium unitum desinit esse tale, ejusque nomen, ac essentiam amittit, atque efficitur prædium Ecclesiæ dominantis, ut pariter in dicta sua materia *sub tit. de benefic.* 6

Quare unica dubitandi ratio cadere posse videbatur in eo, quòd hæc unio subjectiva, vel hujus Abbatiæ suppressio, redoleret speciem alienationis cadentis sub prohibitione *extra. Ambitiosæ. de reb. Eccles. non alienan.* ex iis, quæ ad hanc materiam alienationis bonorum Ecclesiæ habentur *sub t. de alienat. & contract. prohib. disc. 1. & seqq.* Verùm hæc difficultas neque intrabat, ex dicta ratione, quòd verè non agebatur de duobus beneficiis, ex quibus, uno suppresso, remaneret alterum tantùm, ob dictam munerum, seu respectuum diversitatem, ob quam cessabat ratio inconvenientis, cui incompatibilitas innixa est, ut unus esset vir duarum mulierum, dum hæc Abbatia remanebat in suo esse, habendo proprium Abbatem, cui fixè annexa esset præsidentia universæ Congregationis: Itaque absque dubio rectè dici poterat casus omissus.

Quo verò ad alterum punctum, Dicebam, quòd regula 7
assistebat Generali, ut scilicet, ad instar illius assistentiæ, quam habet Episcopus, circa universam jurisdictionem in sua diœcesi, in omnibus causis, & personis, in quibus de limitatione non doceatur, ex deductis *sub t. de jurisdict. disc. 1. cum pluribus seqq.* ac etiam infrà, *sub t. de Episc. & Prælat. disc. 1.* & pluries, Ita Generalis Religionis habere dicatur jurisdictionem, seu causam universalem, ut gerere possit omnia ea, quæ per jus commune, vel per Constitutiones Religionis sibi prohibita non sunt, juxtà celebres *decisiones Tullen. reformationis coram Dunozetto, Rembolde, & Pirovano,* quæ habentur impressæ apud Tambur. *de jur. Abbatiss. dec. 15. cum pluribus seqq. usque ad 24.* earumque plures repetitæ inter illas Dunozetti, *& in Ulyssippon. juris conferendi habitum. cor.* Pitovano, Merlino, & Rojas *p. 5. recent. dec. 577. 584. 598. & 618.* quarum aliquæ sunt repetitæ inter earundem decisiones particulares, nempè apud Merlin. *decis.* & apud Rojas *dec.* 31. Et consequenter dicebam, quòd intraret sæpiùs insinuata propositio vulgaris, quòd habens pro se regulam habere dicitur intentionem fundatam, donec doceatur de limitatione in dubio non præsumenda, sed probanda per allegantem.

De ista verò limitatione dicebam, quòd ex tenore Constitutionum non docebatur, quòdque reverà esset iste casus omissus; quoniam rectè per Constitutiones disponitur, ut in Capitulo generali, post secutam electionem Præsidentis generalis per universam Religionem, cum eadem forma electionis, fieri deberet electio octo Diffinitorum, cùm isti 8
quoque dicantur Prælati, seu officiales, qui universæ Religionis regimini deputati sunt, tanquam ejus mysticum corpus constituentes; Sed postquam isto corpore efformato, ipsoque Capitulo Generali dissoluto, contingat deficientia alicujus ex his membris, tunc dicitur casus omissus per Constitutiones, ideòque intrat dicta regula generalis permissiva, nullaque adesse dicitur prohibitio, sed potius permissum, ac laudabile dicendum est, ut reliquum corpus, constitutum ex Generali, & aliis Diffinitoribus, istud membrum quod deficit, suppleat ad ipsius corporis integritatem conservandam; Atque si ex deductis in præ-
cedentibus, istius corporis capite deficiente, nempè Gene- 9
rali, cum tunc promptè universa Religio congregari non possit, neque expediat comitiorum tempora consueta intervertere, conceditur pro aliquarum Religionum stylis, vel legibus, reliquo diffinitorii corpori, caput sufficere; Multò magis dicebam, ut licitum esset capiti, aliisque membris, unum inferius membrum deficiens supplere.

Ad id autem comprobandum ponderabam ea, quæ haben- 10
tur *sub t. de Paroch. & Parochiis, disc. 17.* in proposito Exa-

mina-

mina totum synodalium, coram quibus parochialium concursus haberi debent, quoniam earum deputatio fieri debet in ipsa synodo constituta ex universa diœcesi, seu à deputatis, illam repræsentanb. Et tamen si inter unius, ac alterius synodi convocationem, ac celebrationem sequatur mors, vel aliud longum Impedimentum aliquorum Examinatorum, tunc solus Episcopus, cum consensu Capituli Cathedralis, rectè alios subrogat, quoniam aliud est facere electionem, vel deputationem universalem ex integro; Aliud ve-
22 rò facere particularem subrogationem provisionalem.

Clariùs verò, ac extra omne dubium præmissa procedere advertebam, spectato effectu, ad quem de eis agebatur, quod scilicet principalis quæstio non erat, de validitate, vel invaliditate gestorum, & an ea, approbari, vel reprobari deberent, (ad quem effectum quoque credebam, quòd præmissa procederent;) Sed agebatur ad effectum excusandi ab incursu pęnarum gravium, qualis pręsertim est illa caducitatis ab adeò qualificato officio, ad quem effectum, vulgare principium est, in foro quotidianum, ut quævis causa etiam injusta, quæ circa dolum, ac malitiam, justa opinata sit, atque ut nostri vulgò dicunt, etiam fatua, & bestialis sufficit, cùm pro incursu pœnæ formalis requiretur delictum, & consequenter dolus, ac malitia, ex pluries deductis *sub tit. de emphyt.* ac etiam *sub t. de fideic.* in proposito caducitatis ob contraventionem, ac pluries in omni alia ferè materia, præsertim *sub tit. de benefic. disc. 70. & seq.* super distinctione inter exclusionem juris assequendi, & privationem juris quæsiti, cum similibus.

ADNOT. AD DISC. XVI. & seqq.

De materia præcedentiæ inter Regulares habetur *in hoc tit. disc. 70.* Et generaliter *sub tit. de Praemin.* tam in discursibus jam impressis, quàm postmodum *in Supplemento, eod. tit.*

R O M A N A
SEU MONTIS VIRGINIS REMOTIONIS PRIORUM.
PRO PRIORIBUS REMOTIS, CUM GENERALI.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, sopitus tum prudentiali temperamento.

An, & quando Priores, vel alii Prælati, vel officiales locales, per Generalem infra consuetum tempus, destitui, vel amoveri valeant, necne?

S U M M A R I U M.

1 Facti series.
2 De potestate Generalium Religionum.
3 *Beneficia, & officia Regularia sunt obedientiaria, & manualia.*
4 *Quid de Commendis, & Dignitatibus Religionis Hierosolymitanæ, & quomodo conferantur?*
5 *Quando etiam manualium amotio non detur.*
6 *De præjudicio, quod resultat amotis à Prioratu.*
7 *Quòd in Regularibus non de facili intrent limitationes, de quibus, n. 5.*
8 *De Distinctione inter Abbatias, quæ dantur in Capitulo generali, & officia Prioratus.*
9 *Quòd præjudicia resultantia à remotione non sunt considerabilia.*
10 *De differentia inter remotionem generalem, & particularem.*
11 *Ordinarius an possit revocare licentias concessas Regularibus audiendi confessiones?*
12 *Generalis allegatio suspitionis non attenditur.*
13 *Quomodo in his materiis procedendum sit, & de stylo S. Congregationis.*

D I S C. XV.

1 Congregatio fundata per S. Guilielmum, quæ Montis Virginis appellatur, utpotè, neque per universam Italiam dilatata, sed infra quosdam breves Regni Neapolitani fines restricta, cum unico Monasterio in Urbe, singulo quoque triennio suum celebrat Capitulum, in quo interveniunt Abbates, ac fortè etiam Priores locales, atque facta electione Abbatis Generalis, fiunt mutationes Abbatum, aliorumque Prælatorum; Quò verò ad Priores, qui pro ejusdem Congregationis Instituto, præficiuntur illis parvis Monasteriis, quæ Abbatiæ titulum non habeant, sive in Monasteriis Abbatialibus, sub Abbate tanquam vicario, per ejus Constitutiones disponitur, ut sint annales, cum admonitione tamen, ut crebræ mutationes, tanquam damnosæ, quo magis fieri potest, vitari debeant; Cùm autem Generalis, primo anno expleto, præter Congregationis
stylum (ut cessante demerito, Priores etiam per integrum 2
triennium continuent) ferè omnium Priorum amotionem fecisset, alios de novo creando; Hinc amoti, ac etiam aliqui Abbates, eis assistentiam præbentes, recursum habuerunt ad Sacram Congregationem Regularium, quæ cum consuetis ejus legibus prudentialibus, quoddam adhibuit temperamentum, per quod, Generalis existimationi, ac dignitati, ac etiam recurrentium indemnitati, pro majori parte consultum extitit.

In disputatione autem desuper habita; Scribentes pro Ge-
nerali dicebant, fundatam esse ejus intentionem super hac 3
potestate removendi Priores; Tum ea regula generali, de qua *disc. praeced.* ut Generalis habeat causam universalem in omnibus iis, quæ non sint prohibita; Tum etiam in natura beneficiorum, vel officiorum regularium, ut ob votum obedientiæ, non dentur in regularibus beneficia, vel officia perpetua, sed omnia sint manualia, & obedientiaria, nisi Pontificia potestas aliter disponat, quamvis de facto pro communi, ac frequentiori usu ad certum tempus conferri soleant; Quinimò etiamsi ad vitam, ut sunt præsertim Dignitates, & commendę Hierosolymitanę Religionis, quoniam adhuc de stricto jure beneficia manualia, seu obedientialia sunt, ut habentur in sua materia *sub tit. de Regal. disc. 148.*

Et tamen hæc obtineri dicuntur, potiùs ex justitia, quam 4
ex gratia, cùm dignitates conferri debeant, habita ratione benemerentiæ; commendæ verò habita ratione antianitatis, concurrentibus tamen pluribus requisitis necessariis ad habilitationem inducendam, nempè, caravanis, residentia in Conventu, alia residentia in commendis, earum melioramentis, & quòd non sit debitor thesauri, cum aliis, de quibus *sub t. de benef. disc. 68. & seq.* Ex quibus patet, quod non est in libito M. Magistri, vel Religionis gratificari magis uni, quàm alteri, dictumque ordinem intervertere; Multò igitur magis, in hujusmodi Prioratibus, vel similibus prælaturis localibus, cùm non sint beneficia, sed mera officia, collata ad libitum Superioris, qui poterat alium deputare.

Scribens ego pro Prioribus amotis, non negabam præmis- 5
sorum veritatem, pro regula generali, cum sint vera de jure, atque controverti non possint; Dicebam tamen ut intrarent limitationes, de quibus in materia manualium habetur *in eodem t. de benef. disc. 80. & 97.* ac etiam in proposito officiorum *d. disc. 148. de Regalibus*; Primò scilicet ubi grave præjudicium in fama, seu aliàs, amoto exindè resultet; Et secundò, ubi amotio, ex livore, seu ex malo animo fiat.

Utramque autem limitationem dicebam ad rem applica- 6
ri; primam scilicet gravis præjudicii; Tum ob diminutionem famæ, seu existimationis, quæ resultat ea remotione præter solitum; Tum fortiùs, quia ex Constitutionibus hujus Congregationis, ad instar Cassinensium, ac aliarum similium, vacantibus Abbatiis, quæ formalem prælaturam, saltem habitualiter perpetuò importare dicuntur, illæ provideri debent personis in hoc prioratus gradu constitutis, & consequenter remotis à prioratu causat hanc inhabilitationem (prout in facto supponebatur, atque nonnulla dabantur argumenta,) ut non ex aliqua demerentia, vel justo motivo, sed ex factionariis æmulationibus id provenisset, ut ita æmuli factio debilitaretur, atque propria impinguaretur, juxtà connaturale malum, quod regnare solet inter Regulares, omnesque alios, cum quibus comitia, vel actus electivi practicantur.

Quamvis autem istæ limitationes (quæ more Advocati 7
scribentes ad causæ opportunitatem, latè exornabantur cum copiosis allegationibus transcriptis ex iis, quæ habentur insinuata *dict. disc. 80. & 97. de benefic.*) sint pariter in abstracto veræ in suis respectivè casibus; Attamen reflectendo ad veritatem, advertebam, quòd periculosum esset cum hac generalitate procedere, quòdque ubi ageretur de singularibus remotionibus, difficile videatur cum Regularibus, ubi agatur de hujusmodi officiis, & prælaturis localibus, eas ad praxim reducere, cum ita esset intervertere regimen Regulare, ac Regularem disciplinam destruere, tollendo obedientiam, quæ est primum, ac potissimum vitæ Regularis fundamentum.

Potissimè verò in hac facti specie, quòd non agebatur de

remotione omninò indebita infrà annum contra formam Constitutionum præcipientium, ut Priores debeant esse annales, ad differentiam Abbatum, qui sunt triennales.

8 Et quo casu magis circumspectè procedendum est, præsertim ubi agatur de officiis, vel prælaturis collatis, non ad solo libito, vel benevolentia Superioris amoventis, sed in Capitulo, vel Congregatione generali, vel provinciali respectivè, cùm tunc, circa obedientiæ violationem, si non per viam formalis appellationis, quæ non datur illi, qui jus formatum non habet, saltim per viam recursus, vel querelæ, per Superiores, & præsertim per hanc sacram Congregationem demandari soleat reintegratio, ut frequens praxis docet.

9 Siquidem id secutum fuerat expleto anno, ad formam Constitutionum, ideòque fuit solùm negare illam conniventiam, quæ haberi solet super continuatione integri triennii, quando rectè se gerant in munere; Ac propterea, ubi ageretur de una, vel de duabus remotionibus inter plures, tunc mihi videbatur, ut in contrarium assisteret major probabilitas, nisi clarè doceretur de livore, qui in dubio non est præsumendus; Neglecta altera limitatione, quæ resultat ratione præjudicii resultantis ob diminutionem existimationis, vel ob contingentiam vacationis Abbatiæ, quoniam ista videntur præjudicia connaturalia remotionis, ejusque consecutiva, ideòque in hujusmodi officiis Regularibus, non de facili attendenda, quoniam, ut dictum est, ita perverteretur ordo disciplinæ regularis, cùm sæpiùs congruat removere à loco superiorem localem ex justis causis occultis, quas pro decore Religionis, aliisque justis, vel prudentialibus motivis patefacere non expedit.

10 Quia verò agebatur de remotione pene generali omnium Priorum, adeò ut id importaret universalem mutationem, cui congruere non poterant præmissæ rationes, quæ intrant in aliqua remotione particulari; Hinc proinde stantibus præsertim probationibus, vel efficacibus argumentis, ut id ex motivo factionariæ divisionis, vel æmulationis provenerit, dicebam (etiam cum sensu veritatis) ut pro retractatione eorum, quæ gesta erant, responderi deberet, ut de facto saltim pro majori parte, cum insinuato prudenti temperamento, secutum fuit.

11 Ad id autem probandum ponderanda ea, quæ habentur *in Panorm. sub c. de jurisd. disc. 32. & supra disc. 1. & in adnot. ad S. C. T.* quòd scilicet quamvis in libito Episcopi sit revocare licentias, vel facultates concessas Regularibus, audiendi confessiones sacramentales sæcularium, neque eaindè detur appellatio, vel recursus, quoniam id sequi potest ex justis causis sibi cognitis per extrajudiciales notitias & informationes, quas patefacere non convenit; Attamen si esset remotio generalis, puta omnium Regularium in genere, sive omnium professorum illius Religionis, (quando illi essent in aliquo numero considerabili) ista generalitas cuidam livori potiùs referenda venit. Ideòque sacra Congregatio restitutionem demandare solet, juxtà plures declarationes relatas per solitos earum Collectores, præsertim per eosdem Regulares, qui ut plurimùm scribere student, atque libros edere, pro earum juribus, ac prærogativis tuendis.

12 Atque in idem considerabam ea, quæ in jure recepta habemus, ac in foro quotidiana circa recusationem Assessorum, vel peritorum, seu Notariorum, vel delegatorum, ac aliorum, quos de jure absque necessitate probandi justam causam, recusare licet, quoniam si fiat indiscreta recusatio generalis, puta omnium peritorum & professorum alicujus Civitatis, tunc illa tanquam indiscreta, æmulationis, vel calumniæ potiùs habens suspicionem non venit attendenda, Bald. *in l. hoc modo, sub n. 1. ff. de condit. & demonstr*, cum concordantibus per Laurent. *de jud. suspect. c. 3. n. 5.* Cyriac. *controv.* 373. *n. penult. & fin.* & habetur *sub tit. de judic.*

13 Hinc proindè, in hac materia remotionis superiorum localium, certa, & determinata regula dari non potest, atque erroneum est cum generalitatibus procedere, cùm verius sit, ut totum pendeat ex facti qualitate, & circumstantiis, præsertim verò ex stylo particulari illius Religionis, unde meritò (ut occasione agendi de ista sacra Congregatione Regularium *lib. sequenti* agendo de relatione Curiæ advertitur,) ea cum regulis prudentialibus pro facti qualitate procedere solet potius, quàm cum leguleicis rigoribus: Et consequenter, materia non est capax certæ, ac determinatæ regulæ generalis, quæ cuicunque casui applicari possit.

ROMANA PRÆCEDENTIÆ
PRO ASSISTENTIBUS, VEL COLLEGIS GENERALIS MINORUM,
CUM PROVINCIALIBUS, ET CORRECTORIBUS LOCALIBUS.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium, resolutus pro Assistentibus.

De quæstione præcedentiæ inter Assistentes, seu Collegas Generalis, & locales, vel Provinciales Superiores, in loco propriæ prælaturæ.

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *Resolutio.*
3 *De præcedentia debita Parocho, vel Rectori in propria Ecclesia supra digniores.*
4 *Declaratur quando & quomodo id procedat.*
5 *De differentia inter socios Generalis, & socios Provincialis.*
6 *Membra non debent separari à suo capite, neque corpus scindi.*
7 *De distinctione, an Canonici interveniant cum Episcopo jure singulari, vel potiùs capitulariter.*
8 *Subditus non debet præcedentiam habere supra superiorem.*
9 *De auctoritate speciali in casu, & de ratione.*
10 *Rejicitur specialis auctoritas contraria.*
11 *De ratione, ob quam Cardinales præcedunt Patriarchas, & Archiepiscopos, ac Episcopos, & qualem participationem habeant Cardinales cum Papa.*

D I S C. XVI.

1 ORdo Minimorum, in universum regitur per Generalem, & tres Assistentes (qui Collegæ nuncupari solent,) atque in Capitulo Generali eliguntur eodem modo quo ipse Generalis, cum distributione nationum, Unus scilicet pro Italica; Alter pro Gallica: Et alter pro Hispanica, votum decisivum cum eo habentes, generale Diffinitorium constituentes, eo modo quo ferè omnes Religiones reguntur, cum sola vocabulorum diversitate, quòd scilicet, In aliquibus dicuntur Assistentes; In aliis Diffinitores; In aliis Consultores: Et in aliis Socii &c. Isti autem, quando extra visitationem, singulariter morantur sibi destinatis Conventibus, suum locum, pro Religionis legibus, vel stylis occupant, sub locali Superiore, qui omnes præcedit. Ubi verò unà cum Generali, occasione visitationis, Religionem peragrant, tunc digniorem locum propè Generalem, supra locales, vel provinciales superiores, in choro, & in mensa, aliisque functionibus habere consueverunt, usque ad annum 1655. in quo in Capitulo Generali Romæ celebrato, statutum fuit, ut Collegæ, tam Generalis, quàm Provincialium, juxtà mentem regulæ, etiam in actu visitationis, alium non debeant habere locum, nisi illum suæ primogenituræ.

2 Hinc proinde adversus istud decretum, Assistentes, vel Collegæ Generalis electi in Capitulo celebrato de anno 1667. recursum habuerunt ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, prævio rescripto Sanctissimi, eidem directo, à qua de anno 1668. prodiit resolutio, ipsis Assistentibus favorabilis, in alia propositione, occasione novæ audientiæ, confirmata, incertumque est, an controversia ulteriorem progressum habuerit, dum de illa amplius actum non audivi.

3 In disputationibus autem desuper habitis Scribentes pro superioribus localibus potissimum fundamentum constituebant in iis, quæ habentur *sub c. de præeminent. disc. 17.* super præcedentia debita Parocho in propria Ecclesia, supra Canonicos, vel Dignitates, aliosque digniores Prælatos, quoniam tam legis dispositio, quàm naturalis ratio suadent, ut Prælatus in propria prælatura, omnes alios præcedere debeat. Unde propterea Episcopus in propria diœcesi, qui leges congruentiæ, ac urbanitatis servare nolit, præcedit, ac longè majores habet præeminentias, supra Archiepiscopos, aliosque digniores Prælatos exteros, qui eum sine dubio in loco tertio præcederent; Ita in hujusmodi, ac similibus generalitatibus immorando, easque cum consueto inepto stylo moderno, cum inani chartarum repletione, copiosissimis allegationibus exarrando, quamvis plana & præsupponenda essent.

Scri-

4 Scribens autem pro Assistentibus (etiam cum sensu veritatis, qualem Sacra Congregatio agnovit,) dicebam quòd dictæ generalitates sunt veræ in suis casibus, ubi scilicet dicti Assistentes singulariter in loco morarentur, sive ubi essent solùm socii materiales Generalis absque voto decisivo, adeòut non haberent regiminis necessariam participationem, quamvis votum consultivum haberent, adeòut non efformarent corpus politicum, seu intellectuale, quod sit universæ Religionis repræsentativum; Ad instar eorum, quæ *sub dicto tit. de præeminent. eodem disc. 17.* habentur de illis Dignitatibus, & Canonicis Cathedralis, quia associant Episcopum visitantem diœcesim, quoniam, cùm non habeant necessariam participationem in visitatione, vel administratione, minusque efforment unum corpus cum Episcopo, eo modo quo efformat totum Capitulum Cathedralis, Ideircò non præcedunt Rectores in propriis Ecclesiis, vel Capitulum Collegiatæ.

5 Eodem modo, quo in hac Religione practicatur in sociis Provincialis, quibus meritò, etiam quando sunt cum Provinciali provinciam peragrante occasione visitationis, non competit præcedentia super Correctores, vel Prælatos locales, quoniam habent solum votum consultivum, non autem decisivum: Atque in hoc dicebam, quod versabatur æquivocum, cum quo in dicto Capitulo generali anni 1656. processum fuerat, exæquando socios, vel collegas Provincialis, istis Assistentibus, ita cum istis pariformiter determinando id, quod in sociis Provincialis practicandum est: Id etenim continet æquivocum manifestum, ob notabilem differentiæ rationem, quoniam isti Assistentes electi in Capitulo Generali habent votum decisivum, atque constituunt unum, & idem corpus, universæ Religionis repræsentativum, cujus Generalis est caput, ipsi verò sunt membra, eo modo quo Ecclesiæ Cathedralis corpus constituunt Episcopus, & Capitulum.

Hinc proinde duæ intrabant planæ propositiones: Primò

6 nempè, quod membra non debent à suo corpore separari, neque corpus per frusta scindendum est, Fœlin. *in c. cum non liceat, de præscript. n. 2.* cum concordantibus per Barb. *de Canonice c. 18. n. 44. & seqq.* Grat. *discept. 101. n. 2. cum seqq.* cum concordantibus *d. disc. 17. de præcedent.* & in decisionibus in ea causa editis ubi de distinctione, an cum Episco-

7 po interveniat Capitulum ejusdem corporis constitutivum, vel interveniant solùm aliqui Capitulares, tanquam singuli pro associatione materiali, & consultiva, adeòut non intret dicta ratio.

8 Et secundò, quia cùm isti Assistentes, dum sunt in visitatione, sint superiores Provincialium, & Correctorum, adeòut possint ex justis causis eos punire, corrigere, privare, & carcerare, juxtà facti qualitatem, hinc proinde dicuntur superiores: Provincialis autem, vel superior localis est subditus, & consequenter improprium est, ut subditus præcedat superiorem, atque Judex stet sub eo, juxtà plenè deducta per Abb. *cons. 21. lib. 1.* & habentur pluries in dicta sua materia *sub tit. de præeminent.* occasione agendi de hac materia præcedentiæ, cujus sedes ibi est.

9 Idèòque fundatè Pereious ejusdem Ordinis professor *in glos. ad Const. Urban. VIII. n. 18.* in specie hoc firmat, assignando dictam rationem, quòd scilicet isti sunt conjudices, ideòque præcedere debent omnes illos, qui eorum visitationi, & correctioni subjecti sunt, nam aliàs eorum dignitas vilesceret, neque subditus timeret superiorem, atque in dies orirentur inconvenientia, nullatenus permittenda, quoniam isti primarii superiores universæ Religionis directores, ipsam repræsentantes, cogerentur quotidie lites suscipere cum iis, quos judicare debent super eorum primogenitura, seu antianitate, illamque justificare, etiam in remotis Provinciis diversi idiomatis, quo nil absurdius.

10 Dictum verò æquivocum, cum quo in præfati decreti editione processum fuit, provenit ab erronea assertione Passareli ejusdem Ordinis professoris, præsupponentis, quod isti essent solùm socii Generalis, pro materiali honorifica associatione, eo modo quo sunt socii Provincialis, juxtà dictum exemplum Canonicorum Cathedralis associantium Episcopum, qui non sunt conjudices, neque faciunt corpus: Contrarium etenim est in istis Assistentibus, qui propterea censendi sunt, post Generalem, primates Religionis, adeòut eis congruant ea, quæ aliis relatis habentur apud Lotther. *de benefic lib. 1. q. 8. n. 34. & seqq.* & præsertim *n. 57. & seqq.* super ratione, ob quam Cardinales præcedunt Patriarchas, & Archiepiscopus, ac Episcopos, quamvis isti sint constituti in ordine majori, ob quandam scilicet participationem, ad quam per Papam assumpti sunt pro regimine Ecclesiæ universalis, unde propterea dicendi veniunt Judices, & superiores Episcoporum, & Archiepiscoporum ab eis judicandorum.

Quinimò advertebam, quòd major urgeat ratio in isto 11 casu, quàm in dicto exemplo Cardinalium, quoniam ipsi in iis, quæ concernunt usum clavium, & Pontificiam administrationem, habent eam participationem, quam Papa, qui absolutum est, atque unicum caput, dare voluit, ut habetur *lib. seqq.* in relatione Curiæ occasione agendi de Sacr. Consistorio, & de Collegio Cardinalium: Isti autem sunt electi non ab ipso Generali, sed ab universa Religione, atque habent votum decisivum, & penè coæquale tanquam membra æquè concurrentia ad constitutionem corporis, in quo Generalis facit figuram solùm capitis non facientis suas operationes, sine reliquo corpore, unde propterea termini sunt fortiores.

ROMANA PRÆCEDENTIÆ,

INTER ALIQUOS MINORES OBSERVANTES REFORMATOS.

Responsum pro veritate.

An Vicarius Guardiani, seu alterius superioris qui secundum locum propè superiorem occupare debet in casu, in quo idem superior, ob interventum alterius superioris majoris, occupet secundum locum, debeat occupare tertium, vel potius, continuando propè personam dicti superioris localis, debeat occupare quartum, cedendo tertium alteri digniori. Et generaliter de gradibus, & præcedentiis in Religione Minorum strictioris observantiæ.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Prima Dignitas, quæ occupare solet primum locum in Choro à dexteris Episcopi, interveniente Vicario Generali sedet à sinistris.*
3 *Quæ verba ostendant sessionem immediatam.*
4 *Quando sessio prope superiorem, & supra alios digniores, non importet præcedentiam, sed alium effectum.*
5 *De alio casu controversia.*
6 *De præeminentia etiam finito officio, vel prælatura.*
7 *An ista Religione reformata, & aliis similibus congruat, ut adsint gradus, & præcedentia?*
8 *De historia Religionis Minorum.*

D E S C. XVII.

Cum Urbanus VIII. in quibusdam ejus literis in forma 1 brevis expeditis de mense Decembris 16.3. præscribendo modum præcedentiæ inter PP. Minores strictioris observantiæ, qui vulgò Reformati nuncupantur, statuisset, ut Vicarii locales, qui omnes alios religiosos præcedunt, locum cedere debeant illis, qui nuncupantur Patres Ordinis, vel Patres Provinciæ, utpotè dignioribus, præterquam in refectorio, in quo juxta, ac propè Guardianos sedere debeant; Cùmque consuetudo sit, ut Guardianus sedeat in principio mensæ, hinc resultat, ut Vicarius præcedat illos digniores religiosos, qui sint Patres Ordinis, vel Provinciæ, qui in choro, ac processionibus, aliisque actibus, super eum præcedentiam habent: Verùm quia aliquando contingit, ut in refectorio interveniat Minister, seu Vicarius Generalis, qui ex consuetudine, non sedet in principio mensæ, ut facit Guardianus, sed in medio, unde propterea Guardianus, tanquam omnibus dignior, occupando secundum locum, sedet à dextris Generalis, à sinistris verò sedere debet alter dignior, qui immediatè veniat post Guardianum, & sic successivè. Hinc proindè orta controversia, an dignior tertius locus à sinistris Generalis, occupari debeat per Vicarium, qui utpotè sedere solitus propè Guardianum, omnes alios præcedit, vel potiùs iste locus debeat occupari per digniorem Patrem Ordinis, vel Provinciæ, Vicarius autem continuando sessionem propè personam Guardiani à dextris, in quarto loco sedere debeat: Atque super hoc per hujus Ordinis Ministrum Generalem pro veritatem consultus.

Respondi, quòd ubi Vicarius, ratione officii præcedentiam generalem haberet supra omnes alios religiosos, tunc indubitanter, pro eo respondendum esset, quoniam illa immediata sessio post Guardianum, non diceretur localis, seu materialis, sed formalis, ideòque sedere deberet in tertio lo-

eo propè Generalem, ne daretur inconveniens, ut minus dignus præcederet magis dignum.

2 Hinc proinde habemus, quod cùm Vicarius Generalis, præcedendo omnibus Canonicis, & Dignitatibus sedeat in loco digniori immediatè post Episcopum, si casus præbeat, ut interveniente Metropolitano, vel Cardinali Legato, qui occuparet primum locum, adeòut Episcopus secundum occuper, tunc Vicarius non sedebit in quarto loco post Episcopum, sed in tertio propè Legatum, vel Metropolitanum; Ut sæpius declaravit S. Congregatio Rituum in casu frequentius contingibili, de Vicario Generali intervenire in choro, in quo sedes Episcopi sit in medio, adeòut propè eundem à dextris sedeat prima, & à sinistris secunda Dignitas, quoniam interveniente Vicario Generali, qui occupet primam sedem à dexteris Episcopi, quæ occupari solet per primam Dignitatem, tali casu dicta prima Dignitas, non sedebit in quarta sede à dextris post Vicarium, sed in tertia à sinistris propè Episcopum, quoniam semper locus dignior per digniorem est occupandus, & sic successivè.

3 Verùm quia in isto casu Vicarius Conventus non est dignior PP. Ordinis, vel Provinciæ, dum isti eum in aliis omnibus functionibus præcedunt: Hinc proinde mea sententia fuit, ut hujusmodi Vicarii sessio propè Guardianum in refectorio esset potius materialis, quàm formalis, ut scilicet semper sedere debeat propè personam Guardiani; Id autem mihi probari videbatur, tam in sensu literali, quàm in analogico literarum Apostolicarum; Siquidem consideratis illis verbis *juxta*; *propè*, *& immediatè*, illa proximitatem materialem denotant, adeòut inter unum, & alterum nullus adsit intermedius, ex deductis *in Valentina juris sedendi coram Merlino. inter suas dec. 607. & in eod. dec. 31. 66. & dec. 224. p. 7. rec.*

Si verò attendimus sensum analogicum, illa immediata sessio Vicarii post Guardianum, sonare non potest in dignitatem, ac præminentiam supra PP. Ordinis, vel Provinciæ, dum isti in omnibus aliis actibus reputantur digniores, cumque præcedunt, ex præscripto earundem litera-
4 rum, quæ aliàs contradictionem continerent; Ideòque dicendum esse mihi videbatur, ut hæc sessio in refectorio, ita demandata fuisset, ad duos effectus, ex quibus de materiali immediata sessione Papa sensisset: Primò nempè, ut si contingat, quod Guardianus abesset à mensa, vel ex alio accidenti non posset munus suum explere, esset ibi proximus Vicarius, qui promptè illius partes suppleat; Et secundò (meo judicio proprius) quoniam in refectorio culpæ religiosorum auscultantur, atque mortificationes imponuntur, pro culpis commissis in choro, vel in Conventu, aut in ipsomet refectorio; Officium autem Vicarii videtur principaliter in hoc versari, in advertendo scilicet religiosorum defectus, illosque referendo Guardiano, qui ut plurimum, cùm sit senex, vel aliàs impeditus, non potest omnia per se ipsum observare; Ideò expedit, ut Vicarius sedeat propè, ac juxta personam Guardiani immediatè, ad hoc ut possit illum ad aures certiorari de erroribus, & culpis religiosorum: Id autem sine scandalo contingere non potest, si alter adesset intermedius inter Guardianum, & Vicarium, ideòque sedere debet juxta ipsum materialiter, ad effectus prædictos: Istudque fuit meum votum: Incertum tamen est quid in praxi servetur.

In hoc autem proposito graduum, ac præcedentiarum, in ista reformata Religione profitente vivere justa primævum Institutum, disputavi in Sacra Congregatione Visitationis
5 Apostolicæ, cui Pontifex rem consulendam commisit, an permittendi essent quidam gradus honorifici, seu præminentiales secum ferentes quasdam prærogativas, illam præsertim, quæ in Religione Minorum explicari solet sub nomine paternitatis Ordinis, vel paternitatis provinciæ: Cùm etenim de anno 1634. per literas Urb. VIII. in istis Minoribus strictioris Observantiæ, hujusmodi gradus, vel honores aboliti essent, qui tanquam pristinæ dignitatis reliquiæ remanent pœnes eos, qui Ministri, vel Commissarii, aut Procuratores, aut Secretarii, aut Diffinitores generales, vel respectivè provinciales, aut per aliquod tempus concionatores vel lectores fuerint: Deinde verò de anno 1642. experientia doccute nimium præjudiciale videri, ut eadem esse deberet literatorum, ac merentium conditio, qualis erat illa demerentium, & segniorum: Hinc idem Urbanus moderato dicto decreto anni 1634. priorem statum restituit, observatum usque ad annum 1665. in quo Alexander VII. ad petitionem aliquorum religiosorum provinciæ Romanæ tantùm dictas literas Urbani de anno 1634. reintegravit, revocando illas anni 1642. unde propterea aliarum provinciarum religiosi istas prærogativas habentes recursum habuerunt.

Scribendo autem pro eis dicebam, quòd juris regulæ ipsis 6
assistunt, ut scilicet iis, qui in iis officiis, & prælaturis majoribus versati fuerunt, aliquas retineant prærogativas tanquam reliquias pristinæ dignitatis ad textum *in l. major dignitàs. C. de dignit. lib. 12. l. 1. & 2. C. de præfect. pretor. lib. 12.* cum concordantibus plenè collectis per Mastrill. *de magistrat. lib. 4. cap. 13. n. 69. & 72.* Apont. *de potest. Prorog. t. de elect. official. §. ult. n. 19.* Rovit. *pragm. 1. de t. abus. n. 24. & seqq.* & habetur alibi insinuatum, præsertim *sub tit. de feud. disc. 84.* occasione agendi, an Barones post venditum, vel refutatum feudum retineant baronales prærogativas, ac veniant sub Bulla Baronum.

Difficultas autem residebat in ratione assignata in proœmio literarum Alexandri, quod scilicet, cum justa primævum institutum, isti religiosi summam paupertatem summamque humilitatem profiteantur, idcirco eidem instituto ac regulæ fundamentali adversari videantur hujusmodi honores, & prærogativæ, quasi quod illæ prodierint ex eadem relaxatione, ex qua prodiit acquisitio, ac retentio bonorum, & redituum, ac etiam latior modus, circa victum, & vestitum.

Verùm in hoc mihi videbatur, quòd procederetur cum aliquo æquivoco, quoniam, cùm ista Religio profiteatur stu-
dium literarum, tam pro concionibus, & confessionibus, 7
quàm etiam pro aliis Ecclesiæ universalis occurrentiis: Hinc proinde istę honorificentiæ videntur congruæ, & quodammodo necessariæ ad alliciendum religiosos, ut vacent studiorum laboribus, quos frequentius natura abhorret, utpotè salutis, ac vitæ destructivos: Cùmque in victu, & vestitu, ac aliis, quæ concernunt corpus, ad præscriptum regulæ, literatorum, ac illiteratorum, & sic laborantium, & segniorum, æqualis sit conditio, congruum idcircò est, ut partes intellectus, in quibus isti differunt, aliqua habeant præeminentiam, quoniam aliàs ita paulatim esset inducere desertionem culturæ literariæ. Et consequenter de duobus, eligendum est id, quod sit minus malum, seu Religioni in universum, vel universalis Ecclesiæ servitio est magis proficuum.

Quòdque hujusmodi honorificentiæ, non adversentur 8
primævo Instituto, atque sint compatibiles cum summa paupertate juxta modum præscriptum *in cap. exiit, de verbor. signif. in 6. & Clementina exivi eodem t.* repetebam scribendo in ista causa eandem hujus Religionis historiam, de qua habetur supra, *disc. 6. & sub t. de præminent. disc. 11.* quòd scilicet, etiam circa ea primæva tempora quando his religiosis, Conventualium nomen, etiam sub Innocentio IV. attributum legitur, (non quia haberent illam privilegiativam regulæ relaxationem, quam habent hodierni Conventuales, sed ita explicati ad differentiam illorum, qui non vivebant in Conventibus, sed more anachoritico in speluncis, vel capannis,) istæ præeminentiæ erant in usu, atque continuarunt, etiam postquam justa enunciatam historiam, S. Bernardinus Senensis, & alii, hanc strictiorem regulæ observantiam induxerunt; Nimiumque in hoc deferri debere dicebam judicio universæ Religionis simul congregatæ in Capitulo generali celebrato de anno 1493. in quo iste punctus examinatus fuit, atque discussis argumentis hinc inde confluentibus, conclusum est, ut ita continuare deberet, ob dictam rationem præponderantiæ majoris boni, quod ob culturam literarum, ac majorem emerentiam resultat, nedum ipsi Religioni, sed etiam Ecclesiæ universali, cùm sine præmio virtutis, ac sine punitione vitii, nulla Respublica benè administrari valeat, minusque proficere, præsertim in studiorum occupatione, quæ pessima dici solet; Benè verum, quòd istæ regulæ hodie videntur abire in desuetudinem.

ROMANA PRÆCEDENTIÆ

INTER MAGISTROS PROVINCIÆ ROMANÆ,

ET ILLOS ALIARUM PROVINCIARUM ORDINIS S. DOMINICI.

Responsum pro veritate.

De ordine præcedentiæ, sive antianitatis, inter magistros Ordinis Sancti Dominici, an desumi debeat à die magisterii; vel à die dimissionis intra numerum præfinitum? Et quid in concursu illorum, qui sint de provinciis numerati, cum aliis de provinciis non numeratis?

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *FActi series, & de ordine Magistrorum.*
2 *Magisterium idem est, ac Doctoratus.*
3 *Inter Doctores attenditur antiquitas Doctoratus, & si eadem die ambo creati sint, attenditur ætas.*
4 *De ordine præcedentiæ inter Episcopos, & alios Prælatos.*
5 *Canonicus supranumerarius non est verus Canonicus.*
6 *Quòd creatio supranumerariorum importet gratiam expectativam.*
7 *Quando incipiat prærogativa ejus, qui creatus est officialis.*
8 *De concursu Canonici ab initio talis, & Canonici supranumerarii.*

D I S C. XVIII.

1 IN Ordine Prædicatorum, sive S. Dominici, circa gradum magisterii, ejusq; præeminentias, difformis habetur usus, quoniam in aliquibus provinciis eo ipso quòd aliquis Religiosus creatus est magister, obtinet omnes magisterii prærogativas, absq; aliqua numeri præfinitione, In aliis verò, adest numerus præfinitus, adeòut ille, qui creatus est magister, potiatur solùm prærogativa nuncupationis, alias vero non obtineat, nisi postquam admissus fuerit intra numerum præfinitum, ut præsertim servatur in provincia Romana, quæ est numerata; Cum autem in Conventu Urbis supra Minervam, ob residentiam Generalis contingat, ut frequenter moram trahant plures, fere omnium provinciarum magistri; Hinc inter istos, præsertim provinciarum Aragoniæ, Portugalliæ, & Trinacriæ, quæ non sunt numeratæ, & magistros Romanos, adhuc intra numerum non admissos, quamvis prius creatos, vel etiam admissos de recenti post creationem illorum aliarum provinciarum, orta est præcedentiæ quæstio, an scilicet, & ex quo tempore, antianitas magistrorum provinciæ Romanæ metienda esset, atque desuper per magistros provinciarum cæterarum consultus.

2 Respondi, ut pro istis probabilius respondendum videretur, quòd scilicet, quoad Romanos, vel alios numeratarum provinciarum creatio sequi dicatur, non quando dignitas magisterii confertur, sed quando sequitur ejus effectus, per admissionem intra numerum, cùm tunc incipiant esse magistri, atque obtinere illos magisterii effectus, quos in instanti creationis obtinent illi aliarum provinciarum, non numeratarum; Cùm etenim magisterium verè, ac propriè importet id quod inter seculares scientiarum professores importat doctoratus; Hinc proinde, ad effectum præcedentiæ,

3 inspiciendum est, quando iste gradus obtineri incipiat, quoniam in jure passim receptum est, ut antiquior Doctor præferatur juniori, *ex gl. in l. cum quid, verbo novum, ff. si cert. pet. & in l. providendum, C. de postul.* cùm concordantibus, Chassan. *in catalog. glor. mund. p. 10. consid. 29.* & tanquam absolutum habetur apud Bart. *in l. ff. de obseq. a liber. patr. prastand.* ubi de duobus, qui doctorantur eodem tempore, quis eorum præcedere debeat, ut attendatur ætas, de quo Mastrill. *de magistr. lib. 5. cap. 4. n. 15.* Fab. de Ann. *seu scribentes apud eum, cons. 136. n. 7.* ubi multa de præcedentia attendenda ea prioritate temporis, de quo etiam apud Capyc. Latr. *consult. 43. n. 8.* & apud alios frequenter.

4 Idque etiam habetur in omnibus aliis gradibus Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, ubi ordines non sint distincti; Atque ubi sunt distincti, intra illos ejusdem ordinis; Ut etiam inter Cardinales, ac Archiepiscopos, & Episcopos respective praxis docet, ut *sub tit. de praeminent. disc. 16.*

5 Quòd autem in istis magistris provinciarum numeratarum, attendi non deberet tempus creationis, sed illud admissionis intra terminum præfinitum, & consequenter, quod tunc dicerentur creati magistri, non autem prius; Ponderabam ea, quæ habemus in Eccl. Cathedralibus, vel Collegiatis numeratis, in quibus contingat creari Canonicos supranumerarios, quoniam isti non dicuntur veri Canonici, sed potius Canonici in herbis, tanquam expectantes futuram qualitatem canonicalem, quando locus præfinitus eis aperiatur. Interim verò non sunt Canonici, sed incipiunt esse, quando locus aperiatur, ad notata per Abbat. *in c. cum M. Ferrar. de Constit.* cum concordantibus collectis per Barb. *de Canon. c. 3. n. 13. & seqq.* & insinuatur in sua materia, *sub tit. de Canon. & cap.* præsertim *in Collect. disc. 6.*

6 Hinc proinde creatio illorum magistrorum, dicitur solùm quædam concessio gratiæ expectativæ, sive præventiva futuræ dignitatis præparatio, sine effectu, sortituro, postquam locus aperiatur, vel aliquæ solemnitates adimpleantur;

In idem quoque conferre dicebam ea, quæ habentur *sub tit. de praeminent. disc. 28.* super officialibus creatis, ut locum, seu præcedentiam non occupent, aliasque officii prærogativas non obtineant, nisi postquam servatis servandis, ad Collegium, seu Tribunal admissi fuerint. 7

Ac propterea, si una Ecclesia Cathedralis, vel Collegiata sit non numerata, itaut, eo ipso, quòd quis effectus est Canonicus, obtineat omnia jura canonicalia; Altera verò sit numerata, unde propterea non obtineant jura canonicalia, nisi illi qui sunt de numero, utique nil refert, quòd aliquis Canonicus supranumerarius creatus fuerit, in ista numerata priusquam crearetur alter Canonicus in non numerata, quoniam hic secundus erit dignior, dum illicò, & ab initio est perfectè Canonicus ad omnes effectus, qualis non est alter, qui incipit esse talis, quando ejus gratia effectum recipit. Istique mihi videbantur termini ad rem applicabiles; incertum est autem quid secutum sit. 8

MEDIOLANEN. PRÆCEDENTIÆ,

PRO PP. CISTERCIENSIBUS,

CUM PP. CASSINENSIBUS.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Rituum, & resolutus, ut infra.

De præcedentia inter Religiosos, eorundemque divisione, si aliquo tempore uniti incedere consueverint; Et incidenter de origine Ordinis Sancti Benedicti, ejusque variis Congregationibus.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *De suppressione Humiliatorum.*
3 *Resolutio causæ.*
4 *Quod error sit assumere quæstiones juris extra causæ necessitatem.*
5 *Canonici Regulares Lateranenses censeatur potius de clero seculari.*
6 *Res judicata facit statum, atque de albo nigrum.*
7 *Consuetudo in materia præcedentiæ est attendenda, & de Constitutione Gregorii XII. in hac materia.*
8 *De præeminentia Ecclesia S. Ambrosii Mediolani.*
9 *De ordine Hierarchiæ, ob quam ordines seculares præcedunt Regulares.*
10 *De præcedentia Basilicæ Sancti Pauli de Urbe.*
11 *Et de illa ejus Abbatis, in quo differat ab Abbatibus aliorum Monasteriorum.*
12 *Antiquitas receptionis in loco, seu fundationis attendi debet pro præcedentia.*
13 *De præcedentia Ecclesiæ matricis supra filiales.*
14 *Attenditur tempus fundationis Conventus, non curata mutatione Religiosorum.*
15 *Capitulum quod de seculari fiat Regulare, vel è contra, non amittit suam antiquitatem, & præeminentias.*
16 *De historia Religionis Sancti Francisci, ejusque reformationum.*
17 *De historia Religionis Sancti Benedicti, ejusque Congregationum.*
18 *Quomodo antiquitus Monasteria Monachorum regebantur.*
19 *De introductione diversarum Congregationum S. Benedicti, sed quod omnes dicantur ejusdem Ordinis.*
20 *De Congregatione Cisterciensi præsertim.*
21 *De Congregatione Cassinensi.*
22 *An unio aliquarum Religionum, vel Monasteriorum debeat dissolvi.*
23 *Incessus sub Cruce, vel vexillo denotat subjectionem.*
24 *De pluribus speciebus unionum, & quando ea dicatur coequalis, vel subjectiva.*
25 *De interesse in continuatione antiqui status ob retentionem alicujus dignitatis, vel præeminentiæ.*

D I S C. XIX.

AD tollendas præcedentiæ controversias in Civitate Mediolani exortas inter Cassinenses, & Humiliatos, 1 usq; ab anno 1492. Cassinenses ex quadam amicabili compositione Ducis, ac Senatus incesserunt sub cruce Cisterciensium S. Ambrosii, quibus Humiliati locum concedebant. Postquam verò juxta seriem enunciatam, *sub tit. de regalib.*

2 *galib. disc.* 51. Ordini Humiliatorum suppressio secuta fuit;
Cassinenses incessum sub propria cruce, ac præcedentiam
supra Cistercienses prætendere cœperunt; Cùmque non pro-
fecissent aliquæ provisiones desuper captæ, idcircò delata
fuit causa ad Sac. Congregationem Rituum, quæ Cister-
ciensibus manutentionem in quasi possessione præcedentiæ,
Cassinensibus autem remissoriam concessit, ad faciendum
3 eas probationes, ex quibus ipsorum bonum jus resultare
prætendebant. Denique petita per eosdem Cassinenses divi-
sione, ut scilicet interim, ad scandala tollenda, divisi incede-
rent, huc usque causa proposita non fuit, ideòque pendet.

In his itaque disputationibus, duo fuerunt puncti; Pri-
mò nempè super præcedentia; Et secundò super divisione,
cùm super utroque disceptatum esset.

Quatenus pertinet ad primum; Absque necessitate assu-
mendi altiores inspectiones super ipsis Religionibus, vel
Congregationibus in genere; Dicebam scribens pro Cister-
ciensibus (etiam cum sensu veritatis) quod planum esset il-
lorum bonum jus ex tribus fundamentis peculiaribus, cum
quibus pariter S. Congr. processit, cùm assumi non debeant
magis altæ, & ambiguæ quæstiones generales in abstracto,
quoties in concreto ex peculiaribus circumstantiis casus
controversi, quæstio decidi potest; Isteq; videtur unus ex in-
tolerabilibus modernorum erroribus, præter causæ necessi-
tatem, ac punctum præcisum hujusmodi evagationes facien-
4 di, atq; genericam tractationem materiæ assumendi, ipsum
punctum, in quo cardo difficultatis consistit, quandoque
neque gustando, atque chartas, cum superfluis digressioni-
bus, & nauseativis auctoritatũ cumulis inaniter implendo.

Primò nempè, quoniam usque ab anno 1499. Archiepi-
scopus sententiam per quandam speciem Statuti, seu legis
generalis protulit, super utriusque sæcularis ac regularis
cleri ordine in processionibus, aliisque functionibus, atque
in ista sententia post clerum sæcularem, inter regulares pri-
mus locus huic Monasterio S. Ambrosii tribuitur.

Licèt enim supra hos Monachos, dignior legatur at-
tributus locus Canonicis Regularibus Lateranensibus loci
5 Canoreti, vel S. Mariæ passionis; Attamen, id primum
locum Monasterii S. Ambrosii inter Regulares non tollit,
quoniam ex iis, quæ habentur, *sub tit. de præeminent. disc.*
24. d. Canonici Regulares utpotè clericorum sæcularium
potiùs habitum deferentes, atque figuram facientes, de
clero sæculari juxtà hierarchicum ordinem recensentur.

Dum igitur desuper habetur sententia adeò antiqua, in
6 rem judicatam transacta, atque diutius servata, & quod ma-
gis est, lata per quandam speciem legis generalis ad effe-
ctum firmandi utriusque Cleri statum, ac ordinem, ita
dicebam intrare vulgarem, & quotidianam propositio-
nem, quòd res judicata firmat statum, atque ut nostri di-
cunt, facit de albo nigrum, seu ens de non ente.

Secundò stante adeò diuturna consuetudine, quę in omni
7 materia nimiùm attendenda est, & multò magis ac peculia-
riter attendi debet in ista materia præcedentiæ, in qua totum
facit consuetudo, quæ omnimoda regulatrix dicitur, Bald.
in c. causam, n. 6. de prob. & in c. cum olim, de consuet. cum
concordantibus apud Greg. & Add. *dec. 124. & dec. 254. n.
15. & seq. par. 10. rec,* & habetur pluries in sua sede, *sub tit.
de præeminent.* ac etiam ita disponitur per Constitutionem
Gregorii XIII. quæ ad has controversias tollendas prodiit,
enunciatam, *dicto tit. de præeminent. disc. 25.* & alibi.

Et tertiò ob specialem prærogativam Ecclesiæ S. Ambro-
8 sii, quæ post Metropolitanam (cujus ipsemet Sanctus fuit
Episcopus) est absque dubio omnium aliarum Ecclesiarum
illius Civitatis prima, & major, ut docet praxis Capituli,
seu cleri sæcularis ejusdem, (dum utrumque ordinem sæ-
cularem, & regularem ejus servitio addictum habet) quod
scilicet ejus clerici, omnes alios post Capitulum Metro-
politanæ præcedunt.

Adeòut, nisi obstaret ordo Hierarchicus, vel symmetricus,
9 qui id prohibet juxtà ea, quæ habentur, *d. disc. de præemin.*
post Metropolitanam, cum ejus clero sæculari etiam ille
Regularis istius Ecclesiæ supra Capitula sæcularia aliarum
Collegiatarum ejusdem Civitatis locum digniorem occu-
pare deberet, quod ex præmissa ratione non sequitur.

Atque ex hoc, non autem ex antiquitate Religionis in ge-
10 nere resultat, quòd in Urbe Cassinenses Monasterii S. Pau-
li in Clero regulari primum occupant locum, ex præemi-
nentia scilicet Ecclesiæ, quæ est una ex Basilicis Patriarcha-
libus constituentibus (juxta unam opinionem) Eccl. Cathe-
dralem, seu Patriarchalem Urbis, contradistinctam ab Ec-
clesia universali Orbis, cujus est Episcopus Papa uti Papa,
Unde propterea nisi obstaret dicta ratio Ordinis Hierarchi-
ci, isti religiosi occupare deberent illum locũ, quem occupant
Capitula sæcularia aliarum triũ Basilicarum Patriarchaliũ.

Multaque huic Monasterio, ejusque Abbati competunt 11
privilegia, & præeminentiæ, quæ non competunt aliis
ejusdem Congregationis Monasteriis, & Abbatibus, ut in
specie advertitur *sub d. tit. de præeminent. disc.* 15. ubi de-
clarantur ea, quæ habentur *sub tit. de jurisdict. disc.* 31. cir-
ca Abbatum pontificalia.

Ac etiam, quia in isto Monasterio intrat quoque ratio an- 12
tiquioris receptionis in loco ad præscriptum etiam Consti-
tutionis Greg. XIII de qua *eod. tit. de præeminent. disc.* 25.
quoniam illud est antiquissimum, ac omnium, primum in
Urbe, ideòque ab isto ad alia Monasteria arguere non licet.

E converso, duo potissimum deducebantur fundamen-
ta; Primò nempè, quòd in hoc Monasterio S. Ambrosii, 13
Cistercienses adessent à tempore moderniori, & postquam
ipsi Cassinenses jam erant in eorum Monasterio S. Petri in
Glussiate, quòdque propterea dictum argumentum anti-
quitatis fundationis retorqueretur; Cùm antiquiori tem-
pore in isto S. Ambrosii adessent Cluniacenses; Et secundò,
quòd ipsi Cassinenses essent veri Monachi nigri primævi
Instituti S. Benedicti, & consequenter, quòd ipsa esset Re-
ligio matrix; Aliæ verò Religiones, vel Congregationes,
quæ ab ea, tanquam a matre prodierunt, essent filiales,
ideòque improprium, ac irrationabile sit, ut filiæ ma-
trem præcedant, ex iis, quæ in materia præcedentiæ, alia-
rumque præeminentiarum inter Ecclesiam matricem, &
filiales habentur, *sub d. tit. de præeminent. disc. 3. cum seqq.
& disc. 9. & sub tit. de Paroch. disc. 33. & 36.*

Primum motivum nullius ponderis videbatur; Tum quia 14
in facto negabatur ex hac parte præsupposita introductio
Cassinensium in dicto Monasterio S. Petri, priusquam Ci-
stercienses introducerentur in illo S. Ambrosii, super quo
tamen puncto, tanquam nudi facti, nullæ (pro laudabili
stylo) erant Advocatorum partes; Tum clarius, quia cùm
omnes istæ Congregationes sint verè, ac pariformiter ejus-
dem Ordinis S. Benedicti, ut infra, idcircò pro antiquita-
te regulanda, attendendum est tempus suæ fundationis in
ista Religione in universum, non autem tempus commu-
tationis unius, vel alterius speciei ejusdem generis, cùm
id non immutet statum Ecclesiæ, vel Monasterii.

Si enim existentibus in ecclesia Cathedrali Canonicis 15
Regularibus, eis amotis, introducantur Canonici sæcu-
lares, vel è converso, non per hoc ipsius Ecclesiæ Capitu-
lum, attento statu præsenti dicendum erit novum, quo-
niam ista est commutatio jure omnimodæ subrogationis
in universum jus, ac statum.

Ut magis ad rem, comprobat praxis Religionis S. Fran- 16
cisci, quoniam juxtà ejus historiam, enunciatam *sup. disc.* 6.
attento primævo Instituto, unica erat Religio, quæ Con-
ventualium nomen habebat; Supervenit postmodum quæ-
dam reformatio sub nomine Observantium, ac etiam ab ista
prodiit altera strictior sub nomine Reformatorum, unde
propterea casus dedit, quòd a multis Conventibus remoti
fuerunt Conventuales, eorumque loco subrogati Observan-
tes, deindeque istis etiam remotis, fuerunt subrogati Refor-
mati, ut præsertim contigit in casu, de quo *sub tit. de jurisd.
disc. 26. & seq.* & in aliis; Non per hoc tamen Conventus
suam amisit antiquitatem, quoniam istæ Religiones, vel
Congregationes, quæ inter se, quoad aliquod strictius
vitæ institutum, in una potiùs quàm in altera, de facto
reputantur diversæ, de jure tamen sunt eædem, ex deductis
d. tit. de præeminent. disc. 25. cum similibus.

Ad probandum autem, quòd Cistercienses essent verè 17
de eodem Ordine S. Benedicti, eodem modo, quo sunt
Cassinenses, ac etiam tales essent Cluniacenses, qui priùs
in hoc Monasterio S. Ambrosii morabantur; Advertebam
ad hujus Ordinis historiam recensitam *sub tit. de jurisdict.
disc.* 28. nempè quòd

Celeberrimus Ordo iste, in Ecclesia Latina primus S. Be-
nedicti (cùm ille S. Basilii sit Ecclesiæ Græcæ,) originem,
primævamque fundationem habuit in loco, qui Sublacus
dicitur, cujus Monasterii mentio habetur *in c. cum ad Mo-
nasterium, de statu Monachor.* deindeque S. P. fundator se-
dem fixit in alio Monasterio fundato in Monte Cassino ubi
obiit; ut docet ejus legenda, quæ in Breviario habetur;
Istiusque Ordinis professores, utentes illo habitu nigro,
quo magis exactè utuntur Cassinenses, Monachi nigri
appellabantur; ut patet ex relatis *d. disc. 28. de jurisd.*

Non regebatur autem hic Ordo, jure illius universitatis, 18
vel Reipublicæ, ut nostris temporibus, præsertim in Italia
reguntur omnes Religiones, quia scilicet omnia Monaste-
ria,

tia, omnesque Religiosi, societativo quodam jure, unicum constituerent corpus politicum sub Prælato Generali, aliisque Prælatis, qui per provincias, vel nationes, aut alias, pro diversis motibus deputari solent, per electionem ab universa Religione in Capitulo generali, vel per universam provinciam in Capitulo provinciali, ex deductis, *sup. disc. 1. cum seq.* sed quodlibet Monasterium regebatur singulariter, & de per se ab aliis independenter, ut etiam hodie in aliquibus Germaniæ, & Galliæ partibus praxis docet, ac patet *ex dec. 24. p. 9. rec.* & ex casu, de quo infra *in Calan. coadjut. disc. 53.* Eo modo quo in Italia, & ubique reguntur Monasteria monialium, atque habemus in Congregationibus clericorum sæcularium claustrali more viventium, juxtà institutum S. Philippi Nerii, vel Oratorii (qui in eorum primæva introductione Hieronymini appellabantur, eo quia in Ecclesia S. Hieronymi Charitatis Urbis istud adeò laudabile institutum initium habuit, istudque nomen retinent præsertim in Civitate Neapolis.)

Hinc proinde sequebatur, quòd in eodem Ordine, regularis disciplina, omnium diversa esset, pro Abbatum, & Monachorum in singulis Monasteriis viventium majori, vel minori relaxatione, ut de relaxatione ipsius primi Monasterii Sublaci habetur *in d. c. cum ad Monaster. de statu Monachor.* Ideòque unum Monasterium erat in summo statu perfectionis, alterum verò in statu relaxationis, eo quia non erat unum, & idem regimen sub uno Prælato Generali, unaque Republica, vel universitate.

19 Agnoscentes autem aliqui zelantes, ac sancti hujus Ordinis professores, quòd pro conservatione disciplinæ regularis, atque pro tollendis scandalis, quæ in universum Ordinis præjudicium licentiosa vita religiosorum unius Monasterii producebat, necessarium esset istud regimen ad formam universitatis, hinc introducere cœperunt quandam speciem reformationis, conjunctæ cum unitate; Atque, ut ab aliis magis relaxatis distinguerentur, uti cœperunt quotidiano habitu aliqualiter diverso, ejus tamen unitate retenta in illo habitu solemni, qui cuculla nuncupatur; Istique fuerunt præsertim Cluniacenses, & Cistercienses, ac alii, qui sunt de Benedictinis Congregationibus; Et in specie Cluniacenses appellantur Monachi S. Benedicti in Constitutione 5. Gregorii IX. atque de istis, & similibus habetur *in Salamantina cuculla coram Cerro, dec. 399. par. 12. rec. & dec. 56. post calluctat. Bonden.* Atque hinc secutum est idem, quod supra in Religione S. Francisci insinuatur, quòd scilicet à plerisque Monasteriis, per Sedem Apostolicam amoti fuerunt antiqui religiosi, eorumque loco subrogati alii hujusmodi Congregationum, seu Reformationum.

20 Ista verò præsertim Congregatio Cisterciensium, quæ fundata fuit circa annum 1100. mirabiliter crevit, adeòut de tempore Concilii Lateran. celebrati sub Innoc. III. habeatur mentio Capituli Generalis, quod ab ista Congregatione celebrabatur, atque de ejus ditatione, & opibus, ut patet ex d. Concilii decreto registrato in satis celebri *cap. nuper. de decim.* de quo pluries infra in materia, *sub tit. de dec.*

In Monasterio autem B. Justinæ de Padua Monachorum nigrorum primævi Instituti, circa annum 1400. introduci cœpit quædam reformatio, primævique instituti restitutio; Atque illi boni, ac pii Religiosi, cum eorum exemplari vita, alliciendo eos, qui in adjacentibus Monasteriis vivebant, introducere cœperunt quandam formam Congregationis, quæ nomen unitatis, vel B. Justinæ de Padua accepit, eique Eugenius IV. multa concessit privilegia enunciata *d. disc. 28. de jurisdict.*

Cùmque Monasterium Cassinense, Cardinalibus, vel Prælatis commendari solitum esset, idque Julius II. incongruum reputaret; Hinc proinde illud huic Congregationi

21 concessit, quæ ab eo tanquam capite nomen recipere deberet, ut patet ex ejus *Constitutione 1.* Itaque Congregatio Italiæ fines non egreditur, cùm in aliis partibus ultramontanis aliæ adsint Congregationes enunciatæ *d. disc. 28. de jurisd.*

Ex his autem resultare dicebam, ut esset quidem verum assumptum Cassinensium, quòd scilicet ipsi essent de vero Ordine S. Benedicti, sed non exinde inferri potest ad effectum istius, vel similium controversiarum, cum aliis ejusdem Ordinis professoribus, sub aliquibus diversis Congregationib. vel Institutis, quoniam isti pariter sunt verè ejusdē Ordinis, omnesque sunt ejusdem Patris veri, ac legitimi filii, ita tractu temporis inter se divisi; Ad instar illius divisionis, quæ in filiis, ac respective fratribus carnalibus, eorumque descendentibus resultare solet in plures lineas, vel colonnellos.

Est benè verum, quòd cùm ista Congregatio Cassinensis, possideat antiqua, & prima Monasteria Sublaci, Montis Cassini, & S. Pauli de Urbe, atque antiquum habitum nigrum retineat, ita videtur, quòd inter alias faciat figuram primævi instituti puri. Sed quoad ipsam Congregationem, seu universitatem, per quam dictum primævum institutum quodammodo restitutum fuit, ipsa est aliquibus recentior, quamvis singula Monasteria suam antiquitatem retineant; Eo modo quo de restitutione antiquæ observantiæ regulæ Sancti Francisci modernioribus temporibus in Observantibus, & Reformatis, & Capuccinis, ob antiquæ Religionis relaxationem cernimus.

Potissimè quia in ista etiam Congregatione Cassinensi 22
secutum est id, quod in dicta Religione S. Francisci contigit, quoniam post istius unitatis, vel reformationis introductionem, pleraque Monasteria possessa per Cluniacenses, aliasque ejusdem Ordinis Congregationes, ipsis concessa fuerunt, sive per viam novæ concessionis, sive per viam retentionis, ut in facto moderniori tempore post introductionem Cisterciensium in locum Cluniacensium in hoc Monasterio S. Ambrosii, secutum supponebatur circa introductionem eorundem Cassinensium in d. Monasterio S. Petri, in quo Cluniacenses pariter antiquitus morabantur.

Quo verò ad alium punctum separationis, quodque in futurum non unici sub unica cruce S. Ambrosii, sed sub propria S. Petri Cassinenses incedere deberent; Quamvis ex hac parte ista unio non curaretur, atque potius daretur manus, dummodò cederetur puncto præcedentiæ, in qua erat quæstio principalis; Adhuc tamen scribendo more Advocati ad causæ opportunitatem dicebam, quòd licet regula sit in materia societatis, vel communionis, cum cujus terminis, ista materia unionis regulatur, ut ea esse debeat quandocunque dissolubilis, neque debeat quis cogi perseverare invitus in communione, ea iis quæ in hoc proposito habentur supra *disc. 5.* Attamen id procedit in ea unione, quæ sit coæqualis, atque per veram speciem societatis, vel communionis bonorum, vel jurium. Secùs autem, ubi agitur de unione subjectiva, & per quandam speciem deditionis protectioni, ut ita obtineantur prærogativæ, & exemptiones, aliaque privilegia, quæ alias non competerent, sive ut evitaretur alterius oppressio, vel occupatio, ut praxis antecedentium sæculorum Italiæ docuit in plerisque Civitatibus, vel earum Dominis, qui alicujus adjacentis Reipublicæ, vel potentioris Principis collegationi, & confœderationi se dederunt, quoniam tunc non est confœderatio, coæquali, ac sociativo jure facta, sed potiùs deditio in protectionem, ut ita favorēs obtineantur, tempore necessitatis, vel formidatæ oppressionis; Ideòque cessante necessitate, non debet esse liber recessus, ut alias intret fabula illius societatis, quæ tempore hiberno tantum fiat cum habente ignem, accedente autem vere dissolvenda sit.

Et hic videbatur casus, quoniam non agebatur de coæ- 23
quali unione sub aliquo vexillo communi cum promiscua præeminentia in incessu, adeò ut dici possent duo socii coæquali jure viventes; Sed Cassinenses ita se quodammodo dederunt subjectioni, ac protectioni majoris Monasterii S. Ambrosii, ut evitarent subjectionem Humiliatorum, cum quibus erat contentio; Itaque fuit deditio subjectiva 24
dupliciter; Primò nempè, quia non incesserunt sub vexillo, quod utrique Monasterio esset commune, atque utriusque signa haberet, sed sub vexillo proprio, ac singulari illius Monasterii S. Ambrosii, quod subjectionem denotat, ut advertitur *dec. 320. n. 27. part. 11. rec. & d. disc. 25. de præeminent.* Et secundo, quia ubi fuisset unio merè sociativa ea jure coæquali, juxtà illas unionis diversas species, de quibus habetur *eod. tit. de præeminent. disc. 7.* tali de casu debuissent Religiosi utriusque Congregationis promiscue incedere juxtà ordinem antianitatis, vel dignitatis singulorum, non autem ut in propria domo, & sub propria Cruce Cisterciensium acciperent locum minus dignum, cùm id non detur inter æquales, sed inter superiorem, & subditum, sive inter protegentem, & protectum, aut digniorem, & minus dignum; Ideòque dicebam, quod interest huic Monasterio S. Ambrosii, quòd illa unio continuaret pro conservando ejus præeminentiam juxta ponderationes, de quibus *eodem tit. de præeminent. disc. 11.* in proposito juris, quod retinent Conventuales Assisii, cele- 25
brandi solemnitatem Portiunculæ in Ecclesia S. Mariæ Angelorum Minorum Observantium, cum similibus.

NEAPOLITANA ASSOCIATIONIS STATUÆ, PRO CARMELITIS DISCALCEATIS, SEU S. TERESIÆ, CUM ANTIQUIS CARMELITIS CALCEATIS.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Rituum, variè resolutus.

De prædictis Ordinibus ejusdem Instituti Montis Carmeli, antiquo scilicet Calceatorum, & moderno Discalceatorum, vel S. Teresiæ: An constituant unum, vel potiùs duos distinctos Ordines, ad effectum celebrationis solemnitatum aliosque effectus?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones.*
3 *In functionibus merè privatis non intrant quæstiones inter Religiosos.*
4 *Religio antiqua debet præcedere modernam ejus filialem.*
5 *Attenditur solemnitas illius Sancti, in cujus honorem fit principaliter.*
6 *Associatio reliquiarum, vel statuæ non arguit locum, vel præcedentiam.*
7 *Dantur exempla.*
8 *De antiquis Religionibus postea divisis in plures species.*
9 *De alio exemplo, ut n. 7.*
10 *Quando plures Ordines, vel Religiones habeant æquale jus in solemnizatione alicujus Sancti ejusdem Ordinis.*
11 *Quod S. Teresia de Ordine Discalceatorum.*
12 *Negotia Regularium à quibus Advocatis tractentur.*
13 *De controversiis inter Religiones ejusdem Ordinis inter se divisas.*
14 *De quæstionibus super alternativa in Prælaturis.*
15 *De eisdem super præcedentiis, vel præeminentiis.*
16 *De transitu ab uno Ordine ad alterum ejusdem Religionis.*
17 *An plures Ordines distincti ejusdem antiquæ Religionis, incedant uniti in præjudicium aliarum Religionum?*

D I S C. XX.

1 CUm piissima Civitas Neapolitana, cum magna facilitate, atque frequentia, (non fortè adeò commendabili) Sanctos tutelares, vulgò protectores assumere soleat, & de consequenti eorum statuas argenteas, seu de alia materia pretiosa collocare in insigni Reliquiarum capella, quæ per eandem Civitatem cum magno sumptu constructa fuit in Ecclesia Metropolitana, sub vocabulo, seu nuncupatione Thesauri, juxtà senem, de qua, agendo de hujus capellæ regimine, ac privilegiis habetur *sub tit. de præeminent. disc.* 12. Inolevit quoque mos, ut in solemnissima, adeòque magnifica processione *eodem disc* 12. insinuata, quæ de mense Maii celebratur in memoriam translatione reliquiarum Sancti Januarii primi Patroni, cum asportatione capitis, ac sanguinis ejusdem Sancti, conservati in quibusdam vitreis ampullis, (unde proptereà sequitur singulis annis in toto Orbe celeberrimum miraculum, cujus mentionem habet Sacra legenda Breviarii, in officio ejusdem Sancti) asportari quoque processionaliter soleant dictæ statuæ aliorum Sanctorum tutelarium; Atque ubi isti sint alicujus Instituti regularis, tunc ejusdem Instituti professores, propriam respectivè statuam, cum faculis cereis pro custodia, & cultu, ac Religionis honore associare solent; Ac etiam in die, quo celebratur festum ejusdem Sancti, ad propriam Ecclesiam illius Ordinis à dicta Capella asportari solet eadem statua, ut ibi, durante solemnitate, exposita sit, eaque completa, proprio loco restituatur; Istaque asportatio, ac restitutio respectivè, pro magis decenti cultu, ac populi devotione, fieri solet cum processione privata Religiosorum illius Instituti, unde proptereà, frequenter in ea Civitate, hujusmodi, & similes piæ, ac devotæ functiones cernuntur, quoniam inexplicabilis est illius populi devotio, ac pietas; Commendabilis quidem, sed majori commendatione digna, si illud summum studium, quod in actibus pietatis, ac devotionis adhibetur (his virtutibus non derelictis) cum sua congrua moderatione adhiberetur etiam in majori justitiæ, bonorumque morum naturalium cultura, ne aliàs detur occasio dicendi quòd summè coluntur, ac servantur consilia, spernuntur autem præcepta; Sive quod studeatur pietati, negligatur autem justitia, quæ censenda est domina, cujus comes, vel pedissequa est pietas.

Cùm itaque inter dictas statuas, esset illa S. Teresiæ, constructa ex piorum eleemosynis collectis opera & diligentia ejus alumnorum Carmelitarum discalceatorum illius Instituti, quod per istam Dei famulam fundatum fuit; Hinc proinde ista duplex statuæ associatio processionalis, controversiam excitavit, inter præfatos Carmelitas discalceatos, & alios Carmelitas antiqui Instituti, qui (ad differentiam) Calceati appellantur. Istis prætendentibus, quòd cùm unus & idem sit Ordo, eorum autem sit primævus, cui Matris nomen, & prærogativa congruat, dictaque Sancta in eo vixerit, atque professa fuerit, quamvis hanc reformationem induxerit, tanquam speciem restitutionis primævæ austeritatis, idcircò ipsis quoque competere deberet jus dictæ associationis, ob eorum Ordinis decorem.

Introductaque causa in Sac. Congregatione Regularium, 2
de mense Septembris 1666. prodiit resolutio Carmelitis calceatis favorabilis, ut scilicet per Discalceatos in utraque processione invitari debeant, ipsique à dexteris, ac digniori loco incedere, & è converso, calceati invitare deberent Discalceatos, in processionibus, aliisque solemnitatibus, quas celebrant, Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ac aliorum Sanctorum Ordinis; Et reproposita causa de mense Januarii 1667. persistitum fuit in decisis, circa publicam solemnem processionem mensis Maii, quo verò ad alteram privatam mensis Octobris, remissum fuit arbitrio Cardinalis Protectoris, qui declaravit, ut per solos Discalceatos, ea fieri deberet, absque calceatorum mixtura; Quare Discalceati non acquiescentes, habito recursu ad Sanctissimum, obtinuerunt causam remitti Sacræ Congregationi Rituum, quæ de mense Junii 1668. censuit servari debere dictam ultimam determinationem Sacræ Congregationis Regularium, & Protectoris respectivè; Verum concessa nova audientia, & reproposita causa, cum maturiori disputatione (me in hac repropositione tantùm scribente,) recedendo à decisis, circa finem ejusdem anni 1668. vel initio anni sequentis, ad favorem Discalceatorum prodiit resolutio, ut scilicet per ipsos tantùm, utraque associatio fieri deberet privativè ad Calceatos, neque, quod sciam, causa ulteriorem progressum habuit, & fortè hæc ultima resolutio pro majori firmitate, & observantia, confirmatione Apostolica munita fuit.

In hac igitur disputatione, pro clariori determinatione, scribens pro Discalceatis, distinguebam inspectiones, juxtà varias processiones; Atque agendo de illa privata, quæ
fieri solet de mense Octobr. ad dictum effectum asportatio- 3
nis statuæ a capella ad dictam Ecclesiam, ut ibi in die solemnitatis exposita esset; Dicebam quòd casus erat omninò planus, ac disputatione indignus, dum hic erat actus merè privativus illius Ecclesiæ, in qua hæc expositio, pro majori populi concursu, ac devotione, facienda erat, quodque nulla suberat necessitas id agendi processionaliter, dum eum etiam occultè, super curru, hæc asportatio fieri poterat; Fiebat autem isto modo pro quadam decentia, & devotione per Religiosos commorantes in illa Ecclesia, in qua expositio facienda erat, adeòut neque id percuteret ejusdem Religionis jus in universum, unde proptereà neque iidem Discalceati, qui morantur in aliis Conventibus, vel domibus in eadem Civitate, ejusque suburbiis, vel adjacentiis, hunc interventum prætendere possent, ut eadem Congregatio Regularium jam agnoverat; Potissimè quia iste actus concessionis statuæ, ut in die solemnitatis exponeretur in propria Ecclesia, non proveniret ex aliqua obligatione, vel dispositione juris, sed ex quadam congruentia seu lege honestatis, vel obligationis antidotalis donatarii erga donatorem; Ideòque Civitas cùm hanc statuam habeat in ejus capella, utpotè constructam ex opera, & diligentia Religiosorum istius Conventus, idcircò erga eos tantùm, dicta lex, seu ratio congruentiæ urgebat.

Major igitur, ac tota quæstio fuit super altera processione de mense Maii, utpote solemni, & publica, concernente Ordinem, seu Religionem in universum; Ac proptereà dicebant Scribentes pro antiquo Ordine Calceatorum, quòd cum ista Sancta, illũ Ordinem principaliter professa fuerit, neque unquam ab eo discesserit, sed sub eo Instituto vivendo, hanc strictiorem regulæ observantiam restituere curaverit, non tamen exinde desiit esse religiosa dicti Ordinis, ac proptereà inter ejus Sanctos numeranda venit; & consequen-

4 quenter in suis solemnitatibus coequale est ejus ejusdem Or-
dinis professorum, quinimò majus illud Religionis anti-
quæ, seu matricis, ne aliàs detur absurdum insinuatum
disc. præcedentâ, ut filia sit supra matrem, vel discipula
supra magistram; Vel quòd filia, & respectivè discipula,
matrem, ac magistram excludat ab illis præeminentiis,
quas illa habebat, priusquam altera prodiret.

His tamen non obstantibus; Contrarium in casu, de
quo agebatur, omnino verius esse dicebam, quoniam
quidquid sit de casu, in quo principaliter ageretur de pu-
blica processione, vel de alia solemnitate, quæ fieret in
honorem hujus Sanctæ, quàm qualibet Religio ex con-
tendentibus, suam respectivè dicere posset, ut infrà.

Ad effectum tamen; de quo præsens quæstio erat, hæc
5 inspectio concursus plurium Religionum, vel Congrega-
tionum ejusdem Instituti non intrabat, ex eadem ratione
superius ponderata in præcedenti inspectione privatæ asso-
ciationis statuæ de mense Octobris, occasione accessus, &
recessus à capella Thesauri ad Ecclesiam propriam; Siqui-
dem ista solemnis processio fit solùm in honorem, & com-
memorationem Sancti Januarii primi Patroni, ac transla-
tionis ejus reliquiarum; Pro majori verò ejusdem proces-
sionis pompa, illiusque populi devotione, asportantur
etiam aliorum Sanctorum tutelarium statuæ, tanquam per
speciem associationis, vel comitatus, vulgò *corteggio*,
quem alii Sancti tutelares recentiores faciant primo tutela-
ri, tanquam eorum Principi in hoc genere; Itaque gesta-
tio statuarum non fit intra locum, in quo incedat clerus
regularis; adeò ut quilibet sub propria cruce statuam Sno-
cti ejus Ordinis gestaret, quo casu ratio dubitandi caderet,
ut infrà, quoniam gestantur statuæ, vel intra clerum sæ-
cularem, vel posteà, seu ante utrumque absque unius,
vel alterius intersecatione.

Atque religiosi, qui statuas comitantur, non consideran-
tur tanquam illi, qui ex præcepto, & obligatione, sive ex
devotione interveniunt in processione, sub propria cruce,
& in proprio loco, cum symmetrico, seu hierarchico ordi-
ne, de quo *sub tit. de præ. emin. disc. 24. & 25. & hoc tit. disc.*
6 *præced.* sed considerantur tanquam ministri, & custodes il-
lius statuæ, vel reliquiæ, eo modo quo incedunt, & consi-
derantur aliàs insinuati Canonici Lateranenses existentes
in Ecclesia S. Genovefæ Parisiis, quoniam ita occupare
dicuntur locum digniorem, etiam supra Capitulum Cathe-
dralis, ipsumque Archiepiscopum, non inde tamen inferri
potest ad ipsorum religiosorum, vel sui Ordinis præeminen-
tiam, ut malè credit Vamesf. *lib. 1. consil. canonic. consil.* 10.
sed referendum est cuidam ministerio, seu famulatui, qui
ipsis reliquiis præstatus, atque ad denotandum, quòd ipsi
sunt eorum ministri, & continui custodes, ut advertitur *sub
tit. de præem. disc.* 5. Sive ad ostendendum quòd illi qui sta-
tuam associant, & circumdant, eam construxerunt, vel
construi curarunt, eamque dono dederunt Civitati, seu ca-
pellæ; Et consequenter non est præeminentia, quæ concer-
nat Religionem, vel Ordinem universum, quoniam, ut su-
perius dictum est, possunt benè stare simul, ut hanc functio-
nem peragant solùm religiosi unius Monasterii, vel Con-
ventus privativè ad alios religiosos, ejusdem individui,
seu specialis Ordinis, qui commorantur in aliis Monaste-
riis, vel Conventibus in eadem Civitate.

Ad probandum autem quòd hic actus associationis alicu-
jus imaginis, vel reliquiæ, non importet præeminentiam
7 Ordinis eorum, qui hujusmodi famulatum, vel obsequium
præstent; Dabam practicum exemplum universale, quod
habemus in laicorum piis Societatibus, & Confraternitati-
bus, quæ cum sacco, aliisque signis, pro Ecclesiastico ritu,
sub eorum vexillis, & cum ordine præcedentiæ inter easdem
interveniunt in processionibus, quoniam incedunt ante
utrumque clerum, sæcularem, & regularem, infimum, seu
minùs dignum locum occupantes, & tamen, si in ea proces-
sione, vel principaliter ad illum effectum, vel accessoriè ad
pompam, & ornatum gestetur statua, vel imago, quæ sit sub
alicujus Confraternitatis custodia, & cultu, & tunc aliqui
ex illis confratribus eam gestant in fine processionis, in loco
digniori, supra clerum sæcularem; Non tamen dici potest,
quòd illa sit præeminentia Confraternitatis, dum ea incedit
in loco suo, ibique ejus corpus repræsentatur; Illi verò singu-
li accidentaliter aliud agunt ministerium, juxtà distinctio-
nem inter Capitulum Cathedralis, & aliquos Canonicos
singulares, qui Episcopum peragrantem diœcesim associent,
de qua *sub tit. de præeminent. disc.* 17. cum similibus.

8 Item (magis ad rem) ponderabam praxim, seu observan-
tiam aliarum statuarum, vel respectivè Reliquiarum, quæ in
eadem processione, vel in aliis similibus gestari solent, illorũ
Sanctor. cujus Instituti, ob diversas Congregat. vel refor-
mationes exinde ortas plures diversi Religiosi existant. Et
præsertim habemus de S. Antonio Ulyssiponen. qui vulgò
Patavinus nuncupatur, quoniam ipse fuit primò Canonicus
regularis, à quo Ordine legitimum transitum fecit ad illum
Minorum tanquam strictiorem, & qui Ordo, juxta ejus hi-
storiam recensitam *sup. disc. 6. & sub tit. de præemin. disc.* 21.
in illis primis temporibus, in quibus ipse Sanctus vixit,
erat unicus juxtà primævum suum Institutum, postmodum
divisus in adeò magnum numerum diversarum Religionũ,
vel Reformationum, & Congregationum, quarum quæli-
bet eum rectè dicit suum, cum inspecta origine, omnes sint
ejusdem Ordinis, tanquam plures rivuli manantes ab eodem
fonte, seu scaturigine. Unde propterea quælibet Religio, vel
Congregatio eum repræsentare curat, cum proprio habitu,
ut etiam de ipso fundatore S. Francisco, aliisque SS. ejusdem
Ordinis faciunt, ac etiam faciunt tot Congregationes Bene-
dictinæ, quæ in habitu, & Instituto sunt inter se diversæ,
quoniam omnes agnoscunt in totum Patrem, & fundato-
rem ipsum S. Benedictum, quem in statuis, & imaginibus
cum proprio habitu repræsentant, ut *disc. præcedent.* Idem-
que de S. Augustino; Et à quibus regulis, vel Ordinibus S.
Benedicti, & S. Augustini, adeò magnus, ac fortè omnium
major Ordinum, ac Religionum, vel Congregationum nu-
merus manavit, cum similibus, quoniam si casus præbeat,
quòd unus Ordo, vel una Congregatio, illius SS. solemni-
tatem agat, vel statuam cum ejus habitu conflet, ac donet,
non tamen possunt alii, quamvis eundem S. pariter eorum
Ordinis dicere possint, in hoc se ingerere, dum illa est fun-
ctio particularis, quam quilibet respectivè facit.

Ex magis proximè, imò in terminis fortioribus (non di-
scedendo ab eadem Civitate, in qua frequentiùs, quàm in
qualibet alia Catholici Orbis, ob illius populi nimiam devo-
tionem, & mores, Regularium contentiones, ac spirituales
æmulationes audiuntur;) Quando de anno 1631. Mons Ve-
suvius adeò magnam ignis evaporationem fecit, ad satisfa-
ciendum illi populo, ad tumultuare de more nimiùm exo-
ptanti, (nescio quantum prudenter) processionaliter per Ci-
vitatem, asportatum fuit corpus Beati Jacobi de Marchia,
quod integrum, omnibus publicè expositum in arcâ vitrea
asservatur in Ecclesia S. Mariæ Novæ, sub custodia Mino-
rum Observantium; Ipsam arcam cum faculis de more as-
sociabant solùm Religiosi illius Conventus, absque eo quòd
se ingererent alii, qui morabantur in aliis Conventibus
ipsiusmet individui Ordinis Minorum Observantium, qui
vulgò dicuntur de familia, ad differentiam aliorum Mino- 9
rum Observantium strictioris Instituti, qui vulgò Reforma-
ti dicuntur. Et tamen etiam isti, utpotè ejusdem Ordinis, in
eodem Capitulo generali interveniunt, atque coæquale ha-
bent jus activæ, & passivæ electionis, ideòque potuissent
prætendere interventum. Quinimò etiam Conventuales,
quoniam juxtà historiam recensitam suprà, *disc.* 6. licèt di-
ctus servus Dei, ac etiam S. Bernardinus Senensis, aliique
coætanei fuerint authores illius reformationis, vel regres-
sus ad observantiam regulæ, juxtà primævum Institutum;
Attamen ipsi vixerunt inter Conventuales, vel sub ipsis,
dum adhuc secuta non erat illa divisio, quæ de anno 1517.
facta fuit per Leonem X. de qua in ejus Constitutione 23. &
tamen prorsus improbabilis fuisset hujusmodi aliorum re-
ligiosorum prætensio.

Tunc autem dicebam, quòd universus Ordo in genere,
quamvis subdivisus in diversas species, prætendere posset co-
æqualem interventum, quòdque unus non possit prætende- 10
re solemnitatis celebrationem privativè ad alium, vel alios,
quando scilicet ageretur de processione, vel alia solemnita-
te, quæ principaliter fieret per Civitatem, & in loco ter-
tio, in honorem illius Sancti, quem attento primævo
Instituto, juxtà præmissa exempla, rectè omnes subdivisi
Ordines, vel Congregationes, proprium dicere possunt.
Puta quià (ex. gr.) Civitate unum Sanctum recipiente in
tutelarem, pro solemnitate receptionis fieret processio, vel
alia functio, ad id principaliter ordinata; Sive ubi agere-
tur de illa processione, vel functione, quæ fieret ex causa
canonizationis illius Sancti, cum similibus, quoniam
tunc non posset unus Ordo, privativè ad alios, id prætten-
dere, nisi Apostolica decreta, seu privilegia, aut legitima
consuetudo aliàs suaderent.

Præterea ex abundanti ad probandum, quòd isti Ordines
essent inter se diversi, quòdque ista Sancta, peculiariter cen-
senda esset potiùs Ordinis Discalceatorum. Ponderabatur 11
observantia Sedis Apostolicæ sub Clemente VIII. Paulo V.

Grego-

Gregorio XV. & Urbano VIII. occasione beatificationis, et concessionis cultus, ac (cultatis recitandi officium, & Missam, sive concessionis Indulgentiarum, quòd solùm Ordini Discalceatorum, non autem alteri Indulta concessa fuerunt; Ejusdemque Ordinis tantùm, non autem alterius, sumptu, cura, studio & laboribus fabricati fuerunt processus super canonizatione; Itaque secuta fuit.

Deducendo in idem Apostolica diplomata super omnimoda hujus Ordinis separatione, ac independentia ab altero sub proprio Generali, propriisque Prælatis, adeòut non dignoscatur illa dependentia, & antiqua subjectio, quæ dignoscitur in pluribus reformatis in Religionibus Ordi-
12 nis S. Francisci, vel S. Augustini, quamvis deinde tractu temporis eorum formalem separationem Sedes Apostolica, ad tollenda scandala, vel pro meliori regimine facere opportunum censuerit.

In hoc autem proposito plurium Religionum, quæ de facto, ob Instituti diversitatem, diversæ sint, attenta tamen origine, seu stipite, censendæ veniant unica, juxtà superius enunciata exempla Ordinum S. Francisci, S. Augustini, & S. Benedicti, cum similibus; Occasione plurium controversiarum, quas frequenter disputavi, tam in Sacra Congregat. Regularium, quàm in altera Rituum, præsertim circa professionis initia (in quibus frequentius per Romanæ Curiæ Advocatos hæc negotia pertractari solent, dum seniores in aliis gravioribus, ac difficilioribus causis profanis occupati, quandoque ea negligunt.) Advertere consuevi, quòd procedendum quoque est cum plurium diversorum casuum distinctione, sine qua facilis est æquivocorum incursus.

Primùs enim casus est, ubi contentio sit inter ipsosmet ejusdem primævi Instituti professores, ita in diversas Con-
13 gregationes, vel Reformationes divisos, inter quos insurgent controversiæ super jure celebrandi solemnitatem alicujus Sancti ejusdem Ordinis, qui inspecta origine, sit omnibus communis; Sive super jure repræsentandi illius Sancti imaginem, potiùs cum uno, quàm cum altero habitu, juxtà stultas, & scandalosas controversias, quas nostris temporibus, in eadem præsertim Neapolitana Civitate, audivimus, ac vidimus, inter Capuccinos, & Conventuales, vel Observantes, & tunc intrant superiùs dicta, quoties Apostolica decreta, seu legitima locorum consuetudo aliter non suadeat.

Alter controversiarum casus esse solet ille, de quo *supra,*
14 *disc.6.* super alternativa in jure electionis passivæ, sive in prælectutis, ac prælaturis, inter plures Congreg. vel Ordines sociativo jure sub eisdem Prælatis viventes, ut ibi.

Tertius est controversiarum casus super præcedentiis, vel aliis præeminentiis, vel jurisdictionibus juxta casus,
15 de quibus supr. *disc.praeced.* & in aliis, *& sub tit.de praeminent. disc.*11. & in aliis ibidem.

Quartus, ubi contingat disputari de unitate, vel diversitate Ordinum, ad effectum liberi transitus, concedendi, vel
16 denegandi ab uno ad alium, juxtà quæstionem, de qua *infr. disc.*37. an scilicet liber sit transitus ab Observantibus strictioris instituti, qui vulgò Reformati dicuntur, ad Observantes aliqualiter a rigore primævæ regulæ relaxatos, qui ad differentiam vulgò dicuntur de Familia, cum similibus.

Quintus demum (omissis aliis, qui contingere possunt) est ille, quando ipsi Ordines origine identifici, sed postmodum divisi, de unitate, vel identitate contendant cum ter-
17 tio, cum aliis scilicet Religionibus, vel Ordinibus juxtà casum, de quo agitur *d.tit. de praemin. disc.*35. quia nempè Observantes de familia, & alii Observantes Reformati, sub eodem Generali, eodemque Capitolo generali viventes, tanquam unicum Ordinem, vel unicam Religionem constituentes, uniti in processionibus incedere velint, sub unica cruce Ordinis, vel Conventus antiquioris, ut ita religiosi recentioris Ordinis, vel Conventus præcedentiam habeant supra religiosos aliorum Conventuum intermediorum, atque ut patet ex deductis *dicto disc.* 35. *de praemin* isto casu quæstio non esse solet, quando utriusque Ordinis, vel Conventus professores, ita sub unica cruce uniti incedant, tanquam unicum Ordinem, vel Conventum repræsentantes, sed quando contingat, quòd religiosi unius tantù Conventus, & non alterius in functione interveniant, ut contingit in defunctorum funeribus, vel in privatis processionibus ex devotione, an scilicet religiosi Conventus, vel Ordinis recentioris, adhuc retineant eundem locum, quem occupant, quando incedunt uniti cum illis Conventus, vel Ordinis antiquioris; Atque pro ejusdem loci retentione decisum fuit ex ibi deductis; Ideòque ad hujusmodi distinctiones reflectendum est, ob notabilem differentiam, quæ viget inter hujusmodi controversiarum casus, & sine qua distinctione, facilis, ac frequens est æquivocorum incursus.

ANNOT. AD DISC. XX. & XXI.

Videantur ad hanc materiam deducta *in Miscell. Eccles. disc.*32.

HISPALEN. HABITUS, PRO RELIGIONE S. DOMINICI, *CUM* RELIGIOSIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM ALIQUARUM PROVINCIARUM HISPANIÆ,

Casus disputatus in Sacra Congregatione Regularium, resolutus pro Religione S. Dominici.

An una Religio prohibere possit professoribus alterius Religionis, gestionem proprii habitus, vel consimilis, ad effectum, ut una distinguatur ab altera?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causa.*
3 *Qualis dicatur color niger, & qualis brunus.*
4 *Attendi debet usus loquendi.*
5 *Reformatæ religiones non solent mutare colorem habitus, sed solum ejus materiam magis rudem, vel formam magis humilem.*
6 *Quod una Religio possit prohibere, ut alii Religiosi eundem habitum assumant.*
7 *Clerici non possunt uti vestibus laicalibus, & è contra laici vestibus clericalibus.*
8 & 9 *De toga doctorali, qualis sit, & an Doctores etiam hodie eam deferre possint, si ex usu communi denotet potiùs vestem clericalem.*
10 *De jure prohibendi ne quis assumat proprium cognomen.*
11 *De jure ornandi antiqua sepulchra, aliaque similia faciendi.*
12 *Quod in scenis, & ludis non possint adhiberi vestes clericorum, vel religiosorum.*
13 *Quomodo hujusmodi controversiæ decidi debeant.*

DISC. XXI.

Religio Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivo- 1
rum, de qua agitur supra, *hoc eod. tit. disc.* 1. pro ejus Instituto, utitur generaliter vestibus albis, tam superioribus, quàm inferioribus, præterquam in aliquibus Hispaniarum provinciis Aragonensi scilicet, Castellæ, & Beticæ, in quibus antiquiori tempore professores uti solebant veste inferiori, seu interiori alba, alia verò superiori, quæ cappa dici solet, erat cujusdam coloris bruni, seu *brunel*, qui est medius inter nigrum, & rubeum, atq; vulgò in Italia *tanè* dicitur, eo modo quo utitur eadem Religio reformata discalceatorum, quæ ex dictis provinciis manavit, ac habet in Urbe Conventum in Ecclesia S. Caroli ad quatuor fontes in Quirinali; alii verò ejusdem Religionis reformati, seu discalceati manantes a Provinciis Galliarum, atque in eodem Quirinali ibi proximè Ecclesiam, & Conventum habentes, adhibent omnes vestes, tam inferiores, quàm superiores albas.

Ab aliquo autem tempore, prædictarum trium provinciarum professores primævi Instituti, seu calceati, cappæ, seu vestis superioris colorem mutando, assumpserunt nigrū, identificum cum illo habitu, quem habet Ordo Prædicator. seu S. Dominici, nulla penitùs intercedente differentia, nisi quòd gestant in pectore super veste alba interiori, sive super scapulari, quandam crucem, quam gestant omnes hujus Religionis professores, sed illa de facili cooperta à cappa, seu veste superiori, frequentius apud populum, præsertim in Urbe, aliisque Italiæ locis, in quibus ignotus est hic particularis usus dictarum provinciarum, nulla dignoscitur differentia, adeòut communi opinione reputentur Ordinis S. Dominici.

Cum itaque occasione Capituli Generalis celebrati in Urbe, in quo ordinatæ fuerunt hujus Religionis Constitutiones enunciatæ supra, *d.disc.*1. ad Urbem accessissent plures istarum provinciarū religiosi, in quorum aliquibus, casus, vel imprudentia, aliqua produxisset inconvenientia, existimationi Religionis præjudicialia, apud populum opinantem, quod esset Ordinis Dominicani; Hinc proinde ejus Prælati, ut his inconvenientibus in futurum occurrerent, adie- 2
runt Sacram Congregationem Regularium, à qua prodiit
reso-

resolutio huic Parti favorabilis, ut scilicet prohibitioni gestationi dicti habitus, ejusque mutationi locus esset. Incerta tamen est hujus resolutionis progressus, vel executio in partibus, cùm in urbe ob discessum dictorum religiosorum cessasset occasio.

In disputationibus autem desuper habitis, major quæstio
3 fuit, potiùs in facto, quam in jure, super probanti fide cujusdam indulti Clementis Quarti, quod deducebatur ex parte dictorum religiosorum, ut adhibere possent vestes bruni coloris, quoniam ex hac parte dicebatur, quòd licèt ejusdem Clementis Constitutio juxtà aliquas impressiones in Bullario, ita simpliciter hujusmodi facultatem contineret; Nihilominus recognito originali registri Apostolici Archivii Vaticani, dicta permissio qualificata erat, quando scilicet illi accedant ad partes infidelium, pro captivorum redemptione juxtà eorum institutum, ut tunc id agere possent honestatis causa. Et nihilominus, etiam isto casu, dicta Constitutio non loquitur de colore nigro, sed de bruno, qui est diversus, atque super hujus verbi, seu vocabuli significatione, magna hinc inde fuit colluctatio, cum grammaticorum, ac eruditorum attestationibus.

Super hoc autem, ultra generalia, quæ in jure habemus, super communi usu loquendi, qui attendendus est, ac prævalet etiam rigorosæ significationi grammaticali, ex plenè cumularis *dec. 135. par. 10. recent.* ac pluries alibi insinuatur; Ponderabam in specie ego illud potissimum hujus veritatis argumentum, quòd cum de anno 1590. hic Ordo in
4 istis provinciis reformari cœperit, atque reformatio fuerit approbata per Sedem Apostolicam de anno 1599. per Constitutionem 62. Clementis VIII. isti Religiosi, Observantes, seu Reformati, juxtà generalem stylum reformationum, non alterandi colorem habitus, sed solùm materiam magis rudem, & asperam, ac etiam formam vestitus magis humilem, ut comprobat praxis in reformationibus ferè
5 omnium Religionum antiquarum, præsertim S. Augustini, S. Francisci, & Carmelitarum, assumpserunt cappam, quam etiam hodie gestant, dicti bruni coloris, qui vulgò *brunel*, *seu tanè* dicitur.

Quamvis etenim ex hac parte deducerentur plures Con-
6 stitutiones Pontificiæ, præsertim Innocent. IV. & Gregorii XI. prohibentes, ne alii Religiosi hunc habitum assumere possent, quod etiam moderno tempore per Constitutiones Pontificias Gregorii XIV. Clementis VIII. & Urbani VII. in Religionibus Minorum Observantium, & Capuccinorum dispositum est, ex relatis per Rodriq. *q. Regul. tom. 2. q. 77. art.* 4. Novar. *in lucern. Regular. verbo Capuccini, n. 2.* & per alios modernos Morales, qui ut plurimum, scribentes ad causæ propriæ defensionem, in hujusmodi collectionibus nimiùm immorantur; Attamen quando hic usus esset antiquus utpote originatus à dicta moderatione Clementis IV. ac etiam corroboratus à quodam diplomate, quod super eodem sub nomine Pontificis Pii IV. concessum fuit, juxtà illius temporis stylum, per Cardinalem Pœnitentiarium, antequam prodiret ejusdem Pii IV. Constitutio 53. hujusmodi facultatum reformativa, tunc nimiùm dubitari posse credebam, quoniam licèt ex hac parte ad Constitutionem Clementis IV. responderetur modo quo suprà; Atque ad aliud diploma sub Pio IV responderetur, quod non esset Summi Pontificis, sed Cardinalis Pœnitentiarii non habentis facultatem derogandi Apostolicis Constitutionibus, & privilegiis, ac tollendi jus tertii, quod neque ipsemet Papa tollere velle, nisi specialiter dicat, profitetur per ejus Regulam *de jur. tert. quæsit. non tollend.* Nihilominus negari non potest, quin ex his resultaret titulus coloratus bonæ fidei putativus, qui junctus cum observantia, magnam habet operationem, & consequenter punctus erat in negatione dictæ observantiæ, utpotè in diverso, non autem in nigro colore, qui à moderno tempore assumptus fuit.

Ultra verò præmissa, quæ consistebant in nudo facto (su-
7 per quo pro Curiæ stylo nullæ videntur Advocatorum partes, totæque sunt causæ Patroni) Scribens ego pro hoc Ordine Prædicatorum, deducebam quoque more Juristæ ea, quæ in jure statuta sunt, super facultate prohibendi aliis illam habitus formam, quæ ab aliquo personarum genere solû adhiberi consuevit ad evitandas confusiones, & scandala; Unde propterea habemus, quòd clericis prohibitum est uti vestibus laicalibus, & è converso laicis prohiberi potest per Episcopum, aliosq; ecclesiasticos superiores, ne clericorum habitu utantur ad communiter notata per Canonistas, præsertim per Geminian. & Franc. *in c. fin. de bigam. in 6.* cum concordantibus relatis per Bellet. *disq. cleric. tit. de discipl. regul. §. 2 n. 22. & tit. de favor. cleric. ital. §. 5. n. 118.* & habetur *sub tit. de jurisdict. disc. 93.* Ubi de puncto an Episcopus
prohibere possit laico Doctoratus gradum obtinenti, in- 8
cessum cum ea toga, quam in Urbe, & in Statu Ecclesiastico deferunt Doctores, & professores, in nihilo distincti à Canonicis Cathedralium, vel Basilicarum, vel à Parochis, aliisque clericis etiam in sacris.

Quamvis etenim in eo casu ego scribens pro Doctore,
more Advocati circa professionis initia, cum historiis, & 9
cum DD. traditionibus probarem, quòd clerici non possint uti toga adeò longa, cùm juxtà antiquorum Canonum dispositioné, clericorum vestes, non debeant esse nimiùm breves, ne videantur laici, minúsque nimiùm longæ, ne transeant in luxum togæ, sed sint vestes humiles, nempè inter genua & talos, ut praxis docet in Religionibus reformatis, ita regredientibus ad primævum Institutum, ac antiquum incedendi morem, adeòut clerici à moderno tempore assumpserint hunc usum togæ, quæ à tempore antiquissimo Romanæ Reipublicæ est Doctorum, & professorum, ideòque incongruum est, ut exemplum debeat suffocare exemplar.

Nihilominus (reflectendo ad veritatem, ut ibi advertitur) credebam, quòd Episcopus rectè id prohibere posset, ex sola ratione consuetudinis, quoniam extra Urbem, in qua antiquissimus, ac vetus togæ usus perseverat, in aliis Principatibus DD. & professores sęculares, vel aliqui officiales, & magistratus adhibent vestem brevem more aliorum sæcularium, vel quandam breviorem togam usque ad genua, sub diversa forma togæ potiùs Senatoriæ, quam Doctoralis, adeònt antiquæ togę doctoralis usum retinere solùm videatur Curia Romana, & consequenter intrat ratio confusionis, & scandali, quoniam ille Doctor, qui incedendo togatus, publice gereret ea, quæ licita sunt laicis, illicita verò clericis, induceret scandalum Ordini clericali præjudiciale, cùm populus illum reputet clericum; Ut quotidiana praxis docet in Urbe, quòd exteri ad eam accedentes, priusquam styli informationem obtineant, scandalizati solent, inspiciendo togatos in curribus euntes cum mulieribus, quæ sint uxor, & filiæ, aliæve conjunctæ, cum sint puri laici, quos ipsi pro more patriæ, clericos etiam in sacris reputant.

Ponderabam quoque in idem ea, quæ pluries insinuata
habentur *sub tit. de præmin.* ac etiam infrà, *sub tit. miscell.* 10
Ecclesiast. super jure prohibendi denominationem Capituli, vel Ecclesiæ, seu capellæ, vel congregationis; Ac etiam ut possit quis prohibere alteri assumptionem sui cognominis, seu familiæ, vel insignium, ex deductis per Chassan. *in catalog. glor. mund. p. 1. consid. 1. n. 21.* Rot. apud Caval. *dec. 549. n. 2. in Ampurien. denominationis Canonicor. 20. Apr. 1646. cor. Meltio* cum aliis, de quibus locis citatis.

Ac etiam à simili super facultate renovandi antiqua sepol-
chra, vel antiquas inscriptiones personarum alicujus fami- 11
liæ, juxtà casum, de quo habetur apud Dunoz. *dec.* 894. Ex ea probabili ratione, quòd quamvis nomina fiant ad placitum, ac etiam ad placitum sint modi vestiendi; Attamen, ubi hęc, & similia, quæ attenta naturali libertate licent, alteri præjudicium inferre possunt, rectè peti potest eorum prohibitio; Ideòque habemus, quòd prohibitum est in scænis, seu ludis, ac bacchanalibus, in quibus mos est, extravagantes ac insolitas vestes adhibere, ut adhiberi possint vestes religiosorũ, & clericorum, ex dicta ratione scandali, vel contemptus; Quod tamen pro regionum moribus, ac stylis recipiendum videtur, dum apud aliquos exteros Canonicos, legimus in
scęnis fingi Religiosos, quinimò & Sanctos ipsumq; Patrem 12
ęternum, quòd ibi nullum prębet scandalum, sed potiùs ædificationem ita regionis moribus exigentibus; Et tamen in Italia id esset nimiùm scandalosum, in tragædiis, vel comœdiis profanis, cùm solùm in merè spiritualibus repræsentationibus id nimiùm circumspectè permittatur.

Et consequenter, applicando ad rem, cogitabam (reflectendo ad veritatem) quòd in ista controversia hæc petitio 13
justa, & consona esset in Urbe, aliisque partibus, in quibus non habetur usus dictorum Religiosorum diversi Ordinis, hunc adeò consimilem habitum deferentium, & tamen quòd dictum inconveniens non adesset in illis provinciis, in quibus populus est assuetus, atque unum Ordinem ab alio benè distinguit.

TOLETANA DE VELES,

PRO CONSILIO ORDINIS S. JACOBI DE SPATA.

Discursus pro veritate.

In causis Regularium, ad quos Judices sit appellandus, vel habendus recursus; Et quomodo in cau-

fis

sis Regularium procedendum sit, præsertim in Religionibus militaribus.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *A decretis visitationis non datur appellatio suspensiva, & n.6.*
3 *In causis Regularium appellandum non est ad Tribunalia forensia, sed illa cognoscenda sunt intra ipsum Ordinem.*
4 *Qui dicatur de Ordine ad dictum effectum.*
5 *Quare appelletur ad Rotam, & Tribunalia forensia in causis Religionis Hierosolymitanæ.*
6 *De conclusione, de qua n.2.*
7 *Qualificatio eligendorum non tollit jus eligendi, neque eis præjudicare dicitur.*

D I S C. XXII.

1 Ordines militares S. Jacobi de Calatrava, de Alcantara, & de Spata, per Sedem Apostolicam, in perpetuam administrationem concessi fuerunt Regi Catholico, qui tanquam M. Magister, plenam ac omnimodam jurisdictionem per ejus consilium, quod ex eorundem Ordinum militibus, seu religiosis constitutum est, in milites religiosos, ac etiam inservientes, & quoscunque alios, qui sub Ordinum privilegiis, ac obedientia vivunt, exercet, omniaque alia gerit, eorundem ordinum gubernium, & administrationem concernentia; cùmque præsertim ille S. Jacobi de Spata, in duas species divisus esset, unam scilicet militū de Justitia, quia licèt sint professi, attamen in propriis domibus in Civitatibus, & locis extra claustra, more sæcularium vivunt, & alteram sacerdotum, seu capellanorum, qui in aliquibus Conventibus more aliorum claustralium religiosorū vivunt; atque istis, (quibus ex Constitutionum Apostolicarum, ac privilegiorum præscripto, incumbit exercere curam animarum, & ministrare sacramenta in quampluribus oppidis, ac villis, & locis ad eundem Ordinem pertinentibus) eædem Constitutiones, seu privilegia Apostolica, vel explicitè, vel ex interpretatione deducta ab observantia concedant, ut in singulis quibusque Conventibus, ad eos pertineat, religiosus in locum deficientium eligere, seu admittere; Compertum verò esset per dictum consilium Regium (quod figuram cujusdam Diffinitorii generalis facere videtur) ex relationibus Visitatorum, quos ipsummet consiliū deputare solet, quòd plures abusus in hujusmodi Conventibus irrepsissent, ille præsertim admittendi in capellanos, seu religiosas personas, quæ ex defectu literaturæ, vel vitæ, ac morum, ad curam animarum & sacramentorum administrationem essent minùs aptæ, cum notabili illorum populorum præjudicio, & scandalo; Hinc proinde plures edidit ordinationes, illam præsertim, ut in futurum eligi, seu admitti non deberent, nisi illi, qui priùs ab ipso Consilio, prævio examine circa literaturam, ac informatione circa natales, ac vitam, & mores, probati, atque habiles, & idonei declarati fuerint; cùmque his ordinationibus omnes alii Conventus acquievissent, ille autem de Veles (qui supponebatur major, magisque conspicuus) ab eis, præsertim verò à jam dicta, circa restrictam libertatem admittendi ad Religionem personas sibi benè visas, appellasset, ad Sedem Apostolicam, atque appellationis causam, juxtà consuetam formam forensium controversiarum, obtinuisset committi in Rota, per quam ad formam commissionis expedita fuit solita inhibitio, idcircò ex parte dicti Consilii Ordinum insistebatur super dictæ inhibitionis moderatione, saltim, quòad effectum suspensivum, atque desuper tanquam Regius Advocatus per ejusdem Regis ministros in Curia consultus fui; Postmodum verò transmissus ad Curiam quidam procurator specialis, alios adhibuit defensores, ideòque incertus est causæ exitus, vel status.

Dicebatur autem in informationibus transmissis, ut deberet esse locus dictæ moderationi, dum agebatur de decre-
2 tis factis in visitatione juxtà dispositionem S. Concil. Trid. *sess.24. de reform. c.* 10. ob quam ita communiter firmant DD. ut ab his decretis non detur appellatio suspensiva, ex collectis per Scacc. *de appell. q.17. limit.26. n.1.* Barbos. *ad Concil. loco cit. n.2. & sess. 13. de reform. c.1. n.5.* Quarant. *in summa bullar. verbo Archiepiscopi auctoritas*, ubi registrata habentur Decreta generalia edita in materia appellationis per Sac. Congregationem Concilii de anno 1600. Donat. Lainen. *in praxi rerum Regular. tom. 1. part. 2. tit. de appell. tr.10. q.18.*

Quamvis autem de hujus conclusionis applicatione posset nimiùm dubitari, quando ageretur inter sæculares, ex iis, quæ ad hanc materiam habentur in sua sede *sub tit. de Judiciis, & in adnot. ad S.C.T.* Attamen cùm ageretur de Religione, credebam quòd justa erat petitio, quoniam nimium perniciosum est inter regulares practicare hanc viam appellandi à provisionibus superiorum Regularium ad Tribunalia forensia, ac extra ipsos Ordines, ex ea ratione, quòd inter religiosos, potissimè verò in concernentibus reformationem disciplinæ regularis, & statum Religionis in universum, seu alicujus Provinciæ, proceden- 3
dum non est per apices juris, neque per ordines judiciarios, more litium, & controversiarum forensium inter sæculares, sed summariè ac simpliciter, de bono, & æquo, omnia cognoscenda sunt intra ipsum Ordinem.

Sub Ordinis autem nomine, ubi gravamen prætendatur illatum à Superiore Generali, seu à M. Magistro, vel à Diffi- 4
nitorio, adeò ut non supersit in Religione alter Superior, ad quem sit recurrendum, tunc veniunt, vel Cardinalis Protector in Religionibus, quæ illum habent); vel Sac. Congr. Episcop. & Regularium, quæ ad hunc effectum à Sixto V. erecta fuit; Ac etiam quandoque S. Congreg. Conc. ubi ad istius mentem emanassent provisiones, quæ prætenduntur gravatoriæ; vel demum, ipsemet Pontifex, qui aliquam Congregationem particularem desuper deputare solet, ut de his omnibus actum habetur per Fagnan. *in cap. Peiore, à n. 15. usque ad fin. de appellat.* ubi refert decreta desuper edita de anno 1650. per Congregationem deputatam.

Et generaliter, ut in causis Regularium, ita procedendum sit, benè firmat Laput *alleg.73. n.4.* ubi Adden. *lit. M.* qui alios cumulat, ac dixit pluries Rota, præsertim apud Cels. *decis. n.9.* Major etenim reputatur subjectio, & obedientia religiosi erga Abbatem, vel alios superiores Ordinis, quàm sit illa, ad quam tenentur clerici sæculares erga proprium Episcopum; Atque ita omnium Religionum Ecclesiæ Catholicæ observantia docet, quoniam aliàs maximum esset inconveniens, ut Capitulo, vel superiore Generali, aliquas ordinationes, vel Constitutiones faciente pro recto regimine Religionis, ac pro restitutione, seu reformatione antiquæ observantiæ, & disciplinæ regularis, licitum esse deberet singulis religiosis, vel Conventibus, ad Judices ordinarios, ac Tribunalia forensia appellare, atque causas in forma contentiosa ad instar privatarum controversiarum pertractare more sæcularium.

Quamvis enim frequenter habeamus in Rota disputatas controversias concernentes regulares, & *præsertim* mili- 5
taris Religionis S. Joannis Hierosolymitani in forma judiciaria, & contentiosa, Attamen id practicatur, inter singulos religiosos super commendarum, ac prioratuum, aliarumque dignitatum, vel beneficiorum pertinentia, postquam ejusdem Religionis Consilium Ordinarium, vel Completum tanquam Judex primæ, vel ulterioris instantiæ judicavit, ut habetur *sub tit. de beneficiis.*

Sive inter ipsam Religionem, & singulos, qui ad habitus susceptionem, ob non benè probata requisita, admissi non fuerunt, ideòque introduxerunt causam appellationis, ex deductis *sub tit. de præeminentiis, disc.32. & seq.* Non autem circa concernentia statum Religionis in universum, seu correctionem morum, ac extirpationem abusuum, & restitutionem regularis disciplinæ.

Ideòque ea, quæ circa appellationem à decretis in visitatione habentur apud Scacc. *de appell. cap.17. limit. 26.* & 6
Fagnan. *in cap. dilectus, n. 29. & seq. ac referis*, an scilicet sint diffinitiva, vel interlocutoria, ac in forma judiciali, vel potiùs extrajudiciali, ac summariè procedatur, sive an jure ordinario, vel delegato, cum aliis, quæ apud allegatos in proposito habentur, procedunt positis terminis habilibus interpositæ appellationis ad eos, qui legitimi Superiores jam præsupponuntur, adeò ut sola quæstio sit super appellationis effectu, an scilicet utrunque suspensivum, & devolutivum operari debeat, vel potiùs devolutivum tantùm; verùm de hoc non erat præsens controversia, cùm ea percuteret solum punctum qualitatis Judicis recursus, vel appellationis.

Ex hac autem ratione extranea etiam videbantur ea, quæ supponebantur deduci ex parte ejusdem Conventus appellantis circa dictarum provisionum injustitiam, ac præjudicialitatem, quòd scilicet ita singuli Conventus privati essent jure eligendi, ac admittendi personas ad habitum, & statum religiosum, contra formam Constitutionum Apostolicarum, & contra diuturnam observantiam; dum hæc respiciebant merita disputanda coram Judicibus à Papa declarandis.

Verùm discurrendo etiam de meritis causæ, adhuc inju- 7
stam,

ſtatum, malèque fundatam dicebam hujuſmodi querelam, quo- 7 niam dicta proviſio, ſuper prævio examine, & approbatione admittendorum, non tollebat jus eligendi, vel reſpectivè admittendi, ſed ſolùm concernebat qualificationem perſonarum in genere, ex quibus, in libito ſingulorum Conventuum poſitum ſit, aliquos præeligere, alios autem rejicere; ideòque nullum juris eligendi, ſeu admittendi præjudicium adeſſe dicitur, ad inſtar illius, juris eligendi ad Magiſtratus, quod antiquitus competebat Populo, vel Senatui Romano, quoniam eligi non poterant, niſi candidati, ſive illi, qui haberent qualitates per leges Reipublicæ præſcriptas.

Ac etiam à ſimili habemus de electione Vicarii ſede vacante, quæ competit Capitulo Cathedralis, quoniam electio non eſt libera, ſed ex præſcripto Concilii Tridentini, fieri debet de Doctore, vel licentiato in jure canonico, vel in Theologia, ex deductis *ſub tit. de Canonicis, & Capitulo, diſc. 24. & ſeq.* ac etiam infrà *in Miſcell. Eccleſ.* & in *adnotatio. ad Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 16.* atque in Monaſteriis Monialium, electio Abbatiſſæ, ad ipſas moniales pertinet, ſed ea cadere debet in perſona, quæ certam præfinitam ætatem, certumq; monachandi tempus, aliaq; requiſita habeat.

Et generaliter in omnibus Religionibus, electio Generalis, vel reſpectivè Provincialis, aliorumque ſuperiorum, pertinet ad ipſam Religionem, ſeu Provinciam, vel Conventum. Verùm ex ipſius Religionis Conſtitutionibus, vel Apoſtolicis proviſionibus, electio cadere non poteſt, niſi in perſonis, quæ certa requiſita habeant; Id etenim non eſt tollere jus, vel libertatem eligendi, ſed ſolùm præſcribere eligendorum qualitatem, ac habilitatem.

Tunc etenim juri eligendi diceretur præjudicari, quando eas, quas Conſilium approbaſſet, Conventus invitus recipere teneretur; Id autem à Conſilio non prætendebatur, ſed ſolùm, ut ab ipſo Conſilio qualificarentur perſonæ, quæ hujuſmodi habitum ſuſcipere cupientes, ab eo idoneæ declararentur, ut benevolos receptores deinde invenire deberent, cum recipientium libertate.

Cùm etenim de dicti Conſilii poteſtate non dubitaretur, ut occaſione viſitationis, ſeu aliàs ex juſta cauſa removere poſſet ab exercitio curæ, & adminiſtratione ſacramentorum, ſeu etiam ab ipſiſmet Conventibus expellere illos religioſos, quos, vel ratione illiteraturæ minùs idoneos, vel ob vitam, ac mores ſcandaloſos inveniret; Hinc proinde, omninò melius, ac ſanius conſilium videbatur, in materia adeò periculoſa curæ animarum, priùs malo occurrere, quàm illud curare. Potiſſimè quia hujuſmodi expulſiones non abſque ſcandalo ſequi ſolent, dum per ea (ut experientia docet) neque omninò Religionis bono conſulitur, eo quia hujuſmodi vitiatorum converſatio, alios etiam probos, corrumpere, vel alterare ſolet, juxtà vulgatum dicterium *morbida facta pecus*, &c.

Ideòque (cum ſenſu etiam veritatis) juſtam, ac rationabilem, & proptereà omninò approbandam eſſe dicebam hujuſmodi proviſionem; Spectata potiſſimè majeſtate, & qualitate Concilii, à quo prodiit; adhuc tamen his non obſtantibus per Congregationem particularem deſuper deputatam reſolutum fuit, ut cauſa remaneret in Rota, ubi pendet, atque incertum eſt, in quo ſtatu reperiatur; Et de aliquibus proviſionibus Religionis Hieroſolymitanæ habetur infrà, *diſc. 61.*

ADNOT. AD DISC. XXII.

QUomodo procedendum veniat in cauſis Regularium habetur ſuprà, *diſc. 1. hoc tit. & in Adnot. ad S.C.T. diſc. 16. & 34.* & conferunt deducta *in Miſcell. Eccl. diſc. 16.* Et de militibus Hieroſolymitanis habetur latiùs *hoc eod. tit. diſc. 61.*

NEAPOLITANA MONASTERII INTER MINISTRUM GENERALEM MINORUM OBSERVANTIUM, ET CARDINALEM PROTECTOREM EJUSDEM ORDINIS.

Reſponſum pro veritate.

De controverſia juriſdictionali inter Cardinalem Protectorem, & Miniſtrum Generalem Ordinis ſuper regimine Monaſterii ſubjecti eidem Ordini, ac ſuper facultate denotandi Guardianum, ſeu Prælatum aliosque Officiales.

Card. de Luca, Lib. XIV.

S U M M A R I U M.

1 *FActi ſeries.*
2 *De poteſtate Miniſtri Generalis Minorum Obſervantium.*
3 *De eodem, & quod habeat juriſdictionem.*
4 *Protectoria non tribuit juriſdictionem.*
5 *Delegatio eſt strictè intelligenda, & non extenditur de perſona ad perſonam.*
6 *Expirat per mortem perſonæ, cui facta eſt delegatio.*
7 *Ad Pontificem pertinet tollere jura uni Religioni, & dare alteri.*
8 *Executoris Apoſtolici juriſdictio, quando duret, vel expiret reſpectivè.*
9 *Non eſt præſumendum in proviſione Apoſtolica præjudicium.*
10 *Juripatronatus Regio non ſolet derogari.*
11 *Ad materiam regula de jure quæſito non tollendo, & quando gratia dicatur de ſui natura præjudicialis.*

D I S C. XXIII.

1 PRæſuppoſita eadem facti ſerie, de qua ſuper conſtructione, ac exemptione, & regimine inſignis Monaſterii Monialium S. Claræ Neapolis habetur *ſub tit. de juriſd. diſc. 26.* ubi de jure viſitandi clauſuram prætenſo per illius Civitatis Archiepiſcopum, ampliſſima exemptione non obſtante, cùm ejuſdem Monaſterii regimen, quod priùs erat ſub Conventualibus, de anno 1568. per S. Pium V. inſtante Rege Philippo II. conceſſum eſſet Minoribus Obſervantibus, deindeque de ann. 1598. Clem. VIII. illud privativè ad Obſervantes qui dicuntur de familia conceſſiſſet aliis Obſervantibus, qui dicuntur reformati, iſtamque mutationem commiſiſſet Cardinali, tunc temporis Ordinis Protectori; Hinc proinde, præſertim ab anno 1620. citra Cardinalis Protector pro tempore prætendendo quòd dicta delegatio non eſſet perſonalis, ſed directa protectoriæ, atque non percuteret illum ſolũ actum, ſed haberet tractum ſucceſſivum, ſe ingerere cœpit in deputatione Guardiani, & Confeſſariorum, aliorumque officialium, privativè ad Miniſtrum Generalem, iſto ex quadam reverentia tolerante, dum caſus præbere conſuevit, ut iſtius adeò magni, & qualificati Ordinis protectionem haberent Cardinales Pontificum nepotes; Quare circa profeſſionis initia, per eundem Miniſtrum Generalem P. Joannem de Neapoli (qui niſi immatura morte præventus fuiſſet, multa ejus dignitatis, ac prælaturæ à prædeceſſoribus neglecta reſtituiſſet, ut patet etiam ex alio caſu, de quo *ſuprà, diſc. 7.*) meum deſuper pro veritate conſilium petitum fuit.

Reſpondi verò, quòd illud maturum deſuper tradi non poterat, niſi priùs viſis, vel auditis juribus, in quibus hanc facultatem fundaret Cardinalis protector, cùm deſuper aliquod ſpeciale indultum Apoſtolicum habere poſſet, ideòque deciſio pendeat ex circumſtantiis facti potiùs quàm ex punctojuris in genere.

Quatenus verò, aliquod ſpeciale indultum non adeſſet, ut per aliquos ejuſdem Ordinis Religioſos ſupponebatur, atque id fundaretur in dicta delegatione Clementis VIII. facta Cardinali tunc temporis Protectori, tali caſu dicebam, 2 ut probabiliora viderentur jura Miniſtri Generalis ſuper hujus Monaſterii regimine, & adminiſtratione; Tum ex ſpeciali lege fundationis enunciata *dicto diſ. 26. de juriſd.* cujus tempore attento, unicus erat iſte Ordo Minorum, atque unicus Miniſter Generalis, in omnibus pro generali regula, exceptis caſibus limitatis, repræſentatus ab iſto, qui ad præſcriptum Conſtitutionis 23. Leonis X dicitur Miniſter Generalis totius Ordinis Sancti Franciſci; Unde proptereà, ut habetur ſuprà, *dicto diſc. 7.* exceptis aliquibus Ordinibus, qui habent Generalem particularem, ut ſunt Conventuales, & Capuccini, huic ſubjacent omnes adeò diverſi Ordines, vel Congregationes in tam copioſo numero in partibus ultramontanis.

Tum etiam ex juris regula, vel aſſiſtentia in præcedentibus quoque pluries inſinuata, reſpectu omnium Religionũ, 3 quòd ſcilicet Miniſter, vel Prior Generalis, tanquam primus, ac major Religionis, vel Ordinis Prælatus, ac director, per univerſam Religionem in Capitulo generali deputari ſolitus, quando Apoſtolica auctoritas aliàs non diſponat, habet juriſdictionem in omnibus ſuæ Religionis Monaſteriis, domibus, ac perſonis eodem modo, quo Epiſcopus illam habet in omnibus Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis ſuæ Diœceſis juxtà deciſiones in præcedentibus allegatas, præſertim in Tullig. poſt Tambur. *de jur. Abbatiſſ. deciſion. 15,*

cum pluribus seqq & in Ulyssipopen. *dec.* 577 584. 598. & 646. *part.* 5. *rec* & in aliis,

E converso autem, nullibi in jure hæc assistentia, seu ju-
4 risdictio attributa legitur Cardinali Protectori, cui commissa solum est protectio, quæ de sui natura jurisdictionem non importat, ut firmatur per Rot. *dec.* 34 *n.* 5. *p.* 4. *rec. tom.* 2. Aliaque est juris regula, de qua *sub tit. de jurisd. disc.* 1. & *seqq.* & plene in decisionibus proditis in casibus ibi enunciatis, quod scilicet jurisdictio privilegiativa, ubi præsertim prætendatur privative ad Prælatum Ordinarium, non præsumitur, nisi probetur.

Neque obstare dicebam dictam Apostolicam delegatio-
5 nem Clementis VIII. Tum quia ejus tenore attento, personæ potius, quam officio directa videtur, Ideòque intrat certum juris principium, quod delegatio est stricti juris, strictèque intelligenda, neque datur extensio de persona ad personam *in c. significante, de rescr.* & *c. P. & G. ac offic. de delegat.* cum concordantibus per Barb. *in l.* 1. *art.* 1. *n.* 204. & *seqq. ff. de officio delegat.* Fagnan. *in c. quoniam, de officio delegat.* & consequenter expiravit per mortem delegati ad textum *in c. quoniam Abbas*, & *c. cum literis, de offic. delegat.*

Tum elatius, attenta subjecta materia, seu causa dele-
6 gationis, extra casum, seu punctum controversiæ, quoniam aliud est, an istud Monasterium in sua Regia fundatione commissum regimini, ac jurisdictioni Ordinis Minorum, qui tunc erat unicus, esse debeat post ejusdem Ordinis divisionem, potius penes unam ejusdem Religionis speciem, quàm penes alteram, sive an eodem regimine jam existente, penes unam speciem, ab ista tolli possit, ac transferri in alteram; Aliud verò, firmato jam regimine in una specie, seu Ordine, super ejusdem regiminis praxi, & exercitio.

Prima enim pars est solius Pontificiæ potestatis, tollendi
7 scilicet jus uni, & dandi alteri, ut advertitur *sub tit. de praem. disc.* 11. ubi de jure oblationum ablato Conventualibus, & concesso Observantibus, idque non cadit sub jurisdictione, vel potestate Ministri Generalis, vel aliorum Prælatorū Religionis, ut docet praxis præcedentis translationis hujus regiminis factæ per S. Pium V. a Conventualibus ad Observantes, unde propterea Pontifex circa ejus partes explicandas, vel exequendas, congruè id commisit, potius illi Cardinali, qui erat utriusque Ordinis Protector, quàm alteri, utpotè magis informato de stato, ac stylis utriusque Ordinis, & qui magis opportunè, atque cum minori strepitu, vel scandalo id practicare poterat, non autem exinde inferri potest, ut post jam executam, ac effectuatam hanc delegationem, in eum translata censeantur ea, quæ ipsum regimen, ita translatum percutiunt in futuri cum tractu successivo.

In id conveniente nimiùm frequenti, ac recepta conclusione quam præsertim præ manibus frequenter habemus in materia beneficiali, vel simili, quod jurisdictio executo-
8 ris Apostolici, post jam consummatam executionem, tanquam ex cessante causa, expirat, seu evanescit; Atque eatenus durationem habere potest, quatenus res habeat tractum successivum, pro cujus, ipsiusque executionis observantia, idem executor adiri valeat, ex iis quæ habentur ex theorica Innocen. *in c. pro illorum*, *n.* 3. *de praeben.* cum concordantibus per Rot. *dec.* 21. & 265. *p.* 7. *rec.* & in sua materia *sub tit. de jud.*

Ideòque ubi etiam admittendum esset, quòd hæc delegatio seu commissio, directa esset, potius officio, quàm personæ, etiam cum tractu successivo; attamen id percuteret casum conservationis hujus Ordinis Reformatorum in hoc regimine adversum alterum Ordinem observantium de familia, quando spreta Apostolica provisione, vellet antiquus Ordo illud reassumere; secùs autem extra istum casū, atque in ita quæ concernunt actus faciendos per eum, qui jam obtinuit effectum Apostolicæ provisionis executioni demandatæ.

Potissimè verò, atque pro meo judicio, extra controversiam, quòd utriusque Ordinis, sive ejusdem ob quendam diversum vivendi modum ita distinctum, unus & idem
9 est Minister Generalis, unumque & idem Capitulum Generale, quod est utriusque Ordinis æquè repræsentativum, unde propterea ista Apostolica provisio directa Cardinali Protectori, importaret formalem privationem jurisdictionis ordinariæ, de jure competentis, & possessæ, tam à Ministro Generali, quàm a Capitulo, ipsaque Religione in universum, ac tolleret jus tertii, cujus mentio alias facta fuisset, si Papa id habuisset in animo; Tum ex frequenter insinuata propositione, quòd Principum gratiæ, ac provisiones intelligendæ veniunt sine præjudicio tertii; Tum clariùs in Summo Pontifice talem animum expressè declarante per ejus regulam *de jur. tert. quaes. non tollend.*

Accedente quoque in idem alia notabili circumstantia, 10
quòd cùm istud Monasterium sit de jurepatronatus Regio ex fundatione, & donatione, juxta seriem, de qua *d. disc.* 39. *de jurisdict.* atque ex ejusdem fundationis lege, Monasterium esse debeat sub regimine Ministri, & Capituli generalis, idcircò derogatio specialis necessaria fuisset, stante consuetudine Papæ non derogandi Regio juripatronatus, quod propterea speciali nota dignum est, ut in sua materia *sub tit. de jurepatron.*

Tunc etenim dictæ propositiones, tam circa Regulam de 11
jure tertii quæsito non tollendo, quàm circa specialem derogationem jurispatronatus Regii cessarent, quando ageretur de Apostolica provisione, quæ per necesse, seu in necessariam consequentiam hoc præjudicium juris tertii, seu derogationem dictæ legis fundamentalis importaret, ex alia recepta conclusione, de qua *sub tit. de praem. disc.* 9. & *sub tit. de Regal. disc.* 148. & alibi frequenter, quòd in gratiis de sui natura præjudicialibus expressa derogatio dictæ regulæ, seu mentio juris tertii non requiritur, sed implicitè subintelligitur, quando scilicet ageretur de duabus omninò diversis Religionibus, diversa corpora constituentibus cum diverso Definitorio, seu Capitulo generali diversoque Ministro, seu Prælato Generali, ut verificatur in prima mutatione facta per S. Pium V. à Conventualibus ad Observantes, quoniam tunc, dismembrando Monasterium ab una Religione, illudq; tribuendo alteri, in necessariam consequentiam venit præjudicium Prælatorum Religionis, a qua dismembratio facta est, istoque casu diceretur gratia pernecesse, ac de sui natura præjudicialis; Id autem ad rem applicabile non erat, Ideòque nisi aliquod speciale indultum adesset, respondi quòd omninò probabilius videretur bonum jus Capituli, ac Ministri Generalis; Verum, ut dictum est, superventa mora dicti nimiùm zelantis, ac generosi Prælati, hujus puncti ulteriorem prosecutionem impedivit.

ADNOT. AD DISC. XXIII. & XXIV.

Circa facultatem deputandi Guardianum, aliosque Prælatos Regulares, de qua *in disc.* 23. habetur *in Supplemento hoc tit. disc.* 74. occasione agendi de puncto, an Commissarius Monasterii dicatur Judex, & Superior Monachorum in eo degentium; Et quoad alia concernentia Monasteria Monialium, earumque regimen conferunt deducta *in eodem Supplemento, disc.* 73.

BRIXIEN. JURISDICTIONIS, SEU REGIMINIS MONASTERII,

PRO MONASTERIO, SEU CONSERVATORIO ÆNIPONTI,

CUM

GENERALI ORDINIS SERVORUM.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Regularium, resolutus pro Monasterio.

Commisso regimine Monasterii Monialium alicui Religioni, ejusque Prælatis, & Religiosis; an id intelligendum sit quoad omnimodam jurisdictionem, vel potiùs quoad regimen spirituale administrationis Sacramentorum, & divinorum, aliosque actus particulares?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones.*
3 *Quid operetur assistentia juris.*
4 *De subjectione mulierum profitentium aliquod Institutum superiori Generali ejusdem Ordinis.*
5 *Declaratur de quibus mulieribus intelligatur.*
6 *Limitatio qualificata est probanda cum qualitate.*
7 & 8 *De factis circumstantiis excludentibus applicationem conclusionis, de qua n.* 4.
9 *Actus, qui sint æquivoci, & referibiles ad alium titulum, non tribuunt jus.*
10 *Quando Monasteria Monialium non debeant stare sine Superiore, ac visitatore.*
11 & 12 *An magis expediat, ut Monasterium sit sub Nuncio Apostolico, quàm sub Ordinario loci?*

DISC.

D I S C. XXIV.

1 CUm Archiducissa Anna Catharina de Austria in loco
Æniponti duo fundasset Monasteria, unum scilicet
Monialium formale cum clausura, & alterum sine clausura,
seu potius Conservatorium mulierum, quibus dedit nomen
servarum; istudque commisisset spirituali regimini Ordinis
Servorum B. Mariæ, ea motivo, quòd fundatrix (adhuc non
conscia de existentia hujus Religionis,) dictis mulieribus
idem nomen, seu titulum attribuisset, atque tractu tem-
poris inter hoc secundum Monasterium, seu Conservato-
rium, ejusque Abbatissam, seu Prælatissam, dictæque
Religionis Generalem, seu Provincialem aliquæ ortæ es-
sent controversiæ, Monasterio, seu Abbatissa prætenden-
te, quòd Religiosi huic servitio, vel regimini præpositi,
ingerere se non possent, nisi in administratione sacramen-
torum, ac divinorum, & in quibusdam aliis actibus parti-
cularibus; è converso autem prætendente Religione juris-
dictionem, ac superioritatem universalem.

2 Hinc introducta causa in Sac. Congregat. Regularium,
de anno 1669. prodiit resolutio juxtà Monasterii votum,
ut scilicet dictæ Religioni, ejusque Prælatis, jure cujusdam
specialis commissionis, ea tantùm competerent, quæ in
ipsius Monasterii Constitutionibus expressa sunt, eisque
commissa fuerunt, reservata inspectione super jurisdictio-
ne generali, an competerent Episcopo jure ordinario, vel
delegato; Vel potiùs ea committenda esset Nuncio Apo-
stolico apud Imperatorem; Et quamvis super hoc etiam
puncto posteà scripserim pro Monasterio exoptante, ut
Nuncio id committeretur, incertum tamen est quid exinde
secutum sit, cùm non audierim amplius de causa actum.

Quatenus igitur pertinet ad dictum punctum, qui in for-
ma contentiosa per juris tramites disputatus fuit inter Mo-
nasteriũ, & Generalem, seu alios Prælatos dictę Religionis;
Dicebam scribens pro Monasterio, etiam cum sensu verita-
tis, quòd decisio controversiæ pendebat à puncto competen-
tiæ, vel respectivè incompetentiæ causæ universalis, vel assi-
stentiæ juris in Generali, aliisque Prælatis, qui in sua Religio-
ne habent juris assistentiam; Ubi etenim hæc adest, tunc fun-
data dicitur intentio Prælati illam habentis, donec ille, qui
3 exemptionem passivam, vel respectivè jurisdictionem acti-
vam privativè prætendit, illam ex privilegio, vel legitima
præscriptione probet, cùm ista sit virtus, seu operatio præ-
sumptionis, vel assistentię juris, ut fundet intentionem ejus,
qui eam habet absque alio extrinsecæ probationis fomento,
cujus onus transfert in alteram partem, quæ hujus regulæ
limitationem pretendat; ubi verò hæc probatio accedat, quæ
certos actus particulares percutiat, tunc ad illos tantùm ejus
jurisdictio restringitur, firma in reliquis remanente causa
universali ad favorem ejus, qui juris assistentiam habet, juxà
tà ea, quæ pluries firmata habentur in sua materia *sub tit. de
jurisd.* præsertim *disc.* 1. qui videtur regulator hujusmodi
controversiarum, cadentium inter Ordinarium, habentem
assistentiam juris super causa universali intra suum territo-
rium, vel sibi commissam universitatem, & exemptos,
vel Prælatos inferiores prætendentes hujus regulæ genera-
lis particularem limitationem, & habetur etiam in pluri-
bus aliis *disc. seqq. eod. tit. de jurisdict.*

4 Ista igitur generali, ac vera theorica præmissa, seu consti-
tuta; Quatenus ad ejus applicationem pertinet; Stantibus
Apostolicis Constitutionibus Innocentii VIII. enunciatis
per Rotam *in dec. 566. n.6. & 17. p.5. rec.* quæ (ut infrà)
alia occasione edita fuit super hoc eodem Monasterio, ut
omnes scilicet mulieres, quæ sub Pinzochesiarum, vel Ter-
tiariarum, aut Mantellatarum nomine, seu vocabulo expli-
cari solent, atque hoc Institutum Servorum B. Mariæ profi-
centur, ab Ordinariorum jurisdictione exemptæ, atque sub
immediata Sedis Apostolicæ protectione receptæ, sub re-
gimine, ac jurisdictione hujus Ordinis, ejusque Genera-
lis, ac Provincialium, aliorumque Prælatorum esse debe-
rent; Hinc proinde punctus erat in applicatione, an scili-
cet mulieres viventes in hoc Monasterio, seu Conservato-
rio, essent, necne de hoc genere; Hoc etenim posito admitte-
bam, quòd ad prædictarum Constitutionum normam, regu-
la, seu causa universalis assisteret Generali, aliisque Prælatis;
secus autem è converso juxtà præmissam distinctionem.

Ex defectu autem applicationis, cum justitiæ fundamento
dicta resolutio prodiit, quoniam directæ Constitutiones
Apostolicæ, præsertim illa Innoc. VIII. cum qua proceditur
5 utpotè omnium aliarum præcedentium innovativa, & con-
firmativa, loquuntur de mulieribus viventibus, juxtà insti-
tuta hujus Ordinis, ad normam declarationum, seu ordina-
tionum Martini V. Et consequenter est concessio qualifica-
ta, intelligenda ad limites qualitatis, juxta axioma, super
qualificata limitatione, vel concessione non attendenda,
nisi ad limites qualitatis, istaque justificata, super quo plu-
ra colligunt Fontanell. *de pact. claus. 5. Glos. 1. p. 2. n. 19. cum* 6
seq. & Rota *dec. 357. n. 24. p. 10. rec.* & passim.

Ista verò qualitas non justificabatur, quinimò ejus pro- 7
batio expressè excludebatur, dum istę mulieres vivunt, juxta
particulares institutiones per fundatricem in ipso limine
fundationis ordinatas, atque à Sede Apostolica confirmatas,
continentes diversum Institutum; Et quod magis est, de
tempore quo tam fundatio, quàm Constitutiones secutæ
fuerunt, istisque mulieribus attributum fuit nomen Serva-
rum B. V. non habebatur in eo loco notitia hujus Ordinis,
cujus professoribus, ob superventam hanc notitiam, funda-
trix, regimen spirituale committere voluit, dum pernecessè
sacerdotibus sæcularibus, vel regularibus committendum
erat, ita ex hac ratione similitudinis nominis, vel Instituti,
eos præeligendo, non autem, quòd esset Monasterium fun-
datum cum hac regula, vel Instituto, adeòut caderet sub pre- 8
fata jurisdictione, seu causa universali, quam dictæ Apostoli-
cæ Constitutiones concedunt; Accedentibus præsertim plu-
ribus facti circumstantiis fundatricis voluntatem compro-
bantibus, ut istorum religiosorum assumptio, seu præfectura
esse deberet manualis, quòdque ubi non benè, ac diligenter
suum munus explerent, dimitti possent, aliique assumi, quod
de directo repugnat propriæ, ac nativæ jurisdictioni ordina-
riæ competenti Generali, aliisque Prælatis in Monasteriis,
& domibus ipsius Ordinis, eique subjectis.

Atque hinc de consequenti, corruere dicebam plures 9
actus jurisdictionales gestos per Provinciales, aliosque Præ-
latos Ordinis, cùm ita remanerent æquivoci, utpotè refe-
ribiles ad dictum manualem titulum deputationis, quo-
niam, nisi ab eis gesti essent, pernecesse, ac de natura re-
giminis, & administrationis, geri debuissent ab aliis cleri-
cis sæcularibus, vel regularibus, qui eidem muneri præ-
positi fuissent, & consequenter fuerunt actus precarii, seu
famulatorii, qui jus, ac possessionem non tribuunt.

Major igitur, totaque dubitandi ratio restringi videbatur
ad ejusdem Monasterii prætensionem sub exemptione à ju-
risdictione Episcopi, contra quem in possessorio idem Mo-
nasterium curaverat in Rota obtinere favorabiles resolutio-
nes registratas *p. 5. rec. dec. 546. & 566.* quasi quod ita, ne
aliàs Monasterium remaneret acephalum, & sine superiore,
agnitum fuit, quòd Ordinarius ac universalis superior es-
set hujus Ordinis Generalis, vel Provincialis; Verum istud
non videbatur motivum considerabile; tum quia esset de ju-
re tertii, de quo regula est dari non posse, tum clarius, quo-
niam licèt Monasterium prætenderet ex lege fundationis
saltim implicita, exemptionem ab Ordinario, non tamen
prætendebat stare sine superiore, cùm vellet agnoscere in
superiorem Nuncium Apostolicum apud Cæsarem, qui
pluries Monasterium visitaverat, aliosque jurisdictionis ac
superioritatis actus gesserat.

Unde propterea quæstio potiùs reducebatur ad dictum
alium punctum inter Nuncium, & Episcopum; Et hic non
erat juris, sed facti, quoniam petitio, ut ejus regimen com-
mitteretur potiùs Nuncio, quam Episcopo, non erat ex fun- 10
damento justitiæ, vel ex dispositione juris, cujus assistentia
favore Episcopi non controvertebatur; Sed erat ea gratia re-
gulanda à motivis prudentię, quibus attentis, pro gratię cõ-
cessione dicebam respondendum videri, dum ita, non tam
ratione majoris vicinitatis, quæ haberetur potiùs de Nun-
cio, quàm de Episcopo. Ac etiam fortiùs, quia occasione trã-
situs Nunciorum pro tempore in accessu ad Curiam Impera-
toris, vel recessu, frequentius Monasterium adeò qualifica-
tum Visitatorem habere potest, dum ob distantiam & con-
suetam qualitatem Episcopi, fortè nullus, vel nimiùm rarus
est casus ejus accessus, ac visitationis personalis, sed eam face-
re solent per ministros, & delegatos, ideòque magis congruũ 11
est, ut id fiat personaliter per Nuncium Sedis Apostolicæ,
qui majorem habet authoritatem, quoniam non solùm ha-
bet eandem potestatem, quam Episcopus cum illis de clero,
& populo sæculari, sed etiam alteram cum regularibus, a-
liisque exemptis, quos proinde magis coercere potest.

In idem ponderando ea, quæ in hoc proposito Monaste-
riorũ exemptorũ sub jurisdictione ac regimine Nuncii Apo-
stolici, ut subjacere non debeant alteri delegatę jurisdictioni
Ordinarii loci, habentur *sub tit. de jurisd. disc.* 16. Non tamen
super hoc efformari potuit judicium, minùsque constanter
asseverari, quòd ita justitia exigeret, cùm hæc sit materia
gratiosa & arbitrii, regulanda potiùs ex legibus prudentiali-

bus, in quibus certa, & determinata regula dari non potest, cùm totum pendeat ex facti circumstantiis, ac præsertim ex temporum contingentiis, ut quotidiana praxis docet.

ANGELOPOLITANA CONVENTUS, PRO PROVINCIA ANGELOPOLITANA, CUM PROVINCIA MESSICANA.

Responsum pro veritate.

An, & quando, Monasterium, vel Conventus dicatur principale, quod stet de per se, vel potiùs membrum dependens alterius Monasterii, cui annexum sit, adeòut in divisione Provinciæ, quamvis ejus situatio sit in una Provincia, pertinere censeatur ad aliam Provinciam, in qua sit Monasterium principale, seu dominans?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Dismembratio est species alienationis prohibita.*
3 *Mutato facto mutandæ sunt resolutiones.*
4 & 5 *De materia unionis, ejusq; probatione, ac effectibus.*
6 *De distinctione inter observantiam præscriptivam, & interpretativam.*
7 *Ex quibus constet, an Monasterium sit principale, & de per se, vel, dependens ab altero, ejusque membrum.*
8 *Quando quis dicatur legatarius, vel executor.*
9 *De ratione, ob quam novæ fundationes Conventuum alicui Conventui dirigantur.*

D I S C. XXV.

1 ALoysius de Leone Romanus, degens in Civitate Antequære Indiarum, in ea provincia, quæ nova Hispania nuncupatur, de anno 1557. in ejus testamento quoddam pingue legatum reliquit Conventui S. Francisci Messicanæ Civitatis, ad effectum, ut in eadem Civitate, vel in altera Angelorum, ad electionem Protegis (qui deputatus fuit executor testamentarius) erigeretur Collegium, seu domus studiorum pro 24. alumnis ejusdem Ordinis, adinstar Collegii S. Pauli Vallisoletani, quodque ubi dictus Conventus S. Francisci nollet, vel negligeret dictam dispositionem acceptare, ea censeretur facta ad favorem Conventus S. Dominici ejusdem Messicanæ Civitatis; cùmq; Religiosi S. Francisci declarassent nolle acceptare legatum, ut potè ab eorum summæ paupertatis Instituto prohibitum, illud acceptatum fuit per Conventum S. Dominici, atque facta per Protegem electione in dicta Civitate Angelorũ, in quodam loco contiguo Conventui ejusdem Ordinis, processum fuit ad fundationem, sub nomine Collegii, de Regio jurepatronatus, attributo illius superiori titulo Rectoris, atque per spatium continuatum centum annorum, superior electus pro stylo hujus Religionis, per capitulum ejusdem Conventus, cujus Syndici & Administratores, Provinciali in visitatione rationes reddere consueverunt; atque superior vocem habuit in Capitulo provinciali, aliasque præeminentias, quas aliorum Conventuum Priores, vel Superiores habere solent; cùmque de anno 1656. provincia Messicana, ob ejus amplitudinem, & ex aliis justis causis per P. Generalem Ordinis in vim ejus facultatum, Apostolica etiam confirmatione accedente, divisa fuisset in duas, antiquã scilicet Messicanam, & novam Angelopolitanam, cuilibet proprios fines assignando, & consequenter Conventus intra eosdem fines constructos, vel construendos; ac propterea istud Collegium S. Pauli, utpotè situm in ipsamet Civitate Angelorum, quæ nomen dedit novæ Provinciæ, sub ista caderet, recursum habuit ad eundem Generalem Conventus Civitatis Messicanæ, excitata prætensione, ut dicta divisione non obstante, istud Collegium remaneret in eadem antiqua provincia Messicana, tanquam ejus membrum; Quare Generalis desuper adhibuit votum duorum ex senioribus Romanæ Curiæ Advocatis, qui concorditer consuluerunt quòd justa, beneque fundata esset petitio, ideòq; ad voti normam, prodiit determinatio; Adversus quam recurrente nova provincia Angelopolitana, desuper ex parte ejus Nuncii, seu procuratoris ad hunc effectum transmissi, communicato dicto voto, pro veritate consultus fui.

Per Consulentes autem, firmato præsupposito, quòd ob testatoris dispositionem directam Conventui Messicano pro
2 fundatione Collegii, istud quamvis materialiter in diversa Civitate, pro majori forsan commoditate fundatũ, censendum esset membrum ejusdem Conventus, sub cujus administratione Collegium fuerit. Hinc de consequenti concludebant, ut illud remaneret in eadem provincia antiqua, de qua erat Conventus principalis, dicta divisione non obstante ex defectu potestatis Generalis, dum id importaret formalem dismembrationem, quæ in jure reputatur species veræ alienationis cadentis *sub extr. Amb. de reb. Eccles. non alienan.* juxta auctoritates, ac decisiones, quas desuper habemus, plenè in eodem voto cumulatas, de quibus in sua materia *sub tit. de alien. & contr. prohibit. disc. 1.* & in aliis.

Quinimò quòd adesset etiam defectus voluntatis; tum ex juris regula, ut voluntas metienda sit à potestate, ultra quam præsumenda non sit, tum etiam ob expressam declarationem ejusdem Generalis, qui divisionem fecerat, ut tanquam ignarus hujus circumstantiæ, id in animo non habuerit; Potissimè verò stante etiam præcepto testatoris adjecto pro lege fundationis in capitulationibus initis inter Protegem executorem, etiam nomine Regis patroni, & procuratorem d. Conventus, ut statum Collegii alterare non posset sub pœna caducitatis ad ejusdem Regis favorem, vel dispositionem.

Quando subsisteret dictum præsuppositum, quòd istud 3
Collegium esset membrum dicti Conventus, *Resp.* quòd ego quoque in eandem devenirem sententiam, cùm hoc posito, suprascriptæ consequentiæ exinde resultantes de plano procederent. Advertebam verò, quòd clara fallacia consisteret in dicto facti præsupposito, quo cessante, vel variato, judicium quoque variandum est, ut bene præsertim advertitur per Rot. *dec. 371. n. 2. p. 11. rec.* & habetur *sub tit. de judic. in relat. & praxi Curiæ,* in Rubrica, in qua agitur de Rotæ Romanæ Auditorio, occasione agendi, de ejusdem, aliorumque Tribunalium stylo variandi in resolutionibus.

In facto siquidem, nulla accedebat hujus præsuppositæ annexionis, vel subjectivæ unionis probatio, adeòut istud Col-
4 legium dicendum esset membrum, seu de mensa dicti Conventus, idque de jure non præsumitur, cùm unio subjectiva reputetur odiosa, juxta ea, quæ in specie Ecclesiarum, vel Conventuum dependentium, necne ab alio Monasterio, vel Conventu habentur *sub tit. de paroch. disc. 10. & 12. & 35.* ac etiam pluries *sub tit. de benefic.* Ibique advertitur, quòd non omnis actus, qui aliquam superioritatem, vel respectivè subjectionem importet, hunc effectum producit, cùm protectioni, vel patronatui, seu tributo, aut censuationi id referri possit juxta auctoritates, ac decisiones ibi relatas, quas in hoc responso quoque cumulabam.

Clarius verò, quia neque aliquod hujus subjectionis argu-
5 mentum accedebat, sed multa in contrarium urgebant, hujusmodi subjectivam annexionem, seu dependentiam excludentium; ut enim pluries advertitur in dicta sua materia *sub tit. de benefic.* ac etiam habetur *sub tit. de præmin. disc. 7.* ubi fortiter agitur de materia unionis, ejusque pluribus speciebus inter se omninò diversis, inter alios subjectivæ unionis, vel annexionis effectus, ille est præcipuus, ut res unita priorem essentiam, ipsumque nomen amittat, atque efficiatur prædium rei dominantis, cui facta est unio, & cui de consequenti pertinet omnimoda administratio; quam de reliquis bonis, ac prædiis habet, adeòut ille superior, qui in hujusmodi membris, seu grangiis deputatur, non mereatur nomen Prælati, neque ejus prærogativas, ac præeminentias habeat, sed potiùs reputetur vicarius, seu minister deputatus ad nudum exercitium facti, juxta ea quæ de Vicariis Ecclesiarum parochialium unitarum alicui Capitulo, vel universitati, vel alicui dignitati, habentur in præfatis suis sedibus, *de benefic. & de paroch.*

Contrarium etenim, in omnibus docebat adeò diuturna & continuata observantia unius sæculi, ab ipso limine fun-
6 dationis, quæ observantia adeò antiqua dici potest etiam præscriptiva juris clari, multò magis, ac extra omnem controversiam, illam attendendo tanquam interpretativam juris dubii, juxta pluries enunciatam distinctionem (qua fortè nil in foro frequentius) inter observantiam præscriptivam, & interpretativam, ut illa odiosa sit, atque rigorosa præscriptionis requisita exigat, ista verò sit favorabilis, dictoque rigori non subjaceat.

Certum enim erat in facto, quòd istud Collegium, cum
7 omnimoda independentia à præfato Conventu, proprium elegerat Rectorem, seu Prælatum, qui votum in Capitulo provinciali, aliasque omnes prærogativas seu præeminentias habuit, ad instar aliorũ Priorum, & Prælatorum, absque aliqua differentia, illeque eodem modo, quo alii superiores Conventuum formalium, juxta hujus Religionis institutum eligi consuevit per ejusdem Capitulum Conventuale, absq;

par-

participatione, vel confirmatione dicti alterius Conventus Messicani, à quo cum omnimoda independentia, bona propria ejus syndici administrarunt, atque rationes directè reddiderunt Provinciali in visitatione eo modo, quo alii Conventus principales, ac independentes, unde propterea videbatur, quòd versaremur in claris.

Ponderando quoque tam notabilem circumstantiam diversitatis naturæ, quòd scilicet dictus Conventus Messicanus esset liber, iste autem ex ordinatione fundatoris, ac legibus fundationis, esset de Regio jurepatronatus; Ac etiã ponderando nimiam distantiam inter unam & alteram Civitatem, quoniam si in animo habuisset fundandi istud Collegiũ ad usum studiorum tanquam membrum, seu pars dicti Conventus principalis, probabiliter hæc fundatio secuta esset in eadem Civitate, vel in alio adjacenti loco, ut ita promptius, ac melius Prælatus Conventus principalis, aliique administratores, hujus membri regimini, ac administrationi vacare possent, atq; invigilare, an studia benè dirigerentur, ut cùm Quamvis enim praxis doceat, quòd aliqua Monasteria, grancias, seu membra dependentia possideant etiam in partibus remotis, & cum notabili distantia, attamen id frequentius provenit ex accidenti, ratione unionis, vel concessionis postmodum secutæ, secus autem, dum agebatur de nova constructione, juxtà præmissam facti seriem, ob omnimodam inverisimilitudinem. Ideòque licèt istud non esset argumentum univocum, & concludens per necesse, attamen junctum cum tot aliis videbatur nimium efficax.

Dependentiæ autem prætensio deducebatur solùm ex eo, quòd fundatoris dispositio directa esset ad ipsum Conventum Messicanum, ejusque Religiosos, quòdque iidem cum Prorege conventiones, seu capitulationes super dicta fundatione iniissent; Verùm dicebam, quòd id nil concluderet, quoniam cùm nullum dictæ dispositionis emolumentum cedere deberet ad commodum ipsius Conventus, cui dispositio directa erat; Quinimò id expressè prohibitum esset, ut scilicet omnes effectus per testatorem destinati in hunc præcisum usum erogari deberent, neque aliis applicari possent; Hinc proinde advertebam intrare conclusionem, de qua cæteris relatis apud Gregor. *decis. 544. & Add. de decisionum 25. p. 3. rec.* & in sua materia *sub tit. de legatis*, quòd scilicet in hoc distinguitur legatarius ab executore testamentario, quòd quando totum id, quod relinquitur, erogandum est in opus destinatum, absque eò quòd aliquod emolumentum cedat ad commodum ejus, cui legatum directum est, tunc id non importat legatum, neque ille dici potest legatarius, sed nudus executor; Et hic erat casus.

Dictæque commissæ executionis congrua satis aderat, quòd scilicet circa illa tempora fundationis, in quibus Religio in iis partibus adeò prorogata non erat, sed modici aderant Conventus, quorum primus, ac major erat iste Messicanæ metropoliticæ Civitatis, idcircò rationabiliter, ac prudenter ei directa fuit dispositio, cùm in omnibus penè Religionibus in aliqua provincia, vel ratione introductis, atq; tractu temporis dilatatis, iste fuerit stylus, fundandi scilicet primum locum in Metropolitica, seu magna Civitate, atque ab eo tanquam scaturigine, seu fonte prodierunt alii Conventus, magnam provinciam constituentes; Ideòque meritò ad hunc effectum huic Conventui dispositio directa fuit, atque juxtà præmissa credo quòd prodierit resolutio, ut comprobant ea, quæ habentur deducta *supra, disc. 12.* occasione electionis Provincialis hujus provinciæ Angelopolitanæ, ubi habetur mentio istius Conventus, seu Collegii.

ANNOT. AD DISC. XXV. & XXVI.

QUando Monasterium dicatur dependens ab alio, vel potiùs stet de per se, nullibi occasio dedit postmodum disputare; videri tamen poterunt deducta *sub tit. de regal. disc. 165.*

TUDERTINA COLLECTARUM, PRO CIVITATE TUDERTINA, CUM MONASTERIO MONIALIUM S. MARGARITÆ.

Casus disputatus in Congregatione Boni Regiminis, resolutus pro Civitate.

De eadem materia, quando scilicet unum Monasterium ab altero dependens dicatur, ejusque membrum sit, præsertim ad effectum communicationis exemptionum, & privilegiorum, quibus gaudet ipsum Monasterium principale.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*

2 *Monasterium alteri unitum, efficitur illius membrum, ac prædium.*

3 *De effectibus ex istà unione, vel dependentia resultantibus.*

4 *Quare in statu Ecclesiastico etiam clerici sæculares, & regulares oneribus subjaceant.*

5 *An mendicantes per veritatem subjaceant oneribus gabellarum.*

6 *Congregationes Benedictinæ non sunt magis exemptæ quàm aliæ Religiones, sed quomodo onera solvant.*

7 *Onera Cameralia non solvuntur Communitati, sed directè Cameræ Apostolicæ.*

8 *De compositione dictarum Congregationum Benedictinarum.*

9 *Non capit bona quæsita post compositionem.*

10 *De regula nemo plus juris &c.*

11 *Pro iisdem bonis duplicatum onus non est solvendum.*

12 *Non datur franchitia privilegiativa in Statu Ecclesiastico.*

13 *In quo consistat Judicantis, vel Consulentis peritia.*

D I S C. XXVI.

CUm Benedictinæ Congregationes, ob compositionem initam cum Camera Apostolica, cui notabilem solvunt contributionem inter ipsas pro viribus, seu pro modo facultatum repartitam, non subjaceant collectis, quæ per Communitates imponi solent, pro solutione onerum cameraliũ atque Monasterium Monialium Sanctæ Margaritæ hujus Tudertinæ Civitatis viveret sub aliquo regimine, ac directione Monasterii S. Pauli Urbis Congregationis Cassinensis, ex eo quòd Moniales eandem S. Benedicti regulam profiteantur; Hinc proinde, Civitatis Administratoribus de more negligentibus, vel adeò subtiliter non perscrutantibus istius Monasterii bona, ea per aliquod tempus a collectis exempta fuerunt, cum hoc præsupposito, quòd tanquam membrum præfati Monasterii S. Pauli, eadem exemptione gauderet, verùm ad hunc errorem tractu temporis Communitate advertente, eaque hujus Monasterii bona collectare volente, orta desuper controversia in Congregatione Boni Regiminis, prodiit resolutio Civitati favorabilis, in repropositione confirmata, neque quod sciam, hucusque ulteriorem progressum habuit, unde propterea, credo quòd Monasterium acquieverit, vel se concordaverit. 1

In disputationibus autem desuper habitis; scribentes pro Monasterio (cui quoque ipsum Monasterium principale 2 S. Pauli adhærebat,) immorabantur in generalitatibus insinuatis *disc. præced.* quòd scilicet Monasterium unitum alteri Monasterio majori, dicitur ejus membrum, vel pars, quinimò reputatur ejus prædium, & consequenter dicebant, quòd de plano intraret consequentia, ut omnia privilegia, & exemptiones capitis, competerent etiam membris, plenè hanc annexionem, seu subjectivam dependentiam curando probare cum pluribus adminiculis, & argumentis, super quorum singulis, pro stylo moderno, longissimas retexebant allegationes, deductas præsertim ex decisionibus editis in *Senogallien. Parochialis,* de qua *sub tit. de paroch. disc. 13.* & in S. Severini *parochialis, vel jurisd.* de qua *sub tit. de jurisdict. disc. 14.*

Scribens ego pro Civitate, advertebam, quòd quidquid esset de præmissis, in suis casibus, vel ad illos effectus, pro 3 quibus agi solet de natura unionis, vel dependentiæ unius Monasterii ab altero, juxtà insinuata *disc. præcedenti,* ad effectum scilicet prælaturæ contradistinctæ, necne, & quando unum, vel potiùs duo Monasteria dicantur juxta considerationes, de quibus in Eugubina Abbatiæ *sub t. de præem. disc. 36.* ubi occasione agendi de prælaturis Monasteriorum debitis nationalibus, agitur de hoc puncto, ad effectum videndi quinam dicantur cives, seu nationales &c. Sive ad effectum aliorum privilegiorum, & præeminentiarum, imò 4 etiam ad hunc effectum exemptionis à gabellis, & collectis, quibus etiam clerici tam sæculares, quàm regulares in Statu Ecclesiastico frequentiùs esse solent subjecti, ex rationibus ponderatis *sub tit. de Regalibus, disc. 55. & 56.*

Ubi etiam *disc. 57.* agitur, an posita subjectione Regularium solvendi gabellas pro carne, & vino, aliisque victualibus, comprehendantur illi religiosi mendicantes, qui eleemosynaliter, atque ex vera ostiaria mendicitate vivunt, cum

similibus, in quibus eadem intrat ratio, ut scilicet de natura vel privilegio capitis participent etiam membra.
5 Attamen omnia hæc extranea esse dicebam à casu controversiæ, adeòut ea, quæ cum copiosis allegationibus deducebantur, ad hujus dependentiæ, vel annexionis probationem inanem chartarum repletionem, inanemque laborem continerent; siquidem ipsum principale Monasterium S. Pauli, pro ejus bonis, ac membris nullum habet privilegium exemptionis ab oneribus cameralibus, eaque de facto solvit, atque sola diversitas est in modo solvendi, quòd scilicet aliæ Religiones, quæ se non concordarunt cum
6 Camera, eadem onera solvunt Communitatibus locorum, in quibus bona sita sunt, non ex jure collectandi, quod ipsis Communitatibus laicalibus competat, quoniam eis absque dubio ecclesiastici non subjacent, nisi quando ita per Papam demandetur citra directam violationem immunitatis ecclesiasticæ, ex rationibus, de quibus, *d. disc. 55. de Regal.* sed quia ut advertitur *ead. tit. de Regal. disc. 92. & sub tit. de servit. disc. 35.* & sæpius, hæc onera directè, ac im-
7 mediatè solvuntur Papæ tanquam prædiorum tributa, seu decimæ; Communitates verò ejusdem Papæ nomine hoc exactionis ministerium explicant.

Eatenus verò prædia, & bona istius Monasterii, omniumque Congregationum S. Benedicti communitatum collectis exempta sunt, quatenus mediante dicta compositione,
8 directè eadem onera solvant Cameræ in quadam annua summa pro modo facultatum, seu per æs, & libram inter ipsas Congregationes in genere ac respectivè inter cujuslibet Congregationis Monasteria, eorumq; membra repartita; adeòut illa bona, quæ post dictam compositionem ab aliquibus Monasteriis acquisita fuerint, è manibus eorum, qui hæc onera solvebant sub Communitatum collectis, adhuc sub eisdem collectis perseverent, utpotè sub dicta compositione non comprehensa, juxtà determinationem Congre-
9 gationis boni regiminis ad praxim redactam.

Hinc proinde dicebam, quòd vis non erat in privilegiis, & an ea, quæ sunt concessa Monasterio principali, conveniant etiam membris, seu grangiis, aliisque dependentiis, quo-
10 niam ipsum Monasterium principale in hoc nullum habet privilegium, quod propterea ejus membris communicare non potest, ex vulgari axiomate *nemo plus juris &c.* ac etiam quia accessorium regulatum à suo principali, plus obtinere non potest, quàm illud habeat; sed punctus erat, an prædia, aliaque bona hujus Monasterii monialium de tempore repartitionis factæ inter istas Congregationes, ac singula Monasteria respectivè, pro solutione summæ compositæ, posita essent in libro, seu catastro bonorum Monasterii S. Pauli, adeòut de facto supportarent, necne hæc onera. Si enim posita erant in dicta repartitione, tunc admittebam, quòd Communitatis petitio justa non esset, cùm pro eadem
11 re idem duplicatum onus solvi non debeat, quamvis de facto moniales nihil solverent, quoniam earum loco solutionem facere potuit Monasterium principale ad sublevandum illud suum membrum, quod aliàs de proprio sustentare deberet, quatenus esset tale, ut supponebatur.

Ubi verò hæc circumstantia in facto non verificaretur,
12 & tunc (etiam cum sensu veritatis) dicebam quòd manifesta esset justitia Civitatis, quoniam aliàs esset dare hujusmodi bonorum omnimodam exemptionem, seu franchitiam merè privilegiativam, quæ hodie in Statu Ecclesiastico non datur ob Constitutiones Apostolicas, quarumcunque exemptionum revocatorias, illis exceptis, quæ ex causa merè onerosa, & correspectiva concessæ sint, ex deductis pluries *sub tit. de Reg.* ad hanc materiam collectarum, & gabellarum, præsertim *disc. 47.* Istique videbantur proprii, ac præcisi hujus controversiæ termini, quoniam ubi dispositio certum effectum respicit, ille attendendus est, non curatis verborum formalitatibus, vel Juristarum generalibus propositionibus; Et consequenter, extranea, seu evagatoria erant ea, quæ deducebantur hinc inde super hujus Monasterii subjectione, ac dependentia, & an verè dicendum esset membrum, necne, quoniam sive esset, sive non, effectus erat idem.

Hinc proinde edocemur, quòd Judicantis, vel Consulen-
13 tis peritia, vel doctrina, non consistit in evagatoriis conclusionum, & auctoritatum consarcinationibus, sed in percutiendo punctum præcisum, congrueque applicando activa passivis, & quò brevius, eò melius.

PORTUGALLIEN. DIVISIONIS PROVINCIÆ,

PRO EJUSDEM PROVINCIÆ RELIGIOSIS DESIDERANTIBUS UNITATEM,

CUM DESIDERANTIBUS DIVISIONEM.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Regularium, resolutus pro unitate.

An, & quando locus esse debeat divisioni alicujus provinciæ Regularis, necne.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Principi est replicandum, neque ad executionem deveniendum est, sed supersedendum, ubi mandata sint alteri præjudicialia.*
3 *Resolutio.*
4 *De materia dismembrationis, ac divisionis, novaque erectionis.*
5 *Divisio provinciarum fieri potest ex causa per Generalem.*
6 *De rationibus, ob quas ad divisionem non erat procedendum.*
7 *Parva Conventus, vel parva provincia improbantur, & quare.*
8 *Novitates regulariter perniciosa & non laudabiles.*
9 *Quomodo in hujusmodi controversiis procedendum sit.*

D I S C. XXVII.

IN Regno Portugalliæ, ab anni 170. circiter, erecta fuit 1
quædam Congregatio Minorum strictioris observantiæ nuncupata Discalceatorum pietatis, quæ tractu temporis dilata fuit in 38. Conventus unicam provinciam in toto Regnó constituentes. Cùm autem, (ut frequenter contingit) inter aliquas ejusdem Regni contratas, seu nationes, aliquæ factionariæ æmulationes exortæ essent; Hinc proinde, illa natio, seu pars, quæ minorem religiosorum numerum habebat, cum præsupposito amplitudinis Provinciæ, quam singulis annis Minister Provincialis pedester, juxtà institutum, peragrare, ac visitare non posset, præsupposito etiam omnium consensu, de anno 1668. obtinuit à Sacra Congregatione Regularium, ut in duas, pro regionum, seu contratarum qualitate, dividi deberet; Atque ad normam resolutionis, expeditæ fuerunt literæ Apostolicæ in forma brevis, directæ Ministro Generali Ordinis, ut veris existentibus narratis, pro ejus conscientia, & arbitrio, ad divisionem deveniret; Cùmque id pervenisset ad notitiam aliorum Religiosorum, qui unitatem desiderabant, illique apud Generalem, dictarum literarum executioni se opposuissent, unde propterea idem Generalis abstinuit, ad hoc ut ad eandem Congregationem recursus haberetur.

Ita prudenter practicando propositionem insinuatam 2
præsertim *disc. 148. de Regal.* quòd scilicet Magistratus, cui Principis, vel alterius superioris mandatorum, seu provisionum executio commissa est, ad eam facilis, ac promptus esse non debet, quoties ex interessatorum oppositionibus, vel ex aliis justis causis, agnoscat supersedendum esse, eundemque Principem, vel Superiorem consulendum; Hinc proinde delata causa ad eandem Sacram Con- 3
gregationem, de anno 1670. recedendo à resolutis, pro unitatis continuatione responsum fuit.

Pro dicta unitate scribens, adhibebam eos terminos, qui
deducti habentur *sub tit. de praemin. disc. 6.* in materia divi- 4
sionis, vel dismembrationis diœcesum, cum novæ Cathedralis erectione, juxtà plura ibi deducta exempla; ac etiam in eidem adhibebam eosdē terminos, quos habemus in materia divisionis, vel dismembrationis Ecclesiarum parochialium *sub t. de Paroch. disc. 33. & seqq.* quòd scilicet regulariter divisio, seu dismembratio dicitur prohibita alienatio, quæ cadit etiam sub dispositione *extrav. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* & consequenter exigit, non solùm solemnitates consistentes in beneplacito Apostolico, & in consensu interessatorum, sed etiam justam causam necessitatis, cui aliàs opportunè provideri non possit, quodque verificentur duo essentialia extrema, seu requisita. Primò nempe, ut antiquæ Ecclesiæ, seu provinciæ dignitas per hujusmodi dismembrationem, seu divisionem non vilescat, sed in suo congruo, ac decenti statu remaneat; & secundò ut novum
cor-

corpus filiale, juxta debitam decentiam, constitui valeat ne alias eadem vilipendi ratio intret, ut etiam advertitur in notis *ad S.C.T.*

Ubi etenim dicta justa causa necessitatis urgeat, dictaque
5 extrema, seu requisita verificentur, tunc admittebam, ut etiam cum authoritate Ministri Generalis, ad hanc divisionem provinciarum procedi valeat; Imò ubi necessitas, vel boni regiminis ratio exigat, id fieri debeat, ex deductis per Pasqual. *ref. moral.* 141. Rot. *dec.* 279. *n.* 9. *&* 10. *par.* 11. *rec.* Talisque est praxis, ut præsertim habetur suprà in Angelopolitana *disc.* 25. ex eadem ratione, de qua in proposito erectionis novarum Cathedralium, vel novarum Parochialium locis sopracitatis, quod scilicet omnia principia sunt debilia, & exigua, unde propterea, provincias, vel diœceses, ex materialium finium amplitudine, constituere oporteret; Tractu verò temporis, populo, vel numero Religiosorum, & Conventuum excrescente, adeò ut unus Prælatus, vel Superior non de facili supplere possit, unde detrimentum resultet subditorum, vel disciplinæ regularis, tunc opportunum est, ac laudabile, ad hujusmodi divisionem devenire, quando aliàs commodè consuli non potest.

Applicando autem ad rem; Omnia dicta requisita in facto cessare videbantur, unde propterea (etiam cum sensu veritatis per Sac. Congregationem quoque agnitæ) dicebam ut hujusmodi divisioni locus non esset; Tum quia cessabat
6 præsuppositum inconveniens, quod Provincialis statutis temporibus universam provinciã personaliter visitare non posset, dum ex parte desiderantium unitatem docebatur, quod id semper secutum esset; Tum etiam quia cùm numerus Conventuum, ac respectivè religiosorum, non esset valdè copiosus, cùm essent solùm 38. Conventus & 400. circiter religiosi; Hinc proinde remanerent duæ provinciæ nimiùm exiguæ, penèque contemptibiles, quod expresse per sacros Canones prohibetur, ex deductis *d. disc.* 6. *de præem.*

Ponderando in idem Constitutionem Innocentii X. de anno 1650. editam super Conventuum suppressione, ob rationem ibi assignatam, quod scilicet, ubi magis numerosum
7 est corpus, eò magis viget observantia disciplinæ regularis: Et è converso, cùm eadem sit proportio in singulis quibusque Conventibus; ac respectivè in provinciis, dum quo major est religiosorum numerus, eò magis adsunt viri literati, ac exemplares ad prælaturas idonei.

Cùmque experientia probasset, quod hæc provincia per duo penè sæcula in hac unitate benè vixerat, ac profecerat,
8 non de facili admitti debent novitates, quæ pro earum regulari natura, perniciosæ potiùs esse solent, ex deductis præsertim *sub tit. de præem. disc.* 30. & alibi; Potissimè quia etiam Rex, qui hujus Congregationis ab antiquo tempore, introductor, & auctor fuit, eandem exoptabat unitatem, atque vehementia urgebant adminicula, ut divisionis petitio ex factionariis æmulationibus potiùs proveniret; Ideòque ista
9 materia, certam, ac determinatam non recipit regulam, cuicumque casui applicabilem, cùm ex singulorum casuum circumstantiis decisionem recipiat potiùs cum regulis prudentialibus, quàm cum rigorosis propositionibus legalibus.

ADNOT. AD DISC. XXVII. & XXVIII.

De materia divisionis, & dismembrationis habetur in sua Sede *sub tit. de Paroch. disc.* 34. *& seq. & in eod. tit. disc.* 42. Et quoad concernentia materiam quæstuationis habetur *in Adnot. ad S.C.T. disc.* 18.

BAREN. ET SYPONTINA CONFINIUM INTER CAPUCCINOS PROVINCIARUM SANCTI NICOLAI, ET SANCTI ANGELI.

Responsum ad opportunitatem.

De divisione confinium, inter duas provincias Religiosorum mendicantium, ad effectum quæstuationis, & ne quæstuarii unius provinciæ fines alterius, ingredi valeant.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quomodo dividantur provinciæ mendicantium pro quæstuatione.*
3 *A finibus temporalibus non infertur ad spirituales, & è contra.*

Card. de Luca, Lib. XIV.

4 *Fines Regularium sunt diversi à sæcularibus, & ecclesiasticis.*
5 *Regulares degentes extra claustra, præsertim quæstuarii subjacent loci Ordinario, & de ratione.*
6 *Quare danda non est confusio Diœcesum.*
7 *De modo distinguendi quæstuationem Conventuum particularium.*
8 *Quando debeat practicari divisio per aquas, de qua n. 2.*
9 *Non debent Religiosi unius loci, quæstuare in territorio alterius.*
10 *Datur exemplum, & de situatione Civitatis Venusinæ.*
11 *Resolutio casus, & de ejus ratione.*

D I S C. XXVIII.

Cum ultimus Capuccinorum locus provinciæ Sancti Nicolai Barensis, ad oras maris Adriatici Apuliæ 1
versus montem Garganum, sit in insigni oppido Barolitano, cui Civitatis nuncupatio meritò quoque tribui solet; Et è converso ultimus locus, versus eandem partem, seu contratam provinciæ S. Angeli, seu Apuliæ planæ, sit in oppido Citignolæ; atque in territorio adjacente unum, ac alterum locum intermediet nimiùm amplum, præsertim ovium pascuis hiberno tempore congruum spatium, unde propterea ab utraque Aprutii provincia, aliisque montuosis partibus, animalia confluunt sub ea dohana, cujus mentio habetur *sub tit. de Regal. disc.* 94. Religionum autem verè mendicantium, ut præsertim est ista Capuccinorum, quæstuatio in hac parte, nimiùm proficua sit, potissimum pro lana, quæ religiosorum indumento necessaria est, ac etiam pro caseo, & fœtibus.

Hujus autem Religionis laudabile sit institutum, penè 2
omnibus aliis eandem mendicitatem profitentibus commune, per Apostolicas Constitutiones, vel decreta quoque comprobatum, ut quilibet Conventus, vel respectivè quælibet provincia quæstuationem exerceat intra proprios fines, neque unus illos alterius ingrediatur, atque in dicto spatio, quidam fluvii, seu aquarum rivuli existant; Hinc proinde inter dictas provincias, in Capitulo generali Romæ celebrato anno 1671. extrajudicialis benevola orta est controversia, super hujusmodi provinciarum finibus, an scilicet illi regulandi essent ex dictis fluviis, seu rivulis, ut ex parte provinciæ S. Angeli prætendebatur, vel potiùs ex dictorum locorum finibus territorialibus, ut prætendebat provincia Barensis; Pro parte itaque istius requisitus ad ejus jura tuenda, dum propriæ patriæ Conventus in hac S. Nicolai provincia situs est.

Scribens ad requirentis opportunitatem, dicebam, quod 3
ubi isti fines territoriales, qui non solum distinguunt territoria dictorum oppidorum Baroli, & Citignolæ, sed etiam ipsasmet provincias Regias Barensem, & Comitatus Molisii, percuterent solum jurisdictionem temporalem; tunc admittebam, quod illi non benè concluderent divisionem hujusmodi provinciarum regularium, quæ ex frequentiori usu dividuntur per flumina, vel per torrentes, tanquam per confines certos, ac notorios, qui confundi non possunt; tum ex regula generali, quam habemus in diœcesum divisionibus, quod ex finibus temporalibus inferendum non est ad spirituales, ex iis, quæ habentur pluries *sub tit. de jurisd.* præsertim *disc.* 1.

Tum clarius, quia ut magis in specie super divisione pro- 4
vinciarum regularium habetur *sub tit. de præemin. disc.* 29. confines hujusmodi provinciarum regularium, non solùm diversi sunt à finibus temporalibus, dum una provincia Regularis constare solet ex partibus existentibus, etiam in pluribus principatibus inter se omnino diversis, ac independentibus; sed etiam neque regulantur cum finibus spiritualibus diœcesum, vel provinciarum, cùm frequenter casus præbeat, ut unius, ejusdemque diœcesis loca ad diversas pertineant provincias, *ut dicta disc.* 29. advertitur.

Verùm quia isti fines territoriales, non erant solùm tem-
porales, sed etiam spirituales, utpotè dividentes etiam diœ- 5
ceses; Hinc proinde dicebam, quod eadem divisio attendenda esset in hoc proposito, ex eo potissimum fundamento, quod licèt regulares, sive directè, ac specialiter, sive ob communicationem privilegiorum, sint exempti a jurisdictione Ordinariorum, attamen in plerisque casibus collectis per Barbos. *de Episc. alleg.* 105. & per Tambur. *de jure Abbat.* & alios, ac habetur pluries *sub tit. de jurisd.* illis subjacent; Præsertim verò hanc subjectionem sentiunt isti quæstuarii de tempore, quo extra claustra, ista occasione commorantur, dum absque dubio Ordinarius loci eos inquire-

ro potest, præsertim stante Constitutione Innocent. X. su-
per statu & reformatione Regularium, an habeant, necne
legitimam licentiam, ac facultatem superiorum, sive ubi
in aliquo delinquerent, vel scandalum præberent, dum
non valente proprio Prælato regulari desuper providere,
remaneant partes Ordinarii loci supplendi, ut etiam ad-
vertitur infra *in notis S.C.T.*

Hinc proinde inferebam, quod isti quæstuarii debent re-
6 spectivè se continere intra limites illius diœcesis, in qua
morantur, atque ubi situs est ipse Conventus ibi proximus,
in quo quæstuationem sapiunt, ne alias detur inconve-
niens, ut Ordinarius loci, in quo morantur, cognoscat
de iis, quæ occurrunt in territorio alieno; vel è converso
Ordinarius, in cujus territorio casus punibilis contingit,
apponat manus cum personis de diversa provincia, non ha-
bens cognitionem Provincialis, aliorumque officialium;
ut habet alter Ordinarius loci existentis intra eam provin-
ciam, ut ita dignoscere valeat, an licentia, seu facultas
sit vera, & legitima, necne, unde propterea confusiones,
& inconvenientia resultare possent.

7 Clarius verò, quia in utroque loco, Baroli, & Ciri-
gnolæ, adsunt Conventus, & consequenter intrat alterum
inconveniens, ut religiosi unius Civitatis, vel oppidi ac-
cedant ad quæstuandum in altera Civitate, vel oppido, e-
jusque territorio, quod est expressè prohibitum, ut adver-
titur infrà in Murana *disc.* 31. ubi de fortioribus terminis
mendicantium aliarum Religionum.

Tunc etenim sustentabilis videretur usus hujus Religio-
8 nis dividendi, ut vulgò dicitur, confines per aquas, quan-
do ageretur de intrusione, vel pertinentia locorum adjacen-
tium, in quibus Conventus non adessent, ut practicatum
fuit in consimili controversia, quæ habebatur inter hanc
provinciam S. Nicolai Barensis, & provinciam Basilicatæ;
pro locis Basilis, Ripacandidæ, & Gioestræ, existentibus
inter Conventum Civitatis Venusinæ ultimum provinciæ
Barensis, & Conventum contiguum Civitatis Melphien-
sis, primum ex hac parte provinciæ Basilicatæ, quoniam
in Capitulis generalibus celebratis de anno 1619. & 1625.
processum fuit cum hac regula divisionis aquarum, cum
aliis similibus, quæ deducebantur; benè verum, quod
in isto casu, in quo præfata loca assignata fuerunt provin-
ciæ Basilicatæ, & pro Conventu Melphiensi, aderat quo-
que altera congrua ratio, quod eadem loca sunt de eadem
diœcesi Melphiensi unita; Secus autem, ubi inter duas Ci-
vitates, vel duo oppida confinantia, ac existentia in extre-
mitatibus provinciarum, nulla alia intermedient loca, tùm
enim Religiosi cujuslibet loci jus habeant privativum in
territorio proprio, ne aliàs detur inconveniens ponderatum
per textum *in l. præsens, C. de ser. & aq.* cum concordanti-
bus *sub tit. de servit. disc.* 29. ut scilicet cogatur ille, qui
9 habet fontem, vel flumen in proprio prædio, ab usu aquæ
abstinere, atque proprios agros siccentes relinquere, ut alie-
ni remotiores agri irrigentur, quod utique est absurdum.

Atque ad id practicè comprobandum, dabam exemplum
adjacentium Civitatum, Venusinæ, & Lavellensis, in
quarum singulis adsunt Conventus hujus Religionis, am-
bo ejusdem provinciæ Barensis, quoniam cùm prope mœ-
10 nia Civitatis Venusinæ adsit fluvius, qui Dauni nomen
habet, ex antiqua traditione, à Dauno Apuliæ Rege sum-
ptum, ut advertitur *sub tit. de præeminent. disc.* 35. ubi de
hujus Civitatis descriptione. Major autem, magisque fæ-
cunda & aptior territorii pars, præsertim pro pastura o-
vium, aliorumque animalium hiberno tempore, sit per
longum spatium ultra dictum fluvium, versus territorium
dictæ alterius Civitatis Lavellensis, utique magnum esset
inconveniens, ut attenta hac divisione per aquas, religio-
si Civitatis Venusinæ, prohibendi essent quæstuare, relin-
quendo meliorem partem territorii propriis exteris, plura-
que similia exempla dabantur.

Quamvis autem præmissa probabilia viderentur, nihil-
11 ominus majori parti illorum Religiosorum, quos Diffini-
torium deputavit ad id decidendum, visum fuit, quod istæ
essent subtilitates legales, non attendendæ per ipsos, qui
procedere debeant cum religiosa simplicitate super obser-
vantia usus Religionis circa terminos dividentes provincias
(quidquid sit inter loca singularia ejusdem provinciæ) fa-
ciendi divisiones per aquas, seu flumina tanquam per ter-
minos perennes & invariabiles, quodque cùm iste usus sit
generalis, violari non debebat; quamvis in aliquibus ca-
sibus particularibus, aliqua urgeret probabilis ratio, quæ
contrarium suaderet, quoniam magis expedit conservare
usum generalem; Dictaque ratio, mihi reflectenti ad ve-
ritatem, non displicebat, etiam legaliter ex regula textus
in l. nam ad ea, ff. de regul. jur. cum ibi notatis.

CÆSARAUGUSTANA FUNDATIONIS CONVENTUS,

PRO

UTROQUE CLERO, SÆCULARI, ET REGULARI ET PATER POPULI OPPIDI CARINNENÆ,

CUM PP. CAPUCCINIS.

Casus decisus per Rotam pro Clero, & Oppositoribus, &c.

De requisitis necessariis pro nova fundatione Conven-
tus Religiosorum in loco, ubi præsertim agatur
de Religiosis mendicantibus per veritatem, utpotè
ex ostiaria mendicitate, & quæstuatione viventibus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causa.*
3 *De stylo, ut decisiones stent loco informationum.*
4 *De distinctione mendicantium.*
5 *De requisitis necessariis pro nova fundatione.*
6 *Agitur de primo requisito beneplaciti Apostolici.*
7 *Quod cesset per Concilium Tridentinum.*
8 *Contrarium verius.*
9 *Quod Canonistis potiùs deferendum sit, quàm Mo-*
ralibus.
10 *Cessat quæstio, de qua n. 8. & 9. per Constitutionem*
Urb. VIII.
11 *Quid in Religione Capuccinorum.*
12 *De altero requisito consensus Ordinarii, & an per*
superiorem possit suppleri.
13 *Quis sit Judex appellationis in his causis.*
14 & 15. *De consensu Parochi, & clericorum sæcularium.*
16 *De consensu populi.*
17 *An Capitulum sede vacante veniat sub nomine Or-*
dinarii.
18 *De consensu aliorum Religiosorum.*
19 *Leuca quid significet.*
20 *Quando ad mensuram distantiæ non sit procedendum.*
21 *Quomodo ista quæstiones decidi debeant.*

DISC. XXIX.

Desiderante parte populi oppidi Carinnenæ, ibi erigere 1
Conventum Capuccinorum provinciæ Aragoniæ, at-
que se opponentibus Parocho & beneficiatis, necnon Mi-
noribus Observantibus, in eodem loco Conventum haben-
tibus, quibus pro frequentiori contingentia, quædam pars
populi adhærebat, juxta illas factionarias divisiones, quæ
ex religiosorum, vel ecclesiasticorum controversiis inter sæ-
culares caussari solent, enunciatas præsertim *sub tit. de præ-*
em. disc. 9. Delata causa ad Ordinarium, hic erectionem de-
negavit; Interposita verò appellatione ad Nuncium Aposto-
licum, atque per istum commisso negotio Episcopo Oscen-
si, hic supplendo consensum Ordinarii, pro erectione pro-
nunciavit; Quare commissa per Sanctissimum causa appel-
lationis *in Rota, coram Bevilaqua sub die* 18. *Maii* 1657.
juxta sententiam Ordinarii, contra fundationem prodiit
resolutio, ad cujus limites emanavit sententia, confirmata
per duas alias Rotales, *coram Melito, & Cerro*, præviis 2
decisionibus, quæ habentur impressæ *part.* 12. *rec. dec.* 289.
& 309. Commissaque denuo causa *in ead. Rota, coram Ve-*
rospio, cum solita clausula *constito de tribus*, prævia reso-
lutione super denegatione remissoriæ *sub die* 17. *Martii*
1659. deinde *sub die* 6. *Julii ejusdem anni* prodiit resolutio
super dictarum sententiarum executione, istæque decisio-
nes habentur impressæ post collectas. Bondeo. *decis.* 60. &
67. Adhuc tamen novus recursus habitus fuit ad Sanctissi-
mum, in plena Signaturæ Gratiæ, sed *nihil* rescriptum
fuit, unde propterea controversia finem habuit, plures ta-
men ex dictis decisionibus prodierunt, hac parte solùm in- 3
formante, in alterius contumaciam, unde propterea, non
in omnibus instantiis scribere oportuit, cùm ex laudabili
stylo, decisiones Parti obtinenti sufficiant loco informa-
tionum Advocatorum, quorum partes sunt esse parati re-
spondere earundem decisionum impugnationibus.

In his disputationibus habitis in Rota, & in utraque Si-
gnatura, actum fuit de requisitis necessariis, pro nova fun- 4
datio-

datione Conventus Regularium in aliquo loco, ubi præsertim agatur de hujusmodi Regularibus Mendicantibus de facto, seu per veritatem discretis ab illis, qui dicuntur Mendicantes impropriè, seu privilegiativè, sive ut distinguantur à Monachis, quamvis de redditibus provisi, mendicitatem non exerceant juxta distinctionem hujusmodi Mendicantium per veritatem & per fictionem, de qua *sub tit. de Regal.* ad materiam vectigalium, seu gabellarum *disc.* 57. ubi de puncto, an posita subjectione etiam regularium mendicantium solutioni gabellarum pro victualibus, gabellæ solvi deberent pro illis victualibus, quæ eleemosynaliter ex quæstuatione parata, in Civitatem, seu locum introducuntur ex ibi deductis.

5 Cum itaque, ex hac parte oppositorum quinque deducerentur defectus super hujusmodi nova fundatione, in qua dicti religiosi in vim sententiæ Episcopi Oscensis, de facto se intruserant, ob calorem Magistratus, ac majoris partis populi; Primò nempè defectus beneplaciti Apostolici; Secundò alter defectus consensus Ordinarii; Tertiò quod non accederet consensus totius populi; Quartò alter defectus consensus parochi & beneficiatorum; Et quintò consimilis defectus consensus aliorum religiosorum existentium in eodem loco, vel in aliis adjacentibus intra quatuor milliaria juxta decretum generale Clementis VIII. de quo agitur infrà *in Murana, disc.* 31. Et potissimè, quia Minores Observantes, habentes Conventum in eodem loco, expressè se opponebant, atque erant in causa, utpotè omnium magis interessati, dum ex eadem quęstuatione, & mendicitate vivunt; hinc proinde super singulis dictis defectibus habitę fuerunt disputationes, an scilicet, & qui subsisterēt, necne.

6 Quatenus igitur pertinet ad primum requisitum beneplaciti Apostolici, ut in nova fundatione Monasteriorum, & Conventuum, necessarium esset; Ex hac parte dicebatur, clarè probari per textum expressum *in c.* 1. *de excess. prał. in* 6. & per alium text. *in c. unica de Relig. domib.* pariter *in* 6.

7 Non negabant Scribentes in contrarium, ut de jure communi illud necessarium esset, dum Canones sunt literales, ac in specie loquuntur de his Mendicantibus, unde propterea cessat quæstio, de qua infra in Vicana *disc. seq.* an eorum dispositio locum habeat in Monachis.

Dicebant tamen, ut eorum dispositio moderata sit per
8 Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de regul. c.* 3. ac etiam per Apostolica privilegia, ut credunt Rodriq. Lezzan. & alii Morales relati per Donat. *in praxi reg. tom.* 1 *p.* 2. *tr.* 1. *de Monast. edific. q.* 13. *n.* 4. & *seq.* & hanc opinionem tenuisse visa est Rot. in alia Cæsaraugustana *dec.* 745. *p.* 1. *rec.*

Contrarium verò etiam in sensu veritatis, dicebam scri-
9 bens pro oppositoribus, esse verius, magisque receptum; tum quia ex magis communi sensu etiam modernorum, qui scripserunt post Concilium Tridentinum, istud requisitum reputatur necessarium, ut præsertim cęteris relatis Campanil. *in divers. jur. canonic. rubr.* 12. *c.* 13. *n.* 80. Barbos. *de Episc. alleg.* 26. *n.* 4. & *in collect. ad c. unicum, n.* 3. *de excess. prelator.* ac etiam Ricc. Novar. Zerola, & alii relati per Don. *ubi supra, n.* 1. ideoque ista opinio prævalere deberet cum ob majorem calculum, tum etiam ob propositionem pluries insinuatam, præsertim *sub tit. de usur. disc.* 1. & 3. ac etiam hoc eodem libro *sub tit. de matrim. disc.* 6. & alibi & *per Card. de Albicis initio ejus secunda discept. registrat. post t. de jurisd.* ut in iis, quæ ad forum externum ac judiciarium pertinent, Canonistis forensibus potiùs quàm Theologis, seu Moralibus deferendum sit: Potissimè quià ex iisdem quoque plures idem tenent, ut patet ex Donat. *loco suprac. dicta n.* 1. & Tambur. *de jur. Abb. tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 1. *n.* 3.

10 Verum ubi etiam, antequam prodiret Constitutio 25. Urbani VIII. desuper cadere posset quæstio, ista hodie cessat, utpote per dictam Constitutionem decisa, ut agnoscit idem Don. *ubi supra*, ac etiam *q.* 9. *n.* 11. & *q.* 15. *n.* 4. Atque de tempore istarum disputationum particulariter discusso articulo firmatum fuit per Rotam *in Cracovien. fundationis coram Celso* inter suas *dec.* 60. & 97. atque ita responsum remanebat *dict. dec.* 745. *p.* 1. *rec.* cum tunc dicta decisio adhuc non emanasset; idque pro absoluto habitum fuit in alia acerrime disputatione habita de anno 1659. in Romana hereditatis, de qua infra *disc.* 32. dum etiam scribentes pro fundatione, id admittebant tanquam certum, Insistebant autem in eo, quod dicta Constitutio locum non haberet in Urbe, sivè quod beneplacitum Apostolicum jam præstitum esset per organum Vicesgerentis, ex ibi deductis.

11 Adhuc tamen dicebant Scribentes pro nova fundatione, quod ubi etiam talis esset regula generalis in aliis Regularibus: Ea limitanda esset per privilegium Apostolicum, quod deducebant ex Constitutione Urbani VIII. confirmante in forma specifica ejusdem Religionis Constitutiones, in quibus præscribitur forma novarum fundationum Conventuum, cum licentia scilicet Ordinarii loci, & cum consensu Communitatis, ideoque ad hæc tantùm requisita necessitas restricta esset.

Verùm id continebat ęquivocum clarum meritò in decisionibus rejectum, quoniam istud est monitum, seu præceptum ipsarum Constitutionum, directum in ejus Religiosos, ne facerent novas fundationes, nisi cum consensu & bona gratia Ordinarii, totiusque populi, cui grati sint, ne aliàs eis invitis introducantur: non autem ut exinde resultaret hoc privilegium, dum in contrarium inconcussa est praxis Sac. Congregationis, cujus plura decreta in specie Capuccinorum referuntur per Barb. *in summa Apostolicarum decisionum, collect.* 386. *n.* 69. & *collect.* 503. *n.* 10. pluraque alia dabantur manuscripta, præsertim *in una Majoric.* atque revera est res indubitata, disputatione indigna.

Quo verò ad alterum requisitum, consensus, seu licentiæ 12
Ordinarii loci: Scribentes pro erectione, non negabant hujus requisiti necessitatem, utpote absolutam, tam de jure communi, quam clarius ex Conc. Trid. insistebant autem in eo, quod idem consensus jam adesset, utpotè jam suppletus per Episcopum Oscensem deputatum per Nuncium Apostolicum procedendo cum propositione generali, quam habemus in praxi frequentem super suppletione consensus injustè denegati, per Judicem, vel superiorem facienda.

Non negabam ego assumptum, etiam in his terminis quod 13
scilicet, ubi Ordinarius, absque justa causa, istum consensum denegaret, recursus haberi possit ad superiores, qui illum suppleant, cum non agatur de actu faciendo ex gratia, & mera liberalitate, sed ex justitia, sive pro arbitrio boni viri, adinstar illius suppletionis, quam in materia beneficiali, vel altera jurispatronatus habemus in terminis *Clementina Audit. de rescript.* vel illius, de quo habetur infra *sub t. miscellan. eccl. disc.* 3. & *seq.* in proposito collectarum, cum similibus, quoniam in libito Ordinarii, cessante justa causa, aliisque requisitis accedentibus, repositum esse non debet, populis ita desiderantibus, ac expedire opinantibus, denegare introductionem Regularium in locu; verum dicebam fallaciam consistere in applicatione dupliciter: Primò ex cessante dicto præsupposito, quod denegatio esset irrationabilis, & sine justa causa, dum stantibus tot defectibus, licentiæ scilicet Apostolicæ, vel Sacræ Congreg. & consensus totius cleri, & partis populi, aliorumque Regularium, prudens, ac justa fuit denegatio: Et secundo fortius ob defectum potestatis, seu competentiæ, tam Nuncii delegantis, quàm Episcopi ab eodem delegati, quoniam per Constitutionem 31. Greg. XV. statutum est, ut ab hujusmodi denegationibus appellari non possit, nisi ad Papam, vel ad Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium, privativè quoad omnes, & consequenter Metropolitanus, vel Nuncius, aut alter Judex appellationis non potest se ingerere.

Oppositio Parochi, & beneficiatorum, regulariter in hac 14
materia est considerabilis, cùm eorum consensus quoque sit requisitus, ratione præjudicii resultantis in emolumentis oblationum, & eleemosynarum ratione anniversariorum & missarum aliorumque divinorum, ut cęteris relatis habetur apud Donat. *in dict. prax. regul. tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 1. *de Monast. edific. q.* 15. *n.* 1. Barbos. *de Episc. alleg.* 26. *n.* 5. Ventrigl. *in prax. adnot.* 18. *n.* 21. Est benè verum, quod ubi ad hunc solum defectum causa restringeretur, illius suppletio per superiorem intrare debuisset, eodem modo quo suprà dictum est, de supplicatione consensus Ordinarii; Cùm enim ista Re- 15
ligio se non ingerat in administratione sacramentorum, & præsertim illius pœnitentiæ, neque accedat ad funera, nimusque admittat sepulturam cadaverum in Ecclesia; Hinc sequitur, ut nullum, aut modicum, ac remotum præjudicium Parocho, aliisque clericis sæcularibus, ejus introductio causet. Istaque oppositio per Sacram Congregationem negligi solet, quando populus concorditer id desideret, nequs alia justa motiva denegandi obstent.

Magis verò considerabilis, ac substantialis erat alter defe- 16
ctus consensus populi, cujus pars sortior se opponebat etiam per viam factionariæ divisionis, ex qua timebatur, ut scandala oriri possent: Quamvis enim ex parte substinere volentium fundationem, deduceretur consensus Decurionum, seu Magistratus Communitatis: Attamen cum ageretur de negotio, quod omnes, ac singulos tangit, atque perpetuum successivum præjudicium continere potest, requiritur consensus totius populi in Consilio generali, ex iis, quæ generaliter habentur *sub t. de alien. & contr. disc.*

23. &

23: & in his terminis Veotrigl, *in prax. dict. ad n.18. n.23.* & alii de quibus in causæ decisionibus præsertim prima cotam Bevilacqua,

Benè verum, quod si convocato Consilio, major pars populi id exoptet, ac lauder, aliqua verò minor pars, sine justa causa se opponat, quia nempè alii regulares, vel clerici sæculares, ita aliquorum oppositionem affectant, ut frequens praxis docet, tunc Sac. Congregatio hanc oppositionem negligere solet, quam etiam negligere potest Ordinarius, ubi alia requisita coocurrant.

Ordinarii verò appellatione, tam circa consensum ab ipso præstandum, quam circa alia ab eo authorizanda,
17 in hac materia non venit Capitulum Sede vacante, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Donat. *dicto tr. 1. de monast. adif. q. 18.* Barbos. *in summa Apostolicarum dec. collect.* 503. *n.* 15. & cum hoc sensu processit Rota *in Barchinanen. Conventus 20, Novembris 1637. coram Panzirolo,*

Demùm quoad oppositionem aliorum regularium, Scri-
18 bentes pro oova fuodatione, non negabant illam esse considerabilem, ac substantialem, potissimè ubi sit Religiosorum verè mendicantium, quorum certum, ac evidens est præjudicium per introductionem alterius Religionis, quæ cum eadem mendicitate vivat, ob decretum Clementis VIII. innovatum per Constitutionem 31. Gregorii XV. quod est in viridi observantia; solumque Sac. Congr. hanc oppositionem negligere soler, ubi loci seu populi qualitas talis esset, quod cum eleemosynis utrique Conventui sufficientes consultum esse posset, sive aliud accederet justum motivum, ut præsertim advertitur infra *disc.* 31. Quare restringebatur quæstio potius ad factum distantiæ, an adesset illa quatuor milliatium requisita per dictum decretum Clementis VIII. Cum etenim in Hispania, distantia de loco ad locum explicari non soleat cum termino, seu vocabulo mil-
19 liarium, ut practicatur in Italia, sed cum termino leucarum, qui est æquivocus, seu varius, eo quia pro locorum diversis usibus dentur leucæ majores, & minores, unde alicubi leuca importat tria, alibi quatuor, & alibi quinque milliatia, ut de isto vocabulo Gl. *margin. in c. ex parte, verbo leuca, de for. comp.* Parl. *lib. 2. rer. quot id, c. 19, n. 6.* Rovit. *pr. 1. de contum. n. 1,* modern. Pacieh. *in ejus tr. de aistantiis.*

Hinc proinde super hujus vocabuli significatione inter
20 Scribentes hinc inde fuit major quæstio, super qua advertebam, quod verè iste erat labor inanis, ac extra propositum, dum nun agebatur de aliquo articulo juris, sed de re facti permanentis, quæ de facili decidi poterat cum mensura facienda de ordine ejusdem Rotæ, juxta modum, seu praxim, de qua infra, *dicto disc.* 31. quando ad hunc solum punctum restricta esset quæstio, quæ propterea superflua erat, dum tot alii defectus obstabant, & consequenter justè, ista mensura occasione petendi remissoriam denegata fuit ex claro motivo irrelevantiæ, quoniam ubi etiam Religiosi oppositores essent extra dictum spatium, adhuc ea aliis defectibus adeo substantialibus effectus erat idem.
21 Non potest autem in ista materia statui regula certa, & generalis, cuicunque casui applicabilis, cùm ea facti qualitate, & circumstantiis pendeat, an scilicet aliquoruo ex dictis requisitis concedenda sit sopplerio, necnè; idque cum consueta lege prudentiali potiùs quàm cum rigorosis legum cancellis determinari solet per dictam Sacram Coogregationem, quæ ad præscriptum dictæ Constitutioois 31. Greg. XV. frequentius istas quæstiones summariæ decidit, nimirumque propterea rari sunt casus, in quibus illæ formiter disputentur in Rota more judiciario.

ADNOT. AD DISC. XXIX. & seqq.

AGitur in his discursibus de nova fundatione Conventuum, de qua pariter *in hoc t. habetur actum disc. 67. & 68.*

VICANA MONASTERII, PRO CONGREGATIONE OLIVETANA CUM EPISCOPO.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium, & resolutus ut infrà.

De eadem materia novæ fundationis, an io ea requiratur beneplacitum Apostolicum, ubi non agatur de religiosis Mendicantibus, sed de Monachis
2 Et an consensus Episcopi, & Parochi sufficiat tacitus, sive implicitus.

S U M M A R I U M.

1 FActi series.
2 An consensus Apostolicus de jure requiratur in nova fundatione Monasteriorum non Mendicantium.
3 De ratione oppositionis aliorum Religiosorum.
4 Quid per Constitutiones Apostolicas modernas.
5 De consensu Apostolico, vel S. Congregationis implicita.
6 Quid de implicito consensu Ordinarii, & Parochi, seu Capituli.

D I S C. XXX.

CUM consentiente, quinimò desideraote, & cooperante Episcopo, prævio publico edicto, de anno 1647. 1
secuta esset fundatio Monasterii Congregationis Olivetanæ in Civitate Vici Equensis, Episcopus autem successor, post plurium annorum decursum, circa annum 1665. se opponeret, atque prætenderet, quod dicta erectio malè facta esset sine consensu, tam ipsius, quàm Parochi, & Capituli, ac etiam sine beneplacito Apostolico. Hinc introducta causa in Sac. Congr. Episcoporum & Regularium, duo fuerunt disputationum puncti. Primò nempè, an dictum beneplacitum Apostolicum fuisset necessarium, & secundò circa consensum tam Ordinarii, quàm Parochi, seu Capituli cui animarum cura ibi incumbit.

Quatenus pertinet ad primum, Scribens pro fundatione sustinenda, admittebam, quod dictum beneplacitum ne- 2
cessarium esset ad præscriptum sacrorum Canonum *in capit. unic. §. confirmatos, de Relig. dom. in 6. & c. unic. de excess. prælat. etiam in 6. Clementina cupientes, de pœn.* quoties ageretur de Religionibus Mendicantibus, de quibus loquuntur dicti Canones, quorum dispositio, etiam hodie post Concilium Tridentinum viget juxta veriorem, magisque receptam sententiam, de qua *disc. prec.* Secus autem ubi agatur de Monachis, ut in præsenti, tum quia de illis dicti Canones non loquuntur; tum etiam ob cessantem illorum rationem ponderatam *eodem disc. praced.*

Quodque Monasteria monachorum fundari possint cum solo coosensu Ordinarii loci, dicebam scribendo more Advocati, id probari per Canones *in c. si quis vult Monasterium 17. q. 7. & c. quidam monachorum, cum pluribus sequentibus 18. q. 2.* ac etiam *in c. authoritate de priv. in 6.*

Verum reflectendo ad veritatem in hoc puncto magnam sentiebam difficultatem, Parti pro stylo libere insinuatam, quoniam juxta praxim receptam in proposito decreti Cle-
mentis VII. super consensu aliorum religiosorum, id non 3
restringitur ad solam rationem præjudicii, quod resultat a mendicitate, dum receptum est, ut attendatur etiam oppositio aliarum Religionum, quę non vivant cum mendicitate, sed cum redditibus, quamvis dicantur Mendicaotes ex privilegio juxta distinctionem, de qua *disc. prec* inter Mendicantes per veritatem, & alios per fictionem, seu privilegium ob alias rationes æmulationis, vel diversionis populi, ut alibi *hoc eod. tit.* advertitur.

Clarius vero ob modernas Constitutiones Gs. XV. & Ur-
bani VIII. super novis fundationibus non concedendis, ubi 4
congrua provisio non adsit, adeòut sustineri valeāt ad minus duodecim Religiosi, ut pluries advertitur, & pręsertim *infrà, disc.* 32. Et consequenter, stante pręsertim altera Constitutione Innoc. X. praxis inconcussa recepit, ut ad hujusmodi oovas fundationes, quamvis ageretur de Religionibus Monachorum, qui nec re, nec nomine, Mendicantes dicantur, non procedatur sine licentia hujus Sac. Congr. quæ nomine Papæ beneplacitum præstet, prævia matura informatione tam redditfuum, & provisionis, quàm super aliis requisitis.

Benè verum quod, cùm ageretur de erectione de facto
jam effectum fortita spatio annorum circiter 20. atque adesse- 5
set saltem quędam implicita approbatio deducta ex pluribus actibus, pręsertim ex licentia ab eadem Sac. Congregatione concessa, ut monachi in isto Monasterio existentes, aliquas parochiales functiones exercere possent, Episcopo, & Capitulo desiderantibus, ac etiam ob licentiam concessam suspendendi ad tempus residentiam monachorum, ut fructus in quasdam Congregationis necessitates erogari possent: Hinc proinde, quando alia urgentia motiva non obstarent, dicebam, ob aliquam hujusmodi negotiorum experientiam, quod probabiliter sperari poterat ab eadem Sacra Congregatione consensus revalidatorius.

Alter verò punctus consensus Episcopi, & Parochi, seu Capituli, videbatur planus pro hac parte, ideoque (etiam in sensu veritatis) dicebam quod injusta, malèque fundata esset oppo-

oppositio, quoniam licèt iste consensus requiratur, non tamen ille scripturam, vel aliam certam formam exigit, sed etiam tacitus, vel implicitus sufficit ex scientia, & patientia, aliisque circumstantiis deductus juxtà firmata in his terminis per Rotam apud Dunozettum *dec. 982. in fin.* edita in casu, de quo *infrà, disc. 33.* ideòque cùm in facto justificaretur, quòd præcesserant edicta affixa in Ecclesia Cathedrali, ex eis in adeò parva Civitate absque dubio in omnibus præsertim Ecclesiasticis certa scientia inducta fuit, clarius verò quia in facto justificabatur, quòd introductio monachorum facta fuit per Episcopum cum solemni processione habita cum interventu Capituli, & cleri, ac populi, omnibus plaudentibus, & gratum habentibus, deindeque Religiosi ipso Capitulo petente, ac desiderante consuèvissent docere doctrinam Christianam, aliasq; parochiales functiones peragere in ejusdem Capitoli adjutorium, explendo ea munera, quæ aliàs Canonicis, & clericis ex debito incumbebant, its nimiùm certa resultabat præstatio consensus, vel ratihabitio, quæ sonat in idem; Ideòque istud objectum penè nullius ponderis erat; Incertus tamen est causæ exitus; Credo autem quod fuerit cum quodam prudentiali temperamento decisum, circa redditu um applicationem eorum, præsertim, qui proveniebant ex quodam pio legato pro doctrina Christiana, quòd Episcopus prædecessor huic Monasterio applicaverat, dum ejusdem Congregationis Superiores tunc neque multum insistebant super hujus fundationis substentatione.

MURANA FUNDATIONIS CONVENTUS,

PRO COMMUNITATE CASTRI GRANDINIS ET MINORIBUS OBSERVANTIBUS,

CUM CAPUCCINIS CIVITATIS MURI.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium, cum resolutione ut infrà.

De eadem materia novæ fundationis Conventus non faciendæ sine consensu Religiosorum existentium infra quatuor milliaria; Et de modo mensuræ dicti spatii, quomodo facienda sit, & quæ mensura debeat attendi.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series*
2 *Resolutio super mensura.*
3 *Quomodo mensura distantia fieri debeat.*
4 *Quid sit milliare.*
5 *Et quid importet quilibet passus.*
6 *De eodem, de quo n. 4.*
7 *De modo mensurandi per palmos.*
8 *Quomodo fieri debeat mensura, an per viam, vel per campos, seu per aerem.*
9 *Quòd ista quæstio decidi debeat cum distinctione casuum.*
10 *De mensura distantia inter unam Ecclesiam, & alteram in eadem Civitate.*
11 *De mensura agrorum pro usu pascuorum.*
12 *De alia regula pro verisimili notitia.*
13 *De alia distantia pro quæstuatione, vel pro dietis officialium.*
14 *De aliis determinationibus super distantia.*
15 *An distantia regulanda sit à Conventibus, vel ab ipsis locis?*
16 *Quando non obstante, quòd locus sit intra quatuor milliaria, concedi debeat fundatio.*
17 *Proprium commodum alieno est præferendum.*
18 *De agentibus de materia distantiarum.*

D I S C. XXXI.

1 NUllo existente Conventu Religiosorum in loco Castri Grandinis, atque tam Episcopo, quàm Parocho, clero, & populo, concorditer desiderantibus fundationem Conventus Minorum Observantium Reformatorum, Superiores huic desiderio annuerunt, atque Sacra Congregatio, stantibus informationibus, quòd ob qualitatem populi, ex eleemosynis commodè sobstineri poterat numerus duodecim Religiosorum, erectionem approbavit.

Verùm se opposuerunt Capuccini Conventus Civitatis Muri, prætendentes, quòd locus esset intra distantiam quatuor milliarium, ideòque obstaret pluries enunciatum decretum Clementis VIII. super novis Conventibus non fundandis sine consensu Regularium existentium infrà dictum ambitum; Cùmque ex parte Communitatis dicti loci, ac Observantium prætenderetur, quòd adesset major distantia, ideòque decretum non intraret; Hinc proinde in eadem S. Congregat. Episcoporum, & Regularium, assumpta fuit disputatio super hoc solo puncto, quomodo scilicet mensuratio facienda esset, dum circa eam, partes in duobus discordabant, Primò scilicet an attendenda essent milliaria juxtà usum attestatum à peritis illarum partium, ut scilicet quilibet passus constitueretur ex septem palmis cannæ mercantilis, vel potiùs juxtà mensuram passus Romani: Et secundò 2
an mensura facienda esset per aerem, vel per terram, & quatenus facienda esset per terram; an ea fieri deberet per lineam rectam per campos, vel potiùs per vias, & quæ viæ attendi deberent, an scilicet magis publicæ, & à viatoribus communiter usitatæ, vel potiùs per scortios, quibus rustici, vel pedestres tabellarii solùm uti solent; Per omnes etenim alios mensuræ modos, prætterquam per vias publicas magis usitatas, & cum passu Romano, dictum spatium non aderat, ut adesse supponebatur juxtà hunc modum; Assumptaque desuper disputatione, resolutum fuit, ut mensura fieri deberet juxtà morem Romanum, de quo infrà, & per vias publicas, magis communiter frequentatas.

In utroque puncto, mihi adhuc non suscepto formiter 3
munere Advocationis, pro nova erectione scribenti, resolutio justa, benèque fundata visa est: Quatenus enim pertinet ad primum: Ex duplici fundamento dicebam, ut attendenda essent quatuor milliaria juxtà usum Romanum: Primò scilicèt, quòd de hoc agebatur, ad effectum satisfaciendi dicto decreto Clementis VIII. quoniam cùm Pontifex, in Urbe moram trahendo, ita præscripserit, idcirco illud spatium attendi debet, quòd juxta morem Romanum sibi visum fuit congruum: Cùm enim agatur de metienda voluntate Pontificis, de quo spatio senserit, attendenda proinde sunt illa milliaria quæ sibi innotescebant, utpotè in animo habita, non autem alia ignota, adinstar eorum, quæ pro regulanda moneta per Papam presupposita, habentur *sub t. de Reg. disc. 136.*

Et secundò clarius, quoniam quæstio non erat super nu- 4
mero passuum, constituente unum milliare, dum omnes concordant, ut illud constituatur ex mille passibus ad textum *in l. mille passus, ff. de verb. signif.* ubi omnes, atque ad evidentiam docent ipsum nomen, & communis usus, sed erat super qualitate passus: Cùmque ista ubique sit eadem invariabilis, idcircò clarius videbatur error peritorum 5
de partibus asserentium, quòd passus importaret septem palmos cannæ mercantilia: Siquidem passus dicitur illud spatium, quod importat extensio, seu dilatatio hominis manibus & pedibus, ut per Alciat. *in dicta leg. mille passus*, Fenzon. *ad Stat. Urb.* 197. *n.* 140.

Hominum verò, ubique est idem status, præsertim sub 6
eodem polo, sive in hac eadem provincia Italiæ: ideòque, nec legaliter, nec naturaliter dici potest, quòd in illis partibus major esset passus, quàm in Urbe, cujus stylus, seu mensura magis justa & adaptata est antiquæ mensuræ, qua utebantur Romani & alii, juxta lapidem existentem in foro Capitolino cum delineatione pedis Latini contradistincti à Græco, & cum distinctione digitorum; Passus etenim ut patet ex Isidoro *lib. 15. originum, c. 15. & 16. & per gloss. in c. sicut antiquitas* 17. *q.* 4. & communiter DD. *in l. 1. ff. si quis cautionibus*, Alciat. & Budeus *in dicta l. mille passus*, Escobar. *de ratiocin. p. 2. comput. 12. n. 9.* Fenzon. *ad Statut. 197. n. 103.* constituitur ex quinque pedibus, pes autem constituitur ex sexdecim digitis, quorum quilibet efformatur ex quatuor granis hordeaceis, unde propterea, quodlibet milliare constitutum à mille passibus importat octuaginta millia digitoa, & in hoc concordant etiam geometræ, & præsertim Clavius aliorum relator *pro n. 1. sphera, t. de variat. in mensur.* idemque comprobant spatia, in quibus pro antiquæ Romanæ Reipublicæ moribus erant columnæ milliariæ; Atque facta confrontatione, seu calculo mensurarum, quas adhibent moderni mensores, qui diversa adhibens vocabula adamussim respondent in idem; ipsi etenim constituunt unum milliare ex catenis 116. quæ important stajolas 1170. quarum quælibet importat digitos 69. unde facto calculo, adamussim constituunt dictam summam digitorum 80. m.

E converso autem, dicta mensura, quam adhibent periti 7
illarum partium, constituendo passum ex septem palmis cannæ mercantilis, est excessiva, quoniam quilibet palmus constat ex 14. digitis, cum aliquo forsan excessu, unde propterea septem palmi important digitos 98. & sic adest excessua

sus in digitis 18. qui excessus pro singulo quoque milliare importat passus 225. Et propiereà cùm juxtà attestationes peritorum deductas ea parte eorundem oppositorum, hæc distantia juxtà illam mensuram esset passuum ter mille sexcentum, ita facta reductione dicti excessus, planum remanebat, ut distantia, juxtam mensuram viæ publicæ frequentatæ, esset major dicto spatio quatuor milliarium.

8 Qua verò ad alterum punctum, an scilicet hæc mensura facienda esset per aerem, vel per terram; Et quatenus per terram, an per lineam rectam, & per campos, vel per scortos, vel potiùs per viam publicam magis usitatam à viatoribus; Quamvis aliqua opinionum diversitas dignoscatur, adhuc tamen magis communis est, ut fieri debeat per vias usitatas, ad communiter notata per DD. *in l.1. ff. si quis cautionibus*, ubi præsertim Castrens. & Jas. advertunt, quòd sub nomine viæ non veniunt scorti, sed viæ frequentatæ, atque cæteris relatis, habetur apud Rovit. *in pragmat. 1. de salar. eorum qui mittuntur pro servitio, &c. n. 7.*

9 Advertebam tamen (quòd ista quæstio non benè cum generalitatibus tractanda est) sequendo potiùs unam, quàm alteram opinionem, perinde, ac si esset nudus articulus juris dubius, sed videtur quæstio potiùs facti, variè decidenda, juxtà subjectam materiam, sive spectato fine, ob quem distantia præscripta sit, aut attenta qualitate locorum, in quibus mensura cadat, & quomodo illa practicari debeat.

10 Ubi etenim agatur de mensura distantiæ inter unam Ecclesiam, & alteram, sive inter duas ejusdem artis apothecas, juxtà ipsarum artium Statuta intus eandem Civitatem, juxtà illam mensuræ quæstionem disputatam *infrà in Neapolitana Seminarii, disc. 33.* & tunc verius videtur, ut fieri debeat per aerem, cùm ob ædificiorum intersecationem, non videatur alia mensura practicabilis; potissimè verò attentis aliquibus Constitutionibus Apostolicis, quoniam præscribendo certum spatium cannatum inter unam, & alteram Ecclesiam, seu domum Regularem, id exprimitur.

11 Aut verò agitur de mensura distantiæ agrorum, seu camporum pro pascuis, aliisque usibus, ut ita ad tollenda jurgia, quæ inter pastores, & rusticos oriri solent, quilibet habeat proprios fines, atque inter unum, & alterum gregem, seu armentum, certa sit distantia, & tunc mensura facienda est per campos; non autem per vias, nec per scortos, cùm ita subjecta materia suadeat.

12 Aut agitur de mensura distantiæ, pro regulando itinere, in illa possibilitate, cum qua adhibitis majoribus diligentiis sequi potest iter brevius juxtà quæstionem, de qua *sub t. de jurepatr. disc. 71.* ad materiam verisimilis notitiæ, & tunc, ubi tabellariorum cursus, equestri, vel respectivè pedestri modo diligentior per scortos, vel campos brevior esse potest, iste mensuræ modus attendendus est, quoniam ita pariter suadet subjecta materia, seu finis, ob quam mensura facienda est,

13 Aut demum, ad hunc finem regulandi commercium de loco ad locum pro quæstuatione, vel pro aliis effectibus in idem redeuntibus; Sive pro regulandis Judicum & officialium dietis, quando accedunt ad locum differentiæ, ut ita constitueretur dieta legalis 20. milliarium, pro quolibet die, sive ad effectum taxandi salarium tabellariorum, aut vectorum asportantium fruges, aliaque bona de loco ad locum cum similibus; Et tunc verius est, ut mensura fieri debeat per vias usitatas; Atque talis in isto casu fuit determinatio Sacræ Congregationis, cùm in his terminis versaretur.

14 In consimili autem quæstione distantiæ de recenti habita in Tribunali Sacræ Consultæ, super comprehensione affirmativa, vel negativa Reatinæ Civitatis intra Urbis districtum, de cujus præfinitione habetur *sub tit. de Reg. disc. 72.* ac etiam fit pluries mentio *sub tit. de jurisd.* ita pariter determinatum fuit, & meritò, quoniam subjecta materia, seu finis, vel effectus, ob quem distantia præscribitur, in hoc proposito attendi debet, ideòque ubi peteurit commercium humanum, iste pro frequentiori usu de loco ad locum, non per campos, & scortos, sed per vias publicas, & magis usitatas habetur; Igitur iste mensuræ modus attendi debeat.

15 Quamvis autem in hac controversia, ita ex solo facto, omnis quæstio cessaret, dum oppositores morabantur in loco ultra quatuor milliaria; etiam si juxtà eorum prætensionem, mensura destinata facienda esset inter unum Conventum, & alterum; Quod tamen minus probabile videtur, dum ista distantia præfinita est pro fine, seu effectu quæstionis, & consequenter pro commercio cum populo utriusque loci.

16 Adhuc tamen, ex abundanti dicebam, quòd ubi etiam dicta distantia non adesset, adeòut intraret decretum Clementis VIII. nihilominus ex facti qualitate ejusdem decreti moderationi locus esse debuisset, ita interponendo illud arbitrium, quod quandoque ex justa causa etiam inferioribus Judicibus, ac Magistratibus conceditur temperandi regularem stricti juris rigorem; Siquidem supponebatur, quòd ageretur de populo numeroso, ac rixoso, & armigero, quodque pro moribus regionis cum magno rigore viveretur circa mulierum honestatem, juxta frequentiorem stylum parvorum locorum, potissimè in montibus, in quibus minor viget urbanitas, quòdque propterea nullo Regularium Conventu ibi existente, aliqua dignoscerentur inconvenientia, circa præsertim sacramentum pœnitentiæ administrandum per solos clericos sæculares ejusdem loci, ideòque pro illius populi spirituali salute, nedum expediens, sed quodammodo necessarium judicabatur, ut ibi erigeretur Conventus Regularium, qui sacramenta præsertim istud pœnitentiæ ministraret, atque cum opere, & exemplo adeò observantis Religionis conciliarentur inimicitiæ, & rancores; Et consequenter prorsus improbabile dicebam, ut ob adeò modicum remotorum interesse quæstuationis religiosorum in diverso loco commorantium, istius populi adeò necessarium publicum bonum negligi deberet.

Atque talis sine dubio fuisset causæ exitus, nisi superventæ revolutiones populares, istius loci, ac populi statum omnino revolvissent, & præsertim illum aliquarum divitum, & nobilium familiarum, quæ adeò laudabile opus sustinebant, atque huic infortunio, aliud quoque pestis accessit, undè propterea ob utriusque Divini & humani belli excidium, magna secuta est hujus populi immutatio, cùm aliàs attento eo statu supponeretur, quòd commodè iste Conventus sustineri poterat, non impedita dictorum aliorum Religiosorum quæstuatione: Sed quando id sequi non potuisset, melius esse dicebam, ut dictorum religiosorum opponentium numerus minueretur, vel quòd potiùs populus Civitatis, in quo Conventus erat, consueti numeri continuationem desiderando, eos sustentaret, quàm ut istius populi publicum bonum impediretur, adeòut verificaretur dispositio text. *in l. præses, C. de servit. & aqua*, de qua *sub tit. de servit. disc. 29.* ut usus proprius alieno semper præferri debeat; Longe autem post has annotationes prodierunt aliqui labores Pacicchelli studiosi juvenis Romani super hac materia distantiarum. Et in quo tractatu præsertim insitus est copiosus, ac eruditus discursus amici mei Marcelli Severoli tunc Advocati, nunc utriusque Signaturæ Referendarii super distantia arborum, & sepium inter vicinos in prædiis rusticis *post dec. 34. Rot. ibid. registratam.*

17

18

ROMANA HÆREDITATIS DE RUBEIS,

PRO PRESBYTERIS CONGREGATIONIS S. PANTALEONIS IN MONTIBUS,

CUM RELIGIONE BEATI PETRI DE PISIS.

Casus decisus per Rotam pro Congregatione Presbyterorum.

De Constitutionibus Apostolicis prohibentibus novas erectiones Conventuum, vel Monasteriorum, in quibus duodecim Religiosi sustentari non possint, an locum habeant in Urbe, & quatenus habeant, quando eis dispensatum censeatur: Et an redditus & bona unius Monasterii applicari possint pro sustentatione alterius?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De constitutionibus Greg. XV. & Urbani VIII.*
4 *Quod declarationes Sacræ Congregationis non attendantur in Urbe.*
5 & 6 *Quando dicantur Constitutiones Apostolicæ.*
7 *Declarationi Papæ in Signatura est deferendum.*
8 *An Constit. Urb. VIII. corrigat Constit. Greg. XV.*
9 *De vivæ vocis oraculo officiorum.*
10 *De pluribus personis in Papa concurrentibus pro diversis respectibus.*
11 *Quomodo dignoscatur, quando Papa unam, vel alteram gerat personam.*
12 *An Religio aliunde suppleat?*

13 Bo-

13 *Bona unius Monasterii non possunt alteri applicari.*
14 *Ita bona unius Ecclesiæ alteri.*
15 *De varietate ingeniorum, ut quod uni videtur solidum, ab altero negligatur.*
16 *Declaratur conclusio, de qua n. 13. & quando Religio redditus unius Conventus applicet alteri.*

DISC XXXI.

1 Retenta facti serie, de qua in hac eadem causa *sub tit. de fideicom. disc.* 155. Cùm punctus quæstionis esset super purificatione conditionis substitutionis, quatenus scilicet Religio primò instituta, ad effectum erigendi novum Conventum, non obtineret dispensationem, Apostolicis Constitutionibus prohibentibus novas erectiones Conventuum, in quibus substentari non possint duodecim religiosi; Hinc proinde, in disputationibus habitis in Rota, præsertim ultimo loco coram Melsio, in qua post multas propositiones
2 sub die 28. Aprilis 1659. prodiit resolutio Congregationi substitutæ favorabilis *impress. post collull. at. Bonden. dec.* 62. quæ ansam dedit concordię, super tribus fuit quęstio. Primò nempè, an Constitutiones Apostolicæ, ita disponentes locum haberent in Urbe? Secundò an quatenus locum haberent, adesset Apostol. derogatio? Et tertiò, an Religio posset aliunde supplere, ut eisdem Constitut. satisfieret?

3 Quatenus pertinet ad primum; Dubitandi ratio ex eo pendebat, quòd Constitutio 31. Gregorii XV. conflata est in effectu ex quibusdam declarationibus Sacr. Congregationis, quæ ob confirmationem Papæ inter ejus Constitutiones insertæ fuerunt, eodem modo, quo in hac materia Regularium est celebris Constitutio 25. Urbani VIII. per quam disponitur, ut si de facto ad hujusmodi erectiones proceditur, deberet Conventus subjacere jurisdictioni Ordinarii; Ut etiam deinde de parvis Conventibus dispositum fuit per Constitutionem Innocentii X. Et consequenter ut ad formam decreti particularis desuper editi, quod declarationes Sacrarum Congregationum, ad quarum normam omnes Episcopi, aliique Ordinarii locorum, & quicunque alii Prælati, vel Officiales Ecclesiastici se regulare debent, lo-
4 cum non habeant in Urbe, cujus est Episcopus ipsemet Papa, ita in isto casu attendi non deberent.

Verùm in sensu etiam veritatis dicebam, quod istud erat
5 fragile fundamentum, quoniam pleræque Apostolicæ Constitutiones ex alicujus Congregationis Cardinalium ordinariæ, vel particularis consultatione pro commendabili stylo editæ sunt, sed quando Papa hujusmodi consultationes, vel resolutiones approbat, demandando earum perpetuam observantiam, atque ponuntur in Bullario inter alias Constitutiones Pontificias, tunc jure Constitutionum Apostolicarum, non autem simplicium declarationum, vel decretorum quæ ipsamet Congregatio revocare potest, censendæ sunt.

6 Ad quod conferunt ea, quæ in proposito Statinæ, & Clementinæ super moderatione dotium habentur *sub tit. de dote, disc* 22. & 143. ubi de his latius.

7 Omnisq; difficultas in hoc puncto cessabat ex duplici circumstantia. Primò scilicet ratione observantiæ, dum hujusmodi Constitutionibus tanquam talibus dispensari quandoque cōsuevit ea gratia speciali, quę supponit obstaculum. Et secundò, quia adversus ipsismet religiosis reis conventis Innocentium X. in Signatura Gratiæ, pro declaratione præsertim derogationis, de qua infrà, prodiit rescriptum, ut observentur Constitutiones; Et consequenter ita accedebat expressa declaratio Papæ, cui factæ in Signatura Gratiæ, & si oretenus, deferendum est, ut apud Royas, *dec.* 217. & in hujus causæ decisione, *& dicto disc.* 155. *de fideicom.*

8 Disputatum quoque fuit, circa hujusmodi Constitutionum obstantiam, an dicta posterior Constitutio 25. Urbani VIII. per quam adjicitur subjectio novorum Conventuum non habentium numerum duodecim religiosorum, jurisdictioni Ordinarii loci, esset moderativa dictæ præcedentis Constitutionis 31. Gregorii XV. Vel potiùs cumulativa, seu additativa, ut scilicet firma remanente dicta prohibitione contenta in Constitutione Gregoriana, super addita sit hæc provisio, potiùs in pœnam contraventionis, non autem, ut ita hæc facultas concessa esset, atque juxta hunc secundum sensum, quòd una esset alterius accumulativa, non autem moderativa decisum fuit, & meritò; Tum ob dictam Pontificiam declarationem in Signatura Gratiæ, cui omninò deferendum esset, ut pluries decisum fuit, ut suprà, & alibi pluries insinuatur præsertim *sub tit. de pensionib.* Tum etiam quia iste est sensus, & inconcussa praxis Sacræ Congregationis.

9 Aliqua major difficultas habita fuit, super secundo puncto, an scilicet adesset Apostolica licentia cum derogatione obstantiæ resultatis à dictis Constitutionibus: Isque prætendebatur secutum esse per licentiam super hac nova fundatione concessam per Cardinalem Vicarium Urbis, seu per ejus Vicesgerentem asserentem id agere ex vivę vocis oraculo Papæ, dum in iis, quæ ad hujusmodi officialium munia pertinent, istæ assertiones super vivæ vocis oraculo attenduntur, ut advertitur *sub tit. de judic. in relat. seu prax. Curia*, occasione agendi de Cardinali Vicario, aliisque similibus officialibus.

Cessavit autem hæc difficultas ea prædicta Pontificia declaratione in Signatura Gratiæ, quæ reverà fuit causa resolutionis, dum priùs in tot propositionibus capi non poterat, quoniam dum Papa mandavit, quòd servarentur Constitutiones, ita declaravit, quòd eis non derogasset. 10

Et ulteriùs, ubi etiam hæc declaratio (ea imprudenti consilio reorum prodita) secuta non esset, adhuc tamen dicebam scribens pro actoribus, atque in causæ decisione firmatur, quod hæc licentia non sufficeret, deducendo ea, quæ pluries alibi insinuata habentur, & præsertim *sub tit. de præeminent. disc.* 1. *& sub t. de judic. in relat. Curia*, occasione agendi de Papa, vel de Cardinali Vicario: Quòd scilicet in persona Papæ multiplices diversæ personæ formales considerantur; Una scilicet Papæ, Christi Vicarii, & Ecclesiæ universalis Episcopi: Altera Patriarchæ Occidentis: Tertia Principis temporalis illius Ditionis, quæ sub vocabulo Status Ecclesiastici mediati, & immediati explicatur; Et quarta Episcopi particularis, seu Ordinarii Urbis: Cùmque juxtà firmata suprà *in Cæsaraugustana, disc.* 29. duplex licentia copulativè requiratur in novis erectionibus Conventuum, seu Monasteriorum, una scilicet Papæ, & altera Ordinarii loci; Hinc proinde dicta licentia concessa per Urbis Vicarium, seu V. Gerentem, referenda erat ad hanc posteriorem concessam ab Ordinario, non autem ad primam Apostolicam.

Organum autem, quo mediante, actus explicari solet, rectè comprobare videtur voluntatem Papæ, ea qua personam illam facere voluerit, quoniam ea, quæ concernunt hanc personam Episcopi particularis Urbis, per illud organum explicare solet, alia verò quæ concernunt regimen Ecclesiæ universalis, atque ab eo fiunt tanquam à Papa, explicare solet per organum Datarii, vel Secretarii Brevium, aliorumque officialium deputatorum illis muneribus, quæ concernunt dictum regimen universale: Quamvis enim aliquando ex utraque persona aliquid per hujusmodi organa particularia, explicare solent, attamen id est insolitum, ac per accidens, atque exprimitur, ut advertitur in dicta sua sede *sub tit. de judic.* occasione agendi de Papa, & de hujusmodi officialibus. 11

Demum quoad tertium punctum, an scilicet admittenda veniret oblatio Religionis adimplendi Constitutiones, ac substentandi aliunde duodecim religiosos, ita supplendo id, quòd deficeret ex hujus hæreditatis redditibus: Iste punctus in Rota reputatus fuit minus dubitabilis: Tum ex voluntate testatoris, ut iste novus Conventus ex ejus hæreditaria redditibus tantùm substentari deberet, unde propterea testator agnoscendo, quòd non sufficeret ad dictum numerum, dictam conditionem adjecit: Tum etiam ex conclusione, de qua, *dec.* 277. *n.* 7. *& seqq. p.* 4. *rec. tom.* 2. *dec.* 364. *p.* 5. *n.* 7. *& dec.* 191. *n.* 11. *p.* 7. quod bona unius Monasterii, vel Ecclesiæ non possunt alteri applicari, & habetur *sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc.* 1. *& seqq.* ubi quòd etiam duas Ecclesias, quinimò inter ejusdem Ecclesiæ duas Capellas, locum habeat dispositio *Extravag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* 12
13

Verùm, ubi factum non prodesset, quòd scilicet ista Religio ob ejus exiguas vires non de facili practicare poterat, unde propterea videbatur potiùs oblatio ad terrorem, juxta litigantium artificia: Quatenus pertinet ad ea, quæ sunt juris, iste punctus qui fuit magis planus, mihi majorem inferebat timorem, ac difficultatem, illeq; me impulit ad consulendam, ac facilitandam concordiam, quæ controversiæ finem dedit, unde propterea in dies experimur effectum, qui ea ingeniorum varietate resultant. 14
15

Tum quia dicta conclusio super prohibita applicatione bonorum unius Monasterii ad favorem alterius, in sua origina, prodiit cum præsupposito antiqui status regularium enunciati supra, *disc.* 26. *& sub tit. de jurisd. disc.* 28. & in aliis, quòd scilicet quodlibet Monasterium regebatur de per se, independenter ab aliis, cum proprio Prælato, eo modo, quo praxis docet in Monasteriis Monialium, absq; illo usu, quem hodie habemus, universitatis constitutæ ex omnibus 16

Mo-

Monasteriis, vel Conventibus jure cujusdam societatis, ideòque meritò bona unius Monasterii in alterum, in eo statu transferri probibitum erat.

Tum etiam clarius; quoniam attento quoque isto moderno statu universitatis, quæ [illegible] ex omnibus Monasteriis constituta est, dicta conclusio rectè procedit, ubi agatur de formali translatione ipsorum bonorum, vel jurium, cum abdicatione ab uno, & translatione in alterum, cùm tunc sequi dicatur dismembratio, quæ redolet speciem formalis alienationis probibitæ; Secus autem, ubi in ipsa Religiu, eodem modo, quo imponit collectas singulis Conventibus, vel Monasteriis pro substentatione Generalis, aliorumque officialium, vel pro aliis ejus occurrentiis, ita hanc voluntariam collectam imponeret pro hujusmodi suppletione; Sive quòd ubi etiam ad collectam generalem devenire non congrueret, nil probibere videtur, ut quemadmodum circa formalem alienationem, vel assignationem perpetuam, superiores in Monasterio, vel Conventu diviti, atque exuberantes redditus habente, collocare possunt aliquem minorem numerum religiosorum, dummodò non minuatur duodenarius per dictas Apostolicas Constitutiones præscriptus, ad effectum, ut aliqui exuberantes redditus erogentur in eleemosynas pauperibus loci distribuendas, sive in alium pium, ac laudabilem usum; Ita ad instar ejus quod præcepit S. Silvester Primus, ut clerici divites clericis egenis subvenire debeant, huic usui dicta applicatio fieret.

Potissimè quia, ista erectio per testatorem demandata fuerat pro illis religiosis, quia juxtà primævum institutum magis à commercio separati eremiticam vitam ducere vellent, ùde proptereà nil implicaret, quòd ita aliqui ex illis religiosis, qui assignati sint Conventui magno, ac diviti, in isto novo Monasterio ad hunc finem viverent, ita tamen ut deberent substentari à Conventu propriæ assignationis, perinde, ac si ibi morerentur; Eodem modo quo aliquod Monasterium, vel Collegium, pro suorum, præsertim juvenum, seu alumnorum meliori educatione, & studiis, illos substentat in aliquo Collegio Urbis, ejusdem Religionis, cum similibus; Ista verò discussa non fuerunt, atque, ut dictum est, magis factum, quàm jus dubitandi rationem tollebat; Ideòque concordia utrique parti congrua fuit, multumque honesta, & laudabilis.

NEAPOLITANA SEMINARII, PRO SEMINARIO NOBILIUM, CUM DIVERSIS DOMIBUS REGULARIBUS.

Casus decisus per Rotam pro Seminario.

De eadem materia novæ fundationis Monasteriorum, vel Ecclesiarum, seu aliorum piorum locorum in eadem Civitate sine consensu aliorum Monasteriorum, vel Ecclesiarum existentium intra certum spatium; Quando, & quomodo hujusmodi prohibitiones procedant; Et de modo mensurandi hoc spatium.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De privilegiis Regularium super Constructione Ecclesiarum, & Conventuum.*
4 *An ea procedant in magnis Civitatibus.*
5 *De ratione eorum privilegiorum, & in quibus casibus ea non procedant.*
6 *De ratione ob quam novæ Congregationes, vel fundationes prohibentur.*
7 *& 8 De eadem, de quo n. 5.*
9 *Interesse remotum in hoc non attenditur.*
10 *Consensus in hoc sufficit etiam præsumptus, & tacitus;*
11 *Ad effectum privilegiorum non refert, an domus sit propria, vel conducititia.*
12 *Idem circa seminarium,*
13 *De erectione Instituti Sancti Philippi Nerii.*
14 *Quando Privilegium Principis faciat legem.*
15 *De mensura facienda per aerem.*

D I S C. XXXIII.

1 DEmandata per Marchionem Villæ Joannem Baptistam Manzium, fundatione Seminarii puerorum nobilium in ejus domibus, sub educatione, & doctrina PP. Societatis Jesu; Cùm ea aliquibus causis, in dictis domibus, id sequi non potuisset, unde proptereà secutum fuit in quadam alia domo conducititia, quam post habitationem per annos 12. Gubernatores ab eodem fundatore deputati emerunt, pro perpetua permanentia, atque hujusmodi emptione secuta, ad aliquam diversam structuram Seminario magis adaptatam, ea reduceretur; Hinc se opposuerunt plures Religiosi,
præsertim ibi magis adjacentes Conventus Sancti Domini- 2
ci, & Domus Sancti Pauli, quibus etiam adhærebat Archiepiscopus, à cujus sententia, vel provisione, introducta per appellationem causa in Rota coram Dunozetto, datoque dubio super attentatis; Cùm juxtà frequentem stylum, nulla desuper capta resolutione, rescriptum fuisset, ut videretur de bono jure, idcircò sub die 12. Maii 1656. ad favorem Seminarii prodiit resolutio, quæ habetur impressa inter illas Dunozett. *dec.* 942. cui oppositores acquieverunt, neque causa ulteriorem progressum habuit.

In disputationibus desuper habitis, oppositorum fundamentum consistebat in privilegiis Apostolicis, quæ, vel directè, vel per communicationem ipsis competunt, ne intra certum cannarum numerum, seu spatium, aliæ Ecclesiæ, ac domus Regularium erigi possint, & de quibus privilegiis, post Morales adeò frequenter de eis agentes, ac plures antiquiores Rotæ decisiones ibidem recensitas habetur plenè *in celebri Januen. privilegiorum coram Royas, dec.* 327. *&* 356. *inter suas, & coram Corrado, dec.* 337. *p.* 10. *rec.* illæque sunt etiam impressæ apud Pasqualig. *q. mor.* 337. & Dian. *art. 9. mor. in fin.* 3

Non negabam ego, scribens pro Seminario, veritatem dictorum privilegiorum: Quamvis etenim alii pro hac eadem parte scribentes, motivarent quòd in magnis Civitatibus non essent in usu provisiones Apostolicæ, quæ habentur in hac materia novarum fundationum; Nihilominus istud erat æquivocum, licèt id practicaverim in plerisque similibus quæstionibus disputatis in Sacra Congregatione, præsertim in duplici *Mediolanen.* quòd illæ fuerint neglectæ: Quoniam differentia, quæ dignoscitur in magnis Civitatibus, in quibus allegatus non usus verificatur, percutit aliam diversam distantiam quatuor miliarium, de qua suprà *in Murana, disc.* 31. non autem istam certi spatii, seu distantiæ ex privilegiis particularibus, quæ diversimodè aliquibus Religionibus concessa fuerunt. 4

Dicebam verò (etiam cum sensu veritatis, qualem Rota quoque agnovit) quòd non versaremur in casu privilegiorum, dum non agebatur de fundatione Ecclesiæ, in qua regulares, concionari, vel sacramenta ministrare, sive alia divina celebrare deberent, sed agebatur de domo pro scholaribus sæcularibus, ad solam educationem, & doctrinam, ad quem effectum ibi vivebant aliqui religiosi, qui proinde potiùs tanquam educatores, & magistri, quàm tanquam religiosi in propria domo regulari vivebant; Et consequenter non adaptabantur privilegia, super quorum applicatione, vel observantia, procedendum non est cum sola formalitate verborum, sed spectato fine, vel effectu, ob quem concessa fuerunt, ad tollendas scilicet consuetas clericorum, præsertim regularium, æmulationes spirituales, invitandi populum, qui ita ab alia Ecclesia divertatur, pro Divinis recipiendis, ut advertitur in suprà allegatis decisionibus, & in aliis antiquioribus ibidem recensitis: Ideòque, cùm ista domus habitura non esset Ecclesiam cum publica janua in via minusque ibi congrueret dicta ratio, de consequenti non intrabant privilegia, quamvis aliqui religiosi ad dictum alium effectum ibi morarentur. 5

Ad quod comprobandum, deducebam practicum exemplum, in decisione quoque ponderatum, insignis seminarii Urbis, à quo, Pontifices, Cardinales, ac Prælati aliique eximii viri prodierunt, atque in dies prodeunt, sub educatione, ac doctrina religiosorum ejusdem Societatis Jesu, quod jam penè adjacet Conventui Prædicatorum supra Minervam, non tamen ex inde dignoscitur hæc æmulatio, quæ est solùm inter Ecclesiam, & religiosos, qui in divina ministrant. 6

Et ad quam æmulationem evitandam habetur pluries *sub tit. de præemin. præsertim, disc.* 10. ut prohiberi possint erectiones plurium Congregationum, vel aliorum Institutorum, seu operum, sive pluries processiones, seu functiones ex ibi deductis.

Adeout recepta praxis doceat, etiam in Urbe, atque ego pluries practicavi in Sacra Congregatione Regularium, ac admittunt moderni Morales, de hoc frequenter agentes, & præsertim Lezan. *in ejus summ.* quòd hujusmodi privilegia non comprehendunt illas domus regulares, quæ Ec- 7

clesiam

clesiā formalem, ac januam in vis publica non habens, neq; sacramenta; aliaque divina ministrant, & quæ vulgò hospitia dicuntur, quamvis per speciem Conventus, sub disciplina regulari ibi vivatur, quoniam punctus non est in materiali habitatione religiosorum, sed in dicto fine, seu effectu.

8 Unde propterea *in una Mediolanen.* disputata in S. Congregatione Regularium, in qua agebatur de fundatione ejusdem domus novitiatus, seu probationis Societatis Jesu; Cùm se præsertim opponeret parochus, advertebatur quòd in ipsa nullum aderat interesse, dum ex istius Societatis instituto, in Ecclesiis, quæ deserviunt pro domibus Probationis, non administrantur sacramenta, illud præsertim pœnitentiæ, ut fit in aliis Ecclesiis Domorum professarum & Collegiorum, minusque, saltem pro frequentiori usu, tumulari solent cadavera, vel fieri exequiæ, aut recipi eleemosynæ pro Missis, vel anniversariis, ideòque cessabat privilegiorum finis.

9 Et quamvis ex parte parochi replicaretur, quòd adhuc vigeret ejus præjudicium, quod in dies crescere poterat ob ejusdem domus dilatationem juxtà frequentem praxim, unde propterea ita pateretur diminutionem populi sæcularis viventis in adjacentibus domibus, quæ cum hujusmodi dilatationibus incorporari solent; Nihilominus, ut advertitur *sub tit. de Paroch. disc.* 29. ubi in individuo de hoc interesse, seu præjudicio agitur, illud videtur nimis remotum, ideòque non cadeat sub istis privilegiis, quæ in prædicta ratione æmulationis principaliter fundata sunt.

10 Clarius verò in hac facti specie, præmissa procedere dicebatur, stante diuturna patientia eorundem oppositorum spatio annorum duodecim; præstatio enim consensus religiosorum adjacentium non exigit pernecesse scripturam, vel aliam formam præcisam, sed probari potest etiam per præsumptiones, & conjecturas, ex deductis apud Gregor. *disc.* 37. *num.* 7 *&* 353. *n.* 10. Buratt. & add. *decis.* 842. *n.* 4. & ita his terminis, *decis.* 87. *n.* 3. *&* 4. *p.* 4. *rec.* cum aliis in hujus causæ decisione; in qua id ponderatur adversus oppositionem Archiepiscopi, vel promotoris fiscalis; quod hujus seminarii fundatio facta esset sine ejusdem Ordinarii recognitione, & approbatione in literis Apostolicis demandata.

11 Pro isto motivo evitando, Scribentes pro regularibus opponentibus, ac etiam pro Ordinario, nimiùm insistebant in eo, ut allegari non posset retroacta observantia, eo quia de præterito Seminarium fuerat in ea domo tanquam conductitia, secuta verò emptione, resultabat novus status fixus, cui fiebat oppositio; Verùm istud erat debile fundamentum, quoniam in hac materia (ut superius dictum est) jus non consistit in domo, vel in habitatione materiali, sed in dicto fine, vel effectu, quo accedente, nil refert, an domus sit conductitia, vel propria, ut in his specialibus terminis advertitur per Rotam, *d. dec.* 87. *p.* 4. *rec.*

12 Et conferunt quæ habentur in materia Seminarii, de quo loquitur Concilium Tridentinum apud Gonzal. *ad regul.* 8. *glos.* 5. §. 7. *n.* 73. Barbos. *de Episc. alleg.* 77. *n.* 25. add. ad Buratt. *dec.* 691. *n.* 15. cum aliis in hujus causæ decisione in proposito unionis beneficiorum, Seminario faciendæ; quòd punctus non est in domo materiali, an sit propria, & fixa, vel conductitia, & variabilis, sed est in ipso collegio formali puerorum, an adsit necne, ut habetur in sua materia *sub tit. de benefic.* ac etiam infrà *in adnot. ad S.C.T.*

13 Quia verò Presbyteri Oratorii S. Philippi, qui in ea Civitate Hieronymini dicuntur (ita retinendo illud primævum nomen, quod in Urbe habuerunt ob hujusmodi Congregationis initium in Ecclesia S. Hieronymi charitatis) ac etiam alia domus Theatinorum sub invocatione SS. Apostolorum habebant indultum speciali Urbani VIII. ut intra certum spatium, neque puerorum sæcularium seminaria, sub regularium educatione, & doctrina, fundari possent ipsis invitis; Hinc proinde, occasione hujusmodi indultorū specialium, de duobus actum fuit: Primò scilicet, an exinde inferri posset ad pontificiam declarationem, ut hujusmodi privilegia, etiam hæc puerorum seminaria complecterentur, atque de hoc agitur in causæ decisione, benè firmando quòd cùm id concessum esset per viam gratiæ specialis, trahendum non esset ad legem generalem, vel ejus declarationem, juxtà textum clarum *in l.* 2. *C. de legibus*, ubi glos. respondendo ad text. *in l. fin. C. eodem*, declarat illum procedere in determinationibus factis per Principem super aliquo articulo dubio, cujus dubietas ab alicujus legis interpretatione penderet, quoniam licèt determinatio prodierit occasione causæ particularis, attamen percutit punctum generalem, atque determinatio non est per viam gratiæ, & privilegii, sed potiùs per viam justitiæ, ita declarando, quod jam inest, juxtà eam declarationem legis ab eodem legislatore conditæ, de qua *sub tit. de donat. in Eugubina, disc.* 35. Sive juxtà illam declarationem quam facere potest donator etiam ex intervallo, cum similibus; Secùs autem per viam 14
gratiæ, & privilegii specialis, ut ponderatur apud Bichium, *decis.* 625. *n.* 52. occasione agendi de indulto Gregorii XIII. pro Civitate Perusina super comprehensione Monialium, & Ecclesiasticorum sub eo Statuto exclusivo: Quamvis istud exemplum à me tanquam Advocatum deductum, (reflectendo ad veritatem) non placeret, cùm potiùs considerandum veniret in ratione interpretativa, seu comprobativa illius opinionis, quæ probabilior videtur, ut advertitur *in eodem Bononien. de Zanis*, in qua dicta decisio prodiit *sub tit. de success. disc.* 5. Ac etiam occasione alterius indulti Pii, vel Sixti IV. super solutione gabellæ vini, quod vendatur ad minutum, advertitur *in Perusina sub titul. de Regal. disc.* 58. cum similibus.

Alter punctus, occasione dictorum indultorum disputatus, quamvis in decisione non tractus, fuit super distantia dictorum indultariorum, & quomodo mensura facienda esset, ob quandam diversitatem notabilem, ubi per terram, vel per aerem mensura fieri deberet, pro inspiciendo, an adesset præscriptus cannarum numerus: Atque in hoc dicebam (etiam pro veritate) ut attendi deberet mensura per aerem, dum ita expressè determinant Apostolicæ Constitutiones, illa præsertim Clementis IV. super consimili privilegio originaliter concesso Religioni PP. Carmelitarum, atque ita etiam suadet subjecta materia, quod in Civitatibus, & locis inhabitatis, ob ædificiorum intersecationem, non videtur aliàs hic mensuræ modus practicabilis: Cùmque juxtà istam mensuram sine dubio distantia esset major, hinc proinde per oppositores hoc motivum derelictum fuit, ideòque non mirum, quod in decisione negligitur. 15

MARSICANA LEGATI, SEU FUNDATIONIS,

PRO CONGREGATIONE SILVESTRINORUM,

CUM ALTERA CONGREGATIONE SCHOLARUM PIARUM.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Regularium, resolutus pro Congregatione Scholarum.

De eadem materia novæ fundationis Conventus, quando illa secuta dicatur ad effectum inspiciendi, an defecta sit, necne conditio, sub qua altera Religio vocata sit, sive ad alterius substitutionis, vel alterius effectus purificationem?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Dispositio conditionalis non impleta conditione evanescit.*
3 4 *&* 5 *De differentia inter conditionem, & modum, & quando intret excusatio non implementi.*
6 *Verba intelligenda sunt cum effectu.*
7 *Legatum factum ingredienti Religionem intelligitur cum effectu.*
8 *Idem de legato facto pro studiis.*
9 *Et idem de onere assumendi cognomen, & insignia.*
10 *De eodem, de quo n. 3. quando scilicet sit conditio, vel modus.*
11 *De alio casu controversia.*
12 *Quando dicatur Conventus jam perfectus, & quomodo id dignoscatur.*

DISC. XXXIV.

Retenta facti serie, de qua, agendo de hac eadem dispositione, habetur *sub tit. de legatis disc.* 44. Cùm testator mandasset, ut in ejus domo fundari deberet domus Scholarum Piarum, dictaque erectione effectum non sortiente, neque altera Religionis Minimorum, ad sequi deberet in Religione eligenda per Communitatem: Atque Religiosi primo loco vocati infra annum à testatore præfinitum ad locū accedentes cum licentia, & authoritate Ordinarii destinassent situm, in quo erectio facienda erat, ibique plātata cruce, 1

ec, atque adhibitis quibusdam aliis solemnitatibus, in hoc adhiberi solitis, aliquod etiam ædificium incheoassent, Deinde verò ob aliqua hujus Congregationis, seu Religionis impedimenta, plurium annorum spatio opus derelictum esset, idcirco Communitas nominavit Congregationem Silvestrinorum acceptantem, ac ibi de facto introductam; Cùmque primi Religiosi prætenderent, ut in præjudicium juris eis jam quæsiti, id fieri non potuisset, causam introduxerunt in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, à qua prodiit resolutio eis favorabilis.

2 In disputationibus autem desuper habitis, punctus erat super implemento conditionis per testatorem præfinitæ, super fundatione Conventus, vel domus infrà annum, quo termino elapso alia substituebatur Religio, an scilicet factus esset casus substitutionis, necne, juxtà consimilem dispositionem, de qua suprà, *disc.* 32. & *sub tit. de fideic. disc.* 155. Cùm etenim primæ Religionis vocationi adjectum esset certum tempus per viam conditionis suspensivæ potius, quàm per viam modi; hinc proinde, scribens pro Congregatione Silvestrina dicebam idem, quod cæteris relatis habetur *d. disc.* 155. *de fideic.* ac in decisionibus in ea causa editis, quod scilicet nil referebat, an Religio primò vocata, impedita fuisset infra præfinitum terminum conditionem implere, necne, quoniam juxta distinctionem, de qua latiùs *eod. tit. de fideic. disc.* 154. & alibi, quoties agitur de dispositione merè
3 conditionali, tunc attenditur nudum factum non implementi intra terminum à testatore præfinitum, non curato, an illud fuerit culposum, necne, quoniam ille, qui non adimplet, nullum sentit damnum, vel præjudicium, sed solùm non obtinet lucrum quærendum, quod non reputatur considerabile, ut beneficium restitutionis in integrum intrare debeat, nisi agatur de acquisitione quasi debita ex ordine naturæ, ut est illa filiorum in bonis parentum, vel nisi tales accedant particulares facti circumstantiæ, quæ suadeant ut intrare valeat Judicis arbitrium, seu officium pro æquitate temperante hunc juris rigorem, fundata etiam in præsumpta, seu verisimili ejusdem disponentis voluntate adjiciendi conditionem, vel tempus discretè, & quatenus legitima excusatio, seu impedimentum non accedat, juxtà
4 distinctiones, de quibus *sub tit. de testam. disc.* 73. & infra *sub tit. de matrim. disc.* 14. & alibi.

5 Quamvis autem ista theorica, quam ego scribens more Advocati deducebam, generaliter vera sit; nihilominus reflectendo ad veritatem, dubitabam de applicatione, ut huic Parti meam operam requirenti ab initio insinuavi, ideòque resolutio probabilis visa est; Tùm quia disputationes plurium annorum intervallo habitæ in dicto consimili casu, de quo *d. disc.* 32. me docuerant, quod taverà ista theorica quamvis primò rejecta *in dec.* 416. coram Rojas, deindeque admissa coram Albergato, *dec.* 107. *p.* 15 *rec.* Attamen in tertia instantia coram Meltio, in qua decies causa proposita fuit sine resolutione, reverà hujus theoricæ rigor attentus non fuit, sed resolutio prodiit ob declarationem Innocentii X. in Signatura Gratiæ, quòd scriventur constitutiones, denegando petitam derogationem: Unde propterea certificatum fuit, quòd impossibilis esset conditionis purificatio, adeòut si de tempore dicti recursus ad Pontificem in plena Signatura, qui fuit per decennium, & ultra post elapsum terminum sex mensium à testatore præfinitum, derogatio in conditione posita, concessa fuisset, utique datus non esset locus substitutis, ex dicta ratione, quòd ista regula, seu theorica generalis intelligenda non est cum judaico rigore ad literam in omni casu, sed discretè, pro facti qualitate, ac verisimili disponentis voluntate, istius substantiam potiùs attendendo, quàm verborum formalitatem, seu grammaticalem significationem, & clausularum, ut quandoque pro consueta ineptia fieri praxis docet, & advertitur locis citatis, præsertim *d. disc.* 154. *de fideicomm.*

6 Tum clariùs quoniam, licet verba dispositionis essent potiùs conditionalia, quàm modalia, super susceptione loci infrà annum, cum expressa substitutione, quatenus infrà dictum tempus, dicta susceptio non sequatur; Attamen illa jam secuta erat, juxtà præmissam facti seriem, quamvis deinde prosecutio, ex aliquibus hujus Congregationis accidentibus super ejus statu, impedita, seu neglecta fuisset per aliquod temporis spatium; Et quamvis ego scribens more Advocati insisterem in axiomate, super quo multa cumulantur per Surd. *cons.* 3. *n.* 25. *cum seqq.* & per Barbos. *axiom.* 222. *num.* 10. quòd scilicet verba intelligenda sunt cum effectu, & sic, quòd loci susceptio, seu fundatio validè, ac perfectè secuta esset servatis debitis requisitis recensitis supra *in Cæsaraugustana fundationis, disc.* 29. ac in decisionibus in ea causa editis, quas, aliasque ibi recensitas deducebam.

Ac etiam deducerem ea, quæ juxtà unam opinionem habemus in materia conditionis ingressus in Religionem adjectæ in legato, vel alia dispositione, ut intelligenda sit cum effectu ea deductis pro utraque opinione per Honded. *cons.* 73. *lib.* 2. Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 84. Capobl. *de Baron. p.* 1. *n.* 97. & *seq.* Sanch. *de matr. lib.* 1. *disp.* 34. *num.* 16. Amendol. ad Franch *dec.* 14. Et ea quæ habentur *sub tit. de legatis, disc.* 36. in proposito conditionis studiorum, ac 7
Doctoratus, ut pariter intelligatur cum effectu. 8

9 In idem conferentibus iis, quæ habentur pluries *sub tit. de fideicom præsertim disc.* 7. in proposito conditionis, vel onetia suscipiendi cognomen, & insignia testatoris, quod non sufficiat verbaliter, vel ad breve tempus suscipere, postea verò deserere, sed conditio intelligenda sit cum effectu perseverantiæ, cum similibus.

10 Attamen fallacia esse videbatur in applicatione, quoniam, cùm juxtà dictam distinctionem inter conditionem, & modum, de qua *d. disc.* 154. *de fideic.* & *dicto disc.* 73. *de testament.* quod conditionis natura sit, ut ejus implementum præcedat, atque, ut nostri dicunt, stet a parte antea, priusquam sequatur emolumenti assecutio, hinc proindè impossibile est, ut sub conditione adjecta sit fundatio, & constructio formalis, cùm uterque actus, tam circa implementum requisitorum præsertim licentiæ Sacr. Congregationis supplentis beneplacitum Apostolicum, quàm circa materialem constructionem, exigat longè majus tempus, ac notabiles sumptus, & diligentias respectivè; Ideòque hæc omnia potiùs respiciunt modum, nempè prosecutionem à parte postea, & consequenter non intrat privatio, vel amissio juris quæsiti ob non prosecutum, vel non continuatum implementum, nisi prævia monitione Judicis, aliisque actibus constituentibus in contumacia, & culpa positiva ex insinuatis, *d. disc.* 7. ac etiam *d. disc.* 154. *de fideic.* & *in eod. in supplemento*, & alibi; Et sic quòd conditio super susceptione loci infrà annum percutaret solùm declarationem animi Religionis acceptandi dispositionem, cum subsecuto actu reali destinationis loci, ac illatum simplicium solemnitatum, quæ ex parte ejusdem Religionis proveniant, super initiatione operis, quod jam secutum fuerat, unde propterea defectus potiùs erat in non implemento modi, quàm conditionis: Potissimè verò ob impedimenta præstita, tam per Religionem Minorum prætendentem incapacitatem hujus Religionis primò vocatæ, super quo etiam litigatum fuit, quam etiam per hæredes super adimplemento legati ad hunc effectum facti, unde propterea ex pluribus probatum remanebat, quòd substitutionis casus factus non esset.

11 In hoc autem proposito fundationis, ac perfectionis novi Conventus per testatorem demandatæ de ejus bonis hæreditariis, cum substitutione alterius personæ, vel piæ causæ, in eo quod, dicta fundatione facta, superesset: Consultus fuit pro veritate *in una Æsina hæreditatis* ex parte Minorum Observantium, seu aliorum interessatorum: Cùm etenim Nicolaus Pacificus senior, avus probati Curialis Nicolai junioris, institutis filiis cum substitutione ad favorem descendentium, his defectis, mandasset construi, ac perfici Conventum Minorum Observantium in patria, cum subministratione omnium necessariorum, substituendo in eo quòd superesset Camaldulenses; Atque unus ex dicti testatoris filiis dicti Ordinis professor, nimisque qualificatus religiosus, in suæ provinciæ prælatura versatus, curasset, dicta cōditione adhuc pendente, etiam eleemosynis ejus cura, & diligentia patria, dictum Conventum fundare, adeout jam in eo viverent duodecim religiosi: Hinc proinde, adhuc vivente dicto Nicolao juniore, per cujus mortem verisimiliter sine prole secuturam, futurus est locus dictæ substitutioni, consultus fui, an stante jam secuta fundatione aliunde, ac stante incapacitate hujus Religionis possidendi bona in redditu, dici posset, quod omnia bona, quę sub dicta substitutione caderēt, debita essent alteri Religioni capaci substitutę, seu potiùs quid huic Cōventui, erga quem Nicolaus majorem habebat affectionem, utpotè a patruo fundatū, applicari posset.

12 Respondi, quod punctus videbatur potiùs facti, & arbitrii, quam juris, quodque propterea determinatio penderet ab arbitrio Superiorum, Sacræ scilicet Congregationis Regularium, quæ in his materiis videtur proprius Judex, ac regulator, super perfectione scilicet eorum, quæ requiruntur, ut Conventus jam benè completus dici possit circa ea, quæ sumptum exigunt, atque cum ostiaria mendicitate expleri non possunt, ideòque intret capacitas legatorum, aliarumque dispositionum, non obstante incapacitate regulæ

jux-

juxtà ea, quæ in hoc proposito habentur, *disc. proximè seq.* Non enim sufficit, quòd constructæ sint cellæ pro habitatione religiosorum in numero necessario ad formam Apostolicarum Constitutionum, sed requiruntur Ecclesia, & Sacristia, earumdemque congrua provisio, quæ Religionis, ac loci qualitati proportionata sit de sacra supellectili, aliisque ornamentis, nec non Conventus perfectio, tam circa clausuram, & claustrorum symmetriceam perfectionem, quàm circa cõstructionem alicujus majoris numeri cellarum, pro hospitatione religiosorum transeuntium, ac Ministri generalis, vel respectivè Provincialis, occasione visitationis; Quinimò Prælatorum sæcularium, occasione transitus, cùm his Religionibus, ex mendicitate viventibus, expediat, cum hujusmodi officiosis hospitationibus, devotorum benevolentiam captare, & conservare (non tamen abutendo isto prudenti consilio cum receptione bannitorum, & malefactorem;) ac etiam circa congruam provisionem adjacentis viridarii, cum recinctu murorum pro custodienda clausura, & cum aliis officinis, pro loci qualitate necessariis & opportunis, ad hoc ut Conventus dici valeat perfectè fundatus. Hæc autem omnia non adversatur Religionis Instituto, ejusque incapacitati, quæ solùm percutit ordinariam substentationem religiosorum in victu, de quo certi esse non possunt, non autem præmissa, ac alia, quæ utpotè notabilis sumptus, pecuniarum usum exigunt, atque cum diaria ostiaria mendicitate non de facili expleri possunt, ut sunt libraria, infirmaria, & similia pro locorum qualitate; Ita tamen, quòd iste non sit color quæsitus, quo mediante, legi, seu regulæ fraus fiat, ut advertitur, *disc. seq.* Et consequenter est quæstio facti, seu arbitrii, quæ pro singulorum casuum particularibus circumstantiis decisionem recipit absque eo quòd certa, & determinata regula, seu taxa generalis dari valeat; ideòque concludendo, consulebam, ut adiri deberet Sac. Congregatio, quæ prævia consueta informatione, ad occurrendum litibus, id determinaret.

NULLIUS BAREN. FUNDATIONIS,

PRO

CAPUCCINIS, ET COMMUNITATE FASANI, CUM MARTA, ET ALIIS DE PATERNIS.

Casus disputatus in Congregatione Fabricæ, cum exitu ut infrà.

An pro fundatione Conventus Capuccinorum, vel Minorum Observantium, valeant legata, & donationes, aliæque dispositiones, incapacitate non obstante? Et de aliis ad dictam incapacitatem pertinentibus? Et quatenus dispositio fiat per viam irrevocabilis donationis inter vivos, an ob Religionis incapacitatem, ea sit revocabilis, necne?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De punctis controversis.*
3 *Donatio facta piæ causæ, nemine pro ea acceptante, & stipulante, perfecta est.*
4 *Juramentum excludit pœnitentiam.*
5 *Ad quem effectum acceptatio sit necessaria.*
6 *Quando donatio ex causa onerosa ante acceptationem sit revocabilis.*
7 & 8 *Monasterium erectum si deseratur, cui bona donata acquirantur.*
9 *De bonis donatis Religionibus incapacibus.*
10 *An valeat donatio facta pro Monasterio construendo?*
11 *De unione facta Seminario.*
12 *De incapacitate Minorum.*
13 *In quo differant Minores ab aliis Religionibus incapacibus.*
14 *Quando in Minoribus permittantur provisiones.*
15 *In quibus incapacitas Minorum non obstet pro Ecclesia, vel Conventu.*
16 *An Minores teneantur ad solvendum quartam Parochiæ.*
17 *De eodem, de quo n. 15. cum declaratione.*
18 *De incapacitate domorum professarum, & Ecclesiarum Societatis Jesu.*
19 & 20 *De intelligentia Decretalium, ut quod datur Minoribus, remaneat in dominio largientium.*
Card. de Luca, Lib. XIV.

D I S C. XXXV.

Lucretia Pistoja Vidua, irrevocabiliter inter vivos, omnia ejus bona, reservato usufructu, donavit pro constructione Conventus Capuccinorum in Oppido Fasani ejus patria. Cùmque morti proxima per aliquos conjunctos, quos hæredes instituit, inducta fuisset ad rem revocandam, hinc proinde inter dictos hæredes, & Communitatem, aliosque devotos, dictam fundationem optantes introducta causa in Tribunali Fabricæ Neapolis, prodiit in prima instantia sententia pro donationis validitate, & executione, revocata in secunda instantia, seu prævia infirmatione sententiæ revocatoriæ, confirmata in tertia; Unde propterea hæredes ex rescripto Sanctissimi obtinuerunt causam revideri in Urbe, in plena Congregatione Fabricæ, à qua prodiit resolutio, dictis duabus sententiis conformis; Nullo tamen subsecuto effectu, quoniam revolutiones populares, aliaque superventa accidentia, ita rerum statum immutarunt, quòd iidem Capuccini, qui huic fundationi pro commoditate Provinciæ nimiùm incumbebant, opus deseruerunt, unde propterea credo, quòd causa habuerit illum finem, quem frequentiùs hujusmodi piæ depositiones habere solent, per compositionem scilicet, cum eadem Fabrica. 1

In disputationibus autem desuper habitis (in quibus ego ad requisitionem Capuccinorum propriæ provinciæ scripsi cum patrio stylo ex motivo charitatis circa ipsa initia accessus ad Urbem ex causa negotiorum, antequam in Romana Curia vitam ducere, atque Advocationis munus suscipere determinassem) Scribentes pro hæredibus seu conventis ad prædictam donationem elidendam, quatuor deducebant fundamenta; Primò nempè, quòd dicta donatio facta esset absenti, nemine pro Religione acceptante, & stipulante, ideòque ante acceptationem revocari potuerit; Secundò, quòd fieri non possit donatio futuro Monasterio, quod adhuc non sit in rerum natura; Tertiò ob incapacitatem regulæ, quam in strictissimo ejus primævo Instituto Capuccini profitentur in summa paupertate; Et quartò, quòd ubi etiam pro fabrica, aliisque usibus compatibilibus, istorum religiosorum favore disponi valeat, adhuc tamen, donec sequatur dispositionis effectus, bona remaneant in dominio elargientis, atque ad ejus liberam dispositionem. 2

Nullum tamen ex his fundamentis subsistentiam habere dicebam: Singula etenim examinando; Quatenus pertinet ad primum, deducebam eadem, quæ de hac materia specialiter donationis factæ piæ causæ, nemine pro ea acceptante & stipulante, habentur in sua materia *sub tit. de donat.* præsertim *disc.* 14. quòd scilicet quamvis aliquorum, præsertim Moralium, sententia sit, ut re integra ante acceptationem ejus, ad quem pertinet, locus sit pœnitentiæ; Attamen juxta alteram magis communiter receptam, verius est contrarium, quoniam dispositiones ad pias causas principaliter fieri dicuntur Deo, qui ubique est præsens, nostraque opera, & vota acceptat, ea ibi deductis. 3

Multò verò magis, ubi accedat juramentum, quod etiam in profanis donationibus, ex magis recepta sententia, pœnitentiam excludit ex deductis *sub tit. de donat.* præsertim *disc* 56. Ubi etiam advertitur, quòd requisitum acceptationis, necessarium in jure reputatur ad effectum translationis dominii, quatenus bona donata, medio tempore inter donationem, & acceptationem, validè in alium transferantur, atque donatio munita sit hypotheca, quod pariter, ubi agitur de Ecclesia, vel pia causa, non ita procedit ex deductis in dicta sua sede. 4 5

Et quamvis hæc difficultatem habeant, ubi agatur de donatione onerosa, quæ speciem contractus correspectivi potiùs redolet, ut in terminis donationis factæ cum onere Missarum alicui Ecclesiæ, vel Monasterio advertitur *eodem tit. de donat. disc* 24. ac etiam in hoc speciali proposito fundationis Monasterii, vel Conventus habetur *eodem tit. disc.* 14. Attamen, ulterius ibi ponderata, hæc difficultas, procedere potest in Religionibus capacibus, quibus, juxta unam opinionem, incumbere dicatur onus jure contractus correspectivi initi cum donatore, seu fundatore, substentandi Monasterium, seu Conventum, quamvis etiam bona ad hunc effectum donata deficerent, vel minuerentur; Quod tamen neque in praxi receptum videtur, quoniam ubi iste casus contingat, illa Religio deserit Monasterium, neque ad aliud de facto adstringitur, ut recens praxis generalis per universam Italiam docuit in suppressione parvorum Conventuum facta sub Innocentio X. de qua agit Fagnan. *in c.* 6 7

E *Rela-*

Relatum, *n.* 38. *cum seq. Ne cler. vel monach.* cum dictus Author fuit Secretarius, ac fortè director major Congregationis particularis ab eodem Innocentio deputatæ super reformatione Regularium.

8 Quinimò (quod magis est) quamvis juxta specialem traditionem Herniæ *tit. de Capitul.* Corrad. *n.* 23. *circa finem*, & alibi, non improbabiliter secuto isto casu, bona donata seu assignata, ad hunc effectum, tanquam ex cessante causa, reverti debeant ad donatorem; Attamen, ubi adjectum non sit expressum pactum reversivum, contrarium in Romana Curia est magis receptum, ut pluries practicavi, præsertim *in unaCāpanien.*& in aliis,& plenè comprobat idem Fagnan. *in dicto cap. Relatum*, *n.* 37. *& seq.* ubi quæstionem examinat, quoniam hujusmodi bona, remanent apud ipsam Religionem, applicanda alteri contiguo Monasterio, vel Conventui, vel aliis piis usibus, ac operibus applicantur arbitrio Papæ, ut in dicta generali suppressione practicatum fuit, quòd scilicet justa locorum indigentias, vel opportunitates, applicata fuerunt Ecclesiis Parochialibus, vel Seminario, aliisque similibus piis usibus,& quandoque eriguntur in beneficia sæcularia collativa,ut sub eodem Innocentio, & successoribus præsertim Clemente IX. praxis docuit in bonis aliquarum Religionum,quæ in totum suppressæ fuerunt, ideòque hujusmodi pii elargitores adjicere debent pacta reversiva clarissimè esplicanda.

9 Hæc autem omnia cessant ubi agatur de bonis donatis ad hunc effectum construendi, seu fundandi Conventus, & Ecclesias hujusmodi regularium incapacium in communi, strictissimum paupertatis votum profitentium, quoniam ipsa bona donata non retinentur, sed alienantur,ut pretium irretractabiliter erogetur in fabricam, & consequenter intrare non possunt considerationes, quæ caduot in Religione capaci super obligatione supplendi aliundè, cùm istæ Religiones nihil possideant, neque ipsasmet domos, & Ecclesias, in quibus permanent, quoniam adhuc esse dicuntur in dominio Ecclesiæ universalis, ut infrà declaratur in quarto objecto.

10 Quo verò ad secundum objectum, super articulo, an valeat donatio facta Monasterio construendo; Quamvis Abbas *in cap.* 3. *de testam. n.* 2. id asserat, motus ex dispositione text.*in cap. Abbate sanè, de prebend. in* 6.cumque aliqui sequantur; Attamen contraria opinio est verior, magisque communiter recepta ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Bern. *cons.* 21. *n.* 8. *&* 9. *lib.*2. Gonzal.*ad regul.*8. §.7. *glos.*5. *n.*200. *& seqq.* Grat. *discept* 359. *n.*34. *cum seq.*Garz. *de Benef. part.* 5. *cap* 9. *n* 49. *&* 50.

11 Clarius verò in hac facti specie, quòd (ut præmissum est) non agitur de donatione ipsorum bonorum ad commodum Conventus formalis,ac religiosorum ibi morari debêtium, quo casu intrat dicta difficultas, quæ neque subsistit, cùm solùm id habeamus in unionibus beneficiorum, quę ad præscriptum Concilii Tridentini per Ordinarios fieri possunt ad favorem seminarii, ut non valeant factæ seminario adhuc non erecto, ex deductis *sub tit. de benef. disc.* 7. *& infra in adnot. ad S. C. T.* Quoniam, ut præmissum est, hujusmodi donationes non fiunt ipsi Conventui formali religiosorum utpotè in communi, & in particulari incapaci, sed fiunt ipsi pio operi constructionis domus, vel Conventus ad effectum futuræ introductionis religiosorum, unde pernecesse dicitur actus, qui præcedat efformationem futuri Monasterii, seu Conventus.

12 Circa tertium objectum incapacitatis, deductum ex dispositione textus *in cap. Exiit*, *de verbor. signific. in* 6. *& in Clementin. Exivi*, *tod. tit.* illa non negabatur ex hac parte, utpotè incontrovertibilis; Dicebam tamen, eam procedere ubi bona donata, cessura etiam sint ad commodum ipsorum religiosorum, ut ex eorum fructibus, ac redditibus, victum, aliaque ad eorum usum quotidianum necessaria obtinere possint, quoniam ita est contra institutum strictissimæ paupertatis, ac omnimodæ incertitudinis, comparandi in dies victum ex ostiaria mendicitate, & non congregandi pecunias, aliaque bona pro futuri temporis substentatione.

13 Atque in hoc differt ista Religio Capuccinorum,ac altera Minorum strictioris observantiæ, ac Reformatorum, ab aliis Religionibus, quæ paupertatem quoque profitentur, abstinendo à retentione bonorum stabilium,seu annuorum redditùum,ut sunt præsertim Domus professæ Societatis Jesu, ac etiam Domus Theatinorum, ex insinuatis *sub tit. de testament. disc.*36. *& sub tit. de legat. disc.* 1. & alibi, quoniam sunt capaces legatorum, & hæreditatum, aliarumque dispositionū etiam in bonis stabilibus magni valoris ad effectum tamen vendendi, atque pretium erogandi in currentes usus, pro quibus prohibita non est contractatio pecuniarum, & frugum, aliorumque victualium anticipata œconomica provisio; Hæc autem omnia probibita sunt istis Minoribus Capuccinis, vel Observantibus, utpote ex diuturna mendicitate vivere debentibus, sibi permissa aliqua provisione illarum rerum, quæ ex mendicitate pariter comparatæ,obtineri non solent in dies ex ostiaria quæstua-
tione, sed ista solùm practicabilis est certo tempore perce- 14
ptionis, ut (ex. gr.) sunt, lana pro vestibus, caseus, oleum, legumina, & alia similia.

Verùm ista incapacitas, non intrat in iis, quæ sine pecu- 15
nia in notabili quantitate expleri non possunt, & quibus cum ostiaria mendicitate, occurri non vales, quoniam ad instar dictarum aliarum Religionum, prohibita est retentio ad redditum, non autem ad effectum vendendi, ut pretium erogetur in illos usus,quibus aliàs occurri non potest, ut sunt constructio Ecclesiæ, vel Conventus, Sacristiæ supellectilis sacra, necnon libraria, infirmaria, & similia extra quotidianum usum victus ipsorum religiosorum, Batt. *cons.* 5. *n.* 3. *lib.* 1. *& in tract. Minoricar. lib.* 1. *distinct.* 4. *cap.*2. Abb *cons.*63. *n.*4 *part.*2. Frideric. de Sen. *cons.* 12. *n.* 4.&aliis relatis plenè firmatur per Rotam apud Merl. *dec.* 436. *repetit. dec.* 365. *part.* 5. *rec. & dec.* 16. *part.* 11. & in aliis, cùm sit principium certum, ac receptum; Ideòque cùm ista donatio esset ad effectum construendi fabricam Conventus, & Ecclesiæ pro habitatione religiosorum ex eleemosynis quotidianis vivere debentium, ita cessabat objectum incapacitatis.

Hinc proinde, in quæstione enunciata *sub tit. de Parochi.* 16
*disc.*25. an scilicet de legatis, aliisque largitionibus, quæ occasione sepulturæ, vel funerum, fiunt istis religiosis, debeatur quarta canonica, dubitatum non fuit de validitate pinguis legati in summa notabili, quòd factum fuit Conventui Reformatorum S. Francisci ad Ripam Urbis pro refectione, & meliori structura Ecclesiæ, aliisque ædificiis Conventus, cùm talis sit recepta praxis.

Nisi fabrica, vel sacristia, sive infirmaria, sit color quæ- 17
situs, ad fraudandam Regulam, adeout effectus dispositionum, seu retentio redditùum tendat ad commodum, & substentationem ipsorum religiosorum, ut advertitur in suprà allegatis decisionibus Rotæ, & ego pluries practicavi, præsertim verò *in una Romana legati* disputata coram A.C. inter Minores Conventuales SS. Apostolorum,& Minores Observantes Aracœli super annuo legato perpetuo cum onere Missarum relicto sacristiæ Aracœli, adjecta prudenter substitutione in casu incapacitatis ad favorem dictorum Conventualium, ne aliàr legatum sibi applicaret Fabrica Sancti Petri, juxta ejus facultates enunciatas *sub tit. de fideicom. disc.* 108. & alibi, quoniam dicebam scribens pro Conventualibus, quòd hic erat color quæsitus, dum sacristia dictæ Ecclesiæ Aracœli, quæ est Capella Populi Romani, providetur de omnibus necessariis, imò etiam exuberanter, ut ejusdem Populi majestatem decet, per ejus Cameram; Potissimè verò ob adjectum onus Missarum celebrandarum per ipsos religiosos, quorum commodo, non autem sacristiæ in effectu annuus redditus, ita cedere debebat.

Ideòque non intrabant considerationes, de quibus in pro- 18
posito legati cum onere Missarum, vel anniversariorum facti sacristiæ Ecclesiæ Domus professæ Societatis Jesu, habetur infrà, *disc.* 62. quod scilicet ipsi religiosi, vel solus sacristiæ Præfectus gerit partes nudi administratoris, vel executoris piæ dispositionis, nihil autem cedit ad commodum ipsorum religiosorum, vel eorum domus, quoniam Missæ, & anniversaria celebrantur per clericos sæculares, quibus pro eleemosyna distribuuntur redditus, adeout ipsa Religio aliud hujus laboris, ac administrationis præmium non assequatur, nisi illud decoris, & honorificentiæ propriæ Ecclesiæ pro majori numero Missarum, quæ ibi celebrentur, ac propterea ista dicitur potiùs quæstio facti, ex ejus qualitate, & circumstantiis decidenda.

Demùm quoad ultimum objectum; Ex parte dictorum 19
hæredum dicebatur, quòd per dictas Decretales *in c. exiit*, *de verb. signif. in* 6. §. *cæterùm cùm in eadem regula*, *&* §. *seq. incipien. & quæ oportet*, expresse disponitur, ut elargita his
Patribus, eis non acquiratur, sed remaneant adhuc in domi- 20
nio, & dispositione ipsorum elargientium cum facultate revocandi, quamvis dominio, seu alia elargitio facta esset pro Ecclesiis, vel ædificiis construendis, aliisque usibus, pro quibus, ut supra incapacitas Regulæ non obstet, atque super hoc puncto fuit major istius causę difficultas, dum textus de-

descendit ad hanc speciem donationis etiam pro ædificio Ecclesiæ, vel domus.

Verùm istud objectum meritò quoque neglectum fuit, admissa duplici responsione, quam ego dabam. Primò nempè, ut dictæ Decretalis dispositio procedat ubi agatur de elargitione pecuniæ numeratæ, cujus contrectatio etiam materialis his religiosis prohibita est, sive alterius rei æquipollentis, ne ita fraus regulæ fiat, atque usus pecuniarum introducatur; Secùs autem ubi agatur de bonis stabilibus, vel etiam talibus mobilibus, quòd eis dicta ratio non congruat, quoniam hæc esse dicuntur in dominio Ecclesiæ universalis, ut probat eadem Decretalis *in c. exiit, in §. ad hæc cùm fratres*, *& §. seq. præterea licet, &c.* & clarius explicatur *in Clement. exivi, §. porro cùm dictus Sanctus*.

Et secundò, quis eadem Decretalis supponit, quòd elargitio facta sit ipsis religiosis, jam in loco introductis, ac existentibus, quod in præsenti applicari non poterat, dum donatio facta erat ad effectum parandi, & construendi habitationem, ut illi invitari, ac introduci possent, ideòque dicebam, quòd potiùs videbatur donatio ad commodum, & gratiam illius populi, ut ab istorum religiosorum exemplari vita aliisque spiritualibus exercitiis, & auxiliis in vita spirituali proficeret, ac etiam obtineret illa temporalia beneficia, quæ reportari solent à charitate religiosorum, eorum partes benè explentium in sedandis inimicitiis, vel protegendis apud Judices, ac Magistratus, & Superiores, miserabilibus personis aliisque oppressis, &c.

ANNOT. AD DISC. XXXV.

De Incapacitate Minorum Observantium habetur *in hoc tit. disc. 75. & in Adnot. ad S. C. T. disc. 35. Faciunt ad præcedentem discursum sequentes decisiones*.

R. P. D. EMERIX DECANO.

Turritana Eleemosynarum, seu Legatorum,

Lunæ 10. Januarii 1695.

Septem perpetua pia legata annua, singula sub expresso Eleemosynarum titulo instituit, & ordinavit in suo Testamento condito anno 1645. Petrus Morur de Molinos favore Ecclesiæ, sive Conventus, & Fratrum Sancti Petri de Synodis Minorum de Observantia Sancti Francisci. Primum, Librarum 25. pro suis Exequiis quotannis cum certo Missarum numero peragendi. Secundum, Librarum 40. pro Oleo Lampadis, quæ diù, noctuque ardere deberet in Capella Majori Jurispatronatus suæ Familiæ. Tertium, Librarum 12. pro celebratione Missæ quotidianæ. Quartum, Census Librarum 300, in sorte, cujus redditus erogandus esset in emptionem Syndonum pro Fratribus Infirmis. Quintum, alterius Census in sorte Librarum 500. cum onere celebrationis trium Missarum qualibet hebdomada. Sextum, Librarum 28. Et septimum, Librarum 12. in adimplementum legatorum Missarum à semetipso relictorum per utrumque Parentem. Solutis autem, & satisfactis hisce legatis, in reliquis omnibus suis Bonis instituit hæredes Filios, si quando ipsos suscepisset, & si eis non suscepisset, Deum Dominum Nostrum, & Animam suam, eum ordine, quòd de illis erigeretur in Cathedrali Ecclesia Turritana Archidiaconatus Tertia Dignitas cum Dote annuarum Librarum mille, ac de eo, quod superesset, tot in eadem Ecclesia Canonicatus. Erectus fuit post ejus obitum Archidiaconatus, & ad ipsum institutus Didacus ejus Frater, qui pro tempore, quo vixit, exactè satisfecit præfatis legatis, sed eo defuncto, Carolus ejus successor continuare renuit in eorum satisfactione, ex capite incapacitatis Fratrum, & introducta Causa in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium Decretum prodiit tenoris sequentis: *Dandas esse declarationes sæpè aliàs factas, videlicet Fratres Minores de Observantia non posse possidere Census, & Bona Stabilia, posse tamen recipere per viam eleemosynæ quidquid eis traditur pro celebratione Missarum, & Anniversariorum, proindè censuit committendum, prout commisit Archiepiscopo Turritano, ut ad limites prædictarum declarationum in Causa procedat*: quod deinceps approbatum, & confirmatum fuit per Breve San. mem. Clementis Decimi, ac in ejus executionem Archiepiscopus mandavit legata pro Oleo Lampadis, & Syndonibus Infirmorum liberè solvi Syndico Apostolico Conventus, & alia pro Anniversariis, & Missis in manibus Tertii, ad effectum de iis disponendi, prout de Jure.

Card. de Luca, Lib. XIV.

Reclamante autem ad eandem Congregationem Carolo, placuit Eminentissimis PP. exquirere desuper Votum nostri Auditorii; Unde subscripto per me Dubio: *An, & quæ Legata debeantur? sive quæ secundum voluntatem Testatoris sint adimplenda?* Eoque hodie proposito, responsum fuit, *Legata deberi, & esse adimplenda* juxtà modum inferiùs exponendum.

Deberi siquidem visum fuit legatum pro Oleo Lampadis; nam licèt Fratres Minores ex Regula Sancti Francisci, quam profitentur, & Constitutionibus san. mem. Nicolai Tertii, & Clementis Quinti *in cap. exiit, & cap. exivi de Paradiso, de verb. signif.* incapaces sint cujuscunque Juris, & proprietatis, tam in communi, quàm in proprio, hujusmodi tamen incapacitas procedit quoad ea, quæ concernunt utilitates, & commoda ipsorum Fratrum pro quotidiano victu, & vestitu, non autem quoad ea, quæ concernunt decorem eorum Ecclesiarum, ac certum usum Cultus Divini, ut in terminis similium legatorum vini pro Sacrificiis, frumenti pro hostiis, pecuniæ pro luminaribus, tradunt Anchar. *in d. Cl. Exivi de Paradiso, verf. cùmque annui reditus, n. 13.* Abb. *conf. 63. n. 4. lib. 2.* Pellizar. *in Manual. Regular. de paupert. Fratr. Minor. tract. 4. cap 3. sect. 2. n. 103.* Sanchez *ad præcept. Decalog. lib. 7. capit. 26. n. 42.* Rodriquez *quæst. Regular. tom. 1. q. 126. art. 5. per tot.* Amostaz. *de caus. piis, lib 4. c. 3 n. 59* & in puncto legati pro Oleo Lampadis, Menoch. *conf. 1013. n. 35* Barb. *in Jus Canonic. tom. 4. lib. 5. Clement. t. 11. n. 19.* Camarell. *de Legat. lib. 2. t. de deportat. n. 40.* Addeo. ad Buratt. *dec. 756. n. 22.* Rot. *dec. 456. n. 27. & seqq. coram Merlino*. Hocque legatum uti non in Fratres ipsos collatum, sed in earum Ecclesias, quæ sunt in proprietate Ecclesiæ Romanæ, eorum nomine peti poterit per Syndicum Apostolicum. Pellizar. *in Manual. Regul. tom. 1. tr. 4. de vot. Regul. c. 2. sect. 2. n. 103. 105. & 110. in fin.* Suarez *tom. 3. de Religion. lib. 7. c. 17. n. 28.* Barb. *in Jus Canon. tom. 4. lib. 5. t. 11. n. 28. & seqq.* Amostaz. *de caus. piis, lib. 4. c. 3. n. 78.*

Simili modo deberi visum fuit legatum pro Syndonibus Infirmorum: quidquid enim sit in abstracto, loquendo, an legatum Fratribus Minoribus factum pro Infirmaria substineatur, aliis affirmantibus, ut in specie Joan. de Anan. *conf. 30. n. 5 & per tot.* Duran. *de aet. test. t. t. c. 11. n. 2.* Rodriquez *q. canon. & Regular. tom. 2. q. 126. art. 4. §. ultimo*, Dian *resol. moral. p. 3. tr. 2. resol. 33. in princ.* ut videtur fuisse de mente Rotæ *dec. 319. n. 5. & 6. coram Cerro, & Sac. Congregationis Concilii in una Romana Donationis relata per Lantusc. in Theatr. Regul. verb. Legatum. n. 1.* aliis autem negantibus, ut plenè Fagnan. *in c. in præsentia, n. 55. usque ad 69. de probat.* Castropall. *tom. 3. tr. 15. disp. 3. punct. 9. n. 19.* Torr. *de pact. futur. success. c. 36. n. 81.* Castill. *de aliment. c. 5. n. 29.* difficultas cessat in concreto legati, de quo agitur, quòd tanquam relictum pro Syndonibus Infirmorum non pertinet ad alimoniam, seu necessariam substentationem Fratrum, sed ad solatium, seu sublevamen, & majorem quandam ipsorum curam, quam quæ aliàs illis præstari posset per eorum Conventus, quod proinde ex natura rei, & motivo pietatis erga pauperes infirmos videtur subsistere. Et hic forsan fuit sensus Sac. Congregationis Concilii in dicta Romana Donationis, in qua agebatur de annuo legato pro pane albo ministrando Fratribus infirmis. Pro eo autem non competit actio Syndico Apostolico, ut suprà, nomine Ecclesiæ Romanæ, sed solum officium Judicis, quod succedit in locum deficientis actionis, ut per Rodriquez *dict. q. 126. art. 4. §. fin.* Castrop. *tom. 3. tr. 15. disp. 3. punct. 9. n. 22. verf. deinde*.

Quo verò ad alia pro Anniversariis, ac Missis visa fuerunt non deberi, quia repugnat Instituto Fratrum Minorum in arctissima paupertate, ac mendicitate fundato, possidere redditus annuos, qui inter stabilia computantur, ut *in d. Clement. Exivi, §. cùmque annui reditus, de verb signif.* tam etsi maximè relicta fuerint cum onere celebrationis Missarum, quia possunt quidem ipsi Missarum stipendia recipere per modum eleemosynæ manualis, non autem per modum assignationis perpetuæ; nam toti debent ab incerto pendere, totique niti providentiæ Divinæ, ut in his terminis firmant Barbos. *in d. Clement. Exivi, n. 20. & de Jur. Eccl. lib. 3. c. 27. n. 77.* Fagnan. *in c. nimis prava, num. 31 usque ad 46. de excess. Prælat.* Sanchez *ad præcept. Decal. libr. 7. capit. 26. n. 49.* Lezan. *in Sum. verf. legata relicta Regularibus, num. 21. & in Mar. Magno Minorum, numer. 221.* Amostaz. *de caus. piis, lib. 4. cap. 3. n. 70.* Card. de Luca *ad Regular. disc. 35. numer. 17.* Add. ad Buratt. *dec. 656. numero 15.* Rot. *decis. 455. numer. 15. coram Merlino*, ac plu-

ries declararunt Sac. Congregationes Concilii, R. Fabricæ S. Petri, & particularis super ipsorummet Minorum negotiis deputata à fen. mem. Urbano VIII. ut referunt Fagnan. *in d. c. nimis prava*, *num.* 3. Lantusc. *in Theatr. Regular. verb. bona temporalia*, Pignat. *consul. canon.* 26. *n.* 7. & 8. *tom.* 4. Torr. *de pact. fut. success. lib.* 3. *c.* 46. *n.* 75.

Sed cùm nihilominus legata hujusmodi adimplenda sint ex parte hæredum juxtà Text. *in l. hæredes*, *in fin. ff. de petit. hered.* ibi: *Quamvis enim stricto jure nulla teneantur actione hæredes ad monumentum faciendum tamen Principali, seu Pontificali authoritate compelluntur ad obsequium supremæ voluntatis*, Bart. *in l. Civitatibus*, *n.* 5. *ff. de l. t. & in tr. minoris. lib.* 12. *dist.* 7. *n.* 41. Lara *in l. si quis*, *d. lib.* §. *Verum*, *n.* 14. *ff. de lib. agnosc.* Sorb. *in compend. privil. Mendic. verb. Legata*, *in adnot. ad fin. & n.* 58. Cord. *in reg. c.* 6. *q.* 7. *& q.* 11. *punct.* 2. *&* 4. Rodnan. *de spol. Eccles. q.* 8. *n.* 47. & possit, ac debeat Judex ad id authoritatem suam interponere, vel ex officio, vel ad instantiam etiam cujuslibet de Populo, pluribus adductis Leoncil. *de privileg. pauper. p.* 2. *privil.* 52. *n.* 5. Amostaz. *de caus. piis*, *lib.* 4 *c.* 3. *n.* 56. Non refragantibus authoritatibus in contrarium adductis, quæ procedunt in legatis factis sine onere, non autem in legatis, ut hic, nonnullum habentibus onus celebrationis Missarum, cùm non sint animæ Testatorum debitis suffragiis fraudandæ, ut declarat Amost. *ubi proximè*, *n.* 74.

Poterunt Fratres illa recipere ab Hæredibus, seu Executoribus, vel a Judice spontè dantibus per modum puræ, ac simplicis eleemosynæ, ac cum ipsis satisfacere Missis, aliisque oneribus injunctis à Testatore, ita tamen, ut priùs solemnem protestationem emittere teneantur subsignatam sigillo Conventus, & in ejus libris insinuandam, transmittendamque Hæredibus seu Executoribus, quòd ipsi nullum sibi jus vindicant, aut afferunt ex iisdem legatis, ut non modò non sint, sed ne videri quidem possint regulæ transgressores, juxtà monitum Divi Bonaventuræ relatum per Fagnan. *in c. Nimis prava*, *n.* 58. *in fin. de excess. Prælat.* & ita expressè sentiunt Cordub. *in exposit. reg. S. Francisci*, *c.* 6. *q.* 11. *punct.* 4. *notab.* 2. Rodrig. *tom.* 2. *q. regul. q.* 126. *art.* 2. *per tot. tom.* 2. *& in sum. tom.* 1. *cap.* 599. *verb. Eleemosyna*, *n.* 8. Miran. *in exposit. dict. regul. cap.* 65. *diffic.* 12. Villalob. *in sum* 2. *p. t. tract.* 35. *de voto paupert. diffic.* 35. Ant. Giacch. *inst canon. tit.* 1. *n.* 36 *& seqq.* Silvest. *in summ. verb. Legatum* 1. *q.* 3. *n.* 5. Pellizar. *in manual. regular. tom.* 2. *tract.* 4. *de vot. regular. c.* 2. *sect.* 7. *n.* 42. *&* 91. Royas *de incompatib. part.* 7. *c.* 5. *num.* 54. Amostaz. *de caus. piis*, *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 56. Barbos. *in summ. Apostol. decis. collect.* 446. *n.* 4. & constans, & inconcussa fuit opinio Sac. Congregationum, videlicet Sacræ Congregationis Concilii super fundatione Conventus Victoriæ apud Fr. Joan. de Neapol. *in tract. de Pontific. Constit. ad Seraph. Relig spectan. fol* 378. Congregationis particularis Consultationibus Fratrum Minorum de Observantia Cismontanæ Familiæ præpositæ à san. mem. Urbano VIII. necnon R. Fabricæ Sancti Petri apud Fagnan. *in sæpè dicto c. Nimis prava*, *n.* 49. *&* 61. *de excess. Prælat.* & Congregationis Episcoporum, & Regularium, ut in resolutione edita *in una Lucana anno* 1677. *Sum. Syndict Apostolicæ*, *n.* 7. *lit. A.*

Neque hoc modo offuscatur puritas regulæ, quoniam Fratres legata recipiunt, ut præfertur, non tanquam debita, sed tanquam puras, & simplices eleemosynas, neque rursus de illis sunt omninò certi, quia semper residet in prudenti, & rationabili judicio Executorum, vel Judicis super hoc aditi, perspectis circumstantiis eleemosynarum, atque locorum pias Testatorum voluntas exequen. vel iisdem Fratribus legatariis relinquere, vel aliis committere. Imò quandoque eorum officio continebitur, ut aliis committant, si comperiant legata, seu eleemosynas sic adauctas, ut eximant Fratres à necessitate sibi victum quærendi incerta mendicitate, quemadmodum tenentur, ut constat ex traditis per Castill. *de aliment. c.* 5. *n.* 26. *vers. Propterea observo*, Amostaz *de caus. piis*, *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 66.

Nec officit, quòd in præsenti pro consecutione præfatorum legatorum agat Syndicus Apostolicus, quia id urgeret, quoties Syndicus Apostolicus ageret tanquam Syndicus Fratrum, non autem quoties, ut ex ejus instantia, & sententia Archiepiscopi patet, agit tanquam unus de populo, prout ex præmissis ipsi de Jure permittitur; nec pariter relevat, quòd aliqua ex iisdem legatis præseferant relictum fuerint, quia ex eorum lectura liquet in legato principaliter fuisse annuum redditum, & sortes stare loco cautionis pro securiori, seu commodiori eorum satisfactione, & in omnem casum ex duobus expressis modis expressio unius illiciti non vitiat alium licitum, & à Jure non improbatum, ut concludit Abb. *cons.* 63. *n.* 7. *vers. Non obstat argumentum*, *lib.* 2. Denique non obstat quòd instantia dirigatur adversus Archidiaconatum, via hodie ob decretum redditimum hæreditariorum potientem dote annuatum librarum 500. itaut æquitas non suadeat, quòd iste, qui jam erectus existit, extenuetur, ac subvertatur ad effectum sustentandi legata; quia (præter quod nullum documentum allatum fuit decrementi præfati) contrarium procedit, stante expressa voluntate, & judicio Testatoris sub initio recensito, quòd primitus persolvantur ac satisfiant ipsa legata.

Et ita decisum fuit utraque &c.

R. P. D. EMERIX DECANO.

Turritana Eleemosynarum, seu Legatorum.

Veneris 6. Aprilis 1696.

DOmini, reiterum sedulo, ac maturè discussa, steterunt in decisis sub die 10. Januarii 1695. juxta modum inferius exprimendum; Retenta siquidem divisione legatorum, de quibus agitur, in tres species, quoad illud pro oleo lampadis retinendæ in Ecclesia ante Capellam de Jurepatronatus Testatoris, rursus censuerunt deberi, & esse adimplendum, quia non concernit commoditatem, aut quotidianum victum, & vestitum ipsorum Fratrum, sed tantùm usum cultus divini, & majus Ecclesiæ ornamentum, ac decorem, ut præter allegatos in præterita decisione in terminis similis legati tradunt Ventrigl. *in prax. p.* 2. *adnot.* 28. §. 2. *n.* 17. Portell. *in dub. Regul. verb. Legatum*, *sub n.* 3. Cucch. *inst. canon. lib.* 3. *t.* 1. *n.* 36. *cum seqq.* Marant. *contr. lib.* 1. *resp.* 41. *n.* 30. Barb. *de Jur. Ecclesiæ univ. lib.* 3. *c.* 27. *n.* 76. à S. Ubald. *in quolibet. Regul. quodlibet.* 11. *n.* 1117.

Quo verò ad aliud pro emendis Syndonibus ad usum Infirmorum, visum fuit, absolutè loquendo, non deberi, utpotè collatam in ipsosmet Fratres, & Conventum per modum annui, ac perpetui Census, cujus illi sunt prorsus incapaces ex Regula S. Francisci, quam profitentur, quamvis fuerit relictum ad usum Infirmariæ, cùm pro ejus necessitatibus, & urgentiis, ipsi, ut perpensis verbis ejusdem Regulæ loquitur Text. *in c. exiit vers. in alio quoque Capitulo, & Clem. exivi* §. *porro cùm d. Sanctus, de verb. signif.* debeant recurrere ad amicos Spirituales, & sibi providere ex incerta quæstuatione, ac vivere in spe divinæ providentiæ, & de veriori sententia etiam tenent Castr. Pal. *to.* 3. *tr.* 15. *disp.* 3. *punct.* 9. *n.* 19. Castill. *de alim. c.* 5. *n.* 29. Torr. *de pact. futur. success. lib.* 1. *c.* 36. *n.* 81. Sanchez *ad prac. decal. lib.* 7. *c.* 26. *n.* 47. & reprobato Anania, aliisque ejus sequacibus, latè probat Fagn. *in c. in præsentia*, *d. n.* 55. *ad plures seqq. de prob.* Et licèt Rot. *coram Cerro, dec.* 319. *n.* 8. videatur inclinasse in opinionem contrariam, ex ejus tamen lectura apparet, non fuisse tunc examinatum articulum ex professo, sed potiùs tactum incidenter, & relationem fuisse stabilitam in alio fundamento penitùs diverso.

Nihilominus tam inspecta illius speciali natura, non respiciente victum, seu necessariam substentationem Infirmorum, sed potiùs majorem quamdam ipsorum curam, & solatium, quàm etiam ponderata obligatione illa naturali, qua hæres, ut executor tenetur erga defunctum pro totali adimplemento ejus voluntatis, maximè circa executionem operis adeò pii, & tam enixè per ipsum voliti, non videbatur adeò irritum, & improbatum in præcitatis Pontificiis Constitutionibus, quin, rejecto modo illicito, non possent ipsi Fratres annuam præstationem recipere per modum simplicis Eleemosynæ ab hærede, seu executore spontè dantibus facta priùs solemni protestatione, sibi nullum jus competere ad illius consecutionem juxtà formulam registratam per Fagn. *in c. nimis prava*, *n.* 57. *de exces. pral.* & monitum D. Bonaventuræ relatum in præcedenti decis. ut in specie de simili legato pro pane albo ministrando Fratribus Infirmis respondit Sac. Congreg. Concilii in Romana Donationis, de qua Lantusch *in Theatr. reg. verb. legatum*, *n.* 2. & in alia penè Nicol. *in flosc al. verb. Legatum*, *n.* 1. Ita tamen ut Archiepiscopus tanquam Ordinarius Executor quarumcunque piarum dispositionum juxtà text. *in c. Nos quidem*, *de testam.* possit rationabiliter arbitrari respectu subministrationis prædictarum Syndonum juxtà majores, vel minores Infirmorum indigentias, & necessitates; Et quidem in ipsamet specie, seclusa ex parte Fratrum quavis instantia, etiam per implorationem simplicis officii Judicis, atque hoc mo-

do

do obviare, ne in alios usus convertantur. Et hoc facilius videbatur dicendum, dum idem Archiepiscopus, qui fuit per Testatorem electus in executionem hujus piæ dispositionis non solùm non contradicit illius implemento, quinimo procedens tanquam Judex authoritate Apostolica delegatus pronunciavit per sententiam illam esse executioni demandandam, ac proinde sublata remanet cuicunque alteri exceptio nullitatis, aut incapacitatis Fratrum, qui aliàs possunt per viam Eleemosynæ recipere sponte datum ex superiùs firmatis.

Demum quoad reliqua legata pro Anniversariis, & Missis, similiter censuerunt, non deberi ex eodem capite incapacitatis Fratrum possidendi, aut habendi quemcunque annuum redditum, tanquam redolentem speciem immobilium, & repugnantem arctissimæ paupertati eorum Regulæ, juxtà tex. *in d. Clement. exivi, §. cumque annui redditus de verb. signif.* etiam si fuerint relicta cum onere perpetuæ celebrationis Missarum, cùm eis non liceat habere Missarum stipendia per modum annuæ, & certæ assignationis, utpotè destructivè puræ mendicitatis, & quotidiani quæstus, sed tantùm per modum manualis Eleemosynæ pendentis ab incerta fidelium largitione, & pietate, ut communiter tradunt Lezan. *oper. tom 2. verb. Legata, n. 31.* Sanch. *ad praecep. Dec. d. cap. 26. n. 44.* Pignat. *consf. 16. n. 6.* Matant. *contr. lib 1. d. resp. 41. n. 70.* Ubi dicit hodie inanem esse hanc quæstionem, addend. ad Butatt. *dec. 756 n. 15.* Rot. *coram Merlin. dec. 456. n. 15. & seq.* cum aliis antiquioribus, & resolutionibus Sac. Congregationum, relatis in præcedenti decisione. Præsertim, quia pleraque ex illis fuerunt facta ipsis Fratribus, & Conventui mediante assignatione, & Constitutione certorum Capitalium, seu Censuum de directo adversantium eorum Regulæ, juxtà quam non possunt quidquam habere in proprietate, ut præter supra allegatos latè tradit Pasqualig. *de Sacrif. Missæ q. 1092. n. 2. & seq.* Unde tametsi iidem sint capaces recipiendi, & possint actualiter recipere hujusmodi legata ab hærede, seu executore spontè dantibus per modum Eleemosynæ, & stipendii manualis Missarum, facta priùs memorata protestatione; Nihilominus quia id intelligitur, dummodo hæres, aut executor ex eorum omnimoda voluntate, & libertate illis committant Missarum celebrationem, ita ut nullum præcedat impulsus Judicis, per quem indirectè violetur puritas Regulæ, in quo sensu loquuntur, & intelligi debent Doctores, & resolutiones Sacr. Congregationum allegati in præterita decisione, §. *poterunt*, ut declararunt duo Capitula Generalia convocata Burgis anno 1523. & Assisii anno 1526. in his terminis relata per Sanc. *ad praecep. Decal. d. c. 26 n. 49. circa fin.* Et consonant verba D. Bonaventuræ impressa apud Fagn. *ubi suprà, n. 58* ibi (& si post obitum illius, uxor ejus, vel alii amici pro animæ illius adhuc velint aliquo tempore talem nobis Eleemosynā per se, vel ex dispositione illius largiri, possumus similiter recipere ex eadem gratia, ita quòd quandocunque nollent ampliùs ista dare, nil peteremus ab eis quasi ex debito, sed more Mendicorum recurreremus ad Domum Clementis Domini pro quotidiana Eleemosyna, quamdiù illi placeret, sed quando plus nollet, abiremus vacui, gratias agentes de dato, & non murmurantes de negato.) Non possunt Fratres neque per se, neque per Syndicum Apostolicum, etiam agentem tanquam uno de populo, imo neque extrajudicialiter molestare hæredem, aut executorem, ut sibi Missarum celebrationem committant, ne per æquipollens sibi liceat habere quòd ex Regula, & Pontificiis Constitutionibus prohibentur, ad trad. per Matant. *d. resp. 41. n. 73.* Pignat. *d. consf. 16. n. 6. vers. de sane* & ita negotio maturè examinato, resolvit Congr. specialiter proposita à S. mem. Urbano VIII. negotiis eorundem Fratrum, ut apud Fagn. *d. cap. nimis prava, n. 53* ac similiter decrevit Congreg. Rev. Fabricæ relata penes Matant. *d. resp. 41. versus finem, vers. prohibuit*, ubi in casu contraventionis comminatur pœna excommunicationis. Non resistentibus authoritatibus in contrarium allegatis, quia illæ procedunt in legatis relictis modo licito, seu non repugnanti eorum Instituto, non autem in relictis modo illicito, qualia sunt legata annui redditus, licèt habentia annexum onus Missarum, ut per tex *in d. c. exiit vers. ad hæc quia*, latè distinguit Fagnan. *in d. c. nimis prava, n 46. & seq.*

Quoniam verò legata hujusmodi stante incapacitate Fratrum non ita corruunt, & caducantur, ut hæres, aut executor omninò liberentur ab onere ipsis injuncto, vel bonis annexo in suffragium animæ Testatoris, sed ipsi, quantum in se est, adhuc teneantur illius voluntatem adimplere modo meliori, quo fieri potest, ne ejus anima debitis suffragiis Missarum, & Anniversariorum defraudetur, ut argumen-

tum text. *in l. 1. §. pro secundo verò, Cod. de caduc. tollen. & in fin ff. de petit. hæred.* Matant. *d. respons. 41. n. 83.* Sanchez *d. cap. 76. n. 50.* Castropal. *d. punct. 9. n. 17.* Amostaz. *de caus. piis, lib. 4. c. 3. n. 74.* plenè Didacus de Cea in allegatione pro fundatione Conventus Victoriæ *impress. inter Pontific. Constitut. recollect.* per P. Joannem à Neapoli ferè per totam. Imò pinguiùs adimpleant, si per ipsos Fratres, & in altaribus à Testatore designatis id exequi curent, ut monet Sanchez *d. cap. 26. n. 50.* Potest, & debet Archiepiscopus, vel ex officio, uti ordinarius executor omnium piarum dispositionum juxtà relatum *text in d. cap. nos quidem, de testam.* vel ubi executor specialiter per Testatorem deputatus, curare, & solicitus esse ut celebrentur Missæ, vel per ipsosmet Fratres, vel alios Sacerdotes ad ejus arbitrium, ut tradit Matant. *d. respons. 41. n. 78.*

Et hoc modo nedum non læditur, verùm potiùs religiosè servatur puritas eorum instituti, tolliturque quævis certitudo Eleemosynæ ex parte Fratrum, cum semper stet in prudenti arbitrio, & vigilantia ejusdem Archiepiscopi, pensatis omnibus circumstantiis, Eleemosynarumque augmentis, ac respectivè decrementis, vel ipsis Fratribus, vel aliis committere Missarum celebrationem, ut benè advertitur in præcedenti decisione, Imò si eidem constiterit, quòd annui redditus assignati Archidiacono in erectione dignitatis fuerint adeò diminuti, ut ex iis decenter sustentari nequeat, ei pro tempore applicet partem proventuum ad hunc effectum relictorum, injuncta illi proportionabili Missarum celebratione.

Nec turbat, quòd legata relicta Fratribus minoribus modo illicito, seu repugnanti eorum Instituto, quippè quæ recipiunt substantiam à modo, sint nulla, & consequenter caduca, ac si non fuissent scripta. Quoniam quidquid sit de articulo in genere, respectu legatorum ad pias causas, in quo plures Patres sentiunt posse per Episcopum commutari, intelligitur de legatis relictis sine onere perpetuo, veluti agro, seu censu ad fruendum, possidendum, aut locandum; tunc enim, cùm illa appareant facta sola contemplatione ipsorum Fratrum, & sub unico fine, ut illis acquirantur, tanquam defectus in substantia, corruunt, & caducantur ad commodum hæredis, & in hoc sensu distinguendo modum licitum ab illicito loquuntur Lezan. *loc. cit. sub n. 6.* Sanchez *d. c. 26. n. 18.* Fagnan. *d. c. nimis prava, n. 31. & seqq.* Barbos. *de Jur. Eccles. d. c. 27. n 76.* Secus verò procedit in relictis cum onere celebrationis Missarum, quia cùm Testator non minùs censeatur voluisse satisfactionem onerum, quàm quòd legata acquirerentur Fratribus legatariis, stante eorum incapacitate, remanent quidem nulla in ordine ad ipsos, ita ut eis nullum jus tribuant ad illorum consecutionem, sed adhuc onus adimpleri debet ex parte hæredis, vel executoris, ut explicant Amostaz. *de caus. piis, d. cap. 3. n. 74.* Barbos. *d. c. 27. n. 81.* Sanch. *d. c. 26. n. 50.*

Idque est adeò verum, ut in similibus legatis cum onere Missarum non obstante incapacitate Fratrum, intrent facultates R. Fabricæ S. Petri, quòd utique non eveniret, si ea essent omninò nulla, & caduca, ut tradunt Marant. *sæpè dict. respons 41. n. 119.* Rota *coram Cavaler. dec. 212. sub n. 5. vers. supererat*, & ita resolvit Congregatio particularis deputata à S. mem. Urbano VIII. apud Fagnan. *in dict. c. nimis prava, sub c. 53.* & Congregatio ipsius Fabricæ apud Marant. *ubi proximè, n 88.* Ibi declaramus hujusmodi, quæ a principio personis incapacibus facta sunt, sive ex post facto incapaces sunt redditæ, non ad hæredes gravatos, seu alios obligatos spectare, seu ut caduca ab eis vindicare posse, sed ad Fabricam ipsam &c.

Et in hunc modum, suffragantibus hodie omnibus Dominis post secundam causæ propositionem conclusum fuit, utraque &c.

EUGUBINA ABBATIÆ,
PRO ANTONIO DE BENEDICTIS,
CUM CONGREGATIONE CANONICORUM REGULARIUM S. SALVATORIS.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Regularium, & resolutus pro Congregatione.

De manualitate beneficiorum, seu officiorum regularium, quodque in eis non detur perpetuitas; Et quid si illa concedantur regulari professo, cui ex religionis Instituto permittatur vivere extra claustra etiam in habitu clerici sæcularis.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Qui dicantur cives, vel nationales.*
3 *Resolutio.*
4 *Etiam in beneficialibus Reus vincit per non jus actoris.*
5 *De regula de triennali.*
6 Text. in l. quis conductionis, C. locat. *procedit in omni materia?*
7 *Restitutio Conventuum suppressorum quomodo intelligatur.*
8 *Quare non sit deferendum Consulentibus.*
9 *Declaratur quando intret regula de triennali.*
10 *An Canonici Regulares sint capaces beneficiorum sæcularium?*
11 *Posita capacitate, quid beneficii assecutio operetur.*
12 *De regula, de qua n. 6.*
13 *Apostolicæ provisiones non mutant statum beneficii.*
14 *Beneficia Regularia sunt manualia.*

DISC. XXXVI.

1 SEcuta de anno 1652. per Constitutionem 28. Innocentii X. in generali suppressione parvorum Conventuum, suppressione Monasterii Sancti Ambrosii extra mœnia Eugubinæ Civitatis Congregationis Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris, de quibus, diversis à Canonicis regularibus Lateranensibus habetur actum *sub tit. de praemin. disc.* 24. Cùm ipsa Civitas, ob hujus Monasterii, ejusque Ecclesiæ antiquitatem, ac devotionem, preces desuper eidem Papæ Innoc. porrexisset, idem Pontifex Abbatialem titulum jam suppressum restituit, dictamque Abbatiam contulit Alfonso ejusdem Congr. professo, & concivi, eoque defuncto, Alex. VII. ad preces ejusdem Civitatis, dictam Abbatiam contulit Antonio, pariter professo, & civi, stante hujus Congregationis Instituto enunciato *sub tit. de praem. disc.* 36. conferendi Abbatias, seu Prælaturas nationalibus, ibique agitur de puncto, an, & qui dicantur nationales, & quid in hoc proposito istud *nationis* vocabulum denotet.

2 Cùm autem idem Antonius, postmodum de quadam Ecclesia parochiali sæculari ab eodem Pontifice provisus esset, in diœcesi Acheruntina, seu Materanen. eique juxtà istius Congregationis mores, vel privilegia, concessa fuisset à Superioribus licentia, ut dictæ Ecclesiæ sæculari servire posset extra claustra, & in habitu clerici sæcularis elapsoque triennio, pro ejusdem Congregationis stylo, in Capitulo generali, alteri religioso professo habitum regularem gestanti, hæc Abbatia collata esset, Antonius autem prætenderet in ejus præjudicium id fieri non posse; Hinc proinde introdu-
3 cta causa in Sacr. Congregatione Regularium, prodiit resolutio Religioni favorabilis, illaque mihi (licèt scribenti pro Antonio succumbente) fuit visa benè fundata, & juxtà votum ab initio prævisa, & requirenti ad scribendum insinuata: Ideòque mea sententia erat, ut opus non assumeretur, sed curaretur obtineri indultum à Papa ex gratia speciali, quandoque concedi solitum, ut dicta provisio facta per prædecessorem duratura esset ad vitam.

4 Scribens autem pro Antonio more Advocati, fundamentum constituebam in regula, quam in omni materia habemus receptam, etiam in beneficialibus, juxtà doctrinam Innocentii *in cap. ex insinuatione, de procuratoribus, & c. olim, de rescript.* ubi certam Felin. & alii, de quibus Rota apud Mantic. *dec.* 278. *n.* 4. *dec.* 364. *n.* 2. Buratt. & add. *dec.* 380. & in sua materia *sub tit. de benef.* quòd scilicet reo, & possessori sufficit vincere fugiendo, ac per non jus actoris, absque aliqua necessitate docendi de jure suo: Et consequenter, quòd opus non esset assumere inspectionem super qualitate provisionis per Pontificem factæ, de dicta Abbatia in persona Antonii possessoris, & an censenda esset temporalis juxtà usum, seu circulum Religionis, quoniam sufficiebat, ut ipsa Religio nullum jus haberet.

5 Potissimè verò ex duplici circumstantia. Primò nempè quòd versabamur in triennali pacifico possessore, quem tuetur, tam in petitorio, quàm in possessorio regula *de triennali*, quæ possessorem eximit ab onere justificationis tituli, ex iis quæ hujus regulæ materiam habentur *sub tit. de benef. disc.* 91.

6 Et secundò, quòd idem Antonius non agnoscebat ipsam Religionem in auctricem, quia nempè ab ipsa de Abbatia provisus fuisset; quo casu non potuisset objicere de non jure sui authoris juxtà regulam text. *in l. si quis conductionis, Cod. locati*, quam receptum est generaliter procedere in omni materia, omniq; casu, in quo possessor ab alio rem, & jus obtineat, ea copiosè desuper cumulatis per Add. *ad dec.* 420. *ex n.* 50. *par.* 4. *rec. to.* 2. & insinuatur pluries alibi, dum ipse provisus fuerat à Papa independenter à Religione.

Quòd autem ipsa Religio, nullum jus haberet, clarè probari dicebam ex dicta Constitutione 28. Innocentii X. per quam istud Monasterium suppressum fuit, cum suppressione tituli; Et quamvis deinde obtenta fuisset ad preces Civitatis gratia reintegratoria, nihilominus illa habenda erat, ac si concessa non esset, cùm explicitum, vel implicitum præsuppositum haberet, quatenus ibidem ad ejusdem Constitutionis præscriptum adesset numerus sex religiosorum juxtà generalem declarationem proditam de an. 1655. relatam per Fagn. *in cap. Relatum*, *n.* 71. *&* 72. *de testam.* 7

Quamvis autem, more Advocati, hæc deducerem, eaque cum aliis regulis, ac propositionibus generalibus exornare curarem; nihilominus, reflectendo ad veritatem, (Parti, ut dictum est ab initio liberè insinuatam,) advertebam quòd omnes supradictæ propositiones, in suis casibus veræ sunt, fallacia verò erat in applicatione, unde propterea ea pluries insinuatis monemur quantum deferri debeat authoritati Consulentium in iis consiliis, quæ damnabiliter publicæ luci prodeunt, eo modo quoad causæ, & clientis opportunitatem sive ad pecuniam, conductitio more prodierunt. 8

Fallacia verò in eo consistebat, quòd, tam dicta regula, vincendi per non jus actoris, quàm alterum præsidium Regulæ de triennali, locum habent, præsuppositis terminis habilibus, quatenus scilicet agatur de beneficio sæculari de sua natura perpetuo, ac possesso per personam capacem illud obtinendi, quia nempè esset clericus sæcularis, unde propterea verificari valeat illa legitimi tituli possibilitas, vel præsumptio, quam jus commune in possessore inducit, magis verò dicta Regula de triennali; Secùs autem ubi hæc possibilitas excluditur, cùm nunquam præsumptio excedere, vel superare possit veritatem, ut in hujusmodi materia frequenter insinuatum est, præsertim verè *sub tit. de alien. & contract. disc.* 1. *& seq.* in proposito beneplaciti Apostolici, præsumpti ob diuturnam observantiam, cum similibus. 9

Hæc autem possibilitas in præsenti exclusa remanebat de se, quoniam quidquid sit an isti Canonici Regulares provisi de aliquo beneficio sæculari facultatem habeant assumendi habitum sæcularem, ac vivendi extra claustra, & an per Superiores regulares evocari possint, ex deductis per Trullen. *de ord. Canon. regul. lib.* 1. *c.* 4. Andreol. *contr.* 340. cum aliis collectis per modern. Pignatell. in quibusdam collectaneis quibus *consultationum canonicarum* titulum attribuit, *lib.* 1. *cons* 44. ubi latè multa refert, & an id procedat in Canonicis Regularibus Lateranensibus, qui de clero sæculari potiùs censeri videntur, non autem in istis Sancti Salvatoris venientibus sub clero regulari juxtà distinctionem, de qua *d. disc.* 24. *de praem.* (cùm de his adhuc occasio non præbuerit formiter disputare.) 10

Adhuc tamen certum est, quòd admissa etiam ista facultate, illa non solvit à vinculo Religionis, neque religiosum professum efficit clericum sæcularem, sed solùm eum habilitat, ut vivere possit extra claustra in habitu clerici sæcularis, sub jurisdictione Ordinarii, ut quandoque per gratiam specialem aliquibus religiosis concedi solet, ex pio motivo, ut ita miserabilibus conjunctis providere possint juxtà casum insinuatum infra, *disc.* 43. ideòque remanet regularis incapax beneficiorum sæcularium, illis exceptis, quæ per Papam scienter cum dispensatione hujus obstaculi sibi collata fuerint. 11

Et clariùs, quoniam hæc provisio secuta fuit de tempore, quo ipse vivebat in claustris, & in habitu regulari tanquam de Abbatia Religionis, cum prærogativa voti in Capitulo generali, aliisque præeminentiis, quæ competunt aliis Abbatibus Religionis, & consequenter benè intrabat dicta regula text. *in l. si quis conductionis, Cod. locat.* ut Religioni ejus auctrici nô possit religiosus refricare dominii quæstionem, ac objicere de dictæ reintegrationis nullitate, seu inefficacia ex deficiente præsupposito Conventus actualis cum sex ad minus religiosis, quoniam de hoc ad Ordinariũ loci, vel ad alios objicere pertinet; non autem ad ipsum religiosum provisum tanquam de ea prælatura suæ Religionis. 12

Neque alicujus momenti videbatur, quòd hæc provisio non emanasset ab ipsa Religione, sed a Papa, quoniam ut advertitur pluries in sua materia *sub tit. de benef.* recepta est regula beneficialis, quòd Apostolicæ provisiones non mutant statum, nisi ubi de animo immutandi constet; aliud enim ita Papa facere non dicitur, nisi uti ea facultate, quam habet 13

bet præveniendi quemcunque Ordinarium, vel inferiorem collatorem, ut deductis *dict. t. de ben.* præsertim *disc.* 23.
14 & alibi, non autem immutandi naturam, seu qualitatem beneficiorum, vel officiorum regularium, quæ ut in præcedentibus insinuatur, ac in dicta sua materia *de ben.* & in altera *de pensionib.* pluries, ob solemne votum obedientiæ, sunt manualia, & obedientialia, quoties particularis Apostolica dispensatio accedat; Talisque est quotidiana praxis, quod Papa præveniendo electores, solet per breve creare Generales, & Provinciales, vel Abbates, & Commendatarios, aliosque Superiores, & Prælatos locales, sed ubi expressè non dispensat, provisio intelligitur juxta suum ordinarium, ac regularem cursum, officiorum, vel beneficiorum natura non immutata.

ANNOT. AD DISC. XXXVI.

VID. *Annot. ad disc. 64. de benef.*

ROMANA, SEU PAPIEN. TRANSITUS

Ad PETITIONEM

PROCURATORIS GENERALIS MINORUM OBSERVANTIUM REFORMATORUM.

Responsum pro veritate.

De translatione, seu transitu Religiosi professi, ab una Religione ad alteram; An, & quando & quomodo concedatur? Et quid ubi sit unica Religio, quamvis divisa in diversum vitæ institutum, ut sunt Minores Observantes de Familia, & alii Observantes Reformati; Atque sub nomine alicujus Religionis, ad quam transitus concedatur, quænam veniat, si ex illa plures filiales prodierunt.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Transitus à strictiori ad laxiorem omnino prohibitus.*
3 *Quid de transitu à laxiori ad strictiorem.*
4 *In casu transitus faciendus est novus noviciatus cum nova professione.*
5 *De transitu inter Minores Observantes de Familia, & Reformatos.*
6 & 7 *An istæ Religiones sint distinctæ, vel potius habeantur pro unica.*
8 *De alio casu transitus.*
9 *Usus loquendi est attendendus.*
10 *Qui Religiosi veniant sub nomine Religionis S. Augustini.*

D I S C. XXXVII.

1 OCcasione transitus, quem de licentia Ministri Generalis fecerat quidam religiosus Papiensis, à Minoribus Observantibus Reformatis, ad alios Minores Observantes, qui nuncupantur de Familia; Procurator generalis Reformatorum, reputando id reformationi perniciosum, quodque iste transitus esse posset mali exempli, quando non impugnaretur, circa professionis initia meum desuper pro veritate consilium petiit, ad effectum deliberandi, an deberet, impugnando Ministri generalis potestatem, recursum habere ad Sacr. congregationem Regularium.

In Responso autem desuper edito, duas constituebam inspectiones; Unam scilicet retentis terminis generalibus transitus de una Religione ad alteram, cum præsupposito quod illæ sint inter se omninò diversæ; Et alteram, descendendo ad speciem super illo transitu speciali, vel alio simili, inter hos Ordines ejusdem Religionis, quæ unicum habet Ministrum superiorem Generalem, & unicum Capitulum, seu diffinitorium generale.

2 Quatenus pertinet ad primam; Dicebam, quod quidquid ante Concilium Tridentinum, Canonistæ, vel Morales pro consueta varietate teneant; Hodie casus remanet extra quæstionem quoties agatur de transitu à strictiori ad laxiorem, cùm iste fieri non posset, quamvis accedat licentia, seu consensus Religionis, nisi etiam accedat licentia, & authoritas Apostolica, quam nomine Papæ, ea ejus commissione, concedere solet Sacra Congregatio Regularium, ut expressè disponit *S. Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap.* 10. & cæteris relatis habetur apud Barbos. *de jur. Eccles. tit. de transeunt. ad Relig. c.* 42. *n.* 76. ac per omnes alios hujusmodi Collectores, vel Morales passim, quorum authoritas desideranda non est, ubi habemus expressum decretum Conciliare ab inconcussa quotidiana praxi comprobatum.

Ubi verò agatur de transitu ad strictiorem, tunc quæstio videtur potius facti, quàm juris, non de facili recipiens certam, ac determinatam regulam generalem, cuicunque casui applicabilem, quoniam ferè omnes Religiones in hoc habere videntur Apostolica privilegia, sive propria Statuta Apostolica authoritate munita super certa forma desuper adhibenda, qua non servata actus remanet sine dubio invalidus, ex relatis apud Barbos. *d. c.* 42. *n.* 52. *cum seqq.* 3

Ubi verò certa forma præcisa non habeatur, tunc intrat quæstio, de qua apud eundem Barb. *c.* 42. *n.* 57. & 58. Fagn. *in c. ns Religiosi, n.* 70. *de Regul.* & latiùs *in c. licet, eod. t.* Et qui *eod. t. de Regul. in c. ad Apostolicam* planè agit de alia quæstione, an regulares ad laxiorem religionem ejusdem ordinis transeuntes, teneantur iterum profiteri, ac noviciatum peragere, & de quo etiam *disc. seq.* An scilicet sufficiat sola petitio licentiæ à Superioribus laxioris Religionis, quamvis non obtineatur; Et licèt distingui soleat, an verè fiat ex zelo, bonoque spiritu, vel ex alio motivo: Attamen penè nullus est hodie hujus quæstionis casus, cùm ad occurrendum hujusmodi controversiis penè omnes Religiones desuper habeant proprias Constitutiones; Ideoq; ubi pacificus consensus Religionis à qua, non accedat, tunc transitus ad praxim deducibilis non est, nisi cum authoritate d. Sacr. Congregationis, quoniam Superiores strictioris Religionis, aliàs non recipiunt transire nolentem; Id autem in hac facti specie circa transitum à laxiori ad strictiorem obiter deducebatur, cùm posita diversitate ordinum, versaremur in casu converso transitus à strictiori ad laxiorem, qui ex dicto Conciliari decreto remanet extra quæstionem. 4

Descendendo autem ad alterum punctum specialem, Supponebatur, quod difficultas reduceretur ad formam præscriptam per *Constitutionem* 31. Pauli V. §. 6. ubi præscribitur forma concedendi licentiam faciendi hujusmodi transitum ex aliqua legitima causa, cum consensu Custodis, & majoris partis Vocalium custodiæ in Capitulo, seu Congregatione provinciali; Unde propterea ex parte translati prætendebatur, quod si id fieri potest de consensu Custodis, & Diffinitorii particularis, multò magis de consensu, & licentia Ministri generalis, cum ejus Diffinitorio, dum non agitur de transitu ab una Religione ad alteram, quoniam in effectu ista est unica sub unico Ministro generali, & unico, eodemque Capitulo, & Diffinitorio generali, ut pluries agendo de hac Religione, in præcedentibus advertitur. 5

Verùm ubi praxis non esset in contrarium etiam de præsenti, cui tanquam observantiæ interpretativæ deferri debere dicebam; Pro meo judicio contrarium, attento illorum Ordinum hodierno statu, ac regiminis modo, probabilius videbatur, adeòut cum dicta Constitutione Pauli V. procedendum non esset; Siquidem attento tempore quo dicta Constitutio prodiit, isti duo Ordines, magis promiscui erant, atque pro unico habebantur, non solum circa unitatem Capituli generalis cum promiscua coæquali voce activa, & passiva in omnibus Prælaturis, & officiis, sed etiam circa regimen particulare provinciarum, quoniam unicus erat Minister provincialis, atque unicum Capitulum, seu Diffinitorium provinciale, solumque reformati habebant quendam Custodem subordinatum; Hodie verò immutatus est status, quoniam sub Urbano VIII. ad occurrendum inconvenientibus, quæ ex ista mixtura resultabant, ob diversum vitæ institutum, adinstar pluries enunciatæ divisionis factæ per Leonem X. facta fuit formalis divisio provinciarum, ideòque Reformati habent proprias provincias distinctas, cum distincto Ministro provinciali, ac Diffinitorio, adeòut de facto faciant figuram duarum diversarum Religionum, quarum una sit laxior, altera strictior, unde proptereà deplanò intrare videtur dictum decretum Concilii Tridentini. 6

Neque obstare dicebam unitatem Capituli generalis, ac Ministri Generalis, quoniam ut insinuatur suprà, *disc.* 7. sub hoc eodem Ministro Generali sunt multæ congregationes, seu Ordines, in quos ista Religio Minorum divisa est, ut sunt præsertim illi tertii Ordinis extra Italiam, qui sunt calceati, & possident redditus, atque habens longè laxiorem vivendi modum ad instar Conventualium, ipsique interveniunt in Capitulo generali, & tamen absonum esset dicere, quod isti Reformati, vel alii fortè strictioris Instituti, qui habentur in Hispania, Gallia, & Lusitania, aliisque partibus transitum facere possent ad dictum tertium Ordinem, cum 7

similibus; Supponitur tamen quòd aum licentia Generalis iste transitus quandoque practicetur, licèt rarò.

8 In hoc autem proposito, transitus de una Religione ad alteram; In una *Lugd unen.* cùm quidam professus in Societate Jesu à Sacra Congregatione obtinuisset licentiam, servata prius certa forma, transeundi ad quasdam præfinitas Religiones, inter quas erat illa Sancti Augustini, Religiosus autem transitum fecisset ad Religionem Canonicorum Regularium? Dixi consultus pro veritate, quòd iste transitus fuisset illicitus, quoniam licèt Religione Sancti Augustini, sub ab ejus Regula multæ prodierint aliæ Religiones, & Congregationes, tanquam à matre, eodem modo, qui de Religione Sancti Benedicti, & aliis insinuatur suprà *in Mediolanen. disc.* 19.

9 Attamen cùm singulæ Religiones filiales propria habeant vocabula cum diverso habitu, diversoque Instituto, atque per communem usum loquendi, sub nomine Religionis Sancti Augustini, veniat solùm illa Eremitarum primævi Instituti hodie contradistincta in Calceatos, & Discalceatos, seu Reformatos, hinc proinde voluntas Sac. Congregationis, quæ ex Sanctissimi oraculo bana licentiam concessit, regulanda est ab hoc usu loquendi, qui in metienda voluntate generaliter attendi debet *ad not.* per Abb. & Felin. *in proœm. decretals*, Mantia, *dec.* 59. *n* 8. cum aliis plenè deductis per Rotam *dec.* 135. *n.* 4. *&* 5. *p.* 10. *rec* atque frequenter insinuatur *sub t. de fideicomm.* & ferè in omni alia materia;

10 Aliàs etenim fieri potuisset transitus ad aliquam Religionem militarem ab eadem Regola Sancti Augustini derivantem, atque ita Religioso professo in claustrali, & stricta Religione, licitum fieri posset, redire ad sæculum, ac vivere eo modo, quo militarium Religionum professores, more sæcularium vivunt in privatis domibus, quoniam illi quoque, in larga, & generali significatione, desumpta ex Regula originali, dici possent Ordinis Sancti Augustini, quo nil absurdius.

ADNOT. AD DISC. XXXVII. aom seqq.

DE transitu ab una Religione ad alteram in his discursibus contento non adfuit occasio postmodum disputandi; Videri tamen poterunt deducta *in Adnot. ad S. C. T. disc.* 34. *&* 41.

ROMANA REGRESSUS AD RELIGIONEM, PRO URBANO, ET MARIO DE MILLINIS, CUM JOANNE CELSO FRATRE.

Casus disputatus in Rota, non resolutus.

De eadem materia transitus ab una Religione ad alteram; Et quando Sact. Congreg. Regularium absque oraculo Sanctissimi hanc licentiam concedat, & de effectibus hujusmodi transitus. Et in specie si secunda Religio supprimatur, an ille, qui ab alia ad eam transitum fecit, teneatur, necne redire ad primam?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Per transitum ad aliam Religionem, solvitur vinculum primæ.*
3 *Declaratur ubi transitus sit validus, secus autem si invalidus.*
4 *Dari solet, religiosus retenta prima religione, vivat in alia.*
5 *De licentia transitus ab una Religione ad aliam.*
6 *Quando, & quomodo Sacr. Congregatio Regularium id concedat.*
7 *Quæ dicitur Religio laxior, vel strictior.*
8 *Religio, ad quam fit transitus, debet esse probata per Sedem Apostolicam.*
9 *Doctorum assertionibus in iis, quæ facti sunt, non defertur.*
10 *Communis existimatio sufficit; ut pro valida transitu, Religio judicetur probata.*
11 *Quomodo constet de vero, & formali transitu.*
12 *Possunt obstante transitu retineri aliqua vincula primæ Religionis.*
13 *Ex validitate, vel invaliditate transitus resultant ejus effectus.*
14 *De quasi contractu inter Religionem, & professum.*
15 *De conclusione super transitu suorum effectum operativo quatenus sit perpetuus.*
16 *Suppressa Religione, ejus professores, licet vivant in sæculo, adhuc sunt Religiosi.*
17 *Transiens de una Religione, vel Monasterio ad alteram debet denuò facere noviciatum, & professionem emittere cum ampliatione.*
18 *Quando super Noviciatus abbreviatione soleat dispensari.*

D I S C. XXVIII.

JUxta facti seriem recensitam *sub t. de renunciation. disc.* 17. Joannes Celsus, de anno 1615. prævia renunciatione ad favorem ejus fratrum, professionem emisit in Religione Clericorum Regularium Minorum, denique de an. 1639. de licentia S. Congr. Regularium, ac etiam Generalis Religionis transitum fecit ad Congregationem Boni Jesu Ravennæ; Cùmque istam de anno 1651. Innocentius X. suppressisset ex eo præsertim motivo, quòd non benè constaret de ejus fundatione cum authoritate Sedis Apostolicæ, concedendo ejus professis juxtà generalem stylum aliarum Religionum suppressarum, facultatem vivendi in sæculo in habitu, & more clericorum secularium sub Ordinario loci, quadam congrua ex proprii Monasterii redditibus assignata pro substentatione ut in specie de hujus Congregationis suppressione fit mentio *sub t. de locata, disc.* 25. unde propterea Joannes Celsus, suscepto habitu clerici sæcularis, vivendo in Urbe, lites excitasse cum fratribus, tam super renunciatione, de qua *d. disc.* 17. *de renunc* quàm etiam super testata hæreditate alterius fratris defuncti juxtà casum de quo *sub t. de test. disc.* 38. Hinc proinde alii fratres, prætensionem excitarunt, ut ad primam Religionem redire deberet, atque in claustris vivere, Commissisque per Papam omnibus causis *in Rota coram Cerra*, inter alia dubia pro earum diversitate disputata, fuit istud an dictus Joannes Celsus esset solutus à prima Religione, vel potius ad eam redire teneretur, habitaque desuper bina disputatione sub diebus 27. *April.* 1657. *&* 15. *Januarii* 1658. nulla prodiit resolutio, atque ob subsecutam in omnibus concordiam quæstio remansit indecisa.

In disputationibus autem desuper habitis, Scribente hinc inde concordiate videbantur in conclusionibus, seu theoricis juris, ideòque major controversia erat super earum applicatione; Scribentes etenim pro hac parte fratrum petentium regressum ad primam Religionem, admittebamus conclusionem deductam per Scribentes in contrarium, quòd scilicet posito legitimo, ac perfecto transitu de una Religione ad alteram, eo ipso, quod in secunda emissa est professio, solvitur quodcunque vinculum primæ, atque translatus habetur in omnibus tanquam religiosus secundæ, perinde ac si eam ab initio ingressus esset, ut aliis relatis firmant Sanch. *ad præcept. decal. lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 87. Bordon. *de profess. c.* 2. *q.* 72. Castrop. *p.* 3. *tr.* 16. *disp.* 3. *punct.* 17. Barbos. *in collect. ad c. licet*, *de Reg. n.* 28. Bonigl. *de successæ*, 2. *theore* 77. *n.* 14. & alii, qui cum longa superflua serie per dictos Scribentes pro Joanne Celso cumulabantur. 2

E converso iidem Scribentes admittebant conclusionem, seu ejusdem conclusionis limitationem, quam ego & ceteri deducebamus, ut dictos effectus, qui ex translatione resultat, non inferet, ubi transitus non sit legitimus, ac omninò perfectos, tunc cùm paria sint nullum, & nihil, ut firmant Abb. *consil.* 95. *n.* 2. *lib.* 1. Sanch. *ad præcept. decal. dicto lib.* 6. *c.* 7. *n.* 98. *&* 105. *Donat. in prax. rer. Reg. part.* 2. *tr.* 5. *de transeuntibus q.* 52. *n.* 3. *&* 13. & alii, quos forsan pariter aum superfluo labore ad satisfaciendum moderno inepto stylo cumulabamus. 3

Sive ubi, dato etiam transitu legitimo, ac perfecto, constaret de voluntate Papæ, vel alterius Superioris, qui licentiam tribuit, ut translatus adhuc remanere deberet alligatus votis ac vinculis primæ Religionis. Tunc etenim cùm implicare videatur, ut quis eodem tempore duarum Religionum professor existat, atque duplici votorum vinculo adstrictus sit, hinc proinde dicebam, quòd constito de hujusmodi voluntate non solvendi à vinculis primæ Religionis, verè & propriè non esset translatio de una Religione ad alteram, sed potiùs illi religioso continuanti in primævo statu suæ Religionis, concessa fuerit facultas vivendi extra illam, intra claustra alterius Religionis; Si etenim etiam citra casum suppressionis, ut advertitur suprà, *disc.* 36. ac etiam alibi infra, solet quandoque ex justa causa concedi indultum religioso vivendi in sæculo cum habitu sæculari sub Ordinario loci, & tamen remanet verus religiosus, ejus Religionis vo- 4

eis

tis adstrictus, Ita fortiùs non implicat, ut eidem religioso detur facultas vivendi in alia Religione, observando istius institutum pro modo vivendi in iis, quæ sunt compatibilia cum votis Religionis propriæ.

Hinc proinde tota erat quæstio facti, & applicationis, an scilicet iste transitus dici posset validus & perfectus, & quatenus cum sufficienti facultate factus esset, an adesse censeretur dicta voluntas superiorum, ut firmo remanente vinculo primæ Religionis, iste dicendus esset transitus potiùs provisionalis ut suprà, quàm ille omnimodus ac formalis, qui causat dictam totalem dissolutionem primi vinculi,

Prætendebatur autem ex hac parte, dicti transitus nullitas ex duobus fundamentis, Primò nempè, ex defectu potestatis Sacr. Congreg. ac etiam Generalis primæ Religionis concedendi licentiam faciendi hunc transitum à strictiori ad laxiorem; Et secundò ratione deficientis voluntatis, seu falsi præsuppositi, quòd ista esset Religio probata per Sedem Apostolicam, quod in facto supponebatur non subsistere, & consequenter, quòd deficeret extremum habile ad quod; istaque fundamenta examinando.

5 Quatenus pertinet ad primum, dicebam idem, quod habetur insinuatum *disc. præcedenti*, quòd scilicet, quamvis inter scribentes ante Concilium Tridentinum, opinionum diversitas habeatur super ista facultate concedendi licentiam transitus ab una Religione ad alteram; Attamen quæstio sopita fuit per decretum dicti Concil. *sess.25. de Regul. c.19.* quod scilicet, ubi agatur de transitu a strictiori ad laxiorem, tunc soli Papæ id reservatum sit, remanente facultate aliorum superiorum, in casu converso transitus à laxiori ad strictiorem, ut per Navarr. *cons.63. de Regular.* atque agendo in specie de Cardinali protectore habetur apud Grat. *discept. 434. n.21.* & apud Barbos. *loc. cit. disc. præced.*

Clarius verò id comprobari observabam per Constitutionem 64. Sixti V. super erectione hujus Congregationis Regularium, quæ in dicta Constitutione est undecima in ordine, dum ei conceditur facultas concedendi licentias; pro transitu à laxiori ad strictiorem, ideòque denegatur altera in casu converso; Talisque videtur praxis, quoniam licèt etiam in isto casu transitus a strictiori ad laxiorem, id frequentius, ac penè semper, ab eadem Sac. Congreg. concedi soleat, Attamen in isto casu, id non agit ex sola authoritate propria, sed ex illa Papæ, cujus organum ita dicitur; vel quia ad preces volentis transitum facere, Papa negotium remittat eidem sacræ Congregationi, istam facultatem ita ei communicando; vel quia ubi eadem Congregatio, maturè pro stylo, examinato negotio, credat impartitioni licentiæ locum fore, adjici soleat clausula, *si placuerit Sanctissimo*, à quo Præfectus, vel Secretarius, vivæ vocis oraculum accipit, quod in præsenti secutum non fuerat.

Atque ex vulgati recepta axiomate metiendi voluntatem à potestate, advertebam, id secutum non esse, ex præsupposito facto per oratorem, quòd ista Religio, seu Congregatio sit strictior, dum etiam in his disputationibus habitis in Rota, Scribentes pro eo, id sustinere conabantur, deducendo ejusdem Congregationis Regulas fundamentales comprobantes, quòd majora essent onera, & vincula, magisque strictum Institutum, quàm illud primæ Religionis, & consequenter, quòd sacra Congregatio rectè crediderit, quòd dictam licentiam ex propria facultate concedere potuerit.

7 Verùm istud præsuppositum remanebat falsum, & consequenter dicebam, etiam cum aliquo sensu veritatis, ut exinde de plano resultaret transitus invaliditas ex defectu intentionis, qui sine dubio resultare dicitur a falso præsupposito, quoniam licèt in verbis, attenta regula fundamentali, istius Congregationis institutum strictius, magisque rigorosum videretur, Attamen in facto justificabatur, quòd dicta Regula nullatenus servabatur, sed universa Congregatione reducta ad modicum num. 24. virorum, in ea viveretur cum omnimoda relaxatione, more clericorum secularium, quod ansam dedit ejus suppressioni; ideòque in hoc proposito non debet attendi origo, seu primævum Institutum, sed status hodiernus super ejusdem Instituti observantia, vel relaxatione; Fabulosum enim esset dicere, quòd (e.g.) Minores Conventuales, suum strictum Institutum justificare vellent cum primitiva Regula fundamentali ordinata per S. Franciscum, stante subsecuta adeò notabili relaxatione ex privilegiis Apostolicis, cum similibus, ut in specie advertunt Canonistæ in *cap. sanè, de Regul.* præsertim Jo. Andr. n.5. & Abb. n.6. ubi benè advertunt, quòd strictius est Monasterium Religionis laxioris, in quo servetur Regula, quàm illud Religionis strictioris, in quo Regula non servetur.

Nil enim refert, quòd Regula sit stricta, si vita est larga; neque perfectio consistit in Instituto, sed in observantia, seu (ut Morales dicunt) in actu signato, ut cæteris relatis advertit Donat. *rer. regul. tr.5. de transeunt. q.36. n.2. & 54.* Atque ut benè advertit S. Thomas *secunda secundæ, q. ult. art. 8. in fin.* nil refert, quod Religio instituta sit ad officiandum in choro, si ejus professores chorum non adeant.

Quo verò ad alterum punctum, an ista Congregatio dici possit vera, & probata Religio, in qua vota regularia emitti potuerint, adeòut verificabile remaneret extremum habile ad quod, sine quo, absque dubio, verificabilis non est transitus legitimus, qui à prioris Religionis vinculo solvat; Quamvis ex hac parte ad probandum, quòd vere non esset talis, deduceretur Pontificium oraculum, in diplomate suppressionis, in quo asseritur, quòd maturè examinato nego- 9
tio per Congregationem ad id deputatam, compertum fuit istam non esse Religionem à Sede Apostolica approbatam; Attamen reflectendo ad veritatem, mihi videbatur, quòd istud esset fragile fundamentum, quamvis aliquis ex nostris, in eo potissimè insisteret, (talis est ingeniorum varietas,) quoniam per Scribentes in contrarium, ob diligentiam forsan ab ipso principali, cum majori otio adhibitam, fiebat magnus cumulus Auctorum, reponentium istam Congregationem inter Religiones; Et quamvis replicaretur, quod in hoc deferendum non esset attestationibus DD. quorum unus ab altero mutuare solet sub cæca fide, ideòque receptam propositionem habemus; quod DD. assertionibus non defertur in iis, quæ facti sunt, ut præsertim de assertione alicujus Constitutionis Apostolicæ, vel alterius decreti, Rot. apud Bich. *dec. 567. & 626. sub tit. de Caenic. disc. 12.* & alibi pluries, ac propterea magis deferendum esset Pontificiæ assertioni causa cognita; Attamen ad effectum, de quo agebatur, id non intrabat, cùm de anno 1639. in quo ille transitus secutus fuit, communi opinione de facto ista reputaretur probata Religio. 8

10 Potissimè verò, quia talem eadem sacra Congregatio tunc censuit, ideòque intrabat regula, deducta ex vulgari textu *in l. Barbarius, ff. de offic. Præfecti vigil.* ut communis reputatio pro veritate habeatur; Potissimè verò, quia magis pertinet ad sacram Congregationem scire ac indagare, quænam sint Religiones à Sede Apostolica approbatæ necne, quàm pertineat ad privatum religiosum, qui ab adolescentia, in cella & claustris reclusus, hæc verisimiliter ignorat, unde propterea esset eos decipere sub publica fide; Ac etiam quia per Innocentium non fuit positivè declaratum, quòd hæc non esset talis, sed quòd adhibitis diligentiis id non benè certificari potuit, onde propterea hæc dubietas impulsum dedit suppressioni, & consequenter istud motivum non videbatur nimiùm considerabile.

11 Minùsque tutum videbatur alterum supra insinuatum motivum voluntatis sacræ Congregationis non solvendi à vinculo primæ Religionis, sed solùm concedendi provisionalem religiosi moram intra claustra alterius Religionis, quod verè nullam translationem, vel translationis effectum importat; Quoniam motivum verum de jure tollebatur ex facto, ex cujus circumstantiis constabat, quòd ageretur de vero ac formali transitu, cum novitiatu præcedenti, ac formali emissione novæ professionis in illa Religione; Declaratio autem circa retentionem quarti voti, de non ambiendo, quod in ista Religione Clericorum Minorum emittitur, potiùs probabat contrarium ex vulgari axiomate, quod exceptio firmat regulam in contrarium; Ita etenim quoad tria consueta vota omnibus Religionibus communia, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, eis in genere firmis remanentibus, concessa fuit facultas illa servandi, potiùs sub una, quàm sub altera Regula, quod respicit accidentia potiùs, quàm substantiam.

12 Quia verò in hac secunda Religione non emittebatur dictum singolare, ac extraordinarium votum, atque dubium cadere poterat, an transitus ad diversam Religionem, illud solvat, necne; Hinc proinde sacra Congregatio, ad hujusmodi dubium tollendum, hanc declarationem adjecit ut vinculum inhabilitativum ad dignitates in uno statu impressum, adhuc afficeret personam, quamvis ad alium transiret, cum id nullam redoleat incompatibilitatem, ut scilicet profitens in una Religione, ultra vincula & onera, quibus ex ejus instituto omnes alii subjacent, ipse aliud quoque habeat vinculum, quod cum instituto sit compatibile, neque adversetur observantiæ propriæ Regulæ, ut in iis, qui quartum solemne votum in Societate Jesu emiserunt, deindeque ad aliam Religionem transeunt, praxis docet.

Hinc proinde causa pendebat à puncto invaliditatis tran-

situs

situs; Vel ex defectu potestatis Superioris, qui licentiam dedit; Vel ab altero voluntatis, seu falsi præsuppositi ut supra; Posita enim invaliditate, certa remanebat necessitas regrediendi ad primam Religionem, cùm ita deficeret transitus in substantia, perinde, ac si secutus non esset; Ubi verò esset validus, tunc producebat effectum ut suprà, ex eo resultantem omnimodæ liberationis à vinculis primæ Religionis, perinde ac si esset novus, ac integer homo in hac secunda, idcircò istius fortunam, sive bonam, sive malam sequi debuit, nullaque adest ratio, quæ cogat ad redeundum ad primam.

14 Ut enim, advertitur pluries infrà, ad materiam nullitatis professionis, inter Religionem, & religiosum initi dicitur contractus mutuæ, ac vicissitudinariæ obligationis inductivus, quòd scilicet religiosus tenetur vivere in Religione & obedientia ejus regulæ, è converso autem Religio tenetur eum retinere, & sobstentare, nisi incorrigibilitas exigat ejectionem, quæ operatur, ut religiosus, in odiosis remaneat talis, non autem in favorabilibus; Cùm igitur prima Religio istum religiosum jam ab ea egressum, quamvis regredi volentem, invita suscipere non teneretur, ita è converso.

15 Et quamvis ex hac parte, ego & alii, nimium insisteremus in conclusione, quòd transitus de una Religione ad aliam, eatenus solvat à vinculo primæ, quatenus ità sequatur, ut perpetuò in altera permaneat; Attamen quamvis conclusio sit vera, & certa, pariter defectus erat in applicatione, quoniam id procedit, ad effectum ut quis vult transire ad diversam Religionem, teneatur ibi perpetuò profiteri, adeòut mutato solùm instituto, firmus remaneat status religiosus, ne aliàs ita non profitendo in hac secunda, atque solutus à prima, licentiam sibi assumat redeundi
16 ad sæculum; Secus autem, ubi formiter professus est perpetuò permanere in secunda, atque non permanentia non proveniat ex ejus culpa, seu voluntate, sed ex accidenti suppressionis Religionis, per quam professi non efficiuntur sæculares, neque solvuntur à votis, quibus adhuc adstricti remanent, sed solùm eis permittitur vivere in sæculo, & in habitu clerici sæcularis sub obedientia Ordinarii, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Donat. *rer. regul. tom. 1. tr. 8. q. 32. n. 2. & q. 48.*

17 Deducebatur etiam ex hac parte nullitas professionis in secunda Religione ex substantiali defectu, continui & integri anni novitiatus, qui requiritur etiam in casu hujusmodi transitus de una Religione ad alteram, ex deductis ab eodem Donat. *in prax. rer. reg. tr. 5. de transeunt. q. 29. vol. 1.* & per Fagn. *in cap. ad Apostolicam, ex n. 35. de Regul.* Idque verum etiamsi ex origine esset eadem Religio, posteà verò formaliter divisa cum diverso laxiori, vel strictiori instituto, ut (ex. gr.) à Reformatis Discalceati S. Augustini, vel Carmelitarum, ad Calceatus primi instituti laxioris, cùm eadem ineret ratio, dum supponebatur, quòd stetisset in novitiatu solùm per dies quadraginta; Verùm, reflectendo ad veritatem agnoscebam, quòd istud esset fragile motivum, quoniam licèt regulariter novitiatus in nova religione requiratur ad formam Concilii, atque alias professio in ea non bene emitti dicitur; Attamen sacra Con-
18 gregatio passim dispensare solet, aliquo brevi termino contenta, quoties præsertim non agatur de transitu ad strictiorem, magisque asperam vitam, quoniam rigor integri & continui anni, cui regulariter dispensari non solet, procedit, ubi agatur de imprimendo statum regularem in genere, cum formali, ac omnimoda mutatione status irretractabilis, de sæculari in regularem, ac de libero in servum, seu de vivo in mortuum; Secùs autem, ubi isto statu jam impresso, agatur solùm de accidentali mutatione vitæ, potiùs sub una, quàm sub altera regula; Non quòd licitum sit absque dispensatione novitiatum negligere, sed ut faciliùs dispensetur, cum longiori, vel breviori termino, ex arbitrio regulando ex facti qualitate, potissimùm verò ex laxiori, vel respectivè strictiori instituto secundæ Religionis, ad quam fiat transitus; Ex secuta verò concordia super his nulla prodiit resolutio.

NEAPOLITANA TRANSITUS PRO MONASTERIO D. REGINÆ, CUM MONASTERIO SAPIENTIÆ, ET ALIIS.

Casus deputatus in Congregatione particulari, decisus pro Monasterio Sapientiæ, posteà concordatus.

De eadem materia transitus religiosi, vel monialis, de una Religione, seu de uno Monasterio, ad alterum. An ultra effectus spirituales, quod operatur, eosdem operetur, quoad bona temporalia, quæ sequantur personam religiosi; vel potiùs, ea remaneant penès primam Religionem, seu primum Monasterium.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quare non sit deferendum Consulentibus.*
4 *De punctis causæ.*
5 *In claris non intrant quæstiones.*
6 & 7. *De stylo sacræ Congregationis circa transitum monialium de uno Monasterio ad alterum circa dotem.*
8 & 9. *Donationes quæ fiunt per professatum aliis personis, non cessant ob translationem.*
10 *Transitus cum clausula præservativa conservat jura, sed non dat de novo.*
11 *De circumstantia, ob quam transitus non præjudicat primo Monasterio, etiam ubi aliàs præjudicare deberet.*
12 *Donatio non debet causare damnum de proprio.*
13 *In quo consistat doctrina Consulentis, vel judicantis.*
14 *De tractantibus quæstionem, an bona translati sequantur personam.*
15 *Est quæstio decidenda cum distinctione casuum.*
16 *Acquiruntur primæ Religioni ea, quæ intus ipsam Religionem quæsita sunt, & de ratione.*
17 *In patrimonialibus referuntur plures opiniones, & statuitur regula pro secundo Monasterio, & de rationibus.*
18 *Donationes factæ intuitu ingressus in Religionem, quam conditionem contineant.*
19 *Quid ubi agatur de transitu de Monasterio ad alterum ejusdem Religionis.*
20 *Expedit, ut Religiones regatur jure universitatis, & Reipublicæ.*
21 *Quomodo decidi debeat quæstio, de qua n. 19.*

DISC. XXIX.

Eleonora neptis secundo genita ex filio Caroli Gesualdi ultimi Principis Venusini de hac familia, habens dotem ducatorum 100. m. ex dispositione avi, de qua habetur actum *in Venusina legati* coram Coccin. *dec. 439. p. 4. rec. tom. 2.* In valdè tenera ætate, educationis gratia, reclusa in Monasterio Sapientiæ Neapolis arcti Instituti, sub regula S. Dominici, sub regimine autem spirituali Clericorum Regularium, qui vulgò Theatini nuncupantur, vix agens annum decimum sextum, qui ad professionem est necessarius, prævio novitiatu, illam ibi emisit Ante verò professionem, de dicta dote omninò se denudavit, dum detracta dote solita dari Monasterio in modica summa scutorum bis mille circiter, reliquum totum donavit, partim Principi Ludovisio, ejus sororis primogenitæ viro, partim aliquibus Ecclesiis, vel domibus ipsorum Theatinorum, & partim in summa ducatorum 30. m. ipsi Monasterio, ad effectum tamen eos erogandi in constructionem, vel perfectionem Ecclesiæ, reservato usufructu ad favorem Principissæ matris; Cùm autem ad aliquos annos ob infirmam valetudinem obtinuisset à sacra Congreg. Regularium licentiam, cum clausula *sine præjudicio primi Monasterii*, faciendi transitum cum nova dote ad aliud Monasterium nuncupatum D. Reginæ, ejusdem Civitatis, sub regula S. Franc. vel S. Claræ; Hinc emissa professione, eadem monialis, nuncupata Maria Constantia, seu ex ejus persona, secundum Monasterium prætensionem excitavit contra primum, super resolutione donationis, ac pertinentia bonorum; Et quamvis ego ex parte ejusdem monialis, pro veritate consultus, respondissem in contrarium, eam proinde monendo, ut amplecteretur 1

tur satis honestam, ac proficuam sibi oblatam concordiam;
2 Sequendo tamen consilium aliorum, ex delegatione Apostolica causam introduxit coram illo Archiepiscopo, à quo Scribente, præsertim pro ea Borrigl. qui illos labores registravit in ejus *tractatu de success. theorem.* 78 prodiit sententia sibi favorabilis, à qua per primum Monasterium, aliasque Ecclesias donatarias interposita appellatione, & commissa per Papam causa Congregationi particulari, trium doctissimorum nimiùmque qualificatorum Cardinalium Franciotti, Corradi, & Orthoboni, prodiit sententia revocatoria; Commissaque denuò causa alteri consimili Congregationi particulari trium, doctrina, & qualitate patrium Cardinalium, Sacchetti, Albicii, & Paulucii, posterior sententia confirmata fuit, deindeque controversiæ finem dedit concordia, honesta quidem, sed longè inferior illa, quæ ante litem oblata, à me omninò consulabatur.

3 Ex ista præsertim verò causa edocemur, quàm erroneus sit, atque irrisione dignus, adeò frequenter (nunquam tamen satis) declamatus abusus pragmaticus, deferendi sub cæca fide doctrinis, non inquirendo earum fundamenta, vel occasionem, quoniam in occurrentia casus, in quo de hoc articulo disputari contingat, tractu temporis, authoritatem, fortè facient scripta per Borriglier, ubi suprà, & Staiban. jun. *resol.* 125. *& seq.* qui alios cumulant, & præsertim Menoch. *de arbitr. casu* 436. [illegible] ubi latè de hoc agit; Et tamen ea continent fallaciam, non solùm detectam per contrariam causæ decisionem, sed etiam à me insinuatam à primo Responso pro veritate desuper edito, quamvis deinde in toto causæ progressu, ad hujus partis opportunitatem, aliis fortè acrius scripserim tanquam Advocatus, ideòque si mea Responsa ad causam, ut jacent, imprimerentur, quod utique damnabile censeo, deberent adinstar aliorum consiliorum facere authoritatem contra mei ipsius sensum, ac propterea nil isto abusu contemptibilius.

4 Quamvis etenim per Scribentes hinc inde, ab alto, & cum magnis laboribus, tractata fuerit quæstio, frequenter per antiquos, ac modernos Canonistas, ac etiam per Morales tractata; An scilicet monachus, vel monialis transiens de uno Monasterio ad alterum, secum quoque trahat, necne, bona primo Monasterio quæsita ex ejus persona, quam sequi debeant; Nihilominùs pro meo judicio, in dicto primo Responso pro veritate insinuato, iste videbatur improbus labor inanis, ac extra controversiæ necessitatem, vel opportunitatem, ut frequens videtur modernorum Legistarum vitium, cùm ex facto cessaret omnis quæstio; Distinguendo siquidem istam causam in tres inspectiones; Primò scilicet, circa dotem priori Monasterio in ingressu, vel susceptione habitus traditam; Secundò, circa dictam donationem ducatorum 30. m. in limine professionis eidem Monasterio factam; Et tertiò, circa alias donationes factas aliis Ecclesiis.

5 Super prima bonorum specie, nulla cadere videbatur quæstio, utpotè in facto expressè decisa, dum sacra Congregatio, in licentia concessa super transitu, expressè, ac decisivè statuit, ipsamet moniali consentiente, atque id offerente, quòd secundo Monasterio nova dos ex integro dari solita, præstari deberet, absque eo quòd quidquam de prima prætendi posset, atque ita de facto secutum fuit, unde proptereà hoc respectu de plano intrabat sæpiùs insinuata vulgaris regula textus *in l. ille, aut ille, ff. de leg.* quòd in claris, & expressis non intrans quæstiones & argumenta, adeòut omnia, quæ circa hanc primam inspectionem deducerentur, verè inanem, ac evagatorium laborem continerent.

6 Et nihilominùs, ubi etiam hæc expressa determinatio non adesset, idem quoque dicebam, quod in puncto juris verius esset, quoniam ut ad hanc materiam dotis Monialium habetur *sub tit. de dote, disc.* 167. ac etiam advertitur infrà in altera *Neapolitana*, ista dos non præstatur ob admissionem ad Monasterium, vel professionem, cùm id redoleret simoniam, sed præstatur in recompensam alimentorum, aliorumque onerum temporalium, quæ Monasterium in se suscipit pro substentatione monialis; ideòq, ipsa voluntariè ab uno Monasterio exeunte, atque ad alterum transire volente, pro Monasterio sufficit dicere, quòd per ipsum non stat, quominùs alimenta in communi mensa aliarum monialium parata, ipsa suscipiat, quodq; ista summa solvi solita sub nomine dotis rectè dici valeat reciprocus contractus emptionis futuræ incertæ aleæ, quæ æqualiter se habeat ad commodũ, vel incommodum, quoniam monialis potest tandiu vivere cum infirma tamen valetudine, ut Monasterium in ejus sustentatione, ac in Medicinis & famulatu, notabiliter læsum, ac damnificatum remaneat; Et è converso ob celerem ejusdem monialis mortem, citò ab hoc onere se eximendo, potest esse in lucro summæ, quæ sub nomine dotis ita soluta est; Et consequenter nulla subest probabilis ratio repetitionis.

Talisque est praxis ejusdem Sac. Congregationis, quæ 7
pluries ita determinavit, decernendo solùm, quandoque pro ejus arbitrio, quando transitus ab uno Monasterio ad alterum sit justus, vel necessarius, ob infirmã valetudinem, seu ex alio justo motivo, ut teneatur primum Monasteriũ, subsidiariè, & quando aliàs ob paupertatem monialis consuli non potest, illi suppeditare alimenta moderata pro locorum qualitate juxta insinuata *d. disc.* 167. *de dote*, ubi generaliter agitur de hac materia dotis monialium.

Pariter extra casum, seu punctũ quæstionis erat tertia in- 8
spectio, super donationibus scilicet factis aliis Ecclesiis, quæ in hoc proposito reputandæ veniebant tanquam tertiæ, ac omninò extraneæ personæ, quibus volens assumere statũ religiosum, atq; ita se reddere mortuum mundo, & incapacem possidẽdi bona in particulari, ea elargiri voluit, eodem modo quo elargita fuit pars sororis viro, quoniam sicut ista prolana donatio non impugnabatur, neque impugnari poterat, ob transitum de uno Monasterio ad alterum, dum hoc non obstante firmus remanet idem status regularis; ita multò magis quoad donationes pias, in quibus non intrat illa ratio correspectivitatis, quæ intrat in ea donatione, quæ fiat Monasterio, in quo donans profiteri velit, ut infrà.

Et quamvis Scribentes pro hac parte dicerent, quòd ades- 9
set correspectivitas, ex eo quòd Ecclesiæ donatariæ spectarent ad dictos religiosos, qui primi Monasterii spiritualem curam, & administrationem habent; Attamen istud videbatur motivum, quod fabulosum dici merebatur, utpotè nulla probabili ratione, vel authoritate munitum, quoniã dicta cura, vel administratio, esse quidem potuit impulsus, seu motivum, ad contrahendam aliquam affectionem, vel devotionem erga istorum religiosorum Ecclesias, & domos, non tamen exinde inferri poterat ad causam finalem, ac præcisam, adeòut intrarent termini correspectivitatis; ideòque hic punctus pariter videbatur planus, ac extra casum quæstionis, quæ tota proinde restringebatur ad secundam inspectionem; super bonis donatis primo Monasterio.

Verùm pariter advertebam, quòd quæstio tolli videbatur 10
ex facto, ideòque extraneæ remanerent ea, quæ per DD. in hoc articulo disputantur, dum S. Congregatio, stante oppositione primi Monasterii ex motivo deficientis veritatis causæ per monialem narratæ, utrique parti consulere voluit, moniali scilicet potiùs gratiosè, & cum magna difficultate dictum transitum indulgendo; Et Monasterio, ita præservando omnia ejus jura, & præjudicia cum clausula *sine præjudicio*, cujus notoria virtus, & operatio est præservandi omne jus, ac præjudicium, perinde ac si actus non esset secutus, nihil tamen de novo concedendo, quòd priùs non haberet juxta quotidianum, ac notorium axioma.

Et ulteriùs, ubi etiam dicta præservativa non adesset; 11
Adhuc, ex alia facti circumstantia, tolli videbatur necessitas assumendi articulum juris, quoniam non agebatur de donatione simpliciter facta primo Monasterio, quod proptereà fovere diceretur causam lucrativam, adeòut dici posset, quòd donatio contineret solùm expressionem ejus, quod de jure inest, dum etiam sine donatione, per professionem, eadem bona ipso jure acquisita essent Monasterio; Sed erat donatio causativa, ad certum scilicet effectum, erogandi in constructionem, vel perfectionem, aut magis sumptuosam structuram, ac ornatum Ecclesiæ, quod jam ad impletum supponebatur, adeòut, si donatio effectum sortiri non deberet, resultaret damnum, ac jactura de proprio Monasterii, quod rectè dicere poterat, se gessisse partes administratoris, vel executoris voluntatis donatricis, erogando summam donatam, in illam majorem, magisque sumptuosam Ecclesiæ structuram, vel ornatum, quorum neutrum fecisset, eo quòd sibi sufficeret Ecclesia minoris structuræ, vel quod eam perficere distulisset, ut id paulatim commodè agere posset cum fructibus exuberantibus, vel cum piorum elargitionibus.

Quamvis etenim, ipsi effectus donati adhuc extarent, ut- 12
potè consistentes in capitalibus fructiferis, ratione ususfructus adhuc durantis favore matris donatricis, attamen in facto supponebatur, quòd erogatio, & consumptio jam secuta esset in opus destinatum per æquipollens, contrahendo scilicet tot debita adhuc vigentia, pro quorum satisfactione, ista proprietas, assignata, seu destinata fuerat, dilata executione ad tempus consolidationis cum usufructu; Et consequenter Monasterium non contendebat de lucro, sed de damno vitando, & ne aliàs beneficium in maleficium converte-

verteretur, juxta ponderationes, de quibus *in Romana, seu Volaterrana sub tit. de donat. disc.* 43. Istæque circumstantiæ facti erant illæ, quæ me torquebant, inanesque redde-
13 bant labores adhibitos in articulo juris; In hoc etenim consistunt judicium, ac doctrina Judicantis, vel Consulentis, bene scilicet ponderandi circumstantias facti, atque juxta eas applicare, seu regulare conclusiones, vel doctrinas, non autem assumere in abstracto quæstiones Juris, non reflectendo, an theoricæ, vel propositiones, benè congruant, necne, cùm istæ sint partes Scholasticorum, vel Academicorum disputantium in abstracto, non autem forensium disputantium in concreto, quod magis strictè, ac præcisè fieri potest, resecando superfluas evagationes.

14 Quatenus verò pertinet ad ipsum articulum juris in genere; De illo pluries agere occasio dedit, tam pro consimili casu monialium transeuntium de uno Monasterio ad alterum, quàm etiam virorum transeuntium de una Religione ad alteram; Præsertim verò in una *Pragen.* in qua desuper consultus pro veritate, ut cætero stylo satisfacerem, plenè reassumebam quæstionem disputatam per antiquos Canonistas *in c. quod ante, de cleric. conjug.* reassumptam per Capell. Tolos. & ibi Aufrer. *dec.* 39. & per alios moderniores, de quibus Bordigliet. & Staiban. jun. *ubi supra*, Fontanell. *dec.* 226. *& seqq.* Pillicion. *illustr. qu.* 21. *cap.* 10.

Comperi verò, erroneum esse procedere cum generali-
15 tatibus, quoniam verè procedendum est eo modo, quo in omnibus penè forensibus quæstionibus advertitur, cum distinctione, an transitus sit licitus, & perfectus, adeò ut operetur illum effectum, de quo *disc. præcedenti*, vel potiùs illicitus, sive provisionalis, eo modo quo *eod. disc. præced.* advertitur; Isto etenim secundo casu, in quo transitus non sit perfectus, ac omnimodus, tam de jure, quam de facto, tunc quæstio cessat in radice, cùm religiosus perseverare dicatur in primo Monasterio, vel in prima Religione, eaque solum intrat in primo.

Valido autem transitu præsupposito, pariter distinguen-
16 dum est, an agatur de bonis acquisitis per religiosum, intuitu primæ Religionis, vel Monasterii, sive etiam ex ejus labore, industria personali, puta ex prædicationibus in viria, & ex labore in monialibus; Et tunc pariter, quæstio non intrat, quoniam, cùm hujusmodi bona, directè, ac immediatè irretractabiliter acquirantur ipsi Religioni, vel Monasterio, non solùm ob incapacitatem religiosi habendi proprium, nec quidem temporis momento, citra proprietarii reatum; Sed etiam quia, dum ab ea Religione, vel Monasterio, de victu, & vestitu, aliisque necessariis provisus fuit, atque pro frequentiori contingentia, imbutus illa doctrina, vel peritia, quæ fuit causa acquisitionis, verisimiliter aliàs, ex propria persona, in statu sæculari non secuturæ, idcircò justum, & congruum est, ut Religioni, vel Monasterio debeatur, tanquam acquisitio facta ab ejus servo, vel operario.

Hinc proinde restringitur quæstio ad bona patrimonia-
17 lia, sub quorum genere veniunt, non solùm, quæ ante, vel post professionem, ex conjunctorum successione, vel amicorum merè profanis, & personalibus dispositionibus obvenerunt, sed etiam ea, quæ in statu sæculari ex propria industria, vel labore, sive ex beneficio fortunæ parta sint; transitus autem non sit culposus ex parte Monasterii, vel Religionis, neque culposus, sed tamen voluntarius ex parte ipsius religiosi, translati à Superioribus, etiam de consensu primæ Religionis, vel Monasterii.

Et isto casu, quatuor habemus opiniones. Unam scilicet simpliciter, ac indefinitè tenentium partes primi Monasterii, seu Religionis, ea limitatione, quam recipit regula *cum cessante &c.* ubi scilicet effectus est jam consumatus; Cùm etenim ob incapacitatem religiosi professi, in ipso instanti professionis, tanquam per mortem, bonorum dominium acquisitum fuerit Monasterio, ita dicitur consumatus effectus acquisitionis, ideòque cessare non debet, quamvis cesset causa.

Altera est opinio distinguentium inter illam acquisitionem merè causativam, seu accessoriam, quæ ex juris ministerio resultet per professionem; Et illam, quæ etiam ante professionem, proveniat à voluntate professuri, per donationem scilicet ab eo factam juxta casum præsentis quæstionis; Ut uno casu bona abdicentur à primo, atque transeant cum persona ad secundum; non autem in altero.

Tertia est pariter distinguentium, inter proprietatem, & usumfructum, ut scilicet, proprietas remaneat penes primum Monasterium, alterum verò obtinere debeat usumfructum durante vita religiosi.

Et quarta demum est simpliciter, ac indefinitè tenentium partes secundi Monasterii, ut ad illud, cum persona transeant bona; Istaque opinio, in sensu Canonistarum (quibus, quoad ea, quæ ad forum judiciarium pertinent, ex pluries insinuatis magis deferendum est, quàm Moralibus,) probabilior, magisque recepta videtur, eamque secuta est Rota apud Seraph. *decis.* 1361. *& decis.* 109 *&* 155. *p.* 2. *rec.* & in aliis, ea duplici ratione. Primò nempè quod bona dicuntur accessoria, & consecutiva personæ, adeò ut illorum acquisitio dicatur merè occasionalis, vel causativa, cum præsupposito durationis causæ pro toto tempore vitæ religiosi, unde propterea non intret dicta limitatio de effectu jam consumato, cùm procedat in ea consumatione, quæ perfectè secuta sit in ipso instanti, seu momento, absque necessitate perseverantiæ causæ productivæ, sine qua effectus progressum, vel durationem non habeat.

Et secundò in idem, quia, ut in hoc proposito donationum, vel renunciationum, quæ per professurum fiant Reli- 18
gioni, vel Monasterio habetur præsertim in altera *Neapolitana, sub tit. de donat. disc.* 15 hujusmodi donationis, vel renunciationes tacitam, seu implicitam habent conditionem, quatenus donator professionem validè emittat, atque in ea perseveret, cùm aliàs, non secuta professione evanescat, nisi expressè contrarium, ita dispositum sit, quodque dispositio substineatur; Ideòque cùm transitus legitimus, ac omnimodus omninò extinguat primævum statum, fingendo quod in prima professus non fuerit, sed ex integro in secunda, cujus statum, ac fortunam sequitur, ex deductis *d. disc. præc.* Hinc proinde, quemadmodum si professio secuta non esset, vel ea invalida detecta, resolvitur acquisitio, ita ubi ejusdem professionis sequatur dissolutio per eum, qui ad id potestatem habeat, tanquam per speciem resolutionis acquisitionis dotis, vel donationis propter nuptias inter conjuges; ubi de eorum consensu, seu aliàs, ex justa causa, cum authoritate superioris sequatur verum, ac omnimodum divortium vinculi matrimonialis dissolutivum, juxta casum, de quo infrà, *sub tit. de matrim.* cum similibus; Talisque videtur regula, juxta hanc ultimam opinionem, generaliter, ac in dubio statuenda, limitationem tamen recipiens, ubi facti circumstantiæ aliter suaderent.

Procedunt autem hæc, ubi agatur de formali transitu ab
uno Monasterio in alterum, inter quę nulla adsit connexio, 19
sed unum sit ab altero omninò independens, ut pro communi usu etiam hodie sunt Monasteria monialium, atque antiquiori tempore erant Monasteria virorum, juxta insinuata suprà *in Mediolanen. disc.* 19. *& sub tit. de jurisdict. disc.* 28 Et cum quo præsupposito loquuntur antiqui Canonistæ, de quorum tempore etiam in Italia iste usus vigebat, ut etiam hodie viget in aliquibus virorum Monasteriis Germaniæ, Galliæ, & Poloniæ; Secus autem, ubi agatur de transitu religiosi ab uno Monasterio ad alterum ejusdem Religionis, quæ constituat universitatem ex omnibus Monasteriis, vel Conventibus, quodam sociativo jure concurrentibus, tanquam membra, ad efformandum unum corpus sub uno capite, unoque regimine juxta distinctionem, de qua suprà, *d. disc.* 19.

Tunc etenim intrare non videntur isti termini translatio- 20
nis, seu transitus, dum religiosus non immutat statum, vel institutum, quòd omnibus monasteriis, vel domibus regularibus est commune, sed solùm mutat domicilium, juxta illam obedientiariam mutationem, quā praxis moderniorum Religionum Mendicantium, docuit esse saluberrimam pro conservatione ipsarum Religionum, ac disciplinæ regularis, cum frequens experientia doceat, ut religiosus in una Civitate, vel Provincia discolus, & scandalosus, in altera Civitate, vel Provincia efficiatur optimus, & exemplaris, juxta naturalem praxim transplantationis arborū, ac etiam hominum in sæculo viventium, unde propterea etiam antiquæ Religiones monachales hunc usum introduxerunt.

Hujusmodi vero quæstiones, quæ circa bona patrimonialia, vel quęsita contingunt inter ejusdem Religionis Monasteria, vel domos, ubi religiosus de una ad aliam transfertur per hanc speciem translationis impropriæ, ita dictæ per modum loquendi, certam ac determinatam regulam in pūctu juris habere non videntur, sed potiùs decidendę veniunt pro singularum religionum statutis, vel cōsuetudinibus, & an eis in usu sit illa certi monasterii addictio, quæ vulgò inter regulares *filiatio* dicitur; Sive an debeat attendi locus emissæ professionis, vel locus mortis, aut ille, in quo diu, ac pro majori parte vitæ religiosus permanserit, quodq; in dubio deferendum sit juditio ipsius religionis, seu ejus Capituli, vel diffinitorii Generalis, quoniam in hujusmodi Religiu-

gionibus, quæ universitatem constituunt, adeòut dici non valeat, quòd quis sit professus præcisè, ac taxativè in uno monasterio, non professurus in altero, sed profiteatur universæ Religionis, vel Congregationis institutum, quod omnibus monasteriis, vel domibus regularibus sit uniforme, ipseque professus efficiatur merè obedientiarius, ut certum habere non debeat domicilium, sed vivere debeat in loco, in quo superiori eum collocare placebit, ac videbitur; Tunc acquisitio bonorum profitentis, habitualiter fieri dicitur ipsi Religioni in universum, actualis autem applicatio, pendet à futuro eventu, sive à futura contingentia, quatenus ejusdem religionis, leges, vel consuetudines, aliter non suadeant, atque ita super hujusmodi controversiis, quandoque respondere consuevi, ut præsertim infrà *in Licien. disc. 57.*

BONONIEN. CENSUS,

PRO CONVENTU S. DOMINICI BONONIÆ,

C U M N.

Casus disputatus coram Prælato Judice commissario, sub incerto exitu.

De tacita professione resultante à gestatione habitus, & aliisque actibus, qui professis conveniunt, an, & quando sequi dicatur, necne? Et de differentia inter casum, in quo nullius expressæ professionis actus accedat, vel probetur; Et alterum, in quo accedat, sed nulliter, unde per professionem tacitam inferatur ad sanationem.

Et an nullitas professionis allegari possit à tertio, si ipse professus usque ad obitum in Religione perseveravit?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De distinctione, an, & quando per gestationem habitus resultet tacita professio?*
3 *In specie de Religione Hierosolymitana.*
4 *De Monialibus.*
5 *In quibus Concilium Tridentinum innovaverit dispositiones Canonum.*
6 *Distinguuntur casus ad effectum, de quo n. 2.*
7 *Quare hodie non detur de facili casus hujus professionis tacitæ.*
8 *Lapsus quinquennii inducit præsumptionem tantùm contraria probatione elidibilem.*
9 *De domicilio, quando dicatur contractum necne.*
10 *Quare in casu expressa professionis non resultet illa ratificatio, qua alias ex gestatione habitus resultaret.*
11 *Quid ubi de professione agatur incidenter ad effectum successionis,*
12 *Quando nullitas a tertio allegari possit.*
13 *Professio ante legitimam ætatem emissa ex causa devotionis, & indulgentiarum, habetur ad alios effectus pro non facta.*
14 *De quæstione, an, & quando Novitio decedenti in Religione cum animo profitendi succedat Monasterium?*

D I S C. XL.

1 Ex pecuniis paternæ hæreditatis ejus, qui suscepto habitu S. Dominici in Civitate Bononiæ, novitiatum peragebat, creatus fuit controversus census, super cujus pertinentia, secuta morte creditoris, ad biennium post emissam professionem, orta fuit quæstio inter ipsum Conventum, in quo creditor, seu dominus obierat, & ejus venientes ab intestato, prætendentes, quòd ille mortuus esset potiùs in statu sæculari, seu novitii ob professionis nullitatem, cùm detectum esset, quòd ea emissa fuisset, adhuc non expleto ætatis anno decimosexto requisito per Conc. Trid. sub decreto annullativo, de quo *disc. seq.* Introductaque desuper causa in partibus, prodiit sententia favore venientium ab intestato, quæ in gradu appellationis, cor. A.C. revocata fuit, ab alio tamen Judice commissario, (cor quo tantùm, ac semel pro Conventu scripsi) prævia infirmatione secundæ, prima confirmata fuit, incertumque est qualis fuerit causæ finalis exitus, quem probabiliter credo per concordiam, dum de illa amplius actum non audivi.

Non potui autem desuper maturum judicium efformare, dum jurium alterius partis communicatio secuta non fuit, minùsque habita disputatio formalis in contradictorio, unde propterea audiri potuerint alterius Partis fundamenta, sine quorum notitia non de facili tale judicium efformari potest.

Scribendo igitur more Advocati ad causæ opportunitatem, dicebam, quòd ubi ageretur de illa Religione, in qua habitus novitiorum est diversus ab illo professorum, ut (ex. gr.) est Religio Hierosolymitana, tunc nil refert, quòd novitius, etiam post expletum annum novitiatus perseveret in Religione per quantumvis notabile tempus, eodem novitiorum habitu retento; Secùs autem ubi hæc difformitas habitus non adsit, sed idem sit ille professorum, ac novitiorum, ut contingit in omnibus ferè Religionibus claustralibus, quoniam tali casu, si post legitimè peractum annum probationis, ac expletam ætatem, quæ ad professionem necessaria est, ille continuet in retentione habitus, ac in exercitio actuum, qui religiosis professis conveniunt, inducitur professio tacita, juxta text. *in cap. ex parte de Regular.* cum concordantibus relatis per Menoch. *lib. 4 præsumpt. 84. n. 7. & cons. 396. n. 11. & seqq.* Donat. *rerum regular. tom. 1. tit. de profess. solemn. quæst.* 23. ubi in puncto de hac Religione Dominicana, ut habitus sit indifferens, prout in viris regularibus Religionum claustralium videtur generale, dum hæc differentia dignoscitur in militaribus, præsertim in insinuata S. Joannis Hierosolymitani, in qua plures se nesciunt in statu novitiorum, quia non expediat castitatis voto se adstringere, ne incurratur inhabilitas in successionibus feudorum, vel contrahendi matrimonium &c. Ac etiam dignoscitur in monialibus, in quibus diversus est habitus novitiarum ab illo professarum. 2 3 4

Neque dictæ Decretalis dispositio correcta, seu alterata videtur per Concil. Tridentinum, quoniam, ut constat ex iis, quæ habentur infrà *discursibus sequentibus*, innovatio à Conc. inducta, consistere videtur in duobus. Primò nempè in ampliatione ætatis ad alios duos annos post pubertatem; Et secundò in anno probationis continuo, & non interrupto ita dirimendo quæstionem, quæ vigebat super conjunctione temporum, de qua infrà, *disc. 46.* In reliquis autem firma remanent ea, quæ per Canones disposita sunt, ut per Navarr. Rodriq. & alios apud Donat. *dict. tract. 10. de profess. solemn. quæst. 21. tract. 11. de reclamat. quæst.* 3. Et consequenter cùm iste religiosus peracto anno novitiatus, atque expleta ætate 16. annor. per aliud biennium in Religione continuasset, gestando habitum, ac gerendo omnia alia, quæ per alios religiosos fiebant, ita dicebam, quòd de plano intraret dispositio dictæ Decretalis. 5

Verùm reflectendo ad veritatem, ubi ista quæstio esset principaliter super statu professo cum ipsomet se allegante non professum, ad effectum obtinendi libertatem redeundi ad sæculum; Advertebam quòd dictæ Decretalis dispositio non intraret; Siquidem duo casus in hoc proposito distinguendi videntur. Primò nempè, ubi post expletum annum novitiatus, nullus explicetur professionis actus solemnis, ac explicitus, unde propterea ea deducatur tacitè ut suprà. Et secundò, ubi fiat quidem actus expressus, ac solemnis, sed ille sit invalidus, utpotè adhuc non completa ætate necessaria, ut in præsenti, sive ex alio defectu. 6

Primus casus, de quo propriè Decretalis loquitur, nimiùm rarò ad praxim videtur hodie deducibilis, quoniam ex omnium ferè Religionum lege scripta, vel non scripta, non datur casus professionis tacitæ, ob certam præfinitam formam, vel solemnitatem, quæ adhibenda est, præsertim circa præviam acceptationem Capituli Conventualis per vota secreta, nisi concurrat lapsus quinquennii præfiniti à Conc. Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 19.* seu accedant alia adminicula benè concludentia reciprocum consensum tam ipsius religiosi profitentis, quàm Religionis eum recipientis, cùm iste dicatur mutuus, & correspectivus contractus, qui utriusque consensus conjunctionem exigit ob reciprocam utriusque contrahentis obligationem, adeòut quidquid more consulentis, ingenium acuendo, probare conetur Menoch. *d. cons. 396.* ubi agit de tacita professione in moniali, nimiùm difficile videatur id ad praxim reducere, præsertim ante lapsum quinquennii; nisi hujus reciproci perfecti consensus probatio saltem adminiculativa accedat. 7

Quamvis etenim Conc. Trident. loco supracitato, tam in isto casu, quàm in alio sequenti prædictum terminum statuat; nihilominus ut firmatur præsertim per Rotam *in Ulyssiponen. nullitatis professionis 19. Januar. & 10. Decemb. 1646. coram Arguelles impress.* apud Dian. *par. 9. dec. 1. & 2.* atque alibi advertitur, iste terminus non inducit certam, ac determinatam probationem, sed solùm quandam vehemen- 8

mentem præsumptionem, contraria tamen probatione, etiam adminiculativa elidibilem, tam ubi clapsum sit quinquennium, ut eo non obstante allegari possit tacitæ professionis exclusio, juxta casum, de quo *disc. sequenti*, & patet ea casu, de quo agitur *sub tit. de benef. disc. 75.* ubi quòd non obstante probata decennali permanentia in Religione, adhuc difficile erat concludere professionem; Quàm etiam adhuc dicto termino non lapso, per ejusdem professionis inclusione, quoniam cùm super hac probatione non habeatur forma præcisa, nil prohibet eam fieri posse per modos, vel species à jure inductas, unde propterea dictus terminus sit quædam norma in dubio.

9 Ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de praeminentiis, disc. 35. & seqq. & sub tit. de Canonic. & Capit. disc.* 21. super domiciliaria civilitate contrahenda per decennalem habitationem, quoniam ista est præsumptio, contraria probatione, vel fortiori præsumptione eligenda, vel supplenda, quòd scilicet possit quis in loco habitare per tempus longissimum, & tamen non contrahere domicilium, & è converso possit cum brevi mora illud acquirere ob declaratam voluntatem, aliasque probationes, cum similibus.

Quidquid autem sit de isto primo casu, in quo hæc obiter insinuantur pro ejus contradistinctione ab altero, in quo propriè versabamur, quòd scilicet expressa professio emissa esset, sed nulliter, unde propterea deducatur ratihabitio sanativa nullitatis per subsequentem continuationem in Religione juxta casus, de quibus infrà, *disc. seq.*

10 Absque dubio iste casus est longè difficilior, ex duplici consideratione. Primò nempè quia ex continuatione gestationis habitus, ac exercitio illorum actuum, qui professis conveniunt, non potest ita inferri ad tacitum reciprocum consensum, seu contractum, ut infertur in casu præcedenti, dum id secutum fuit ex præsupposito, quòd ille esset jam expressè professus, stante subsecuto actu expressè solemni. Et secundò in idem quoniam juxta ea, quæ pluries habentur *sub tit. de alienat. & contract. prohib.* & alibi, ad effectum inducendi ratificationem sanativam nullitatis, necessaria est scientia ejusdem nullitatis tam in facto, quàm in jure, cùm alias animus trahi non valeat ad ignorata, atque actus subsecuti rectè dici valeant æquivoci, seu gesti cum falso præsupposito, quòd religiosus se crediderit, vel è converso Religio eum judicaverit validè, ac legitimè professum.

Et consequenter (applicando ad rem,) cùm neque dicta præsumptiva adesset probatio, quæ resultat à lapsu quinquennii, neque alia urgerent adminicula, difficile opus videbatur hanc tacitam professionem sustinere per solam continuationem biennalem in statu ante Ordines sacros, in quo statu in hac præsertim Religione, etiam solemniter, ac validè professi, more novitiorum vivere videntur, atque parùm fortèque nihil ab eis differre.

11 Difficultas verò, quæ in ista causa maturè examinata non fuit, neque adhuc occasio dedit eam examinandi, in eo consistebat, quòd non agebatur de professionis nullitate, seu validitate principaliter inter Religionem, & professum, sed incidenter ad effectum intestatæ successionis cum legitimis hæredibus, hanc nullitatem allegantibus, an scilicet ipso religioso usque ad obitum in eo statu perseverante absque aliqua contrariæ voluntatis declaratione, ipsaque Religione eum professum asserente, licitum sit tertio hujusmodi nullitatem allegare.

12 Et quamvis adhuc anceps remanerem; Attamen generales propositiones, quas habemus in ista quæstione, an scilicet nullitas allegari possit à tertio, mihi inferebant difficultatem contra Religionem, seu Conventum, quoniam juxta receptam distinctionem, de qua pluries in sua materia *sub tit. de alienat. & contract. prohib.* tunc nullitas à tertio allegari non potest quando non est inducta ipso jure, sed ope exceptionis; secùs autem ubi adest expressum decretum irritans, quod ipso jure inficiat, ut in præsenti contingit, ex decreto Conciliari, ubi professio emittatur ante legitimam ætatem, ut in specie *disc. seq.*

13 Et magis proximè, quoniam juxta plures declarationes Sacr. Congregationis relatas per notos earum Collectores, quos hodie frequentes habemus, etiam expressa professio, quam novitius, vel novitia moriens de consensu Religionis, vel Monasterii emittat ante legitimam ætatem, ac annum probationis, aliaque servari solita, vel debita, non suffragatur adhuc ne effectum successionis, vel lucri dotis datæ in ingressu, ut etiam fortè advertitur *sub tit. de dot. disc. 167.* ubi generaliter de dote monialium, quoniam ista professio sequi dicitur potiùs ex devotione, & pro indulgentiis, & consequenter quòd non professus obierit in eo statu, non videtur hujusmodi novum contractum revalidativum concludere; Adhuc tamen reservo maturiùs cogitandum.

De hoc autem agit præ cæteris Menoch. *de arbitr. casu 436. præsertim n. 12. & seqq.* & aliqua insinuatur occasione dotis monialium *dicto disc. 167. de dote.*

ANNOT. AD DISC. XL. cum seqq.

NUlla pariter adfuit occasio postmodum disputandi circa materiam validitatis professionis, de qua agitur in his discursibus; Insinuantur tamen aliqua *in ejusd. Adnot. ad S.C.T. disc. 39. & 41.*

Decisio prodita in casu, de quo *disc. habetur impress. part. 13. rec. dec. 211.*

ROMANA NULLITATIS PROFESSIONIS, PRO CONGREGATIONE CASSINENSI,

C U M N.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Regularium, & resolutus ut infrà.

De professione emissa ante annum decimum sextum, cum dispensatione Apostolica, an dicatur valida, vel invalida; Et quatenus invalida sit, an, & quando per diuturnam continuationem in Religione cum susceptione ordinum inducatur ratihabitio sanativa, seu nova professio; Et de forma tenenda in judicio nullitatis professionis, ad præscriptum Concilii Tridentini.

Et incidenter, an annullata professione, bona interim quæsita, & possessa per religiosum, ei restitui debeant, vel remaneant penes Religionem, vel Monasterium?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Quare superiores Regulares debeant esse faciles in his causis nullitatis professionis.*
3 *Papa potest solvere religiosum à vinculo.*
4 *De ordine judicii in hoc servando.*
5 *Stylus est Curiæ etiam occasione incidentium agendi de meritis causæ.*
6 *De punctis causæ.*
7 *Justa causa excusat à temeritate.*
8 *De forma præscripta à Concilio.*
9 *Quid operetur an habitus temerè sit dimissus necne.*
10 *De ratione ob quam demandatur reassumptio habitus, & reditus ad claustra.*
11 *De lapsu quinquennii quid operetur, an, & quando competat restitutio in integrum?*
12 *Quomodo cognoscatur, an hæc restitutio concedi debeat?*
13 *De eodem, & de stylo, qui desuper tenetur.*
14 *De ætate, quæ de jure communi necessaria est ad professionem.*
15 *De eodem, & quæ regula teneri debeat.*
16 *Quomodo lex positiva in spiritualibus attendi debeat.*
17 *Laudatur major ætas ad professionem.*
18 *Ætati ampliatæ per Concilium Papa dispensat.*
19 *Quomodo procedatur in quæstione voluntatis.*
20 *An, & quando gratia præsumatur obtenta per oratorem?*
21 *De mandato præsumpto.*
22 *De aliis argumentis voluntatis.*
23 *Susceptio ordinum inducit tacitam professionem.*
24 *Annullata professione, an, & quæ bona professus recuperet?*

D I S C. XLI.

APostolicâ authoritate per literas in forma brevis, dispensatione concessa super aliquibus mensibus, qui adhuc deerant ad complementum ætatis 16. annorum per Sac. Conc. Trid requisitæ, completo jam anno probationis, aliisque servatis, quæ de jure, vel consuetudine servanda sunt, in Monasterio Sublacen. professionem emisit N. qui deinde suis temporibus, ad paupertatis, ac Religionis titulum ad sacros Ordines promotus fuit, pluraque in proprio Monasterio Urbis munera gessit in statu professi, continuato spatio annorum circiter duodecim; Deinde verò mutato consilio, cupiens ad sæculum regredi, in quodam remoto Monasterio ultra, vel propè montes, ubi ex electione, vel Superiorum præcepto moram trahebat, coram Ordi- 1

natio loci, illiusque Monasterii Superiori, adversus professionem provocavit, obtentaque ab eis sententia super ejus nullitate, utpotè amissæ ante ætatem à Concilio præfinitam, ad sæculum rediit; Agnoscens verò gestorum insubsistentiam, à Sac. Congregatione Regularium ex Pontificio oraculo obtinuit, ut juxta formam Conciliarem, absque necessitate reassumendi habitum, ac redeundi ad claustra, ejusdem nullitatis causam instituere, ac prosequi posset coram Vicario Urbis, & Superiore proprii Monasterii; Cùmque se opponeret Religio, assumpta fuit disputatio in eadem Congregatione, an constaret de temeraria dimissione habitus, quod negativè resolutum fuit; Deindeque à Judicibus prædictis super nullitate prodiit sententia, à qua commissa fuit causa appellationis in Rota, ubi tamen (me quoque consulente) causa ulteriorem progressum non habuit, ob Religionis acquiescentiam, eaque stante, postmodum omnis defectus, hujus regressus ad sæculum, Apostolica authoritate sanatus, vel suppletus fuit.

2 Libenter autem Religioni, pro qua scribebam, consului acquiescentiam, quinimò, ut in ipsamet prima instantia frigidè se opponeret, quoniam pro meo sensu, saluberrimum religionibus videtur egressui ostium apertum, vel facilè, perniciosum autem è converso, illud rigorosè clausum retinere, ob axioma, seu dicterium, *ut morbida facta pecus &c.* Potissimè verò, dum ob jam notam Pontificis propensionem, ex personali affectione, cum ejus potestate sanandi, vel supplendi quemcunque defectum, cùm enim id non sit de facili cum aliis practicabile, ita cessabat inconveniens mali exempli, atque consultum remanebat conscientiæ; Cùm dubitandum non sit de potestate Papæ dispensandi, etiam gratiosè hujusmodi votis regularium, atque religiosum quamvis validè professum, restituendi primævo statui sæculari.

3

4 Nimiùm verò displicebat ordo, seu judicii modus desuper tentus, neglecta scilicet forma per Conc. Trid. præscripta *sess. 25. de Regul. cap. 19.* ob malam introductionem, adeò ut minùs præjudiciale fuisset gratiosè dispensata, dictamque restitutionem concedere, quàm hanc viam aperire.

5 In dispositionibus autem habitis in Sac. Congregatione, super dicto dubio temerarii egressus, de toto causæ statu quoque actum fuit, ex Curiæ stylo, præsertim in his Sacris Congregationibus, in quibus absque tela judiciaria proceditur, agendi etiam de meritis negotii principalis, quamvis esset quæstio super aliquo incidenti, pro istius meliori regulatione quatuor fuerunt puncta. Primò nempè, an constaret de temerario egressu. Secundò super forma judicii habendi

6 coram Ordinario, ac superiore loci an scilicet stante lapsu quinquennii, audiri posset, & quomodo: Tertiò super ipsius professionis validitate, vel invaliditate. Et quartò, posita etiam nullitate professionis expressæ, an adesset professio tacita.

7 Quatenùs pertinet ad primum; Quamvis Scribentes pro ipso religioso actore nimiùm insisterent in propositionibus generalibus super qualibet causa justè opinata, quamvis talis non esset, excusante à temeritate & delicto; Ac propterea admitterent quidem invaliditatem dictæ sententiæ obtentæ ab Ordinario, & Superiore Monasterii, in quo accidentaliter morabatur, cùm Concilium disponat, ac passim interpretatum sit de Ordinario, vel Superiore Monasterii proprii, attamen id saltem sufficere deberet Religioso subtilitatum juris ignaro ad justam excusationem inducendam.

Dicebam tamen scribens pro Religione, quòd hic erat labor inanis, ideòque incongruum esset hoc dubium extra causæ opportunitatem, cùm pro meo judicio præcisus punctus esset secundus super ordine, seu modo tenendo.

8 Siquidem ad tollendas tot disputationes, diversasque opiniones Canonistarum, & Moralium, quæ in hac materia habebantur ob diversam Religionum, vel locorum praxim, unde propterea inconvenientia in dies resultabant, legem generalem Concilium à *sess. 25. cap. 19.* cum certa forma præscripsit, ut scilicet regularis professus, qui de suæ professionis nullitate objicere velit, non audiatur nisi infrà quinquennium, dictoque termino adhuc durante, si habitum dimiserit, audiri non valeat, nisi ad Monasterium cum habitu redeat; itaque causa cognosci non possit nisi conjunctim per Ordinarium loci, & Superiorem Monasterii, in quo professus est, ut de hujusmodi tribus requisitis communiter agunt Scribentes post Concilium relati per Barbos. *in glos. ad idem cap. 19.* inter quos de illis omnium latius, ac melius agit Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 37.*

9 Hinc proinde, quando sive temerè, sive non temerè, habitus dimissio secuta sit, cum egressu à claustris, cùm indefinitè præscribatur forma, ac prohibeatur professum audiri, nisi ad claustra redeat, atque habitum reassumat, ideò ista forma impleri debet, non curato modo priùs tento. Qualitas autem criminosa, alium non operatur effectum, nisi illum rigoris, qui adhiberi solet super formali carcere ob apostasiæ, seu temeritatis, ac inobedientiæ reatum, donec causa nullitatis cognoscatur.

Et consequenter dicebam, quòd hæc disputatio super temerario egressu, inanis erat, quoniam Religio non prætendebat dictum rigorem adhibere, sed solum ut servaretur forma reassumptionis habitus, ac regressus ad claustra, quæ servari debet, quamvis ex justa causa id secutum sit, adeò ut fingendum sit, ac si nunquam habitus fuisset dimissus, minusque secutus aliquis egressus. Ideòque non videbatur, qualis esset hujus disputationis effectus; Ex quoque nimiùm probabili ratione accedente, ob quam reassumptio habitus, atque regressus ad claustra omninò demandari debet, ne scilicet aliàs religiosis sub hoc prætextu concedatur licentia vivendi extra claustra durante lite, quæ ita in longum protrahi posset, quamvis agnosceretur, quòd litis eventus futurus esset malus, dum ita obtineretur intentum vivendi interim in sæculo. 10

Prætereà ex dictis tribus requisitis, non solùm obstabat istemet reassumptionis habitus intra claustra, sed etiam alter lapsus quinquennii, imò decennii & ultra; Quamvis etenim super utroque obtentum esset dictum rescriptum Sacræ Congregationis, in hoc tamen dicebam, quod malè processum esset, ideòque dictum rescriptum revocari debuisset, utpotè inaudita Religione obtentum, ob malum exemplum, malamque introductionem, contra inveteratam receptissimam praxim. Siquidem, ubi lapsus quinquennii accedit, per quod Conc. Tridentinum inducit, seu præsumit quandam tacitam professionem, seu revalidationem, cujuscunque defectus, quo emissa professio laboraret, tunc quæstio est inter DD. an adversus hujusmodi temporis lapsum ex aliqua justa causa concedi debeat, necne in integrum restitutio; Atque una opinio simpliciter tenet negativam, quasi quòd iste terminus inducat quandam præsumptionem juris, & de jure dictæ tacitæ professionis, seu ratificationis, quæ non admittat probationem in contrarium; Sive quòd idem tempus inducat quandam præscriptionem peremptivam hujus actionis dicendi de nullitate, ex deductis per [illegible] *de resignat. lib. 13. qu. 5. n. 46.* & plenè Sanch. *d. qu. 37. num. 21.* ubi de pluribus istius opinionis fundamentis. 11

Quamvis autem contraria opinio probabilior sit, magisque recepta, ut scilicet istius termini lapsus simplicem juris præsumptionem inducat, contrariæ veritatis probationi eludibilem; sive quod adversus hanc præscriptionem restitutio in integrum concedenda sit, quoties tamen justa causa accedat, juxta terminos generales, quos habemus in materia restitutionis in integrum ex clausula, *si qua mihi &c.* etiam adversus longissimi temporis præscriptionem, omniaque alia præjudicialia, ex relatis per Sanch. *d. qu. 37. n. 22.* & Barbos. *ad idem decretum Concil. n. 8.* atque hanc pluries firmavit Rota, præsertim *in Ulyssiponen. nullitatis professionis 19. Januarii, & 10. Decemb. 1646. coram Arguelles impress.* apud Dianam *resolut. moral. part. 9. dec. 1. & 2. & in Bononien. nullitatis professionis 5. Maii 1660. coram Bevilaqua* adita in casu, de quo infrà, *disc. 44.* 12

Attamen non pertinet ad Judices de hujus restitutionis in integrum concessione cognoscere, vel judicare, cùm id privativè pertineat ad Papam, qui eandem restitutionem concedere non solet, nisi prævia consultatione Sacræ Congregationis Concilii, cui frequentiùs commissiones super hujusmodi restitutionis petitione dirigi solent; Licèt quandoque, sed nimium rarò, etiam huic Congregationi Regularium directæ fuerint; Ac propterea, in una, vel altera Congregatione, assumitur formalis disputatio, an constet, necne de sufficienti causa dictæ restitutionis; Itaque consultatione accedente signatur commissio, directa præfatis Judicibus à Concilio demandatis. 13

Quinimò, quandoque neque simpliciter remittitur commissio dictæ Congregationi, sed Religioni, vel parte interessata audita, præcedere solet formalis disputatio in plena Signatura Gratiæ, ut præsertim contingit in commissionibus, quæ proponuntur per professores in Religione Hierosolymitana, ut practicatum fuit in duobus casibus, de quibus infrà, *disc. 45. & 46.* adeòut quandoque etiam dicta remissio denegetur, atque commissio simpliciter rejiciatur, quia nempè justæ causæ vehemens fumus non detur.

Atque ad hunc effectum, in hujusmodi disputationibus, quæ habeantur in Signatura Gratiæ, vel in Congregatione Concilii agitur quasi ex professo de ipso puncto principali nullitatis, seu de meritis causæ, adeòut, quando prævia 14

hac

hac formali cognitione, emanat judicium Congregationis super confessione restitutionis, multòque magis, ubi illud sit geminatum, prius scilicet plenæ Signaturæ Gratiæ, deinde Congregationis, tunc apud Judices, causa videatur frequentius decisa, eorumq; processus quodammodo ræterminales; Licèt quandoque, sed rarò, diversus sit eventus, cum formales probationes coram eis fiant, dum Signatura, vel respectivè Congregatio quendam probabilem, sive sufficientem fumum attendit, ex quo non fiunt processus formales; Ac propterea ad hunc effectum in ista controversia, etiam occasione disputationis dicti incidentis, deducebantur merita causæ principalis, ut ita dignosceretur, quòd malè processum fuerat, ideòque revocandum esset dictum rescriptum, ac demandanda observantia hujus formæ, seu praxis.

Quatenus igitur pertinet ad dictum tertium punctum, validitatis, vel invaliditatis professionis de per se consideratæ, præscindendo à motivo tacitæ professionis, seu ratificationis; Non negabant, quòd seclusa dicta dispensatione Apostolica, nullitas esset indubitata, ob expressam dispositionem Concilii Tridentini, cum decreto annullativo; Prout è converso Scribentes in contrarium non negabant, quòd ubi constaret de voluntate professi obtinendi dictam dispensationem, ejusque vigore profitendi ante tempus, quòd validitas esset indubitata & meritò.

Siquidem in jure expressè cautum non est, qualis ætas
15 necessaria sit pro solemni emissione votorum Regularium, unde propterea, ex magis communi, ac recepto sensu, proceditur cum regula generali, quam habemus in omnibus humanis actibus viventium, ac morientium, qui à voluntate pendeant, ut sufficiat illa ætas, in qua voluntatis perfectæ exercitium, vel sufficiens judicium, à lege præsupponitur, adque regulariter procedit, ubi post completam pupillarem ætatem pubes quis dicitur habilis ad testandum & contrahendum, ut in his terminis professionis regularis, quòd de jure ætas quatuordecim annorum completorum sufficiat, firmant magis communiter DD. relati per Sanch. *ad præcept. decal. lib. 5. cap. 4. n. 2.* per text. *in cap.* 1. *& cap. ad nostram, de Regular.* cum ibi notatis.

16 Benè verum, quòd eodem modo, quo habemus in matrimonio carnali, ac etiam in votis non solemnibus, necnon super observantia juramenti in contractibus profanis interpositi, ista ætas præfinita est per legem civilem, quæ in his materiis spiritualibus nullam habet potestatem, ideòque per Canones, & Canonistas, ac Theologos, circa istam ætatis præfinitionem, ea recepta est, potiùs ex ordine naturali, cui juxta magis communem hominum usum, innixa est, ita statuendo hanc regulam generalem, præsumptivam potiùs, quam certam determinationem inalterabilem; Ideòque est præsumptio juris, elidibilis per contrariam veritatem, cui dicta præsumptio semper cedit. Si enim agatur de puero procacis ingenii, in quo natura judicii perfectionem acceleraverit, eodem modo quo circa matrimonium carnale habemus de malitia supplente ætatē, tunc nil prohibere videtur ut etiam ante completam ætatem pupillarem, iste cōtractus spiritualis fieri valeat; Et è converso, si adeò tardi, vel hebetis ingenii sit, ut etiam in ætate 15. vel 16. annorum, ad-
17 huc dici valeat puer, non habens perfectum velle, vel nolle, tali casu non videtur hæc major ætas considerabilis, quoniam procedendum est cum adeò frequenter insinuata propositione, quæ à Judicantibus & Consulentibus perpetuò, ac principaliter præ oculis habenda est, quòd scilicet lex non est imposita verbis, sed rebus; Ideòque immorandum non est in solis formalitatibus more judaico, sed inspici debet finis, vel effectus à lege consideratus, seu volitus, ubi præsertim agitur de hujusmodi actibus spiritualibus, qui cum Deo fiant, in quibus sola veritas naturalis attendenda est, lex autem positiva est solùm ministra, statuendo certum tempus, vel certam formam pro quadam regula desumpta ex magis communi usu, ad resecandas lites, ac dubitationes, non autem ut contraria veritate naturali accedente, ista prævalere non debeat, ut in proposito ultimatum voluntatum ad pias causas habetur pluries *sub tit. de testam.* ac etiam in proposito donationis, vel renunciationis factæ per ingressurum Religionem in ætate pupillari, advertitur *sub tit. de donat.* sive sub altero *de renunc.* cum similibus.

18 Ampliatio autem facta per Concilium ad alios annos duos, prudenter quidem facta fuit, imò fortè laudabilius esset, si protraheretur usque ad eam majorem ætatem, in qua ex magis communi regionis usu, quis in omnibus perfectè major reputatur, eodem modo quo in voto castitatis emittendo in susceptione sacrorum ordinum habemus, cùm sit major contractus, qui per hominem fieri possit super perpetua sui status immutatione; Et hoc stante dicta forma est inalterabilis, quamvis celer, ac extraordinaria judicii perfectio accedat, nisi Apostolica authoritas illi dispenset, cùm indubitata sit potestas dispensandi, utpotè super impedimento resultante à jure positivo, non autem ab illo naturæ, juxta inconcussam praxim, quam habemus in dispensatione super ætate ad ordines, vel ad dignitates, 19
ex collectis per Pirr. Corrad. *in ejus prax. dispens. lib. 4. c. 1. & 2.* & est in praxi valdè notorium.

Hinc proinde quæstio reducebatur ad punctū voluntatis professi, quòd scilicet ipse in animo habuerit, hanc dispensationem obtinere, vel ab aliis obtenta uti; Isteque punctus 20
videbatur potiùs facti, quàm juris, utpotè pendens à probationibus & argumentis, super quibus certa & generalis regula cuicunque casui applicabilis dari non potest, cùm materia probationis, præsertim adminiculativæ, seu præsumptivæ, arbitraria sit, pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, ideòque, ut frequenter advertitur, pro meo judicio, fatuitatis, vel stultitiæ species est, procedere cum propositionibus generalibus, vel cum decisionibus ac doctrinis, quæ certos diversos casus percutiant.

Applicando autem ad rem; Quamvis ex parte professi deducerentur quædam inverisimiles, ac affectatæ ejus conjunctorum attestationes, quòd dicta dispensatio, eo inscio, 21
obtenta esset per ejus patruum; Attamen argumenta, quæ in contrarium urgebant simul juncta, nimiùm concludere videbantur; Primò etenim ponderabam regulam, seu præsumptionem generalem, quòd gratia præsumitur obtenta per eum, cujus favore cantat, ex deductis cæteris relatis apud Dunoz jun. *dec. 811 n. 7. & dec. 966. n. 8. Bononien. pecuniaria, seu transactionis* 24. *Novembr.* 1670. § *fin. coram Albergato*; Potissimè verò, ubi sit gratia, de qua suspicari non possit, quòd per alium affectari, seu procurari potuerit potiùs in supplantationem, ac præjudicium oratoris, puta juxta casum, de quo *in Eugubina donationis* 23. *Januarii* 1671. cor. Bevilaqua, & 23 *Januar.* 1672. cor. Rondinino, de qua habetur actum *sub tit. de donat. in supplemento*; Sive (magis proximè & ad rem, ut in praxi non semel expertus sum) quòd aliquis alienorum bonorum captator, puerum inducat ad suscipiendum habitum in aliqua Religione, ita ab eo extorquendo suorum bonorum donationem, vel aliā dispositionem, atque ut se assecuret de non regressu disponentis ad sæculum, ita curet, cum dispensatione super ætate, vel super alio obstaculo, professionem accelerari, cum similibus, Secùs autem ubi, ut in præsenti, hujusmodi machinationis suspicio non adsit; cùm id absque notabili lucro, seu interesse fieri non soleat, ut advertitur *in Aventonen. sub tit. de testam. disc. 39.* & alibi; Ideòque ista materia super præsumptione impetrationis gratiæ per oratorem est pariter facti potiùs, quàm juris pro facti qualitate regulanda.

Alterum erat argumentum notabilis impensæ quinque ducatorum Cameræ, quam ultra mercedem expeditoris facere oportuit, juxta receptam, ac frequentem propositionē, 22
quam habemus circa mandatum præsumptum in actibus judicialibus, quòd scilicet illud præsumatur, ubi agatur de aliqua impensa considerabili, quæ unum scutum excedat, ut in sua materia *sub tit. de judic.* & habetur *sub tit. de benefic. disc.* 5. in proposito differentiæ prothonotariatus, qui per Breve obtineatur à Papa cum impensa notabili, & alterius, qui sine impensa obtineatur à Nuncio, vel Legato.

Benè verum, quòd istud argumentum subjacet eisdem considerationibus habitis super argumento præcedenti, quoties suspicio adesse possit, ut gratia per tertium pro ejus interesse ad supplantandum potiùs gratiarum etiam cum sumptu notabili impetrari potuerit; Ideòque pro facti qualitate, non autem generaliter, ac indefinitè illud argumentum quoque capiendum est.

Tertium erat argumentum, quòd licèt de per se debile, ac fallax, attamen videbatur considerabile simul junctum cum aliis, quòd scilicet istud breve repertum fuisset inter scripturas ejusdem professi.

Et demùm quarto clarius ob attestationes aliquorum religiosorum probatæ fidei, qui novitiatus, ac professionis 23
collegæ fuerant, quod scilicet ipsemet professus de hac dispensatione solicitus fuerit, ut professionem accelераret pro antianitate in Religione, ex qua honores, ac prælaturæ, nimiùm pendent.

In idem quoque magni faciendum esse dicebam alterum fortissimum argumentum, quod resultabat à perseverantia in Religione cum gestatione habitus, ac exercitio omnium illorum actuum & officiorum; quæ non nisi professis congruunt.

Et

Ec magis à susceptione Sacrorum Ordinum ad titulum Religionis & paupertatis cùm ex hoc actu adeò reiterato
23 inductam censeri novam professionem praecedentis invalidæ sanativam pluries fuisse decisum per Sacram Congregationem testatur Tambur. *de jur. Abb. tom. 3. disp. 6. qu. 13.* Barbos. *in collect. ad Concil. sess. 25. de Regular. c. 11. ambo circa fin.* & alii Moderni hujusmodi declarationum collectores seu relatores.

Quidquid enim esset de puncto, an isti actus, soli & de per se sufficiant, ad id ita concludendum, ut adimant contrariam probationem, vel restitutionem in integrum ex supra insinuatis; Attamen negari non posse dicebam, ut exinde saltim vehementissimum resultaret argumentum, ut omnibus simul junctis ista veritas manibus palpabilis redderetur, unde propterea, sententia lata per Judices super nullitate professionis, omninò injusta, malèque fundata mihi visa est, idque etiam benè agnovit idem professus, qui prudenter specialem gratiam revalidatoriam à Papa obtinuit, per quam suæ conscientiæ benè consultum remanet.

Sopita ista causa; Alia in eadem Sacra Congregatione excitata fuit difficultas, non tamen formiter disputata, nec decisa, utpotè, (me quoque consulente, & cooperante,) per quandam honestam concordiam sopita, super bonis
24 scilicet repertis in cella hujus professi, quando discessit, vel alibi; An scilicet stante annullatione professionis, adeòque jure retrotractationis ad initium, ita censendus esset ab initio sæcularis, bona sibi restituenda essent, utpotè Religioni nunquam acquisita.

Atque super hoc, etiam pro veritate pro parte Monasterii, seu Religionis consultus, dicebam quòd, si ageretur de bonis patrimonialibus, sive ex conjunctorum, vel amicorum elargitione, sanguinis, vel personalis affectioni intuitu obvenientis, tunc justa esset petitio, ob ita præsupponendam sententiam declarantem professionem invalidam ob retrotractionem ad suum initium, quòd scilicet ille nonquam censeatur fuisse religiosus; Secus autem, ubi de hoc, vel simili acquisitionis modo non constaret, quoniam tunc presertim ob officia magnæ administrationis ab eo exercita, rectè intrare videbantur ea quę à simili habemus ad materiam textus *in l. Quintus Mutius, ff. de donat. inter vir. & uxor.* Sivè ea, quæ habemus in materia peculii servorum super iis acquisitionibus, quæ fiant per servum à domino alicui administrationi præpositum, quamvis deinde detegatur non servus, ac libertati restituatur; Ac etiam ea; quæ habentur *supra, disc. 38.* circa religiosum translatum de uno Monasterio ad alterum, ut secum non trahat ea bona, quæ in stato regulari acquisivit, dum esset in primo Monasterio aliàs quàm ex merè temporalibus acquisitionum modis, cum similibus.

NEAPOLITANA NULLITATIS PROFESSIONIS

PROPP. CARMELITIS DISCALCEATIS IPSOQUE PROFESSO CONCORDIBUS.

Casibus disputatus in Sacra Congregatione Concilii, & resolutus ut infra.

De eadem forma præscripta à Cnocilio Tridentino super annullatione professionis, an procedat, quando non ipse professus reclamat sed ipsa Religio ob invalidam professionem, professum dimittat?

S U M M A R I U M.

1 *De Constitutionibus Ordinis Sanctæ Teresiæ.*
2 *Facti series.*
3 *Resolutio causæ.*
4 *In iis defectibus, qui sunt fixi, & naturales, non intrat tacita ratificatio professionis.*
5 *De differentia inter casum, in quo religiosus dicat de nullitate, vel ipsa Religio circa lapsum quinquennii.*
6 *De eodem, & quando lapsus quinquennii non debeat obstare.*
7 *An forma Conciliaris super judicii Ordinarii, & Superioris localis, requiratur ubi ipsa Religio expellit nulliter professum?*
8 *De eodem, & de ratione differentiæ.*
9 *De expulsione incorrigibilium.*
10 *Ejectus tanquam incorrigibilis habetur pro religioso in odiosis.*
11 *Quod forma Conciliaris exorbitet à jure communi.*
12 *De casu in quo nullitas resultet à contractu.*
Card. de Luca, Lib. XIV.
13 *An valeant Statuta Religionis invalidantia professionem ob aliquos defectus non detectos?*
14 *Quando Statuta dicatur confirmata in forma specifica.*
15 *De Statutis excludentibus à Religione descendentes ab infidelibus.*
16 *De ratione inhabilitatis Superiorum ad ordines & beneficia.*
17 *Quid differat in hoc status Regularis.*
18 *Lex revocata attenditur tanquam doctrina.*
19 *De Statuto attendendo in ratione contractus.*
20 *An, & quando animus unius ex contrahentibus attendatur, necne?*

D I S C. XLII.

Disponentibus Constitutionibus Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, seu Sanctæ Teresiæ, Apostolica 1
authoritate confirmatis, ut ad Religionem admittendi non essent illegitimè nati, ac alii qui sanguinis impuritatem paterentur, adeòut professio eorum, qui celato defectu admittantur, invalida sit, ob deficientem Religionis animum, hujusmodi personas admittendi, Cùm Dominicus illegitimus, 2
celato defectu, professionem emisisset, eoque detecto, per Diffinitorium provinciale fuisset dimissus, etiam volens, atque deinde matrimonium carnale contrahere vellet, hinc occasione denunciationum excitata fuit hæc difficultas, an scilicet obstaret dicta professio? Quare desuper consulta per Ordinarium Sac. Congregatione Concilii, ista respondit pro dictæ dimissionis invaliditate, ob non servatam formam præscriptam à Concilio Tridentino *sess. 25. de Regul. c. 19.* unde propterea concessa restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, atque servata in omnibus dicta forma, prodiit sententia Ordinarii & Superioris regularis professionis annullatione.

In disputationibus autem desuper habitis in Sac. Congregatione, in quibus scripsi pro Religione, concordiiter pro- 3
cedente cum ipso dimisso; Duo erant puncti; Primò nempè, an obstaret lapsus quinquennii, juxta ejusdem Conciliaris decreti dispositionem; Et secundò, an dicta forma Conciliaris super cognitione causę conjunctim per Ordinarium & per Superiorem localem, habeat locum quando, non ipse professus dicit de nullitate professionis, sed potiùs ipsa Religio, agnoscendo illum esse nulliter professum, eum dimittit.

Quatenus pertinet ad primum; Dicebam, etiam cum sensu veritatis, qualem Sacra Congregatio quoque agnovit, respondendo de restitutione in integrum, quodque dicti Judi-
ces procedere possent; Ut iste quinquennalis lapsus obstare 4
non deberet, quoniam ubi non agitur de illo defectu, qui pendeat à sola voluntate profitentis, puta, quia per vim & metum &c. Sed agitur de defectu naturali ignoto, & cujus cognitio verisimiliter Religionem retraxisset ab admissione ingredientis ad professionem; tunc quinquennium ad inducendam tacitam professionem, seu ratificationem, computandum est à die, qua ipsius impedimenti scientia habita fuit ea generali propositione, de qua plures *sub tit. de contract. & alienat. prohibit.* quòd animus trahi non potest ad ignorata, ideòque sine scientia dari non potest ratificatio, ut in his terminis Navar. *consil. 26. n. 12. de regular.* Barbos. *in Collectan. ad idem Concil. Trid. dicto c. 19. n. 19.* Donat. *in praxi Regular. tom. 2. de reclamat. profess. q. 30.* ubi concordantes.

Item quia idem Conciliare decretum percutere videtur ipsum professum reclamare volentem, ad quem verba dirigit, ideòque in eo casu intelligendum venit, non autem in converso, ex ea clara differentiæ ratione, quòd ipse profes-
sus rectè conscius est proprii defectus de tempore professio- 5
nis, ac tempore subsequenti, undepropterea non reclamando infrà tantum tempus videtur denuò tacitè profiteri, sive renuntiare juri allegandi suæ professionis nullitatem, vel ex hujusmodi negligentia pati dicti juris sibi aliàs competentis præscriptionem, cùm dictæ tres rationes per Scribentes juxta ingeniorum veritatem in proposito allegari soleant: Earum verò nulla congruit ipsi Religioni, nisi, ut dictum est, in ea probaretur defectus certa scientia, ex cujus tempore quinquennium computari deberet. Hujus autem scientiæ probatio penè impossibilis videtur quoad ipsam Religionem ita & taliter, quòd exinde resultet tacitus contractus obligatorius, pro quo non sufficeret scientia, vel suspicio aliquorum religiosorum in particulari.

Ac etiam quia nullitas jam proposita fuit infrà quinquennium cum subsecuto etiam effectu dimissionis post scientiam; Et quamvis ex sensu Sac. Congregationis postmodùm detectum esset dictę dimissionis modum malè servatum es-

F se,

Attamen ex fundamentis, de quibus infrà in secundo puncto, & fortius inconcussa continuata observantia ejus-
6 dem Religionis, justè, ac probabiliter opinatum fuit bene processum esse: Et consequenter impossibile videbatur, ut illud tempus, in quo in bona fide professus fuit in statu seculari, & extra Religionem, computandum veniret pro tempore continuationis status in Religione, ex quo tacita professio, seu jam emissæ ratificatio deduci posset, quoniam esset deducere ex impugnatione ratificationem, atque gesta ad unum finem operarentur effectum de directo contrarium contra principia juris, & naturæ, juxta ea quæ habemus in minore cui facto majori conceditur jus petendi restitutionem in integrum infrà quatriennium, quod elapso, ea denegatur, quoniam si minor intra dictum tempus coram Judice incompetente, quem tamen bona fide, ac probabiliter competentem credidit, restitutionem petat, atque actum irritari obtineat, non ex eo quòd tractu temporis detegatur non verè opinata Judicis incompetentia, seu altera judicii malè servati nullitas, eadem dicendum est, tempus quatriennii decurrisse, cùm saltem istud dicendum veniat justum impedimentum prohibens temporis lapsum.

Quo verò ad alterum punctum, an scilicet relicta conci-
7 liaris forma super cumulativo concursu Ordinarii loci, & Superioris regularis omninò servari debeat, quando non ipse professus reclamat, atque professionis nullitatem allegat, sed ipsa Religio detecta nullitate ipsum malè professum dimittit, Dicebam magis communem, ac etiam probabilem opinionem assistere Religioni pro negativa, ex ea ratione, quòd decretum prædictum inductum videtur ipsarum Religionum favore, contra professos reclamare volentes; ideòque inducta ad favorem, retorqueri non debent in odium. Potissimè quia ubi agitur de hujusmodi impedimentis perpetuis, publicum Religionis bonum in universum percutientibus, multa resultare videntur inconvenientia, si ipsi Religioni hæc facultas interdiceretur, ut ex Navarr. *d. cons. 26. de Regular.* benè probat Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 37. n. 33.* Rodriquez *q. regul. tom. 3. q. 11. art. 2.* Perein. *de Relig. subdito, tom. 1. q. 1. c. 25. tom. 3.* Cespedes *de exempt. c. 3. dub. 48.* Pellizar. *in manual. Regular. tract. 2. c. 3. q. 15. §. 28. & 29.* & alii Morales, qui non quidem ex meo labore, vel genio collecti fuerunt, sed ex illo aliquorum ejusdem Religionis professorum, cùm ille collectorius labor, utpote nullas habens ingenii, vel scientiæ partes perpetuò sit abhorritus; Ex eis enim liquet hanc opinionem majori calculo receptam esse, ideòque prævalere debere contrariæ sententiæ Bordoni *resol. 22.* & aliorum in minori numero, præsertim ob magis venerabilem authoritatem Navarr. Rodriquez, & Sanchez antiquiorum, ac etiam quia ratio eis magis assistere videtur.

Secundò ob diversitatem rationis inter unum casum, &
8 alterum; Quando enim ipse professus vult impugnare professionem, adversus Religionem, tunc quin cogi non debet expectare Capitulum generale, vel provinciale, quod non nisi statutis temporibus congregari solet, atq; in locis remotis, & incommodis, ac etiam quia ob alia graviora Religionis negotia ibi pertractanda, non de facili de hujusmodi nullitate cognosci potest, & causa terminari, hinc propterea congruit, ut id fiat per Superiorē localem, cui ob causæ gravitatem congruit dari Ordinarium in adjunctum; Hæc autem ratio in omnibus cessat, quando agitur de dimissione facienda per ipsam Religionem in Capitulo Generali, vel Provinciali; Tum quia cessat dicta consideratio, ut id sequatur ex judicio unius tantum, cùm accedat judicium graviorum PP. universam Religionem, vel provinciam repræsentantium; Tum fortiùs quia in hujusmodi comitiis, ne dum legaliter, sed etiam prudentialiter, consideratis omnibus motivis concernentibus bonum Religionis in universum, hujusmodi negotia maturè examinari solent; Et quod magis est, frequenter contingit, ut hæc negotia non sint singularia, sed plura, quia nempè detectis plurium religiosorum malè professorum defectibus, re delata ad comitia generalia, vel provincialia, ibi de omnibus tractetur; Et consequenter impossibile est servare dictam formam cumulativi interventus Ordinarii loci singulorum, qui de omninò diversis locis, & provinciis, quinimò, & remotissimis regionibus esse possunt; ac etiam quia incongruum videtur hujusmodi negotia in forma judiciaria pertractare; Ideòque magna differentia videtur inter unum casum, & alterum.

9 Considerando quòd per decreta Sac. Congregationis edita de anno 1624. & approbata per Urbanum VIII. inserta in Bullario inter ejusdem Pontificis Constitutiones 46. statutum est, ut expulsiones professorum ob incorrigibilitatem, & alia crimina fieri non possint per Superiores locales, sed solùm faciendæ sint in Diffinitorio generali, vel provinciali cum interventu plurium PP. ex gravioribus absque eo quòd Ordinarii loci interventus desideretur, ex dicta ratione, quòd magna differentia est inter judicium singulare unius Superioris localis, & generale plurium insimul congregatorum universam Religionem, seu universam Provinciam repræsentantium; Et tamen magis gravis, & odiosa est dimissio Religiosi ex capite incorrigibilitatis, vel alterius criminis quàm sit ex capite nullitatis; isto enim secundo casu, absque alicujus infamiæ, vel alterius notæ incursu dimis- 10
sus restituitur pristinæ libertati in omnibus. In altero autem, ultra notam quam incurrit, adhuc remanet obnoxius omnibus vinculis, & odiis, privatus tamen favoribus, & privilegiis ex statu religioso resultantibus, cùm religiosus ejectus ratione incorrigibilitatis, vel aliorum criminum, remaneat talis quoad ejus odia, & præjudicia, & tamen non reputetur talis quoad favores, & privilegia, Cardin. *in clem. 1. § quia verò, de statu Monach.* cum Concordantibus per Sanchez *de præcept. Decal. lib. 6. cap. 9. num. 45.* Add. ad Buratt. *dec. 756. num. fin.* Rot. *dec. 200. num. 8. part. 3. recent.* Et conferunt quæ habemus in hærede indigno, ut in odiosis habeatur pro hærede, & in filiofamilias ingrato cum similibus.

Ideòque si in re graviori ac magis præjudiciali fidendum 11
est de judicio Diffinitorii absque mixtura Ordinarii, multò magis in re minoris præjudicii ut supra, & consequenter mihi videbatur, quòd cessaret ratio quæ induxit Concilium ad desiderandum Ordinarii interventum; Illud etiam considerando, quòd dicta Conciliaris dispositio in aliquo exorbitare videtur à jure communi, quo attento ipse solus Superior regularis tanquam religiosi Ordinarius esset competens, ideòque tanquam nova lex exorbitans attendenda est in solo casu, de quo loquitur, quando scilicet ipse professus reclamat, non autem in casu converso.

Item dicebam quòd cùm tempore, quo fit professio, ser- 12
vetur in hac Religione, ut profiteri volens expressè certioretur de dicta Constitutione, illa etiam explicando in lingua materna, eique denuncietur, quòd in casu quo detegatur aliquis ex illis defectibus tunc ignotis, Religio declarat nō habere animum eum admittendi ad professionem, ibique licitum esse illicitè detecto defectu eum dimittere, atque ipse profitens easdem Constitutiones, dictamque religionis protestationem, ac declarationem acceptat; hinc proinde dimittendi facultas resultare dicitur, non ex dispositione Juris, sed ex particulari conventione inter Religionem, & profitentem, tanquam per speciem pacti resolutivi, & ad instar illius facultatis, quæ per unum ex contrahentibus al- 13
teri conceditur apprehendēdi possessionem propria authoritate cum similibus. Ideòque stante precedenti inconcussa observantia ab istius religionis initio, atque stantibus dictis rationibus, & fundamentis, reflectendo ad veritatem, nimium rigorosa videbatur dicta resolutio, literæ magis, quàm par est innixa. Si enim Religio malitiosè occultaret novitio aliquas ejus asperitates, & rigores durante anno probationis, ne aliàs ille retrahatur à professione, utique de nullitate opponere posset ipse novitius, qui in actu professionis, ita protestatus esset, cùm ad hunc effectum per Sacr. Concil. Trident. pro forma desideretur annus continuus, ut ita in omnibus anni temporibus experimentum fiat, ita à pari, & fortiùs.

Motivabatur etiam per aliquos Dominos Congregatio-
nis, de hujusmodi Statutorum invaliditate, seu inefficacia, 14
ad inducendam nullitatem professionis, quæ alias servata dispositione Canonum, & S. Conc. Trid. emissa sit; Verum non videbatur, quòd motivum haberet subsistentiam, cùm difficultas rectè caderet, ubi ageretur de statutis, quæ ipsius Religionis tantùm authoritate edita essent, in quibus terminis loquuntur omnes tenentes hanc opinionem, quam tali casu admittebam esse magis communem, & receptam. Secus autem accedente confirmatione Apostolica in forma specifica, qualis erat ista; Tum quia in Bulla confirmationis est insertus illarum tenor, ex deductis, *dec. 222. nu. 52. p. 7. rec.* & sæpiùs; Tum etiam quia confirmatio emanavit causa cognita, & prævia relatione Cardinalis Protectoris, ut observat Rot. *dec. 194. n. 3. p. 1. rec.* tunc enim ob authoritatem Papalem nemo dubitat.

Et ulteriùs considerabam in hac facti specie duas particu-
lares circumstantias; Unam scilicet, quòd dicta quæstio su- 15
per hujusmodi Statutorum validitate ex iis, quæ frequentiùs per DD. exemplificantur percutit casum, in quo juris dispositio repugnet, itaut dicantur Statuta contra Jus, ubi nempè arcan-

arceantur à Religione descendentes ex Judæis, aliisque infidelibus, vel hæreticis, aut ex aliqua natione, ex ea ratione, quòd in Ecclesia non est distinctio Judæi, & Græci, omnesque Christiani non habentes canonicum impedimentum admittendi sunt ad Religionem, aliaque vota, & in his terminis loquuntur Navar. *d. cons.* 33. *lib.* 3. *de Regul.* Rodriq. *q. Regular. tom.* 3. *dict. q.* 11. *art.* 2. Perein. *d. cap.* 25. *q.* 1. §. 3. Sanchez *de matrimon. d. lib.* 7. *disp.* 37. *n.* 30. & alii de materia agentes; Secùs autem ubi agitur de hoc defectu nata-
16 lium habente aliquid speciale, dum habemus quod illum repellit à sacerdotio, aliisque ordinibus, à quibus dicti alii defectus non repellunt, necnon à dignitatibus, & beneficiis ex particulari ratione, quòd tanquam in peccato geniti ut plurimùm incontinentiæ paternæ hæredes solent, ut *in cap.* 1. 56. *dist. cap.* 1. *de filiis presbyterorum in* 6. cum pluribus Concordantibus.

17 Et quamvis circa ingressum in Religionem, seu admissionem ad habitum monasticum, in jure communi particularis prohibitio non habeatur, quinimò potiùs præsuppositivè videatur contrarium disponi, dum habemus, quòd ingressus in Religione abluit natalium maculam; Nihilominùs tanquam in casu omninò, rectè adaptabilis videtur eadem ratio inhabilitativa ad ordines, & beneficia, vel saltem, ut ita Statuta dicantur, præter, non autem contra jus; Et clarius ob Constitutionem 71. Sixti V. per quam eadem inhabilitatio inducitur; Quamvis enim dicta Constitutio moderata fuerit per Gregorium XIV. atque per Clementem VIII. redacta ad terminos Juris communis; Nihilominùs, si atten-
18 denda non est tanquam lex obligatoria, attendi debet tanquam doctrina magistralis & canoniatoria illius rationis, quam Superiores Religionum impulit ad hujusmodi Statuta ordinata, ideòque rectè deducuntur leges revocatæ in argumentum, & pro doctrina magistrali, ex deductis per Salgad. *in labyrint. p.* 2. *cap.* 29. *n.* 24. & 26. & dixit sæpiùs Rota præsertim *in Ferrarien. pensioni coram Dunozetto inter suas dec.* 830. *n.* 27. ubi de declaratione.

19 Et secundò, quoniam hæc difficultas cadit quando agitur de Statuto remanente in simplicibus terminis legis, cujus vigore actus annullatio prætenditur; Secus; autem, ubi ut in hac facti specie, ut supra insinuatum est, Constitutio deducitur potiùs ad probandum animum Religionis non côtrahendi, nisi sub certa conditione, qua defecta, expressè declaravit noluisse contrahere, ac habere actum pro infecto; Cùm enim aliud non sit professio in Religione, nisi contractus merè correspectivus, & hincinde obligatorius, hinc proinde nulla juris ratio, vel dispositio prohibere videtur, cur id quod fieri potest in aliis contractibus, in isto non procedat; Potissimùm verò, ubi in actu profitendi, per lecturam, ac certiorationem individuam, & specialem istius Constitutionis, eam etiam vulgarizando fiat protestatio alteri contrahenti præsenti, & acceptanti, unde propterea cessat ea difficultas de qua *sub tit. de dote*, *disc.* 27. & in decisionibus in ea causa editis, & alibi, quòd scilicet in contractibus correspectivis non sufficit propositum in mente retentum, & quid in animo haberet unus contrahentium; Quinimò etiam si verbo, vel scripto eundem animum ex-
30 plicasset, præter notitiam alterius contrahentis, cui id explicandum est, ut hoc non obstante & cum ea lege contraxisse dicatur; Ita enim cessat hæc difficultas, atque Constitutio potiùs tanquam pactum, & privata controversia, quàm tanquam pura lex attendi debet stante præsertim subsecuta continua observantia ab ipso initio instituti, aliisque rationibus facta de congruo, ut supra suis sedibus, magis istam formam, quàm alteram judicialem à Concilio Tridentino præscriptam pro minoribus scandalis, ac Religionis honestate, & decore servari debere.

ROMANA

SEU

NULLITATIS PROFESSIONIS AC PETITIONEM RELIGIONIS, ET PROFESSI.

Responsum pro veritate.

An, & quando dicatur assumptus habitus in alia Religione, unde propterea resultet nullitas professionis emissæ in alia Religione ob ejus Constitutiones, vel institutum non admittendi eos qui alterius Religionis habitum gestaverint?

Card. de Luca, Lib. XIV.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De validitate Constitutionum Societatis Jesu super invalida professione eorum, qui in alia Religione fuerint.*
3 *De incapacitate clericorum in feudis.*
4 *De nullitate admissionis ad professionem ob defectum consensus in ratione contractus.*
5 *Quando susceptio habitus in Religione sit formalis, vel ex devotione.*
6 *De eodem.*
7 *Sæcularibus potest prohiberi habitus Regularis.*
8 *Novitius potest per aliquod tempus vivere in domo sæcularis conjunctorum, & quando.*
9 *De ætate necessaria ad professionem.*
10 *De ætate ad matrimonium.*
11 *De eodem, de quo num.* 8.
12 *Declarationi facientis, quando deferatur.*
13 *Quare in dubio pro nullitate professionis de facili responderi debet?*
14 *De lapsu quinquennii.*

DISC. XLIII.

CUm Constitutiones Societatis Jesu, inter alias qualita- 1
tes quas in eorum professoribus exigunt, sub Decreto annullativo professionis, ex deficiente voluntate aliàs admittendi, eam exigant præcipuam, ut ille, qui admittitur, aliam Religionem nunquam ingressus fuerit, quamvis non emissa professione ab ea egressus esset, idcircò ad multos annos post emissam professionem per N. detecto quòd in adolescentia suscepisset habitum alterius Religionis, orta est dubitatio, super dictæ professionis nullitate; Cùmque in facto non dubitaretur de susceptione dicti habitus, illa verò facta esset in nimiùm tenera ætate annorum decem. Hinc proindè, dubitandi ratio cadebat, ad dicta susceptio, ac respectivè gestatio dici posset talis, ut caderet sub dictis Constitutionibus habentibus indubitatum decretum annullativum? Quare desuper pro veritate consultus.

Respondi tres constituendo inspectiones, Unam scilicet super dictarum Constitutionum efficacia, seu operatione inficiendi, necne solemnem professionem potissimè à diuturna observantia comprobatam. Secundam super qualitate illius susceptionis, ac gestationis habitus, an scilicet esset talis, de quo Constitutiones loquuntur; Et tertiam an obstaret revalidatio, quæ regulariter resultat à lapsu quinquennii, aliisque actibus, qui non nisi legitimè professo conveniunt;

Super prima, ultra ea, quæ super hoc puncto in specie firmat præsertim Suarez, *de Relig. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 20. super hujus- 2
modi Constitutionum validitate, ac efficacia, & rationabilitate ad conservandam hujus Religionis unitatem; Deducebam in hoc Responso eadem, quæ habentur *disc. præcedenti* super consimili Constitutione circa legitimos natales, vel sanguinis puritatem. Ac etiam à simili ponderabam ea, quæ habentur *sub tit. de feud. disc.* 54. super reflexione ad leges feudales inhabilitantes clericos, & personas Ecclesiasticas, ad obtinendum, vel retinendum feuda, an cadere debeant, necne sub dispositione *in text. in Auth. cass. &* 3
irrita, C. de Sacrosanct. Eccles. & cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de Constitutionibus cum Concordantibus relatis per Fagnan. *in c. quæ in Ecclesiarum, de Constit.* quòd scilicet verior sit, passimque recepta opinio pro validitate hujusmodi legum, non quidem in ipsarum ratione authoritativa, sed in ratione declarationis voluntatis infeudantis, non contrahendi, seu non infeudandi, nisi personas, quæ habeant certam qualitatem, sine qua adesse non dicatur animus, quo cessante, in iis, quæ sunt voluntaris, dari non potest actus validus, & obligatorius.

Ita à pari, non videtur quid prohibeat Religioni, etiam 4
per leges ejus privata auctoritate conditas animum declarare non faciendi ipsum contractum, nisi cum personis certam qualitatem habentibus, adeòut quando profitentes, qui aliquo defectu laborent, Religionem decipiant, illum occultando, habeantur pro non receptis, & non admissis, ex illa nullitate, quæ in omnibus contractibus, etiam in illis, ubi admixtum est sacramentum, vel admixta est aliqua spiritualitas, resultat ratione erroris, vel falsi præsuppositi, ut habemus in matrimonio cum similibus: Ideòque iste primus punctus mihi videbatur planus, potissimè stante confirmatione Apostolica in ampla, & specifica forma, per quam omnis tolli videtur difficultas.

Altera inspectio videbatur potiùs facti, quàm juris, an

scilicet dicta susceptio, ac gestatio habitus, secuta esset
5 per unam formalis ingressus in Religionem, ad effectum probationis assumendo statum novitii, atque vivendo intra claustra sub obedientia Superiorum, & sub observantia regulæ, quo casu tantum recipienda videtur dictarum Constitutionum dispositio, quasi quòd illa personæ jam, licèt in statu retractabili, vixerit sub diverso instituto; Ad instar illius mulieris, quæ licèt per matrimonium adhuc non contractum dici non valeat quòd fuerit alteriùs viri uxor, attamē fuerit ejus sponsa per contractum sponsalium, atque in hoc statu cum eo cohabitaverit; Secus autem ubi susceptio, ac gestatio habitus fuisset ex sola devotione, adhuc permanendo in sæculo, atque vivendo propriæ domi, in statu merè sæculari; Quinimò etiam vivendo in aliquo Conventu, vel domo regulari, ex causa ejusdem devotionis, vel ex causa servitii, ac famulatus, ut præsertim in pueris ex devotione, vel non solemni voto, praxis docet in Civitate, ac Regno Neapolis frequens; Vel (ut quandoque practicari vidi,) ad effectum ita occultandi personam, ut usquequo, effugiat inimicos, vel Curiam, ita inter benevolos religiosos per aliquod tempus vivat, adeòut non accedat illa cæremonialia susceptio habitus, quæ per manus Superiorum in Ecclesiis sequi solet, quando persona sæcularis vult effici regularis, ac propterea non constituatur in eo formali statu novitii, qui proinde, licèt ad effectum intestabilitatis aliosque similes, jure sæcularis potius, quàm regularis censendus veniat, ad alios tamen effectus potiùs dicitur persona religiosa, vel ecclesiastica, ut *hoc eodem tit.* plures, & alibi advertitur.

6 Plura verò hinc inde argumenta super hoc facto collucta- bant; Majora verò, magisque congruentia videbantur esse illa pro formali susceptione habitus, ac status novitii; Tum ob consuetam cæremoniam, vel solemnitatem adhiberi solitam, quando quis verè Religionem ingreditur, illique statui se addicit, eum permanentia per tempus notabile intra claustra more novitiorum, ejusque collocatione locali per Superiores facta; Dum clarius quia, cùm Provinciæ, vel conventus Prælatus de ejus potestate dubitaret, ob nimiùm teneram ætatem, ad preces parentum, obtenta fuit dispensatio, seu licentia Generalis, quod utique necessarium non fuisse pro simplici gestatione habitus ex sola causa devotionis, cùm in pueris id praxis doceat, ex sola privata electione parentum, vel conjunctorum.

7 Quamvis enim tam ex omnium ferè Religionum privilegiis, quam etiam ex intentione, vel ratione Juris communis, sæcularibus prohiberi possit, nè laici religiosorum, vel clericorum habitu utantur, dum etiam una Religio professoribus alterius Religionis, ad tollendas confusiones, vel scandala id prohibere potest, ex deductis *supra, disc* 21. ac etiam *sub tit. de jurisdict. disc.* 93. Attamen id procedit, ubi urgeat dicta ratio confusionis, & scandali, vel ubi adesse possit altera ratio contemptus, vel etiam scandali, puta in scenis, & in ludis bacchanalibus, cum similibus, pro facti qualitate: Secus autem ibi in hujusmodi pueris ex parentum devotione erga aliquem Sanctum illius Religionis.

8 In contrarium, duo obstare videbantur; Primò nempe, nimiùm tenera ætas infantilis; Et secundò, quòd quandoque extra Conventum in parentum domo pernoctare consuevisset; Verùm hæc obstare non videbantur, quoniam supradicta contraria argumenta, videbantur præponderantia, istique actus non erant omninò incompatibiles, quoniam egredi à domo regulari, ac vivere per aliquod tempus in domo sæculari, non est actus omninò incompatibilis cum statu novitii, neque semper noviciatum corrumpit, ex iis, quæ habentur infra *in Melevitana, disc.* 46. Et nihilominus id operari posset corruptionem dicti status, ad effectus ut annus probationis ex integro esset inchoandus, ex ibi deductis, non autem facere potest, quin persona de facto non fuerit in eo statu.

9 Quo verò ad teneram ætatem, ut insinuatum est *supra disc.* 41. difficultas circa ætatem, ac perfectum consensum, seu perfectum judicium, intrat ad effectum professionis, per quam sequi dicatur contractus obligationis actus irretractabilis; Secus autem ad effectum suscipiendi habitum monasticum, cùm tunc certa ætas præfinita non sit, neque prohibitum videatur pueros, vel puellas etiam in pupillari ætate admittere ad habitum, ac statum novitii, protrahendo tamen professionem ad ætatem congruam, quoniam annus novitiatus necessarius est, ne possit esse minoris temporis, sed non est præcisus, atque potest esse per tempus majus plurium annorum, ut versùs probant Sanchez, Suarez & alii relati per Barbos. *in collectan. ad Concil. sess.* 25. *de Regular. cap.* 15. *n.* 7.

Idque comprobari dicebam à simili ex iis, quæ habemus circa matrimonium, quoniam illud de præsenti perpetuò obligatorium, ac indissolubile, contrahi non potest ante pubertatem, & tamen etiam in infantili ætate contrahuntur sponsalia de futuro subsecuturi matrimonii præparatoria, & quibus, data proportione, susceptio habitus, ac status novitiatus assimilari possunt. 10

Quòdque etiam novitiis ex causa infirmitatis, vel post expletum annum integrum continuum, donec perficiatur tempus emittendi professionem, citra corruptionem novitiatus, concedi valeat habitatio in domo parentum, vel conjunctorum, habitu retento, videtur magis receptum, ex iis, quæ desuper pro consueto labore, & commendabili diligentia colligit Barbos. *ad idem, c.* 15. *sess.* 25. *de Regular. n.* 28. *& seqq.* 11

Et quando super his aliqua cadere potuisset difficultas, adhuc dicebam, quod deferendum esset declarationi, quam faciebat idem professus, quòd scilicet dicta susceptio, ac gestatio habitus respectivè fuisset pro formali ingressu, ac animo profitendi in eo Instituto, dum susceptio secuta fuerat in ætate proxima pubertati, & in qua doli capax dici poterat: Fortiùs verò ob continuationem in ætate, in qua iste animus proprius erat exercibilis; Atque ad probandum quod dictæ declarationi deferendum esset, deducebam conclusionem pluries in omnibus ferè materiis insinuatam præsertim verò *sub tit. de donat.* quòd scilicet, quamvis in donationibus inter vivos, vel in aliis legitimis, ac perfectis contractibus non detur pœnitentia, vel aliqua declaratio, quæ redoleat explicitam, vel implicitam revocationem, sive propriæ obligationis dissolutionem, adhuc tamen ubi agitur de actu ambiguo, qui sit declarationis, vel interpretationis capax, rectè illi defertur, clariùs verò ubi talis declaratio probabilibus adminiculis, vel argumentis munita sit. 12

Ac etiam ponderabam eadem quæ insinuantur supra, *disc.* 41, quòd scilicet in hac materia dubio in pro invaliditate potiùs, quàm pro validitate respondendum videtur, quoniam quando religiosus constituit in animo redire ad sæculum, ac non permanere in eo statu, perniciosum videtur illum invitum retinere; Non quòd ista ratio simpliciter, ac indefinitè admittenda sit, ne alias detur ansa iis, qui statum regularem jam professi sunt, pro libito redeundi ad sæculum, sed ut quoties probabile dubium desuper cadat, non adeò mordicus insistendum sit, sed potiùs in dubio judicandum sit pro egressu ex ejusdem Religionis bono publico, ut istius Societatis commendabile probat Institutum priusquam emittatur quartum votum, quod hujusmodi quæstiones parere solet, ut in præsenti producebat. 13

Demùm quoad tertium punctum tacitæ professionis, vel ratihabitionis resultantis à lapsu quinquennii, & ab actibus professo congruis, ponderabam eadem, quæ habentur in hoc proposito eodem *disc. præcedenti*, quòd scilicet ante prohibitæ qualitatis notitiam hoc tempus non currit, cùm sine scientia dari non possit contractus, vel ratihabitio ex ibi deductis; atque ita juxtà hoc votum, secutus est exitus, servatis iis, quæ servanda erant, unde propterea professus in statu clerici sæcularis repositus fuit. 14

BONONIEN. NULLITATIS PROFESSIONIS

PRO ÆMILIO DE BLANCHIS CUM ALIIS DE BLANCHIS.

Casus decisus per Rotam pro Æmilio,

De nullitate professionis emissæ per vim & metum; Et an, & quando expressa ejus ratificatio nullitatem sanet, necnè; Ac de aliquibus circa interruptionem novitiatus ob egressum intra annum.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Professio per vim & metum est absque dubio nulla.*
4 *Qualis debeat esse metus.*
5 *Et quomodo istius probatio regulanda sit.*
7 *Lapsus quinquennii purgat defectum metus.*
7 *An in ista materia procedat conclusio, ut ad validam ratificationem requiratur scientia certa facti & juris?*

8 *Qui*

8 *Qui defectus sanentur per ratificationem.*
9 *Cum quibus debeat fieri ratificatio, ut validam professionem inducat.*
10 *De interruptione novitiatus.*

D I S C. XLIV.

DEfuncto patre, à quo Æmilius supponebat se coactum fuisse ad profitendum in Religione Cruciferorum, obtenta commissione directa Cardinali Vicario Urbis, & Procuratori generali Ordinis, per sententiam, servatis servandis, declarata fuit invalida professio, unde propterea ad sæculum regressus, suscepta etiam uxore, litem introduxit contra consanguineos super majorum fideicommissis, de quibus habetur actum, *sub tit. de fideicom. disc.* 68. Itaque lite pendente, Rei conventi, ac bonorum fideicommissariorum possessores, Prætendentes, quòd dicta sententia super invaliditate professionis absque oppositore non subsisteret, cureturi adversus eam committi appellationis, vel restitutionis in integrum causam *in Rota coram Bevilaqua*, datoque dubio, an professio sustineatur *sub die 5. Martii* 1660. ad favorem Æmilii, negativa prodiit resolutio, cui oppositores acquieverunt circa istum punctum, reassumendo causam principalem super fideicommissis.

2 Duæ autem erant species nullitatis; Prima nempè, ob vim, & metum à patre illatum; Et altera ob interruptionem novitiatus, eo quia pluries infra annum per fenestras Conventus aufugisset, atque dimisso habitu stetisset in amicorum privatis domibus per aliquot dies, quamvis posteà ab eodem patre ad Conventum cum reassumptione habitus redire coactus fuisset.

3 Super prima specie, nulla cadebat inspectio juris, cùm tota esset facti & probationis; Indubitatum siquidem est de jure, quòd professio emissa per vim & metum, est invalide, tanquam ex deficiente consensu, sine quo nullus contractus obligatorius dari potest, ex iis quæ plenè firmantur in sæpiùs allegata *Ulyssiponen. nullitatis professionis 19. Jan. & 10. Decemb. 1646. coram Arguelles* impressa post Dian. *part. 9. dec. 1. & 2.* cum aliis in hujus causæ decisione; Sed quia ut frequenter habemus in hac materia metus, seu violentiæ, tam occasione hujus matrimonii spiritualis, quàm etiam carnalis, omniumque aliorum contractuum, etiam indifferentium in profanis, non omnes metus, neque omnes minæ sufficiunt, sed tales circumstantiæ requiruntur, ut debeat esse metus cadens in constantem virum, adeò ut dicatur abesse animus, vel con-
4 sensus. Hinc proindè certa juris regula desuper statui non potest, ac propterea omninò erroneum est, cum doctrinis, & decisionibus editis in aliis casibus procedere, sive generalitetes indefinitè attendere, cùm decisio, prudentis Judicis arbitrio, pendeat à singulorum casuum individuis circumstantiis, qualitate scilicet personæ incutientis metum, vel minas, & qualitate personæ, cui inferantur, tam in ordine ad sexum, quam ad ætatem, necnon attentis moribus regionis, attentaque causa, ob quem moveri potuerit quis ad cogendum aliquem, ut per vim & metum illum statum assumat.

Laudendo quidem, imò necessariam reputando noti-
5 tiam opinionum generalium, ac etiam decisionum, aliarumque authoritatum specialium, quæ in materia habentur, indagando quid in similibus casibus aliàs decisum fuerit, ut ita legaliter, ac fundatè, non autem ex proprio capite tantum arbitrium interponi valeat, principaliter tamen reflectendum est ad applicationem. Fabulosum etenim est, ut illas minas, vel species metus, quæ sufficientes reputatæ fuerint in puero teneræ ætatis, vel in puella à patre, vel alio conjuncto terribili, magnæque authoritatis, cui alter se opponere non possit, attendere debeamus in viro perfectæ ætatis, verisimiliter non adeò timente personam, quæ ipsum inducat ad profitendum, putà, quia sit mater, vel etiam pater lenis naturæ, seu timoratæ conscientiæ; Multò magis si remotior conjunctus, attenta, (ut dictum est,) potissimum verisimilitudine, vel inverisimilitudine, resultante à causa finali, vel impulsiva id faciendi, cùm istud dicatur turpe delictum in utroque foro, ideòque absque notabili interesse, vel alio justo motivo, non de facili præsumendum est; Et consequenter, totum pendet ex facto, ejusque circumstantiis, unitim considerandis, juxta pluries insinuatam regulam tenendam in conjecturalibus, seu adminiculativis in his præsertim materiis difficilis probationis, in quibus benigniùs proceditur, cùm hujusmodi minæ, & concussiones, occultè, ac intrà domesticos parietes, ut plurimùm sequi soleant.

In hac autem facti specie, sufficienter adesse videbantur probationes in causæ decisione enunciatæ, adeò ut id agnoscerent etiam Scribentes pro impugnatibus hanc nullitatem, ad quam, ac ad alteram deductam ex interruptione novitiatus evitandum, fundamentum solùm constituebant in quodam actu verificativo per illum expressè facto ad aliquos annos, quòd scilicet in publico refectorio coram Superiore locali, & aliis religiosis in eo Conventu existentibus, declarasset se velle esse religiosum, non obstante quocunque defectu, qui tam ratione nullitatis, quàm ratione non liberæ voluntatis adesse posset, quòdque ita quicunque defectus sanatus remaneret juxta firmata *in Meten. professionis, dec. 3.* post Tamb. *de jur. Abbat. & in Ulyssiponen. nullitatis professionis coram Cerillo inter suas dec. 178. &* 229 cum aliis relatis per Add. *ad dec. 179. n. 8. & seq. p. 4. recent.* in quibus firmatur, ut conclusio, quam frequentem, ac receptam habemus in profanis in materia ratificationis sanativæ actus invalidi quòd scilicet requiratur scientia certa nullitatis tam facti, quàm juris, ex pluries deductis in sua materia *sub tit. de alienat. & contract. probib.* non procedat in isto contractu spirituali professionis in Religione juxtà aliquas declarationes Sacræ Congregationis relatas per Add. *ad dictam dec. 179. p. 4. recent.*

Quidquid autem sit de hoc assumpto, de quo occasio non dedit firmiter in specie disputare, unde propterea, 6
maturum judicium desuper efformari potuerit, cùm illud durum videatur, ipsique naturali rationi contrarium: ut animus ad ignorata trahi valeat, dum actus subsequentes approbativi, congruè referri possunt ad præsuppositum præcedentis professionis validè emissæ, qua præsupposita processus crediderit se ad illos actus tanquam consecutivos obligatum esse.

Adhuc tamen, in relinquendo locum veritati, dicebam, quòd ubi, absque istius præjudicio, dictum assumptum admittendum esset, adhuc cessabat ejus applicatio; Tum ex ea facti circumstantia, in qua nullæ erant Advocatorum partes, quæ solùm erant causæ Patroni, quòd scilicet parsita libri, ex quo hæc probatio desumebatur, non esset legalis, & authentica, sed valde suspecta; Tum etiam ex alia facti circumstantia, super cujus sufficienti justificatione, erat pariter certamen ob exceptiones, quæ dabantur contra testes, quòd scilicet adhuc duraret eadem causa metus, quòdque iste actus pariter ex eadem causa secutus esset, unde propterea idem erat effectus.

Verùm quatenùs pertinet ad ea, quæ juris sunt, seclusis etiam dictis motivis facti, dicebam, etiam cum 7
sensu veritatis, ut hic actus ad id sufficiens non esset ex duobus fundamentis.

Primò nempè quia ratificatio, sive sit expressa, sive tacite, apta est quidem sanare defectum liberi consensus, dum- 8
modò tamen professio non laboret defectu alterius formæ substantialis, quæ non pendeat à solo facto, vel animo profitentis, sed à dispositione legis, alias actum irritantis, quoniam nunquam actus approbativus videtur majoris efficaciæ, quam si ipsamet solemnis professio sincerissimè, & cum omnimoda libertate; liberoque, ac perfecto consensu facta sit, Et tamen ista, præsertim post Concilium Tridentinum, invalida est, quoties non præcedat integer, & continuus annus novitiatus, utpotè requisitus pro forma præcisa, ex deductis infrà, *disc.* 36. Et consequenter ubi egressus à novitiatu cum desertione habitus, essent tales, quòd illum corrupissent, seu interrupissent, ita planum remanebat, ut hic actus nullius momenti remaneret, quamvis reciprocus Religionis, & professi novus liber, ac perfectus consensus accesserit, cùm in eorum potestate non sit hunc defectum supplere, vel remittere.

Et secundò clariùs, quia cùm posita nullitate primæ pro- 9
fessionis, iste novus actus speciem habeat novæ professionis ex integro juxtà sæpiùs enunciatam veram, ac receptam conclusionem præsertim, *sub dict. tit. de alienat. & contr. probib.* ac etiam, *sub tit. de credit.* & alibi, ut scilicet ratificatio actus invalidi, operetur ut nunc, non autem ut tunc, atque habeatur pro actu omninò novo; Professio autem in Religione importet contractum reciprocum, hinc inde obligatorium, Religionis scilicet, ac profitentis. Hinc proinde unum ex essentialibus professionis requisitis, est illud, ut ea fiat coram Superiore, qui ab universa Religione, vel à Conventu Capitulari sufficiens mandatum, vel sufficientem facultatem habeat contrahendi pro ipsa Religione, eamque obligandi, cùm aliàs perfectus, & obligatorius contractus dari non valeat, ut firmatur *in dict. Ulyssiponen. nullitatis professionis 19. Januarii, & 10. Decembris 1646.*

coram Argielles, in quibus receditur à præcedenter firmatis in eadem causa coram Carillo; Et hic erat casus, quoniam hic novus actus gestus non erat cum superiore, qui talem potestatem haberet, atque ex eadem ratione, quòd esset species novæ professionis requirebatur alter novitiatus.

19 Quo verò ad alterum punctum, seu caput nullitatis ob interruptionem novitiatus, cùm super hac materia deducerentur eadem quæ habentur infrà *in Melevitana*, *d. disc. 56.* hinc proinde, ne eadem repetantur, ad ibi dicta relatio sufficiat.

PARMEN. NULLITATIS PROFESSIONIS PRO JOANNE BAPTISTA DE S. VITALI, CUM RELIGIONE HIEROSOLYMITANA.

Casus disputatus in Signatura Gratiæ cum incerta exitu.

De nullitate professionis emissæ in Religione Hierosolymitana ob non servatam formam Stabilimentorum circa deputationem commissariorum, ac professionis emissionem ante ætatem in ipsis Stabilimentis præfinitam; Et de modo reclamationis infrà quinquennium, quomodo facienda sit?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Commissiones Religionis Hierosolymitanæ proponuntur solum in Signatura gratiæ.*
3 *Non signatur commissio restitutionis in integrum, non dato fumo justæ causæ.*
4 *An reclamatio fieri debeat coram utroque superiore?*
5 *Potest fieri etiam coram amicis.*
6 *Professio emissa in ætate præscripta per Sac. Conc. Trid. est valida, quamvis statuta Religionis majorem ætatem exigant.*

D I S C. XLV.

CUpientibus parentibus Comitis Joannis Baptistæ de
1 Sancto Vitali, ut hic assumeret habitum militum justitiæ in Religione Hierosolymitana, deputati fuerunt commissarii de tempore quo erat in ætate annorum 15. adhuc non completorum; Cùmque ob notoriam nobilitatem, brevi tempore expletus esset processus, ideircò professionem emisit in ætate annorum sexdecim, & mensium quatuor; Cupiens autem factus major ad sæculum redire, cum libertate contrahendi matrimonium, elapsum verò esset quinquennium, unde propterea juxtà sæpiùs enunciatum decretum Concilii Trident. indigebat speciali commissione Sanctissimi, directa Ordinario, ac Superiori locali, Stylus autem sit negotiorum istius Religionis non signandi commissiones, ipsa Religione non consentiente, nisi in plena Si-
2 gnatura Gratiæ, ut *infra, disc. 61.* & habetur etiam *sub tit. de praemin. disc. 34.* ubi de appellationibus, quæ ad Sanctissimum interponi solent per volentes admitti ad hunc habitum justitiæ a non admissione facta per Religionem; Hinc proinde pro hujusmodi commissione obtinenda, adita fuit plena Signatura Gratiæ, incertumque est rescriptum emanatum. Probabiliter tamen credo, quòd commissio rejecta fuerit, quoniam ubi non præbeatur sufficiens fumus nullitatis, vel respectivè justæ causæ restitutionis in integrum hujusmodi commissiones signari non solent, nec debent, ne ita detur aditus injustitiis, & scrupulis, ubi præsertim non agatur de dirigendo commissionem Rotæ, vel
3 alteso magno Tribunali, sed Judicibus in partibus; Proindeque ex eadem ratione, quando hujusmodi commissiones porriguntur per professos aliarum Religionum, in quibus non vigeat hic stylus audiendi in plena Signatura Gratiæ, commissiones diriguntur consultationis Sacræ Congregationis Concilii, quæ de hoc cum formali disputatione cognoscit, audita Religione, vel ejus Procuratore generali, & quatenus Congregatio censeat, quòd commissio signanda sit, illa signatur in Camera.

Oppositiones quæ fiebant ex parte Religionis duæ erant;
4 Prima nempè lapsus quinquennii, unde propterea, eodem decreto Conciliari *sess. 25. de Regular. c. 19.* desumebatur tacita professio cujuscunque nullitatis sanativa, sive præscriptio juris dicendi de nullitate; Et secundò quòd nulla adesset sufficiens causa nullitatis, adeòut etiamsi reclamatio fuisset recens, & intra quinquennium, in nihilo proficeret.

Prima objectio facilis videbatur solutionis ex solo facto, in quo sufficienter docebatur de reclamatione facta infrà quinquennium coram Ordinario loci; Quamvis etenim replicaretur, ut id non sufficeret, dum copulativè decretum Conciliare hanc jurisdictionem tribuit Ordinario, & Superiori locali conjunctim, non autem divisim; Attamen erat levis oppositio; Tum ea ex facti circumstantia, quòd in Civitate Parmensi, patria reclamantis, tunc non resideret Commendatarius, quòdque adhibitæ fuerint exuberantes diligentiæ faciendi eundem reclamationis actum coram ejusdem Religionis Oratore, vel Receptore residente apud Rempublicam Venetam, qui pro Superiore in ea Provincia Lombardiæ recognosci solet.

Tum etiam, quia dicta jurisdictio cumulativa rectè procedit in ordine ad cognitionem causæ principalis, & ne unus sine altero processum facere possit, atque sententiam super nullitate proferre, cùm receptissimum sit, ut conjunctim, non autem disjunctim procedere debeant; Non autem ad hunc effectum reclamationis, quoniam cùm ista contineat solum declarationem contrarii animi, qua mediante tollatur illa professionis tacita ratificatio, quæ ex pacifica continuata observantia quinquennali inducta est, hinc proinde ista animi declaratio etiam in forma extrajudiciali coram amicis fieri potest, ex relatis per Barbos. *in collect. ad idem Concil. dicto c. 19.* & in sæpius allegata *Ulyssiponen. nullitatis professionis de Anno* 1646. coram Arguelles apud Dian. *par. 9. dec. 1. & 2.* Nimium autem refert, ut ea fiat coram uno ex dictis judicibus in forma judiciali, ut ita obtineatur major certitudo actus, atque excludantur illæ affectatæ, ac minùs veræ probationes, quæ ad complacentiam per conjunctos, vel amicos desuper fieri solent, ut non semel sum expertus; ac præsertim vidi practicari in casu, de quo suprà, *disc. 41.* 5

Major igitur difficultas residebat in altero objecto, quod scilicet caput nullitatis ut supra deductum ex eo quòd contra formam stabilimentorum facta esset commissariorum deputatio, ac respectivè admissa professio secuta esset ante præfinitam ætatem, quoniam ubi Statuta Religionis per Sedem Apostolicam specialiter approbata id præcisè non disponant sub decreto annullativo tanquam per declarationem animi aliàs non contrahendi, juxtà ea, quæ in proposito aliarum qualitatum personalium habentur supra *disc. 42. & 43.* tunc hujusmodi præfinitiones majoris ætatis, ultra eam, quæ Concilium Tridentinum ampliando dispositionem juris communis præfinivit, important consilium, vel etiam præceptum superioribus ipsius Religionis, ne aliàs ad professionem admittant, adeòut, contraveniendo, possint etiam puniri, non autem exinde inferri potest ad nullitatem professionis, ut rejecta contraria sententia Navar. *cons. 25. lib. 4. tit. de Regular.* firmant Sanchez *ad precept. decal. lib. 1. cap. 4. n. 6. & 7.* Barbos. *de Episc. alleg. 101. n. 15. & in collectan. ad Conc. dicta sess. 25. de Regular. cap. 15. n. 12. & 13.* apud quem Concurdantes, occasione agendi de consimili statuto in Religione Minimorum, in qua ob Instituti nimiam asperitatem, statutum est, ut professio emitti non debeat nisi in magis adulta ætate annorum 17. laudabiliter quidem, quoniam si emittatur antea, dummodo adimpleatur forma Concilii, non potest exindè inferri ad nullitatem professionis; Solumque stabilimentorum contraventio punibilis esse potest in Superiore contraveniente, ac etiam in ipsomet professo, ut scilicet, ita sibi non currat antianitas, vel ut non obtineat alias Religionis prærogativas, non autem ad hunc effectum nullitatis, quotiès, (ut dictum est) statutum a Sede Apostolica approbatum non contineat decretum irritativum. Non audivi autem amplius de ista causa dictum, vel quia rejecta fuerit commissio; vel quia illa obtenta, & directa Judicibus in partibus, cessaverit occasio adhibendi operam patrocinantium in Urbe. 6

MELEVITANA NULLITATIS PROFESSIONIS PRO MARCHIONE ANDREA CORSINO, CUM MARCHIONE PETRO FRATRE.

Casus decisus per Rotam pro Marchione Petro.

De nullitate professionis in eadem Hierosolymitana Religione ex defectu novitiatus, & quando iste, corruptus, vel interruptus dicatur ob egressum à Conventu, seu à loco ad id destinato, adeòut novitiatus ex integro requiratur?

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *De solemnitate cinguli militaris.*
3 *Resolutio causæ.*
4 *Nullitas ex causa metus tota est facti.*
5 *De punctis causæ.*
6 *Quod in Religionibus militaribus non requiratur novitiatus.*
7 *Concilium Trid. quid de novo disposuit circa novitiatum.*
8 *Contraventio Statutorum inducit nullitatem professionis.*
9 *Declaratur quando procedat id quod habetur, num. 6.*
10 *De aliis militiis Ecclesiasticis.*
11 *Quid de ista S. Joannis Hierosolymitani.*
12 *In quo isti Milites S. Joannis differant à Religiosis claustralibus.*
13 *Quod decisio placeat circa ea quæ firmantur super novitiatu.*
14 *De novitiatu, an in eo detur conjunctio temporum?*
15 *An, & quando corrumpatur novitiatus per egressum?*
16 *Est quæstio facti, & quomodo decidenda sit.*
17 *De eodem & de distinctione diversorum Regularium.*
18 *De differentia inter Religiones claustrales, & militares.*
19 *Quomodo vivant novitii in claustris.*
20 *Et quomodo in Religione Hierosolymitana.*
21 *Expleto anno solet differri professio.*
22 *Quod resolutio in hac parte non placeat.*

D I S C. XLVI.

1 POEnitens Marchio Petrus Cursinus professionis emissæ
in Religione Hierosolymitana in manu Prioris Urbis,
qui ex speciali indulto Apostolico ad id potestatem habebat,
obtentaque commissione directa aliquibus Cardinalibus
de voto Rotæ coram Rojas, deduxit primo loco
nullitatem ex defectu cinguli militaris, de cujus solemnitate
plenè agitur per Fagnan. agentem in individuo de ista
causa in *c. qui Presbyteri, de pœnis. & remiss. n. 1. & seqq.* eaque
rejecta fuit sub die 10. Decembris 1649. ut patet ex *decis.*
2 410. inter suas; In repropositione sub die 13. Januarii
1653. pro nullitate responsum fuit ex alio capite, quòd emissa
esset per vim, & metum, ut patet ex *dec.* 491. ejusdem
Rojas, obtentaque adversus hanc secundam resolutionem
nova audientia per Marchionem Andream, cujus intererat
professionem substineri, ut ita subsisteret renunciatio ad ejus
favorem facta; Cùm ex hac parte Andreæ plura deducerentur
nimium stringentia pro exclusione metus, idcircò convolutum
fuit ad aliàs deductam, sed rejectam nullitatem ex
defectu novitiatus, eaque post plures disputationes fuit admissa
sub die 27. Januarii 1659. cor. Meltio subrogato, istaque
decisio habetur impressa apud Zuff. *de leg. process. decis.*
42. deindeque deventum est inter dictos fratres ad concordiam,
quæ aliam produxit litem, de qua *disc. proximè seq.*
Ego scripsi solùm in ultimis disputationibus super pun-
3 cto metus, & super altero novitiatus, non autem super
illo cinguli; Et quatenus pertinet ad punctum metus, ille,
ut insinuatur suprà *disc.* 44. erat potius facti, quàm juris,
utpotè pendens ex probationibus, ex quibus revera excludi
4 potiùs quàm concludi videbatur; Ideòque majores, ferèque
omnes disputationes fuerunt super altero puncto, seu
defectu novitiatus.
5 In hoc autem duplex cadebat inspectio. Primò nempè
circa ipsius novitiatus substantiam, seu necessitatem in genere,
an scilicet ille præcedere debeat in ista Religione, quæ
non est claustralis sed militaris? Et secundò, quatenùs etiam
requiratur, an per discessum à Conventu Melevitano,
redeundo ad Urbem, atque habitus gestationem deserendo,
censeretur ita corruptus novitiatus, jam per integrum
annum continuum, & ultrà in dicto Conventu peractus,
ut opus esset alium ex integro facere?
6 Quoad primum, ego more Advocati causæ inservientis,
inhærendo aliis qui pro hac eadem parte scribebant, & qui
tanquam motivi promotores in eo nimiùm insistebant, negabam
novitiatus necessitatem, utpotè vigentem in Religionibus
claustralibus, non autem in hujusmodi militaribus,
quarum professores vivunt extra claustra in privatis
domibus more sæcularium, deducendo ad id probandum
firmata per Rot. apud Seraph. *dec.* 121 *repetit. dec. 91. p. 1.
divers.* & in voto trium Auditorum Rot. *dec. 228. part. 3.
recent.* cum aliis quibus *sub tit. de jurisd. disc. 92. & de jurepatron. disc.* 20.

Card. de Luca, Lib. XIV.

Neque obstare dicebam statutum Religionis *tit. de reception. fratr. cap. 16.* ubi in specie disponitur, ut servari de- 7
beat Decretum Concilii Tridentini circa novitiatum per
annum continuum, quoniam ubi subsisteret, quòd de jure
novitiatus in his Religionibus militaribus non sit necessarius,
& consequenter quòd non intret Decretum Conciliare,
non exinde inferri poterat ad nullitatem; Siquidem
istud Conciliare decretum, Juris communis dispositionem
non alteravit, neque novitiatus necessitatem induxit, ubi 8
ea non adesset, solum dirimere voluit antiquam quæstionem,
de qua infrà, super conjunctione temporum interpolatorum,
ita demandando continuationem integri anni;
Et consequenter cùm hoc Statutum non habeat decretum
annullativum, non est aptum inducere nullitatem
professionis, ex deductis in specie hujus Religionis, *disc.
proximè præced.*
Verùm reflectendo ad veritatem (quam ab initio in 9
congressibus pro stylo liberè insinuavi) agnoscebam motivi
fallaciam, quoniam dicta decisio Seraphini impressa
etiam post Statuta religionis S. Stephani, ac etiam votum
ibidem quoque impressum, aliæque similes authoritates,
quarum mentio habetur *sub tit. de jurisdict. dict. disc.
92. & sub tit. de jurepatr. disc.* 20. loquuntur de dicta
religione S. Stephani.
Maxima verò differentia est inter prædictam, aliasque
similes militares Religiones, ac istam Hierosolymitanam, 10
quoniam in illa, & similibus non emittuntur vota formalia,
castitatis, paupertatis, & obedientiæ, sed solùm fit
quædam promissio observantiæ statutorum, per modum
loquendi, de facto dicitur professio, sed de jure, ac verè
non est talis; Ad instar illius professionis, quam faciunt
Oblatæ in Monasterio Turris Speculorum Urbis de quibus
sub tit. de dote, disc. 5. & 167. & infra disc. 5. cum similibus,
unde propterea dubium est, an tales milites dici valeant
personæ Ecclesiasticæ etiam respectu fori localis,
vel privilegii clericalis, de quo *in c. Odoardus, de solut.*
& an eorum commendæ spirituales, vel potiùs merè temporales
dicantur, ex deductis, *d. disc. 92. de jurisd. d. disc.
20. de jurepatr. & disc. 118. de credit.* Ideòque non redduntur
intestabiles, vel aliàs incapaces possidendi bona in particulari,
jure veri, ac privati dominii.
Ista verò Religio Hierosolymitana est in omnibus vera,
& propria Religio, ejusque professores sunt verè religiosi 11
professi, ac subjecti tribus formalibus votis castitatis, obedientiæ,
& paupertatis, adeòut efficiantur intestabiles, &
incapaces habendi bona in particulari, ut apud Greg. *decis.
87. & 109. dec. 15. par. 11. rec.* cum aliis deductis, *d. disc.
92. de jurisd. & disc. 9. & 35. de testam.* ubi agendo de istorum
militum intestabilitate, distinguuntur plures eorum
ordines, ex quibus, alii sunt professi, & alii non, ac etiam
contra distinguendo novitiatus à professis habentur *sub
tit. de feudis, disc.* 16.
Hinc proinde, novitiatus formalis, ad formam Juris
communis, & Concilii Tridentini, est præcisè necessa- 12
rius, eodem modo quo in aliis religiosis claustralibus, à
quibus, in alio modo differunt, nisi quòd non coguntur
vivere collegiali more intra claustra, ut per Paris. *de resign.
lib. 6. q. 2 n. 120.* Barbos. *de Episc. alleg. 101. n. 8. & in collectan.
ad Concil. sess. 25. de regular. c. 15. n. 5.* Grat. *discep.
363. n. 27.* Spad. *cons. 16. & 127. lib. 1.* & communiter; Et
consequenter Statutum Religionis dicendum non est dispo- 13
sitivum, vel novi juris inductivum, sed dictæ veritatis
agnitivum, & comprobativum. Ideòque mihi, licèt in
contrarium scribenti, in hac parte, seu puncto, justa,
benèque fundata visa est resolutio.
Quo verò ad alterum punctum interruptionis vel corruptionis
novitiatus è converso resolutio non placuit; Si qui- 14
dem advertebam in primis, quòd non versabamur in casu
quæstionis disputatæ per Barthol. Brixien. *qu.* 68. Abb. *in c.
ad Apostolicam, nu. 9. de Regular.* Lap. *alleg.* 47. Silvestr.
in summa, verbo Religio 5. q. 4. in fin. Ang. Tabien. Armil. &
alios antiquos Canonistas, & Morales, qui scripserunt
ante Concilium Tridentinum, circa conjunctionem scilicet
temporum, quamvis interruptorum, ad perficiendum
annum integrum probationis, quoniam quidquid sit
de veritate unius, vel alterius opinionis, hodie quæstio
sopita est per istud decretum Conciliare, per quod præscribitur
annus integer, & continuus absque interruptione, ut
ita in omnibus, & singulis mensibus, ac anni partibus,
Religionis experimentum habeatur, idque jam adimpletum
fuerat, cùm peractus fuisset novitiatus in Convento Melevitano
per menses sexdecim continuos.

Quare restringebatur causa ad punctum alterius diversæ quæstionis, pariter excitatæ per Bartholom. Brix. *d. q.* 68. an scilicèt, jam dato complemento anni continui, adeòut
15 satisfactum sit dicto decreto Conciliari, subsecutus egressus à novitiatu, illum corrumpat; Super hoc autem Morales, ac etiam aliqui Canonistæ, scribentes post Concilium, quorum plures recensentur in hujus causæ decisione, & per Fagnan. (agentem pariter de isto casu) *in d. cap. quia presbyteri. n.* 116. *& in c. insinuante qui clerici, &c.* nimiùm se involvere videtur, atque in varias scinduntur sententias, distinguendo inter egressum licitum, utpotè vestitum, non solùm à licentia Superiorum, sed etiam à justa causa, putà infirmitatis; Et alium egressum, licitum quidem, ob licentiam Superiorum, sed voluntarium, quia sine causa; Ac alium illicitum, quia non solùm sit voluntarius sine causa, sed etiam sine licentia, atque ubi agitur præsertim de secunda specie liciti, sed voluntarii, & sine causa, tunc major est scissura; Adhuc tamen magis communiter concludi videtur cum distinctione Bartholom. Brix. an scilicèt discessus sit ratus, cùm desertione habitus regularis, ut exinde desumitur animus omninò deserendi religionem, atque redeundi ad sæculum, in quo per adeò notabile tempus vixerit, ut quodammodo dici valeat oblitus prioris status religiosi & consequenter quòd requiratur novum experimentum.

16 Hinc proinde in effectu, ista dicitur quæstio voluntatis, ideòque potiùs facti, quam juris, & consequenter non apta recipere uniformem regulam generalem, cuicunque casui applicabilem, cùm in singulis casibus pro eorum individuis circumstantiis unam, vel alteram voluntatem suadentibus decidenda sit; Erroneumque propterea est, cùm generalitatibus eam tractare, sive applicare illas doctrinas, vel authoritates præsertim antiquorum Scribentium ante Concilium, procedentium cum præsupposito interruptionis intra annum, non autem ubi iste accedat integer, & continuus juxtà formam Conciliarem, quæ jam adimpleta sit.

17 Constituta igitur ista theorica, seu distinctione, quæ generaliter, ac in abstracto verissima est; Dicebam (etiam cum sensu veritatis) quòd fallacia clara consistere videbatur in applicatione, non benè distinguendo casus, ac Religionum species, atque indefinitè applicando ea, quæ in hoc proposito Canonistæ, & Morales, præsertim Scribentes post Concilium, & postquam ea ejusdem Concilii sensu, ob Religionum reformationem illæ in meliori statu, seu regimine constitutæ sunt, utpotè percutientes Religiones claustrales, de quarum genere sunt ferè omnes, excepta ista militari Hierosolymitana, quæ non claustralis, verè & propriè Religio est, cùm aliæ Militares, potiùs impropriè, ac remotè sint tales, ut supra.

18 Longa verò differentia est in hoc proposito, inter Religiones claustrales, & istam militarem; In illis etenim, ut advertitur supra *in Bonon. disc.* 44. & alibi, novitiorum habitus est idem, ac ille professorum, atque ubi etiam in aliqua Religione signum aliquod dignoscatur inter professos, & novitios, adhuc tamen istorum habitus est formaliter regularis in omnibus, adeòut populus non de facili distinguat professos à non professis, eosque indefinitè reputet religiosos, atque sequaces illius Instituti, quod ipse habitus præsefert.

19 Et quod magis est in Religionibus claustralibus, sive sint Monachorum, sive mendicantium, novitii sub arcta custodia, nimiaque asperitate retinentur sub valde probato magistro ejusdem religionis in eodem loco contradistincto ab aliis ejusdem Conventus, vel Monasterii partibus, in quibus professi vivunt, adeòut, non permittatur eorum conversatio, neque cum ipsismet ejusdem Ordinis, vel Conventus religiosis professis, multò minùs cum sæcularibus, neque datur casus, ut permittantur soli incedere, imò neque per ipsum Conventum, multò minus extra.

Et consequenter quando novitius egreditur à loco novitiatus, atque derelicto habitu regreditur ad sæculum, ibique in habitu, & statu sæculari vivit, ita ejus voluntatem declarasse videtur pœnitentiæ in assumendo illum statum, illumque propterea omninò deserendi, & consequenter, quòd rectè dici valeat corruptus præcedens novitiatus, quòdque propterea oporteat novum ex integro peragere juxtà sensum eorum, cum quibus in hujus causæ decisione proceditur, quoniam benè processum fuisset, quoniam in his terminis versaremur.

20 Hæc autem omnia cessant in hac religione, quoniam licèt illius habitum suscipientes, novitiatum per integrum anni continuum peragant in Conventu Melevitano, qui neque formalis Conventus claustralis est, cùm tota Civitas, in qua resideat M. Magister cum ejus Consilio, dicatur Conventus, ac pariter in privatis domibus more sæcularium vivatur; Attamen post peractum annum, unde propterea satisfactum est Concilio, & Statutis, non omnes milites illicò professionem emittunt, quoniam multi, utpotè nobiles, ac filii Magnatum, & Feudatariorum, ne se adstringant voto castitatis, quod nobilibus, & magnatibus domibus notabilia præjudicia causare solet, sed se continent in statu novitiorum, in quo plures senescunt, ac moriuntur, ut insinuatur *sub tit. de pension. disc.* 42.

Neque stabilimenta Religionis eos obligant ad profitendum, nisi post ætatem 25. annorum, qua etiam completa, concedi solent licentiæ, & prorogationes, istique religiosi non habent habitum regularem à sæcularibus contradistinctum, nisi quando sint professi, quod habitu sæculari pariter utentes gestant crucem telæ albæ in parte sinistra pallii (cùm magnam in pectore non gestent, nisi illi qui habeant dignitates,) novitii verò nullum habent habitum, vel signum, nisi quòd eis licitum est deferre in pectore parvam crucem auream, quæ adeò exigua esse solet, ut vix dignoscatur, neque semper gestatur, adeòut in nihilo dignoscantur differentes ab aliis nobilibus sæcularibus; Et consequenter, prorsus improprium esse dicebam, ut per discessum à Conventu Melevitano cum venditione supellectilium, quæ ibi habebantur, atque per aliquam moram in Urbe in domo patrui insignis Prælati, vel in domo paterna in patria, desumi posset ea desertio quæ per DD. vel Morales considerarur in præfato alio diverso casu novitiorum religionum claustralium, cùm fallacia videatur manifesta; Et ea hinc mihi videbatur, quod probabiliter sperari debuisset recessus, quando ulteriorem disputationem non impediisset subsecuta concordia inter fratres, per quam conventum fuit de solo actu negativo, idest quòd in eo statu, causa absque ulteriori progressu quiescere deberet, quamvis concordia deinde effectum sortita non sit, ut habetur, *disc. proximè sequenti*. 21

22

R O M A N A
SEU FLORENTINA TRANSACTIONIS
INTER EOSDEM MARCHIONES ANDREAM, ET PETRUM DE CORSINIS.

Casus decisus per Rotam pro Petro.

An & quando simoniaca, & invalida dicatur conventio, super statu religioso assumendo, vel retinendo, ob aliquam rem temporalem datam, vel receptam?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De simonia pro admissione ad habitum, & professionem regularem dando rem temporalem.*
4 *Declaratur quando id procedat.*
5 *De alia declaratione.*
6 *Datur exemplum super prima declaratione, de qua n. 4.*
7 *Et de secunda declaratione, de qua nu. 5.*
8 *Potest secundogenitus cum muneribus allicere primogenitum, ut Religionem ingrediatur, vel sacros Ordines suscipiat, ut ipse succedat in primogenitura.*
9 *Temporalitas, quæ incidenter, vel accessoriè sequatur non attenditur.*
10 *In conventione, ut abstineatur à lite, non intrat conclusio, de qua num. 3.*
11 *Conventio super recessu à lite beneficiali, an, & quando importet simoniam.*
12 *De conventione super statu personæ.*

D I S C. XLVII.

Quæstionem super nullitate professionis, *disc. præced.* examinatam, atque per ibi insinuatam concordiam sopitam; Ad breve tempus, idem Marchio Petrus suscitavit, prætendendo dictæ concordiæ invaliditatem, quasi quòd ob quandam pecuniarum summam à fratre acceptam, ne litem ulterius prosequeretur, ita impeditus remaneret sententiam super declaratione ejus status sæcularis, ac liberi reportare, & consequenter quòd in statu potiùs regulari, & impedito, vel saltem incerto vivere cogeretur; Ideòque reassumpta causa in eadem Rota coram Cerro subrogato, atque dato dubio, an concordia obstaret *sub die 4. Junii* 1660. negativa 1

negativa

gativa prodiit resolutio, quæ habetur impressa apud Zuff. *de legitim. process. dec.* 50. & apud Bonden, *dec.* 75. *& p.*
2 23. *rec. dec.* 187. Eique Andreas acquievit, non curando substinere ampliùs renunciationem, unde propterea ad annorum divisionem deventum est, quæ alias eos produxit controversias disputatas coram Magistratibus Florentinæ Civitatis communis Patriæ.

3 Resolutio prodiit ex fundamento simoniacæ infectionis, ex eo quòd per istam conventionem Petrus accepisset ab Andrea fratre scuta decem mille, aliasque proficuas promissiones, ad effectum, ut desetendo litem perseveraret in statu regulari & consequenter, quòd intraret dispositio textus *in c. veniens, de simon.* ubi expressè deciditur, ut conventio, vel datio rei temporalis ad hoc, ut quis habitum monasticum, vel statum religiosum habeat, dicitur simoniaca, ibique firmant communiter Canonistæ, ac etiam Bal. Castr. Salicet. & alii Civilistæ *in l. fin. C. de transact.* Nav. *conf.* 85. *lib.* 5. *de simon.* Suar. *de Rel. tom.* 1. *l.* 4. *de simon. c.* 17. *n.* 5. *&* 6. & alii Morales in decisione recensiti.

Verùm, (reflectendo etiam ad solam veritatem,) istud fundamentum omninò minus probabile videbatur, quòdque dicta juris conclusio in suo casu vera, nullatenus ad rem adaptabilis esset, ideòque manifesta esset fallacia in applicatione dupliciter.

Primò nempè, quoniam tunc simonia committi dicitur, quando ex pacto, & voluntaria conventione datur res temporalis, quæ aliàs debita non sit ob finem assequendi rem spiritualem; Secùs autem, ubi datur id, quod jam debitum erat, quoniam pactum, vel implementum quod
4 est debitum, atque juri consonat, non inducit simoniam, ut benè Geminian. *conf.* 84. *n.* 18. *&* 19. Dec. *conf.* 118. *n.* 5. Paris. *de confidentia, quæst.* 27. *n.* 131. Tondut. *quæst. civil.* 96. *tom.* 1. *n.* 32. Buratt. *dec.* 444. *n.* 2.

5 Ac etiam, quia (ut ex eisdem patet) intrat simonia, ubi datur res temporalia ad finem assequendi rem spiritualem, quæ sit principalis in intentione, secùs autem, ubi alius sit finis ejus, qui dat, vel promittit, juxta exempla, de quibus infrà.

Utraque verò declaratio ad rem adaptabilis erat; Prima siquidem, quoniam per istam conventionem nil de novo datum, vel promissum fuit, sed adimpletum id, ad quod in vim renunciationis Andreas renunciatarius Petro renunciaoti certis temporibus promiserat, justè autem recusabat præstare, ob litis introductionem, cujus eventus influebat in ejusdem renunciationis resolutionem, unde propterea concordia aliud non importabat, nisi primæ conventionis, seu renunciationis observantiam, abstinendo ab impugnatione.

6 Ad quod comprobandum dabam exemplum, quòd si resignatarius beneficii, intuitu resignationis, Apostolica authoritate, legitimè se obligat solvere resignanti annuam pensionem, vel aliam summam, neget autem obligationem implere, ob litem ab eodem resignante motam, super resignationis nullitate; vel super alia re, à qua consecutivè ipsa resignatio corruat, resignans verò paciscendo renunciet liti, atque ita tollat obstaculum, sive impedimentum, ob quod justè debitor negabat debiti solutionem, tunc si pensionis solutio fiat, vel promittatur, nullum malum fieri dicitur, neque exinde dici potest, quòd actus sit simoniacus; Sive si quis intuitu admissionis propriæ filiæ, vel sororis in Monasterio, licitè se obligaverit illi solvere dotem dari solitam, vel aliā extraordinariam, ob aliquam alternativam qualitatem mulieris ita receptæ; deinde verò solutione pendente, Monasterium litem introducat super monialis electiōe, atque ita debitor justè differat suam obligationem implere, si posteà Monasterium cedat liti, benè solvitur debitum jam constitutum tanquam ex cessante causa impedimenti, cum similibus.

7 Et quòad alteram declarationem, pariter ea de plano intrare videbatur, quoniam Andreæ fratris majoratu aurati, atque numerosam familiam jam habentis nil intererat, an Petrus frater minor efficeretur religiosus, vel aliam statum Ecclesiasticum susciperet ratione spiritualitatis, sed ejus interesse principaliter consistebat in fine temporalis, ne frater uxorem susciperet, ac filios procrearet, unde resultaret divisio bonorum in hac nobili familia existentium ex fideicommissis majorum; Et hic erat finis principalis, ad quem assequendum intererat subsistineri professionem, sive ad illius nullitatis declarationem non procedi, tanquam medium, per quod dictus finis poneretur in tuto, ut in hisce terminis specialibus advertitur per Tondutum *d. q.* 96. *n.* 24. *& seqq.*
8 Hinc proinde, ut quotidiana praxis docet, atque licitè fieri posse, habetur apud Sanchez. *consil. moral. lib.* 2. *c.* 3. *dubitat.* 19. *in fin.* si filius secundogenitus possessoris alicujus majoratus, vel principatus, curet cum muneribus, vel oblationibus pinguium provisionum, aliisque artificiis, etiam dolosis, inducere fratrem primogenitum, ut assumat Ordines sacros, vel ingrediatur Religionem, ibique profiteatur, ad effectum, ut ita se inhabilitet ad successionem majoratus vel principatus seu feudi, in quo propterea secundogenitus efficiatur primus, juxta plures casus, quos temporibus nostris practicari vidimus in Urbe, & in Civitate Neapolis, aliisque locis, non exinde dici poterit, quòd ita committatur simonia, dando, vel promittendo rem temporalem pro spirituali quoniam nihil datur, vel promittitur pro spiritualitate, quam nil interest datoris, vel promissoris obtinere, sed datur ad dictum effectum temporalem, pro cujus assecutione allicitur quia ad assumendum statum spiritualem tan-
quam medium, ideòque attendendum est id ob quod prin- 9
cipaliter alias res temporalia datur, vel promittitur, quamvis incidenter spiritualitas ita admixta sit, ut *dec.* 28. *n.* 1. *& seq. par.* 4. *rec. tom.* 2.

Clarius, quoniam neque ista conventio, seu transactio percutiebat ipsum statum, quòd scilicet ea mediante Petrus, qui prætendebat se non professum, efficeretur professus, sive de sæculari efficeretur regularis obligatus ad vota & onera
Religionis, sed solum conventio erat, ut abstineret à prose- 10
cutione litis, ad effectum, ut ita remanente causa suspensa & indecisa, posset quidem stantibus decisionibus Rotalibus Petrus quòad onera Religionis se reputare exemptum, sed ita remaneret impeditus assumere statum matrimonialem, cujus impedimentum, ex supra insinuato fine temporali desiderabatur.

Hinc habemus, quòd aliud est conventio super ipso jure, 11
vel alia re spirituali principaliter in contractum deducta, Et aliud est conventio super renunciatione litis tanquam per remotionem obstaculi, juxtà *dec.* 15. *de renunciat. in antiq. & dec.* 3. *de renunciat. in nov.* cum Concordantibus apud Garz. *de benef. p.* 11. *c.* 3. *§.* 3. *n.* 235. Suarez *lib.* 1. *tom* 4. *de simon. cap.* 51. *n.* 5. ubi quòd conventio sub obligatione non litigandi non dicitur percutere jus spirituale, quod ubi detur, & alteri tollatur, quoniam quilibet remanet in suo statu, solùmque est species suspensionis armorum; quodque interim res perseverent in eo statu, in quo reperiantur; Atque catenus in litibus, quæ fiunt super beneficiis Ecclesiasticis, cum aliqua circumspectione in hac materia proceditur, quatenus subsit ratio fraudis, quæ simoniæ fieri posset ut ita ille, qui agnoscit deterius jus in beneficio habere, illud mediante pecunia obtineat; Et sic ubi res spiritualis est principaliter in lite, adhuc ob ejus assecutionem bona temporalia dentur, vel promittantur, non autem ubi conventio est principaliter super re temporali hincinde; Ideòque pro meo judicio, à casu istius controversiæ omninò extraneus videbatur iste terminus simoniæ, qui in his terminis status regularis cadere potest, ubi agatur de conventione inter Monasterium, ejusque Prælatum, & profiteri volentem, juxtà casum de quo infrà, *disc. seq.* In isto autem casu potiùs juxtà
dispositionem, vel intentionem juris civilis cadere potuis- 12
sent termini diversi invaliditatis istius conventionis, tanquam inductivæ servitutis in persona libera; Verùm de his actum non fuit.

ADNOT. AD DISC. XLVII. & XLVIII.

AD hanc Simoniæ materiam videri poterunt deducta *sub tit. de Dot. discur.* 11. *&* 167. Et aliqua in supplemento *hoc tit. disc.* 77. & in sua Sede *sub tit. de Benef. disc.* 70. *&* 71. *Et sub tit. de Pens. disc.* 41. *&* 80. *& tit. de Canon. disc.* 20.

NEAPOLITANA DONATIONIS PRO ANTONIO ET CONSORTIBUS, CUM COLLEGIO S. DEMETRII.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Regularium, resolutus pro Collegio.

De eadem materia, an scilicet id, quòd ingrediens Religionem, vel Monasterium, dat, vel promittit; ut ad professionem admittatur, importaret simoniam? Et incidenter, quatenus donatio ad hunc effectum facta non subsistat, infirma verò remaneat professio, quæ non impugnetur, cuinam acquiran-

tur

tur bona in hac donatione contenta, & ro religiosus de eis disponere possit?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *De simonia recipiendo rem temporalem pro admissione ad Religionem.*
3 *Non tamen exinde inficitur professio.*
4 *Exitus causæ.*
5 *Quid requiratur ad effectum simoniæ.*
6 *Quando verificetur ea simonia, de qua num. 2.*
7 *Quandoque datur aliquid licitè Monasterio pro admissione ad habitum.*
8 *De dote Monialium.*
9 *Et quando detur etiam dos duplicata, & de ratione.*
10 *Etiam in casu simoniæ ut n. 2. cui applicentur bona.*
11 *Camera Apostolica succedit in bonis religiosi decedentis extra claustra.*
12 *Quod religiosus etiam post professionem possit declarare ejus voluntatem.*

D I S C. XLVIII.

1 OBtenta per Antonium à Sacra Congregatione ex justis causis licentia faciendi transitum à Religione Discalceatorum S. Teresiæ, ad laxiorem Congregationem Somascam, factaque cum prima Religione concordia per eandem Congregationem approbata super bonis ab eodem religioso in sæculo possessis, ita dirimendo quæstionem de qua supra in alia *Neapolitana, disc. 39.* Attributa eidem facultate de illa parte, quæ in vim dictæ concordiæ sibi remanebat, disponendi ad favore conjunctorum, vel secundæ Religionis, ad quam transitum faciebat; ipse de omnibus aliis disposuit, ad favorem fratris numerosæ familiæ onerati, atque juxta gradum suæ nobilitatis, non benè provisi, præterquam de scutis mille, quos investitos in quibusdam juribus fructiferis, cum quibusdam aliis bonis donavit Collegio S. Demetrii, in quo professionem emittere debebat posteà emissam; Ad aliquot verò annos, idem Antonius, ex asserto motivo charitatis erga fratris familiam, cupiens, ut hic effectus illius beneficio cederet, nullitatem dictæ donationis promovit ob simoniacam infectionem, ex eo quòd facta esset tan-
2 quam præmium admissionis ad non impugnatam professionem, fretus dispositione textus *in c. veniens, de simonia*, ubi præcisè deciditur, nullum ac simoniacum sit id quod Abbati, vel Monasterio datum est à professo, cùm Concordantibus, de quibus *disc. præcedenti*.

3 Quamvis etenim id non inficiat ipsam professionem, quæ valida remanet, ut supponitur *in dicto c. veniens*, ac etiam habetur *in c. quoniam eod. tit.* neque ista quæstio assumeretur, quia professio non impugnabatur; Nihilominus id, quod ita turpiter receptum est, retineri non potest, sed restituendum venit, ut literaliter in eodem textu deciditur.

4 Introducta verò causa in dicta Sac. Congregatione Regularium; Cùm per Antonium requisitus fuissem ad scribendum, agnita difficultate, illam pro stylo insinuavi, cum monendo ut desisteret, atque potiùs quandam honestam oblatam concordiam amplecteretur, cùm pro meo judicio potiùs timendus esset malus, quàm sperandus bonus causæ eventus, qualem non obstante hoc monito, ipse experiri voluit, illeque fuit juxta votum, dum pro validitate prodiit resolutio, quæ mihi licèt scribenti pro succumbente, justa, benèque fundata visa fuit.

5 Dicebam siquidem, in discursu ad veritatem edito pro causæ directione, quòd licèt, ob literalem dispositionem dicti textus, & communem sensum, non solùm Canonistarum, & Moralium, sed etiam Civilistarum, de quibus *disc. praeced.* certa sit superiùs insinuata propositio; Nihilominus difficultas erat in applicatione, quoniam ut patet, ex deductis *in Tolet. Archipresbyteratus, sub t. de benef. disc. 36.* & alibi, ac etiam advertitur *disc. præcedenti*, ad effectum simoniæ, duo copulativè desiderantur. Primò nempè, pactio correspectiva rei temporalis pro spirituali, adeòut alias ista sine illa concessa non esset, secùs autem, si re spirituali purè concessa, ille qui recepit, ex mera gratitudine, liberaque voluntate; nulla cogente actione aliquid temporale elargiatur. Et secundò, ut res temporalis, principaliter detur pro assecutione rei spiritualis, secùs autem pro alia re temporali, quamvis sequatur occasione status spiritualis, & sic ubi ex pacto aliquid datur, vel promittitur pro admissione ad habitum vel ad professionem, ut in eadem Decretali supponitur.

6 Id autem, attento illorum temporum statu, erat contingibilem, dum admissio ad professionem in aliquo Monasterio nimiùm prodesse poterat pro capacitate electionis passivæ in Abbatem, ut etiam hodie praxis docet in aliquibus Germaniæ Monasteriis nimiùm qualificatis, quorum Abbatiæ redolere videntur speciem Principatus, unde propterea etiam filii magnorum Principum student admitti ad professionem, ac effici de numero monachorum ob dictam capacitatem passivæ electionis, juxtà casum de quo infra *in Colonien. disc. 53.* (umque receptio pendeat à consensu capitulari, dari potest iste casus, ut mediante pecunia, vel alia recompensa temporali id obtineatur.

Neutrum verò ex his requisitis in facto justificabatur. 7
Quamvis enim aliquis vehemens fumus daretur, quòd dictum Collegium se facile reddiderit ad hunc religiosum admittendum ob illud emolumentum, sine quo probabiliter admisisset; Adhuc tamen admissa pro concludenti ista probatione non exinde inferri poterat, ut versaremur in casu dictæ Decretalis, cùm ad aliam justam causam temporalem id referendum veniret, quòd scilicet, cùm admittendus constitutus esset in gravi ætate, ideòque non ita idoneus ad Religionis servitium, ut sunt juvenes, sed potiùs majoribus incommodis, & sumptibus subjectus, cùm ipsamet senectus dicatur infirmitas, & propterea majora incommoda, & dispendia parere soleat, hinc proinde Monasterium, rationabiliter, ac licitè, solicitum fuit de ista provisione, qua mediante à dictis oneribus, ac sumptibus merè temporalibus eximerentur, justèque sine illa eum recipere recusasset.

Ad quod comprobandum ponderabam ea, quæ haben- 8
tur *sub t. de dote disc. 11. & disc. 167.* super dote, quæ datur Monasterio per puellas ibi profiteri volentes, quòd scilicet quamvis aliquorum opinio sit, ut ea citra simoniacam labem recipi non valeat, attamen hæc opinio passim rejecta est, atque contrarium docet inconcussa praxis, ipsa Sede Apostolica, non solum approbante, sed etiam prohibente, ne Monasterium, quamvis volens solitam dotem remittere, vel diminuere valeat, ex ea ratione, quòd non datur ob spiritualitatem professionis, vel habitus monastici, sed in recompensam oneris temporalis, quòd Monasterium in se suscipit ad instar dotis, quæ constituitur viro pro matrimonio carnali, in quod eadem spiritualitatis ratio intrat.

Quinimò ubi agatur de muliere vidua, vel corrupta, vel 9
sene, aut parum valida, vel de super numeraria, aut de tertia sorore per S. Congreg. demandari solet solutio dotis duplicatæ, vel triplicatæ, ut advertitur *dicto disc. 167 de dote*, ubi de hac materia dotis monialium, non tamen exinde inferri potest ad simoniam, cùm id nō detur principaliter propter professionem, vel habitum monasticum, sed in recompensam oneris vel præjudicii temporalis; Et hic mihi videbatur casus, unde propterea imprudens consilium censui hoc opus assumere, quòd tamen aliis defensoribus assumendum esse visum fuit; (Talis est ingeniorum varietas!)

In eodem discursu edito ad veritatem pro directione, mo- 10
tivabam, quòd ubi etiam intraret dispositio dictæ Decretalis, adeòut ista donatio cedere non debuisset ad commodum dicti Collegii, non exinde tamen obtineretur intentum, ut bona donata remanerent ad liberam dispositionem ipsius religiosi professi, sed vel acquisita essent ipsius Religionis universitati, vel quatenus universa Religio culposa dici posset, quia nempè Generalis, aliique Prælati ipsam repræsentantes, hujus conventionis participes fuissent, adeòut eadem intraret tamen, ut turpiter quæsitum retineri non posset, acqui-
reretur Ecclesiæ universali, seu ejus loco Cameræ Apostolicæ eo modo quo acquiruntur bona religiosorum decedentium extra claustra, juxtà Constitutionem Gregorii XIII. 43. & habetur aliis relatis apud Fontanell. *dec. 227. in fine*, & per Rotam *dec. 121. n. 17. & 18. p. 6. rec.* ubi declaratur, ut non procedat in iis, quæ jam Monasterio, vel Religioni quæsita erant, dum religiosus erat in claustris, quoniam professus in ipso instanti professionis servo assimilatus contrahit incapacitatem habendi dominium bonorum in particulari cum eorum libera dispositione.

Nisi dici posset, quòd cùm (his bonis exceptis) de aliorum 12
universitate, instante professione, juxtà sibi attributam facultatem, disposuerit ad favorem fratris, ita etiam ista bona, quæ ob actus infectionem habenda essent pro non donatis sub dicta universitate comprehenderentur; Quòdque adaptari possent ea, quæ in terminis testamenti conditi per volentem profiteri, habentur *sub t. de testam. disc. 35.* quòd scilicet quamvis non possit post emissam professionem testamentum revocare, seu aliàs de bonis disponere, attamen possit ejus dubiam dispositionem declarare, ad instar illius declarationis, quæ conceditur donatori, quamvis eidem de

ni ge-

negetur facultas revocandi validam, ac perfectam donationem inter vivos; Hæc autem deducebantur in sola ratione motivandi, sed disputata non fuerunt.

LUCANA FIDEICOMMISSI.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

Religiosorum nomine, seu appellatione, quinam veniant; Et de religiosorum exclusione à fideicommissis, aliisque successionibus ex judicio testatoris.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An religiosi excludi possint a fideicommissis, & legatis, aliisque dispositionibus?*
3 *De triplici distinctione religiosorum.*
4 *De distinctione clerici secularis, & regularis, & qui propriè dicantur religiosi.*
5 *An professores militiarum Ecclesiasticarum sint religiosi?*
6 *Quid de novitiis.*
7 *De distinctione Mendicantium à non Mendicantibus.*
8 *De verbo secularium contradistincto à Regularibus quibus congruat.*
9 *De regularibus viventibus in sæculo.*
10 *De ratione ob quam regulares excludi solent.*

D I S C. XLIX.

1 ORdinato per testatorem fideicommisso particulari in quibusdam bonis ad favorem descendentium masculorum nepoti ex fratre, quem hæredem instituit, exclusos voluit omnes religiosos, tam sæculares, quàm claustrales, & tam mendicantes, quàm non mendicantes sub qualibet Religione, & regula vocatos; Cùmque defuncto primo instituto, plures ejus filii successissent, quorum aliqui jam clerici in minoribus vellent sacros ordines suscipere; Hinc pro veritate consultus fui, an ita effici dicerentur religiosi, adeòut sub dicta exclusione caderent; Atque dubitandi rationem præbebat contradistinctio secularium à regularibus, quasi quòd religiosi sæculares dicendi non essent, nisi clerici sæculares, cùm illi in aliqua Religione profitentes, venirent sub nomine claustralium; Ac etiam in petitione motivatum fuit de dictæ dispositionis validitate.

Quatenus ad hanc secundam dubitationem pertinet; Respondi, quòd hodie, illa omninò abolita videtur, ideòque disputationem non admittit; Licèt enim ut advertitur *sub t. de fideic. disc. 63. & seqq. & sub t. de dote, disc.* 12. Aliqui Canonistæ, magis verò Morales crediderint, ut hujusmodi religiosorum, seu aliàs vitam Ecclesiasticam profitentiũ exclusiones pro non scriptis habendæ veniant, ex generali dispositione seu ratione textus *in Authentica cassa, & irrita, C. de Sacrosanct. Eccl.* cùm concordantibus, quasi quòd à religione, seu vita Ecclesiastica id avertat, atque meliorem partem eligentes puniat, eosque successione indignos reputet, ducto a fortiori argumento ab iis quæ in jure statuta sunt super conditionibus inducentibus viduitatem, sive matrimonii libertatem adimentibus, vel restringentibus, cum similibus.

2 Nihilominus, ista opinione rejecta, passim, ac extra omnem controversiam, cõtraria opinio hodie recepta est, quoniam dispositio referenda non venit ad odibilem exclusionem eligentium vitam religiosam, vel Ecclesiasticam, ob illius vitæ, seu status odium, sed ad honestum finem vocandi solùm existentes in seculo pro familiarum conservatione, & prorogatione, ac decore, quamvis id non exprimatur, quoniam præsumitur, nisi ista præsumptio per contrariam probationem cesset, per quam constet, quòd odio dicti status id dispositum sit, quòd inter catholicos nunquam, vel nimiùm raro in praxi verificabile videtur: ideòque non est exclusio pœnalis ob illum statum, sed potiùs est adjectio diversæ qualitatis, quam disponens in successoribus desideravit, ex deductis *d. disc. 2. de dote*, occasione agendi de puncto, an relictum pro dote matrimonii carnalis conveniat ingredientibus Monasterium, & *d. disc. 64. & seq. de fideic.* ubi in specie de successione religiosorum in fideicommissis; Et conferunt quæ generaliter habentur *sub t. de testam. disc. 73. & sub t. de feud. disc. 54.* ubi de exclusione clericorum, & Ecclesiasticorum à successione, vel retentione feudorum; Adeòut istæ quæstiones videantur hodie solum voluntatis, non autem potestatis, an scilic. & quando disponens id voluerit necne, sed quando voluntas est expressa, tunc cessat omnis quæstio.

3 Quo verò ad primum punctum, an scilicet sub hac dispositione venirent clerici sæculares constituti in *sacris*? Respõdi quòd pariter negativa videretur indubitata; Siquidem religiosi in triplici significatione capi possunt; In latissima scilicet, lata, & stricta; Latissima etenim, ac impropria ea est quæ complexiva sit omnium illorum qui Christianam religionem profitentur, cùm ita discreti ab infidelibus, religiosi rectè dicantur; Lata verò ea quæ continet genericam distinctionem verè secularium, qui veniunt sub nomine populi, & Ecclesiasticorum venientium sub generico nomine cleri, sub cujus nomine veniũt omnes clerici tam seculares, quàm regulares, absque distinctione Ordinum sacrorum, vel minorum, quoniam etiam clerici in minoribus Ordinibus constituti, dicuntur veri religiosi, & Ecclesiastici, eandem habentes personalem, ac realem Ecclesiasticam immunitatem, quam obtinent illi in sacris, ubi non obstet defectus requisitorum Concilii Tridentini, per quem in effectu declarantur non clerici, ut infrà advertitur, agendo de clericis sæcularibus; Et consequenter in hac facti specie nil referebat, an essent clerici in minoribus tantùm, vel etiam in sacris.

4 In stricta verò, ac propria significatione, juxta communem usum loquendi, sub nomine religiosorum, veniunt solùm illi, qui alicujus Religionis institutum, cùm solemni emissione trium votorum profitentur, ideòque de clero regulari efficiuntur, juxta communem distinctionem, super qua, agendo de hoc nomine, seu vocabulo religiosi, plura de more colligit elaboratus Barbos. *inter tract. var. de appellat. verbor. appellation.* 223. atque de hac distinctione habentur *sub tit. de praem. disc.* 30.

5 Adeòut, ex deductis in alia *Lucana sub tit. de jurisdict. disc.* 92. quamvis aliquæ militiæ à sede Apostolica approbatæ pro aliquo religioso, vel pio instituto erectæ de facto ex communi usu loquendi dicantur Religiones, attamen verè, & proindè non sunt tales, earumque professores non sunt verè religiosi, ut etiam de mulieribus vitam cælibem, ac spiritualem etiam sub clausura eligentibus habentur *disc. sequenti*, quoniam religiosi propriè dicuntur illi, qui regulare Institutum cum formali votorum emissione profitentur; Adeòut etiam illi, qui hujusmodi Religiosum Institutum regulare assumunt, ac habitum deferunt, donec sunt 6 novitii, quamvis ad certos effectus favorabiles, sub nomine Ecclesiasticorum, seu religiosorum veniant, eorumque aliquibus immunitatibus, ac privilegiis potiantur; Attamen in effectu non sunt tales, quoniam sunt testabiles, atque dominium bonorum retinent, quinimò sunt capaces feudorum, ac beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium, vel pensionum super eisdem beneficiis, ut in suis respectivè materiis advertitur *sub tit. de benef.* & sub altero *de pensionibus*, ac altero *de feudis*, cum similibus.

Clariùs verò in hac facti specie, quòd testator contradistinxit mendicantes à non mendicantibus, 7 cùm ita clara videretur intentio agendi de vero regulari tantùm, ita distincto inter mendicantes, & non mendicantes, ut alibi *hoc eodem titulo* advertitur, quæ distinctio non cadit in clero sæculari.

8 Unica dubitandi ratio resultare videbatur à discretiva locutione sæcularium, & claustralium; Et quidem ubi istud verbum claustralium explicatum fuisset sub altero regularium, ratio dubitandi fuisset nimirùm probabilis, quoniam verbum genericum regularium, clericum regularē complectitur, dum alterum verbum secularium clero seculari congruit; Verũ difficultas cessabat ex eo quòd hoc verbum *sæcularium* positum fuerat contradistinctè à claustralibus ad effectum explicandi omnes regulares, seu religiosos quamvis extra claustra viverent, ut sunt præsertim milites Hierosolymitani, qui ut advertitur *supra disc.* 46 & alibi, sunt verè religiosi tria solemnia vota prævio formali novitiatu emittentes, ideòque intestabiles, atque incapaces possidendi bona in particulari redduntur, ac seculo moriuntur, & tamẽ extra claustra in privatis domibus more secularium vivunt.

Prout etiam, sive ex indultis specialibus, sive ob eam plu-9 rium Religionum commendabilem suppressionem, quam nostra ætas experta est, plures adesse solent religiosi, qui regularem statum adhuc retinentes, atque votis regularibus adstricti vivunt in sæculo in habitu clericorum sæcularium sub obedientia Ordinarii, ideoque tanquam non viventes in claustris de facto dicuntur religiosi sæculares, contradistincti à claustralibus.

Ponderatis etiam illis aliis verbis ex facti serie narratis, 10 quòd scilicet non contentus testator præfata distinctione mendicantium à non mendicantibus addidit alia verba *sub aliqua Religione, vel regula*, cùm ita ad oculum describantur illi, qui regulare institutum formiter profitentur

Cùm

Cùm etenim formalem professionem in aliquo Instituto regulari emittentes, ita efficiantur incapaces possidendi in particulari bona, vel jura, quæ juxta opinionem Canonistarum in Romana Curia, ac generaliter in foro ecclesiastico magis receptam directè transeunt ad Religionem, vel Monasterium, quod directè, ac immediatè jure suo succedere, vel obtinere dicitur, non autem mediante persona religiosi, ut Civilistæ volunt. Hinc propterea procedendo cum sæpius insinuata propositione, ut in hujusmodi quæstionibus voluntatis, non formalitas verborum, sed substantia voluntatis attendi debeat, ita testator eos tantùm providere voluit, qui viventes in sæculo indigent bonorum, ac redituum temporalium subsidio, quo non indigent religiosi, dictumque subsidium ita congruum est laicis, quàm clericis in sæculo viventibus, ut præsertim advertitur, *sub t. de fideicommisso dicto disc.* 64. nè aliàs Religiones, ita in hujusmodi bonis succederent, ac se ingererent; Itaque videbatur istius voluntatis substantia, quæ spectato effectu attendenda est, neglectis (ut dictum est) verborum formalitatibus, vel grammaticalibus significationibus, cum id grammaticorum partes esse videantur.

ADNOT. AD DISC. XLIX.

De Religiosorum exclusione, Vid. *Annot. ad disc.* 63. *de fideicom.*

MEDIOLANEN. CONSERVATORII
PRO GUBERNATORIBUS DOMUS PIÆ MULIERUM POENITENTIUM.

Discursus pro directione.

An? & quando domus in qua collegialiter sub certo Instituto etiam Regulari vivant aliquæ mulieres, dicantur Monasterium Monialium, ipsæque mulieres dicantur Moniales, & personæ ecclesiasticæ, vel potiùs dicatur domus sæcularis, ipsæque mulieres etiam sæculares, qualemve potestatem isto secundo casu habeat loci Ordinarius?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *In Monasteriis Monialium certa est Ordinarii loci jurisdictio ordinaria, vel delegata.*
3 *De errore Scribentium in materiis jurisdictionalibus.*
4 *De diversis Institutis, vel Religionibus mulierum:*
5 *Recensentur puncti, seu effectus jurisdictionales.*
6 *Ordinarius habet regulam generalem in omnibus Ecclesiis diœcesis.*
7 *Ecclesia sæcularis precario concessa Regularibus non mutat statum.*
8 *Oratoria privata sæcularium subjacent Ordinario.*
9 *In Ecclesia nulla est laicorum potestas.*
10 *Quare in capellis Regiis, & aliquibus Ecclesiis Ordinarius non habeat jurisdictionem?*
11 *De eadem conclusione, de qua num. 4.*
12 *In concernentibus curam animarum cum Clero, & populo certa est jurisdictio Ordinarii, sive sit ordinaria, sive delegata.*
13 *De jurisdictione Ordinarii in Conservatoriis, vel adunantiis mulierum sæcularium.*
14 *De eadem jurisdictione cum administratoribus piorum locorum, etiam sæcularium.*
15 *Aliud est locum esse pium, & aliud est esse Ecclesiasticum.*
16 *Sine distincta notitia circumstantiarum facti non datur maturum judicium.*
17 *De signis arguentibus, quod sit Monasterium Monialium.*
18 *Quando observantia deferatur, & quomodo attendi debeat.*
19 *Quæ signa sint æquivoca, & conveniant etiam sæcularibus.*
20 *An unio beneficiorum sit compatibilis cum loco pio sæculari.*
21 *De modo distinguendi locum ecclesiasticum à loco pio sæculari ex fundatione.*
22 *Quando authoritas ecclesiastica in fundatione sit æquivoca.*
23 *Sed. est Apostolica non committit sæcularibus Monasteria Monialium.*
24 *Voluntas Papæ arguitur ex stylo.*

D I S C. L.

De anno 1532. aliqui mercatores, aliique probi viri sæculares, pium assumpserunt opus erigendi in hac Civitate domum, in qua se recipere, ac honestè vivere possent illæ inhonestæ mulieres, quæ pœnitentes, ad meliorem frugem regredi vellent, juxtà Urbis institutum, cujus mentio habetur *sub tit. de testam. disc.* 37. occasione agendi de hujusmodi inhonestarum mulierum intestabilitate: Dictum autem opus de anno 1534. perfectum fuit, atque de anno sequenti, tunc regnantis Ducis diplomate munitum, aliisque privilegiis, & concessionibus ditatum fuit, & præsertim circa jurisdictionem, & facultates Gubernatorum sæcularium, ad quorum preces de anno 1538. Paulus III. dum Placentiæ moreretur, ne istæ mulieres pro Missa audienda, aliisque divinis, ac sacramentis recipiendis, domum egredi, atque per Civitatem evagari cogerentur, indultum in forma brevis concessit, in quo (pro stylo) eandem Domum, pro mulierum pœnitentum confugio deputando, & approbando, sub dictorum Gubernatorum sæcularium regimine, & administratione, facultatem dedit habendi capellanum, qui in proprio oratorio Missam celebraret, ac sacramenta, aliaque jura parochialia dictis mulieribus ministrare posset, independenter ab Ordinario, & a Parocho, à quorum jurisdictione locum, & Gubernatores exemit; Successivis autem temporibus, pro opere accrescente, utraque ecclesiastica, & laicali potestate in idem cooperantibus, eadem Domus ad formam magni Monasterii, cum cujusdam Ecclesiæ parochialis suppressæ annexione, redacta fuit, atque Archiepiscopi, & præsertim S. Carolus Borromæus cum ejus consueta piissima solicitudine, in vim indulti Apostolici enunciati, *sub tit. de benef. disc.* 47. aliquas Ecclesias, seu beneficia univit; Prout etiam Carolus V. Philippus II. aliique Reges quamplura privilegia concesserunt. 1

Cùm autem post decursum annorum circiter 105. inter Archiepiscopum, seu ejus Officiales, dictosque Gubernatores aliquæ exortæ essent controversiæ super hujus Domus, ac mulierum in ea existentium jurisdictione, ac regimine, casus dedit, quòd ex imprudenti consilio cujusdam Curialis opinantis, quòd totum jus Gubernatorum penderet a præfato indulto Apostolico Pauli III. monitorium A. C. super ejus observantia obtentum fuit, pro cujus moderatione instante Promotore Fiscali Curiæ Archiepiscopalis, assumptaque desuper disputatione, Judex difficultatem restrinxit ad punctum, an dictum indultum exemptivum caderet sub decretis revocatoriis, vel moderatoriis S. Concilii Tridentini, & sub aliis Constitutionibus Apostolicis agentibus de Monasteriis Monialium?

Cùmque in hoc statu (pro Curiæ frequenti stylo) ad causæ jam vulneratæ, vel malè directæ defensionem super dicta restrictiva evocatus essem; dixi quòd si admitteretur præsuppositum, ut ageretur de Monasterio Monialium, tunc opus esset desperatum, ideòque punctus restrictus esset incapax defensionis ex inferius deducendis; Ac propterea dixi quòd unicus, ac verus modus defensionis jurium Gubernatorum consisteret in defensione diversi puncti, super hujus scilicet loci qualitate, vel statu, negando quòd ageretur de Monasterio monialium, ac de personis ecclesiasticis, sed potiùs quòd ageretur de pia domo sæculari, ac de personis sæcularibus, laicali potestate subjectis, aliqua tamen admissa potestate Ordinarii in actibus, de quibus infra.

Quare convocato desuper (pro Curiæ commendabili stylo) Advocatorum congressu, conclusum fuit, ut pro obtinenda magis distincta facti notitia, ea qua melior causæ directio metienda erat, desuper à me ederetur discursus (ut editus fuit) in quo in forma discursiva, cum præfata distinctione, materia theoricè peragebatur, quòd scilicet, si istud esset Monasterium, atque mulieres in eo viventes dicendæ venirent Moniales, tunc planum esset bonum jus Archiepiscopi super dicti indulti moderatione, ex iis quæ habentur deducta *sub tit. de jurisd. disc.* 24. *cum plurib. seqq.* Secùs autem è converso ex deductis *eodem tit. disc.* 45. 2

Rei tamen eventus, à meo sensu diversus fuit, quoniam Gubernatores, eorumque consultores, loco respondendi petitis, ac instruendi causæ defensores in Curia, Senatum adierunt, exhibitoque dicto meo responso, seu discursu, ob ibi motiva fundamenta, Regio Advocato fiscali eis adhærente, aliquas obtinuerunt provisiones, super quarum executione pro consueto non multum discreto stylo, qui in partibus adhiberi solet, nonnulla resultarunt inconvenientia, undè propterea Archiepiscopo (me etiam in aliquibus causis cliente) desuper consulente Sanctissimum, atque ab isto particulari

Con-

Congregatione deputata, ex parte eorundem Gubernatorum, magis verò ex illa tractantium negotia Regis Catholici, tanquam ejus Advocatus, denuò desuper consultus fui.

In hoc itaque secundo responso, assumendo potiùs partes respondentis de jure pro veritate, quàm scribentis more Advocati ad causæ opportunitatem, ne alias consimilia resultarent inconvenientia; Visis utrinsque partis fundamentis deductis in quibusdam mihi communicatis informationibus; Dicebam, idem, quod pluries infra *in Miscel-*
3 *lan. Ecclesiast.* agendo de controversiis jurisdictionalibus, vel de Ecclesiastica immunitate advertitur, quòd scilicet, ut benè practicari posset celeberrimum divinum oraculum reddendi, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo; Quod verbis, quidem, per ora defensorum utriusque potestatis quotidie volitat, factis autem ferè nunquam servatur, dum iidem defensores, factionario more, de consueto extremorum vitio peccantes, atque adulationi potiùs quàm veritati studentes, totum pro se volunt, totumque alteri negant, undè propterea dixi, quòd procedendum esset cum debita casuum, sive cum diversorum effectuum distinctione, qua mediante, utrique parti posset esse benè consultum, præfatumque oraculum benè practicari.

Priusquam autem ad prædictam casuum, seu effectuum distinctionem descenderem; Illud præmittebam, ut incon-
4 gruum esset assumere quæstionem, quam cum aliquo æquivoco in consimilibus controversiis plenè aliis de more relatis assumunt Men. *cons.* 948. & Cyriac. *controv.* 504. super statu, vel super Ecclesiastica, aut sæculari qualitate illarum mulierum, quæ aliquod religiosum institutum profitentur, & quæ enunciantur *in Clementina* 1. *de religios. domib. & in extrav. antiq. eod. t. & in Clementina unic. de stat. monach.* & quæ appellari solent *Conversæ, Terriariæ, Biguinæ, Corrigiariæ, Mantellatæ, Pinzocheriæ, Canonissæ, Jesuitissæ*, & cum aliis vocabulis diligenter collectis, & enucleatis per Tambur. *de jur. Abbatiss. disput.* 7. *q.* 2. *cum pluribus sequentibus*, ac etiam mentio habetur *sub t. de jurisd. disc.* 45. In his enim mulierum generibus dicta quæstio status cadit non ratione loci, in quo vivant, juxtà casum præsentis quæstionis, sive audi dici valeant moniales, necnè alicujus particularis Monasterii, sed ratione instituti diversi, quasi quòd istæ essent species religiosarum, quæ ad instar virorum religiosorum, atque ad formam universitatis vel Reipublicæ regantur, sive collegialiter in una domo, sive singulariter in propriis domibus vivant; Undè propterea, quidquid sit de hujusmodi mulieribus, Religionibus, vel Institutis, prudenter per Sedem Apostolicam in totum, vel pro majori parte suppressis, dum illæ mulieres, quas cernimus habitum alicujus Religionis gestare, atque tertiarias, seu pinzocherias appellamus, ea devotione potiùs sæcularem statum retinentes, atque in privatis domibus viventes, censendæ sunt, id extraneum erat à casu controversiæ.

Quatenus igitur ad istum casum pertinet, decem distinguebam diversos casus, vel effectus; Primò nempè circa visitationem, ac regimen spirituale Ecclesiæ exterioris, cui populo pateat accessus ad divina, ac etiam Ecclesiæ interioris, siquæ adest, in qua divina peragantur; Secundò circa administrationem Sacramentorum, aliorumque jurium paro-
5 chialium, cum ipsismet mulieribus in isto Conservatorio viventibus; Tertiò circa visitationem semel in anno, vel in illis temporibus, in quibus universalis visitatio Civitatis, & diœcesis fieri solet; Quartò circa regulas meram spiritualitatem concernentes; Quintò circa regimen œconomicum, seu merè temporale; Sextò circa regimen mixtum super electione scilicet Priorissæ, aliarumque officialium; Septimò circa licentiam egressus ipsarum mulierum à domo, vel ingressus aliarum in eandem; Octavò circa potestatem dimittendi à domo easdem mulieres; Nonò circa cognitionem causarum ipsius Conservatorii in universum; Et decimò circa cognitionem aliarum causarum civilium, criminalium, & mixtarum singularum personarum in dicto Conservatorio viventium, vel aliarum, quo in eo, vel ejus occasione delinquant.

Super primis quatuor; Ubi etiam admitteretur tanquam certum assumptum sæcularium, quòd ista esset domus sæcularis, etiam sæculares essent mulieres in ea viventes, ad-
6 huc tamen pro Archiepiscopo respondendum esse dixi, singulos etenim examinando; Quatenus pertinet ad primum, regula generalis assistit Ordinario super jurisdictione plena in omnibus Ecclesiis suæ diœcesis, non docto de exemptione, quæ tanquam limitatio non præsumitur ad vulgatem textum *in c. omnes basilicæ &c.* cum Concordantibus, de quibus *sub tit. de jurisd. disc.* 1. *& seqq.* & alibi pluries, undè propterea cùm de nulla exemptione constaret dum illa concessa per Paulum III. respicit domum, non autem Ecclesiam aliquam, intrat de plano regula.

Clariùs verò, ac extra omne principium dubitandi ex plu- 7
ribus circumstantiis, quarum singulas dicebam considerabiles, multò magis simul junctas, Primò nempè, quia ista non est Ecclesia constructa per ipsas mulieres, vel earum Gubernatores, adeòut, dici valeat membrum ipsius domus exemptæ, sed est antiqua Ecclesia parochialis ibi proxima jam libera, & de dispositione Episcopi, qui eam concessit his mulieribus ratione contiguitatis per quandam speciem usus precarii, ideòque ejus natura immutata non fuit, juxtà ea, quæ plenè habentur in fortioribus terminis Ecclesiarum sæcularium concessarum Regularibus exemptis *sub tit. de jurisd. disc.* 30. *& cap.* 34. ac etiam *sub tit. de Regular. in Surrentina, disc. penult. vel final.*

Secundò, quia si dicimus, quòd istæ sunt mulieres sæculares, quæ ita voluntariæ in hac sæculari domo pro meliori fruge vivant, ut infrà, exindè sequitur, ut dici non valeant capaces possidendi Ecclesiam jure suo, adeòut etiamsi aliquam haberent Ecclesiam interiorem pro majori commoditate, non habentem januam in via, adeòut reliquo populo non pateat accessus, eo modo quo est Ecclesia celeberrimi 8
Conservatorii Turris Speculorum Urbis, adhuc tamen idem dicendum esset, quoniam in substantia tunc esset privatum oratorium personarum sæcularium, quòd absque dubio subjacet visitationi, ac moderationi Ordinarii.

Et tertiò, quia esset dare absurdum, ut Ecclesia nullum 9
haberet Ecclesiasticum Prælatum, vel Rectorem atque etiam in divinis esset sub omnimoda jurisdictione, & administratione Gubernatorum sæcularium, quod implicat.

Undè propterea in casu, de quo *sub tit. de jurisd. discur.* 40. Quamvis ageretur de hospitali sub regia protectione, undè propterea supponeretur, quòd caderet potius sub limitationibus contentis in Sac. Conc. Tridentino, adhuc tamen quoad Ecclesiam, vel divina, jurisdictio Ordinarii non ponebatur in controversia.

Quamvis etenim, pleræque habeantur Ecclesiæ adjacentes hospitalibus, aliisque piis locis Regiæ protectionis immediatæ, vel in arcibus, aut in Regiis palatiis, sive Ecclesiæ nationales, in quibus Ordinarius non se ingerit; Attamen 10
(omisso quòd in plerisque casibus id provenit potius de facto ratione potentiæ, vel reverentiæ illius Principis, sub cujus protectione sit ille locus,) etiam in illis, in quibus id juridicè sequatur, provenit ex indultis Apostolicis, per quæ provisum remanet de Prælato, ac Superiore, & Visitatore Ecclesiastico, putà vel Nuncio, vel alio delegato Apostolico, vel de Regio Capellano majori, cui per Sedem Apostolicam per indultum speciale omnes capellæ regiæ commissæ fuerint, cum similibus.

Quoad secundum effectum, curæ animarum & admini- 11
strationis Sacramentorum cum ipsismet mulieribus, planum pariter dicebam esse bonum jus Ordinarii, cum eo dilemmate; Aut enim istud dicendum est Monasterium monialium, & certum est, quod hodie per Concilium Tridentinum, & Apostolicas Constitutiones, quacunque exemptione non obstante, in his subjacet Ordinario saltim jure delegato, ut frequenter *in dicto tit. de jurisd.* & tanquam absolutum supponitur suprà *in Brixinen. disc.* 24. & alibi; Aut dicimus, quòd est domus merò sæcularis, in qua vivant personæ sæculares de populo, & sic de ovibus ipsi Episcopo commissis, & tunc pernecesse idem resultat, dum privile- 12
giativæ exemptiones in his, quæ concernunt curam animarum & administrationem Sacramentorum, respectu clerici & populi sæcularis, hodie extra controversiam cadunt sub moderationibus Concilii Tridentini, & Apostolicarum Constitutionum, ex deductis *sub tit. de jurisd. disc.* 1. *cum pluribus seqq.* & passim.

Idem dixi favore Archiepiscopi respectu tertii, & quarti 13
casus circa visitationem; ac regulas, seu modum vivendi in iis, quæ concernunt spiritualitatem, vel possibilitatem scandalorum, ex iis quæ in specialibus terminis conservatorii, vel domus merè sæcularis mulierum habentur *dicto tit. de jurisd. disc.* 45.

Super quinto puncto merè temporali œconomicæ admi- 14
nistrationis nulla aderat controversia, quæ solùm cadere posset super revisione rationum, & aliis dispositis per Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 23. *de reform cap.* 8. *&* 9. Sed ubi subsisteret facti præsuppositum, quòd in hoc Archiepiscopus nunquam se ingessisset, tunc stante observantia unius sæculi, & ultrà, dicebam adaptari posse, ea quæ habentur *in dicto tit. de jurisd. disc.* 41. *&* 95.

Re-

15 Restringebatur igitur quæstio ad alios supra recensitos quinque casus, vel effectus, quorum omnium determinationem pendere dicebam ab eodem principio, status loci, & personarum, an scilicet istud dicendum esse Monasterium Monialium, adeòut, tam locus, quàm personæ essent in statu Ecclesiastico vel è converso esset domus sæcularis, ipsæque mulieres partes sæculares, quamvis sub pio instituto viventes, quoniam, aliud est locum esse pium, aliud verò esse Ecclesiasticum, ex deductis *in alia Mediol. dicto t. de jurisd. disc.* 60 ac etiam latius *eodem tit. disc.* 92. *& sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc.* 7. & 8 & alibi.

16 Quæstio itaque (ut dicebam,) remanebat potiùs facti & applicationis, quàm juris, ac propterea, non bene firmato facto, (in quo aliqua notabilis discordantia dignosci videbatur,) atque non visis juribus alterius partis, dicebam quòd certum, ac maturum judicium efformari, non poterat, Ex iis autem, quæ desumebantur à quibusdam scripturis, ex pluribus prætendebant Scribentes pro Archiepiscopo probari, quòd istud esset Monasterium monialium, ac etiam quòd illi assisteret observantia.

17 Primò nempe, quòd istæ mulieres uniformem monasticum habitum gererent, atque sub certa regula S. Augustini, vel S. Claræ viverent, quandam speciem professionis emittentes in choro etiam divina psallendo, aliaque gerendo, eodem adamussim modo, quod omnes aliæ moniales.

Secundò ob unionem aliquorum beneficiorum Ecclesiasticorum eidem Monasterio factam. Tertiò, quia esset locus fundatus Apostolica authoritate per dictum indultum Pauli III. Et quartò demum propter observantiam, quòd scilicet Archiepiscopus plures actus jurisdictionales, ac superioritatis exercere consuevit, quòdque præsertim quasdam regulas eis præscripserit, juxta quas illæ vixerint.

18 Excepto autem tertio fundamento, ad quod uti infra difficultas restringi videbatur, advertebam, quòd reliqua omnia essent æquivoca, & non concludentia; in casu, & ad effectum, de quibus agitur, & præsertim ultimum observantiæ, ea etiam admissa, dicebam quòd licèt ei nimium in his materiis deferri debeat, attamen procedit, ubi est univoca, secus autem, ubi æquivoca; & rectè compatibilis, seu conciliabilis cum statu sæculari, utpote referibilis ad primos quatuor casus, vel effectus superiùs deductos, in quibus pro Archiepiscopo respondendum esse dixi, dum circa concernentia spiritualitatem, ac etiam circa modum clausuræ, quamvis voluntariæ, ut occurratur scandalis & conventiculis, (posita in Ordinario loci, jurisdictione,) resultat facultas gerendi omnia alia, quæ ad eundem finem tendunt, juxta pluries enunciatam propositionem, ut concesso fine, concessa censeantur omnia media, sine quibus ad illum perveniri non potest.

19 Quo verò ad signa monastica contenta in primo fundamentu; Dicebam (etiam in sensu veritatis,) quòd illa nil concluderent, ea eadem ratione, quòd essent æquivoca, & convenientia etiam sæcularibus voluntariè, & ex devotione sub aliquo pio instituto vivere volentibus, juxta exemplum dicti insignis Monasterii Turris Speculorum Urbis, dum eundem habitum monasticum, adinstar aliarum monialium gestant, strictissimam, ac rigorosam regulam profitentur sub obedientia Prælatæ, vel Superioris sæ vivunt, divina in choro peragunt, quendam novitiatum faciunt, ac etiam quandam speciem professionis emittunt. & tamen non sunt moniales, sed simplices oblatæ, retinentes dominium & administrationem bonorum, ac habentes factionem testamenti, omniaque alia quæ sæcularibus competunt, etiam cum libertate redeundi ad sæculum, & contrahendi matrimonium eùm non contrahant verum matrimonium spirituale, neque civiliter moriantur, ut in solemniter profitentibus contingit, ex deductis *sub t. de dote, disc* 5 *&* 167. ac etiam *dicto disc.* 45. *de jurisd.* & plenius *eod. t. disc.* 92. occasione agendi de profitentibus militias Ecclesiasticas, quoniam non omnis promissio obedientiæ importat professionem, neque omnis modus piè, ac laudabiliter vivendi importat statum religiosum, vel Ecclesiasticum, ex ibi deductis.

20 Alterum argumentum unionis aliquorum beneficiorum pariter æquivocum remanet, tum quia est referibile ad ipsam Ecclesiam ibi annexam pro Missæ celebrandis; tum etiam quia, ex recepto ac notorio beneficialis statum majorare pluries enunciato *sub t. de benef.* unio accessoria, vel subjectiva extinguit beneficii nomen, ac substantiam & essentiam, unde propterea effici dicitur nudum prædium, & consequenter nulla dignoscitur implicantia, quòd ea bona, quæ priùs erant Ecclesiastica, utpotè effecta prophana, per Papam tanquam dominum assignarentur alicui loco pio, qui non per hoc immutat naturam, eo modo quo fiunt beneficiorum Ecclesiasticorum uniones Seminariis puerorum; qui propterea remanent sæculares, neque per hoc illa domus dici potest Ecclesiastica, quamvis sit sub cura, & administratione Ordinarii, vel Regularium, ex deductis supra *in Neapolitana Seminarii disc.* 33.

Unica igitur difficultas restringebatur ad dictas literas 21
Pauli III. stante, quòd in illis dicitur, quòd ea domus pro usu & habitatione mulierum impudicarum honestè vivere volentium, perpetuò deputabatur, & sic quòd esset locus fundatus cum authoritate Apostolica juxtà distinctionem, de qua cæteris relatis Rota *dec.* 313. *p.* 10. *&* 248. *part.* 11. *rec.* quarum prima prodiit *in alia Mediolanen.* dein agitur *dicto tit. de jurisd. disc.* 60. & habetur etiam *sub tit. de alien. & contr. disc.* 7. *&* 8.

Verùm pariter istud erat æquivocum; quoniam ut in eis- 22
dem Apostolicis literis enunciatur, iste locus erat jam per plures annos anteà fundatus, atque ex deductis cum authoritate laicali, dicta verò Ecclesiastica, seu Apostolica authoritas, adhibita non fuit pro fundatione; sed solùm pro dicta facultate habendi oratorium cum capellano administrante sacramenta, aliaque divina; Atque dicta verba prudenter, ac mysteriosè per Papam adjecta fuerunt, ex superius insinuata ratione, de qua præsertim in similibus conservatoriis mulierum *d. disc.* 45. *de jurisd.* ac etiam *dicto disc.* 92. *eod. t.* & alibi, quòd scilicet etiam sæcularium scholæ, & adunantiæ sub quantumvis pio instituto, fieri non possunt, nec debent sine authoritate Papæ, vel Ordinarii loci, omnesque piæ confraternitates laicorum pernecessè habent aliquã Ecclesiasticam approbationem, non indè tamen inferri potest ad Ecclesiasticam qualitatem, ut locis citatis advertitur.

Omnemque difficultatem in hoc proposito ad evidentiam 23
tolli dicebam ex illa circumstantia, quòd Pontifex istum locum commisit totali regimini & administrationi dictorum Gubernatorum sæcularium absque alterius Ecclesiastici Prælati visitatione, & jurisdictione, quod implicante videtur, quoniam licèt præsertim in duobus sæculis antecedentibus frequens fuerit Sedis Apostolicæ stylus concedendi hujusmodi exemptiones ab Ordinario loci; Attamen alteri Prælato Monasterii commissum est, ut patet ex casibus, de quibus *dicto tit. de jurisd. disc.* 25. *& seqq.*
signum clarum quod Papa præsupposuit domum vere sæ- 24
cularem; Ex stylo autem Papæ, ejusque Datariæ, vel Secretariæ, regulatur ejus voluntas, ut apud Mantic. *dec.* 214. *n.* 4. Greg. & Add. *dec.* 150. & passim cùm sit propositio quotidiana; Quamvis enim Papa id possit, non tamen soleat, ut in beneficiorum sede pluries advertitur; Adhuc tamen maturiori judicio locum servavi.

ADNOT. AD DISC. L.

DE hac eadem materia Conservatorii habetur adhuc *in hoc tit. disc.* 66.

TURRITANA CONSERVATORIÆ PRO COLLEGIO SOCIETATIS JESU CUM ARCHIEPISCOPO.

Casus decisus per Rotam pro Collegio.

An, & quando facultas eligendi, & habendi Conservatorem privilegiorum, amissa, seu præscripta dicatur per non usum? Et quam potestatem, seu jurisdictionem hodie habeant hujusmodi Conservatores, & in quo eorum potestas per Constitutionem Gregorii XV. moderata fuerit?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Resolutio causa.*
3 *De punctis controversis.*
4 *An & quando in facultati vis datur præscriptio?*
5 *Religiosorum negligentia non præjudicat Religioni, vel Monasterio.*
6 *An Religiones gaudeant privilegio centenariæ?*
7 *Ob decretum irritans non potest dari de non usu.*
8 *Declaratur.*
9 *Non datur præscriptio ob non usum, ubi non adfuerit occasio usus.*

10 *De exiguis principiis Monasterior. quando fundantur.*
11 *Ubi non deputatur Conservator subintrat Ordinarius.*
12 *De eodem, de quo n.4. & 5. quando præscriptio intret.*
13 *Quandoque Monasteria fundantur sub lege, ut subjaceant Ordinario.*
14 *Quandoque immemorabilis sit improbabilis.*
15 *Quid Constitutio Gregorii XV. innovet.*
16 *De differentia inter Conservatores privilegiorum Societatis Jesu, & illos aliarum Religionum.*
17 *Quid de causis miserabilium personarum, an in eis essent privilegia Regularium?*

DISC. LI.

1 CONcesso per Pium V. Societati Jesu, ejusque Collegiis, ac Domibus indulto sibi eligendi Conservatorem eorum privilegiorum, cui ampla potestas, ac jurisdictio competeret, cognoscendi quascunque causas civiles, criminales, & mixtas, in quibus dictæ Domus, vel Collegia, seu professores essent, non solùm Rei, sed etiam Actores, & super quo indulto, ob superventam dicti Pontificis mortem per Gregorium XIII. successorem in consueta forma, quæ dicitur *rationi congruit*, expeditæ fuerunt literæ, quæ habentur registratæ in Bullario inter Constitutiones ejusdem Greg. *Constitutione* 1. Cùm ob fortè non urgentem occasionem casus dedisset, quòd Collegium Turritanæ Civitatis, fundatum usque ad 1572. retroactis temporibus, Conservatorem ad
2 formam dicti indulti, sibi eligere neglexisset; De anno verò 1664. servata forma Constitutionis 9. Greg. XV. id egerit, huic innovationi se opposuit Archiepiscopus, inhibendo Conservatori electo, ne se ingereret, atque per appellationem ab hac inhibitione commissa causa *in Rota coram Albergato* ex parte Archiepiscopi petita fuit remissoria, ad effectum probandi immemorabilem super non usu illius privilegii, quod propterea ita amissum, sed præscriptum esset, atque super ejus denegatione prodiit resolutio *sub die* 24. *Februarii* 1667. Deinde verò assumpta disputatione in negotio principali super dubio, an & in quibus casibus jus competeret eligendi Conservatorem, *sub die* 15. *Junii* 1668. pariter Collegio favorabilis resolutio prodiit, cui Archiepiscopus acquievit, neque causa ulteriorem progressum habuit, cùm moderatione tamen ad limites dictæ Constitutionis 9. Gregorii XV. ut Conservatoris jurisdictio esset pro causis passivis tantùm in quibus scilicet Collegium esset reus, non autem in quibus esset actor.

3 In disputationibus autem super utroque dubio habitis, tres fuerunt puncti; Primò scilicet, an per non usum, amissa, seu præscripta esset hæc facultas, adeout, etiam in causis, in quibus Collegium esset reus, procedi deberet coram ipso Ordinario loci? Secundò quatenus ista facultas competeret, atque amissa non esset, an & quomodo exercenda esset, an scilicet in solis casibus manifestæ injuriæ, seu violentiæ, non autem in illis, in quibus cum ordine judiciario procedendum est? Et tertiò, quatenus etiam judicialis cognitio competeret, an locum haberet in causis viduarum, ac miserabilium personarum, stante quòd de facto quædam lis mota per viduam contra Collegium disputationi, atque huic controversiæ occasionem dederat.

4 Quatenus pertinet ad primum, meritò denegata fuit remissoria ex capite improbabilitatis, quoniam seclusa immemorabili vel centenaria, quælibet alia præscriptio, absque dubio, ad id suffragari non potest, ex tribus distinctis fundamentis, quorum unum sufficeret multò magis eis simul junctis; Primò nempe quòd cùm ageretur de actibus facultativo, intrat certum juris principium frequenter in omni ferè materia enunciatum, præsertim infrà *sub t. de decim.* quòd in facultativis nunquam intret præscriptio, nisi constito de voluntate exercendi facultatē, cui subsecuta sit prohibitio per longissimum tempus effectum sortita cum pacifica acquiescentia; Clariùs verò ubi non agatur de actibus facultativis, qui consistant in aliquid faciendo cum frequentibus reiteratis actibus positivis, in quibus cavere potest dubitatio, an jure facultatis, vel potiùs obligationis gesti sint juxtà deducta *in Majoris. celebrationis Missarum coram Buchio inter suas dec.* 512. & 542. *repos. dec.* 176. & 280. *p.* 11. *rec.* sed agatur de actibus negativis, in quibus conclusio magis de plano procedit; Ut ultra generalia, in terminis nō usus privilegiorum, quæ alicui Religioni concessa sint, plenè habetur apud Royas *dec.* 327. & 359. & *in eadem causa, dec.* 337. *p.* 10. *rec.*

5 Secundò clariùs quia privilegium concessū est Religioni, cui, quinimò ipsimet Collegio particulari, præjudicare non potuit negligentia Prælatorum pro tempore, ex deductis in proximè allegatis *decisionibus*, ac sua materia *sub t. de alienat. & contract.* ubi quòd præscriptio est species alienationis.

Et tertiò quòd cùm plures Religiones habeant privilegiū Apostolicum, communicativum privilegii Ecclesiæ Romanæ, super centenaria; Hinc proindè stante ferè generica communicatione privilegiorum inter omnes Religiones, ita videtur, quòd centenaria requiratur, ut advertitur in eisdem supra allegatis *dec. coram Royas*, & in altera earum confirmatoria *dec.* 337. *p.* 10. *rec.* in quibus agitur de privilegiis in præcedentibus pluries enunciatis impediendi, ne intra certum novæ Ecclesiæ construi possint. 6

Ista motivis alterum addebam scribendo more Advocati, quòd hoc privilegium contentum in dicta Constitutione prima Gregorii XIII. habet decretum irritans, cujus virtus, ac operatio est inficere quamcunque possessionem, & consequenter impedire contrariam consuetudinem, vel præscriptionem, quæ sine possessione non datur ex iis, quæ plenè, cæteris relatis habentur *dec.* 400. *part.* 9. *rec.* & *dec.* 99. *part.* 12. & sæpiùs. 7

Verùm istud motivum de jure verum, agnoscebam quòd esset fallax quoad applicationem, quoniam ut habetur apud Ottob. *dec.* 175. *n.* 16. & in aliis, atque in omni ferè materia advertitur, id procedit in eo decreto irritanti, quo adjectum sit in aliqua lege, qua non possint subditi non uti, ut præsertim frequenter habetur in proposito decreti irritantis contenti in Constitutione Pii IV. super confirmatione Concilii Tridentini, ad effectum, ut non usus, vel contrarius usus adversus disposita in eodem Concilio, attendi non debeat, quoties sit observantia, quæ præscriptiva, seu destructiva sit juris clari, non autem interpretativa dispositionis ambiguæ juxta receptam distinctionem sæpissimè insinuatam; Secùs autem ubi agatur de decreto irritanti adjecto alicui privilegio concesso ex jure speciali in gratiam, & favorem alicujus personæ, vel universitatis, quæ potest nolle uti, suoque favori renunciare; Ideòque istud motivum non erat tutum. 8

Benè tamen solida erant alia superius insinuata, præsertim verò primum, & secundum, pro quorum corroboratione, ultrà generales regulas, quas in jure habemus; Alteram ego addebam satis notabilem considerationem, quòd non usus provenire potuerit ex deficiente occasione, quo casu planum est, ut per quodcunque tempus quantumvis longissimū, non inducatur præscriptio, ut pluries alibi advertitur præsertim *in Baren. Baldachini sub t. de praem. disc.* 26. 9

Probabilem autem dicebam occasionis deficientiam; Tū quia, ut insinuatur pluries infra *sub t. de decim.* ac etiam *in Melevitana contributionis sub t. de benefic. decis.* 88. & alibi quando religiones, in aliquo loco introducuntur, initia fungunt esse debilia, paulatim verò, cum longo temporis tractu, ex piis dispositionibus acquirunt bona, quæ hujusmodi controversiis frequentiùs occasionem præbent, potissimè ubi agatur de antiquis fundationibus, antequam prodirent pluries enunciatæ Constitutiones Gregorii XV. & Urbani VIII. prohibentes novas erectiones absque dote sufficienti ad sustentationem duodecim religiosorum; Tum etiam quia cùm novæ introductiones Religionum, ut plurimùm fiant ex desiderio, ac benevolentia populi, & clerici, in ea prima ætate continuare solet amor, qui deinde tractu temporis frigescit ob longam conversationem, quæ nauseam introducit, ideòque oriuntur controversiæ præsertim cum Clero; unde propterea oportet recurrere ad privilegia, & consequenter ad eorum Conservatorem. 10

Ponderabam quoque, quòd cùm per Constitutionem nonam Gregorii XV. disponatur, ut negligentibus Regularibus alicujus loci sibi eligere Conservatorem specialem juxtà formam ibi præscriptam, subintret Ordinarius, ita exinde resultat, ut non possit allegari non usus habendi Conservatorem, eumque eligendi, dum ejus electio, ita implicitè cum solo silentio facta est, usquequò alium deputare videatur, dum ipsamet Constitutio Gregorii præsupponit indubitatam facultatem variandi, disponendo de novo, ne id infrà quinquennium fieri possit. 11

Necessaria igitur est, vel immemorabilis, vel centenaria, non quidem in ratione præscriptionis, quoniam hæc in facultativis non intrat, aliam per decursum mille annorum; Ac etiam quia nimium facile est illam impedire præscriptionem, quæ deducatur ex negligentia eorum, qui positivè præjudicare non poterant juxta ea quæ in hoc proposito habentur *in Colon sub tit de alien. & contract. disc.* 3. Sed in ratione possibilitatis allegandi contrariū privilegiū Apostolicū, sive quemcunque alium titulum meliorē, ex deductis *eodem disc.* 3. *de alienat.* ac pluries infrà *sub tit. de decim.* & alibi. 12

Itaque possibilitas, etiam secluso privilegio Apostolico,

viget

-viget ex lege, seu conventione in limine fundationis, quod 13 scilicet Ordinarius, seu ex lege Regulares in loco recepe-rit, eisque aliquam Ecclesiam, vel alia jura concesserit, ut ejus visitationi, ac jurisdictioni subjacere deberent, ex deductis *sub c. de jurisd. in Fanen. disc.* 30.

14 Ista verò probari immemorabilis, vel saltem centenaria, erat impossibilis; Tum quia privilegium supervenit de anno 1571. ideòque ex facto cessabat lapsus centum annorum; Tum etiam quia ex facto quoque tollebatur pacifica contraria observantia, dum ex declarationibus Sac. Congregationis editis de anno 1617. in alia *Terdonen.* ad petitionem hujus Archiepiscopi consulentis super modo, quo hujusmodi Conservatores eorum facultates exercere possent, ac deberent, ex relatis per Barbos. *de Episc. alleg.* 106. *n.* 15. *& in summa Apostolicarum decisionum, verbo conservator, collect.* 216. *n.* 12. ita constabat de contrario usu Conservatorum in hac diœcesi, ac propterea meritò remissoria ex capite improbabilitatis denegata fuit.

15 Quo verò ad secundum punctum respicientem merita negotii principalis, an scilicet istud privilegium particulare caderet sub moderatione dictę Constitutionis 9. Gregorii XV. Admittebam ut caderet solùm in ea parte, in qua Conservatoribus hujus Societatis conceditur etiam jurisdictio cognitionis causarum ubi religiosi essent actores, cùm dicta Constitutio Gregoriana in hac parte sit clara; Ubi verò sint rei; Quamvis scribentes pro Archiepiscopo prætenderent, ut per hanc Constitutionem, omnia hæc privilegia reducta essent ad terminos juris *in c.* 1. *& fin. de offic. delegati in* 6. Attamen, etiam cum sensu veritatis, qualem Rota quoque agnovit, dicebam, ut id nullam subsistentium haberet, quoniam dicta Constitutio Gregoriana, excepta præfata moderatione in causis, in quibus essent actores, aliud non disponat de novo, nisi circa formam deputationis tam per qualitatem personarum, ut sint in Ecclesiastica dignitate constitutæ, ad instar eorum, quę disposita habentur in Judicibus Synodalibus, quàm etiam circa modum faciendi hanc deputationem, & præsertim, ut ea denuncietur Ordinario, juxtà casum, de quo infrà *disc. seq.* In reliquis autem privilegia potiùs approbat, & confirmat.

16 Et consequenter, cùm istud privilegium particulare aliquam habeant formam extraordinariam, per quam Conservatores constituuntur etiã Judices, cum facultate cognitionis omnium causarum, idcircò illud non subjacet restrictioni generali contentę in dictis Decretalibus ad solas injurias, ac violentias manifestas, ut ex Mol. advertit in specie Barb. *dicta alleg.* 106. *n.* 3. cum aliis in hujus causæ decisione, atq; fuit habitum pro absoluto per S. Congreg. Concilii *in Alezaren. sub t. de jurisd. disc.* 49. ubi disputatus fuit articulus, an Conservatores privilegiorum hujus Societatis dici possent Judices, quòdque ab eis appellari posset ad Judicem generalem appellationum in hac insula per Sedem Apostolicam deputari solitum, & in appellatio operari debeat effectum suspensivum, necnè ex ibi deductis, ac etiam habetur in proposito privilegiorũ hujus Societatis *disc. proximè seq.*

Tertius demum punctus, an scilicet loci Ordinarius etiam adversùs Regulares exemptos, ac privilegiatos, non obstantibus privilegiis, procedere possit in causis miserabilium personarum in vim decreti Concilii Tridentini *sess.* 7. *de ref. c.* 14. ita innovando decretum Concilii Lugdunensis, registratum *in c. volentes, de privil. in* 6. fuit planus, quoniam juxta pluries declarata per Sacr. Congregationem, receptum est, ut hoc decretum non comprehendat regulares, nisi eos, qui degant extra claustra, ut per Barbos. Rodriq. Novar. & alios, de quibus in causæ decisione.

ANNOT. AD DISC. LI. cum seqq.

DE Conservatoribus privilegiorum habentur aliqua superiùs, *hoc eod. tit. disc.* 1. *& in Miscellan. Eccl. partter disc.* 1. *n.* 67. *&* 68. *de Jurisd. disc.* 40.

Posterior decisio prodita in casu, de quo *disc.* 51. *est impress. part.* 15. *rec. dec.* 285.

PAPIEN. SEU MEDIOLANEN. CONSERVATORIS,

PRO COLLEGIO SOCIETATIS JESU MEDIOLANI CUM EPISCOPO.

Consilium pro veritate.

De eadem materia Conservatoris privilegiorum Regularium, an scilicet deputatus in loco, ubi est Monasterium principale, ibique cum eo Diœcesano servata sit forma Constitutionis Gregorii XV. jurisdictionem habeat in aliarum diœcesum locis, in quibus adsint ejudem Monasterii granciæ, seu membra, vel bona quamvis cum illo Ordinario dicta forma Gregorianæ Constitutionis servata non sit?

Et quid in iis, quæ concernunt jura provincialia, an Conservatores possint se ingerere, vel potiùs cognitio de eis pertineat ad loci Ordinarium?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *De aliquibus declarationibus S. Congr. in hac materia.*
3 *Declaratur quid dicta declarationes contineant.*
4 *Conservatores sunt delegati Apostolici.*
5 *Ad quem ab eis appelletur.*
6 *Ubi bona sunt in pluribus territoriis, quis sit Judex competens.*
7 *Quid de tutore pupilli habentis bona in diversis locis.*
8 *De adeptione possessionis beneficii.*
9 *De subcollectoribus Apostolicis diversarum diœcesum.*
10 *Quod in Italia diœceses habent fines angustos.*
11 *A Conservatoribus aliarum Religionum non licet arguere ad illos Societatis Jesu.*
12 *Quando Regularibus liceat necne se ingerere in administratione sacramentorum, & in sepultura.*

D I S C. LIII.

CUM Collegium Societatis Jesu Civitatis Mediolani 1 possideat granciam, seu tenutam in Oppido Galligolæ, sub diœcesi Papien. ubi residet unus sacerdos religiosus ejusdem Societatis, cum aliquibus ministris, & inservientibus, tam regularibus, quàm sæcularibus; Secuta verò morte unius ex servientibus sæcularibus, dictus religiosus, in ejusdem granciæ Ecclesia, post sacramentorum administrationem, sepulturam quoque illi dedisset, ideòque ejusdem loci parochus querelas desuper porrexisset coram Episcopo, hic proindè manus in causæ cognitione apposuit; Quare Collegium recursum habuit ad Conservatorem suorum privilegiorum in Civitate Mediolani, benè servata forma Constitutionis Gregorii XV. deputatum, qui inhibuit in forma consueta Episcopo, desuper propterea consulenti Sacra Congregationem Concilii, unde propterea consultus fui super duobus punctis; Primò nempè in genere, an Conservator deputatus in una diœcesi, coram cujus Ordinario servata sit forma ab eadem Gregoriana Constitutione præscripta, suas facultates exercere valeat in altera diœcesi, coram cujus Ordinario eadem forma servata non sit? Et secundò in specie, an scilicet posita etiam jurisdictione dicti Conservatoris in suis casibus, in quibus intrent privilegia, ea tamen comprehenderent istum casum, in quo agebatur de administratione sacramentorum, aliorumque jurium parochialium?

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum, suppo- 2 nebatur ex parte Collegii, quòd casus esset jam expressè decisus per eandem Sacram Congregationem sub die 23. Octobris 1623. juxta declarationem relatam per Perein. *de priv. regular. in addit. ad Const. Gregorii XV. c.* 11. *nu.* 17. ut scilicet unus tantùm Conservator eligi possit in loco, ubi situm est Monasterium principale, ibique ille suas facultates exercere possit etiam pro granciis, & membris, non autem, ut in singulis diœcesibus, in quibus membra adessent, plures Conservatores eligi deberent.

Adversùs istam declarationem cadebat ratio dubitandi, ex eo quòd Sacra Congregatio Episcoporum, & Regulariũ de anno 1656. in una *Parmen. seu Terdonen* relata per Collectorem Nicolium *in elucubrat. tom.* 2. *de Conservator. c.* 29. inter Episcopum, & Religioso Sancti Augustini in consimili controversia sepulturę per illos religiosos traditę cuidam sæculari, cujus cadaver repertum fuerat in puteo Conventus, ut cognitio causæ spectaret ad Ordinarium.

Verùm ista dubitatio, seu declarationum præsupposita di- 3 versitas non intrabat, quoniam recentior decisio S. Congregationis Episcoporum, & Regularium anni 1656. non percutit istum punctum, an Conservator deputatus in una diœcesi exerceat ejus facultates in altera, in qua forma Gregorianę Constitutionis servata non sit, Sed præsupposito, quòd Conservator, ac Monasterium essent in eadem diœcesi,

quòdque

quodque forma servata esset, quæstio erat circa naturam, seu qualitatem causæ, ideòque percutiebat potius secundum punctum, de quo infra.

Quinimò neque dicta antiquior declaratio Sac. Congregationis Concilii anno 1623. verè, & propriè percutit eundem primum punctum, quoniam decidit solum, ut unus debeat esse Conservator, ne alias licentia assumatur multiplicandi Conservatores, atque plures eligendi in singulis granciis, vel membris, sed non descendit ad punctum præcisum, an scilicet posita unicitate Conservatoris, debeat ejus deputatio denunciari omnibus illis Ordinariis, in quorum diœcesibus suas facultates exercere velit.

Super hoc autem consultus ex parte Collegii dicebam probabilius videri, quod facta conservatoris legitima deputatione in loco, in quo situm est Monasterium principa-
4 le, ejus facultates ubique exerceri possint, quoniam Conservatores dicuntur delegati Apostolici, à quibus appellatur ad Papam delegantem, adeòut sub quæstione sit, an subjaceant Legato, Anchar. cons. 131. Ruin. cons. 3. lib. 4. & alii apud Barbos. de Episcop. alleg. 106. n. 2 & 3. Paschal. ad Franch. de Conservator. qu. 6. n. 842. & seqq. & habetur sub tit. de jurisd. disc. 49. Ubi de quæstione insinuata
5 etiam disc. preced. an scilicet ab eo appelletur ad Judicem generalem appellationum, qui per Sedem Apostolicam deputetur in aliquo Regno, vel Provincia; Et consequenter non habet fines determinatos, nisi quos ipsa delegatio restrinxerit, quoniam Papa habet totum mundum pro territorio, seu diœcesi. Et sic illa forma, quæ præscribitur per Gregorianam Constitutionem consideratur ad effectum, ut benè imprimatur ista qualitas Apostolicæ delegationis, ea verò impressa suam facit operationem in omni loco, in quo Papæ delegantis potestas vigeat, quando ita oporteat ob delegationis implementum.

Ad id autem comprobandum ponderabam ea, quæ habentur sub tit. de jurisd. disc. 87. ut scilicet ad Judicem lo-
6 ci, in quo sit corpus, vel caput hæreditaria pertineat decernere, cui debita sit directa, vel fideicommissaria hæreditas, etiam respectu bonorum existentium in diversis territoriis, vel provinciis, in quibus etiam ille reputatur hæres, quoties non sint Principatus adeò diversi, ac independentes, ut dici valeant tot diversa patrimonia juxta ponderationes insinuatas sub tit. de haered. disc. 3. & sub tit. de success. disc. 9. & sub tit. de jurisdict. disc. 90.

Ac etiam ea quæ habentur sub tit. de tutor. & administr. disc. 3. ut tutor deputatus per Judicem loci, in quo est pu-
7 pillus, sit tutor ubique, quodque solemnitates per eum adimplendas, adimplere sufficit in loco deputationis, non autem in singulis locis, in quibus bona sita sint, nisi suppetat causa, ob quam Judex loci bonorum suum officium interponere possit super aliqua provisione, per quam pupilli indemnitati consulatur, cum similibus.

Item ad rem facere videbantur, ea quæ habemus in bene-
8 ficialibus, aliisque spiritualibus, in quibus de Ecclesiis, vel Monasteriis agatur, sub se habentibus grancias, & membra, seu etiam alias Ecclesias, vel Monasteria, accessoriè, vel subjectivè unita, quoniam ubi unio non est æquè principaliter, sufficit Prælato, vel rectori, ut legitimè possessionem adipiscatur, aliaque adimpleat in ipsa Ecclesia, vel Monasterio principali, etiam respectu Ecclesiarum, vel Monasteriorum inferiorum, absque necessitate adimplendi aliam solemnitatem in singulis, quoniam sequuntur prædia accessoria, & consecutiva, ut pluries agendo de beneficiis unitis habetur in sua materia sub tit. de benefic. ac etiam in proposito unionis plurium Cathedralium sub tit. de praeminent. disc. 2. & alibi.

Dabam in hoc practicum exemplum Apostolicorum
9 Subcollectorum, qui pro spoliis, aliisque juribus cameralibus, in singulis diœcesibus, unici ad omnium causarum universitatem deputantur, cum obligatione exhibendi suæ deputationis literas illi diœcesano, seu alia ibidem adimplendi, quoniam postquam adimpleverint ea, quæ adimpleri debet, ad effectum, ut validè illud munus exercere valeat, si negotia spectantia ad illam diœcesim, in diversa diœcesi explicanda sint, non videtur ibi prohibendus, suas facultates exercere, neque subest necessitas in singulis locis diversarum diœcesum eandem formam servare, quoniam sufficit, ut illa servetur in loco principali, ad effectum benè imprimendi certam qualitatem, qua impressa intrat ejus operatio ubique, quoties certa restrictio non adsit; Ut puta (exempli gratia) Ecclesiæ Metropolitanæ Salernitanæ, ex Apostolica authoritate unitæ sunt plures Ecclesiæ inferiores existentes in diversis diœcesibus; juxta insinuata sub titul. de jurisdict. disc. 21. unde propterea si ratione spolii Episcopi defuncti, vel ratione fructuum sede vacante Subcollector Apostolicus Salernitanæ diœcesis cogatur suum munus explere, suasque facultates exercere in locis diversarum diœcesum, in quibus hæc membra sita sunt, non videtur, juxta quotidianam receptam praxim, prohibitus id agere, quoniam ei sufficit adimplevisse formam suæ deputationis in loco, pro quo principaliter deputatus est, cum similibus.

Ponderabam quoque, ut idem suaderet, viva, & con- 10
vincens ratio, dum alias materia esset impracticabilis, atque inconvenientia resultarent, quoniam præsertim in Italia, ubi diœceses sunt adeò breves, ac frequentes, ut præsertim contingit in Apulia, quòd quilibet locus etiam exiguus habet Episcopum, ac nomen Civitatis, ex insinuatis sub titul. de praeminent. disc. 6. in fine, & alibi; Ideòque, si vel necessitas administrationis bonorum, ac negotiorum Monasterii, vel alia ratio præbeat, ut ejus religiosi, aliique ministri diversas Civitates, vel diœceses in ea regione peragerentur, incertumque sit ubinam injurias, ac violentias, aliasque molestias passuri sint cum violatione suorum privilegiorum, unde propterea hæc forma per eorum Conservatorem ubique impleri non potest, ita sequeretur, quòd illi religiosi, qui injurias, ac violentias patiuntur, absque Conservatore, ac defensore remanerent, quòd est absurdum, ideòque primus punctus mihi videbatur planus.

Quo verò ad alterum, super majori scilicet competentia 11
fori, seu cognitionis causæ inter Ordinarium loci & Conservatorem, cujus legitima facultas præsupponatur, & quamvis, ut supra, casus contingeret in eadem diœcesi, in qua deputatus est, ac formam adimplevit, adeòut posita utriusque jurisdictione habituali, quæstio solum esset super majori competentia unius privativè ad alterum, ut est propriè casus, de quo agitur in dicta declaratione Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium anni 1656. Ad duo advertebam; Primò nempè, quod ab iis, quæ disponuntur cum aliis Religionibus non habentibus hoc simile indultum speciale, inferre non licet, quoniam regulariter in aliis Religionibus facultas Conservatorum procedit ad limites text. in cap. 1. & cap. fin. de offic. deleg. in 6. in casibus scilicet injuriæ, ac violentiæ manifestæ. Illi verò illius Societatis sunt etiam Judices omnium causarum privatorum, ex insinuatis disc. praecedent. & d. disc. 49. de jurisdict. & consequenter dicta declaratio prodita pro diversa Religione non videtur percutere casum.

Et secundò; magis ad rem, quoniam in eo casu agebatur de cadavere personæ, quæ indubitanter erat de populo 12
sæculari, adeòut illa non esset comprehensa sub privilegiis, neque cum ea poterant religiosi se ingerere circa administrationem sacramentorum, aliorumque divinorum, sive circa exercitium jurium parochialium, in quibus omnibus, quando regulares volunt se ingerere, efficiuntur subditi Ordinarii loci, non obstante quantumvis ampla exemptione, quoniam ex ista passiva inferri non potest ad jurisdictionem activam in clero & populo sæculari; Solùmque respectu sæcularium, qui non sint professi, Religionis exemptiones & privilegia intrant, quando copulativè concurrant requisita, de quibus præsertim latius, magisque ex professo sub d. tit. de jurisd. disc. 4. & in aliis ibidem, pluries ac frequenter; Ideòque in eo casu regulares se ingerendo in exercitio jurium parochialium, apposuerunt manus in messe aliena, Ordinarium, vel parochum turbando in sua jurisdictione; Et consequenter benè resolutum fuit, ut cognitio spectaret ad Ordinarium, cujus jurisdictio turbata fuerat, & ob quòd exercitium etiam exempti ita effecti fuerunt ejus subditi, neque aliquæ intrabant partes Conservatoris privilegiorum, cum absque dubio versaremur extra illorum casum; In hac verò facti specie agebatur de quodam servente, qui addictus servitio vivebat intra septa domus regularis, atque sub obedientia Superioris regularis, adeòut verificarentur requisita, de quibus d. disc. 4. de jurisd. unde propterea intrabant privilegia, & de consequenti facultates Conservatoris in quæstione super eorundem privilegiorum observantia, vel violatione; Incertum est autem, quid secutum sit.

COLONIEN. COADJUTORIÆ, PRO CARDINALI DE BADAN TUNC ABBATE FULDENSI, CUM ALIQUIBUS RELIGIOSIS MONASTERII SICBURGENSIS,

Casus disputatus in Sac. Congregatione Consistoriali, resolutus pro Cardinali.

De electione Abbatis, vel Prælati regularis alicujus Monasterii, spectante ad Capitulum Conventuale ejusdem Monasterii, quomodo explicanda sit; Et an ejus forma adimpleri debeat, quando, vivente adhuc Prælato, agatur de consensu præstando super deputatione Coadjutoris?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series,*
2 *De usu coadjutoriæ cum futura successione in Ecclesiis Germaniæ,*
3 *Resoluta causa,*
4 *De stylo Sedis Apostolicæ sanandi defectus electionum, easque confirmandi, nullitate non obstante.*
5 *Contemptus aliquorum vocalium, etiam unius, vitiat electionem,*
6 *Vota singularia extra Capitulum non attenduntur.*
7 *Citatio probatur per comparitionem, quamvis de illius executione non constet.*
8 *Non curantes intervenire in Capitulo, vel ab illo exeuntes, aut nullatenus, vel inutiliter votantes habentur pro non intervenientibus.*
9 *Capitulum potest repræsentari etiam in duobus capitularibus, imo etiam uno,*
10 *De causis ex quibus expedit deputari Coadjutorem,*
11 *Capitulares Prælatu rebelles non sunt convocandi,*
12 *De loco, in quo electio, vel alter actus Capitularis fieri debent,*
13 *Interventus eorum qui non habeant votum in Capitulo, an præjudicet electioni?*
14 *In electione coadjutoris non est necessaria forma electionis, vel consensus Capituli,*
15 *De ratione, ob quam alicui Doctori nimium deferri debeat,*
16 *Papa non ligatur consensu Capituli, imo neque Prælati in deputatione coadjutoris,*
17 *De potestate Papæ in beneficialibus.*
18 *De distinctione consensuum Capitularium,*

D I S C. LIII.

1 CUm Abbas Monasterii Sieburgensis Ordinis S. Benedicti, adeò infirma valetudine laboraret, ut congruè sibi coadjutorem petere posset, juxta ea coadjutoriæ requisita, de quibus habetur in sua materia *sub tit. de benef.* Ex aliquibus autem impedimentis resultantibus à persona magnæ potentiæ in loco, idem Abbas residentiam non haberet in suo Monasterio, sed in quadam ejus grancia, seu membro intus Civitatem Coloniensem; Atque ex eodem impedimento, sibi ac plerisque monachis ei adhærentibus non pateret tutus, ac liber accessus ad ipsum Monasterium; Hinc proinde, cum cōsuetis literis citatoriis, cōvocavit omnes religiosos vocales pro certa die in dicta grancia coadunandos ad præfatum effectum eligendi coadjutorem, prout secutum fuit, quòd illi, qui parēdo citationi, se congregaverant, concorditer elegerunt Marchionem de Badan Abbatem Fuldensem, quo petente Apostolicam authoritatem pro hujusmodi coadjutoria cum futura successione, juxta frequentem Germaniæ stylum, de quo *in Monasterien. sub tit. de Can. & Cap. disc. 27.* ita prudenter fortè inductum ad occurrendum majoribus inconvenientibus resultare solitis in electionibus, quas facere oporteat Sede vacante pro electione novi Prælati Ecclesiæ
2 viduatæ. Remissoq; negotio juxta stylum consultationi Sacræ Congregationis Concistorialis, ad quam de his negotiis agere pertinet, *de mense Julii* 1671. prodiit resolutio pro cōcessione coadjutoriæ, adversus quam obtenta nova audientia per oppositores, qui erant aliqui Capitulares in ipso Mo-
3 nasterio principali residentes ab eorum Abbate repellentes, atq; aliis adhærentes literis convocatoriis parere noluerunt, assumpta desuper magna formali disputatione in forma contentiosa, quod in prima propositione secutum non fuerat, de mense Novemb. vel Decembris ejusdem anni, prior resolutio approbata fuit, ideòque coadjutoriæ concessio effectum sortita est cum consueta suppletione, vel sanatione defectuū, qui adessent in dicta electione, seu præstatione consensus, juxta praxim tentā *in d. Monasterien. sub tit. de Can. & Cap. d. disc. 27.* pluries quoque supra *hoc eod. tit.* insinuatam præsertim *disc. 11. & 12.* quòd scilicet stylus est Sedis 4 Apostolicæ, vel Sacræ Congregationis Regularium, in electionibus Provincialium, aliorumque Prælatorum Regularium, supplendi, vel sanandi defectus, quibus de rigore juris electio laboraret, deputando ex integro personam electam, quando ista digna sit, neque nullitas sit criminosa.

In disputatione igitur habita in secunda propositione, in qua solùm scribebam pro coadjutore electo, (qui postmodum dignè ad purpuram evectus fuit) plura erant oppositorum objecta, ex quibus dicta electio invalida prætendebatur, & præsertim, quòd non esset conclusa à majori parte, dum ex viginti septem Capitularibus, congregata fuerat tertia pars circiter, atque ex congregatis plures erant adhuc non constituti in sacris, & consequenter non habebant votum in Capitulo; Potissimè verò, quia actus capitularis gestus non erat in Monasterii loco solito, ubi aderant oppositores, qui erant octo vocales, quorum spretus irritabat quoque actum ex certo juris principio, de quo *sub tit. de Canon. & Capitul. d. disc. 27.* & in aliis, ut scilicet etiam contemptus unius ad id sufficiat. 5

Et quamvis post secutum hunc actum capitularem, plures vocales, qui statuta die non comparuerant, illi adhæserint per actus singulares; Attamen dicebant, quòd de eis nulla ratio habenda esset, cùm in actibus particularibus, seu collegiativis, qui gerendi sunt à pluribus, tanquam constituentibus universitatem, seu unum corpus politicum, non attenduntur hæc vota singularia, tradita extra Capitulum, seu extra comitia, ut habetur *eod. tit. de Canonic. & Capitul.* ubi agitur de electione, aliisque actibus capitularibus, ac etiam habetur pluries *sub tit. de jurepatr.* occasione agendi de jure præsentandi, quod competat universitatibus, vel corporibus politicis. 6

Scribens ergo pro validitate actus dicebā, quòd ubi etiam ageretur de formali electione Prælati, seu Pastoris Ecclesiæ 7 viduatæ, juxta terminos textus *in cap. quia propter, de elect.* cujus forma servata fuerat, adhuc actus esset validus, dictis objectis non obstantibus; Siquidem quatenus pertinet ad magis substātiale objectum contemptus ipsorum oppositorum; Ubi etiam non constaret de eorum legitima citatione, (quæ tamen aderat) adhuc defectus non intrabat, stante quadam protestatione per eos facta, in qua se citatos appellant, atq; actus qui fieri debebant, scientiam ostendunt; Ad aliū enim effectum non desideratur citatio, nisi ut deducatur ad notitiā, qua concurrente, dicitur ejus finis impletus, omnisq; defectus sanatus, ex deductis apud Greg. & add. *dec. 27.* & Bart. & add. *dec 727 dec. 231. in fin. p. 10. rec.* & passim.

Hinc proinde, tam istorum, quàm aliorum absentium respectu, intrabat certa propositio, de qua per textus litera- 8 les *in c. cum nobis, & c. quod sicut, de elect.* habetur pluties in dicta sua materia *sub tit. de Canonic. & Cap.* quòd scilicet Capitulares convocati, si intervenire negligunt, vel intervenientes, deinde voluntariè exeunt à Capitulo, vel non exeuntes, nolunt proferre votum, sive illud inutiliter proferunt, aut scienter indignum eligunt, pro ea vice se faciunt à jure votandi extraneos, illique renunciare dicuntur, totumque jus Capituli consolidatur in iis, qui se congregant, atque legitimè actum capitularem perficiunt, quamvis es- 9 sent in parvo numero, quoniam, ut habetur præsertim *sub tit. de benef. in Cæsaraugustana Canonicatus, disc. 23.* & alibi, jus Capituli, aliis impeditis, vel se extraneos facientibus, etiam in uno residere potest.

Et ulteriùs, ubi etiam dictorum octo vocalium convoca- 10 tio secuta non fuisset; Adhuc tamen electioni non præjudicasset, cum in facto benè justificatum esset, quòd ipsi adhærentes illi potenti sæculari potestati, ob quam Abbas, & alii in Monasterio non residebant, neque ad illud patebat tutus accessus, rebelles erant, ac inobedientes proprio Prælato, adeò ut eorum convocatio impedimentum, vel scandalum parere potuisset in actu, quem gerere oportebat præcisè ex eadem causa recensita per Fagnan. *in cap. nulla, de concess. præbend. n. 72 circa med.* super necessitate scilicet ex hujusmodi, vel simili causa assumendi coadjutorem magnæ authoritatis, ac potentiæ, & consequenter isti rebelles, & contumaces licitè contemni poterant, utpotè notoriè censurati, ac privati voce activa, & passiva.

Unde meritò in fortioribus terminis cōsimilis electionis 11 coadjutoris, pro Ecclesia Leodiensi facta extra ipsam Ecclesiā ob non tutum accessum, sive ob non probabilem timo-

rem

cem impedimenti cum contemptu majoris partis Canonicorum Prælato rebellium, actus reputatus fuit validus, ex deductis ab eodem Fagnan. *in cap. cum ex injuncto, de nov. oper. nunciat.* ubi registrantur etiam literæ Innocentii X. super illius actus approbatione.

12 Atque exinde resultabat responsio ad aliud objectum, quòd electio facta non esset in Monasterio tanquam loco consueto, cùm adamussim idem defectus concurreret *in d. Leodiensi*; Ac etiam advertebam, quòd id nullibi in jure cautum reperitur, potissimè ubi actus fiat in ejusdem Monasterii grancia, seu membro, & sic non in loco omninò extraneo, & tali, ut vocales justè recusare potuissent accessum. Dando in hoc practicum exemplum actuum capitularium gerendorum per Monasterium S. Pauli extra Urbem, qui fiant in membro, seu hospitio S. Callisti ejusdem Monasterii intra Urbem propè Ecclesiam S. Mariæ trans Tyberim, cum similibus.

13 Et quoad interventum Monachorum, qui non erant in sacris, justificabatur in facto Monasterii consuetudo; Ac ulterius, cùm vota fuissent concordia, nisi referebat dictos interventus, cùm mixtura non habentium votum non contradicta, non præjudicet electioni, quæ ab aliis benè conclusa sit, dum difficultas cadit, quando talia vota illegitima ipsam electionem concluderent, secùs autem ubi ipsis etiam non intervenientibus, actus esset benè conclusus.

14 Deducebantur autem hæc ad exuberantiam, ac præter causæ necessitatem, quoniam non agebatur de ea confirmatione concludenda, vel deneganda verè, ac formalis electionis, quæ facta esset de Prælato Ecclesiæ viduatæ, juxta casum disputatum in Tridentina, de quo *eodem tit. de Canonic. & capit. disc.* 28. & ad quem effectum, de electione disputari solet in forma judicii, ac per rigorosos tramites juris, coram eo, ad quem confirmatio pertinet, justitiam commutativam administrando; Sed agebatur de coadjutoria, cujus concessio petita à Prælato, qui coadjutore indigeat, pendet à mera gratia Papæ, qui ut ejus arbitrium in gratiæ concessione benè interponat, petitionem examinandam remittit consultationi S. Congregationis consistorialis gerentis partes assessoris, seu consultoris Papæ, qui ex laudabili, ac prudenti stylo circumspectè in hac materia procedere solet, desiderando scilicet consensum Capituli, seu monasterii, non quòd ille sit necessarius, neque quòd ipsum Capitulum aliquod jus, vel participationem habeat in ipsius gratiæ concessione; Sed ut ita Papa certificetur de animo Capitulariũ, ne aliàs, eis invisum, & odibilem, seu malè meritum præficiat coadjutorem, qui futurus erit successor, & sic ad sui animi instructionem, ut advertitur *d. disc.* 27. *de Canonic. & capit.* Atque in ista causa dabatur votum Maraldi editum in alia consimili controversia; Huic autem voto nimiùm deferendum esse advertebatur, non solùm quia erat doctissimus Canonista, ut testabantur ii, qui eum practicaverant, & quem ego quoque in ejus ultima senecta agnovi, & practicavi, sed etiam quia erat in hà materiis versatissi-

15 mus, utpotè in muneribus Subdatarii, ac Datarii, & Secretarii brevium per quinquaginta annos, & ultra versatus in ista Congregatione, ac negotiis consistorialibus.

Absurdum etenim esse dicebam, ut potestas Papæ in concessione, vel denegatione coadjutoriæ omnimodam depen-

16 dentiam habere deberet à consensu Capitularium, qui, ut dictum est, ex quadam congruentia laudabiliter adhibetur, quoniam attento stylo, magis necessarius est consensus ipsius coadjuti, qui etiam præstitus re integra revocari potest, unde propterea gratiæ coadjutoriæ ita corruit ex iis, quæ habentur *sub tit. de benefic. disc.* 78. Et tamen receptum est, quòd ubi justa causa accedat, possit Papa, atque laudabiliter quandoque agat, Prælato, quamvis non consentienti, imò invito dare coadjutorem juxta doctrinam Jo. Andr. *in cap. consultationibus, n.* 10. *de clerici agrot.* Ideòque inter requisita coadjutoriæ recensita per Fagnan. *in cap. de Rectore, & in duobus aliis seqq. de cler. agrot. & in c. nulla, de concess. prebende,* ubi omnium latius de ista coadjutoriæ materia tractando, istud requisitum non recenset.

Et meritò, quoniam si juxta veriorem sententiam, da qua *sub tit. de Regal. disc.* 148. & alibi, Papa tanquam in beneficialibus, ac spiritualibus supremus, ac absolutus do-

17 minus, tollere potest prælaturas; ac etiam ex justa causa cogere Episcopum, ut dimittat Episcopatum, ex collectis per Barb. *de Episc. alleg.* 113. *n.* 9. quidquid circa hunc defectum potestatis in contrarium plenè deducat idem Fagnan. *in c. consultationibus, n.* 24. *& seqq. de cleric. agrot.* cui alioquin docto, & probo Canonistæ in hac parte defendendum non est, cùm agendo potiùs causam propriam, in

Card. de Luca, Lib. XIV.

hac parte non videatur idoneus testis, vel ea quæ ipse deducit, intelligenda veniant in foro interno, ex deductis *d. disc.* 148. Igitur multò magis dare potest Prælato coadjutorem, etiam sine ejus consensu, ac propterea si iste negligi potest, multò magis ille subditorum.

Exinde autem, de plano resultabat responsio ad aliud 18 objectum, circa vota singularia, data per alios Monachos extra Capitulum, ac etiam circa alia data per non constitutos in sacris, ex quorum numeratione constabat, quòd, exceptis dictis oppositoribus, omnium aliorum consensus aderat, cùm ita Papa certificaretur de consensu, ad quem effectum attenduntur etiam vota extra Capitulum, quoniam aliud est formalis electio, seu actus capitularis solemnis, ac jurisdictionalis; Et aliud est consensus approbativus, ut magistraliter distinguit Innoc *in cap in Genesi, de elect. n fin.* ibique alii, & præsertim Abb. *n.* 11 atque cum hac distinctione pertransit Rot. apud Buratt. *dec.* 259. *n.* 5.

ADNOT. AD DISC. LIII.

De iis, quæ pertinent ad electionem Regularium, habetur suprà *hoc tit. disc.* 1. *cum seqq.* Quo verò ad materiam coadjutoriæ videri poterunt deducta *sub tit. de Benef. disc.* 42. *& in eod. tit. disc.* 122. *&* 123.

ROMANA, SEU MONTIS VIRGINIS REDDITIONIS RATIONUM,

PRO ABBATE URBANO DE MARTINO.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Regularium, resolutus cum concordi temperamento.

An, & da quibus Generalis, vel alter Prælatus regularis, expleto officio, teneatur reddere rationes? Et præsertim, an teneatur de œconomica administratione inferiorum officialium, ac ministrorum?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An, & quando præponens teneatur de facto præpositi?*
3 *Generalis Religionis assimilatur Episcopo in sua Diœcesi.*
4 *An Vicarius Capitularis teneatur de Vicariis foraneis cum similibus?*
5 *Observantia est deferendum.*
6 *Resolutio casus.*

D I S C. LIV.

Disponentibus Constitutionibus Congregationis Montis Virginis, ut Abbas Generalis, expleto triennali of- 1
ficio suæ administrationis, rationes reddere teneatur Generali successori, ac tribus Judicibus in Capitulo generali ad hunc effectum deputandis; Cùm in redditione rationum, ad formam dictarum Constitutionum facta per Abbatem Urbanum de Martino post expletum suum officium Generalatus, per Judices condemnatus fuisset ad notabilem summam pecuniariam, quæ supponebatur malè administrata, per cellerarios, aliosque inferiores Prælatos, vel ministros; Hic, tanquam gravatus, recursum habuit ad Sacram Congregationem Regularium, quæ cum consuetis ejus legibus prudentialibus, controversiam terminavit cum quodam concordi temperamento, quo mediante recurrens penè in totum victoriam reportavit, atque intentum obtinuit, cùm ea facti circumstantiis clarè pateret de dictæ condemnationis animositate, ob factionarias divisiones inter religiosos, nimiùm frequenti.

Facti autem potiùs, quàm juris, ista quæstio erat super disponctione partitarum, unde propterea pro commendabili Curiæ stylo, nullæ penè videbantur partes Advocatorum, sed totæ erant causæ Patronorum; Ut autem meam Justitiæ operam, circa professionis initia à recurrente adhibitam, in aliquo præstarem; Dicebam, etiam cum sensu veritatis, quòd verè injusta, & animosa esset dicta condemnatio in concernentibus merè œconomicam administrationem gestam per cellerarios, & procuratores, aliosque ministros inferiores deputatos in ipsomet Capitulo, in quo ipse Generalis electus fuerat; atque ubi etiam aliqui ex eis inter medio tempore ab ipsomet Generali deputati fuissent, non tamen de eorum facto, vel culpa teneri debuisset, dum eos deputaverat ex necessitate officii, circa ea quæ ab hujus-

tur bona in hac donatione contenta, & an religiosus de eis disponere possit?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De simonia recipiendo rem temporalem pro admissione ad Religionem.*
3 *Non tamen exinde inficitur professio.*
4 *Exitus causa.*
5 *Quid requiratur ad effectum simoniæ.*
6 *Quando verificetur ea simonia, de qua num. 1.*
7 *Quandoque datur aliquid licitè Monasterio pro admissione ad habitum.*
8 *De dote Monialium.*
9 *Et quando detur etiam dos duplicata, & de ratione.*
10 *Etiam in casu simoniæ ut n. 2. cui applicentur bona.*
11 *Camera Apostolica succedit in bonis religiosi decedentis extra claustra.*
12 *Quod religiosus etiam post professionem possit declarare ejus voluntate.*

D I S C. XLVIII.

1 Obtenta per Antonium à Sacra Congregatione ex justis causis licentia faciendi transitum à Religione Discalceatorum S. Teresiæ, ad laxiorem Congregationem Somascam, factaque cum prima Religione concordia per eandem Congregationem approbata super bonis ab eodem religioso in sæculo possessis, ita dirimendo quæstionem de qua supra in alia *Neapolitana, disc. 39.* Attributa eidem facultate de illa parte, quæ in vim dictæ concordiæ sibi remanebat, disponendi ad favore conjunctorum, vel secundæ Religionis, ad quam transitum faciebat, ipse de omnibus aliis disposuit, ad favorem fratris numerosæ familiæ onerati, atque juxtà gradum suæ nobilitatis, non benè provisi, præterquam de scutis mille, quos investitos in quibusdam juribus fructiferis, cum quibusdam aliis bonis donavit Collegio S. Demetrii, in quo professionem emittere debebat postea emissam; Ad aliquot verò annos, idem Antonius, ex asserto motivo charitatis erga fratris familiam, cupiens, ut hic effectus illius beneficio cederet, nullitatem dictæ donationis promovit ob simoniacam Infectionem, ex eo quòd facta esset tan-
2 quam præmium admissionis ad non impugnatam professionem, fretus dispositione textus *in c. veniens, de simonia*, ubi præcisè deciditur, nullum ac simoniacum sit id quod Abbati, vel Monasterio datum est à professo, cùm Concordantibus, de quibus *disc. precedenti.*

3 Quamvis etenim id non inficiat ipsam professionem, quæ valida remanet, ut supponitur *in dicto c. veniens*, ac etiam habetur *in c. quoniam cod. tit.* neque ista quæstio assumeretur, quia professio non impugnabatur; Nihilominus id, quod ita turpiter receptum est, retineri non potest, sed restituendum venit, ut literaliter in eodem textu deciditur.

4 Introducta verò causa in dicta Sac. Congregatione Regularium; Cùm per Antonium requisitus fuissem ad scribendum, agnita difficultate, illam pro stylo insinuavi, eum monendo ut desisteret, atque potiùs quandam honestam oblatam concordiam amplecteretur, cum pro meo judicio potiùs timendus esset malus, quàm sperandus bonus causæ eventus, qualem non obstante hoc monito, ipse experiri voluit, illeque fuit juxta votum, dum pro validitate prodiit resolutio, quæ mihi licèt scribenti pro succumbente, justa, benèque fundata visa fuit.

5 Dicebam siquidem, in discursu ad veritatem edito pro causæ directione, quòd licèt, ob literalem dispositionem dicti textus, & communem sensum, non solùm Canonistarum, & Moralium, sed etiam Civilistarum, de quibus *disc. praecd.* certa sit superiùs insinuata propositio; Nihilominus difficultas erat in applicatione, quoniam ut patet, ex deductis *in Tolet. Archipresbyteratus, sub t. de benef. disc. 36.* & alibi, ac etiam advertitur *disc. praecedenti*, ad effectum simoniæ, duo copulativè desiderantur, Primò nempè, pactio correspectiva rei temporalis pro spirituali, adeò ut alias ista sine illa concessa non esset, secùs autem, si re spirituali purè concessa, ille qui recepit, ex mera gratitudine, liberaque voluntate; nulla cogente actione aliquid temporale elargiatur. Et secundò, ut res temporalis, principaliter detur pro assecutione rei spiritualis, secùs autem pro alia re tēporali, quamvis sequatur occasione status spiritualis, & sic ubi ex pacto aliquid datur, vel promittitur pro admissione ad habitum vel ad professionem, ut in eadem Decretali supponitur.

6 Id autem, attento illorum temporum statu, erat contingibilem, dum admissio ad professionem in aliquo Monasterio nimiùm prodesse poterat pro capacitate electionis passivæ in Abbatem, ut etiam hodie praxis docet in aliquibus Germaniæ Monasteriis nimiùm qualificatis, quorum Abbatiæ redolere videntur speciem Principatus, unde propterea etiam filii magnorum Principum student admitti ad professionem, ac effici de numero monachorum ob dictam capacitatem passivæ electionis, juxta casum de quo infrà *in Colonien. disc. 53.* Cùmque receptio pendeat à consensu capitulari, dari potest iste casus, ut mediante pecunia, vel alia recompensa temporali id obtineatur.

Neutrum verò ex his requisitis in facto justificabatur. 7
Quamvis enim aliquis vehemens fumus daretur, quòd dictum Collegium se facile reddiderit ad hunc religiosum admittendum ob istud emolumentum, sine quo probabiliter admisisset; Adhuc tamen admissa pro concludenti ista probatione non exinde inferri poterat, ut versaremur in casu dictæ Decretalis, cum ad aliam justam causam temporalem id referendum veniret, quòd scilicet, cum admittendus constitutus esset in gravi ætate, ideòque non ita idoneus ad Religionis servitium, ut sunt juvenes, sed potiùs majoribus incommodis, & sumptibus subjectus, cùm ipsamet senectus dicatur infirmitas, & propterea majora incommoda, & dispendia parere soleat, hinc proinde Monasterium, rationabiliter, ac licitè, solicitum fuit de ista provisione, qua mediante à dictis oneribus, ac sumptibus merè temporalibus eximerentur, justèque sine illa eum recipere recusasset.

Ad quod comprobandum ponderabam ea, quæ habentur *sub t. de dote disc. 11. & disc. 167.* super dote, quæ datur 8
Monasterio per puellas ibi profiteri volentes, quòd scilicet quamvis aliquorum opinio sit, ut ea citra simoniacam labem recipi non valeat, attamen hæc opinio passim rejecta est, atque contrarium docet inconcussa praxis, ipsa Sede Apostolica, non solum approbante, sed etiam prohibente, ne Monasterium, quamvis volens solitam dotem remittere, vel diminuere valeat, ex ea ratione, quòd non datur ob spiritualitatem professionis, vel habitus monastici, sed in recompensam oneris temporalis, quòd Monasterium in se suscipit ad instar dotis, quæ constituitur viro pro matrimonio carnali, in quod eadem spiritualitatis ratio intrat.

Quinimò ubi agatur de muliere vidua, vel corrupta, vel 9
sene, aut parum valida, vel de super numeraria, aut de tertia sorore per S. Congreg. demandari solet solutio dotis duplicatæ, vel triplicatæ, ut advertitur *dicto disc. 167 de dote*, ubi de hac materia dotis monialium, non tamen exinde inferri potest ad simoniam, cùm id nō detur principaliter propter professionem, vel habitum monasticum, sed in recompensam oneris vel præjudicii temporalis; Et hic mihi videbatur casus, unde propterea imprudens consilium censui hoc opus assumere, quòd tamen aliis defensoribus assumendum esse visum fuit; (Talis est ingeniorum varietas!)

In eodem discursu edito ad veritatem pro directione, mo- 10
tivabam, quòd ubi etiam intraret dispositio dictæ Decretalis, adeò ut ista donatio cedere non debuisset ad commodum dicti Collegii, non exinde tamen obtineretur intentum, ut bona donata remanerent ad liberam dispositionem ipsius religiosi professi, sed vel acquisita essent ipsius Religionis universitati, vel quatenus universa Religio culposa dici posset, quia nempè Generalis, aliique Prælati ipsam repræsentantes, hujus conventionis participes fuissent, adeò ut eadem intraret ratio, ut turpiter quæsitum retineri non posset, acqui-
reretur Ecclesiæ universali, seu ejus loco Cameræ Aposto- 11
licæ eo modo quo acquiruntur bona religiosorum decedentium extra claustra, juxtà Constitutionem Gregorii XIII. 43. & habetur aliis relatis apud Fontanell. *dec. 227. in fine*, & per Rotam *dec. 121. n. 17. & 18. p. 6. rec.* ubi declaratur, ut non procedat in iis, quæ jam Monasterio, vel Religioni quæsita erant, dum religiosus erat in claustris, quoniam professus in ipso instanti professionis servo assimilatus contrahit incapacitatem habendi dominium bonorum in particulari cum eorum libera dispositione.

Nisi dici posset, quòd cum (his bonis exceptis) de aliorum 12
universitate, instante professione, juxtà sibi attributam facultatem, disposuerit ad favorem fratris, ita etiam ista bona, quę ob actus infectionem habenda essent pro non donatis sub dicta universitate comprehēderentur; Quòdque adaptari possent ea, quæ in terminis testamenti conditi per volentem profiteri, habeatur *sub t. de test am. disc. 35.* quòd scilicet quamvis non possit post emissam professionem testamentum revocare, seu aliàs de bonis disponere, attamen possit ejus dubiam dispositionem declarare, ad instar illius declarationis, quæ conceditur donatori, quamvis eidem de

nege-

negetur facultas revocandi validam, ac perfectam donationem inter vivos; Hæc autem deducebantur in sola ratione motivandi, sed disputata non fuerunt.

LUCANA FIDEICOMMISSI.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

Religiosorum nomine, seu appellatione, quinam veniant; Et de religiosorum exclusione à fideicommissis, aliisque successionibus ex judicio testatoris.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An religiosi excludi possint a fideicommissis, & legatis, aliisque dispositionibus?*
3 *De triplici distinctione religiosorum.*
4 *De distinctione clerici sacularis, & regularis, & qui propriè dicantur religiosi.*
5 *An professores militiarum Ecclesiasticarum sint religiosi?*
6 *Quid de novitiis.*
7 *De distinctione Mendicantium à non Mendicantibus.*
8 *De verbo sacularium contradistincto à Regularibus quibus congruat.*
9 *De regularibus viventibus in saculo.*
10 *De ratione ob quam regulares excludi solent.*

DISC. XLIX.

1 ORdinato per testatorem fideicommisso particulari in quibusdam bonis ad favorem descendentium masculorum nepotis ex fratre, quem hæredem instituit, exclusos voluit omnes religiosos, tam sæculares, quàm claustrales, & tam mendicantes, quàm non mendicantes sub qualiber Religione, & regula vocatos; Cùmque defuncto primo instituto, plures ejus filii successissent, quorum aliqui jam clerici in minoribus vellent sacros ordines suscipere; Hinc pro veritate consultus fui, an ita effici dicerentur religiosi, adeòut sub dicta exclusione caderent; Atque dubitandi rationem præbebat contradistinctio sæcularium à regularibus, quasi quòd religiosi sæculares dicendi non essent, nisi clerici sæculares, cùm illi in aliqua Religione profitentes, venirent sub nomine claustralium; Ac etiam in petitione motivatum fuit de dictæ dispositionis validitate.

Quatenus ad hanc secundam dubitationem pertinet; Respōdi, quòd hodie, illa omninò abolita videtur, ideòque disputationem non admittit; Licèt enim ut advertitur *sub t. de fideic. disc. 63. & seqq. & sub t. de dote, disc.* 12. Aliqui Canonistæ, magis verò Morales crediderint, ut hujusmodi religiosum, seu aliàs vitam Ecclesiasticam profitentiū exclusiones pro non scriptis habendæ veniant, ex generali dispositione seu ratione textus *in Authentica cassa, & irrita, C. de Sacrosanct. Eccl.* cùm concordantibus, quasi quòd à religione, seu vita Ecclesiastica id avertat, atque meliorem partem eligentes puniat, eosque successione indignos reputet, ducto à fortiori argumento ab iis quæ in jure statuta sunt super conditionibus inducentibus viduitatem, sive matrimonii libertatem adimentibus, vel restringentibus, cum similibus.

2 Nihilominus, ista opinione rejecta, passim, ac extra omnem controversiam, cōtraria opinio hodie recepta est, quoniam dispositio referenda non venit ad odibilem exclusionem eligentium vitam religiosam, vel Ecclesiasticam, ob illius vitæ, seu status odium, sed ad honestum finem vocandi solùm existentes in sæculo pro familiarum conservatione, & prorogatione, ac decore, quamvis id non exprimatur, quoniam præsumitur, nisi ista præsumptio per contrariam probationem cesset, per quam constet, quòd odio dicti status id dispositum sit, quòd inter catholicos nunquam, vel nimiùm rarò in praxi verificabile videtur: ideòque non est exclusio pœnalis ob illum statum, sed potiùs est adjectio diversæ qualitatis, quam disponens in successoribus desideravit, ex deductis *d. disc.* 2. *de dote*, occasione agendi de puncto, an relictum pro dote matrimonii carnalis conveniat ingredientibus Monasterium, & *d. disc. 64. & seq. de fideic.* ubi in specie de successione religiosorum in fideicommissis; Et conferunt quæ generaliter habentur *sub t. de testam. disc. 73. & sub t. de feud. disc. 54.* ubi de exclusione clericorum, & Ecclesiasticorum à successione, vel retentione feudorum; Adeòut istæ quæstiones videantur hodie solum voluntatis, non autem potestatis, an scilic. & quando disponens id voluerit necne, sed quando voluntas est expressa, tunc cessat omnis quæstio.

3 Quo verò ad primum punctum, an scilicet sub hac dispositione venirent clerici sæculares constituti in sacris? Respōdi quòd pariter negativa videretur indubitata; Siquidem religiosi in triplici significatione capi possunt; In latissima scilicet, lata, & stricta; Latissima etenim, ac impropria ea est quę complexiva sit omnium illorum qui Christianam religionem profitentur, cùm ita discreti ab infidelibus, religiosi rectè dicantur; Lata verò ea quæ continet genericam distinctionem verè sęcularium, qui veniunt sub nomine populi, & Ecclesiasticorum venientium sub generico nomine cleri, sub cujus nomine veniunt omnes clerici tam sęculares, quàm regulares, absque distinctione Ordinum sacrorum, vel minorum, quoniam etiam clerici in minoribus Ordinibus constituti, dicuntur veri religiosi, & Ecclesiastici, eandem habentes personalem, ac realem Ecclesiasticam immunitatem, quam obtinent illi in sacris, ubi non obstet defectus requisitorum Concilii Tridentini, per quem in effectu declarantur non clerici, ut infrà advertitur, agendo de clericis sæcularibus; Et consequenter in hac facti specie nil referebat, an essent clerici in minoribus tantùm, vel etiam in sacris.

In stricta verò, ac propria significatione, juxta communem usum loquendi, sub nomine religiosorum, veniunt solùm illi, qui alicujus Religionis Institutum, cum solemni emissione trium votorum profitentur, ideòque de clero regulari efficiuntur, juxta communem distinctionem, super qua, agendo de hoc nomine, seu vocabulo religiosi, plura de more colligit elaboratus Barbos. *inter tract. var. de appellat. verbor. appellation.* 223. atque de hac distinctione habentur *sub tit. de praem. disc.* 32. 4

Adeòut, ex deductis in alia *Lucana sub tit. de jurisdict. disc.* 92. quamvis aliquę militię à sede Apostolica approbatę pro aliquo religioso, vel pio instituto erectæ de facto ex communi usu loquendi dicantur Religiones, attamen verè, & proindè non sunt tales, earumque professores non sunt verè religiosi, ut etiam de mulieribus vitam cælibem, ac spiritualem etiam sub clausura eligentibus habentur *disc. sequenti*, quoniam religiosi propriè dicuntur illi, qui regulare Institutum cum formali votorum emissione profitentur; Adeòut etiam illi, qui hujusmodi Religiosum Institutum regulare assumunt, ac habitum deferunt, donec sunt 6
novitii, quamvis ad certos effectus favorabiles, sub nomine Ecclesiasticorum, seu religiosorum veniant, eorumque aliquibus immunitatibus, ac privilegiis potiantur; Attamen in effectu non sunt tales, quoniam sunt testabiles, atque dominium bonorum retinent, quinimò sunt capaces feudorum, ac beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium, vel pensionum super eisdem beneficiis, ut in suis respectivè materiis advertitur *sub tit. de benef.* & sub altero *de pensionibus*, ac altero *de feudis*, cum similibus. 5

Clariùs verò in hac facti specie, quòd testator contradistinxit mendicantes à non mendicantibus, cùm ita clara videretur intentio agendi de vero regulari tantùm, ita distinctio inter mendicantes, & non mendicantes, ut alibi *hoc eodem titulo* advertitur, quæ distinctio non cadit in clero sæculari. 7

Unica dubitandi ratio resultare videbatur à discretiva locutione sæcularium, & claustralium; Et quidem ubi istud verbum claustralium explicatum fuisset sub altero regularium, ratio dubitandi fuisset nimiùm probabilis, quoniam verbum genericum regularium, clericum regularē complectitur, dum alterum verbum sęcularium clero sęculari congruit; Verū difficultas cessabat ex eo quòd hoc verbum *sæcularium* positum fuerat contradistinctè à claustralibus ad effectum explicandi omnes regulares, seu religiosos quamvis extra claustra viverent, ut sunt præsertim milites Hierosolymitani, qui ut advertitur *supra disc.* 46. & alibi, sunt verè religiosi tria solemnia vota prævio formali novitiatu emittentes, ideòque intestabiles, atque incapaces possidendi bona in particulari redduntur, ac sęculo moriuntur, & tamē extra claustra in privatis domibus more sęcularium vivunt. 8

Prout etiam, sive ex indultis specialibus, sive ob eam plurium Religionum commendabilem suppressionem, quam nostra ætas experta est, plures adesse solent religiosi, qui regularem statum adhuc retinentes, atque votis regularibus adstricti vivunt in sæculo in habitu clericorum sæcularium sub obedientia Ordinarii, ideoque tanquam non viventes in claustris de facto dicuntur religiosi sæculares, contradistincti à claustralibus. 9

Ponderatis etiam illis aliis verbis ex facti serie narratis, quòd scilicet non contentus testator præfata distinctione mendicantium à non mendicantibus addidit alia verba *sub aliqua Religione, vel regula*, cùm ità ad oculum describantur illi, qui regulare Institutum formiter profitentur 10

Cùm

Cùm etenim formalem professionem in aliquo Instituto regulari emittentes, ita efficiantur incapaces possidendi in particulari bona, vel jura, quæ juxta opinionem Canonistarum in Romana Curia, ac generaliter in foro ecclesiastica magis receptam directè transeunt ad Religionem, vel Monasterium, quod directè, ac immediatè jure suo succedere, vel obtinere dicitur, non autem mediante persona religiosi, ut Civilistæ volunt. Hinc propterea procedendo cum sæpius insinuata propositione, ut in hujusmodi quæstionibus voluntatis, non formalitas verborum, sed substantia voluntatis attendi debeat, ita testator eos tantùm providere voluit, qui viventes in sæculo indigent bonorum, ac redditum temporalium subsidio, quo non indigent religiosi, dictumque subsidium ita congruum est laicis, quàm clericis in sæculo viventibus, ut præsertim advertitur, *sub t. de fideicommisso dicto disc.* 64. nè aliàs Religiones, ita in hujusmodi bonis succederent, ac se ingerens; Itaque videbatur istius voluntatis substantia, quæ spectato effectu attendenda est, neglectis (ut dictum est) verborum formalitatibus, vel grammaticalibus significationibus, cum id grammaticorum partes esse videantur.

ADNOT. AD DISC. XLIX.

De Religiosorum exclusione, Vid. *Annot. ad disc.* 63. *de fideicom.*

MEDIOLANEN. CONSERVATORII
PRO GUBERNATORIBUS DOMUS PIÆ MULIERUM POENITENTIUM.

Discursus pro directione.

An? & quando domus in qua collegialiter sub certo Instituto etiam Regulari vivant aliquæ mulieres, dicantur Monasterium Monialium, ipsæque mulieres dicatur Moniales, & personæ ecclesiasticæ, vel potiùs dicatur domus sæcularis, ipsæque mulieres etiam sæculares, qualemve potestatem isto secundo casu habeat loci Ordinarius?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *In Monasteriis Monialium certa est Ordinarii loci jurisdictio ordinaria, vel delegata.*
3 *De errore Scribentium in materiis jurisdictionalibus.*
4 *De diversis Institutis, vel Religionibus mulierum:*
5 *Recensentur puncti, seu effectus jurisdictionales.*
6 *Ordinarius habet regulam generalem in omnibus Ecclesiis diœcesis.*
7 *Ecclesia sæcularis precario concessa Regularibus non mutat statum.*
8 *Oratoria privata sæcularium subjacent Ordinario.*
9 *In Ecclesia nulla est laicorum potestas.*
10 *Quare in capellis Regiis, & aliquibus Ecclesiis Ordinarius non habeat jurisdictionem?*
11 *De eadem conclusione, de qua num. 4.*
12 *In concernentibus curam animarum cum Clero, & populo certa est jurisdictio Ordinarii, sive sit ordinaria, sive delegata.*
13 *De jurisdictione Ordinarii in Conservatoriis, vel adunantiis mulierum sæcularium.*
14 *De eadem jurisdictione cum administratoribus piorum locorum, etiam sæcularium.*
15 *Aliud est locum esse pium, & aliud est esse Ecclesiasticum.*
16 *Sine distincta notitia circumstantiarum facti non datur maturum judicium.*
17 *De signis arguentibus, quod sit Monasterium Monialium.*
18 *Quando observantia deferatur, & quomodo attendi debeat.*
19 *Quæ signa sint æquivoca, & conveniant etiam sæcularibus.*
20 *An unio beneficiorum sit compatibilis cum loco pio sæculari.*
21 *De modo distinguendi locum ecclesiasticum à loco pio sæculari ex fundatione.*
22 *Quando authoritas ecclesiastica in fundatione sit æquivoca.*
23 *Sedes Apostolica non committit sæcularibus Monasteria Monialium.*
24 *Voluntas Papæ arguitur ex stylo.*

D I S C. L.

De anno 1532. aliqui mercatores, aliique probi viri sæculares, pium assumpserunt opus erigendi in hac Civitate domum, in qua se recipere, ac honestè vivere possent illæ inhonestæ mulieres, quæ pœnitentes, ad meliorem frugem regredi vellent, juxtà Urbis institutum, cujus mentio habetur *sub tit. de testam. disc.* 37. occasione agendi de hujusmodi inhonestarum mulierum intestabilitate: Dictum autem opus de anno 1534. perfectum fuit, atque de anno sequenti, tunc regnantis Ducis diplomate munitum, aliisque privilegiis, & concessionibus ditatum fuit, & præsertim circa jurisdictionem, & facultates Gubernatorum sæcularium, ad quorum preces de anno 1538. Paulus III. dum Placentiæ moraretur, ne istæ mulieres pro Missa audienda, aliisque divinis, ac sacramentis recipiendis, domum egredi, atque per Civitatem evagari cogerentur, indultum in forma brevis concessit, in quo (pro stylo) eandem Domum, pro mulierum pœnitentium confugio deputando, & approbando, sub dictorum Gubernatorum sæcularium regimine, & administratione, facultatem dedit habendi capellanum, qui in proprio oratorio Missam celebraret, ac sacramenta, aliaque jura parochialia dictis mulieribus ministrare posset, independenter ab Ordinario, & à Parocho, à quorum jurisdictione locum, & Gubernatores exemit; Successivis autem temporibus, pro opere excrescente, utraque ecclesiastica, & laicali potestate in idem cooperantibus, eadem Domus ad formam magni Monasterii, cum cujusdam Ecclesiæ parochialis suppressæ annexione, redacta fuit, atque Archiepiscopi, & præsertim S. Carolus Borromæus cum ejus consueta piissima solicitudine, in vim indulti Apostolici enunciati, *sub tit. de benef. disc.* 47. aliquas Ecclesias, seu beneficia univit; Prout etiam Carolus V. Philippus II. aliique Reges quamplura privilegia concesserunt. 1

Cùm autem post decursum annorum circiter 105. inter Archiepiscopum, seu ejus Officiales, dictosque Gubernatores aliquæ exortæ essent controversiæ super hujus Domus, ac mulierum in ea existentium jurisdictione, ac regimine, casus dedit, quòd ex imprudenti consilio cujusdam Curialis opinantis, quòd totum jus Gubernatorum penderet à præfato indulto Apostolico Pauli III. monitorium A. C. super ejus observantia obtentum fuit, pro cujus moderatione instante Promotore Fiscali Curiæ Archiepiscopalis, assumptaque desuper disputatione, Judex difficultatem restrinxit ad punctum, an dictum indultum exemptivum caderet sub decretis revocatoriis, vel moderatoriis S. Concilii Tridentini, & sub aliis Constitutionibus Apostolicis agentibus de Monasteriis Monialium?

Cùmque in hoc statu (pro Curiæ frequenti stylo) ad causæ jam vulneratæ, vel malè directæ defensionem super dicta restrictiva evocatus essem; dixi quòd si admitteretur præsuppositum, ut ageretur de Monasterio Monialium, tunc opus esset desperatum, ideòque punctus restrictus esset incapax defensionis ex inferius deducendis; Ac propterea dixi quòd unicus, ac verus modus defensionis jurium Gubernatorum consisteret in defensione diversi puncti, super hujus scilicet loci qualitate, vel statu, negando quòd ageretur de Monasterio monialium, ac de personis ecclesiasticis, sed potiùs quòd ageretur de pia domo sæculari, ac de personis sæcularibus, laicali potestati subjectis, aliqua tamen admissa potestate Ordinarii in actibus, de quibus infra.

Quare convocato desuper (pro Curiæ commendabili stylo) Advocatorum congressu, conclusum fuit, ut pro obtinenda magis distincta facti notitia, ex qua melior causæ directio metienda erat, desuper à me ederetur discursus (ut editus fuit) in quo in forma discursiva, cum præfata distinctione, materia theoricè peragebatur, quòd scilicet, si istud esset Monasterium, atque mulieres in eo viventes dicendæ venirent Moniales, tunc planum esset bonum jus Archiepiscopi super dicti indulti moderatione, ex iis quæ habentur deducta *sub tit. de jurisd. disc.* 24. *cum plurib. seqq.* Secùs autem è converso ex deductis *eodem tit. disc.* 45. 2

Rei tamen eventus, à meo sensu diversus fuit, quoniam Gubernatores, eorumque consultores, loco respondendi petitis, ac instruendi causæ defensores in Curia, Senatum adierunt, exhibitoque dicto meo responso, seu discursu, ob ibi motiva fundamenta, Regio Advocato fiscali eis adhærente, aliquas obtinuerunt provisiones, super quarum executione pro consueto non multum discreto stylo, qui in partibus adhiberi solet, nonnulla resultarunt inconvenientia, undè propterea Archiepiscopo (meo etiam in aliquibus causis cliente) desuper consulente Sanctissimum, atque ab isto particulari

Con-

Congregatione deputata, ex parte earundem Gubernato-
rum, magis verò ea illa tractantium negotia Regis Catholi-
ci, tanquam ejus Advocatur, denuò desuper consultus fui.

In hoc itaque secundo responso, assumendo potiùs partes
respondentis de jure pro veritate, quàm scribentis more
Advocati ad causæ opportunitatem, ne alias consimilia re-
sultarent inconvenientia; Visis utriusque partis fundamen-
tis deductis in quibusdam mihi communicatis informa-
tionibus; Dicebam, idem, quod pluries infra *in Miscel-*
3 *lan. Ecclesiast.* agendo de controversiis jurisdictionalibus,
vel de Ecclesiastica immunitate advertitur, quòd scilicet,
ut benè practicari posset celeberrimum divinum oraculum
reddendi, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei,
Deo; Quod verbis, quidem, per ora defensorum utrius-
que potestatis quotidie volitat, factis autem ferè nunquam
servatur, dum iidem defensores, factionario more, de
consueto extremorum vitio peccantes, atque adulationi po-
tiùs quàm veritati studentes, totum pro se volunt, totum-
que alteri negant, undè propterea dixi, quòd procedendum
esset cum debita casuum, sive cum diversorum effectuum
distinctione, qua mediante, utrique parti posset esse be-
nè consultum, præfatumque oraculum benè practicari.

Priusquam autem ad prædictam casuum, seu effectuum
distinctionem descenderem; Illud præmittebam, ut incon-
4 gruum esset assumere quæstionem, quam cum aliquo æqui-
voco in consimilibus controversiis plenè aliis de mora tala-
sis assumunt Men. *cons.* 948. & Cyriac. *controv.* 504. super
statu, vel super Ecclesiastica, aut sæculari qualitate illarum
mulierum, quę aliquod religiosum institutum profiteantur,
& quæ enunciantur *in Clementina 1. de religios. domib. &*
in extrav. unica, eod. 1. *& in Clementina unic. de stat. mo-*
nach. & quæ appellari solent *Conversa, Tertiaria, Biguina,*
Corrigiaria, Mantellata, Pinzocheria, Canonissa, Jesuitis-
sa, & cum aliis vocabolis diligenter collectis, & enucleatis
per Tambur. *de jur. Abbatiss. disput. 7. q. 2. cum pluribus se-*
quentibus, ac etiam mentio habetur *sub t. de jurisd. disc.* 45.
In his enim mulierum generibus dicta quæstio status cadit
non ratione loci, in quo vivant, justà casum præsentis
quæstionis, sive audi dici valeant moniales, necnè alicujus
particularis Monasterii, sed ratione instituti diversi, quasi
quòd istæ essent species religiosarum, quæ ad instar viro-
rum religiosorum, atque ad formam universitatis vel Rei-
publicæ regantur, sive collegialiter in una domo, sive sin-
gulariter in propriis domibus vivant; Undè propterea,
quidquid sit de hujusmodi mulieribus, Religionibus, vel
Institutis, prudenter per Sedem Apostolicam in totum, vel
pro majori parte suppressis, dum illæ mulieres, quas cerni-
mus habitum alicujus Religionis gestare, atque tertiarias,
seu pinzoncherias appellamus, ex devotione potiùs sæcula-
rem statum retinentes, atque in privatis domibus viven-
tes, censendæ sunt, id extraneum erat à casu controversiæ.

Quatenus igitur ad istum casum pertinet, decem distin-
guebam diversos casus, vel effectus; Primò nempè circa visi-
tationem, ac regimen spirituale Ecclesiæ exterioris, cui po-
pulo pateat accessus ad divina, ac etiam Ecclesiæ interioris,
siquę adest, in qua divina peragantur; Secundò circa admi-
nistrationem Sacramentorum, aliorumque jurium paro-
5 chialium, cum ipsismet mulieribus in isto Conservatorio
viventibus; Tertio circa visitationem semel in anno, vel
in illis temporibus, in quibus universalis visitatio Civita-
tis, & diœcesis fieri solet; Quartò circa regulas meram
spiritualitatem concernentes; Quinto circa regimen œco-
nomicum, seu merè temporale; Sextò circa regimen mix-
tum super electione scilicet Priorissæ, aliarumque officia-
lium; Septimò circa licentiam egressus ipsarum mulierum
à domo, vel ingressus aliarum in eandem; Octavò circa
potestatem dimittendi à domo easdem mulieres; Nonò
circa cognitionem causarum ipsius Conservatorii in uni-
versum; Et decimò circa cognitionem aliarum causarum
civilium, criminalium, & mixtarum singularum perso-
narum in dicto Conservatorio viventium, vel aliarum,
quo in eo, vel ejus occasione delinquant.

Super primis quatuor; Ubi etiam admitteretur tanquam
certum assumptum sæcularium, quòd ista esset domus sęcu-
laris, etiam sæculares essent mulieres in ea viventes, ad-
6 huc tamen pro Archiepiscopo respondendum esse dixi, sin-
gulos etenim examinando; Quatenus pertinet ad primum,
regula generalis assistit Ordinario super jurisdictione plena
in omnibus Ecclesiis suæ diœcesis, non docto de exemptio-
ne, quæ tanquam limitatio non præsumitur ad vulgarem
textum *in c. omnes basilicæ &c.* cum Concordantibus, de
quibus *sub tit. de jurisd. disc.* 1. *& seqq.* & alibi pluries, un-
de propterea cùm de nulla exemptione constaret dum illa
concessa per Paulum III. respicit domum, non autem Ec-
clesiam aliquam, intrat de plano regula.

Clariùs verò, ac extra omne principium dubitandi ex plu- 7
ribus circumstantiis, quarum singulas dicebam considera-
biles, multò magis simul junctas, Primò nempè, quia ista
non est Ecclesia constructa per ipsas mulieres, vel earum Gu-
bernatores, adeòut, dici valeat membrum ipsius domus
exemptæ, sed est antiqua Ecclesia parochialis ibi proxima
jam libera, & de dispositione Episcopi, qui eam concessit his
mulieribus ratione contiguitatis per quandam speciem usus
precarii, ideòque ejus natura immutata non fuit, juxtà ea,
quæ plenè habentur in fortioribus terminis Ecclesiarum sę-
cularium concessarum Regularibus exemptis *sub tit. de ju-*
risd. disc. 30. *& cap.* 34. ac etiam *sub tit. de Regular. in Sur-*
rentina, disc. penult. vel final.

Secundò, quia si dicimus, quòd istę sunt mulieres sęcu-
lares, quæ ita voluntariæ in hac sæculari domo pro meliori
fruge vivant, ut infrà, eaindè sequitur, ut dici non valeant
capaces possidendi Ecclesiam jure suo, adeòut etiamsi ali-
quam haberent Ecclesiam interiorem pro majori commodi-
tate, non habentem januam in via, adeòut reliquo populo
non pateat accessus, eo modo quo est Ecclesia celeberrimi 8
Conservatorii Turris Speculorum Urbis, adhuc tamen
idem dicendum esset, quoniam in substantia tunc esset pri-
vatum oratorium personarum sęcularium, quòd absque du-
bio subjacet visitationi, ac moderationi Ordinarii.

Et tertiò, quia esset dare absurdum, ut Ecclesia nullum 9
haberet Ecclesiasticum Pręlatum, vel Rectorem atque etiam
in divinis esset sub omnimoda jurisdictione, & administra-
tione Gubernatorum sæcularium, quod implicat.

Undè propterà in casu, de quo *sub tit. de jurisd. discur.*
40. Quamvis ageretur de hospitali sub regia protectione, un-
dè propterea supponeretur, quòd caderet potius sub limita-
tionibus contentis in Sac. Conc. Tridentino, adhuc tamen
quoad Ecclesiam, vel divina, jurisdictio Ordinarii non po-
nebatur in controversia.

Quamvis etenim, pleræque habeantur Ecclesię adjacen-
tes hospitalibus, aliisque piis locis Regiæ protectionis im-
mediatæ, vel in arcibus, aut in Regiis palatiis, sive Ecclesię
nationales, in quibus Ordinarius non se ingerit; Attamen 10
(omisso quòd in plerisque casibus id proveniat potiùs de fa-
cto ratione potentię, vel reverentię illius Principis, sub cujus
protectione sit ille locus,) etiam in illis, in quibus id juri-
dicè sequatur, provenit ex indultis Apostolicis, per quæ
provisum remanet de Prælato, ac Superiore, & Visitatore
Ecclesiastico, purà vel Nuncio, vel alio delegato Apostoli-
co, vel de Regio Capellano majori, cui per Sedem Aposto-
licam per indultum speciale omnes capellæ regiæ commissę
fuerint, cum similibus.

Quoad secundum effectum, curæ animarum & admini- 11
strationis Sacramentorum cum ipsismet mulieribus, pla-
num pariter dicebam esse bonum jus Ordinarii, cum eo di-
lemmate; Aut enim istud dicendum est Monasterium mo-
nialium, & certum est, quod hodie per Concilium Tri-
dentinum, & Apostolicas Constitutiones, quacunque exem-
ptione non obstante, in his subjacet Ordinario saltim jure
delegato, ut frequenter *in dicto tit. de jurisd.* & tanquam
absolutum supponitur suprà *in Braxinen. disc.* 24. & alibi;
Aut dicimus, quòd est domus merò sęcularis, in qua vivant
personæ sæculares de populo, & sic de ovibus ipsi Episcopo
commissis, & tunc pernecesse idem resultat, dum privile- 12
giativæ exemptiones in his, quæ concernunt curam anima-
rum & administrationem Sacramentorum, respectu clerici
& populis sæcularis, hodie extra controversiam cadunt sub
moderationibus Concilii Tridentini, & Apostolicarum
Constitutionum, ex deductis *sub tit. de jurisd. disc.* 1. *cum*
pluribus seqq. & passim.

Idem dixi favore Archiepiscopi respectu tertii, & quarti 13
casus circa visitationem; ac regulas, seu modum vivendi in
iis, quæ concernunt spiritualitatem, vel possibilitatem scan-
dalorum, ex iis quæ in specialibus terminis conservatorii,
vel domus merè sæcularis mulierum habentur *dicto tit. de*
jurisd. disc. 45.

Super quinto puncto merè temporali œconomicæ admi- 14
nistrationis nulla aderat controversia, quæ solùm cadere
posset super revisione rationum, & aliis dispositis per Sa-
crum Concilium Tridentinum *sess.* 23. *de reform cap.* 8. *&* 9.
Sed ubi subsisteret facti præsuppositum, quòd in hoc Archie-
piscopus nunquam se ingesserit, tunc stante observantia
unius sæculi, & ultrà, dicebam adaptari posse, ea quæ ha-
bentur *in dicto tit. de jurisd. disc.* 41. *&* 95.

Re-

15 Restringebatur igitur quæstio ad alios supra recensitos quinque casus, vel effectus, quorum omnium determinationem pendere dicebam ab eodem principio, status loci, & personarum, an scilicet istud dicendum esse Monasterium Monialium, adeòut, tam locus, quàm personæ essent in statu Ecclesiastico vel è converso esset domus sæcularis, ipsæque mulieres partes sæculares, quamvis sub pio instituto viventes, quoniam, aliud est locum esse pium, aliud verò esse Ecclesiasticum, ex deductis *in alia Mediol. dicto t. de jurisd. disc. 60.* ac etiam latiùs *eodem tit. disc. 92. & sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc. 7. & 8* & alibi.

16 Quæstio itaque (ut dicebam,) remanebat potiùs facti & applicationis, quàm juris, ac propterea, non bene firmato facto, (in quo aliqua notabilis discordantia dignosci videbatur,) atque non visis juribus alterius partis, dicebam quòd certum, ac maturum judicium efformari, non poterat, Ex iis autem, quæ desumebantur à quibusdam scripturis, ex pluribus præcedebant Scribentes pro Archiepiscopo probari, quòd istud esset Monasterium monialium, ac etiam quòd illi assisteret observantia.

17 Primò nempe, quòd illæ mulieres uniformem monasticum habitum gererent, atque sub certa regula S. Augustini, vel S. Claræ viverent, quandam speciem professionis emittentes in choro etiam divinæ psallendo, aliquæ gerendo, eodem adamussim modo, quod omnes aliæ moniales.

Secundò ob unionem aliquorum beneficiorum Ecclesiasticorum eidem Monasterio factam. Tertiò, quia esset locus fundatus Apostolica authoritate per dictum indultum Pauli III. Et quartò demum propter observantiam, quòd scilicet Archiepiscopus plures actus jurisdictionales, ac superioritatis exercere consuevit, quòdque præsertim quasdam regulas eis præscripserit, juxta quas illæ viverent.

18 Excepto enim tertio fundamento, ad quod uti infra difficultas restringi videbatur, advertebam, quòd reliqua omnia essent æquivoca, & non concludentia; in casu, & ad effectum, de quibus agitur, & præsertim ultimum observantiæ, ea etiam admissa, dicebam quòd licèt ei plurium in his materiis deferri debeat, attamen procedit, ubi est univoce, secus autem, ubi æquivoca; & rectè compatibilis, seu conciliabilis cum statu sæculari, utpote referibilis ad primos quatuor casus, vel effectus superiùs deductos, in quibus pro Archiepiscopo respondendum esse dixi, dum circa concernentia spiritualitatem, ac etiam circa modum clausuræ, quamvis voluntariæ, ut occurretur scandalis & conventiculis, (posita in Ordinario loci, jurisdictione,) resultat facultas gerendi omnia alia, quæ ad eundem finem tendunt, juxta pluries enunciatam propositionem, ut concesso fine, concessa censeantur omnia media, sine quibus ad illum perveniri non potest.

19 Quo verò ad signa monastica contenta in primo fundamento; Dicebam (etiam in sensu veritatis,) quòd illa nil concluderent, ea eadem ratione, quòd essent æquivoca, & convenientia etiam sæcularibus voluntariè, & ex devotione sub aliquo pio instituto vivere volentibus, juxta exemplum dicti insignis Monasterii Turris Speculorum Urbis, dum eundem habitum monasticum, adinstar aliarum monialium gestant, strictissimam, ac rigorosam regulam profitentur sub obedientia Prælatæ, vel Superioris, vivunt, divina in choro peragunt, quendam novitiatum faciunt, ac etiam quandam speciem professionis emittunt, & tamen non sunt moniales, sed simplices oblatæ, retinentes dominium & administrationem bonorum, ac habentes factionem testamenti, omniaque alia quæ sæcularibus competunt, etiam cum libertate redeundi ad sæculum, & contrahendi matrimonium cùm non contrahunt verum matrimonium spirituale, neque civiliter moriantur, ut in solemniter profitentibus contingit, ex deductis *sub t. de dote, disc 5 & 167.* ac etiam *dicto disc. 45. de jurisd.* & plenius *eod. t. disc. 92*, occasione agendi de profitentibus militias Ecclesiasticas, quoniam non omnis promissio obedientiæ importat professionem, neque omnis modus piè, ac laudabiliter vivendi importat statum religiosum, vel Ecclesiasticum, ex ibi deductis.

20 Alterum argumentum unionis aliquorum beneficiorum pariter æquivocum remanet, tum quia est referibile ad ipsam Ecclesiam ibi annexam pro Missis celebrandis; tum etiam quia, ex recepto ac notorio beneficiali statutum axiomate pluries enunciato *sub t. de benef.* unio accessoria, vel subjectiva extinguit beneficii nomen, ac substantiam & essentiam, unde propterea effici dicitur nudum prædium, & consequenter nulla dignoscitur implicantia, quòd ea bona, quæ priùs erant Ecclesiastica, utpote effecta prophana, per Papam tanquam dominum assignarentur alicui loco pio, qui non per hoc immutat naturam, eo modo quo fiunt beneficiorum Ecclesiasticorum uniones Seminariis puerorum; qui propterea remanent sæculares, neque per hoc illa domus dici potest Ecclesiastica, quamvis sit sub cura, & administratione Ordinarii, vel Regularium, ex deductis supra *in Neapolitana Seminarii disc. 33.*

Unica igitur difficultas restringebatur ad dictas literas Pauli III. stante, quòd in illis dicitur, quòd ea domus pro usu & habitatione mulierum impudicarum honestè vivere volentium, perpetuò deputabatur, & sic quòd esset locus fundatus cum authoritate Apostolica juxta distinctionem, de qua cæteris relatis Rota *dec. 313. p. 10. & 248. part. 11. rec.* quarum prima prodiit *in alia Mediolanen.* dein agitur *dicto tit. de jurisd. disc. 60.* & habetur etiam *sub tit. de alien. & contr. disc. 7. & 8.* 21

Verùm pariter istud erat æquivocum; quoniam ut in eisdem Apostolicis literis enunciatur, iste locus erat jam per plures annos antea fundatus, atque ex deductis cum authoritate laicali, dicta verò Ecclesiastica, seu Apostolica authoritas, adhibita non fuit pro fundatione; sed solùm pro dicta facultate habendi oratorium cum capellano administrante sacramenta, aliaque divina; Atque dicta verba prudenter, ac mysteriosè per Papam adjecta fuerunt, ex superius insinuata ratione, de qua præsertim in similibus conservatoriis mulierum *d. disc. 45. de jurisd.* ac etiam *dicto disc. 92. eod. t.* & alibi, quòd scilicet etiam sæcularium scholæ, & adunantiæ sub quantumvis pio instituto, fieri non possunt, nec debent sine authoritate Papæ, vel Ordinarii loci, omnesque piæ confraternitates laicorum pernecessè habent aliquam Ecclesiasticam approbationem, non indè tamen inferri potest ad Ecclesiasticam qualitatem, ut locis citatis advertitur. 22

Omnemque difficultatem in hoc proposito ad evidentiam tolli dicebam ex illa circumstantia, quòd Pontifex istum locum commisit totali regimini & administrationi dictorum Gubernatorum sæcularium absque alterius Ecclesiastici Prælati visitatione, & jurisdictione, quod implicare videtur, quoniam licèt præsertim in duobus sæculis antecedentibus frequens fuerit Sedis Apostolicæ stylus concedendi hujusmodi exemptiones ab Ordinario loci; Attamen alteri Prælato Monasterii commissum est, ut patet ex casibus, de quibus *dicto tit. de jurisd. disc. 63. & seqq.* signum clarum quod Papa præsupposuit domum vere sæcularem; Ex stylo autem Papæ, ejusque Datariæ, vel Secretariæ, regulatur ejus voluntas, ut apud Mantic. *dec. 214. n. 4.* Greg. & Add. *dec. 150.* & passim cùm sit propositio quotidiana; Quamvis enim Papa id possit, non tamen soleat, ut in beneficiorum sede pluries advertitur; Adhuc tamen maturiori judicio locum servavi. 23 24

ADNOT. AD DISC. L.

DE hac eadem materia Conservatorii habetur alium *in hoc tit. disc. 86.*

TURRITANA CONSERVATORIÆ PRO COLLEGIO SOCIETATIS JESU CUM ARCHIEPISCOPO.

Casus decisus per Rotam pro Collegio.

An, & quando facultas eligendi, & habendi Conservatorem privilegiorum, amissa, seu præscripta dicatur per non usum? Et quam potestatem, seu jurisdictionem hodie habeant hujusmodi Conservatores, & in quo eorum potestas per Constitutionem Gregorii XV. moderata fuerit?

S U M M A R I U M.

1 FActi series.
2 Resolutio causæ.
3 De punctis controversis.
4 An & quando in facultati vis datur præscriptio?
5 Religiosorum negligentia non præjudicat Religioni, vel Monasteria.
6 An Religiones gaudeant privilegio centenariæ?
7 Ob decretum irritans non potest dari de non usu.
8 Declaratur.
9 Non datur præscriptio ob non usum, ubi non adfuerit occasio usus.

10 De

10 *De exiguis principiis Monasterior. quando fundantur.*
11 *Ubi non deputatur Conservator subintrat Ordinarius.*
12 *De eodem, de quo n.4. & 5. quando præscriptio intret.*
13 *Quandoque Monasteria fundatur sub lege, ut subjaceant Ordinario.*
14 *Quandoque immemorabilis sit improbabilis.*
15 *Quid Constitutio Gregorii XV. innovet.*
16 *De differentia inter Conservatores privilegiorum Societatis Jesu, & illos aliarum Religionum.*
17 *Quid de causis miserabilium personarum, an in eis cessent privilegia Regularium?*

DISC. LI.

1 CONcesso per Pium V. Societati Jesu, ejusque Collegiis, ac Domibus indulto sibi eligendi Conservatorem eorum privilegiorum, cui ampla potestas, ac jurisdictio competeret, cognoscendi quascunque causas civiles, criminales, & mixtas, in quibus dictæ Domus, vel Collegia, seu professores essent, non solùm Rei, sed etiam Actores, & super quo indulto, ob superventam dicti Pontificis mortem per Gregorium XIII. successorem in consueta forma, quæ dicitur *rationi congruit*, expeditæ fuerunt literæ, quæ habentur registratæ in Bullario inter Constitutiones ejusdem Greg. *Constitutione* 1. Cùm ob fortè non urgentem occasionem casus dedisset, quòd Collegium Turritanæ Civitatis, fundatum usque ad 1572. retroactis temporibus, Conservatorem ad
2 formam dicti indulti, sibi eligere neglexisset; De anno verò 1664. servata forma Constitutionis 9. Greg. XV. id egerit, huic innovationi se opposuit Archiepiscopus, inhibendo Conservatori electo, ne se ingereret, atque per appellationem ab hac inhibitione commissa causa *in Rota coram Albergato* ex parte Archiepiscopi petita fuit remissoria, ad effectum probandi immemorabilem super non usu istius privilegii, quod propterea ita amissum, sed præscriptum esset, atque super ejus denegatione prodiit resolutio *sub die 24. Februarii* 1667. Deinde verò assumpta disputatione in negotio principali super dubio, an & in quibus casibus jus competeret eligendi Conservatorem, *sub die* 15. *Junii* 1668. pariter Collegio favorabilis resolutio prodiit, cui Archiepiscopus acquievit, neque causa ulteriorem progressum habuit, cùm moderatione tamen ad limites dictæ Constitutionis 9. Gregorii XV. ut Conservatoris jurisdictio esset pro causis passivis tantùm in quibus scilicet Collegium esset reus, non autem in quibus esset actor.

3 In disputationibus autem super utroque dubio habitis, tres fuerunt puncti; Primò scilicet, an per non usum, amissa, seu præscripta esset hæc facultas, adeòut, etiam in causis, in quibus Collegium esset reus, procedi deberet coram ipso Ordinario loci? Secundò quatenus ista facultas competeret, atque amissa non esset, an & quomodo exercenda esset, an scilicet in solis casibus manifestæ injuriæ, seu violentiæ, non autem in illis, in quibus cum ordine judiciario procedendum est? Et tertiò, quatenus etiam judicialis cognitio competeret, an locum haberet in causis viduarum, ac miserabilium personarum, stante quòd de facto quædam lis mota per viduam contra Collegium deputationi, atque huic controversiæ occasionem dederat.

4 Quatenus pertinet ad primum, meritò denegata fuit remissoria ex capite improbabilitatis, quoniam seclusa immemorabili vel centenaria, quælibet alia præscriptio, absque dubio, ad id suffragari non potest, ex tribus distinctis fundamentis, quorum unum sufficeret multò magis eis simul junctis; Primò nempe quòd cùm ageretur de actus facultativo, intrat certum juris principium frequenter in omni ferè materia enunciatum, præsertim infrà *sub t. de decim.* quòd in facultativis nunquam intret præscriptio, nisi constito de voluntate exercendi facultatè, cui subsecuta sit prohibitio per longissimum tempus effectum sortita cum pacifica acquiescentia; Clariùs verò ubi non agatur de actibus facultativis, qui consistant in aliquid faciendo cum frequentibus reiteratis actibus positivis, in quibus cavere potest dubitatio, an jure facultatis, vel potiùs obligationis gesti sint juxtà deducta *in Majoris. celebrationis Missarum coram Bichio inter suas dec.* 322. & 342. *repet. dec.* 176. & 280. *p.* 12. *rec.* sed agatur de actibus negativis, in quibus conclusio magis de plano procedit; Ut ultra generalia, in terminis nō usus privilegiorum, quæ alicui Religioni concessa sint, plenè habetur apud Royas *dec.* 327. & 359. & *in eadem causa, dec.* 337. *p.* 10. *rec.*

5 Secundò clarius quia privilegium concessū est Religioni, cui, quinimò ipsimet Collegio particulari, præjudicare non potuit negligentia Prælatorum pro tempore, ex deductis in proximè allegatis *decisionibus*, ac sua materia *sub t. de alienat. & contract.* ubi quòd præscriptio est species alienationis.

6 Et tertiò quòd cùm plures Religiones habeant privilegiū Apostolicum, communicativum privilegii Ecclesiæ Romanæ, super centenaria; Hinc proindè stante ferè generica communicatione privilegiorum inter omnes Religiones, ita videtur, quòd centenaria requiratur, ut advertitur in eisdem supra allegatis *dec. coram Royas*, & in altera earum confirmatoria *dec.* 337. *p.* 10. *rec.* in quibus agitur de privilegiis in præcedentibus pluries enunciatis impediendi, ne intra certum novæ Ecclesiæ construi possint.

7 Istis motivis alterum addebam scribendo more Advocati, quòd hoc privilegium contentum in dicta Constitutione prima Gregorii XIII. habet decretum irritans, cujus virtus, ac operatio est inficere quamcunque possessionem, & consequenter impedire contrariam consuetudinem, vel præscriptionem, quæ sine possessione non datur ex iis, quæ plenè, cæteris relatis habentur *dec.* 400. *part.* 9. *rec.* & *dec.* 99. *part.* 12. & sæpiùs.

8 Verùm istud motivum de jure verum, agnoscebam quòd esset fallax quoad applicationem, quoniam ut habetur apud Ottob. *dec.* 175. n.16. & in aliis, atque in omni ferè materia advertitur, id procedit in eo decreto irritanti, quo adjectum sit in aliqua lege, qua non possint subditi non uti, ut præsertim frequenter habetur in proposito decreti irritantis contenti in Constitutione Pii IV. super confirmatione Concilii Tridentini, ad effectum, ut non usus, vel contrarius usus adversus disposita in eodem Concilio, attendi non debeat, quoties sit observantia, quæ præscriptiva, seu destructiva sit juris clari, non autem interpretativa dispositionis ambiguæ juxta receptam distinctionem sæpissimè insinuatam; Secùs autem ubi agatur de decreto irritanti adjecto alicui privilegio concesso ex jure speciali in gratiam, & favorem alicujus personæ, vel universitatis, quæ potest nolle uti, suoque favori renunciare; Ideòque istud motivum non erat tutum.

9 Benè tamen solida erant alia superiùs insinuata, præsertim verò primum, & secundum, pro quorum corroboratione, ultrà generales regulas, quas in jure habemus; Alteram ego addebam satis notabilem considerationem, quòd non usus provenire potuerit ex deficiente occasione, quo casu planum est, ut per quodcunque tempus quantumvis longissimū, non inducatur præscriptio, ut pluries alibi advertitur præsertim *in Baron. Baldachini sub t. de praem. disc.* 26.

10 Probabilem autem dicebam occasionis deficientiam: Tū quia, ut insinuatur pluries infra *sub t. de decim.* ac etiam *in Mileuitana contributionis sub t. de censib. decis.* 88. & alibi quando religiosi, in aliquo loco introducuntur, initia soleat esse debilia, paulatim verò, cum longo temporis tractu, ex piis dispositionibus acquirunt bona, quæ hujusmodi controversiis frequentiùs occasionem præbent, potissimè ubi agatur de antiquis fundationibus, antequam prodirent pluries enunciatæ Constitutiones Gregorii XV. & Urbani VIII. prohibentes novas erectiones absque dote sufficienti ad sustentationem duodecim religiosorum; Tum etiam quia cùm novæ introductiones Religionum, ut plurimùm fiant ex desiderio, ac benevolentia populi, & clerici, in ea prima ætate continuare solet amor, qui deinde tractu temporis frigescit ob longam conversationem, quæ nauseam introducit, ideòque oriuntur controversiæ præsertim cum Clero, unde propterea oportet recurrere ad privilegia, & consequenter ad eorum Conservatorem.

11 Ponderabam quoque, quòd cùm per Constitutionem nonam Gregorii XV. disponatur, ut negligentibus Regularibus alicujus loci sibi eligere Conservatorem specialem juxtà formam ibi præscriptam, subintret Ordinarius, ita exinde resultat, ut non possit allegari non usus habendi Conservatorem, eumque eligendi, dum ejus electio, ita implicitè cum solo silentio facta est; usquequò alium deputare videatur, dum ipsamet Constitutio Gregorii præsupponit indubitatam facultatem variandi, disponendo de novo, ne id infrà quinquennium fieri possit.

12 Necessaria igitur est, vel immemorabilis, vel centenaria, non quidem in ratione præscriptionis, quoniam hæc in facultativis non intrat, etiam per decursum mille annorum: Ac etiam quia nimiùm facile est illam impedire præscriptionem, quæ deducatur ex negligentia eorum, qui positivè præjudicare non poterant juxta ea quæ in hoc proposito habentur *in Colon sub tit. de alien. & contract. disc.* 3. Sed in ratione possibilitatis allegandi contrariū privilegiū Apostolicū, sive quemcunque alium titulum meliorē, ex deductis *eodem disc.* 3. *de alienat.* ac pluries infrà *sub tit. de decim.* & alibi.

Itaque possibilitas, etiam secluso privilegio Apostolico,

viget

viget ex lege, seu conventione in limine fundationis, quod
13 scilicet Ordinarius, seu ea lege Regulares in loco receperit, eisque aliquam Ecclesiam, vel alia jura concesserit, ut ejus visitationi, ac jurisdictioni subjacere deberent, ex deductis *sub t. de jurisd. in Fanon. disc.* 30.

14 Ista verò probatio immemorabilis, vel saltem centenaria, erat impossibilis; Tum quia privilegium supervenit de anno 1572. ideòque ea facto cessabat lapsus centum annorum; Tum etiam quia ea facto quoque tollebatur pacifica contraria observantia, dum ex declarationibus Sac. Congregationis editis de anno 1617. in alia *Turritana* ad petitionem hujus Archiepiscopi consulentis super modo, quo hujusmodi Conservatores eorum facultates exercere possent, ac deberent, ea relatis per Barbos. *de Episc. alleg.* 106. *n.* 15. *& in summa Apostolicarum decisionum, verbo conservator, collect.* 216. n. 12. ita constabat de contrario usu Conservatorum in hac diœcesi, ac propterea meritò remissoria ea capite improbabilitatis denegata fuit.

15 Quo verò ad secundum punctum respicientem merita negotii principalis, an scilicet istud privilegium particulare caderet sub moderatione dictæ Constitutionis 9. Gregorii XV. Admittebam ut caderet solùm in ea parte, in qua Conservatoribus hujus Societatis conceditur etiam jurisdictio cognitionis causarum ubi religiosi essent actores, cùm dicta Constitutio Gregoriana in hac parte sit clara; Ubi verò sint rei; Quamvis scribentes pro Archiepiscopo prætenderent, ut per hanc Constitutionem, omnia hæc privilegia reducta essent ad terminos juris *in c.* 1. *& fin. de offic. delegati in* 6. Attamen, etiam cum sensa veritatis, qualem Rota quoque agnovit, dicebam, ut id nullam subsistentium haberet, quoniam dicta Constitutio Gregoriana, excepta præfata moderatione in causis, in quibus essent actores, aliud non disponat de novo, nisi circa formam deputationis tam per qualitatem personarum, ut sint in Ecclesiastica dignitate constitutæ, ad instar eorum, quæ disposita habentur in Judicibus Synodalibus, quàm etiam circa modum faciendi hanc deputationem, & præsertim, ut ea denuncietur Ordinario, juxtà casum, de quo infrà *disc. seq.* In reliquis autem privilegia potiùs approbat, & confirmat.

Et consequenter, cùm istud privilegium particulare ali-
16 quam habeant formam extraordinariam, per quam Conservatores constituuntur etiã Judices, cum facultate cognitionis omnium causarum, idcircò illud non subjacet restrictioni generali contentæ in dictis Decretalibus ad solas injurias, ac violentias manifestas, ut ex Mol. advertit in specie Barb. *dicta alleg.* 106. *n.* 3. cum aliis in hujus causæ decisione, atq; fuit habitum pro absoluto per S. Congreg. Concilii *in Alegaren. sub t. de jurisd. disc.* 49. ubi disputatus fuit articulus, an Conservatores privilegiorum hujus Societatis dici possent Judices, quòdque ab eis appellari posset ad Judicem generalem appellationum in hac insula per Sedem Apostolicam deputari solitum, & in appellatio operari debeat effectum suspensivum, necnè? ex ibi deductis, ac etiam habetur in proposito privilegiorũ hujus Societatis *disc. proximè seq.*

Tertius demum punctus, an scilicet loci Ordinarius etiam adversùs Regulares exemptos, ac privilegiatos, non obstantibus privilegiis, procedere possit in causis miserabilium personarum in vim decreti Concilii Tridentini *sess.* 7. *de ref. c.* 14. ita innovando decretum Concilii Lugdunensis, registratum *in c. volentes, de privil. in* 6. fuit planus, quoniam juxta pluries declarata per Sacr. Congregationem, receptum est, ut hoc decretum non comprehendat regulares, nisi eos, qui degant extra claustra, ut per Barbos. Rodriq. Novar. & alios, de quibus in causæ decisione.

ANNOT. AD DISC. LI. cum seqq.

DE Conservatoribus privilegiorum habentur aliqua superiùs, *hoc eod. tit. disc.* 1. *& in Miscellan. Eccl. pariter disc.* 1. *n.* 67. *&* 68. *de Jurisd. disc.* 40.

Posterior decisio prodita in casu, de quo *disc.* 51. *est impress. part.* 15. *rec. dec.* 285.

PAPIEN. SEU MEDIOLANEN. CONSERVATORIS.

PRO COLLEGIO SOCIETATIS JESU MEDIOLANI CUM EPISCOPO.

Consilium pro veritate.

De eadem materia Conservatoris privilegiorum Regularium, an scilicet deputatus in loco, ubi est Monasterium principale, ibique cum eo Diœcesano servata sit forma Constitutionis Gregorii XV. jurisdictionem habeat in aliarum diœcesum locis, in quibus adsint ejusdem Monasterii granciæ, seu membra, vel bona quamvis cum illo Ordinario dicta forma Gregorianæ Constitutionis servata non sit?

Et quid in iis, quæ concernunt jura provincialia, an Conservatores possint se ingerere, vel potiùs cognitio de eis pertineat ad loci Ordinarium?

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *De aliquibus declarationibus S. Congr. in hac materia.*
3 *Declaratur quid dictæ declarationes contineant.*
4 *Conservatores sunt delegati Apostolici.*
5 *Ad quem ab eis appelletur.*
6 *Ubi bona sunt in pluribus territoriis, quis sit Judex competens.*
7 *Quid de tutore pupilli habentis bona in diversis locis.*
8 *De adeptione possessionis beneficii.*
9 *De subcollectoribus Apostolicis diversarum diœcesum.*
10 *Quod in Italia diœceses habent fines angustos.*
11 *A Conservatoribus aliarum Religionum non licet arguere ad illos Societatis Jesu.*
12 *Quando Regularibus liceat necne se ingerere in administratione sacramentorum, & in sepultura.*

D I S C. LIII.

CUM Collegium Societatis Jesu Civitatis Mediolani 1
possideat granciam, seu tenutam in Oppido Galligolæ, sub diœcesi Papien. ubi residet unus sacerdos religiosus ejusdem Societatis, cum aliquibus ministris, & inservientibus, tam regularibus, quàm sæcularibus; Secuta verò morte unius ex servientibus sæcularibus, dictus religiosus, in ejusdem granciæ Ecclesia, post sacramentorum administrationem, sepulturam quoque illi dedisset, ideòque ejusdem loci parochus querelas desuper porrexisset coram Episcopo, hic proindè manus in causæ cognitione apposuit; Quare Collegium recursum habuit ad Conservatorem suorum privilegiorum in Civitate Mediolani, benè servata forma Constitutionis Gregorii XV. deputatum, qui inhibuit in forma consueta Episcopo, desuper propterea consulenti Sacra Congregationem Concilii, unde propterea consultus fui super duobus punctis; Primò nempè in genere, an Conservator deputatus in una diœcesi, coram cujus Ordinario servata sit forma ab eadem Gregoriana Constitutione præscripta, suas facultates exercere valeat in altera diœcesi, coram cujus Ordinario eadem forma servata non sit? Et secundò in specie, an scilicet posita etiam jurisdictione dicti Conservatoris in suis casibus, in quibus intrent privilegia, ea tamen comprehenderent istum casum, in quo agebatur de administratione sacramentorum, aliorumque jurium parochialium?

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum, suppo- 2
nebatur ex parte Collegii, quòd casus esset jam expressè decisus per eandem Sacram Congregationem sub die 23. Octobris 1623. juxta declarationem relatam per Petein. *de priv. regular. in addit. ad Const. Gregorii XV. c.* 11. *nu.* 17. ut scilicet unus tantùm Conservator eligi possit in loco, ubi situm est Monasterium principale, ibique ille suas facultates exercere possit etiam pro granciis, & membris, non autem, ut in singulis diœcesibus, in quibus membra adessent, plures Conservatores eligi deberent.

Adversùs istam declarationem cadebat ratio dubitandi, ex eo quòd Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium de anno 1656. in una *Parmen. seu Terdonen* relata per Collectorem Nicolium *in elucubrat. tom.* 2. *de Conservator. c.* 29. inter Episcopum, & Religiosos Sancti Augustini in consimili controversia sepulturæ per illos religiosos traditæ cuidam sæculari, cujus cadaver repertum fuerat in puteo Conventus, ut cognitio causæ spectaret ad Ordinarium.

Verùm ista dubitatio, seu declarationum præsuppositarum di- 3
versitas non intrabat, quoniam recentior decisio S. Congregationis Episcoporum, & Regularium anni 1656. non percutit istum punctum, an Conservator deputatus in una diœcesi exerceat ejus facultates in altera, in qua forma Gregorianæ Constitutionis servata non sit; Sed præsupposito, quòd Conservator, ac Monasterium essent in eadem diœcesi, quòdque

quodqua forma servata esset, quæstio erat circa naturam,
seu qualitatem causæ, ideòque percutiebat potius secun-
dum punctum, de quo infra.

Quinimò neque dicta antiquior declaratio Sac. Congre-
gationis Concilii anno 1623. verè, & propriè percutit eun-
dem primum punctum, quoniam decidit solùm, ut unus
debeat esse Conservator, ne alias licentia assumatur mul-
tiplicandi Conservatores, atque plures eligendi in singulis
grantiis, vel membris, sed non descenditur ad punctum
præcisum, an scilicet posita unicitate Conservatoris, de-
beat ejus deputatio denunciari omnibus illis Ordinariis, in
quorum diœcesibus suas facultates exercere velit.

Super hoc autem consultus ex parte Collegii dicebam
probabilius videri, quod facta conservatoris legitima de-
4 putatione in loco, in quo situm est Monasterium principa-
le, ejus facultates ubique exerceri possint, quoniam Con-
servatores dicuntur delegati Apostolici, a quibus appella-
tur ad Papam delegantem, adeò ut sub quæstione sit, an
subjaceant Legato, Anchar. *cons.* 132. Ruin. *cons.* 3. *lib.*
4. & alii apud Barbos. *de Episcop. alleg.* 104. *n.* 2 *&* 5. Pa-
schal. ad Franch. *de Conservator. qu.* 6. *n.* 842. *& seqq.* & ha-
betur *sub tit. de jurisd. disc.* 49. Ubi de quæstione insinuata
5 etiam *disc. preced.* an scilicet ab eo appelletur ad Judicem
generalem appellationum, qui per Sedem Apostolicam de-
putetur in aliquo Regno, vel Provincia; Et consequen-
ter non habet fines determinatos, nisi quos ipsa delegatio
restrinxerit, quoniam Papa habet totum mundum pro ter-
ritorio, seu diœcesi. Et sic illa forma, quæ præscribitur
per Gregorianam Constitutionem consideratur ad effe-
ctum, ut benè imprimatur ista qualitas Apostolicæ delega-
tionis, ea verò impressa suam facit operationem in omni
loco, in quo Papæ delegantis potestas vigeat, quando ita
oporteat ob delegationis implementum.

Ad id autem comprobandum ponderabam ea quæ ha-
bentur *sub tit. de jurisd. disc.* 87. ut scilicet ad Judicem lo-
6 ci, in quo sit corpus, vel caput hæreditatis pertineat decer-
nere, cui debita sit directa, vel fideicommissaria hæredi-
tas, etiam respectu bonorum existentium in diversis terri-
toriis, vel provinciis, in quibus etiam illa reputatur hæ-
res, quoties non sint Principatus adeò diversi, ac indepen-
dentes, ut dici valeant tot diversa patrimonia juxta pon-
derationes insinuatas *sub tit. de hærede, disc.* 3. *& sub tit. de
success. disc.* 9. *& sub tit. de jurisdict. disc.* 90.

Ac etiam ea quæ habentur *sub tit. de tutor. & administr.
disc.* 3. ut tutor deputatus per Judicem loci, in quo est pu-
7 pillus, sit tutor ubique, quodque solemnitates per eum ad-
implendas, adimplere sufficit in loco deputationis, non
autem in singulis locis, in quibus bona sita sint, nisi sup-
petat causa, ob quam Judex loci bonorum suum officium
interponere possit super aliqua provisione, per quam pu-
pilli indemnitati consulatur, cum similibus.

Item ad rem facere videbantur, ea quæ habemus in bene-
8 ficialibus, aliisque spiritualibus, in quibus de Ecclesiis,
vel Monasteriis agatur, sub se habentibus grancias, &
membra, seu etiam alias Ecclesias, vel Monasteria, ac-
cessoriè, vel subjectivè unita, quoniam ubi unio non sit
æquè principaliter, sufficit Prælato, vel rectori, ut legi-
timè possessionem adipiscatur, aliaque adimpleat in ipsa
Ecclesia, vel Monasterio principali, etiam respectu Eccle-
siarum, vel Monasteriorum inferiorum, absque necessita-
te adimplendi aliam solemnitatem in singulis, quoniam
reputantur prædia accessoria, & consecutiva, ut pluries
agendo de beneficiis unitis habetur in sua materia *sub tit.
de benefic.* ac etiam in proposito unionis plurium Casbadia-
lium *sub tit. de praeminent. disc.* 2. & alibi.

Dabam in hoc practicum exemplum Apostolicorum
9 Subcollectorum, qui pro spoliis, aliisque juribus camerali-
bus, in singulis diœcesibus, unici ad omnium causarum
universitatem deputantur, cum obligatione exhibendi suæ
deputationis literas illi diœcesano, seu alia ibidem adim-
plendi, quoniam postquam adimpleverint ea, quæ adim-
pleri debet, ad effectum, ut validè illud munus exercere
valeat, si negotia spectantia ad illam diœcesim, in diversa
diœcesi explicanda sint, non videtur ibi prohibendus, suas
facultates exercere, neque subest necessitas in singulis locis
diversarum diœcesum eandem formam servare, quoniam
sufficit, ut illa servetur in loco principali, ad effectum be-
nè imprimendi certam qualitatem, qua impressa intrat ejus
operatio ubique, quoties certa restrictio non adsit; Ut
puta (exempli gratia) Ecclesiæ Metropolitanæ Salernita-
næ, ex Apostolica authoritate unitæ sunt plures Ecclesiæ
inferiores existentes in diversis diœcesibus, juxta insinua-
ta *sub titul. de jurisdict. disc.* 21. unde propterea si ratione
spolii Episcopi defuncti, vel ratione fructuum sede vacan-
te Subcollector Apostolicus Salernitanæ diœcesis cogatur
suum munus explere, suasque facultates exercere in locis
diversarum diœcesum, in quibus hæc membra sita sunt,
non videtur, juxta quotidianam receptam praxim, prohi-
bitus id agere, quoniam ei sufficit adimplevisse formam
suæ deputationis in loco, pro quo principaliter deputatus
est, cum similibus.

10 Ponderabam quoque, ut idem suaderet, viva, & con-
vincens ratio, dum aliàs materia esset impracticabilis, at-
que inconvenientia resultarent, quoniam præsertim in Ita-
lia, ubi diœceses sunt adeò breves, ac frequentes, ut præ-
sertim contingit in Apulia, quòd quilibet locus etiam cas-
trus habet Episcopum, ac nomen Civitatis, ex insinuatis
sub titul. de praeminent. disc. 6. *in fine*, & alibi; Ideòque,
si vel necessitas administrationis bonorum, ac negotiorum
Monasterii, vel alia ratio præbeat, ut ejus religiosi, alii-
que ministri diversas Civitates, vel diœceses in ea regione
peragrarentur, incertumque sit ubinam injurias, ac violen-
tias, aliasque molestias passuri sint cum violatione suorum
privilegiorum, unde propterea hæc forma per eorum Con-
servatorem ubique impleri non potest, ita sequeretur,
quòd illi religiosi, qui injurias, ac violentias patiun-
tur, absque Conservatore, ac defensore remanerent,
quòd est absurdum, ideòque primus punctus mihi videba-
tur planus.

Quo verò ad alterum, super majori scilicet competentia 11
fori, seu cognitionis causæ inter Ordinarium loci & Con-
servatorem, cujus legitima facultas præsupponatur, &
quamvis, ut suprà, casus contingeret in eadem diœcesi,
in qua deputatus est, ac formam adimplevit, adeò ut posi-
ta utriusque jurisdictione habituali, quæstio solum esset su-
per majori competentia unius privativè ad alterum, ut est
propriè casus, de quo agitur in dicta declaratione Sac. Con-
gregationis Episcoporum, & Regularium anni 1656. Ad
duo advertebam; Primò nempè, quod ab iis, quæ dispo-
nuntur cum aliis Religionibus non habentibus hoc simile
indultum speciale, inferre non licet, quoniam regulariter
in aliis Religionibus facultas Conservatorum procedit ad
limitata text. *in cap.* 1. *& cap. fin. de offic. deleg. in* 6. in casi-
bus scilicet injuriæ, ac violentiæ manifestæ. Illi verò istius
Societatis sunt etiam Judices omnium causarum passiva-
rum, ex insinuatis *disc. præcedenti*, *& d. disc.* 49. *de jurisd-
ict.* & consequenter dicta declaratio prodita pro diversa
Religione non videtur percutere casum.

Et secundò, magis ad rem, quoniam in eo casu ageba- 12
tur de cadavere personæ, quæ indubitanter erat de populo
sæculari, adeò ut illa non esset comprehensa sub privilegiis,
neque cum ea poterant religiosi se ingerere circa admini-
strationem sacramentorum, aliorumque divinorum, sive
circa exercitium jurium parochialium, in quibus omnibus,
quando regulares volunt se ingerere, efficiuntur subditi
Ordinarii loci, non obstante quantumvis ampla exemptio-
ne, quoniam ex ista passiva inferri non potest ad jurisdi-
ctionem activam in clero & populo sæculari; Solùmque
respectu sæcularium, qui non sint professi, Religionis e-
xemptiones & privilegia intrant, quando copulativè con-
currant requisita, de quibus præsertim latiùs, magisque
ex professo *sub d. tit. de jurisd. disc.* 4. & in aliis ibidem, plu-
ries ac frequenter; Ideòque in eo casu regulares se ingeren-
do in exercitio jurium parochialium, apposuerunt manus
in messe aliena, Ordinarium, vel parochum turbando in
sua jurisdictione; Et consequenter benè resolutum fuit, ut
cognitio spectaret ad Ordinarium, cujus jurisdictio turba-
ta fuerat, & ob quòd exercitium etiam exempti ita effecti
fuerunt ejus subditi, neque aliquæ intrabant partes Con-
servatoris privilegiorum, cum absque dubio versarentur
extra illorum casum; In hac verò facti specie agebatur de
quodam servente, qui addictus servitio vivebat intra se-
pta domus regularis, atque sub obedientia Superioris regu-
laris, adeò ut verificarentur requisita, de quibus *d. disc.* 4.
de jurisd. unde propterea intrabant privilegia, & de con-
sequenti facultates Conservatoris in quæstione super eo-
rundem privilegiorum observantia, vel violatione; In-
certum est autem, quid secutum sit.

rem impedimenti cum contemptu majoris partis Canonicorum Prælato rebellium, actus tentatus fuit validus, ex deductis ab eodem Fagnan. *in cap. cum ex injuncto, de nov. oper. nunciat.* ubi registrantur etiam literæ Innocentii X. super illius actus approbatione.

12 Atque ex inde resultabat responsio ad aliud objectum, quòd electio facta non esset in Monasterio tanquam loco consueto, cùm adamussim idem defectus concurreret *in d. Leodiensi*; Ac etiam advertebam, quòd id nullibi in jure cautum reperitur, potissimè ubi actus fiat in ejusdem Monasterii grancia, seu membro, & sic non in loco omninò extraneo, & tali, ut vocales justè recusare potuissent accessum. Dando in hoc practicum exemplum actuum capitularium gerendorum per Monasterium S. Pauli extra Urbem, qui fiant in membro, seu hospitio S. Callisti ejusdem Monasterii intra Urbem propè Ecclesiam S. Mariæ trans Tyberim, cum similibus.

Et quoad interventum Monachorum, qui non erant in
13 sacris, justificabatur in facto Monasterii consuetudo; Ac ulteriùs, cùm vota fuissent concordia, nihil referebat dictus interventus, cùm mixtura non habentium votum non contradicta, non præjudicet electioni, quæ ab aliis benè conclusa sit, dum difficultas cadit, quando talia vota illegitima ipsam electionem concluderent, secùs autem ubi ipsis etiam non intervenientibus, actus esset benè conclusus.

Deducebantur autem hæc ad exuberantiam, ac præter causæ
14 necessitatem, quoniam non agebatur de ea confirmatione concludenda, vel deneganda veræ, ac formalis electionis, quæ facta esset de Prælato Ecclesiæ viduatæ, juxta casum disputatum in Tridentina, de quo *eodem tit. de Canonic. & capit. disc.* 58. & ad quem effectum, de electione disputari solet in forma judiciali, ac per rigorosos tramites juris, coram eo, ad quem confirmatio pertinet, justitiam commutativam administrando; Sed agebatur de coadjutoria, cujus concessio petita à Prælato, qui coadjutore indigeat, pendet à mera gratia Papæ, qui ut ejus arbitrium in gratiæ concessione bene interponat, petitionem examinandam remittit consultationi S. Congregationis consistorialis gerentis partes assessoris, seu consultoris Papæ, qui ex laudabili, ac prudenti stylo circumspectè in hac materia procedere solet, desiderando scilicet consensum Capituli, seu monasterii, non quòd ille sit necessarius, neque quòd ipsum Capitulum aliquod jus, vel participationem habeat in ipsius gratiæ concessione; Sed ut ita Papa certificetur de animo Capitularium, ne aliàs, eis invisum, & odibilem, seu malè meritum præficiat coadjutorem, qui futurus erit successor, & sic ad sui animi instructionem, ut advertitur *d. disc. 27. de Canonic. & capit.* Atque in ista causa dabatur votum Mataldi editum in alia consimili controversia; Huic autem voto nimiùm deferendum esse advertebatur, non solum quia erat doctissimus Canonista, ut testabantur ii, qui eum practicaverant, & quem ego quoque in ejus ultima senecta agnovi, & practicavi, sed etiam quia erat in his materiis versatissi-
15 mus, utpotè in muneribus Subdatarii, ac Datarii, & Secretarii brevium per quinquaginta annos, & ultra versatus in ista Congregatione, ac negotiis concistorialibus.

Absurdum etenim esse dicebam, ut potestas Papæ in concessione, vel denegatione coadjutoriæ omnimodam depen-
16 dentiam habere deberet à consensu Capitularium, qui, ut dictum est, ex quadam congruentia laudabiliter adhibetur, quoniam attento stylo, magis necessarius est consensus ipsius coadjuti, qui etiam præstitus re integra revocari potest, unde propterea gratiæ coadjutoriæ ita corruunt ex iis, quæ habentur *sub tit. de benefic. disc.* 78. Et tamen receptum est, quòd ubi justa causa accedat, possit Papa, atque laudabiliter quandoque agat, Prælato, quamvis non consentienti, imò invito dare coadjutorem juxta doctrinam Jo. Andr. *in cap. consultationibus, n. 10. de clericis ægrot.* Ideòque inter requisita coadjutoriæ recensita per Fagnan. *in cap. de Rectore, & in duobus aliis seqq. de cler. ægrot. & in c. nulla, de concess. præbendæ*, ubi omnium latius de ista coadjutoriæ materia tractando, istud requisitum non recenset.

Et meritò, quoniam si juxta veriorem sententiam, de qua *sub tit. de Regal. disc.* 148. & alibi, Papa tanquam in beneficialibus, ac spiritualibus supremus, ac absolutus do-
17 minus, tollere potest prælaturas; ac etiam ex justa causa cogere Episcopum, ut dimittat Episcopatum, ex collectis per Barb. *de Episc. alleg.* 113. *n.* 9. quidquid circa hunc defectum potestatis in contrarium plenè deducat idem Fagnan. *in c. consultationibus, n. 24. & seqq. de cleric. ægrot.* cui alioquin docto, & probo Canonistæ in hac parte deferendum non est, cùm agendo potiùs causam propriam, in hac parte non videatur idoneus testis, vel ea quæ ipse deducit, intelligenda veniant in foro interno, ex deductis *d. disc.* 148. Igitur multò magis dare potest Prælato coadjutorem, etiam sine ejus consensu, ac propterea si iste negligi potest, multo magis iste subditorum.

Exinde autem, de plano resultabat responsio ad aliud 18
objectum, circa vota singularia, data per alios Monachos extra Capitulum, ac etiam circa alia data per non constitutos in sacris, ex quorum numeratione constabat, quòd, exceptis dictis oppositoribus, omnium aliorum consensus aderat, cùm ita Papa certificaretur de consensu, ad quem effectum attenduntur etiam vota extra Capitulum, quoniam aliud est formalis electio, seu actus capitularis solemnis, ac jurisdictionalis; Et aliud est consensus approbativus, ut magistraliter distinguit Innoc. *in cap. in Genesi, de elect. n. fin.* ibique alii, & præsertim Abb. n. 11 atque cum hac distinctione pertransit Rot. apud Buratt. *dec.* 259. *n.* 5.

ADNOT. AD DISC. LIII.

DE iis, quæ pertinent ad electionem Regularium, habetur suprà *hoc tit. disc. 1. cum seqq.* Quo verò ad materiam coadjutoriæ videri poterunt deducta *sub tit. de Benef. disc. 42. & in eod. tit. disc.* 122. & 123.

ROMANA, SEU MONTIS VIRGINIS REDDITIONIS RATIONUM.

PRO ABBATE URBANO DE MARTINO.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Regularium, resolutus cum concordi temperamento.

An, & de quibus Generalis, vel alter Prælatus regularis, expleto officio, teneatur reddere rationes? Et præsertim, an teneatur de œconomica administratione inferiorum officialium, ac ministrorum?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *An, & quando præponens teneatur de facto præpositi?*
3 *Generalis Religionis assimilatur Episcopo in sua Diœcesi.*
4 *An Vicarius Capitularis teneatur de Vicariis foraneis cum similibus?*
5 *Observantiæ est deferendum.*
6 *Resolutio casus.*

D I S C. LIV.

DIsponentibus Constitutionibus Congregationis Mon-
tis Virginis, ut Abbas Generalis, expleto triennali of- 1
ficio suæ administrationis, rationes reddere teneatur Generali successori, ac tribus Judicibus in Capitolo generali ad hunc effectum deputandis; Cùm in redditione rationum, ad formam dictarum Constitutionum facta per Abbatem Urbanum de Martino post expletum suum officium Generalatus, per Judices condemnatus fuisset ad notabilem summam pecuniariam, quæ supponebatur malè administrata, per cellerarios, aliosque inferiores Prælatos, vel ministros; Hic, tanquam gravatus, recursum habuit ad Sacram Congregationem Regularium, quæ cum consuetis ejus legibus prudentialibus, controversiam terminavit cum quodam concordi temperamento, quo mediante recurrens penè in totum victoriam reportavit, atque intentum obtinuit, cùm ex facti circumstantiis clarè pateret de dictæ condemnationis animositate, ob factionarias divisiones inter religiosos, nimiùm frequenti.

Facti autem potiùs, quàm juris, ista quæstio erat super dispunctione partitarum, unde propterea pro commendabili Curiæ stylo, nullæ penè videbantur partes Advocatorum, sed totæ erant causæ Patronorum; Ut autem meam Justitiæ operam, circa professionis initia à recurrente adhibitam, in aliquo præstarem; Dicebam, etiam cum sensu veritatis, quòd verè injusta, & animosa esset dicta condemnatio in concernentibus merè œconomicam administrationem gestam per cellerarios, & procuratores, aliosque ministros inferiores deputatos in ipsomet Capitulo, in quo ipse Generalis electus fuerat; atque ubi etiam aliqui ex eis intermedio tempore ab ipsomet Generali deputati fuissent, non tamen de eorum facto, vel culpa teneri debuisset, dum eos deputaverat ex necessitate officii, circa ea quæ ab hujus-

modi inferioribus ministris explicanda sunt, neque explicari debent, vel possunt per ipsum præponentem.

Eatenus enim præponens de facto præpositi, vel substitui tenetur, quatenus voluntariè id agat in iis muneribus,
2 quæ ad ipsum præponentem gerere spectabat, juxta receptam distinctionem, de qua cæteris relatis habetur apud Rovit. *cons.*87, *lib.*1. *&* *decis.* 79. Farinac. q.100. *num.* 111. Gregor. *decis.*233. Otthobon. *decis.* 142. Reverter. & Add. *decis.* 306. *&* 325. Et conferunt etiam quæ habentur *in Romana redditionis rationum*, *sub tit. de Regal. disc.*86.

Siquidem Abbas, vel alter Prælatus generalis Religio-
3 nis, assimilatur Episcopo in sua Diœcesi, ut advertunt Rodriq. *quest. regular. tom.*1. *qu.*22. *artic.*10. Suarez *de relig. tom.*4. *cap.*12. *lib.*2. *n.*2. *&* 9. Mirand. *in manual. Prelat. p.* 1. *qu.*13. *art.*3. *&* 5. & cæteri; Ideòque ejus administratio concernit justitiam, ac observantiam disciplinæ regularis, aliaque concernentia Religionis regimen in universum, non autem œconomicam administrationem, explicari solitam per cellerarios, & procuratores, aliosque ministros inferiores.

4 Ad quod comprobandum deducebam valdè proximum practicum exemplum vicarii, vel respectivè œconomi generalis Ecclesiæ per Capitulum Sede vacante deputati ad præscriptum Sac. Conc. Trid. *sess.*24. *de reform. c.*16. Quoniam vicarius tenetur stare syndicatui, seque administrationis rationes reddere, ut etiam tenetur œconomus generalis; Sed si in eodem munere deficiant vicarii foranei, aliique inferiores œconomi, & ministri, quos de necessitate deputare oportet in singulis locis Diœcesis circa ea, quæ per ipsum vicarium explicari non possunt, neque convenit, nonne inde dicendum erit, ut in ejus syndicatu de his teneri debeat, cùm redditio rationum, ad quam obligatur, concernant administrationem justitiæ, ac ea, quæ directè per ipsum gesta sint; Talisque est praxis.

Clariùs verò in hac facti specie, quoniam in facto justi-
5 ficabatur, quòd talis quoque esset observantia, non solùm generica aliarum Religionum, sed etiam specifica istius, unde propterea deducebam adeò frequentem, ac vulgarem propositionem, quam in foro quotidianam habemus, ut observantia dicatur optima interpres, ac interpretationum regina, cique descendum sit, adeò ut verborum proprietati quoque præ valeat; Et consequenter meritò in dicto temperamento, cum quo causa sopita fuit, habita solùm est ratio de aliquibus partitis, quæ de ipsius Generalis mandato honestè erogatæ fuerant, sed citra necessitatem, contra
6 earundem Constitutionum formam, cùm in reliquis circa œconomica nullæ videantur partes Prælati Generalis, vel Provincialis, nisi quatenus de ejus culpa positiva constet, sive quod ita expressè suadeant leges, vel observantia Religionis.

ADNOT. AD DISC. LIV.

QUando Dominus, seu præponens teneatur de facto famuli, seu Præpositi habetur *sub tit. de Locat. disc.* 9. *& sub tit. de Regal. in disc.* 180.

CAVEN. ABBATIÆ,
PRO P. FLAMINIO DE NEAPOLI.

Casus disputatus in Congregatione particulari, cum exitu, ut infra.

De intelligentia decretorum generalium Sacr. Congregationis Concilii prohibentium, ne Prælati, ac Superiores Regulares, mutuas pecunias sub usuris accipere possint, sive bona pignori dare, vel ea obligare.

S U M M A R I U M.

1 *DE decretis generalibus ne prelati regulares possint contrahere debita.*
2 *Facti series.*
3 *In casibus exemplaribus procedi solet cum nimio rigore.*
4 *De intelligentia dictorum decretorum.*
5 *De distinctione pœnarum, vel nullitatis actus.*
6 *Pœna privationis vocis est magna inter Regulares.*
7 *An sub prohibitione alienationis veniat hypotheca.*
8 *Quid requiratur ad usuram.*
9 *Consuetudo etiam mala excusat à pœnis.*
10 *De casu, in quo excusetur Superior à contraventione decretorum, de quibus n.* 1.
11 *Prohibitio Extravag. Ambitiosæ cessat in casu necessitatis.*
12 *&* 13 *De calamitatibus tempore pestis, vel belli.*
14 *De debitis contractis per Abbatem, vel etiam per Monachum privatum remissivè.*

D I S C. LV.

PEr decreta generalia Sac. Congregationis Concilii, edita 1
de anno 1643. & ab Urbano VIII approbata, statutum est, ut Prælati, ut Superiores Regulares, non possint absque ejusdem Sac. Congregationis licentia accipere pecunias mutuas ad cambium, vel aliud interesse, sive etiam sub mutuo gratuito dato pignore, vel cum hypotheca bonorum Monasterii, seu Conventus, sub aliquibus pœnis illa præsertim
privationis prælaturæ, ac vocis activæ, & passivæ, quæ in- 2
ter regulares est gravis, ac forte omnium major; Cùm autem P. Flaminius præsideret Monasterio Sanctissimæ Trinitatis Cavæ, de cujus prærogativis habetur per Rotam *in Caven collationis ordinum* cor. Verospio *impress. post Tondut. de pension. decis.* 31. atque ob indigentias Monasterii, causatas à peste, quæ in illis partibus, ac etiam in Urbe adeò grassata est de anno 1656. quandam pecuniarum summam mutuam sub usuris accepisset sine dicta licentia; Hinc proinde Visitatores, eum incursum declararunt in pœnas à dictis decretis inflictas; Quare Abbas recursum habuit ad Sa-
ctam Congregationem Regularium, à qua causam evoca- 3
vit Congregatio particularis aliquorum Cardinalium deputata pro œconomica resolutione aliquarum Religionum; Cùmque iste fuisset primus casus, qui post dictam deputationem contigerat super dictorum decretorum contraventione; Idcircò, juxta regularem naturam primorum casuum, ad aliorum exemplum, ac terrorem, procedebatur cum aliquo rigore, ut ex prudentialibus motivis substinerentur gesta per visitatores; Verùm nisi mors dicti recurrentis controversiæ finem dedisset, probabilius sperari debuisset revocatio dictæ condemnationis.

Dicebam siquidem scribens pro recurrente, quòd non
improbabiliter prætendi poterat, ut præfata decreta non 4
disjunctivè, sed conjunctivè intelligenda essent, quia scilicet unum de duobus ad pœnatum incursum non sufficeret, sed conjunctim requirerentur, ut esset contractus sub usuris pro accepta pecunia, ac datio pignoris, sive hypotheca bonorum accederet, quòdque ubi etiam contrarium esset verius, adhuc tamen negari non poterat, ut id indu-
ceret talem dubietatem, seu credulitatem, quæ licet non 5
sufficeret ad validitatem actus, sufficeret tamen ad excusandum incursum pœnarum, pro quibus necessaria est malitia, seu talis culpa, quæ redoleat delictum, sine quo formalis pœna dari non debet, juxta distinctionem, inter nullitatem actus & incursum pœnarum, de qua in his terminis alienationis bonorum Ecclesiæ *sub tit. de alienat. & contract. disc.* 1. Et conferri altera distinctio inter pœnam caducitatis ob alienationem, & istius nullitatem *sub tit. de fideicomm.* pluries præsertim *in Bononien. disc.*147.

Potissimè verò, ubi agatur de gravissima pœna, qualis
inter regulares rectè dici potest ista privationis prælaturæ 6
jam possessæ, at etiam illa privationis vocis activæ, & passivæ, ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de benef.* circa pœnam privationis beneficiorum, quòd scilicet sicuti in temporalibus, seu corporalibus gravis est pœna capitalis, ita in beneficialibus, vel hujusmodi spiritualibus, per modum loquendi, atque cum debita proportione, est ista pœna privationis de præsenti, ac inhabilitationis de futuro.

Verùm ubi etiam admittendum esset, quòd clarè, ac in
excusabiliter dicta decreta disjunctivè intelligenda essent, 7
adhuc tamen in neutro casu versari dicebam, quoniam quidquid sit de quæstione, de qua apud Royas *decis.* 261. quæ in materia reputatur magistralis cum aliis *dicto disc.* 1. *de alien. & contract.* & latiùs *sub tit. de credito, disc.*13. *&* 151. An scilicet prohibitio hypothecæ, intelligenda sit de speciali, non autem de generali; Cessabat necessitas assumendi hanc quæstionem, cùm neque generalis adesset, nullumque pignus datum, unde propterea contraventio deducebatur solùm ex eo quòd mutuatori aliqui fructus, seu interusuria soluta essent pro more regionis pluries enunciato in sua materia *sub tit. de usur.* Ut enim ibidem advertitur,
atque est principium certum, ad effectum, ut contractus 8
dicatur usurarius, atque termini usuræ intrent, requiritur præcedens pactio obligatoria, cujus vigore lex præsumit, quòd debitor non voluntariè, sed coactè solverit usuras; Secùs autem ubi nulla accedente pactione, nullaque necessitate cogente debitor spontè sua, & ex ratione obligatio-

nis

ois antidotalis pro officio ita impenso aliquam accessionem mutuatori solvat, ex deductis præsertim *sub d. tit. de usur.* & in aliis; Tunc etenim, quidquid sit in foro interno, de quo solus Deus judicat, circa usuram mentalem; Quoad ea quæ pertinent ad forum externum, cùm in dubio delictum non præsumatur, certum est, quòd dicta obligatoria pactione non accedente, dici non potest mutuum usurarium, potissimè ubi de hoc non agatur ad solum effectum impediendi lucrum, in mutuatore accessiones faciat, sed eas restituere, vel imputare teneatur, sed agatur ad solos effectus pœnales.

Ac ulterius, certa supponebatur consuetudo hujus Congregationis, aliorumque Abbatum saltem in eo Regno, ubi ex insinuatis *d. tit. de usur.* in usu est ista præstatio intercesse etiam pro mutuo, ex propositione, quòd ubi etiam consuetudo prava, & reproba dici valeat, pro effectibus civilibus exinde resultantibus, ad commodum, & utilita-
9 tem, adhuc tamen sufficit ad excusandum à pœna, ex insinuatis *eod. tit. de usur.* & alibi pluries; Ideòque ubi etiam ageretur de debito voluntariè contracto, cui dictorum decretorum prohibitio congrueret, adhuc tamen dictæ condemnationi locus non videbatur.

Clariùs verò, atque pro meo judicio extra omnem ansam dubitandi, quoniam hujusmodi prohibitiones discretè intelligendæ veniunt pro iis casibus, quibus congruat ratio prohibitionis inductiva, ubi scilicet voluntariè id sequa-
10 tur, pro quotidianis usibus, quibus Abbas, vel alter Superior, se gerendo more diligentis patrisfamilias, cum ipsius Monasterii fructibus, ac redditibus, occurrere potest, ac debet; Ad instar illius prohibitionis contrahendi debita præsertim usuraria, ac pignorandi, vel hypothecandi bona pupilli, quam habemus in tutoribus, quorum jure Prælati, ac administratores Ecclesiarum censendi veniunt; Secùs autem ubi magna, & inopinata necessitas urgeat, cui aliàs consuli, seu occurri non valeat, cùm à cessante ratione iste casus non videatur sub prohibitione comprehensus,
11 præsertim (ut dictum est) ad effectus pœnales, ex iis, quæ in fortioribus terminis formalis alienationis cadentis *sub Extravaganti Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* ubi necessitas urgeat, habentur *d. dec. 3. de alienat. & contract.* cum aliis ibidem insinuatis.

Et hic erat casus, quoniam, ut omnes experti sumus, in eo calamitoso tempore, impedito commercio, fructus, ac redditus non de facili exigi poterant, longæque majores, ac extraordinarii erant sumptus, qui tam ex notabiliter alterato valore victualium, quàm pro diligentius præservativis
12 necessarii erant, nimiùmque opportuna erat pecunia numerata in notabili quantitate, adeòut in Urbe etiam Cardinales, & Magnates, aliique nobiles, ac etiam idonei, & prudentes populares, circa initia hujus belli divini, loca montium, aliaque jura etiam pro viliori pretio, &
13 cum notabili jactura distraxerint, sive gemmas, & argenta sub gravibus usuris pignori dederint, ut pecuniam numeratam domi promptam haberent; ac etiam ut magnam ac insolitam facerent provisionem victualium, edocti de adeò gravibus inconvenientibus secutis in Civitate Neapolis, in qua pestis adeò magnam stragem fecit, quòd scilicet majus flagellum fuit fames, quàm ipsa pestis; adeòut quoad usum pecuniarum, ac victualium, (ut dici solet) neque frater fratrem agnosceret, vel filius patrem; Ideòque reverà hujusmodi condemnatio improbabilis videbatur, atque revocatione digna, ut secutum fuisset, nisi mors recurrentis quæstionem terminasset, quoniam lex discretè intelligenda est, spectato fine pro quo prodiit, seu ratione, cui innixa est, judaicum verò est cum sola generalitate literæ in omni casu procedere.

De hac autem materia mutui, vel alterius debiti contracti per Abbatem, vel alium Superiorem, sive procurato-
14 rem, aut administratorem Monasterii, an istud obliget, & quomodo, habetur actum *sub tit. de credito, disc. 82.* Ubi etiam *disc. 83.* agitur de alia notabili, & curiosa quæstione, an scilicet religiosus professus in particulari contrahere, ac se obligare, inhabilitatus, validè contrahat, atque se obliget, ubi obligationem dirigat ad tempus habile, in quo, sæculo, seu contrahendi habilitati sit restitutus, puta per promotionem ad Episcopatum, ex ibi deductis.

ADNOT. AD DISC. LV.

VIde ad materiam *præsentis disc. Annot. ad disc. 82. & 83. de Cred.*

Card. de Luca, Lib. XIV.

ROMANA PECUNIARIA, SEU ANNUI REDDITUS.

PRO ANDREA PETRILLO, CUM MONASTERIO N.

Casus disputatus coram A. C. sub incerta exitu, credo per concordiam.

An monialis, condonare, seu remittere possit debitori, seu aliàs alienare annuam vitalitiam subventionem, quæ pro communi stylo pro ejus extraordinariis usibus sibi constituta fuerit?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Vitalitia præstatio Monialium est pars dotis eis debita.*
3 *Bona religioso delata acquiruntur directè Religioni.*
4 *De differentia inter jus quæsitum, & quærendum.*
5 *Mulier non potest facere dotis conditionem deteriorem.*
6 *Monialis non potest alienare vitalitiam assignationem.*
7 *Contrarium quod alienatio fructuum non cadat sub prohibitione.*
8 *De eodem, & declaratione.*
9 *Monachus remittit jura per ipsum quæsita.*
10 *Quomodo quæstio decidi debeat.*
11 *& 12 De distinctionibus super conclusione, de qua n. 6. & 7. & quomodo intelligatur.*
13 *Retrodonatio exigit easdem solemnitates, quas donatio.*
14 *De validitate retrodonationis contemplatione matrimonii.*
15 *De interesse Monasterii in dicta assignatione.*
16 *De causis ob quas dicta remissio fieri possit.*
17 *De eodem, & quando id licitè fiat.*
18 *De eodem, de quo n. 10.*
19 *Cui applicentur decursæ annualitates non exactæ.*
20 *De alio casu notabili in eodem proposita.*
21 *Quando contra Monasterium, vel piam causam potiùs inclinandum sit.*

DISC. LVI.

ANdreas, in prosperæ, ac melioris fortunæ statu constitutus, ex benevolentia erga conjunctam, cum qua 1
nullam habebat legalem necessitatem, ei constituit illũ annuum redditum vitalitium pro extraordinariis indigẽtiis, ac usibus, qui hodie ex communi consuetudine per Ecclesiam tollerata videtur adeò frequens, & connaturalis, ut dicatur pars dotis, ideòque de necessitate præstandus sit etiam ubi agatur de obligatione merè subsidiaria in vim *Auth. res quæ, C. commun. de legat.* ex deductis in sua materia *sub tit. de dote*, pluries præsertim *disc. 145. & 167.* Cùm-
que ob aliqua infortunia, dicti elargitoris fortuna deterior 2
facta esset, atq; Monialis piè, ac prudenter agendo, eumque commiserando, receptis pro una vice quibusdam effectibus eum pro tempore futuro liberavit à dicto onere, quod importabat annua scuta 36. Hinc secuta (ut probabilius credo) morte Monialis, Monasterii Administratores pro quodam indiscreto zelo, judicium contra dictum Andream coram A. C. instituerunt, pro valdè notabili summa, quam importabant decursæ annualitates, incertusque remanet causæ exitus, qualem credo per concordiam, dum post unicam, vel binam disputationem, amplius de illa actum non audivi.

Scribentes itaque pro Monasterio actore, pro consueto inepto stylo pragmatico, chartas implebant cum copiosa allegationum congerie ad probandum, quòd ob incapacitatem religiosi professi aliquid habendi in particulari omnia
bona, & jura sibi delata, juxta opinionem Canonistarum, 3
quæ in Curia de plano recepta est, directè, ac immediatè acquiruntur Monasterio, ideòque ipse religiosus dispositionem non habet etiam per actum negativum non acquisendi, cum eo nolente acquirere, vel agnoscere, ipsum Monasterium directè, ac jure suo agnoscere, & acquirere possit, ut in jure dispositum est favore Domini, vel patris in juribus delatis servo, vel filio in potestate, ideòque multò minus remittere, vel condonare potest jus quæsitum, quod est quid magis justa ea, quæ ad materiam textus *in l. qui autem, ff. quæ in fraudem credit.* habentur pluries *sub tit. de creditor.* præsertim *disc. 137.*

Potissimè verò quia juxta firmata locis supra insinuatis *sub tit. de dote*, ista vitalitia subventio constituta moniali, dicitur dos, seu ejus pars, atque exinde inferebant ad conclusionem, de qua in eadem sua materia *sub tit. de dote*,
5 ut mulier non possit suæ dotis deteriorem facere conditionem, ideòque invalida sit quæcunque obligatio, vel alienatio ob quam indotata remaneat, quamvis agatur de muliere majore, liberam suorum bonorum administrationem habente, multò igitur magis, ubi de Moniali professa hanc non habente libertatem.

Atque descendendo ad magis specialia, deducebant firmata individualiter per Rotam *in Viterbien. salviani* 20.
6 *Junii* 1659. coram Cerro *impress. decis.* 100. *p.* 13. *rec.* ubi in specie firmatur, quod Monialis non potuerit hanc annuam, quamvis vitalitiam præstationem debitori dimittere.

E converso autem, Scribens ego pro Andrea reo convento, deducebam ea, quæ ex authoritate Sanchez *ad precept. Decal. lib* 7. *cap.* 22. *n.* 16. Barbos. ad Sac. Conc. Trid. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 2. *n.* 14. habentur firmata per Rotam *in Romana salviani* 31. *Januarii* 1446 cor. Verospio, ubi agendo de milite Hierosolymitano professo dicitur, quod remittere potest hujusmodi præstationem, quæ con-
7 sistit in fructibus, non autem in substantia, neque tangit præjudicium Religionis, vel Monasterii, ut etiam insinuatur in sua materia *sub tit. de alienat. & contract. disc.* 12. dum de facto ex tolerata Ecclesiæ consuetudine, Monasterium non impedit hujusmodi præstationis usum, ubi ille non sit illicitus, ut supponitur per Rot. *in Romana census*, 27. *Maii* 1652. cor. Bichio *inter suas dec.* 508. *repetit. dec.* 253. *p.* 11. *rec. confirmata* 27. *Aprilis* 1654. cor. Bevilaqua,
8 ubi agendo de religioso, qui aliquorum bonorum, ac reddituum ea ejus conjunctorum successione obventorum ex Apostolico indulto habebat, deciditur, quòd non potuerit pecunias erogare in contractum census vitalitii; Et de consimili indulto habetur *in Romana fideicommissi de Cuppis*, *sub tit. de fideic. disc.* 64.

9 Ac etiam deducebam firmata per Rotam *decis.* 284. *n.* 7. *p.* 3. *divers. lib.* 3. ubi quòd monachus remittere potest jura per ipsum quæsita ex ejus stipulatione, seu alia provisione priusquàm Monasterium accepter, atque supra his generalibus disputabatur hinc inde.

Reflectendo autem ad veritatem, credebam quidem, ut in hac facti specie, ex ejus qualitate, ac particularibus circumstantiis, probabiliores esse partes rei conventi, pro quo scribebam, quòdque indiscretè per pium locum ista fieret
10 petitio, ex ratione de qua infrà; Erroneum tamen putabam, ut cum dictis generalitatibus indefinitè in omni casu procedendum esset, cùm potiùs, quæstio cum plurium casuum distinctione, atque pro facti qualitate, & circumstantiis, decidenda videatur.

Aut etenim, absque justa causa, quæ saltim causativè, seu
11 moraliter necessaria censenda sit, ipsa moniali adhuc vivente, facta sit remissio ipsius annui redditus, ac juris percipiendi in futurum; Et tunc rectè intrent firmata *in d. Viterbien.* 20. Junii 1659 coram Cerro, super invaliditate remissionis non quidem ex prohibitione contenta *in Extrav. Ambitiosæ*, cùm non agatur de bonis in proprietate, sed de fructibus assequendis sub incerta alea vitæ, ac verè destinatis pro usu personæ particularis, ut ad materiam alienationis bonorum Ecclesiæ advertitur *d. tit. de alienat. & contract. disc.* 1. *& dicto disc.* 12. Sed ex duplici alia ratione.

Primò nempè, quia etiam ubi assignatio, vel alia dispositio præcisè fiat pro usu personæ particularis religiosi professi, vel monialis, cum prohibitione, quod Monasterio non acquiratur, neque se ingerat, atque dispositio valida supponenda sit, adeòut ea consuetudine ab Ecclesia tolerata, servari debeat; Adhuc tamen ad evitandam incompatibilitatem ne religiosus professus contra votum paupertatis
12 dicatur habere aliquid proprium, lex præsupponit dominium in Religione, vel Monasterio, cum obligatione permittendi religioso, usum, & administrationem, non quidem per speciem ususfructus, prout juris est, cùm illius quoque religiosus sit incapax, sed per quandam speciem, seu imaginem commoditatis, ut est nudi facti, adeòut substantiam non percutiat.

Quinimò si religiosus malè utatur convertendo pecunias in alios usus quàm pios, vel necessarios, seu aliàs religioso congruos, ipsa Religio, seu Monasterium potest impedire, imò disposita retractare, juxta firmata *in dict. dec.* 508. Bichii *repetit. decis.* 253. *p.* 11. *rec.* & in ejus confirmatoria superiùs allegata, cum ibi plenè deductis; Et consequenter nulla in ipso religioso potestas residet, remittendi, vel retrodonandi, cum remissio, seu retrodonatio juris jam validè, ac perfectè quæsiti, quamvis facta eidem donatori alienationis, ac novæ donationis speciem habeat, ideòque easdem exigat solemnitates, ac potestatem ex pluries insinuatis in sua materia *sub tit. de donat.* & similiter actum fuit *in Eugubina donationis*, *eod. tit. in supplemento*.

Secundò ex superius motivata ratione, quæ per Scriben- 13
tes in contrarium in ista causa deducebatur, quòd scilicet hujusmodi vitalitia subventio dicitur dos, seu dotis pars, & consequenter quòd mulier non possit ita se reddere indotatam, quamvis esset sæcularis, liberam habens dispositionem, ideòque multò minùs monialis professa.

Et tertiò presuppositis etiam eisdem fortioribus terminis 14
personarum sæcularium capacium dominii cũ libera facultate disponendi, ut scilicet intrarent ea, quæ habetur *sub tit. de donat. disc.* 2. *& seq.* super invaliditate retrodonationis, vel remissionis donationis contemplatione matrimonii ob jus, vel interesse secundarium uxoris, ac filiorum; Sive ea, quæ habentur *in Baren sub tit. de alien. & contract. disc.* 38. super invalida alienatione, vel obligatione, aut alia conventione super bonis, ad quorum titulum quia ad sacros Ordines, vel ad Prælaturam promotus fuerit, cum similibus.

Siquidem, ubi etiam excludatur Monasterii interesse pri- 15
marium, ne scilicet nihil de hoc reddito sibi ipsi applicare possit, neque religioso, vel moniali impedire administrationem, & usum, adhuc tamen dicitur habere interesse, cùm ita caimatur ab illis expensis, ac oneribus, quæ in infirmitate, vel in vestiario, sive in aliis usibus de necessitate, vel de congruentia ipsi religioso, seu moniali suppeditare oporteret; Ac etiam quia, cùm in religiosis præsupponendum non sit delictum, sed quòd agatur id, quod de jure faciendum est, ita etiam frequentiori usu docente, hujusmodi redditus, vel subventiones erogari solent, ut insensibiliter in aliorum religiosorum, ac Monasterii utilitatem cedât, sive quòd erogentur in libros, vel tabulas pictas, aliaque mobilia religioso statui non incongrua, quæ moriente religioso remanent penes Religionem, seu Monasterium.

Eatenus verò in hac facti specie contrarium dicebam pro- 16
babilius, quatenus ita suaderet justa causa, ob quam retrodonatio, seu remissio dici non mereretur alienatio voluntaria, sed potiùs necessaria recognitio veritatis, ac bonæ fidei, sive exercitium illius virtutis gratitudinis, ad quam donatarius erga donatorem, quandoque etiam sub vinculo peccati tenetur, juxta deducta præsertim *sub tit. de Regal. disc.* 3. & alibi; Siquidem cum in facto supponeretur, quòd ista monialis, vel cum ejus licitis, ac virtuosis laboribus, vel ex bonis, aliundè obventis, esset congruè, ac sufficienter provisa, pro illis usibus, & indigentiis, pro quibus hujusmodi subventio destinata est, adeòut Monasterii indemnitati consultum remaneret, atque supponeretur, quòd donator, qui ex mera liberalitate, & charitate, nullo jure cogente, ad hanc subventionem se obligaverat, fortunam, seu conditionem deteriorasset, adeòut istud annuum, vel menstruum onus ejus personæ, ac familiæ substentationi magnum impedimentum, vel incommodum præstaret, adeò ut fuisset tollere necessaria, ut haberentur superflua, hinc proinde dicebam, quòd piè, ac laudabiliter ista monialis egerat, veritatem, ac bonam fidem potius agnoscendo.

Hinc proinde, ut pluries pro veritate consultus, respon-
dere consuevi, quando monialis, vel alter religiosus cum 17
virtuosis laboribus, seu aliàs absque aliquo Religionis, vel Monasterii incommodo se providendo de iis, pro quibus hujusmodi vitalitii redditus assignari solent, verè ex justo, & charitativo motivo erga parentes, vel conjunctos abstinuerit ab hujusmodi vitalitiæ præstationis exactione, atque in hac voluntate usque ad obitum perseveret, quamvis nullam expressam remissionem faciat, non tamen dicendum est ut Religioni, vel Monasterio illa tribui debeat actio, quæ in merè leguleico rigore competeret petendi omnes decursas annualitates, quoties earum non solutio non provenerit ex mera contumacia, & concussione, quam conjuncti religiosis facere solent, juxta casum, de quo *disc. seq.* sed justum, ac probabile accedat motivum voluntariè abstinendi ab exactione; Quemadmodum enim, si exactio secuta fuisset, atque monialis, vel religiosus exactum erogasset ex motivo charitatis in subventionem conjunctorum, vel alicujus nobilis familiæ, non posset, quod datum est, retractari, ita videtur quòd implicitè hanc piam, ac laudabilem erogationem singulis annis erga parentes, vel conjunctos religiosus facere voluerit per actum negativum, seu abstentivum absque inani circuitu.

Ideòque ista materia, facti potiùs, quàm juris est pro fa- 18
cti

cti qualitate, & circumstantiis decidenda, non autem juxta consuetam pragmaticorum ineptiam cum regulis, & propositionibus generalibus, illas indefinitè cuicunque casui applicando, non distinguendo casum à casu, unde tot resultant æquivoca justitiæ, ac reipublicæ adeò præjudicialia.

19 Ubi verò non exactio proveniat ex contumacia debitoris, adeòut dicta rationabilis implicita remissio non intret, & tunc super jure annualitates decursas exigendi, & applicandi intrat quæstio, de qua *disc. seq.*

20 In hoc autem proposito annuæ vitalitiæ subventionis assignatæ moniali, de notabili casu agitur *sub tit. de Regal. disc. 34.* quòd scilicet parentes, vel conjuncti moniali assignaverant emolumenta locorum montium, vel aliorum jurium vocabilium ad vitam; Cùmque casus præbuisset extinctionem dictorum locorum montium, mediante restitutione sortis, orta est quæstio, ad quem scilicet ista spectaret, atque ibi dicitur probabilius videri, ut vel denuò eroganda esset in census vitalitios, vel alia jura similia, ut adimpleretur finis, ob quem ea jura assignata sunt, vel quòd ipsum Monasterium, cui de jure illius sortis dominium delatum est, saltim habitualiter si vult eam obtinere, atque in effectus perpetuos investire, teneatur suppeditare moniali eundem redditum, qui ex investimento vitalitio percipietur; Adinstar eorum, quæ habentur *sub tit de servit.* ad materiam ususfructus circa prudens, ac rationabile temperamentum judicialè adinventum per modernos ita temperantes merè leguleicum indiscretum rigorem antiquorum, quãdo ususfructuarius pecuniæ, vel illorum bonorum, quæ servando servari non possunt, cautionem à lege requisitam præstare non potest, ut scilicet ipse proprietarius, si eligat investimentum cum aliis non facere, proprietatem penes se retineat, usufructuatio autem de illo honesto fructu respondeat, qui ex investimento tuto aliàs obtineretur, cum similibus; Adhuc tamen, neque omninò certa regula generalis cuicunq; casui applicabilis desuper statuenda videtur, sed utpotè in quæstione facti potiùs quàm juris, singulorum casuum circumstantiæ attendendæ videntur, ex quibus regulandum est Superioris arbitrium, cui id remissum videtur, dummodo tamen istud prudenter, ac discretè interponatur, non autem cum eo indiscreto zelo, qui haberi solet erga Monasterium, & Religionem, ita ex motivo pietatis lædendo justitiam, atque præter domini, seu largitoris voluntatem, privando personam illius religiosi, vel monialis, illa majori

21 subventione, quoties facti circumstantiæ non doceant, ut id quod obtinetur ex investimento perpetuo, sufficiat etiam de congruo; quòdque excessus esset potiùs superfluus, ac præjudicialis, adeòut religioso, delinquendi potiùs, parumque religiosè vivendi, ansam, & commoditatem præberet, Ideòque singulos casus, vel quæstiones considerando, semper edocemur, atque fateri cogimur, ut totum consistat in applicando congruè activa passivia pro facti qualitate.

ADNOT. AD DISC. LVI. & LVII.

De hujusmodi vitalitiis præstationibus habetur quoque actum *sub tit. de Dote, disc. 167. & tit. de Testam. disc. 36. 37. & 56.*

Decisiones proditæ in casu de quo *disc. 57. habentur impressa dec. 405. & 410. p. 16. rec.*

LICIEN. SALVIANI, SEU ANNUALITATUM, PRO P. HENRICO BROCCA, CUM MONASTERIO LICII.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Regularium, ubi pendet.

De eadem materia vitalitiæ præstationis assignatæ religioso, vel per eum reservatæ ad ejus dispositionem, si sint decursæ, & non exactæ plures annualitates, an esse debeant ad dispositionem ipsius Religiosi, vel spectent ad Monasterium, vel Religionem? Et incidenter, cui Monasterio acquirantur bona Religiosi.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones in alio puncto in eadem causa.*
3 *Status causa.*
4 *Cui acquirantur bona relicta monacho sub lege, ut non acquirantur Monasterio.*
5 *Annualitates decursa, qua Religioso reservata sint, cui debeantur.*

6 *De alimentis præteritis habentibus naturam futurorum, si pro eis contracta sint debita.*
7 *Quod pro congrua declaratione procedi debeat cum distinctione casuum.*
8 *Datur distinctio diversarum specierum transitus ab uno Monasterio ad alterum.*
9 *De differentia inter has species, & qualis sit proprie transitus.*
10 *Quid referat professionem fieri in Religione, qua regitur jure universitatis, & ad quem spectet recipere professionem, vel admittere ad habitum.*
11 *Distinguuntur plures species bonorum.*
12 *An bona donata Monasterio transeant cum persona professi ad aliud Monasterium ad quod est translatus.*
13 *De bonis acquisitis per Religiosum intuitu status religiosi.*
14 *Quid de bonis Religiosi morientis.*
15 *Et de bonis patrimonialibus, vel obventis ex successione.*
16 *De regula quòd quidquid acquirit monachus, acquirit Monasterio.*
17 *Quod bona delata ex persona Religiosorum possint applicari usibus Religionis in universum.*
18 *De annuis vitalitiis præstationibus Religiosorum, an sint permittenda, & quomodo?*
19 *Et quid de relictis sub conditione, ut non acquirantur Monasterio, sed erogentur in pios usus occultos.*
20 *Ad quem pertineant annualitates decursa, & non exacta.*
21 *Quodlibet Monasterium agit pro juribus Religionis, vel religiosi.*

D I S C. LVII.

Volens Henricus professionem emittere in Congregatione Cœlestinorum in Monasterio Civitatis Liciensis 1 ejus patriæ, donationem suorum bonorum fecit conjunctis, cum reservatione annuæ præstationis ducatorum 70. ad ejus vitam, ejusdemque usum, ac dispositionem, expressè desuper obtenta licentia Sacræ Congregationis Regularium, quòdque secuta ejus morte, per quam istud onus cessaturum est, tenerentur conjuncti solvere pro una vice dicto Monasterio ducatos 800. Cùm autem donatarii, ex mera contumacia, per plures annos à dicta solutione defecissent, hinc proinde idem donator, jam professus, judicium in Salviano pro annualitatibus decursis, ac in futurum decurrendis, ad ipsamet bona donata instituit coram Ordinario, à quo prodiit sententia reorum conventorum absolutoria ex defectu legitimationis personæ ex incompetentia actionis, ob incapacitatem religiosi professi possidendi, vel exercendi jure omnino privato; Unde propterea novum judicium institutum fuit sub nomine Monasterii, cujus favore prodiit sententia in secunda instantia confirmata per A. C. & in tertia per Rotam præviis duabus decisionibus 19. Junii 1669. coram Carpineo, & 23. Junii 1670. coram Bourlemont subrogato.

Præfatis autem sententiis executioni demandatis, alia orta est controversia inter ipsum P. Henricum, ac præfatum 2 Monasterium, sub cujus nomine causa acta erat, non quidem super annuo reddito currenti, cujus dispositio, juxta licentiam Sacræ Congregationis, ac frequentiorem Religionum toleratum usum, non controvertebatur, sed circa annualitates decursas, quas sibi ipsi dictum Monasterium deberi, & applicari prætendebat; E converso autem religiosus prætendebat esse debere ad ejus dispositionem, quam declarabat facere velle ad favorem aliquorum Monasteriorum ejusdem Religionis, in quibus ipse moratus fuerat tanquam monachus, vel etiam Abbas; unde propterea re delata ad Sacr. Congregationem Regularium, adhuc pendet ejus resolutio, dilata ob aliqua impedimenta oppositorum, probabiliter tamen creditur, ut juxta petita per religiosum pro dicta applicatione respondendum sit.

In disputationibus itaque desuper habitis, duo erant 3 puncti: Primò nempè circa usum, vel dispositionem particularem dicti religiosi, an scilicet decursæ annualitates, moltorum annorum notabilem summam constituentes, cadere deberent sub ea dispositione, & administratione, sub qua cadebant redditus currentes singulorum annorum; Et secundò, posito, quòd non caderent, circa pertinentiam ad dictum Monasterium Licii.

Super utroque ex parte hujus Monasterii objiciebatur, 4 quòd casus esset jam decisus per dictas decisiones Rotæ in illa causa editas, in quibus firmatur, ut non obstante lege in eadem donatione contenta, quòd de hujusmodi reddi-

tu nihil Religioni, vel Monasterio acquiri valeat, adhuc tamen substantia dominii, acquiratur Monasterio, justà doctrinam Bart. *in Auth. excipitur, C. de bon. quæ lib. n. 2.* cujus verba præcisa registrantur in secunda decisione cum aliis per Sanchez *ad præcepta decalog. lib. 5. cap 4. num 98. & lib. 7. cap. 17. num. 25.* Barbos. *de Episc. alleg.* 105. *num. 3. & 4.* Rota apud Penians *decis.* 1214. *n. 7.* cum quibus procedunt.

5 Scribens pro ipso religioso admittebam, præmissa generaliter, ac abstractè vera esse, dicebam verò fallaciam consistere in applicatione. Quatenus enim pertinet ad primum punctum, non negabam, sed positivè admittebam (quamvis ipsi principali, id non placeret) quod istæ decursæ annualitates sortiri non deberent eandem naturam, quam quælibet annualitas currens in singulo quoque anno; Quamvis etenim veriùs videatur; ut illæ non immutent suam naturam fructuum, licèt notabilem summam ob annualitatum multiplicitatem constituant; Attamen id rectè procedere observabam, ad effectum, ut non caderent *sub Extravag. Ambitiosa*, eo modo quo cadunt capitalia, neque in eis procedat illa præcisa necessitas investiendi, quæ cadit in pecuniis constituere debentibus capitale fructiferum, ut (ex. gr.) sunt legata pro Missis in perpetuum celebrandis ex fructibus singulorum annorum, sive sunt capitalia restituta pro extinctione censuum, cum similibus, de quibus in sua materia alienationis bonorum Ecclesiæ *sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc. 1.* & in aliis; Adeò ut pro arbitrio Superiorum hujusmodi pecuniæ conflatæ ex fructibus similibus, qui plurium annorum spatio exacti non sunt, converti possint in fabricam, vel in ornamenta, sacramque supellectilem Ecclesiæ, vel Sacristiæ, aliasque Monasterii indigentias, vel majores commoditates, ut quotidiana recepta praxis docet, ac etiam comprobat altera praxis in beneficiis, vel Ecclesiis sæcularibus, quod hujusmodi annualitates, tanquam fructus maturi, & non exacti, cadunt sub spolio Episcopi, vel beneficiati defuncti, sub quo non cadunt capitalia.

Non tamen exinde resultat effectus, ut hæc massa sortiri deberet eandem naturam, quam sortiuntur annualitates currentes singulorum annorum, ob longam rationis diversitatem, quoniam Ecclesia tolerat istam consuetudinem, eo quia administratio est modica, & proportionata piis, ac religiosis usibus quotidianis, ac extraordinariis indigentiis currentibus, per quandam speciem pinguioris provisionis alimentorum; Et consequenter id non congruit notabili massæ conflatę ex annualitatibus decursis, cùm illa ita contradistinctè, quandam speciem capitalis redolere videatur, atque esset facere monachum professum proprietarium; Nisi idem professus, sincerè, ac citra fraudem, & collusionem, in illis annis, in quibus iste redditus exigi non potuit, pro extraordinariis indigentiis, ac licitis usibus, mutuas pecunias ab aliis accepisset, vel alia debita contraxisset, ex hujusmodi redditus recuperatione dissolvenda, quoniam isto etiam casu intrare videtur limitatio similis
6 alteri, de qua *sub tit. de credit. disc. 82. & 83.* super regula prohibitiva religiosi professi contrahendi, vel se obligandi, cum tunc adaptari videantur ea, quæ in jure habemus de alimentis præteritis, ita habentibus naturam currentium, vel futurorum, ubi pro eis contracta sint debita; Sive ea, quæ habemus *eod. tit. de credit.*, *disc.* 86. super obligatione patris, solvendi debita contracta per filium in causam alimentorum, cum similibus.

Quare tota disputatio restringebatur ad secundum punctum applicationis hujusmodi decursarum annualitatum, cui scilicet, & quomodo facienda esset; Cùmque super
7 hoc scribentes pro Monasterio, elaboratè quidem ac ingeniosè multa cumularent, quæ plures longeque inter se diversos casus percutiunt, præsertim in casu transitus de uno Monasterio ad alterum; Hinc proindè (pro mea consuetudine) dicebam advertendum esse ad solitam distinctionem casuum, sine qua semper in æquivoca incidi, frequens praxis docet.

Dicebam itaque, ad eam inprimis generalem distinctionem reflectendum esse, inter illum formalem transitum, qui fiat ab uno Monasterio ad alterum independens, ac omninò diversum, ut sunt hodie Monasteria Monialium,
8 atque in viris erant antiquitus Monasteria præsertim Ordinis S. Benedicti, ex quibus etiam hodie aliqua extant ultra montes, ex deductis suprà, *disc. 19. & sub tit. de jurisd. disc. 28.* Et illum transitum quem de ordine Superiorum faciunt viri religiosi de uno Monasterio ad alterum ejusdem Religionis, ac fortius ejusdem provinciæ.

Longa siquidem differentia est inter unum casum, & alterum; In primo etenim, ille, qui in uno Monasterio profitetur, illi se addicit, atque in eo juxta ejus institutum vivere
se obligat cum reciproco contractu inter ipsum, & Mona- 9
sterium, adeò ut transitus ad alterum dicatur formalis immutatio vitæ, seu status, eo modo, quo hodierna praxis docet in transitu Monialium, ex deductis suprà *disc. 39* dum etiam inter Monasteria ejusdem Ordinis, ejusdemque regulæ, putà S. Benedicti, inter se independentia, datur major, vel minor vitæ austeritas, vel, quod magis, aut minus regularis disciplinæ vigeat observantia, ut advertitur suprà, *d. disc. 19 & d. disc. 28 de jurisdict.* Adeò ut idem ferè videatur transitus de uno Monasterio ad alterum, ac ille de una Religione ad alteram, potissimè ubi illa antiquitùs esset eadem, juxta casum, de quo supra, *disc. 37.*

In altero autem casu translationis religiosi de uno Monasterio, vel Conventu ad alterum ejusdem Religionis, quæ, ex illo Reipublicæ, vel societatis jure insinuato *d. disc. 19.* regatur per eosdem Prælatos, Generales, & Provinciales; Et tunc juridicè dici non potest formalis transitus, quoniam verè, & propriè ille, qui in aliqua Religione profitetur, non se addicit magis uni, quam alteri Monasterio; sed contrahit cum universa Religione, ejusque institutum observare profitetur sub obedientia Superiorum, quorum libito est, religiosos mutare statutis temporibus de loco ad locum, istaque mutatio, regularem disciplinam nimiùm conservat, unde propterea profiteri in uno Monasterio est per accidens necessarium, cùm in uno loco professionem emittere oporteat.

Clarius verò ex ea consideratione, de qua ad illud pro-
positum suprà, *disc. 44.* quod scilicèt in illis Religionibus, 10
quæ ad formam Reipublicæ, vel Universitatis reguntur, non cuilibet locali Superiori facultas competit admittendi aliquem ad habitum, & ad novitiatum, & multò minùs ad professionem, cùm ex decretis Clementis VIII. aliorumque Pontificum, certa Monasteria, vel certi Conventus in singulis provinciis destinentur pro locis novitiatus, ibique professio emittatur in manibus illius Prælati, vel Superioris ad id deputati, qui facultatem habeat contrahendi nomine universę Religionis; Ideòque in tali Conventu multi novitii de diversis patriis, vel provinciis professionem emittunt, non pro illo particulari Monasterio, sed in genere pro Religione; Et consequenter nullatenus intrant, sed omninò improprii sunt termini transitus, vel translationis, cum potius intrent illi mutationis domicilii de loco ad locum.

His itaque ita generaliter prænotatis; Quatenùs ad appli- 11
cationem pertinet; Cùm versemur in hoc secundo casu Religionis; quæ regitur jure Reipub. cum connexione omnium Monasteriorum, sociativo; & coæquali jure ipsam Religionem constituentium, eo modo quo plura membra efformant unum, & idem corpus; Hinc proinde, aliam distinctionem pariter generalem adhibendam esse advertebam, inter casum scilicet controversiæ super pertinentia bonorum, vel jurium religiosi professi inter sæculares, & aliquod Monasterium, absq; aliorum Monasteriorum contradictione, juxta casum in specie hujus Religionis disputatum apud Royas *dec. 91.* cum aliis, de quibus pluries *hoc eodem tit.* & sub altero *de donat.* ac altero *de fideicommiss. & de successionib. ac de renunciationibus*, & alibi, & casum in quo quæstio sit inter diversa ejusdem Religionis Monasteria, vel aliquod Monasterium, & ipsam Religionem in universum, super eadem bonorum pertinentia.

Quidquid igitur sit de primo casu controversiæ cum sæcularibus, absque eo quod Religio sit in causa; utpotè ab illo præsentis quæstionis extraneo; Quatenùs pertinet ad secundum, quinque species bonorum distinguendæ sunt; Prima etenim est illorum, quæ per professurum, alicui certo, ac determinato Monasterio, per donationem, vel aliam dispositionem dentur; Altera eorum, quæ acquirantur per ipsum religiosum intuitu status religiosi, & occasione permanentiæ, ac exercitiorum spiritualium in aliquo Monasterio; Tertia eorum quæ reperiantur penes religiosum in cella, in qua degit, vel alibi, & quæ vulgò sub nomine spolii explicari solent; Altera eorum, quæ juris ministerio per professurum in sæculo possessa, per professionem Religioni, vel Monasterio acquiruntur; Sive in diem, quæ ex causa sanguinis, vel ex alia profana, jure testatæ, vel intestatæ successionis; vel aliàs, ex persona religiosi deferuntur; Et quinta demum (juxta hanc præcisam facti speciem) ubi agatur de hujusmodi vitalitiis, annuis, vel menstruis assignationibus, quæ pro extraordinariis usibus, ac indigentiis fiant religioso particulari.

Prima

Prima quæstio circa bona donata, disputata per Canoni-
12 stas in c. *quod a te, de cler. conjug.* cum aliis de quibus suprà *d. disc.* 39. omnes ex regularum *cessante, &c.* nullatenùs intrat in isto casu, in quo nō agatur de formali transitu, sed solùm de locali, ac temporanea mutatione, Ideòque omnia quæ istam quæstionem perentiunt, prorsus extranea remanent.

13 In secunda specie bonorum, quæ per religiosum acquiruntur intuitu, vel occasione status religiosi de tempore quo in eo Monasterio permaneat, dupliciter acquisitio contingere potest; Primò scilicet ob devotionem elargientium bona, principaliter erga Religionem, vel Monasterium, ejusque Ecclesiam, in qua devoti divina recipere soleant, & præsertim ibi habere confessarium, unde propterea per accidens illa persona religiosi, occasione audiendi confessiones in Ecclesia, vel assistendi infirmis, eleemosynas, aliasque elargitiones habeat: Et isto casu, absolutum videtur, ut acquisitio stat illi Conventui, seu Monasterio, in quo moratur, cum ita principaliter ipsius Monasterii intuitu ipse religiosus, tanquam ejus operarius, acquisitionem fecisse videatur.

Alter autem acquisitionis modus est, occasione etiam status religiosi, sed cum ejus virtutibus personalibus, puta in concionibus; Et tunc istæ acquisitiones de communi usu habere potiùs videntur naturam quintæ speciei, de qua infra, ut scilicet sint personales, ideòque personam sequantur; Adhuc tamen deferendum videtur legibus scriptis, vel non scriptis particularibus singularum Religionum.

14 In tertia specie, pariter legibus scriptis, vel non scriptis singularum Religionum deferendum videtur; Sive decisio pendet ex singulorum casuum circumstantiis, & an mors sequatur ex causa moræ accidentalis, vel potiùs, ut ibi ordinariam, ac firmam residentiam haberet, cum ea quæ inter religiosos dicitur *filiatio*, Ideòque non de facili certa regula desuper statui potest; Atque revera in isto casu, raræ videntur quæstiones, quæ in solo puncto juris decidendæ sint, cùm quælibet Religio desuper Constitutiones, vel Statuta habere soleat.

15 Major itaque difficultas cadit in quarta specie, atque pariter, ubi adsunt Constitutiones, vel consuetudines particulares, his deferendum est, neque aliud quærendum est, cùm in rebus, quæ expressè in jure decisæ non sunt, consuetudo totum facere videatur; Quatenus autem ista, vel alia scripta lex Religionis desit, adeòut in solo puncto juris quæstio decidenda sit; Tunc licèt quædam communis vulgi opinio, ex notoria regula, de qua *in dict. decis.* 91. Royas, & passim, ut quidquid acquirit monachus, acquirit Monasterio, ex juxtà sæpiùs insinuatam opinionem Canonistarum, in Curia Romana receptam, acquisitio fiat directè, ac immediatè; credat regulam assistere illi Monasterio, in quo professio emissa sit, sive illi, in quo professus filiationem alegerit; Attamen, secluso (ut dictum est) particulari jure, scripto, vel non scripto, quamvis occasio adhuc non dederit id formiter disputare, pro meo judicio istud videtur æquivocum aliquorum se decipientium cum dictis regulis, desumptis ex jure civili, vel canonico, quorum utrumque ita disponit cum eo præsupposito, quod tunc vigebat, quòd scilicet quodlibet Monasterium se regebat de per se, independenter ab aliis, adeòut professio emitteretur limitatè super vita religiosi in eo Monasterio ducenda, cum præcisa, & perpetua addictione; Id autem hodie, præsertim citra montes, non est in praxi, cùm omnes Religiones tam monachales, quàm mendicantes se regant juxtà supradictam formam Reipublicæ, vel universitatis, neque religiosi addicuntur potiùs uni Monasterio, vel Conventui, sed profitentes illud institutum in genere, efficiuntur merè obedientiarii Religionis ad superiorum nutum amovibiles de loco ad locum; Et consequenter dictæ regulæ generales quæ in utroque jure Civili, & Canonico habentur de acquisitione favore Monasterii, Intelligendæ videntur favore ipsius Religionis in universum, quasi quòd ipsa efformet unum Monasterium formale, constitutum ex tot materialibus inter se distinctis gratia majoris commoditatis, seu melioris divini cultus.

16 Unde propterea, ut advertitur suprà, *disc.* 32. & in aliis, si necessitas, vel utilitas, aut majestas Religionis exigeret, ut bona quæ obveniunt ex persona religiosi, erogentur in usus concernentes bonum Religionis in universum, etiam cum erogatione in loco particulari, puta in aliquo Collegio pro studio totius provinciæ, cum similibus, non videtur subesse congrua ratio, quæ id probibeat, dum in professis, juxtà istum modernum usum, non videtur habere majus jus unum Monasterium, quàm alterum.

Discurrebam hæc obiter pro sola distinctione casuum, atque ad effectum ostendendi incongruam applicationem regularum, & doctrinarum, quæ dictos casus perentiunt, ad illum præsertim controversiæ, quæ præcisè cadit in quinta, & ultima specie vitalitiarum subventionum particularium; Ideòque in præmissis relinquitur locus veritati, omniaque utpotè obiter insinuata reservantur maturiori judicio.

Quatenùs itaque pertinet ad dictum casum præcisum 17
quæstionis super dicta scilicet quinta specie vitalitiæ præstationis, quæ singulis annis, vel mensibus, religioso in particulari assignari, vel reservari solent pro extraordinariis indigentiis, vel usibus, ut occasione Monialium pluries insinuatur præsertim *sub tit. de dote, disc.* 145. *& sub tit. de Regal. disc.* 34. ac etiam *sub tit. de Regular. disc. præcedent.* Quamvis ut patet præsertim ex plenè deductis per Sanch. *ad præcept. decal. lib.* 7. *cap.* 22. Castropal *oper. moral. tract.* 15. *de obligat. Relig. disp* 3. *punct.* 7. Morales nimium se involvant, an id permittendum sit, atque cum statu religioso, & paupertatis compatiatur, præsertim post decretum Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 2. Attamen hodie receptum est id esse permissum ex consuetudine per Ecclesiam tolerata, dummodo tamen practicetur compatibiliter cum statu paupertatis, ut scilicet pecuniæ retineantur in deposito, vel arca communi Monasterii, atque exinde religiosus à manu superioris eas percipiat, erogaturus in religiosos, vel honestos usus, de quibus superior inquirere potest, id denegando, quando illi non videantur congrui, vel honesti, quoniam ut cæteris relatis firmatur per Rot. apud Bich. *decis.* 508. *repet. dec.* 253. *p.* 9. *rec.* & in alia edita *in eadem causa de anno* 1654 *coram Bevilaqua*, etiam ubi ex Apostolica dispensatione religiosus bonorum eorumque fructuum administrationem, ac dispositionem obtineat, adhuc idem intelligendum est, istaque dicitur conditio intrinseca, & subintelligenda quamvis non exprimatur.

Ad tollendam etenim compatibilitatem prædicta datur distinctio inter dominium, vel jus habituale, & actualem administrationem, vel usum de facto, ut prima species sit penes Religionem, vel Monasterium, altera verò penes religiosum in particulari: Juxtà eam conciliationem, quæ datur in hujusmodi annualitatibus, vel bonis quæ dentur, vel relinquantur religioso sub expressa lege, ut non acquirantur Monasterio, ex deductis *sub tit. de donat. disc.* 25. *& in dictis hujus causæ decisionibus*.

Benè verum religiosi ad evitandam dictam necessitatem 18
ponendi pecuniam in deposito, vel arca Monasterii, ac reddendi rationem de usibus, in quos erogent, soliciti esse solent de cautela, de qua habetur actum *sub tit. de testam. disc.* 56. quòd scilicet faciunt se deputare executores, ad effectum erogandi pecuniam in pia opera occulta, quæ publicare non teneantur, sed sint certa, ne alias ratione incertitudinis Fabrica manus apponat, unde propterea ejusdem Fabricæ officiales exigunt juramentum à religioso fiduciario compatibile cum violatione secreti, quòd scilicet juret agi de operibus certis absque necessitate exprimendi, quæ, & qualia sint, atque ita fiunt fraudes, quibus data parum timorata conscientia non de facili occurri potest.

Hic itaque sic stantibus, sequitur ut hujusmodi annuali- 19
tates dicendæ veniant merè personales, ideòque sequi debeant personam religiosi, & consequenter illæ quæ ex mora debitoris exigi non potuerunt, spectare debeant ad Monasterium, in quo in illis annis religiosus vixit, quoniam in effectu permittuntur tanquam per speciem commodioris, ac pinguioris substentationis: Et de consequenti dicebam, quòd injusta esset ista prætensio Monasterii patriæ religiosi, quòd nullum substinuit onus in substentatione ejusdem; Et è converso nimium justa, & probabilis erat petitio, ut applicarentur prædictæ aliis Monasteriis, in quibus vixerat; Potissimè verò, quoniam in eis non vixerat, tanquam subditus obtinendo illum victum ordinarium, qui omnibus pariformiter suppeditatur, sed tanquam Abbas, & superior administrans bona Monasterii, ideòque potuit sibi ipsi pinguius suppeditare ea, quæ pro commodiori substentatione, vel usu solitus erat erogare, quando annualitates exigebat, animo tamen, ac intentione illud reintegrandi cum eisdem post exactionem, eodem modo, quo si ab amico eandem causam mutuas pecunias accepisset, ita restitutus esset, adeòut isto casu etiam congruè applicarentur ea, quæ super debito contracto per religiosum professum habentur *sub tit. de credit. disc.* 83. dum ita erat potiùs recognitio veritatis, & obligationis, etiam pro exoneratione conscientiæ, quæ prohibenda non est.

Ne-

Neque præmissis obstare dicebam, quod lis super recuperatione facta esset nomine istius Monasterii; Tum quia illud habebat principale interesse pro sorte scut. 800. Tum etiam quia id proveniebat ex imperitia Ordinarii, vel ejus Vicarii, qui absolutoriam dederat debitori Reo convento ob incompetentiam actionis in judicio intentato per ipsum religiosum, dum idem agere poterat, neque Judex eum re-
20 pellere debeat, sed benè restringere executionem juxtà modum præmissum, ut non darentur liberè ipsi religioso, sed ponerentur in communi deposito sub dispositione Superiorum, & consequenter, multò magis potuit agere ipsum Monasterium, dum cuilibet religioso conceditur agere ad favorem Religionis, vel Monasterii, ad effectum tamen prædictum, non autem ad commodum privatum; Verùm id non efficit, ut applicatio fieri debeat ei, cui facienda non est, ex deductis per Posth *de manut. obser.* 35. *n.* 133. Caval. *dec.* 629. *n.* 6. & communiter; Potissimè verò, quia ob istam modernam introductionē regiminis Religionum
21 ad formam Reipublicæ, vel Universitatis, ita inter ejusdem Religionis Monasteria adesse dicitur quędam societas, seu mandatum, ut unum pro alio agere valeat, cùm in effectu jus resideat penes ipsum corpus Religionis, eo modo, quo est negotium, vel patrimonium sociale penes plures fratres, vel socios, cum similibus, neque ex eo quòd aliquis se ingerat in exercendo actionem, resultare debet pertinentia juris aliàs non competentis.

SPOLETANA DONATIONIS,

PRO ANDREA GALASSO,

CUM CONVENTU S. SIMEONIS SPOLETI.

Casus decisus per Rotam pro Galasso.

De forma, vel solemnitate, cum qua concipi debent renunciationes, vel donationes aliæque dispositiones volentium profiteri in aliqua religione, & de differentia inter eas, quæ fiant post susceptum habitum in statu Novitii, & illas quæ fiunt ante ingressum in statu sæcularis.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Resolutio causa.*
3 & 4 *Donatio cum aliquo onere, an, & quando revocari possit?*
5 *Renunciatio per Novitium fieri potest post decē mēses.*
6 *Sed non antea, etiam si deficiant aliqui dies.*
7 *Solemnitates Concilii non requiruntur in renunciatione facta ante ingressum.*
8 *Et an isto casu requirantur solemnitates statuti laicalis?*
9 *Actus non solemnis, qui non sufficiat ad obligandum, sufficit ad probandum.*
10 *Quando etiam quis dicatur Novitius.*
11 *Solus habitus non facit novitium.*
12 *Et quando etiam non novitii sint persona ecclesiastica.*
13 *De eodem circa renunciationem noviciorum.*

D I S C. LVIII.

1 PEtrus, suscepto jam habitu tertii Ordinis Sancti Francisci, sive ut vulgò dicitur *Tertiarii*, adhuc tamen in sæculo permanendo, in oppido Trebii, donationem fecit inter vivos Andreæ fratri, sub assertiva destinati ingressus in Religionem Conventualium, qui postmodum de facto secutus fuit, atque post decem menses noviriatus dictam donationem ratificavit, & quatenus opus de novo fecit: Cùmque ob aliquam infirmam valetudinē, Andreas per plures annos à patria abesse, atque in Urbe morari coactus esset, istoq; medio tempore idem donator jam professus, bonorum donato-
2 rum fructus percepisset, atque donatario regredienti, impugnata donatione, eorum dominium, & possessio à Conventu controverterentur: Hinc proinde, judicium associationis instituit coram Ordinario, à quo favorabilem sententiam obtinuit, in secunda instantia confirmatam per A. C. & in tertia per Rotam coram Calataju, prævia decisione 16. *Martii* 1671. cum subsecuta executione.
3 In disputatione habita in Rota, pro qua solùm pro Andrea donatario scribebam: de duobus, ex parte Conventus possessoris objiciebatur: Primò nempè de invaliditate donationis ob defectum utriusque formæ, ac solemnitatis, illius scilicet præscriptæ a Sacro Concilio Tridentino *sess.* 25. *de Regular.* *c.* 16. & alterius requisitæ per Statuta laicalia loci: & secundo quòd cum hæc donatio contineret aliqua onera, illud præsertim cujusdam vitalitiæ præstationis ad favorē donatoris, illa potuisset re integra, & ante acceptationem revocari, juxtà firmata per Rot. *dec.* 17. *p.* 7. *rec.* apud Royas, *dec.* 314. *n.* 21. & in aliis recentioribus pluries, in quibus recensentur authoritates dictam distinctionem adhibentes inter donationem lucrativam, & onerosam absenti factam.

Scribens pro donatario; Quatenus pertinet ad hoc secundum objectum, dicebam, etiam cum sensu veritatis, quòd illud nulla consideratione dignum esset; Tum quia de plano 4
tollebatur ex facto, in quo constabat de acceptatione ab initio; tum etiam ob ejusdem conclusionis, seu distinctionis declarationem pluries deductam in sua materia *sub tit. de don. præsertim, disc.* 56. ubi allegantur authoritates, ac decisiones, ut scilicet id procedat in ea donatione onerosa, & correspectiva, quę contineat tale onus, ut damnum donatario in proprio patrimonio inferre valeat, adeòut possit rapedire non acceptare, quia beneficium converti posset in maleficium, atque ex parte donatoris esset potiùs industria, quā benevolentia, & liberalitas, juxtà casum, de quo plenè agitur *in Romana. seu Alban. Vinea* 20. *Junii* 1670. cor. Alberg. de qua *sub tit. de don. in supplemento*, cum similibus; secùs autem, ubi semper donatio lucrativa est, atque donatarius certat de lucro absque timore damni, quamvis admixtum sit aliquod onus, quod sit emolumento inferius; Potissimè verò, ubi non sit perpetuū, sed ad vitam donatoris tantùm, ex deductis in dicta sua materia *sub tit. de don.* & hic erat casus controversiæ, cùm onus consisteret in annua præstatione vitalitia, quæ inferior erat ipsorum bonorum fructibus, illaque adjecta erat per viam simplicis reservationis, ex ipsismet fructibus bonorum donatorum.

Quo verò ad alterum objectum, pariter illud, absq; ulteriori disputatione, tolli videbatur ex facto, ob secundam scilicet donationem factam post ingressum Religionis; atq; 5
post lapsum decem mensium novitiatus, servata forma Concilii Triden. Et quamvis objiceretur, quòd dictæ formæ satisfactū non esset, eo quia donatio facta non erat infra duos menses ante professionem, sed per plures menses post lapsum decimum mensem: Nihilominus istud non erat motivum considerabile, quoniam ut patet ex deductis per Sanch. *ad precepta decalog. lib.* 7. *cap.* 5. *n* 64. & *seqq.* Barbos. *de Episc. alleg.* 99. *n.* 6. Rot. apud Merlin. *dec.* 869. & advertitur *sub tit. de donat. disc.* 15. magis communiter, ac hodie extra controversiam receptum est, ut decretum conciliare ita loquatur præsupponendo, quòd juxtà ejusdem Concilii mentem, 6
statim expleto anno, vel admittatur novitius ad professionem, vel dimittatur, non tamen præcisè requiritur, ut actus sequi debeat infra duos menses ante professionem, sed sufficit, ut sequatur post jam expletos decem menses novitiatus adeò ut non fiat antea, unde propterea apud Royas *dec.* 91. *n.* 23. Rota invalidam censuit donationem a novitio factam in decimo mense incępto, sed non expleto, quoniam si completo probationis anno, professionis actus ad alios menses differatur id non præjudicat validitati actus, qui post completos decem menses initus esset.

Verùm ubi cessante hoc secundo actu, de primi validitate agendum esset: Dicebam quòd neuter defectus obstaret; 7
Non quidem primus, ob non servatam formam Concilii Tridentini, cùm hodie magis receptum sit, ut ea non intret in donatione, vel alio contractu facto per sæcularem ante Religionis ingressum, & susceptionem habitus, quamvis eo intuitu actus factus esset, ex iis quæ habentur infra, *disc. proximè sequenti.*

Et quoad alterum defectum solemnitatum requisitarum 8
a Statuto laicali, quòd neque illæ adhibendæ non essent, deducebam eadem quæ habentur *dicto disc.* 15. *de donat.* Quamvis enim quoad conclusionem in genere, sive in abstracto, haberem difficultates insinuatas *eodem disc.* 15. quoniam durum, parumque probabile videtur, atque contra verisimilem ejusdem Concilii intentionem, ut ita per imprudentem adolescentem ignorantem quid agat, atque seductionibus de facili subjectum, iste actus utraque forma, vel solemnitate careat, ut ibi ponderatur: Attamen in isto casu, ex facti circumstantiis hæc dubitandi ratio tollebatur, cùm esset dispositio prudenter, beneque regulata juxta debitum naturæ ordinem, seu charitatem benè ordinatam.

Et quod magis est, ponderabam, quòd secundus actus 9
fa-

factus in statu novitii nimium attendendus esset, quamvis rigorosè invalidus dici posset, eo quia non esset in omnibus præcisè servata forma conciliaris, quoniam juxtà pluries insinuata *sub tit. de alien. & contract.* actus minus solemniter gesti, quamvis inefficaces censeantur ad obligandum, attamen sunt efficaces ad probandum veritatem, seu istius agnitionem ubi potissimè ipsa aliunde adminiculata sit, & sic quòd saltem iste secundus actus operativus esset ad probandam sinceritatem primi, quòdque nõ currerent rationes, vel suspiciones ob quas solemnitates statutariæ desiderantur.

10 Et quamvis objiceretur, quòd neque primus actus dici posset gestus à sæculari, sed potiùs à religioso post jam secutam susceptionem habitus, eo quia erat jam tertiarius, qui gestabat ejusdem Religionis habitum, potissimè quia in ipsamet donatione se enunciavit cum adjecto, seu nuncupatione *fratris*, eo modo quo faciunt regulares, & non faciunt sæculares, unde propterea inferebatur, quòd versaremur in casu decreti conciliaris; Attamen istud erat leve fundamentum, cùm ex donationis contextu pateret, quòd ea facta esset in oppido Trebis, ubi nullus adest hujus Religionis Conventus, quod neque sufficeret, cùm ex constitutionibus Apostolicis novitiatus formalis peragi debeat in Conventibus ad id particulariter destinatis cum suo magistro, aliisque requisitis, neque alibi fieri valeat sub decreto annullativo, unde propterea frequenter, subsequente reclamatione intra quinquenium ex isto capite, professiones annullari consueverunt.

11 Sola etenim gestatio habitus sine formali illius susceptione se constituendo in statu novitii, non reddit religiosum, vel novitiũ; Potissimè ubi vivat adhuc in sæculo, quoniam id fieri potest, vel ratione habitus illius tertii Ordinis sæcularium, qui contradistinctus ab alio tertio Ordine regulari enunciatus *suprà, disc. 7.* vel gestari solet per Oblatos, qui etiam quoad forum & onera laicalia reputari solent puri sæculares, ubi vivant in sæculo, atq; eorum bona ad proprium privatum commodum administrent, ut alibi advertitur; Quinimò ubi etiam sint veri Oblati, qui vivãt in ipsis Conventibus, seu domibus regularibus, more religiosorum, sub obedientia Superioris, cum gestatione habitus, discreti tamen ab illo quem gestant novitii, & professi; Adhuc tamen

12 licèt quoad exemptionem fori, ac onerum, aliaque privilegia, & exemptiones etiam spirituales, non habeantur pro puris laicis, non tamen sunt religiosi, minusque novitii, sed potiùs veniunt sub nomine servientium, qui pro devotione, vel signo servitii gestant illum tertiariorum habitum, quem pro libito dimittere possunt, sive illum suscipientes tãquam præparationem futuræ per eos speratæ admissionis ad habitum, ut in ista præsertim Religione Conventualium ego

13 pluries sum expertus; Ideòque probabiliùs videtur, ut non intret decretum Conciliare, quod juxta magis communem opinionem, exigit formalem statum religiosum existentis in probatione, ut in specie firmat Pasqualig. *q. moral.* 273. cum aliis *disc. seq.* Benè verum quòd isto casu nimium circumspectè procedendum videtur in renunciationibus aliisque dispositionibus, quæ fiant per istos, ita de facto viventes cum habitu in domibus regularibus, sub obedientia Superioris regularis, cum ita nimium adaptari videatur eadem ratio, cui Conciliare decretum innixum est.

ADNOT. AD DISC. LVIII. & LIX.

De solemnitatibus requisitis in renunciationibus quæ fiant ob futurum ingressum habetur actum *in Adnot. ad S. C. T. disc.* 40.

PARMEN. RENUNCIATIONIS,

PRO P. FLAVIO CALENDA CASSINENSIS.

Responsum pro veritate.

De eadem materia renunciationis, vel alterius contractus initi per ingressurum Religionem, in statu quòd fuerit jam acceptatus, atque de facto vivat in novitiatu sub disciplina magistri, & in statu novitii, adhuc tamen ex Religionis instituto, retineat habitum sæcularem.

S U M M A R I U M.

1 *Laudabile est, ut novitiis non detur statim habitus.*
2 *Facti series.*
3 *De natura, seu qualitate renunciationis.*
4 *Distinguuntur plures casus circa solemnitates renunciationis, quæ fiunt occasione ingressus in Religionem.*
5 *Solemnitates Concilii non intrant in puro laico.*
6 *In eo qui est verus novitius, intrant sine dubio.*
7 *Quid in eo, qui ante ingressum facit renunciationem intuitu ingressus?*
8 *Quomodo oporteat judicare, & n. 14.*
9 *Quando permanentia in Monasterio, vel gestatio habitus non faciat novitium.*
10 *De casu præciso ejus, qui est receptus in novitiatu adhuc in habitu sæculari, & de differentiis inter illum qui suscepit habitum, & non suscepit.*
11 *De declaratione S. Congregationis in hac materia.*
12 *Quomodo fiant acceptationes mentalium.*
13 *De opinione Authoris in quæstione, de qua n. 7.*
14 *De eodem de quo n. 8.*

D I S C. LIX.

Ex Instituto Congregationis Cassinensis, quòd ea sententia Divi Basilii, & aliorum, laudat Vecch. *in tr. de Novitiis, disp.* 11. *c.* 1. Quando aliquis jam admissus est ad susceptionem habitus, atque collocatus in loco consueto inter novitios, sub eorum magistro, vivendo in propria cella more aliorum novitiorum, adhuc tamen per quindecim saltem dies, retinet ejus consuetum habitum sæcularem, ut ita possint interim melius ejus mores considerari. 1

In hoc autem statu, constitutus Vincentius in ætate 17. annorum, solitam renunciationem ejus bonorum, ac successionum, fecit Antonio patri, qui priùs ad favorem ejusdem Vincentii, & Octavii alterius filii, donationem suorum bonorum fecerat, cũ reciproca substitutione inter eos; Cumq; post patrem, secuta esset quoque mors dicti Octavii fratris absq; prole, instituta hærede uxore: Hinc respectu dictorum bonorum donatorum, ex parte dicti Vincentii (qui in Religionem, mutato nomine appellatur Flavius) pro veritate de duobus consultus fui; Primò nempè super hujus renunciationis subsistẽtia; Et secundò ea posita, super comprehensione, seu operatione respectu dictæ reciprocæ substitutionis. 2

Super hoc secundo puncto, maturum responsum dari non potuit, ob non exhibitam renunciationem, ex cujus tenore conspici potuerit, an esset merè realis, vel personalis, sive extinctiva, vel translativa: vel ita concepta, quò istum casum comprehenderet, necne, juxtà distinctionem, de qua in sua materia *sub tit. de renunciat.* cum ea ibi deductis, ista sit quæstio potiùs facti, quàm juris, ex facti qualitate, & circumstantiis decidenda. 3

Quatenus verò pertinet ad primum punctum invaliditatis quæ prætendebatur, ex eo quòd non esset servata forma præscripta per Sac. Conc. Trid. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 16. Dicebam, quòd iste casus esset mixtus, utpotè participans de una, & altera illarum specierum, de quibus frequentiùs per DD. disputari solet; Ideòq; ad veritatem meliùs indagãdam, advertebam pro stylo, ut plures casus distingui debeant: Primò nempe, ubi agatur de donatione, vel renunciatione facta per sæcularem, qui nulla, explicita, vel implicita mentione facta, vel contemplatione habitus futuri ingressus in Religionem, aliis assignatis causis, seu motivis, actũ fecerit, quamvis deinde casus præbeat, ut etiam intra breve tempus, aliquam Religionem ingrediatur: Secundò, ubi è converso agatur de renunciatione, vel alia dispositione facta per novitium, postquam Religionem jam ingressus est, atq; habitum suscepit: Tertiò, ubi agatur de renunciatione, vel alia dispositione, quę fiat per merè laicum adhuc existentem in sæculo, in habitu sęculari, sub expresso tamen intuitu futuri ingressus in Religionem: Quartò, ubi etiam per sæcularem, qui in habitu sæculari vivat in Monasterio, vel domo regulari, non tamen cum formali destinatione in statu novitii, ut (ex. gr.) sunt puellæ sæculares, quæ erant in Monasterio gratia educationis: Quintò, ubi etiam per sæcularem, qui vivat in sæculo, vel etiam in Monasterio, atque gestet habitum Religionis, contradistinctum tamen ab illo novitii, & professorum, juxtà casum de quo *disc. præcedenti*, & sextò demum, ubi (juxtà istum casum præcisum) volens ingredi Religionem, per Superiores admissus, atque collocatus fuerit in loco solito noviciatus, ibique vivat in sua cella sub magistro novitiorum, ducendo eorum asperam vitam, adhuc etiam retineat per aliquos dies habitum sæcularem quia sic exigat Religionis institutum. 4

In primo casu, omnes concordant, ut decretum Conciliare non intret, ideòq; casus regulandus veniat cum terminis 5

ge-

generalibus contractuum, qui fiant indifferenter à puro laico, ut præsertim advertit Sanchez *ad precept. decal. lib. 7. cap. 5. n. 1.* Pasqualig. *resol. moral. 273. in princ.* & omnes de quibus infrà.

6 In secundo autem, è converso, nemine dissentiente, planum est, ut forma conciliaris servari debeat, adeòut Rot. apud Royas, *dec. 91. n. 23.* invalidam dixerit donationem factam per novitium ad favorem matris in decimo mense novitiatus, ex eo quòd deficerent aliqui dies ad complementum decimi mensis, unde propterea non verificetur decretum Conciliare, quòd iste actus fieri debeat intra duos menses ante professionem.

7 In tertio; Una opinio, quæ antesignanum habet Navar. non improbabiliter credit, ut ea identitate rationis, idem quod in proximè præcedenti casu dicendum sit, istamq; opinionem sequuntur multi, qui diligenter cumulantur *in d. dec. 91.* Royas, *n. 3.* ideòque transcribere non oportet, ac etiam referuntur ultra ibi allegatos, Bottiliet. *de success. thor. 65.* qui eam sequitur, & Pasqual *dicta q. 243 n. 2.* atque hanc tenuit Rota apud Carill *dec. 29. repert. dec. 686. par 5. rec.* unde quando ita tenenda esset, magis de plano ea procederet in aliis tribus casibus sequentibus, oppotà fortioribus.

8 Contraria verò opinio majores habet sequaces, ut patet ex relatia cum eadem diligentia, quę forsan io extensore insolita dici potest (ideòq; referenda patientiæ alicujus ex scribentibus in causa) *d. dec. 91* Royas *n. 6.* reassumpta *per addens. ad d. dec. 586. p. 5. rec.* Et ultra ibi allegatos cumulant Pasqualig. *d. q 273. n. 3.* Bottiliet. *ubi suprà*, Altogr. *cons. 35. & 36. lib. 1.* Istamque postmodum secuta est eadem Rota *in Neapolitana*, de qua habetur actum *sub tit. de donat. disc. 15.* & recentius *in Spoletana*, de qua *disc. precedenti*: Ideòque cùm ista sit opinio magis communi DD calculo recepta, atq; ita pluries per Rotam firmata, stante Juristarum stylo, seu obligatione, in judicando & consulendo ad veritatem, procedendi cum magis communi opinione, quæ à majorum Tribunalium decisionibus, vel judicaturis pluries canonizata sit, idcirco dixi, licèt contra proprium sensum, quòd non videbatur ab ea recedendum.

9 Eadem opinio, pariter recepta est in quarto, & quinto casu, in quibus reverà ille dicitur adhuc verus sęcularis, cum gestatio materialis habitus vivendo in sæculo, sive materialis permanentia in Monasterio gratia educationis, non faciant religiosum, neque constituant in statu novitii, ut advertunt superiùs allegati, vel respectivè in allegatis recensiti, ac etiam comprobatur ex iis, quę habentur infrà à fortiori in sexto, & ultimo casu, ac advertitur etiam *disc. preced.*

10 Major igitur dubitandi ratio cadere posse videbatur in sexto, & ultimo casu (qui erat pręsentis controversię pręcisus) quòd scilicet adolescens jam fuerat acceptatus, atque de facto receptus in Monasterio, ac repositus in loco novitiatus vivendo in cella sub magistro novitiorum, & in illius status austeritatibus, retento solùm habito pro quadam cæremonia, ut satisfieret Instituto Religionis; Isto enim casu nulla videbatur subesse, nec quidem imaginabilis differētia, inter istum, ac alios novitios, tam circa illum fervorem, qui per novitios haberi solet, quam circa maximā obedientiam, ac subordinationem cum omnimoda denegatione propriæ voluntatis; Quinimò, cum ea humana conditione, vehemēter appetantur ea, quæ non habentur, postquam verò habita sunt, vilescant; Hinc proinde, major ea communi usu videtur favor illorum adolescentium, qui in hoc statu constituti sunt, jam de facto ducentes vitam novitiorum, habitum verò desiderantes, Ideòque magna differentia videtur inter istos, ac illos, qui facta quidem determinatione ingrediendi Religionem, adhuc vivant in sæculo, ac in proprius dominibus more sæcularium, cum aliis sæcularibus liberè conversando, juxta tertium, ac etiam quartum casum.

Atqui in quinto, licèt adsit permanentia materialis in Monasterio, ut contingit in illis puellis, quæ in Monasteriis vivunt educationis gratia; attamen differens est vivendi modus, cùm ad instar aliarum puellarum permanētium in propriis domibus, incedant ornatę, atque nullum sentiant chori, vel observantiæ regulę onus, neque vivant sub exacta disciplina magistræ novitiarum, quæ omninò segregatæ, non solùm à sæcularibus, sed etiam ab ipsismet professis, ut novitii vivunt in benè regulatis Monasteriis.

Solaque, differentia inter eos, qui de facto susceperunt habitum materialem, & eos, qui adhuc non susceperunt, in eo consistere videtur, ut aliqua major renitentia, seu vis interpretativa urgeat in desertione habitus suscepti, ex axiomate, quod turpius ejicitur &c. Verùm ista videtur differentia nimium levis; quoniam quòad erubescentiam exeundi è Monasterio, & redeundi ad sęculum, apud sęculares, eadem, ac individua videtur, cum de facto, eo ipso quòd quis propriam domum deserendo, Monasterium ingressus est, atque sub consueta novitiorum arcta custodia repositus, non habet amplius liberam conversationem sæcularium, sed de facto apud populum reputatur jam effectus religiosus, unde propterea quando egreditur à domo regulari, atque regreditur ad sæculum, de facto vulgo reputatur egressus à Religione, quàm ingressus fuerat, cùm vulgus non distinguat illas formalitates, quæ considerantur, præsertim per Pasqual. *resol. 274.* in iis religiosis, qui per certum tempus, etiam suscepto habitu, reputantur tanquam hospites, quoniam istæ innotescunt solum professoribus illius Religionis, qui notitiam habent eorum Instituti, sed quoad clerum, & populum, ac etiam attentis rationibus quibus inniti potuit Concilium Tridentinum, decernendo hanc formam, nulla videtur subesse imaginabilis differentia, quoniam si dicatur, quòd isti dici non possunt veri religiosi, sed potiùs pro sæcularibus pro retentione dominii bonorum, ac libertate de iis disponendi more sæcularium, idque quoque pariformiter procedit in illis novitiis, qui habitum susceperint, atque per annum, & ultra in eo statu permanserint usque ad ultimum solemnis professionis momentum.

11 Neque videtur, quod ad rem faciat declaratio Sacr. Congregationis Concilii, quę movit Menoch. *de arbitr. cas. 436, in addit.* ad retractandam sententiam, quam priùs cōsulendo tenuerat cum aliis per Grat. *dec. Marcb. 37.* & Ricc. *dec. 295. p. 2.* cum quibus alii moderniores in consueta cæca fide, more avium, vel ovium, uno alterum insequente pertranseunt, relati per Donat. *in prax. rer regular. tom. 2. p. 4. tr 7. de bon. novitior q. 20. n. 4. & seq.* Quoniam dicta declaratio percutit casum puellæ viventis in Monasterio, quę per moniales jam acceptata fuerat, non tamen adhuc suscepto habitu; Iste verò casus omninò diversus est, quoniam ut communis praxis docet (atque ego occasione exercendi per quinquennium, & ultra munus Vicarii Capitularis, ac Generalis, expertus sum) cum in Monasteriis monialium pręfinitus sit certus numerus, pluresque puellæ etiam ex iis, quæ per plures annos in eodem Monasterio vixerunt gratia 12
educationis, ad illum locum obtinendum aspirare solent, adeòut frequenter factionarię divisiones inter ipsas moniales habeantur, tanquam in actu electivo, per majorem partem votorum concludendo, magis ad unius, quam ad alterius puellæ favorem; idcirco ille actus acceptationis dicitur solum præparatorius futuræ susceptionis habitus, eo modo quo est depositum dotis antecedenter faciendum, juxtà decreta generalia Sac. Congregationis, de quibus *sub tit. de dote, disc. 166.* sed puella interim perseverat in eodem statu inter educandas, eodem modo quo priùs, atque non subjacet observantiæ regulæ, neque oneribus Religionis, vel Monasterii sub rigoroso Magistro, ut vivunt illi juvenes, qui recepti sint inter novitios juxta præsentem casum; Potissimè quia in Monasteriis mulierum, circa novitias, pro frequentiori usu non dignoscitur illa austeritas, diversaque vivendi forma, quæ in Religionibus virorum; Ideòque dicta declaratio S. Congregationis emanata in dicto casu, reverà percutere non videtur illum, de quo in præsenti, qui nullam habere dignoscitur differentiam ab eo, de quo loquitur decretum Conciliare.

13 Ex præmissis autem, ita pro meo sensu probabilius videtur; Fortiùs verò, ubi tenenda sit altera opinio insinuata *disc. precedenti*, & de qua plenius *d. disc 15. de donat.* ut scilicet hujusmodi renunciationes, vel alii cōtractus nō subjaceant solemnitatibus statutorum sęcularium; Id etenim prorsus improbabile videtur, atq; cōtra omnem naturalem, ac legalem rationem, quę debet esse anima legis, cùm ita lōgè facilius resultent incōvenientia, ad quibus occurrendum Concilium Trident. eam induxit formam, cum adolescentes in ea tenera ætate magis conjunctorum, vel aliorum, qui eorum bona sperata captare student, seductionibus, ac violentiis in eo statu subjacent, quā de tempore quo suscepto habitu vivunt in novitiatu, quādo respectu parentū, vel conjunctorum, quorum favore renunciationes fiant, absque dubio longè major est libertas, firmaq; voluntas, dum sęculares nō de facili cum eis tractare possunt: Et quatenus admittantur, neque loqui possunt de solo ad solum cum facultate seducēdi, vel incutiendi vim & metū; Quinimò potiùs pro diversarum Religionum stylo (sine aliquarum tamen pręjudicio) quædam interpretativæ violentiæ in contrarium adesse solent, quòd scilicet ipsi magistri, vel alii religiosi, potiùs ab hujusmodi renunciationibus, vel dispositionibus eos avertere satagunt: Et cōsequenter meus intellectus non percipit hu-

hujus opinionis fundamentum, neque placentes, quæ in casu fortiori firmantur apud Pasqualig. *d. ref.* 174.

14 Verùm quia pro stylo ab initio tento, & connaturali, abhorrendi munus transcriptoris, seu collectoris, atque parvipendendi doctrinas Consulentium, vel Modernorum Collectorum, quando juris principiis, vel rationibus benè inniæ non sint, ita videor in hoc nimiùm diffamatus (cum aliqua tamen propria complacentia) gerendi scilicet partes ratiocinatoris absque authoritatibus; Idcircò in hoc Responso; concludendo dixi quòd durum esset dictum meum sensum in foro substinere, ea præmissis in contrarium deductis, quòdque propterea potiùs insistendum esset in altero puncto comprehensionis, super quo judicium reservavi viso tenore renunciationis.

NEAPOLITANA PHARMACORUM,

PRO REGULARIBUS,

CUM UNIVERSITATE PHARMACOPOLARUM,

Casu disputatus coram A. C. postea concordatus.

An Regularibus liceat vendere sæcularibus pharmaca, quæ conficiantur in Monasteriis, vel domibus regularibus, pro servitio religiosorum, & aliorum ibi viventium; Et quando dicatur illicita negotiatio, necne.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De fundamentis prohibitionis.*
3 *Quando adesse dicatur mercatura clericis prohibita.*
4 *In specie de pharmacis.*
5 *Quod id non avertat a divinis, neq; prabeat scandalum.*
6 *Quod in Religiosis sit laudabilis labor propriis manibus.*
7 *De ratione prohibitionis in Minoribus observantibus.*
8 *Quales proprie dicantur Bulla Apostolica tanquam leges generales.*
9 *De Congregatione Visitationis Apostolica.*
10 *Sensus Authoris, & quando in materia procedendum sit.*
11 *Quare in pharmacis permittatur pretium alteratum.*

D I S C. LX.

1 CUm in Civitate Neapolis (ubi pro nimia illius populi pietate, ac devotione, singulariter fortè ad universum Orbem catholicum, quamplura magna adsunt Monasteria regularium, etiam plura singularum Religionum) Atque juxta generalem consuetudinem regularium, tam virorum, quam mulierum, præsertim ubi agatur de magnis Domibus, vel Monasteriis regularibus, retineatur officina pharmacorum pro servitio infirmariæ, adeò ut ex insinuatis pluries supra, præsertim *disc.* 35. etiam in Minoribus Observantibus, juxta primævum rigorosum Institutum in summo paupertatis statu viventibus, cum omnimoda bonorum incapacitate in communi, adhuc detur capacitas legatorum aliarumque dispositionum pro isto usu; Mos autem inoleverit, ut vel ob devotionem, vel ob compositionum excellentiam, seu puritatem, plures sæculares pharmaca in eorum infirmitatibus ex hujusmodi officinis religiosorum habere curant; Hinc proinde Universitas pharmacopolarũ sæcularium, id reputando nimiùm eis præjudiciale, litem desuper instituit coram A.C. tanquam Judice exemptorum, atque sententiam favorabilem super hac prohibitione reportavit, quasi quòd esset negotiatio religiosis illicita. Introducta vero per appellationem causa in *Rota*, defuit ulterioris disputationis occasio ob quoddam concorde temperamentum, quod controversiæ finem dedit.

2 Ex parte autem dictæ universitatis, prohibitionem petentis, quatuor deducebantur fundamenta; Primò nempè regula generalis, quæ in jure canonico habetur de clericis negotiatoribus; Si enim ea procedit in clericis sæcularibus, multò magis, & absq; dubio in regularibus; Secundò quòd ubi etiam de stricto jure ista dici non posset ea illicita negotiatio, de qua canones loquuntur, adhuc tamen ea prohibenda esset, vel ratione sordidi, & mechanici exercitii, vel ratione aversionis à divinis officiis, & contẽplationibus; Tertiò deducebatur Constitutio Urbani VIII. per quam præcisè, ac in Individuo id prohibetur in universum Religioni Minorum Observantium; Ita etenim dicebant, quòd resultaret lex generalis ex determinatione Papæ, quamvis facta esset pro casu, & Religione particulari, juxta dispositionem *text. in l. fin. C. de legib.* cum ibi communiter notatis; Et quartò clariùs ob decretum generale Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ sub eodem Urbano VIII. per quod generaliter omnibus regularibus utriusque sexus id prohibetur; Atque istud ultimum fundamentum movit Judicem adita sententiandum.

E converso scribens ego pro regularibus, circa professionis initia, deducebam cum copiosis allegationibus (juxta juvenum stylum) regulam generalem, quæ pro libertate facit in exclusionem servitutis, vel prohibitionis, atq; singulariter respondendo ad objecta: Quatenus pertinet ad primum, 3
non negabam regulam prohibẽtem clericis negotiationem, vel mercaturam. Negabam tamen applicationem, quoniam mercatura clericis prohibita, verè & propriè dicitur illa, quæ consistit in emptione mercium ad effectum, ut lucri causa carius vẽdantur; Secùs autem ubi aliquæ res emantur tanquam materia artificii, seu opificii, ut ex utroque ex arte scilicet, & ex materia, simul junctis aliquod diversum compositum fiat, quod vendatur, juxta *celebre cons.* 107. Federici de Senis pluries enunciatum *sub tit. de Regal.* occasione agend. de vena ferrea Insulæ Ilvæ: Ibi enim agitur de religiosis ementibus ferrum, ad effectum illud elaborandi, ut in subtilia opera reducatur, atque apud Scribentes passim dantur exempla emptionis coriorum ad effectum faciendi sotulares, sive chartarum pro componendis libris, aut viminorum pro componendis canistris, sive filis pro componendis retibus cum similibus, de quibus *Canonistæ in c. fin. de vit. & honest. cleric. & in c. 1. ne clerici, vel monach* ex plenè relatis per Redoan. *de spol. cleric.* q. 2. Carol. de Graf *effect. cleric. 6. n. 33. & seq* Bellet. *disquisit. clerical. tit. de discipl. cleric.* § a 1. *n.* 12. *cum seq.* Barbos. *de Episc. alleg.* 3. *n.* 21. Et in specie ut licitum sit emere saccharum, ac herbas, & aromata pro conficiendis syruppis, ac aliis medicamentis etiam ad effectum vendendi, aliis relatis Lezan. *in summ. to. 1. c. 9. n. 39. & tom. 4. vers. negotiatio quoad regulares, n. 6. cum seqq.* 4

Clariùs verò, ac extra omne dubium, quoniam ista officina non retinebatur principaliter pro exercendo hanc artem, cum qua victus, ac divitiæ parati possent, ut faciunt sæculares, sed principaliter retinetur ea necessitate usus proprii, idque licitè, imo laudabiliter, unde propterea venditio compositorum exuberantiæ est incidens, seu accessoria.

Ad secundum respondebam, quòd neutra ratio adaptabatur; Non quidem illa aversionis à divinis officiis, & cõtem- 5
plationibus, cũ hujusmodi opificio deputari soleat aliquis conversus, eo modo quo conversi deputãtur in aliis exercitiis magis avertentibus, ut sunt coquina, & similia: Et quatenus etiam deputetur religiosus clericus in sacris, attamen in magnis Conventibus, unus, vel duo religiosi applicati hujusmodi exercitiis, divino cultui non præjudicant.

Et quoad scandala, de plano intrabat responsio superiùs tradita, quòd scilicet non agebatur de officina principaliter, ac publicè in via exposita ad industriam, ut sunt officinæ sæcularium, sed principaliter id fit pro servitio Monasterii, vel domus regularis.

Et nihilominus apud antiquos *canones in c. 21. quæst.* 1. 6
c. 2. & 3. 9. distinct. c. ejiciens 88. d. distinct. & c. nunquam, de consecrat. dist. 5. & in aliis: In monachis, & religiosis laudantur potiùs hæc exercitia personalia cõpatibilia cum officiis divinis, post illa expleta in horis otiosis, exemplo antiquorum Anachoritarum Thebaides, seu Ægypti, ac etiam exemplu Apostoli se gloriantis, ut ea quæ sibi, & suis necessaria erant, propria manu contrectaverit: Unde propterea plurium sententia est (quæ improbabilis non videtur) ut restituendo hunc antiquum Anachoritarum, & monachorum usum, id præcisè, atque pro regula religiosis præcipiendum esset, ut ita non ex certis redditibus, vel ex mendicitate, & ostiatia quæstuatione, sed ex labore personali, victum, ac vestitum procurando, evitaretur illa otiositas, quæ forsan multa inconvenientia producit in Ecclesia Catholica (cujus tamen judicio in hoc deferendum est.)

Ad tertium fundamentum Constitutionis Urbani VIII. advertebam, quòd ea adduci non poterat in exemplum, ne- 7
que facit legem generalem, cùm prodierit ex peculiari ratione, huic Religioni tanquã incapaci congrua, non autem aliis capacibus; Cùm etenim in Religione Minorum Observantium, cum aliqua relaxatione lassitati, introductus esset usus administrationis pecuniarum, ac retentionis redituum: Idcircò in Capitulo generali Romę celebrato de ann. 1625.

plures

plures factæ fuerunt ordinationes per ipsam Religionem, inter quas fuit ista ad tollendam occasionem dicti usus pecuniarum; istæq; ordinationes (forsan parum laudabiliter, ut
8 de plerisq; aliis statutis, & ordinationibus etiam laicalium Societatum factum fuit) insertæ fuerunt in Bullario ratione Apostolicæ approbationis, unde propterea non sunt Bullæ, seu leges, quæ in forma legum ordinatæ fuerint; Et nihilominus illa habet rationem peculiarem, ut suprà.

9 Et demum quoad quartum fundamentum deductum ex decreto visitationis Apostolicæ advertebam, quòd ut alias dictum fuit, atq; in specie illi respondendo advertitur etiam per Lezan *in summ. tom. 4 vers. negotiatio quoad regulares, n. 6. cum seq* ista Congregatio percutit visitationem particularem, quam ea mediante facit Papa, non tanquam Papa, sed tanquam Episcopus particularis Urbis, de ejus Civitate, & diœcesi: Et consequenter non potest exinde inferri ad legem generalem pro universo Orbe, unde propterea ad summum id benè deservire potest, ac debet pro norma, seu regula aliorum Episcoporum, seu Ordinariorum, ut pariter ad imitationem, ista statuant, non autem ut hæc dici possit lex Papalis, sive decretum generale alicujus Sacræ Congregationis, ubiq; servandum, eo modo quo sunt decreta Sacrarum Congregationum Episcoporum, & regularium, & Concilii Tridentini.

10 Ista deducebam more Advocati scribentis ad causæ opportunitatem: Reflectendo autem ad veritatem, advertebam, ut in hoc proposito, utrumque extremum vitiosum esset, quoniam ducto exemplo a præfato decreto Visitationis Apostolicæ pro Urbe, quæ tanquam residentiæ Papæ, aliis exemplar esse debet, id permittendum non sit indiscretè, & ad industriam, seu negotiationem: E converso autem, indiscretum, ac irrationabile sit id simpliciter prohibere; Tunc quia per hoc medium multi conservantur devoti, ac benevoli illius Monasterii, seu Religionis; Tum etiam quia, non omninò certa est quantitas pharmacorum, ac medicamentorum, qua in eo anno indigere debeant ipsi religiosi, cùm id pendeat ab eventu majoris, vel minoris numeri infirmorum, unde propterea in compositione, quæ fit semel in anno, vel in statutis temporibus, prudens consilium est, ponere se in tuto, atque facere provisiones potiùs excrescentes.

11 Cùmque hujusmodi compositiones non sint conservabiles, unde propterea revolvente novo anno, vel statuto tempore, excrescentes inutiles remanent, easque projicere oporteat (Unde propterea toleratur majus pretium, quàm intrinsecus valor importet, ad instar eorum, quæ de pretio salis, aliorumque mineralium habentur pluries *sub tit. de Regal.*) Hinc proinde aliqua venditio moderata dictisque rationibus congrua permittenda est, neque ista dici debet mercatura, ut advertitur *sub tit. de Legatis, disc. 12.*

ADNOT. AD DISC. LX.

DE mercatura, & negotiatione Clericis prohibita habetur *sub tit. de Camb. disc. 18. & in eod. tit. disc. 32. & in Adnot. ad S.C.T. disc. 19.*

MELEVITANA SUSPENSIONIS RECEPTIONIS,

PRO FRATRIBUS SERVIENTIBUS ARMORUM GALLIÆ,

CUM M. MAGISTRO, SEU RELIGIONE HIEROSOLYMITANA.

Casus disputatus in Congregatione deputata pro negotiis dictæ Religionis, & pendet.

An M. Magister, ejusque Consilium demandare possit suspensionem receptionis aliquorum fratrum in genere de uno trium ordinum: Et de ordinibus, ex quibus Religio Hierosolymitana constituitur: Et de modo, seu gradu appellandi ab eodem M. Magistro, vel Consilio ad Papam, ejusque Curiam.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series, & de ordinibus ex quibus constituitur Religio Hierosolymitana.*
2 *De istius Religionis privilegiis circa appellationem, & modum committendi appellationes.*
3 *An detur appellatio suspensiva?*
4 *Quarum causarum cognitionem habeat Religio.*
5 *De eodem de quo num. 1. de ordinibus hujus Religionis.*
6 *Non possunt M. Magister, & Consilium se ingerere in iis, quæ concernunt mutationem instituti, & extinctionem unius ordinis.*
7 & 8 *Quando Religio possit facere provisiones etiam super non receptione fratrum in genere.*

D I S C. LXI.

ÆGrè ferentes Milites Justitiæ istius Hierosolymitanæ Religionis, usum fratrum Servientium armorum, quem ob identitatē habitus, fortè reputant eorum decori, ac existimationi præjudicialem, dum apud populū nullatenus distingui videntur, eo modo, quo distinguuntur illi de alio ordine fratrum capellanorū, utpotè habentes diversum habitum clericalem; curarunt insensibiliter penè illum supprimere in Italia, in qua nimius rarus hodie de facto censitur usus hujusmodi fratrum servientium armorum: Cùmq; ille esset magis frequens in Galliā, ubi etiam supponitur, quòd sit alicujus majoris existimationis, quòdq; illum assumant personæ etiam alicujus ordinariæ, seu legalis nobilitatis, qui non possint benè justificare illam generositatem, quæ pro habitu justitiæ necessaria est, juxtà illas diversas nobilitatis species, de quibus habetur *sub tit. de praemin. disc. 35.* Ideòq; milites justitiæ dictæ provinciæ vellent quoque ita paulatim, ac insensibiliter agere idem, quòd secutum fuit in Italia, curarunt obtinere à M. Magistro, ejusque Consilio per viam decreti provisionalis suspensionem receptionis istorum fratrum servientium, donec aliter provideretur; Quare ex parte totius ordinis istius provinciæ, habitus fuit recursus ad Sanctissimum pro revocatione dicti decreti, vel pro commissione appellationis, remissoq; negotio consultationi Congregationis deputatæ super negotiis hujus Religionis (quæ Congregatio Melevitana dicitur) atq; assumpta disputatione, nulla prodiit resolutio, eo quia ipsius Religionis Orator petiit terminum ad certiorandum M. Magistrum & Consilium, ad effectum sciendi motiva, seu fundamenta dictæ provisionis, atque in hoc statu res pendet. 1

Scribendo autem in hac disputatione pro recurrentibus, duas constituebam inspectiones, unam scilicet ordinis super commissione causæ appellationis, etiamsi jurisdictio supponenda sit; Et alteram justitiæ, seu defectus potestatis M. Magistri desuper providendi.

Quatenus pertinet ad primam, dicebam quòd etiam in causis, in quibus certa est Religionis jurisdictio, seu competentia, ut sunt illæ inter ipsam, & particulares, qui admitti velint ad habitum justitiæ super non admissione probationis nobilitatis juxta casus, de quibus *sub tit. de praem. disc. 32. cum duobus seqq.* Vel illæ concessionis Commendarum, seu Dignitatum, juxta casus, de quibus *sub tit. de benefic. disc. 68. & 69.* & in aliis in supplemento *eod. tit.* cum similibus: 2
3 Cùm inter quamplura privilegia per Sedem Apostolicam huic adeò emeritæ Religioni concessa, & recensita in Constitutione 9. Pii V. sive in confirmatione ejus statutorum, illud contineatur, ut causæ intra ipsam Religionem cognosci debeant, cum ordine in ejus stabilimentis præscripto: Ab Assemblea scilicet ad linguam: A lingua ad Consilium ordinarium: Et ab ordinario ad completum; Et à completo ad Capitulum generalem absque alia appellatione, vel recursu (quamvis primi duo revera non sint Judices in forma judicii cognitionem habentes, unde propterea propriè prima instantia dicitur Consilii ordinarii, secunda completi, & tertia Capituli generalis) idcircò Religio antiquitùs prætensionem habebat, quòd neque ad Romanam Curiam accedi posset, Verùm hodie ista prætensio sopita fuit, quoniam jam loconcorsè receptum est, ut id intelligatur de aliis Judicibus, & Tribunalibus appellationum, ac recursuum, non autem de ipso Papa, ad quem appellatio, & recursus per hujusmodi privilegia nunquam sublati censentur; Solaque hujus Religionis peculiaris prærogativa, ex quodam stylo in eo consistit, quòd non subjacet Signaturæ Justitiæ, sed signantur commissiones manu Papæ, ac frequentiùs non nisi in plena Signatura gratiæ, licèt quandoque pro causarum qualitate, signentur etiam in Camera.

Pro frequentiori autem praxi, appellationes recipi, & committi nō solent per saltum, & omisso medio, sed gradatim, post scilicet causam discussam, & decisā in dicto utroque Consilio, ordinario, & cōpleto, negligendo solùm tertium gradum Capituli generalis, ex ea cōgrua ratione, quòd illud rarum, ac incertum est, ideòque in hujusmodi causis concernentibus jura vitalitia, & ut plurimū inter senes, ubi

de

de concursibus ad Commendas, vel Dignitates agatur, vel de admissione ad habitum non congruit illud expectare.

Adhuc tamen arctatum non est ejusdem Papæ arbitrium, etiam dictum ordinem intervertendi, atque per saltum causam appellationis committere ob facti circumstantias redolentes M. Magistri, ac Religionis talem enixam voluntatē ut ordo prædictus inanē circuitū verisimiliter redoleat, juxtà casum, de quo *disc. 34. de Praem.* cū ibi deductis; ideòq; est materia arbitraria, quæ certam ac præcisam non habet regulam cuicumq; casui applicabilem, sed pro singulorum casuum qualitate, & circumstātiis, arbitrium regulari solet.

3 Applicando autem ad rem; Ultra quod dictus ordo utriusque Consilii tentus videbatur; Adhuc dicebam intrase debere arbitrium prædictum committendi per saltum omisso medio, dum facti circumstantię clarè comprobabant, quòd esset circuitus inanis.

Neq; videbatur opus assumere quæstionem pluries disputatam in eadem Signatura gratiæ, præsertim in *Melevitana Commenda* pro Priore de Sangil in Gallia, enunciata *sub tit. de Judic.* in discursu, in quo agitur de materia appellationis, an scilicet dictorum Consiliorum sententiæ executioni demandari debeant, appellatione non obstante, utporè admittenda ad solum effectum devolutivum, non autē ad suspensivum, juxtà ea quę habentur præsertim apud Dunozett. *dec. 643. 673. & 690.* cum aliis *in d. tit. de Judiciis*; Cùm enim ageretur de sententiis negativis, ita implicitam secum trahebant executionem de facto, ideòque ista quæstio cessabat in radice, cum ea intret, quando agatur de sententiis latis in materia, in qua intret executio positiva, puta in adjudicatione Dignitatum, vel Commendarum, seu officiorum, in quibus casibus hujusmodi quæstio auditur. Secus autem, ubi de illis sententiis, vel decretis negativis, quæ pro frequētiori cōtingentia emanant in negatione admissionis ad habitum, cùm in his ipsa subjecta materia de facto secum trahat executionem, non concedendo id quòd petitur.

Deducebam hæc ad superabundantiam, ac præsupponendo etiam Religionis, ejusque M. Magistri, & utriusque Consilii competentiam; Verùm assumendo alteram inspectionem dicebam, quòd de stricta juris censura videbatur, quòd id rectè negari poterat, ideòque posito defectu jurisdictionis, & competentiæ in genere, ut non intraret dicta prima inspectio ordinis, seu gradualitatis, quòdque cognitio etiam in prima instantia spectaret ad Papam.

4 Siquidem jurisdictio, seu cōpetentia Religionis rectè intrat in causis suprà exemplificatis cum personis singularibus, puta super admissione certarum personarum ad habitum, sive super adjudicatione Dignitatum, & Commendarum magis uni, quàm alteri; Aut super spoliis militum defunctorum, vel similibus causis, etiam inter ipsam Religionem, & personas particulares, sive cum aliquibus universitatibus, quæ juræ personæ particularis censendæ sint, puta si contentio sit inter unam linguam, & alteram, vel inter unum & alterum Prioratum, cum similibus.

5 Secus autem in casu præsentis controversię, in quo agebatur de provisione directa ad quādam implicitam, seu insensibilem suppressionem unius ex tribus ordinibus, ex quibus coęqualiter, juxtà ejus primęvam fundationem, ista Religio constituta est, ex uno scilicet ordine militum Justitiæ, altero fratrum capellanorum, & altero fratrum servientiū armorum, & qui tres ordines pariformiter, & æquè principaliter istam Religionem constituunt, ut aliis relatis habetur *dec. 13. p. 12. rec.* adeòut omnes interveniant, ac votum habeant in electione M. Magistri; Alii verò hujus Religionis professores, ut sunt milites, qui dicuntur obedientiæ, seu mediæ crucis, ac donati, & oblati, verè non sunt fratres professi, ut advertitur *d. dec. 13.* ac alibi etiam insinuatur.

6 Et consequenter ita esset immutare statum Religionis, ac supprimere unum ex ordinibus illam constituentibus, quod fieri non potest, nisi per Papam, cujus tantùm potestas est, Religiones approbare, vel supprimere, aut dividere; Esset enim aliàs dare, quòd tribus pro communi eadem bona, sive idem patrimonium coæquali jure possidentibus; repositum esset in facultate duorum, sive unius potentioris, majoremque administrationem de facto habentis, socios, seu condominos excludere, quod in jure implicat; Ideòq; Religionis, ejusque M. Magistri, & Consilii jus est, cognoscendi, an aliquæ personæ, vel nationes ad dictos ordines respectivè admitti debeant necne, suspendendo etiam admissionem personarū de aliqua provincia, vel natione in genere, ob illius provinciæ, vel nationis demerentiam erga ipsam Religionem, & quandoq; pænis docuis, etiam in aliquibus Ditionibus, vel Civitatibus Italiæ, non autem decernere super destructione, & non progressu unius ordinis in genere; cùm tunc intret ratio, de qua suprà.

Neque his adversari videntur ea, quæ habentur suprà *in Tolerana, disc. 32.* ubi de consimili provisione facta per M. Magistrum, seu verius per Diffinitorium super receptione ad consimilem ordinem inferiorem; Tum quia etiam in eo casu appellatio admissa fuit, & causa commissa in Rota, ubi pendet, unde propterea illum casum deducebam pro exemplo, arguendo etiam à fortiori; Tum clariùs quia, ut ibi advertitur, illæ provisiones non concernunt prohibitionem, vel suspensiones receptionis ad ordinem, cujus conservatio, & progressus ita impediatur, minùsque super jure eligendi, vel admittendi, sed solùm super qualificatione personarum, & ne admitterentur indigni, vel incapaces, quod rectè fieri potest, & est munus, quod pertinet ad ipsam Religionem, ideòque magna differentia est inter unum casum, & alterum. 7

Adhuc tamen, non auditis juribus, vel motivis alterius partis; maturum judicium super meritis negotii principalis, efformari non potuit, & an adsit necne talis justa causa, quæ suspensionem receptionis ad aliquod tempus compatibiliter cum ipsius ordinis conservatione, suadere posset, puta quia numerus fratrum in hoc ordine nimiùm excretus esset, juxtà illa ponderationes, quæ in simili habentur *sub tit. de Canon. & Capit. disc. 19. & seqq.* Quod scilicet quemvis ex legibus fundationis, vel ex antiqua consuetudine, ne ad aliquam Ecclesiam non numeratam, seu ejus massam, vel communiam, recipi debeant omnes nationales, vel patriotæ, certas habentes qualitates, adeòut ipsa congregatio, vel communia non possit denegare hanc receptionem in genere, non tamen prohibenda videtur per aliquòd tempus, ob excretum numerum receptionem suspendere, sive quandoque pro facti qualitate certum numerum præfinire; Ita a pari, quoties tamen suspensio sit ad tempus, dictumque justum motivum habeat impediendi multiplicitatem productivam inconvenientium; Licèt in hac facti specie, ob praxim præsertim Italiæ, aliasque facti circumstantias, revera finis videretur hunc ordinem paulatim supprimere, ut etiam supponebatur. 8

ADNOT. AD DISC. LXI.

De modo, & gradu appellandi in Religione Hierosolymitana habetur quoque *in Relat. Curiæ, disc. 30. n. 25. seqq* occasione agendi de Signatura Gratiæ, & insinuantur aliqua *suprà, disc. 32.*

JANUEN. TESTAMENTI,

PRO MARCHIONE JULIO SPINOLA,

CUM GHERARDO FRATRE.

Responsum ad causam.

An clericatus regularis, seu professio in Religione, tollat obstaculum patriæ potestatis, ad effectum, ut filiusfamilias fiat testabilis? Et quid de illis, qui primam, vel simplicem professionem emiserunt in Societate Jesu, ante scilicet emissionem quarti voti, an habeant testamenti factionem, atque de bonis patrimonialibus disponere valeant?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De Statuto Januæ super testamento filiifamilias.*
3 *In quo corrigat jus commune.*
4 *Testamentum conditum per professurum in Religione, a quo tempore perfectionem recipiat.*
5 *Professio in Religione liberat a patria potestate.*
6 *Non sequitur per novitiatum, sed per professionem.*
7 *De errore assumentium inanes labores extraneos a casu.*
8 *Clerici filiifamilias habent testamenti factionem.*
9 *Si sunt in minoribus, ad hunc etiam effectum debent habere requisita Concilii Tridentini.*
10 *Religiosi professi sunt etiam clerici.*
11 *Quid operetur in Societate Jesu professio simplex cum solis tribus votis.*
12 *An isti ita professi in Societ. Jesu habeant testamenti factionem, aliamque disponendi facultatem &c.*

D I S C. LXII.

1 DEfuncta Marchionissa Faustina Doria, superstitibus tribus filiis, æque succedentibus in ejus dote scut. argenti 45500. unus eorum ingressus Societatem Jesu, post emissa tria vota simplicia, volensque emittere professionem solemnem cum quarto voto, patre adhuc supervivente, testamentum condidit, in quo, jure prælegati, reliquit Marchioni Julio fratri primogenito portionem maternæ hæreditatis, de aliis verò bonis ad favorem utriusq; fratris, ac etiam patris respectivè disposuit; Cumq; ob mortem patris, inter dictos duos fratres sæculares, plures controversiæ exortæ sint, de quibus *sub tit. de feud. in supplemento*, ac etiam *sub tit. de dote*, *& sub tit. de testam. pariter in supplemento*, & præsertim super successionem feudi Atquati; Super istius quoq; testamenti validitate, quæstio orta est, prætendente fratre secundogenito, ut ob dictæ dispositionis invaliditatem, jus coæquale in defecta portione dicti fratris religiosi sibi competeret, quodque propterea primogenitus eam præcipuam habere non deberet; Quare desuper ea parte dicti primogeniti testamentarii, ad causæ defensionem, seu opportunitatem requisitus fui.

2 Cùm autem in hac Civitate adsit statutum, *lib. 5. c. 12. §. 4.* incipien. *filii, vel filiifamilias*, per quòd disponitur, ut filiifamilias condere possint testamentum, quatenus pater infra mensem à die habitæ notitiæ post mortem testantis illud non impugnet, adeòut solus actus negativus impugnandi, deserviat loco approbationis.

3 Hinc ad duo inferebam; Primo nempè quòd istud Statutum non alterat dispositionem Juris communis, in prejudicium testamenti conditi per filiumfamilias, sed potius illam alterat pro eo sustinendo, quoniam de Jure communi filiusfamilias, neque patre consentiente testari potest, minusque testamentum invalidè conditum a paterna approbatione validitatem recipere potest, cùm donationis causa mortis tantum id concedatur: Et consequenter, ubi de jure ad ambiguitatem reducatur validitas ut infra, tunc Statutum potius assistit quàm resistat testamento.

4 Et secundò, quòd ita per supervivientiam patris, ejusq; acquiescentiam, non solum per mensem, sed per annos inducta esset dicti testamenti approbatio, quatenus scientia accederet, non obstante, quòd testator adhuc naturaliter viveret, dum juxtà veriorem, magisque receptam opinionem testamentum conditum per profesſurum in Religione, non expectat perfectionem à morte naturali, sed illam recipit à morte civili, quæ ex professione resultat, unde propterea ad hunc effectum testator pro mortuo habendus est, quoties contrarium cautum non sit, ex iis quæ habentur in alia Januens. *sub tit. de testamentis*, *disc.* 35. Ideòque difficultas remanebat in verificatione facti mihi ignoti, an scilicet verificaretur necne requisitum scientiæ patris, cum ea data, cessaret omnis dubitatio.

5 Verùm ubi etiam, seclusa ista lege particulari, in solo puncto Juris communis, de istius testamenti validitate agendum esset; in aliquibus responsis, vel adnotationibus ab eodem testamentario transmissis, fundamentum principale constitui videtur in conclusione, super qua multa elaboratè de more colligit Bost. *de Patr. potest. cap.* 2 §. 5 *n.* 36. ubi refert Sanchez, & alios loquentes in specie de religiosis hujus Societatis Jesu, qui ante emissionem quarti voti emiserint solum tria vota simplicia, quod scilicet professio in Religione liberat à patria potestate, reprobatis Harprect. & aliis scholasticis; qui contrarium sentiunt, sed malè, etiam in rigorosis terminis juris civilis, ex ejusdem juris principio, quòd non potest quis eodem tempore, esse in potestate duorum insolidum, juxta ea quæ habemus in filiofamilias per extraneum arrogato, cum illa formali arrogatione, per quam in arrogatoris potestatem transibat: Et consequenter, cùm religiosus professus transeat in plenam, ac omnimodam potestatem Religionis ejusque superiorum, remanere non potest in potestate patris.

6 Approbando autem motivum, seu conclusionem in genere: Advertebam ad illius irrelevantiam ex defectu applicationis, quoniam cùm in sensu eorundem, qui hanc tenent opinionem, ista solutio patriæ potestatis sequatur per professionem, non autem per ingressum in Religionem donec persistatur in statu novitii; Hinc sequitur, ut nullus exindè resultet effectus ad rē nostram, quoniam eo ipso quòd damus professum, illum dare debemus intestabilem, & consequenter liberatio à patria potestate nullius operationis remanet circa istum effectum facultatis testandi: ideòque verificari observabam consuetum Modernorum errorem, cum magno labore se diffundentium in quæstionibus inutilibus ad rem non facientibus, nullumq; proficuum effectum producentibus, quod est proprium scholasticorum, quibus id rectè congruit, forensibus autem omninò incongruum est.

8 Solidius itaque fundamentum respondi (etiam in sensu veritatis) ut esset illud circa facultatem testandi, quæ resultat a clericatu, etiam de bonis adventitiis, juxta opinionem, quam (retractando me ipsum super motivatis *sub tit. de servit. disc.* 61.) veriorem agnosco *sub tit. de testam. disc.* 34. Quamvis enim in eo casu scriberem favore patris impugnando testamentū a filiofamilias conditum, non obstante clericatu; Attamen id non provenit ex defectu dictæ conclusionis, sed ex alio motivo non benè probati clericatus: Sive (data etiam ejus probatione) ex defectu requisitorum, quæ ex dispositione Sac. Concil. Trid. requiruntur in clericis in minoribus pro competentia privilegiorum clericalium, & ex quo motivo, Rota in ea causa recedendo a decisione 13. *Junii* 1670. cor. Boullemont, in qua pro validitate testamenti responsum fuerat, pro invaliditate respondit *sub die* 4. *Aprilis* 1672. coram eodem: Et meritò quidem, quoniam ut advertitur in causa *sub eodem titulo de testamentis in supplemento*, ac etiam in annotationibus ad Conc. Trid. *sess.* 23. *de reform. c.* 6. prorsus incongruum est dicere, ut ille qui non obstante clericatu, per sæcularem potestatem, furcis suspendi, atque in frusta scindi potest, aliisque ignominiosis pœnis affici, remanere debeat in statu clericali pro hujusmodi minoribus privilegiis: Ideòq; veriùs est, ut amissio privilegii fori stet demonstrativè, non autem taxativè ad denotandam omnimodam amissionem clericatus, quodq; non habens requisita, habendus veniat pro laico, ita exprimendo privilegium majus, vel casum magis dubitabilem, ut sub eo alii minùs dubitabiles veniant.

9 Ista verò difficultas in hac facti specie cadere non poterat cùm hic testator supponeretur in presbyteratus ordine constitutus, Et ob quam circumstantiam, neq; oportebat aliam assumere conclusionem, an religiosi dicendi sint clerici, adeòut clericalibus privilegiis gaudeant, & in qua etiam hodie, tam per Apostolicas Constitutiones, quam per communem usum, verior est opinio affirmativa, cum antiquorum proposito, quòd monachi sub nomine populi potius, quam clerici veniant, procedat attento tempore antiquo, quando religiosi nullos suscipiebant ordines, neque divina ministrabant, quinimò erant expressè prohibiti clericari; Ideoq; more reliqui populi, sacramenta, aliaque divina recipiebāt in parochia, ut insinuatur *sub tit. de decim.* & alibi.

10 Difficultas autem restringi videbatur ad superius insinuatam intestabilitatem de jure resultantem a professione in Religione, ut pluries habetur in sua materia *sub tit. de test. dicto disc.* 35. & alibi: Quamvis etenim in hac Societate, ex ejus peculiari instituto per emissionem trium votorum castitatis, paupertatis, & obedientiæ non contrahatur ille perfectus contractus hinc inde obligatorius, qui in aliis Religionibus inter Religionem, & profitentem contrahi dicitur ob libertatem quam retinent superiores ex causis sibi benè 11 visis dimittendi profitentem, qui usque ad emissionem quarti voti apud eos non habetur pro vere professo, sed est in implicito statu sæculari, & tanquam per quandam speciem novitii, ex iisque aliis relatis plenè habetur per Rot. apud Bich. *dec.* 52. *repetita dec.* 31. *par.* 9. *rec.* Attamen ipsi profitentes ad omnes alios effectus, donec illa dimissio sequatur, unde propterea redeant statum sæcularem, sunt verè religiosi, & professi.

12 Adbuc tamen credebam, ut veriùs esset id, quod in specie in hoc proposito facultatis testandi, non obstante istorum votorum emissione, donec sequatur professio solemnis per emissionem quarti voti, firmant Castrop *oper. moral. p.* 3. *tr.* 16. *disp.* 1. *n* 2. *& seq.* Manz. *de testam. tit.* 2. *n* 273. & alii, ut scilicet isti religiosi sint testabiles, suorumq; bonorum dispositionem habeant, ex ea ratione quod interim compatibiliter cum voto paupertatis, ob depēdentiam a Præposito generali, aliisq; superioribus, adhuc sunt capaces dominii bonorum patrimonialium, ut habetur apud Fagn *in c. in præsentia, de prob. n.* 90. *&* 188. de Marin. *res.* 195. *n.* 9. *lib.* 1. apud quos alii. Quinimò retinent etiam pensiones Ecclesiasticas super beneficiis sæcularibus, quarum regulares professi sunt incapaces, ex pluries insinuatis in sua materia *sub tit. de pēsion.* atq; sola difficultas est in modo disponendi, an scilicet esse debeat cum licentia superioris, & ad usus pios, ex relatis per Sanch. *ad precept. decal.* Castill. Curell. & alios quos refert Censal. ad Peregr. *art.* 18. *vers. quinto observat.* ac etiam advertebam sufficere: ut id non haberetur expresse decisum

in

in contrarium, ut deferendum sit praxi, vel observantiæ tanquam interpretativæ, quodque licitum non esset arguere ab illis regulis generalibus, quas in materia aliorum regularium habemus, ob istius Societatis institutum peculiare ab aliis Religionibus diversum, potissime in hoc proposito testandi, vel disponendi, quoniam in aliis professis id provenire dicitur etiam ex defectu subjecti, dum bona ipso jure acquiruntur in ipso instanti professionis Monasterio, vel Religioni, quod in ista Sociatate non contingit; Et proptereà quamvis essem requisitus ad scribendum more Advocati ad causæ opportunitatem pro validitate testamenti, attamen in sensu etiam veritatis credebam, ut ita quoque responderi deberet; Quamvis non visis juribus, ac fundamentis oppositoris, omninò maturum judicium desuper efformari non potuerit.

Quamvis enim, (ut insinuatum est) professores hujus Societatis (qui ante emissionem quarti voti ad differentionem hujusmodi professorum, apud eos scholastici potiùs dicuntur) fiat veri Religiosi donec per Superiorem à societate dimittantur, ob expressam declarationem Constit. 89. Greg. XIII. ut advertitur per Fagnan. *in d. cap. in præsentia n. fin.* Attamen ob quendam implicitum statum sæcularium, quem habitualiter retinent, redeundi ad sæculum, Superiore dimittente juxta plenè deducta *in dict. dec.* 52. Bichis, non videtur adeò incompatibilis hæc retentio dominii, & dispositionis in particulari, absque repugnantia religiosæ paupertatis; Potissimè quia cùm ista incompatibilitas non proveniat à jure divino, sed ab humano, vel positivo, omne illius obstaculum tollere potest Pontificia potestas, quæ hanc retentionem concedit; Ideòque de consequenti resultet testandi facultas ante dicti quarti voti emissionem, ut etiam praxis, & observantia comprobat.

ANNOT. AD DISC. LXIII.

De Testamenti factione, quam habent Clerici filiifamilias, habetur in sua sede *sub tit. de Testam. disc.* 33. *& 61. & in adnot. ad d. disc.* 34.

ROMANA, SEU ALATRINA HÆREDITATIS, PRO DOMO PROFESSA SOCIETATIS JESU URBIS CUM FABRICA SANCTI PETRI.

Casus disputatus in Sacr. Congregatione Fabricæ, ubi pendet.

De incapacitate Domuum Professarum Societatis Jesu an, & quomodo obtinere possint hæreditates, & legata, aliasque dispositiones, ubi præsertim annexum habeant onus perpetuum missarum, & anniversariorum, & de hæreditatibus & legatis, relictis ipsis professis in particulari?

S U M M A R I U M.

1. *Facti series.*
2. *De facultatibus Fabricæ in operibus incertis.*
3. *Quod professi sint capaces legatorum.*
4. *De eorundem incapacitate in aliis successionibus.*
5. *Quid si professus ante professionem cedat alteri ejus jura.*
6. *De legatis cum onere missarum Ecclesiæ, vel sacristiæ domus professæ Societatis Jesu.*
7. *Facultates Fabricæ, quando intrent.*
8. *An Religiosi sint executores testamentarii?*
9. *De eodem, de quo n. 6.*
10. *Quando dicatur legatarius, vel executor.*
11. *Quod domus professa Societatis Jesu sint capaces hæreditatum.*
12. *De eodem, & de rationibus id probantibus.*
13. *Quod universa Societas Jesu sit de veri mendicantibus.*
14. *De differentiis inter Minores, & Jesuitas.*
15. *De tempore incapacitatis Jesuitarum.*
16. *Observantia dicitur interpres, eique deferendum est.*
17. *An in his professoribus differant hæreditates à legatis?*
18. *Quod non detur hæc distinctio in iis dispositionibus.*
19. *Quando religiosus professus sit capax legatorum, & hæreditatum, necne?*
20. *De eodem, de quo n. 6. ubi dispositio est cum onere Missarum.*
21. *Onus Missarum potest impleri per alium.*
22. *Dispositio inutilis non vitiat totum testamentum.*
23. *Et an ea vitietur, & quando &c.*

Card. de Luca, Lib. XIV.

D I S C. LXIII.

Fulvia Molella Alatrinæ Civitatis, in eadem patria degens, ac moriens, hæredes instituit PP. Societatis Jesu 1
Domus professæ Urbis, atque per novam periodum incipientem per verbum *Item*, mandavit, ut dicti PP. deberent pro ejus anima celebrare missam quotidianam, & anniversarium, injungendo etiam onus faciendi celebrare singulis sabbatis missam in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum dictæ ejus patriæ, aliisque adjectis legatis, & oneribus. Quare prætensionem excitarunt Procuratores Fabricæ S. Petri, ut ob dictorum PP. seu domus incapacitatem stante præsertim dicto onere eis injuncto celebrandi missam quotidianam, & anniversarium, intrarent Fabricæ facultates, ac proptereà introducta fuit causa in ejus plena Congregatione, ubi pendet.

Scribens autem pro domo professa, ejusque capacitate, in exclusionem facultatum Fabricæ, ad tollenda, seu elucidanda æquivoca, cum quibus aliqui Scribentes pro Fabrica procedebant, fundamentum præcipue constituentes in quibusdam recentibus exemplis cum eisdem religiosis super casibus, in quibus ego quoque pro eis scripseram, & præsertim *sub tit. de testam. disc.* 23. advertebam, ut procedi deberet cum distinctione diversorum casuum, diversam habentium rationem, ex quorum confusione adeò frequentia apud modernos æquivoca oriuntur.

Primus igitur casus est ille, de quo habetur actum *d. disc.* 23. *de testam.* quòd scilicet Ducissa Cesæ reliquerat religioso professo quarti voti Præfecto Congregationis quinque Plagarum Urbis annua scuta bis centum ad vitam eroganda in pios occultos usus ejusdem religiosi arbitrio, & super quo legato Fabrica manus apposuit, unde proptereà hæres cum eadem Fabrica se concordavit, idque deducebatur tanquam unum ex exemplis; Verùm æquivocum esse dicebam ad rem deducere istum casum, quoniam in eo quæstio non erat ob incapacitatem religiosi, quatenus ipse dici debuisset legatarius, quòdque legatum ad ejus favorem factum esset, dum verius, magisque in praxi receptum est, ut professi hujus Societatis, quamvis habendi sint pro omninò mortuis, & incapacibus quoad intestatas, vel fideicommissarias successiones, stante utraque incapacitate in 3
communi, attamen sint capaces legatorum, aliarumque dispositionum ex testamento, aliave ultima voluntate, ad effectum ut acquiratur eorum domui professæ, eo modo quo ipsa domus capax est illarum dispositionum, quæ directè, ac immediatè, ejus favore fiant ut infra, cum nulla subsit ratio differentiæ, sed prætensiones Fabricæ in eo casu fundabantur in incertitudine piorum operum, quòdque religiosus non esset legatarius, sed executor, ideòque iste casus omninò extraneus est ab illo præsentis controversiæ.

Alter casus est, ubi agatur de hæreditatibus, aliisque successionibus ab intestato, vel ex testamento delatis religioso professo quarti voti, post jam emissam professionem; Et in hoc admittebam omnimodam incapacitatem, tam in particulari, quàm in communi, non quidem ut bona delata 4
acquirantur Fabricæ, vel Ecclesiæ universali, sed ut persona religiosi habenda veniat pro verè mortua, & non existente in rerum natura, ad effectum, ut successio deferatur aliis proximè venientibus in gradu, vel respectivè caducetur, quando de fideicommissaria agatur, ut pluries advertitur in sua materia *sub tit. de fideicomm.* occasione agendi de capacitate religiosorum succedendi in fideicommissis; Et in specie istius Societatis habetur actum per Cardinalem de Lugo *in ejus responsis, lib.* 4. *dub.* 4. *&* 5. cum aliis de quibus infrà, & latè Giovagnoo. *cons.* 85. *lib.* 1. cum aliis per Censal. ad Peregr. *art.* 28. *vers. quintus est casus.*

Solùmque isto casu in facti contingentia dubitatum vidi, an proximè successurus in fideicommisso, vel in alio jure, possit ante professionem hanc spem cedere alteri personæ capaci, atque conclusum fuit negativè, quoniam volens profiteri in hujusmodi Religionibus omninò incapacibus, 5
tam in communi, quàm in particulari, potest quidem in personam capacem ante professionem transferre, non solùm bona, & jura in proprietate, sed etiam jura personalia, seu vitalitia duratura ad ejus vitam naturalem, ex deductis per Apon. *cons.* 159. *lib.* 2. & juxta casum, de quo in specie *disc.* 36. *de testam.* & alios; Secus autem, ubi agatur de hujusmodi juribus quærendis, & in spe, pro quibus assequendis requiritur existentia, & capacitas de tempore quo illa aperiuntur, adeò ut extrema sint habilia, cùm cessionatius dicatur procurator cedentis, ejusque personam repræsen-

ret, seu ex ea emolumentum capiat juxta casum, de quo *d. disc.* 36. ubi de cessionario jurium ad vitam professuri in hac Societate, ideòque pariter casus extraneus remanebat ab ipsa quæstione.

Tertius casus, me quoque scribente in hoc eodem Tribunali, cum ista Domo Professa disputatus cum hærede, qui
6 ut se eximeret à legato, se composuerat cum Fabrica, quòd scilicet agebatur de legato quatuor locorum montium facto per Fluviam Corandinam sacristiæ dictæ Domus ad effectum, ut ex fructibus, Religiosi sacristiæ Præfecti celebrari facerent singulis annis anniversarium; Isteque casus pariter extraneus est, quoniam substantia totius dispositionis consistit in ipso onere anniversarii, vel missarum, cujus susceptio istis religiosis expressè prohibita est; unde propterea nulla erat quæstio super eorum capacitate, vel incapacitate, sed ego scribens pro validitate legati in exclusionem facultatū Fabricæ, insistebam in eo; quòd revera non ageretur de legato facto ipsi Domui, vel ejus religiosis cum onere per ipsos explicando, sed legatum directum erat in ipsum pium
7 opus, quod ubi est certum, præcisè adimplendum est, atque excludit Fabricæ facultates, intrantes solùm, ubi opera sunt incerta, vel ubi sint certa, & adimpleri tamen non possint ob insufficientiam rei ad id destinatæ, juxta casum, de quo infrà *in Miscell. disc.* 30. Isti autem religiosi in dicta dispositione considerantur tanquam Præfecti sacristiæ, ad effectum faciendi adimplere pium opus, & sic tanquam executores potiùs, quam legatarii ratione officii, quod istis, ac similibus religiosis etiam mendicantibus per veritatem de licentia Superiorum est permissum, Potissimè verò, ubi munus executoria non obliget ad strepitum fori, vel ad alia sæcularia negotia eis incongrua, sed solùm versetur circa opera pietatis, quo casu hoc munus eis congruum est, ut in speciis istorum
8 Professorum Societatis Jesu advertunt Sanch. *ad præcepta Decal. lib.* 6. *cap.* 11 *n.* 17. *& seqq. et n.* 31. *& seqq.* Add. ad Butatt *dec.* 14. *lit. A.* Et generaliter, agendo de aliis Religiosis veræ mendicitatis Professoribus, & præsertim de PP. Theatinis habetur actum *d. tit. de test. disc.* 56.

Solaque difficultas in hujusmodi dispositionibus, quæ fiunt favore sacristiæ Religiosorum incapacium, cadere potest
9 quando iste remanere posset color quæsitus ad faciendam fraudem regulæ, contra cujus dispositionem, vel mentem ipsi religiosi provisi remanerent de redditibus, cum quibus certi essent de illo victu, qui pendere debet ab eleemosynarum incertitudine, juxta casum, de quo suprà, *disc.* 35. cum similibus, & sic ubi ageretur de missis, vel anniversariis celebrandis per ipsosmet religiosos, ad quorum commodum cedere deberent redditus destinati pro eleemosyna.

10 Sed ubi ipsi religiosi in hoc nullatenus se ingerunt, sed solùm curam habent, ut per clericos sæculares pia opera impleantur eisdem clericis assignatas eleemosynas, vel redditus integrè distribuendo absque aliqua eorum utilitate, vel participatione, tunc revera ipsi dicuntur nudi executores, atque cessat ratio prohibitionis, ex recepta distinctione quam habemus inter legatarium, & executorem, ut scilicet legatarius dicatur ille, quando id quod post adimpletum onus excrescit, ejus commodo cedit; Executor autem ac minister est, quando nullum commodum reportat, sed totum expendendum est, vel si excrescit, cedit commodo hæredis, ex deductis per Mantic. *de conject. lib.* 8. *tit.* 4. *num.* 13. Adden. ad Greg. *dec.* 446. *ad fin.* Add. *ad dec.* 25. *n.* 35. *& seqq. part.* 3. *rec.* ubi concordantes, & habetur pluries deductum *sub dict. tit. de testam.* ac propterea inhumanum, & irrationabile esset, quòd piè testantibus prohibendum esset committere piorum operum curam, & executionem religiosis magis observantibus, ac professoribus paupertatis, in quibus rationabiliter major fiducia habenda venit; sed quidquid sit, pariter iste casus diversus erat ab illa præsentia controversiæ, & consequenter æquivocum erat illum ad rem deducere.

Quartus demum est casus præcisus controversiæ, ubi scilicet ipsi Domui Professæ directè relinquatur legatum, vel hæreditas ex testamento, vel alia dispositione, an scilicet obstet necne incapacitas; & iste casus subdistinguendus est inter illum, in quo institutio sit pura absque aliquo onere perpetuo, & successivo missarum, & anniversariorum, & alterum, in quo tale onus adjectum sit.

Primus casus hodie videtur planus, non admittens am-
11 plius disputationem, quoniam illæ difficultates, quæ subesse poterant ex Constitut. Pauli III. confirmatoria hujus Instituti, ejusque primævæ regulæ, sublatæ fuerunt per subsequentes declarationes factas ab eodem Sancto fundatore, ac approbatas per Apostolicas Constitutiones illam præsertim Greg. XIII. ac propterea firmum est, ut prohibitio, seu incapacitas ad essequendas hæreditates, & legata, aliaque bona percutiat retentionem, non autem assecutionem ad effectum vendendi, atque pretium erogandi in victum, & vestitum, aliosque quotidianos usus, quoniā ratio prohibitionis consistit in retentione, ob quam verificetur eadem ratio, quæ superiùs in Minoribus, Capuccinis, & Observantibus insinuata est *disc.* 35. Ne scilicet ita professores certi reddantur de victu, & vestitu, aliisque necessariis cum annuis redditibus, atque ita devietur ab instituto vivendi in statu paupertatis ex eleemosynis, super quarum qualitate, vel quantitate aliquid statutum non habetur; Ideòque nihil refert, quod in magna quantitate à piè disponentibus, sive sub nomine legati, sive sub illo hæreditatis, aut aliàs fiant, quoniam punctus non est in verbis, sed in effectu, ut plenè probant Menoch. 1014. & ex eo, aliisque ibi relatis, ex professo disputato articulo firmatur per Rotam apud Butat. *dec.* 295 quæ reputatur in materia magistralis, & firmant alii relati per Barb. *in Collect. ad C. T. eodem cap.* 3. *sess.* 25. *de Regul. n.* 9. & Fagnan. *dict. cap. in præsentia, de probat. n.* 60. Censal. ad Peregr. *art.* 28. *vers. Quantum est casus*, & alii plures.

Idque convincentem habet rationem, quoniam cùm per 12
eandem regulam prohibeatur etiam retentio, & cultura illorum hortorum, qui permittuntur Minoribus, Capuccinis, & Observantibus, qui ex illorum oleribus & fructibus notabilem victus partem comparant, & è converso institutum, tam circa victum, & vestitum, quàm circa habitationem, aliasque commoditates, & Ecclesiarum cultum, potiùs de magnifico, seu lauto habere videatur, ex eo valdè probabili motivo, ut ita melius conservetur Religio in ejus observantia & majestate, seu existimatione, quòdque ejus Professores de omnibus sufficienter provisi, faciliùs vitæ activæ, ac proximi saluti cum prædicationibus, & confessionibus aliisque spiritualibus exercitiis, vacare valeant, neque ob victum, & vestitum cogantur aliis vacare; Hinc propterea longè major sumptus est necessarius, quàm in dictis Capuccinis, & Observantibus longè humiliorem statum in vestitu, ac victum, & in aliis profitentibus, & de consequenti pernecesse ista capacitas est supponenda.

Atque ita observabam, quòd congruè adaptentur ea, quæ habentur *suprà, dicta disc.* 35. in ipsismet Minoribus super capacitate pro Fabrica Ecclesiæ, & Conventus, vel pro sacristia, sive pro infirmaria, & similibus, in quibus provideri non potest cum ostiaria quæstuatione incerta, ideòque pernecesse his omnibus ponderatis danda est ista capacitas in assecutione, firma remanente incapacitate in retentione, cùm dicta assecutio sine retentione non tollat veram, ac propriam mendicitatem.

Rationem dubitandi circa mendicitatem, & an istius Societatis Professores dicendi veniant verè, & propriè mendicantes, cadit in collegiis possidentibus bona stabilia, & redditus, ex quibus sustentantur absque aliqua mendicatione? Et nihilominus ob assistentiam Constitutionum 13
Apostolicarum, verius, magisque receptum est, universam Religionem etiam respectu collegiorum, hoc non obstante, esse verè, & propriè mendicantem, cùm bona, & redditus esse dicantur, non in collegiorum privato dominio, sed sub dispositione Præpositi generalis, ex iis quæ plenè ad parte disputato articulo, aliisque relatis firmantur per Fagnan. *in dicto cap. in præsentia, de probat. ex n.* 61. *usque ad fin.* & per Rot. *decis.* 10. *part.* 10. *rec.* ubi Concordantes, sed respectu Domuum professarum ob cessantem retentionem ista dubitatio non intrat.

Ponderando potissimè notabilem differentiam inter dictos Minores Observantes, & Capuccinos, ac istius Societatis Professores, quòd scilicet, non solùm illa Minorum est etiam de facto circa usum pecuniæ, ut advertitur *sub tit. de testam. disc.* 36. sed etiam quia Minorum incapacitas præ- 14
cisè provenit à sacris Canonibus *in cap. exiit, de verb. signif. in* 6. & in Clem. *exivi de paradiso, eodem tit.* ac etiam ex Decreto Concil. Trident. *dicta sess.* 25. *de Regul. cap.* 3. per quod, ad tollendas omnes quæstiones, & ambiguitates, aliquorum inconvenientium productivas, statuta fuit regula generalis capacitatis omnium regularium in universum, dictis Observantibus & Capuccinis exceptis.

Incapacitas autem istius Societatis est potiùs voluntaria, ob voluntariam scilicet renunciationem; quam ipsius Societatis nomine in eodem Concilio fecerunt illi ejus Professores, qui ibi adcrant, ut testantur Sanch. & alii rela- 15
ti per Fagnan. *in dicto cap. in præsentia, n.* 84. Ac etiam ob ejus Constitutiones, quæ licèt ratione Apostolicæ confirmationis, obligatoriæ sint; attamen ad præscriptum earundem, ab ipsamet Societate, ejusque Præposito generali vel Capi-
tulo,

tulo, seu Congregatione generali moderari, ac declarari, vel interpretari possunt, ut advertitur *in eadem dec. 245.* Burat.

Ista verò interpretatio super capacitate obtinendi etiam hæreditates, ad dictum tamen effectum vendendi, non autem retinendi, implicitè adest per observantiam,
16 quæ in omnibus actibus, præsertim verò in legibus, & Statutis dicitur optima interpres, ex relatis *dec. 59. p. 10. rec. n. 12. & seqq.* & passim.

Inter autem plures hujusmodi observantiæ casus, duos præcipuos ponderabam magna consideratione dignos, duorum scilicet, dignitate, eximia doctrina, ac mira pietate insignium, hujus Societatis Professorum, Cardinalium scilicet Bellarmini, & de Lugo, qui morientes hanc eandem Domum Professam hæredem instituerunt; Ideòque dici potest doctrina solidior, utpotè in facto potiùs quàm in verbis consistens; Potissimè dum posterior Cardinalis de Lugo, de hujus Societatis Instituto, quasi ex professo agit in ejus *respons. moral. lib. 4.* ac etiam *in tract. de just. & jur. tom. 1. disp. 3. sect. 5. n. 99.* ideòque erat in materia peritissimus, ac propterea moriens, rem illicitam non fecisset, neque illa effectum sortita esset in ea Domo, quæ Caput est Religionis, ob continuam residentiam Præpositi generalis, & Assistentium, & in qua Capitula generalia, & Congregationes celebrantur. Ideòque melior, & clarior interpretatio desiderari non potest.

At quamvis aliqui distinctionem adhibere soleant inter legata, & hæreditates, quasi quòd prima species permissa
17 sit, non autem posterior, attamen ista distinctio nullum habet rationis, vel authoritatis probabile fundamentum, atque ut advertitur pluties *sub t. de testam.* occasione agendi de dispositionibus per ultimam voluntatem ad pias causas, præsertim *disc. 13. & seqq.* Ac etiam *sub tit. de fideicom. disc. 108.* & alibi, istę distinctiones inter hæreditates, & legata, & fideicommissa, sive inter testamenta, & codicillos, sive
18 inter dispositiones directas & obliquas, proveniunt à subtilitate juris civilis, quę attendenda non est in piis, ac spiritualibus dispositionibus, in quibus sola naturalis veritas attenditur; ac etiam quia nulla dignosci videtur probabilis ratio differentiæ, contrariumque convincit observantia, ut suprà.

Huic autem distinctioni, ansam, seu occasionem dederunt traditiones Scriptorum ejusdem Societatis, & præsertim Molin, Sanchez, Suarez, & de Lugo, & aliorum agentium de singularibus professis quarti voti, quòd scilicet per regulam, vel per Constitutiones & Decreta, dicuntur incapaces hæreditatum, & successionum, non solùm ab intestato, sed etiam ex testamento, & tamen reputantur capaces legatorum; verùm istud est æquivocum super mala intelligentia, quoniam Constitutiones & Decreta super hujusmodi inca-
19 pacitate, etiam ex testamento, percutiunt dispositiones profanas ratione personæ, vel generis, ut contingit præsertim in fideicommissariis successionibus, quæ testamentariæ etiam dicuntur, ac etiam in successionibus directis, quia nempè professus, de tempore quo erat sæcularis, sive scholasticus, instituatur hęres, vel alia dispositio ejus favore fiat, quoniã si hanc professionem quarti voti emittat, redditur hujus dispositionis incapax, per speciem illius caducationis, quæ etiam de jure civili resultat per mortem naturalem testamentarii ante testatorè, cum ista professio huic morti ęquipolleat, atque isto casu idem est in hæreditatibus, ac in legatis, vel fideicommissis particularibus, cùm in omnibus intret eadem ratio caducationis; Sed si post professionem, per testatorem, sive sit jure institutionis universalis, sive jure legati, vel fideicommissi particularis, aliqua fiat dispositio ad favorem Professi, tunc indistinctè illa valida censenda est, eodem modo quo ad favorem ipsius Domus professæ, ad commodum tamen commune, non autem particulare, atque ad eundem effectum vendendi, & expendendi, non autem retinendi, cùm nulla subsit differentiæ ratio.

Difficultas itaque in hac facti specie residebat in perpetuo
20 onere pro celebratione missæ quotidianæ & anniversarii, quod supponit successivam, ac perpetuam retentionem redituum, ex quibus successivis annis, & temporibus hoc onus adimplendum est; ac etiam quia hujusmodi onerum susceptio est expressè per regulam, & Constitutiones prohibita.

Advertebam tamen, quòd tunc difficultas esset considerabilis, quando tale onus præcisè adimplendum esset per ipsosmet religiosos, ad quorum commodum cessurum esset emolumentum eleemosynæ, quæ pro Missis, & anniversariis dari solet, cùm ita fieret fraus legi, vel prohibitioni, juxta ponderationes, de quibus supra, *disc. 35.* Secus autem, ubi istud esset simplex onus injunctum hæredi, explicabile per alios clericos sæculares, vel regulares, adeòut ipsi Profes-

sores gerant solùm eas partes, quas gerunt hęredes, etiam sęculares, quibus hujusmodi onera injungantur, cùm tunc cesset ratio, sive effectus, qui principaliter considerandus est.

Agnoscebant Scribentes pro Fabrica vim responsionis, 21
ideoque insistebant in eo, quòd dum testatrix disposuerat, quòd dicti religiosi hæredes instituti deberent missam quotidianam, & anniversarium celebrare, ita personatum industria electa esset; verùm (in sensu etiam veritatis) dicebam contrarium esse verius, ex magis communi, & recepta conclusione, quòd per onus celebrationis missarum, aliorumque divinorum injunctum in ipsamet erectione beneficii, vel capellaniæ, non inducitur qualitas sacerdotalis, cùm idem onus rectè adimpleri possit per substitutum, quoties non constet de enixa, & præcisa voluntate, ut celebratio fieri debeat per se ipsum, ex pleniè firmatis apud Merlin. *dec. 825.* & habetur pluries in sua materia *sub t. de benef. disc. 67. cum plurib. seqq.*

Et nihilominus, ubi etiam de tali voluntate constaret, 22
adeòut dispositio esset inutilis, adhuc tamen dicebam, quòd non exinde inferri poterat ad caducationem totius hæreditatis, sed solùm illius ratæ bonorum, vel pretii, quæ proportionata esset dicto oneri, super quo prætendi poterat, quòd facultates Fabricæ intrarent, dum ista erat dispositio particularis facta per capitulum, seu periodum separatum post institutionem universalem purè conceptam, ideòq; ista pars accidentalis inutilis, vitiare non deberet totam dispositionem; Idque admittendo, etiam quòd in hac pia particulari dispositione non intrarent (ut verè non intrare credebam) ea quæ habentur deducta *sub tit. de testam. disc. 73.* super conditione, vel dispositione à lege prohibita, ut in ul-
timis voluntatibus non vitiet, sed potius ipsa vitiata rema- 23
neat, adeòut ea habita pro non scripta ex beneficio juris non decrescendi, hæres obtineat totum, perindè ac si onus adjectum non esset, quoniam dum agebatur de opere pietatis pro salute animæ testantis, admittebam, quòd dispositio non esset inutilis, sed adimpleri deberet eo modo, quo adimpleri potest in specie, vel in æquipollenti, non autem, ut totam dispositionem vitiare deberet. Atque in hoc erat punctus, ob quem dicebam, quòd prætensio Fabricæ non esset justa super tota hæreditate, sed ad summum pro rata cadente super dicti oneris implemento; Adhuc tamen causa pendet, & forsan ejus exitus annotabitur infrà post judicem.

ADNOT. AD DISC. LXIII.

De incapacitate Jesuitarum latiùs habetur actum in Adnot. ad Sac. Conc. Trid. Et *in Adnot. ad disc. 35. & 36. de Testam.*

SURRENTINA FUNCTIONUM

PRO ARCHIEPISCOPO ET CAPITULO.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Rituum, & resolutus pro Archiepiscopo, & Capitulo;

An Regulares impedire possint ut Episcopus, vel eo absente, aut impedito, Prima Dignitas, principales functiones peragere valeat in eorum Ecclesiis, sed quod illæ peragi deberent ab ipso Prælato Regulari? Et quando Ecclesia, cui serviunt Regulares, adhuc dicatur sæcularis, atque primævum statum sæcularem retineat?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Absente vel impedito Episcopo, functiones spectant ad primam Dignitatem.*
3 *Resolutio causæ, & de ratione resolutionis.*
4 *Quando dicatur Ecclesia Regularis.*
5 *Clerici sæculares possunt habere capellaniam in Ecclesia Regulari.*
6 *De Ecclesiis sæcularibus cui serviunt Regulares, & de titulis Cardinalium.*
7 *Quomodo probetur Ecclesia sæcularis.*
8 *Episcopus non potest mutare statum Ecclesiæ, & de sæculari facere regularem.*
9 *De eodem, & quod id importat alienationem.*
10 *De beneplacito Apostolico præsumpto ex lapsu temporis.*
11 *De eodem, de quo n. 7.*

H 2 12 De

DISC. LXIV.

1 AD faciendam introductionem clericorum Regularium
(qui vulgò Theatini nuncupantur) in hac Civitate,
Archiepiscopus illius temporis, de anno 1608. eis concessit
usum Ecclesiæ S. Antonini præcipui Patroni Civitatis ha-
bentis Rectorem in titulum collativum simplicis beneficii
ab Ordinario, vel respectivè Sede Apostolica provideri so-
liti; Cumque per piam sæcularium confraternitatem in ea-
dem Ecclesia erectam, solemnitas dicti Sancti cum magna
pompa celebrari solita sit, cum interventu Archiepiscopi
pontificaliter celebrantis, & Capituli Cathedralis, adeòut
videatur loci major, seu primaria solemnitas; Casus autem
in illo anno præberet, quòd Archiepiscopus impeditus esset
pontificaliter celebrare, vellet autem cum Capitulo assiste-
re, ac propterea missæ solemnis celebrationem injunxisset
primæ Dignitati, cui absente, vel impedito Episcopo jus
Pontificales functiones peragendi competit, ex pluries de-
2 ductis *sub tit. de præemin.* præsertim *disc.* 19. & 20. ubi de
solitis controversiis inter Archidiaconum, & Archipresby-
terum; Se opposuerunt dicti religiosi prætendentes, quòd
cùm Archiepiscopus per se ipsum pontificaliter celebrare
nollet, vel non posset, tali casu, non ad primam Dignitatem
Capituli sæcularis, sed ad eorum Præpositum tanquam Præ-
latum in propria Ecclesia, istas partes explicare pertineret:
Quare delata re ad sacram Congregationem Rituum de an-
no 1657. pro Archiepiscopo & Capitulo resolutum fuit.

3 Resolutionis unicum fundamentum fuit qualitas Eccle-
siæ, quòd scilicet ea non esset regularis, sed adhuc retineret
antiquum statum Ecclesiæ sæcularis, & consequenter ita
cessaret fundamentum dictorum religiosorum, quòd in
propria Ecclesia regulari jus peragendi primarias functio-
nes pertineret ad proprium Prælatum, ideòque iste punctus
remansit indecisus, totaque disputatio fuit super dictæ Ec-
clesiæ statu, an scilicet esset sæcularis, vel regularis, quo-
niam posito statu sæculari, iidem scribentes pro Regulari-
bus dabant manus victas.

4 In hoc autem, Scribens pro Archiepiscopo, & Capitulo
(etiam cum sensu veritatis) dicebam, quòd planus esset status
sæcularis, qui rectè compatibilis est cum usu, quem habeant
clerici regulares, qui Conventum, seu Domum ibi adjacen-
tem habeant; Siquidem non omnis Ecclesia, cui regulares
inserviant, dicenda est regularis, sed illa quæ per eosdem fun-
data, seu constructa sit, tanquam pars, vel membrum Mona-
sterii, seu Conventus, adeòut superior Regularis dicatur ejus
Prælatus, vel Rector; secus autem, ubi Ecclesia jam existens
in statu sæculari, atque habens proprium Rectorem, eis pre-
cario concedatur ad hoc, ut in ea divina peragere valeant,
5 quoniam erit Ecclesia sæcularis, cui compatibiliter regulares
inserviant, eodem modo quo Ecclesiæ regulari inservire
possunt clerici sæculares, ibique capellanias, seu beneficia ha-
bere, dummodo non sint in altari majori, adeòut redoleant
ipsius Ecclesiæ principalem rectoriam, seu prælaturam; ut de
clericis sæcularibus, qui cum hac distinctione sint capaces
habendi capellanias, ac non impediendi celebrare missas in
Ecclesiis regularibus, habetur *sub tit. de legatis, disc.* 25.

6 Et è converso de regularibus habentibus hunc precarium
usum Ecclesiarum sæcularium, earum natura non immu-
tata, habetur *sub tit. de jurisdict. disc.* 30. & plenius *eodem
tit. disc.* 34. ubi de pluribus Ecclesiis titularibus Cardina-
lium in Urbe, quibus regulares inserviunt, & in ibi anne-
xis disputationibus Cardinalis de Albicis, in quibus ex
professo de his titulis cardinalitiis agitur.

7 Quòd autem ista Ecclesia continuaret in ejus antiquo sta-
tu sæculari, planum erat ex probata continuatione provi-
dendi in titulum ejus rectoriam in persona clerici sæcularis,
quod fieri non potest, ex pluries deductis in sua materia,
sub tit. de Benef.

8 Ac etiam, quia regulando voluntatem à potestate, atque
juxta generalia, & recepta axiomata, quæ in foro quotidiana
habemus, ut ad excludendum delictū, actus interpretari de-
beat, quòd gestus censeatur eo modo quo validè, ac licitè fie-
ri poterat, ita dicendum erat, quòd concessio facta per Ar-
chiepiscopum referibilis esset ad dictum usum precarium
tantùm, ipsius Ecclesiæ statu non immutato, juxta consimi-
lem casum, de quo *d. disc.* 30. *de jurisd.* Siquidem ut habetur
sub t. de alien. & contr. prohib. disc. 1. ac etiam *sub tit. de Pa-
roch. disc.* 35. divisio, vel suppressio, aut dismembratio seu alia 9
concessio Ecclesiarum redolet prohibitam alienationem,
quæ ab Episcopo, vel alio Prælato fieri non potest absq; copu-
lativo concursu solemnitatis, & justæ causæ, ut in specie su-
per facultatem mutandi statum Ecclesiæ, atque de sæculari
facere regularem, communiter firmant Canonistæ *in c. cum
de beneficio, de Præb. in* 6. & firmatur per Rot. apud Bue. *dec.*
635. *n.* 9. *dec.* 163. *n.* 4. *p.* 1. *rec.* & *dec.* 368. *n.* 4. *p.* 2. & in aliis fre-
quenter: Quamvis enim in hac specie alienationis spiritua-
lis non intret necessitas solemnitatis beneplaciti Apostoli-
ci ad præscriptum *Extrav. Ambitiosæ,* Attamen intrant aliæ
solemnitates ad præscriptum antiquorum Canonum, ac et-
iam necessitas justæ causæ, de quibus non constabat.

Istud fundamentum (reflectendo ad veritatem) videbatur
parum tutum, quoniam stante lapsu tam diuturni temporis
annorum ferè 50. intrabat præsumptio solemnitatum, ac
justæ causæ, quæ resultat ab observantia temporis longissi-
mi 30. annorum, ex deductis *d. disc.* 1. *de alien. & contract.*
& sub tit. de dote disc. 143. & alibi.

Et quamvis scribendo more Advocati deducerem Consti- 10
tutionem Urb. VIII. dirimentem hanc præsumptionem, at-
tamen motivum erat fallax, tum quia percutit illas aliena-
tiones, vel concessiones, in quibus necessarium est bene-
placitum Apostolicum; tum etiam quia procedit cum sæ-
cularibus, non autem inter Ecclesiasticos, ex deductis
eod. disc. 1. *de alienat. & contract.*

Solidum autem, ac irrefragabile erat motivum voluntatis
ejusdem Archiepiscopi, quoniam si id in animo habuisset,
suppressisset rectoriam sæcularem, ob manifestam implican- 11
tiam: ut eadem Ecclesia possit eodem tempore esse duplicis
naturæ diversæ, imò contrariæ, atq; ita duplicem Rectorem,
seu sponsum habere, neque solùm accedebat actus negativus
non suppressionis rectoriæ sæcularis, sed etiam positivus no-
væ provisionis factæ post dictam concessionem ab eodem
Archiepiscopo, & successivè ab aliis, vel juxta vacationum
species, à Sede Apostolica, atque ita corruebat etiam dictum
motivum præsumptionis solemnitatum, & causæ ob defi-
cientem observantiam veram, & univocam, quæ præcisè
necessaria est, cum temporis lapsu, qui solus quantumvis
magnus non sufficit, ex ibi deductis ad hanc materiam.

Hinc proinde, nulla suberat necessitas assumendi aliam
inspectionem, an scilicet, posito etiam quòd Ecclesia esset
regularis, jus peragendi primarias, ac Pontificales functio-
nes, absente, vel impedito Episcopo, spectaret ad primam
Dignitatem, vel alium digniorem Capituli Cathedralis, ac 12
propterea prudenter Sacra Congregatio, inhærendo valdè
commendabili stylo non immorandi in superfluis, neque
evagatorias disputationes assumendi, hunc punctum in ista
causa disputare noluit, dum stante statu sæculari Ecclesiæ,
cessabat occasio quæstionis in radice.

Ad satisfaciendum tamen partibus Advocati deducere
debentis omnia motiva ob ingeniorum diversitatem, ut ad-
vertitur *in cit. de Judic.* in relatione, & praxi Curiæ agen-
do de Advocatis; deducebam quoque istud motivum, quòd
scilicet, posito etiam statu regulari Ecclesiæ, adhuc hujus-
modi functiones peragi deberent à prima Dignitate, seu à
Digniori Capituli.

Duas itaque cum præsupposito, quòd ageretur de Eccle-
sia regulari, constituebam inspectiones; Primò nempè super
jure ipsius Episcopi præsentis, ac intervenientis in functio-
ne, ac volentis celebrare pontificaliter, sive solemniter as-
sistere missæ ab alio celebrandæ; & secundò absente, vel
impedito Episcopo, ubi solum Capitulum interveniat, ut-
pote solitum intervenire cum Episcopo.

Primo casu planum est, ut ad Episcopum pertineat fun-
ctionem peragere, sive ipso non celebrante, pertineat ad di-
gniorem de Capitulo, vel ad alium de eodem corpore ab
Episcopo deputandum, absque eo quòd Prælatus regularis 13
possit se ingerere, ut agendo de hoc eodem casu insinuatur
dicta disc. 30. *de jurisdict. in fin.* ac etiam *disc.* 31. Ex ea
congrua ratione, quòd cùm Ecclesiæ regulares sint in diœ-
cesi, ac territorio Episcopi, ipse est superior Prælatus, quo
præsente, ac invito, alter ejus subditus se ingerere non pot-
est; nisi quando compatibiliter cum subjectione, ad illum
de jure functio pertineat, unde propterea Episcopus non
possit tollere jus tertii; Putà quia eo nolente, vel non va-
lente

lente celebrare pontificaliter, jus peragendi functionem de jure pertineat ad primam dignitatem, sive nullis extantibus
14 hus dignitatibus ad digniorem de Capitulo, quoniam non potest Episcopus mandare, ut functio peragatur ab ejus Vicario generali, vel alio, ut advertitur *sub tit. de praeminent. disc.* 19. & 20. ubi concordantes, quoniam constituentibus Episcopo, & Capitulo unum & idem corpus formale Cathedralis, nihil intermediare potest inter caput, & reliquum corpus, atque capite impedito, operatio facienda est à reliquo corpore, cujus vice illam ab una persona tantùm explicabilem, primum, vel dignius membrum explicat, ex ibi deductis.

15 Exemptio autem Ecclesiæ, ac personarum per Apostolica indulta concessa regularibus, in hoc nullius est operationis, quoniam ut advertitur *dicto tit. de jurisd. disc.* 35. exemptio tollit, seu impedit jurisdictionalia, non autem reverentialia, ut præeminentialia, dum, ut satis frequenter insinuatur *hoc eod. tit.* & alibi, attenta origine, omnes etiam regulares sunt subditi Episcopo, ad instar reliqui cleri, & populi, ac propterea accidentalis, ac privilegiativa exemptio non tollit reverentiam debitam ratione pristinæ superioritatis, quæ etiam de præsenti adest habitualis, atque frequenter est ad actum deducibilis ob jurisdictionem, tam ordinariam, quàm delegatam, quàm præsertim à Concilio Tridentino dicta, Diœcesanus habet cum regularibus, aliisque exemptis.

Idque adeò verum, quòd licet Prælatis regularibus, vel
16 aliis, etiam sæcularibus, exemptis, ex Apostolicis indultis, concedatur in propria Ecclesia pontificaliter celebrare, ac etiam thronum erectum habere, cum moderationibus tamen moderno tempore demandatis per decreta generalia hujus Sacræ Congregationis Rituum, de quibus *dicti disc.* 32. *de jurisd. & tit. de praeminent. disc.* 15. Attamen neque in illis temporibus, in quibus id licitè explicari potest, ipso Episcopo præsente, nisi quatenus ipse permittere velit, ut locis citatis advertitur: Solùmque ubi affectatè per quandam speciem animositatis, Episcopus, præter solitum, vellet intervenire in illis functionibus, quæ ab ipsis regularibus
17 eorumque Prælato fieri solent, ut ita exercitium hujusmodi præeminentiarum impediat, haberi potest recursus ad Sac. Congregationem, quæ inhibeat Episcopo ne se ingerat, abstinendo ab interventu, non autem, ut eo interveniente, atque pontificaliter celebrante, sive etiam pontificaliter, ac jurisdictionaliter assistente, inferior Prælatus prætendere possit peragere functiones, ex generali ratione, quòd ubi major adest, minor cessat, atque luminare majus occupat luminare minus, neque inter caput, & corpus dari potest intersecatio membri extranei, præsertim verò diversæ, imò contrariæ naturæ, ut est Prælatus regularis.

Non negabantur hæc, sed potiùs admittebantur à scribentibus pro altera parte; Insistebatur verò mordicus super altero casu, in quo Episcopo absente, vel impedito, solum Capitulum interveniret, quasi quòd tunc cessarent dictæ rationes militantes in Episcopo, ratione superioritatis.

Verùm posito, quòd ex consuetudine ista esset functio Pontificalis, peragi solita cum interventu Episcopi, & Capituli, ad invitationem præsertim Civitatis, & populi, qui illam solemnitatem celebrent, adeout, non sit ultro-
18 neus, ac insolitus, & affectatus interventus; Dicebam quòd eædem rationes pariformiter inritabant, quoniam ut advertitur *dicto tit. de praemin. disc.* 21. & 22. & alibi pluries, & præsertim *sub tit. de jurisd. & sub altero de Canonicis, & Capitulo*, occasione devolutionis jurisdictionis Episcopalis ad Capitulum Sede vacante, vel impedita, cùm corpus Ecclesiæ Cathedralis efformetur ab Episcopo tanquam capite, & à Capitulo tanquam reliquo corpore, hinc proinde, sublato, vel impedito capite, lex fingit id, quod non facit natura, ut scilicet reliquum corpus, etiam sine capite ea quodam jure accrescendi, vel non decrescendi, exceptis iis quæ sunt ordinis Pontificalis, omnes alias faciat operationes, ipsumque corpus repræsentet.

Atque hinc sequitur, ut intellectus acquiescere non possit opinioni, in qua residet Sacra Congregatio Rituum, ut
19 Capitulo solemniter, & capitulariter interveniente in exequiis, vel funeribus, jus peragendi officium in Ecclesia regulari spectare debeat ad Prælatum regularem, quoniam id benè, ac rationabiliter locum habet in concursu Parochi, non autem in concursu Capituli Cathedralis, ex deductis *dict. disc.* 22. *de praeminen.* & insinuatur *disc. sed.*

ADNOT. AD DISC. LXIV. & LXV.

AD hanc materiam, præsertim in concernentibus funera videri poterunt deducta *sub tit. de Paroch. disc.* 30. & *in eod. tit. disc.* 43. ac etiam *in hoc eod. tit. de Regul. disc.* 71.

NEAPOLITANA FUNERUM,

PRO CAPITULO METROPOLITANÆ,

CUM PP. CARMELITIS S. MARIÆ DE VITA.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Rituum, resolutus pro Capitulo.

An interveniente Capitulo Cathedralis in funere cadaveris sepeliendi in Ecclesia Regularium, idem Capitulum jus habeat ingrediendi Ecclesiam cum cruce, cum qua peracta fuit processio, ibique erectam retinendi; vel potiùs à Regularibus id impediri possit; Et de jure faciendi officium super cadavere.

S U M M A R I U M.

1 *DE stylo faciendi funera solemniter.*
2 *Quomodo incedant regulares in funere sepeliendi in eorum Ecclesia.*
3 *Resolutio antiqua.*
4 *Facti series in casu controversia.*
5 *Resolutio.*
6 *Quod jus officiandi etiam in Ecclesia regulari debeat spectare ad Capitulum.*
7 *De differentia inter Parochum & Capitulum.*
8 *Quæ jura Parochialia possint regulares exercere in eorum Ecclesia.*
9 *De differentia inter jura Parochialia cum vivis, & officium super cadavere.*
10 *De ratione concinsionis, de qua n. 6.*
11 *Capitulum Cathedralis præcedit Parochus, & Capitula inferiora in eorum Ecclesiis.*
12 *Quando in funere, in quo intervenit Capitulum, procedant necne ea, de quibus n. 9. & 10.*
13 *Datur exemplum Collegium Cardinalium.*
14 *An Regulares possint excommunicari ab Episcopo.*
15 *Etiam non subditi efficiuntur subditi ob turbatam jurisdictionem.*

D I S C. LXV.

CUM pro moribus illius Civitatis, Capitulum Ecclesiæ 1
Metropolitanæ intervenire soleat in funeribus, quæ solemniter, & cum aliqua processionali pompa celebrantur, ex insinuatis *sub s. de Paroch. disc.* 28. omnesque clerici sæculares, & regulares in eodem intervenientes, in executionem decretorum generalium Sac. Congregationis incedant sub unica cruce ipsius Capituli, juxta declarationes relatas per Barb. *de Paroch. p.* 3. *c.* 26. *n.* 78. Prætensionem autem excitaverint Regulares de anno 1640. signanter, Assitenses, Cæ- 2
lestini, & Olivetani, non licere Capitulo erigere crucem in ingressu eorum Ecclesiæ, quasi quòd tunc cessaret ejus jurisdictio, tanquam in loco exempto, ita arguendo ab iis quæ habentur in materia officii, quòd scilicet in domo defuncti, ac etiam in via, Parochus defert stolam, atque digniorem locum occupando, omnes alias peragit functiones, ipsi autem regulares, in quorum Ecclesia funus peragendum est, incedunt in loco suo, juxta ordinem suæ fundationis; Sed eo ipso, quòd cadaver ingreditur Ecclesiam regularium, Parochus dimittit stolam, suumque officium, illudque in omnibus reassumit Prælatus regularis, vel alter ab eo deputatus, juxta declarationes Sac. Congregationis Rituum recensitas *sub tit. de praemin. disc.* 22. quasi quòd eadem esset ratio: unde propterea re delata ad eandem Sac. Rituum Congregationem de mense Januarii 1641. prodiit resolutio ad favorem 3
Capituli, super ingressu & retentione crucis erectæ.

Quia verò dicta resolutio prodiit cum regularibus trium Ordinum tantùm, ut suprà, idcirco alii, præsertim Mendi-
cantes, de facto in eadem prætensione continuabant, sed oc- 4
casio non dedit illam ad exercitium deducere nisi de anno 1670. ob mortem Ventrigliæ *authoris tract. de authoritate Archiepisc. & notabilium Ecclesiasticorum*, quòd cum esset Episcopus Casertanus, obiisset autem in Civitate Neapolis cum electione sepulturæ in Ecclesia S. Mariæ de Vita Or-

 dinis

dlnis Carmelitanorum, in solemni funere peracto cum interventu Capituli, volentibus istius ministris ingredi Ecclesiam cum cruce erecta, dicti religiosi januas clauserunt, unde propterea cum aliquo scandalo cadaver, de ordine Capituli, ad aliam Ecclesiam asportatum fuit, ibique funus peractum; Quare Archiepiscopus Ecclesiam prædictam Ecclesiastico
5 interdicto supposuit, dictisque regularibus (quibus omnes alii adhærebant) recurrentibus ad eandem Sacram Congregationem Rituum, prodiit resolutio Capitulo favorabilis, attentatum improbando, atque mandando servari dictum decretum anni 1641. & approbando appositionem interdicti.

In disputatione itaque desuper habita, duo deducebantur ex parte regularium, Primò nempè circa ipsum punctum principalem ingrediendi eorum Ecclesiam cum cruce erecta, quòd scilicet ille esset actus jurisdictionalis, qui exerceri non potest in loco exempto, & extra proprium territorium, ad instar ejus quod (ut suprà insinuatum est,) & habemus receptum ex plusibus declarationibus S. Congregationis circa jus Parochi ingrediendi Ecclesiam regularium jurisdictionaliter, ac faciendi officium super Cadavere ut suprà; & secundò super defectu jurisdictionis Ordinarii supponendi Ecclesiam prædictam interdicto, stantibus privilegiis Apostolicis concessis huic Religioni in specie, ne per locorum Ordinarios, eorum personæ, vel Ecclesiæ censuris innodari, vel supponi valeant.

His tamen non obstantibus, etiam cum sensu veritatis, dicebam scribens pro Capitulo, quòd super utroque responderi deberet pro hac parte, ut secutum fuit; Quatenus enim
6 pertinet ad primum, deducebam eadem quæ insinuantur *disc. præced.* & habetur particulariter actum *sub t. de præeminent. disc.* 22. quòd scilicet etiam respectu juris officiandi super cadavere, omninò probabilius esse videretur, ut ea quæ disposita sunt de Parocho, nullatenus locum habere deberent in Capitulo Cathedralis interveniente solemniter, ac in forma Capituli; Secus autem ubi intervenirent aliqui Canonici jure singulari tanquam repræsentantes potiùs Parochum ratione curæ, quæ ipsi Ecclesiæ Cathedrali annexa esset, ut ita declarando resolutionem emanatam in Andr, quæ videtur in hac materia originalis, advertitur *dict. disc. 22. de præeminent.*

7 Magna etenim differentia est inter Parochum, & Capitulum Cathedralis, quoniam Parochus habet territorium limitatum intra suos fines, ac etiam intra istos, respectu eorum, qui subjacent ejus curæ, & jurisdictioni, & consequenter, ubi ingreditur Ecclesiam exemptam, dicitur esse extra proprium territorium; & in loco, in quo nullam habet jurisdictionem, nullumque jus reverentiale, vel præeminentiale, ut agendo de hoc jure funerum in specie quoad hospitalia exempta, vel domus regularium, advertitur *sub tit. de Paroch. disc.* 23.

Et quamvis, ut habetur suprà *in Papien. seu Mediolanen. Conservatoris, disc.* 53. & alibi, etiam in Conventibus, aliis-
8 que domibus regularium, invito Parocho non possint exerceri jura Parochialia cum Parochianis, dum ea privilegiis Apostolicis, eorundem jurium exercitium conceditur solùm respectu ipsorum religiosorum, ac etiam illorum secularium, qui intra eadem septa more eorundem religiosorum, sub obedientia superioris, ac servitio ad dicti vivant, juxta tria requisita præscripta per Constitutionem Gregor. XIII. recensita *sub t. de jurisd. disc.* 4. & alibi; Attamen id provenit principaliter ratione personarum subditarum, potiùs quàm ratione loci Ecclesiæ, & sic ex eo quòd exerceri non possit jurisdictio cum non subdito, & cum ovibus alienis, diverso pastori commissis, unde propterea resultet formalis turbatio, ac usurpatio alienæ jurisdictionis.

9 Hæc autem ratio non intrat in officio, quod geritur super cadavere jam annihilato, quoniam illa est functio, quæ principaliter est Ecclesiastica ratione loci, & consequenter non eadem est ratio inter istum casum, & alterum administrationis sacramentorum, aliorumque jurium Parochialium cum Parochianis viventibus, ideòque dictæ resolutiones habent probabile fundamentum.

Non sic est in Capitulo Cathedralis, quoniam ex insinua-
10 tis *dicto disc. præced.* ac etiam *dicto disc. 22. de præemin.* Capitulum format unum, & idem corpus cathedraticum cum Episcopo, ideòque in omnibus locis, & Ecclesiis, ac etiam personis intra universam diœcesim habet jus reverentiale, & præeminentiale, etiam cum personis, & locis exemptis ratione pristinæ, ac habitualis jurisdictionis, & superioritatis, atque in plerisque casibus præsertim à Concil. Trid. citra, habet jurisdictionem actualem, tam Sede plena in iis actibus, qui de jure geri debent à Prælato cum consensu Capituli, quàm fortiùs Sede vacante, vel impedita, atque exemptio non tollit jus territoriale, & quòd illa Ecclesia exempta dicatur in proprio territorio, quamvis in aliquibus casibus, ipsius juris territorialis exercitium sit accidentaliter per exemptiva privilegia impeditum, ideòque prorsus improprium videtur, exæquare Parocho Capitulum Cathedralis.

Atque ad id comprobandum deducebam eadem quæ habentur *eodem tit. de præemin. disc.* 17. & 21. quòd scilicet
quamvis Parochus in propria Ecclesia, omnes præcedat, 11
etiam in majori dignitate Ecclesiastica constitutos; Attamen non præcedit Capitulo Cathedralis, cui etiam in propria Ecclesia locum cedit; Quando tamen capitulariter Canonici interveniunt, ipsum corpus Capituli repræsentantes, secus autem ubi aliqui Canonici, vel Dignitates jure singulari; Ideòque si Capitulum in propria Ecclesia præcedit Parochum, vel etiam totum Capitulum Collegiatæ, ex deductis *dict. disc. 17. de præem.* hinc non videtur cur eandem præeminentiam habere non debeat in Ecclesia regularium in iis præsertim, quæ percutiunt jurisdictionem, ac præeminentiam ipsius Capituli, directè juxta casum præsentis quæstionis, quòd scilicet ipsi Capitulo impediebatur ingressus præeminentialis cum propria cruce.

Tunc etenim, etiam in funere capitulari rectè procedere videntur dictæ declarationes super jure officiandi spectante ad Prælatum regularem privativè ad Parochum, quando scilicet Capitulum intervenit in funere pro sola honorifica associatione, non autem in forma jurisdictionali ipsum funus peragendo, adeò ut Parochus quoque stolam deferat, atque officium in domo defuncti, & in via faciat, sive in Ecclesia sepolturæ non exempta, non autem in exempta, cùm tunc Capitulum, quodam jure privato potiùs, solum actum honorificum associationis peragere dicatur; Secus autem ubi agatur de funere verè capitulari, idest, quòd prima Digni-
tas, vel dignior Canonicus, sive concurrenter Canonicus 12
hebdomadarius, ad quem pro stylo id pertineat, juxta casum de quo *eodem t. de præemin. disc.* 19. incedat cum pluviali, adeòut etiam Parochus locum ei cedat; ut ex. gr. in funere Episcopi, vel Principis, aut magni Magistratus, sive in aliis casibus, in quibus ex illius diœcesis consuetudine, id licitum sit; isto enim casu prorsus fabulosum videtur, ut ille dignior de Capitulo, ipsum corpus Capituli repræsentans in Ecclesia regulari, sibi quoque habitualiter subdita, exuere debeat stolam, & pluvialem, atque cedere locum inferiori, proprioque subdito, cùm id repugnet omnibus juris principiis, ac rationibus, atque cum hac distinctione benè conciliabiles videntur declarationes favore regularium emanatæ, etiam in casu quo in funere interveniat Capitulum, ubi scilicet adhuc Parochus officium peragat, unde propterea contentio sit inter Parochum, & Prælatum regularem, nilque Capitulo intersit, an officium ab uno, vel ab alio peragatur, dum ab eo solum quædam honorifica assistentia de facto jure privato præstari dicitur.

Dabam in hoc practicum exemplum solemnitatum, quæ celebrantur in Urbe cum interventu Cardinalium, quoniam ubi non sunt capellæ, vel solemnitates formaliter cardinalitiæ, in quibus non interveniat Collegium, uti Col-
legium repræsentando ipsum corpus, sed solùm ex devotio- 13
ne, vel benevolentia invitati interveniant aliqui Cardinales, etiam in numero notabili, pro quadam honorifica assistentia, tunc illa non dicitur formalis capella cardinalitia, atque aliquæ functiones permittantur clericis sæcularibus, vel regularibus illius Ecclesiæ in qua solemnitas peragatur; Secus autem ubi interveniant in forma Collegii, & Capellæ formiter cardinalitiæ, quoniam tunc clerici ipsius Ecclesiæ omninò extranei remanent ab actu, omnesque functiones fiunt per ipsius Collegii, seu Pontificiæ capellæ ministros, ita à pari, data debita proportione.

Quo verò ad alterum punctum interdicti, in quo scribebam potiùs pro Archiepiscopo; Quamvis ex parte regularium deducerentur solitæ authoritates Moralium, qui scripserunt ante Constitutionem Gregorii XV. pluries enuntia-
ti *hoc eod. t.* & sub altero *de jurisdict.* quòd scilicet etiam in 14
casibus, in quibus Ordinarius aliquam ordinariam, vel delegatam jurisdictionem habeat cum regularibus exemptis, non tamen ad personalem coercitionem, minùsque ad censuras procedere valeat; Attamen dicebam idem, quòd eisdem supracitatis locis nimium frequenter dicere occasio dedit, quòd scilicet quidquid sit de ista quæstione ante editionem dictæ constitutionis, ob eam tamen ipsa decisa remanet.

Fortius verò, quoniam, ut præsertim advertitur *sub d. tit. de jurisdict. disc.* 36. Ista quæstio cadere potest in causis, vel actibus indifferentibus, in quibus Ordinarius habeat solùm

quan-

quandam competentiam, vel cognitionem; secus autem ubi ut in præsenti accedat formalis turbatio, ac offensio suæ
15 jurisdictionis, ac majestatis, cùm tunc, non solùm illi, qui sunt naturaliter, seu habitualiter subditi, ita accidentaliter exempti, sed etiam illi qui sunt naturaliter non subditi, puta alienarum diœcesum, efficiantur subditi, cùm competentia ratione offensæ propriæ jurisdictionis dicatur omnibus major, neque detur exemptio, quæ illam tollat, quoties adsit competentia in genere, adeòut dari possit prorogatio, ex deductis *dict. disc. 36. de jurisd.* & alibi; Cùm solæ dubitandi ratio cadat, ubi accedat omnimoda incompetentia, ac negatio prorogationis, ut est illa Judicis laici cum clericis, de quo tamen agere non oportebat, utpotè extra casum quæstionis; Siquidem ex eadem ratione superius insinuata, quòd corpus cathedraticum efformatur ab Episcopo, & Capitulo, utique injuria, vel resistentia facta Capitulo solemniter interveniente jure Capitulari, ut suprà, fieri quoque dicitur Episcopo, cùm de offensa facta corpori, participata dicatur etiam caput.

ROMANA PROFESSIONIS, SEU MONASTERII INTER PARTES UT INFRA.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Concilii, & resolutus ut infrà.

De eadem materia, de qua suprà, *disc.* 50. An & quando domus, in qua sub aliquo regulari, vel pio instituto collegialiter vivatur, dicatur verum Monasterium, ipsæque mulieres dicantur moniales professæ.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series cum resolutionibus.*
2 *Solemnis professio in Religione præstat impedimentum dirimens matrimonii.*
3 *De voto Authoris.*
4 *Dicitur votum solemne Religionis, ubi emittatur in aliqua Religione à Sede Apostolica approbata.*
5 *De eodem etiamsi tria vota substantialia non exprimantur.*
6 *De clausura Monialium, sed quod non sit de essentia Religionis.*
7 *De eadem clausura, & quando adesse dicatur, necne.*
8 *De signis, & argumentis, affirmativis, vel negativis status Monasterii.*
9 *Quod signa, & verba, seu vocabula soleant esse æquivoca, & dantur similitudines.*
10 *Quomodo verò dignoscendum sit, an sit Monasterium, & aliqua requisita desiderentur in fundationibus Monasteriorum Monialium.*
11 *Stylus Papæ probat ejus voluntatem.*
12 *Quid servetur in novis fundationibus Monasteriorum monialium.*
13 *Quod non soleant permitti ista fundationes sine clausura.*
14 *Ad quid consideretur defectus clausuræ.*
15 *De conclusione, de qua n. 4. ut votum solemne dicatur illud, quod emittatur in aliqua Religione approbata per Sedem Apostolicam.*
16 *De mutatione status Religionum, earumque divisione, ac diversis institutis.*
17 *In quo loco, & quomodo fieri debeat professio.*
18 *Quid de monasteriis monialium, & quomodo professio fiat.*
19 *Quando attendantur signa, & argumenta, de quibus n. 8. & seq.*
20 *Constitutionum editio, & approbatio convenit etiam conservatoriis Oblatarum, vel mulierum sæcularium.*
21 *De aliis argumentis destructivis monasterii Regularis.*

D I S C. LXVI.

1 NObilis Matrona Romana Joanna de Sabellis, Lateræ Ducissa, prole destituta, de viri etiam placito, imitando fortè illos conjuges Romanos patritios, de quibus in sacra Legenda S. Mariæ Majoris, vel ad Nives fit mentio; in ejus propria domo, admanantiam fecit honestarum puellarum Virginum, sub eo S. Augustini originario instituto, vel regula, quam moderno tempore S. Franciscus de Sales innovavit; Tractu verò temporis, etiam primatię, ac magnatitię nobilitatis puellæ, eandem domum ingressæ sunt, aliquibus ordinatis Constitutionibus, circa puellarum receptionem, no-

vitiatum, oblationem, ac vivendi formam, cum omnium uniformi habitu more Monialium; Deindeque ab Alex. VII. obtentum fuit indultum exemptionis à Parocho, facultate attributa proprio Capellano exercendi jura Parochialia.

In hoc autem statu in loco recepta fuit, prævioque anno Novitiatus, aliisque ad prædictarum Constitutionum normam adimpletis, tanquam per speciem professionis, oblationem emisit Livia Ducis Cæsarini filia; Postmodum verò aliæ ordinatæ fuerunt Constitutiones, quæ per Clementem X. in forma specifica confirmatæ fuerunt, earumque observantiam in manibus Prælati deputati ejusdem loci regimini, omnes aliæ ibi existentes mulieres promiserunt, præfata Livia excepta; Clausuram verò etiam juxta Constitutiones, domus prædicta non habebat, dum pro Superiorissæ libito ad instar domus Turris Speculorum intra illius Septa admittuntur sæculares viri, ac mulieres, ipsis quoque Monialibus, vel Oblatis permisso egressu, in aliquibus anni temporibus, cum aliquibus tamen majoribus restrictionibus, quàm in præfata Domo Turris Speculorum practicetur.

Cùm itaque post Fundatricis obitum, prædicta Livia cum Friderico Sfortia ex Comitibus Sanctæ Floræ matrimonium contraxerit in eadem domo; Hinc Cleria Somneni Principissa natu minor, ob interesse primogenituræ, de qua agitur *sub tit. de fideicom. disc.* 201. & 204. hujus matrimonii effectuationi se opponendo prætensionem excitavit super dicti 2 matrimonii nullitate ratione solemnis professionis, ac status Monastici; atque remisso per eundem Clementem X. negotio Sac. Congregationi Concilii, pro matrimonii validitate præfatam Liviam sæcularem, non autem professam declarando, resolutio prodiit; Assumptaque postmodum de ejusdem Papæ mandato, alia disputatione super statu dictæ Domus, pariter resolutum fuit eam non esse regularem, minùsque mulieres ibi oblatas esse veras Moniales professas solemni Religionis voto adstrictas.

In disputationibus itaque super primo puncto particulari desuper habitis, quamplures Advocati, in majori autem numero Theologi ex parte dictæ Principissæ oppositricis consulti, atque ad oppositionis defensionem assumpti, copiosissimis desuper editis responsis, ac informationibus, opinabantur, quòd justa, benèque fundata esset oppositio, quòdque præfata Livia esset solemni Religionis voto adstricta; Quo posito, de consequenti indubitata resultabat consequentia nullitatis matrimonii, cujus impedimentum dirimens solemnis professio regularis inducit, atque super isto indubitato, ac notorio principio, pro consueto modernorum inepto stylo, cum inani chartarum repletione, magnum faciendo allegationum cumulum, Ego verò, quàvis tanquam Advocatus ad causæ opportunitatem per eandem Principissam as- 3 sumptus, super ejusdem status regularis probatione quoque scripserim, sive aliorum scriptis subscripserim, ab initio tamen fui in contrario voto, pro stylo Partibus liberè, apertè, ac sincerè indicato, nedum oretenus, sed etiam in scriptis, eadē promovendo motiva, ex quibus ambæ particularis, & generalis prodierunt resolutiones, quæ propterea mihi, quamvis in contrarium scribenti justæ, benèque fundatæ visæ sunt.

In præfatis itaque Juristarum, ac Theologorum copiosis responsis, quæ penè volumina constituebant, generalitatibus, & superfluitatibus pro ignari vulgi placito repleta, in eo 4 principaliter, ac potissimum insistebatur, quod ad effectum ut votum dici valeat solemne, & regulare inductivum status religiosi sufficit, quòd illud sit emissum in una ex Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis ad *text. in c. unic. de vot. in 6.* ubi communiter Scribentes, de quibus plenè Sanchez *de matrim. lib. 7. disp.* 25. & omnes communiter, & in specie Monialium, aliis relatis habetur per Rot. *dec.* 216. *n. 6. cum seq. p. 2. divers.* quæ videtur authoritas in hac materia Monialium omnium melior, magisque præcisa.

Quòd autem istud esset verum Monasterium, dicebant sufficere, quòd in eo servaretur institutum, seu Regula Divi Augustini, quæ sine dubio est una ex approbatis à Sede Apostolica; Nullatenus curando formulam oblationis emissæ, 5 quod explicitè non cōtineret tria vota essentialia castitatis, paupertatis, & obedientiæ, quoniam eo ipso, quòd prævio anno integro Novitiatus ad Concilii Tridentini præscriptum, atque in ætate legitima, ab eodem Concilio statuta, in manibus Superioris fit promissio vivendi in eo instituto, eo ipso hujusmodi trium votorum emissio facta censetur, cùm certa profitendi formula non habeatur, Abb. *in c. porrectum, de Regular. n. 13. cum concord.* per Sanch. *ad præcept. decal. l. 5. cap. 3. n. 5.* Bordon. *de profess. Regul. c. 18. n. 16. & communiter*, cùm sit assumptum votum, desuper quoque ponderando formulas, cum quibus solemnis emittitur professio in

plerisque Congregationibus Benedictinis, præsertim in Cassinensi, ac etiam in Religione S. Augustini, in illa Prædicatorum, seu S. Dominici, & in aliis, cùm vis non ster in verbis, sed in substantia veritatis.

Ad objectum verò deficientis clausuræ, quæ ad præscriptum Constitutionis Bonifacii VIII. *in cap. periculosus, de Religios. ordin in 6.* innovatæ per Concilium Tridentinum, magis verò per Constitutiones S. Pii V. & Gregorii XIII. Monasterii Monialium connaturalis videtur; Respondebant quod clausura non est de essentia, vel substantia Religionis, seu status Regularis, Suar. *de Relig. tom. 4. lib. 1. cap. 8. n. 1.* Giballin. *de clausf. disp. 1. cap. 1. numer. 2.* Spada *cons. 92. n. 2. lib. 3.* & alii qui desuper deducebantur.

Potissimè verò, & clarius, dum præfatæ Constitutiones, in quibus Monialium egressus juxta ibi statutam formam permittitur, ac etiam ingressus sæcularium, in forma specifica per Summum Pontificem approbatæ, & confirmatæ fuerunt, cum consuetis obstantiarum derogatoriis, cum quibus præfatis Bonifacii, Pii, & Gregorii Constitutionibus derogatum erat, cum istæ Constitutiones, ut etiam ipsummet Concilium Tridentinum, non habeant illam Conciliorum generalium prærogativam, ut non veniant sub generalibus derogatoriis, sed speciali mentione indigeant, ex deductis *in Adnotationibus ad Concilium Tridentinum, disc. 1. & sub tit. de decim. disc. 4. & alibi.*

His autem respectu clausuræ, addebam ego ea quæ habentur *in allegata dec. 216. p. 2. diverf.* quòd scilicet in ea
7 præsupponitur, quòd Moniales exirent aliquando de Monasterio cum licentia Abbatissæ, sine qua egressus illicitus erat, adeout possent etiam per censuras compelli ad redeundum, & tamen firmatur, quòd ibi aderat clausura; à qua arguitur ad Monasterii qualitatem; & per consequens non dicitur abesse clausura, ex eo quod aliquando Moniales egrediantur, ubi non ad libitum proprium, propriave authoritate id fiat, sed cum licentia Superiorissæ, atque juxta modum, & tempus ab ea præscriptum.

Fortius verò, quoniam per dictas Constitutiones, etiam ille egressus, qui à Superiorissa aliquibus anni temporibus, conceditur, est nimium restrictus, ut scilicet solùm concederetur pro visitandis Basilicis, & Patriarchalibus, aliisque insignibus Sanctuariis, absque eo quod diverti possint etiam ad domus Parentum, vel Fratrum, & Sororum, sive aliquem etiam conjunctum in via, vel in Ecclesia alloqui, quinimò, ut neque pro itinere adhibere possent currus, seu rhedas, etiam parentum, & conjunctorum; sed solum rhedam propriam Monasterii ipso rhedario, eisdemque Monialibus egressuris ignorantibus, ad quarum Ecclesiarum visitationem accedendum esset, & qua die, dum in ipso actu egressus Superiorissa explicat loca, ac propterea dicebam, quòd non erat egredi clausuram formalem, sed solum materialem ad finem spiritualem sub obedientia, & custodia illius provectæ Monialis, quam ipsa Superiorissa præficeret; Ad instar illius egressus, qui occasione solemnitatis processionaliter fieri solet per aliquem ambitum, dum non exinde violari dicitur clausura; atque ad idem comprobandum deducebam ea, quæ in materia Ecclesiasticæ immunitatis localis habentur *in Miscellan. Ecclesiast. disc. 2.* quòd scilicet ille, qui detentus per familiam Curiæ, atque in sua libertate non existens, ingrediatur locum immunem, vel per eum transeat, non gaudet Ecclesiastica immunitate, cùm etiam in via, vel in eo loco dicatur potiùs esse in vinculis, cum similibus.

Ponderabantur quoque quamplures enunciativæ Pontificiæ, tam in literis in forma Brevis super exemptione à jurisdictione Parochi, quàm in dicta confirmatione Constitu-
8 tionum, aliæque enunciativæ Cardinalis Vicarii, ipsarumque Monialium & Superiorissæ, in quibus locus appellatur Monasterium, ipsæque mulieres Moniales professæ; Magis verò deducebantur eadem signa ponderata *in dicta dec. 216. p. 2. diverf.* quinimò, & alia majora, super formali scilicet novitiatu per annum integrum, cum solemni susceptione habitus uniformis, & cum incisione capillorum, & insuper cum alia solemnitate in emissione oblationis cum pulsatione campanæ in signum mortis, cum aliis actibus, qui in emissione veræ professionis fieri solent, & cum abjectione proprii nominis sæcularis, ac familiæ, assumendo novum nomen more Monialium, ut ista nobilis puella fecerat, dum derelictis proprio nomine Liviæ propriave familia, assumpserat nomen Sororis Mariæ Pulcheriæ; cum solutione dotis, & cum vita communi, faciendo renunciationem bonorum, & jurium fieri solitam per volentes profiteri in aliquo Monasterio cum enunciatione propositi vivendi in eo loco in perpetuum in divino famulatu cum aliis similibus signis, & argumentis.

E converso autem Scribentes pro dicta Livia, ejusque statu sæculari, magnam, penèque totam vim constituebant in vocabulis, quòd scilicet in Constitutionibus tam antiquis, quàm modernis non appellaretur Monasterium, sed Congregatio, quodque formula, per quam fiebat promissio, non appellaretur professio, sed oblatio, ipsæque mulieres non appellarentur Moniales, sed oblatæ, cum similibus formalitatibus verbalibus.

Magis verò, implicitè admittendo, quòd post secutam specificam Constitutionum confirmationem per Clementem X. locus constitutus esset in statu Monasterii, insistebatur in eo quod ista puella, mutato jam proposito, noluisset facere illum acceptationis, vel novæ promissionis actum, quem aliæ fecerant, sed quod potiùs animum in contrarium declaraverat; Ac propterea in prima disputatione hujus causæ particularis quamplures pro hujus puellæ statu sæculari ex hac circumstantia responderunt opinantes, quòd aliæ, in quibus eadem circumstantia non militabat, essent Moniales, quamvis deinde in alia disputatione generali istud præsuppositum juxta meum votum ab initio habitum, atque in congressibus apertum, detectum sit erroneum.

Fundamentum quoque constituendo in eo, quòd istæ mulieres haberent retentionem dominii, & possessionis illorum bonorum, vel redituum, quæ sibi reservabant, cum libertate disponendi; Ac etiam deducendo aliquas attestationes super intentione fundatricis non faciendi formale Monasterium, sed potiùs conservatorium ad instar suprà enunciati Turris Speculorum, ac attestationem, seu declarationem quamplurium aliarum mulierum hujusmodi, quæ consimilem oblationem fecerant, quòd non habebant animum se obligandi solemnibus votis regularibus.

Ista itaque erant fundamenta, quæ per utramque Partem respectivè circumferebantur; Verùm reflectendo ad veritatem, more Judicis potiùs, quàm Advocati, ut in congressibus pro directionibus causarum haberi solitum faciendum est; Mihi videbatur, quòd omnia præmissa argumenta, hinc inde essent æquivoca, atque de facili solubilia; Ad instar eorum, quæ *sub t. de Benef. disc. 14. & 59.* ac etiam *sub tit. de præeminent. disc. 2. & seq.* & in aliis habentur super signis Ca- 9
thedralitatis, vel Collegialitatis Ecclesiæ, quoniam multa sunt signa, & argumenta, quæ Cathedralitati, vel Collegialitati congruunt, illamque comprobant, ut sunt, Arca, Sigillum, Missa Conventualis, syndicus, Celebratio dedicationis, Nomen Capituli, & similia; Et tamen ista signa verificari solent etiam in iis Clericorum Congregationibus, vel Adunantiis, seu Communiis quæ in plerisque Parochialibus, vel simplicibus Ecclesiis locorum habentur.

Idemque circa enunciativas, seu nomina, vel vocabula, quoniam, ut docet praxis præfatæ Domus Turris Speculorum, aliarumque similium enunciatarum suprà, *hoc eod. tit. disc. 50. & sub t. de Jurisd. disc. 45. & sub altero de Dote, disc. 5. & 167.* & alibi, etiam hujusmodi conservatoria appellantur Monasteria, ipsæque oblatæ nuncupantur Moniales, earumque in habitu, & in aliis figuram faciunt, vel è converso, atque ut nimium frequenter in omni penè materia advertitur, præsertim verò *sub tit. de fideicom.* omnium levius, ac majoris fallaciæ argumentum videtur illud, quod à verborum, seu vocabulorum formalitatibus deducatur.

Dicebam itaque, quòd præcipuus punctus erat in indaganda substantia veritatis, vel rei quidditate, & in animo Pontificis, qui in Monasteriis Urbis ex insinuatis *suprà, hoc tit. disc. 32.* & alibi pluries duplicem gerit personam, 10
sive figuram facit, Unam scilicet Summi Pontificis, & alteram Episcopi particularis, ac Ordinarii loci; Et an ipse, sive ex una, sive ex altera, vel ex utraque persona verum regulare Monasterium Monialium erigere, & approbare voluerit.

Quidquid etenim sit de quæstione, an illud Apostolicum beneplacitum, quòd cumulativè cum consensu Ordinarii loci ex veriori, hodieque recepta sententia requiratur in fundationibus Conventuum virorum, ex deductis *supr. disc. 29. & seq.* requiratur etiam in fundationibus Monasteriorum Monialium, vel sufficiat sola approbatio Episcopi ex iis, quæ pro utraque sententia habentur deducta per Faguan. *in cap. grave, de off. ordinar. n. 53. & seqq.* & qui licèt concludere videatur, ut sola Episcopi authoritas sufficiat, fatetur tamen *n. 69.* quòd de stylo saltim in Italia non permittuntur novæ fundationes Monasteriorum Monialium, inconsulta Sacr. Congregatione Episcoporum, & Regularium, quæ prius diligenter examinat tam provisionem temporalem ad præscri-

ptum

ptum enunciatæ Constitutionis Bonifacii Octavi *in c. periculoso, de Regularib. in 6.* quàm etiam mores, & regula vivendi, talisque est inconcussa praxis.

Adhuc tamen in Urbe, in cujus negotiis dicta Sac. Congregatio se non ingerit utramque personam gerit Papa, quamvis per diversa organa ejus voluntatem explicare soleat in negotiis scilicet spectantibus ad Episcopatum per organum Vicarii; In aliis verò spectantibus ad Pontificatum per organum Secretarii Brevium, vel Secretarii Status, aut Datarii, aliorumque similium Officialium.

11 Ad istam itaque voluntatem indagandam, ad ea argumenta recurrendum est, quæ à negotii qualitate, vel subjecta materia resultant; Potissimum verò, ac principaliter à stylo Datariæ, & Cancellariæ, aliorumque ejus Magistratuum & Tribunalium, ut apud Mantic. *dec.* 214. Greg. & add. *dec.* 150. *& passim*.

Dupliciter igitur nimiùm clarè desumi videbatur Papæ voluntas non erigendi istum locum in formale Monasterium regulare; Primò nempè ex eodem insinuato Sac. Congregationis stylo extra Urbem, quòd scilicet moderno tempore post Concilium Tridentinum, & enunciatas S. Pii V. & Gregorii Decimitertii Constitutiones non introducuntur puellæ in locum, neque in eis susceptio habitus,
12 vel emissio solemnis professionis permittitur, nisi prius per Vicarium, vel alios, quibus ipse Papa committat, locus materialis visitetur, an sit bene constructus pro custodia clausuræ, & commoditate Monialium; Ac etiam an sit benè provisus redditibus, & supellectilibus aliisque necessariis, præfiniendo numerum, ac etiam dotem, nec non approbando institutum, seu modum vivendi; Hisque peractis ab alio Monasterio assumi solent duæ Moniales professæ provectæ tanquam Magistræ, & institutrices in vita religiosa, quorum nihil in præsenti secutum fuerat, dum præfata nobilis Matrona, sæcularis, & nupta privata authoritate, & spiritu pietatis, & devotionis, in ejus domo hujusmodi puellarum adunantiam, vel Congregationem fecerat, paulatim verò in hanc formam ad instar Monastici Status idem locus reductus fuerat.

Et secundò fortiùs, quoniam postquam Concil. Tridentinum innovavit præfatam Constitutionem Bonifacii Octavi *in d. c. periculoso*, magis verò, ac strictius idegerunt præfatæ Constitutiones Plana, & Gregoriana, super clausura rigorosa, tam ab intra, quàm ab extra, quòd sci-
13 licet Moniales non egrederentur Monasterium, neque personæ sæculares in illud introducerentur, nisi pro usibus necessariis, adeòut etiam ipsismet Episcopis, vel Prælatis ingressus ita visitationis occasionem prohibeatur, numquam Sedes Apostolica, præsertim intra Italiam, erectionem novi Monasterii, vel continuationem antiqui, sine ista rigorosa clausura permisit; Atque si aliqua ultra Montes dignoscitur permissio, ista nimiùm rara est, cum maxima difficultate, ad preces Magnorum Principum, cum speciali hujusmodi Constitutionum derogatione secuta; Et per consequens nullatenus dicendum est, quòd stante ista inconcussa observantia per sæculum, & ultra, ita implicitè, & per argumenta in ipsamet Urbe, istud novum, ac præjudiciale exemplum introduci voluerit.

(Ac proptereà advertebam quòd defectus clausuræ nimiùm considerabilis erat, non quidem in ratione requisiti essentialis professionis solemnis, status regularis, sed in ratione
14 voluntatis Papæ, non concedendi fundationem Monasterii, sed potiùs approbandi hanc piam, & laudabilem mulierum Congregationem, seu adunantiam, in una domo benè administrata, juxta frequentem usum, quem hodiè habemus desumptum ex dicto celebri exemplari domus Turris speculorum, ex insinuatis *d. disc. 45. de jurisd. & disc. 167. de dote, & suprà hoc eod. tit. disc.* 50. Ideòque aliod est considerare clausuram tanquam requisitum essentiale professionis regularis; Et aliud illius defectum considerare, ad arguendam Pontificis voluntatem, non erigendi formale Monasterium; Atque in hoc consistunt adeò frequentia sæpiùs declamata modernorum pragmaticorum æquivoca, quòd attendendo in littera juris propositiones in abstracto veras, non reflectunt ad congruam applicationem.

Magis verò solemne dicebam esse alterum æquivocum præfati assumpti deducti ex text. *in c. un. de vot. in 6.* quòd
15 scilicet illud dicatur solemne votum, quòd in aliqua domo emittatur super observantia alicujus regulæ per Sedem Apostolicam approbatæ; Ita etenim esset dare quòd aliquibus viris, vel mulieribus, cum privata authoritate in aliqua domo se congregantibus, atque vivere statuentibus sub regula Sancti Benedicti, sive alicujus ex quatuor Mendicantibus, illa domus esset verè regularis, ipsæque personæ verè religiosæ, quo nil absurdius.

Clariùs verò quoniam penè omnes antiquæ Religiones per Sedem Apostolicam approbatæ, hodiè non remanent in
primævo suæ fundationis statu, sed in parte relaxatæ, vel 16
alteratæ fuerunt, unde tractu temporis ex earum singulis, quamplures aliæ inter se diversæ prodierunt Religiones, vel Congregationes, seu reformationes, (ut ex. gr. loquendo de hac eadem regula S. Augustini) illa instituta fuit circa finem quarti, vel initium quinti sæculi, eamque, sub diversis tamen, magis largis, vel strictis institutis, pro singularum Cathedralium, vel Metropolitanarum Ecclesiarum, vel religionum qualitate receperunt earum canonici, aliique clerici, qui regulares dicebantur, deindeque ab eadem prodierunt tot diversæ canonicorum regularium Congregationes, vel militiæ, aliaque instituta; Ac etiam post plurium sæculorum decursum prodiit religio Eremitarum, quæ prius dicebatur Guglielmitarum, hodie verò dicitur Augustinianorum, istaque pariter in tot Congregationes, & reformationes divisa est, cum institutis inter se nimiùm diversis; Idemque in Religione S. Benedicti divisa in tot Congregationes enunciata suprà, *hoc t. disc.* 19. & in illa S. Francisci divisa, in Conventuales, in Observantes, in Reformatos, in Capuccinos, in illos Tertii Ordinis, in Recollectos, in Discalceatos, ac plures alias Congregationes ultra montes, cum similibus; Et per consequens nimis improprium est dicere ita in genere, quòd profiteri unam ex his regulis absque dubio per Sedem Apostolicam probatis, ad id sufficiat, dum oportet deducere ad speciem Institutum particulares ab eadem Sede approbatum, adeòut legitimè professus in Religione (ex. gr.) Minorum Observantium, si velit facere transitum ad Religionem Minorum Conventualium, vel Minorum Capuccinorum, seu tertii Ordinis, quamvis omnes profiteantur regulam S. Francisci, adhuc tamen ultra authoritatem superiorum, requiritur nova professio prævio novo novitiatu; Quinimò in eadem religione S. Augustini, si ab illa canonicorum regularium, ad alteram Eremitarum, vel etiam in eadem Eremitarum, ab illa calceatorum ad alteram discalceatorum, vel è contra, ut pluries à S. Congreg. Episcoporum, & regularium declaratum fuit cum similibus.

Vel ubi in usu sit antiquus stylus enunciatus *sub t. de jurisdict. disc.* 29. *& suprà dicto disc. 19. hoc tit.* quòd scilicet ejusdem individuæ religionis Monasteria in forma singu-
lari administrentur, adeòut non adsit universitas, vel re- 17
spublica, sed quodlibet Monasterium stet de per se, quoniam professio emissa in uno Monasterio, in illo tantum continet contractum correspectivum, non autem in altero, quòd aliquod diversum institutum, seu modum vivendi habere potest.

Et quòd magis est, etiam in ipsamet individua particulari religione, vel Congregatione, quæ sub eisdem Generali, & Provincialibus superioribus, aliisque Prælatis ad formam universitatis, vel Reipublicæ gubernetur, adeòut professus in uno loco dicatur professus in universa illa Religione, cum mutatione domicilii de loco ad locum juxta placitum Superiorem, adhuc professionem emittere debet in illo Monasterio, quòd per superiores ad id destinatum est, ut contingit in illis Conventibus, vel Monasteriis, quæ, pro novitiatu sunt in universa Religione, vel in ea Provincia destinati; Atque, Hierosolymitana religione est unicus Conventus Melevitanus; Ex ea convincenti ratione, quando cùm professio contineat contractum correspectivum hinc inde obligatorium, Religionis scilicet, & ipsius Profitentis, idcircò oportet ut emittatur coram illo, qui per ipsam Religionem deputatus est, atque ab ea habet mandatum ad ipsam obligandum, ut pluries in præcedentibus advertitur, præsertim *disc.* 40.

Ex his autem, quæ procedunt in religiosis sexus mascu-
lini, manifesta resultat illatio ad Moniales, quoniam istæ 18
non constituunt aliquam Religionem per speciem reipublicæ, vel universitatis, sub ejusdem superioribus Generalibus, vel provincialibus, ut faciunt viri cum transitu de uno Monasterio ad alterum, sed quodlibet Monasterium regitur de per se, independenter, atque licèt plura adsint Monasteria in eadem Civitate sub eadem regula, puta S. Claræ, vel S. Francisci, sive S. Benedicti, aut S. Augustini in genere, attamen unum Monasterium, vel institutum est magis latum, & alterum magis arctum sub diversis vivendi modis.

Igitur manifestus error est, cum dicta generalitate procedere, quoniam est quidem valdè professionis regularis, necef-

necessarium requisitum, ut sic sub aliqua regola per Sedem Apostolicam approbata, seu approbatio debet esset specifica in ea speciali, ac præciso statu, ac instituto, in quo, servatis aliis de jure servandis, adsit ille, qui facultatem habeat obligandi Monasterium, qualis in Monasteriis Monialium dicitur Ordinarius loci, sive in Monasteriis exemptis est ille Prælatus, cui Sedes Apostolica in exemptivo privilegio id commiserit; Hæc autem omnia in præsenti deficiebant, & per consequens signa, & argumenta utpotè æquivoca, & apta etiam convenire Conservatoriis, non concludebant.

Ista etenim signa, & argumenta, ubi alia in contrarium
19 non adsint, rectè operativa sunt, in Monasteriis antiquis, ante Concilium, & ante modernas Apostolicas Constitutiones, dictique styli introductionem fundatis, non autem in Monasteriis modernis, quorum fundatio hodie non datur nisi cum præfatis requisitis, ac diligentiis; Multò verò magis dum concurrebant alia argumenta, & adminicula contraria, superius recensita, quæ sola, & de per se non essent apta distinctionem Monasterii jam in ea statu constituti, & probati cum vehementibus argomentis; Secùs autem ubi deserviant ad comprobationem ejus, quod ipsa loci qualitas, ob defectum clausuræ, regulariter præseferat.

Nullius autem ponderis videbatur constitutionum confirmatio, etiam in forma specifica, quoniam ut advertitur
20 in sæpiùs allegatis *discursibus* 43. *de jurisd. & disc.* 50. *supra, hoc eod. tit.* etiam sæcularium mulierum, vel oblatarum Conservatoria, vel Congregationes, & adunantiæ sub aliquo pio, & Ecclesiastico instituto reguntur sub jurisdictione, ac visitatione Ordinarii loci, in iis quæ spiritualitatem concernant; Ac propterea congruit, ut eorum leges, & Constitutiones pro recta administratione, & regimine Ordinarii loci, vel Pontificis approbationem habeant, non inde tamen ex ista inferri potest ad formalem erectionem monasterii in forma omninò insolita.

Magni faciendæ quoque videbantur tot attestationes,
21 & declarationes, tam plurium personarum, quæ de voluntate fundatricis erant consciæ, quàm earundem omnium mulierum concorditer, cùm nullatenus verisimile esset, quòd omnes æternæ salutis immemores esse debeant; Prout ut magnum præbebat argumentum obtenta exemptio privilegiativa à jurisdictione Parochi, quæ aliàs necessaria non fuisset, si de vero Monasterio regulari ageretur; Atque cum his simul juncta benè operativa videntur alia leviora argumenta ex verborum formalitate, ut supra deducta, quia nempè diceretur oblatio, & non professio, atque diceretur Congregatio, non Monasterium, cum aliis, de quibus suprà.

MAJORICEN. FUNDATIONIS CONVENTUS,

PRO PP. CAPUCCINIS,

CUM PP. OBSERVANTIBUS.

Casus disputatus in Congregatione particulari.

De eadem materia, de qua suprà, *disc.* 39. *cum pluribus seqq. & præsertim disc.* 31. super nova fundatione Conventus Mendicantium per veritatem, reluctantibus aliis consimilibus Mendicantibus.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Quod reprimi debeat licentia procedendi ad novas erectiones de facto.*
3 *De rationibus ob quas desideratur consensus aliorum religiosorum.*
4 *Quomodo intelligi debeat lex, quæ desiderat consensum aliorum mendicantium.*
5 *Quale sit prejudicium, quod in hoc proposito debeat attendi.*
6 *Dantur similia in idem comprobandum.*
7 *Quod ista sint quæstiones potiùs facti, quàm juris, & quomodo decidi debeant.*
8 *Expedit quandoque, ut diminuatur antiquus status pro novis fundationibus, vel erectionibus.*
9 *De æmulatione virtuosa, & proficua.*

DISC. LXVII.

INtroductis in Civitate Majoricen. Capuccinis, cum omnibus illis consensibus, qui enunciantur suprà, *disc.* 29. *& in aliis seq.* adeò ut alia non adesset oppositio nisi illa Minorum Observantium, duos Conventus in Civitate, aliosque plures in Regno habentium, juxta casum controversum, de quo suprà *disc.* 31. in quo Observantibus se opponebant Capuccini; Deputata desuper aliquorum Cardinalium particulari Congr. atque proposita causa, alia non adfuit difficultas, nisi illa non paritionis cuidam rescripto, ut pendente determinatione dicti Patres de facto introducti discedere deberent; ideòque dictum fuit, quòd doceatur de paritione, & in hac parte benè, ut ita reprimatur licentia procedendi de facto ad hujusmodi erectiones per populum, & clerum sæcularem, ipsosque regulares introducendos. 1

Quatenus verò pertinet ad merita negotii principalis, ut mihi plures Cardinales Congr. retulerunt, ex tunc docto de paritione, conclusa fuit resolutio pro nova fundatione; Et meritò, quoniam, ut dicebam scribendo ad instantiam Civitatis, & Regni pro dicta fundatione, duæ sunt rationes, ob quas, tam ex diversis privilegiis particularibus aliquarum Religionum, quæ ob communicationem videntur effecta pene universalia, enunciata suprà, *disc.* 33. quàm ex Decreto Clem. VIII. de quo *d. disc.* 31. desideratur consensus aliorum Regularium, quorum oppositio attendenda venit; Una nempè æmulationum spiritualium in Confessionibus, & prædicationibus, ac funeribus, & sepultura, aliisque divinis; Et altera ob præjudicium quæstuationis, & eleemosynarum. Prima ratio non videtur adaptabilis huic instituto, dum Religiosi in eorum Ecclesiis non admittunt sepulturas, & funera, minùsque prędicant, neque confessiones audiunt, sed anachoritico more profitentur vivere ab aliis segregati, vacantes vitæ contemplativæ potiùs, quàm activæ, ideòque ista ratio cessabat, ut advertitur suprà, *disc.* 33. Et alterius accessabat consensus aliorum Regularium existentium intra canonas contentas in privilegiis, & quibus magis illa congruebat. 2 3 4

Hinc proinde quæstio restringebatur ad alteram rationem præjudicii quæstuationis, atque in hoc, etiam cum sensu veritatis, dicebam idem, quòd habetur suprà, *d. disc.* 31. ac etiam observant Pasqualig. ad Franch. *tit. de fund. nov. Convent. n.* 480. Novar. *in prax. jur. pent. f. conclus.* 11 *seu* 12. *n.* 4. & similes, quòd scilicet cum ista lex habeat explicitam, vel implicitam rationem præjudicii eleemosynarum, & mendicationis, idcirco spectari debere ejus finis, vel effectus; Quando etenim nova fundatio præjudicare potest religiosis verè mendicantibus antiquioribus; tunc illa non est permittenda, ex regula quod non debet discooperiri unum altare, ut alterum cooperiatur; Secus autem ubi potest utrique remanere consultum. Quare punctus est in applicatione hujus theoricæ ad factum.

Siquidem generaliter, & in abstracto semper novę fundationes, & introductiones ejusdem Instituti Mendicantium per veritatem videntur pręjudiciales, utpotè tollentes jus accrescendi, quoniam id quòd unis detur, si isti non adessent, per devotos daretur aliis, istaque erat ratio, cui oppositio innitebatur, sed malè; quoniam id rectè procedit intra limites congruentiæ, & honestatis, quando scilicet nova introductio impedimentum præstaret, ut in antiquo Conventu sustentari non posset decens numerus Religiosorum, adeòut ejus majestas vilesceret, sive disciplina regularis pateretur illud detrimentum, quòd consideratur in Constitutionibus Greg. XV. & Urb. VIII. super prohibitione erigendi novos Conventus, in quibus sustentari non valeant ad minùs duodecim, non autem ut ista oppositio sit ad luxũ, pro sustentatione numeri excessivi; Non quòd restrictio facienda sit ad pręcisum numerum duodenarium, cùm id practicandum sit juxtà qualitatem locorum, sed ut adsit discreta moderatio, adeòut oppositio non sit ad dictum excessum, in cujus casu intrare debet arbitrium S. Congreg. pro moderatione, ad instar eorum, quæ habentur *disc.* 6. *de praem.* super novis erectionibus cathedralium, ad terminos Extravag. *Salvator*, ut non attendatur oppositio, quæ non habeat justum motivũ diminutionis ejus congruæ sustentationis, & majestatis; Sive ad instar eorum, quæ habentur *disc.* 79. *de serv.* ut scilicet concedatur vicino facultas retrahendi rem vicini pro constructione novi conspicui ædificii ad ornatum publicum, sed cum debita moderatione, non ut efficiatur magnum palatium ad luxum exuberantem, cum similibus. 5 6

Ac propterea, hujusmodi quæstiones dicendæ veniunt potiùs facti, quàm juris, certam, non habentes regulam, utpotè decisionem recipientes ex singulorum casuum circumstan- 7

ſtantiis pro qualitate locorum, & populi, & per conſequens intrat vera, & in praxi frequenter recepta concluſio, quòd quando de jure requiritur alicujus conſenſus, qui injuſtè, & ſine probabili ratione denegatur, tunc illum ſupplet Judex, vel ſuperior.

Applicando autem ad rem, præſupponebatur, quod re-
8 ligioſi oppoſitores in ipſamet Civitate habebant duos magnos, nimiùmq; numeroſos Conventus, quodque ob qualitatem Civitatis, & populi, abſq; diminutione conſueti numeri potuiſſent quoque iſti novi Religioſi congruè ſubſtentari. Sed quando etiam iſtud præſuppoſitū non omninò ſubſiſteret, adeòut oportuiſſet diminuere aliquem numerum, adhuc tamen dicebam, quòd hoc arbitrium interponendum erat juxtà eoſdem ſuprà enunciatos terminos novarum erectionum Cathedralium, vel Parochialium, quoniam omnis nova erectio pernecceſſè, & de ſui natura eſt præjudicialis, ob diſmembrationem territorii, & populi, quam ab una facere oportet, ſed non attenditur quando oppoſitio ſit ad luxum,
9 & exceſſum, non autem ad congruentiam. Magis etenim expedire dicebam, quòd in iſtis antiquis Conventibus reſecaretur numerus exceſſivus, quàm ut impediretur hæc nova introductio, tum ad ſatis faciendum devotioni, ac pio deſiderio populi; Tum clarius quia introductio aliorum Religioſorum pœnitentium eandem rigoroſam obſervantiam regulæ, præbebit ſtimulum antiquis benè vivendi, ac exactè obſervandi idem inſtitutum; Ideòque dicitur ſpecies æmulationis virtuoſæ, & proficuæ.

FOROLIVIEN. ERECTIONIS MONASTERII

PRO ARCHIPRESBITERO ASPINO,

CUM MARCHIONE ALBICINO, ET ALIIS,

Caſus diſputatus in S. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium.

An nova fundatio Monaſterii Monialium Impediri poſſit per vicinos ex eo, quod eis præjudicet in aſpectu, vel proſpectu: Vel per Religioſos in vim privilegiorum ſuper diſtantiam cannarum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti ſeries.*

2 *Expenditur, diſc. 18. de Servit. & de differentia inter illum caſum, & iſtum.*

3 *Quòd non expedit conſtruere Monaſteria in locis commodis, & habitatis.*

4 *Quando locus erectionis, penetiat ſubſtantiam, erectionis.*

5 *Quod expediat vicinis quandoque erigi Monaſteria, & de ratione.*

6 *Privilegium diſtantiæ religioſorum non intrat in erectione Monaſteriorum Monialium, & de ratione.*

D I S C. LXVIII.

Archipreſbyter Cathedralis Aſpinus, & ejus germana
1 ſoror, quæ in ſtatu cælibi, & virginali propriæ domi uſque ad ſenectam vixit, cupientes totum aſſem Deo dicare, determinarunt in domo propriæ habitationis erigere Monaſterium ſub invocatione Viſitationis, juxtà regulam S. Franciſci de Sales, cum aſſignatione aliorum bonorum annui redditus ſcutorum trecentum decem circ. pro dote, ſub ea lege, quòd dicto Archipreſbytero præmoriente, dicta ſoror ibi recipi deberet in unam ex monialibus; Cùm autem huic erectioni ſe opponerent aliqui Religioſi cum privilegiis cannarum, de quibus ſuprà, *diſc.* 33. ac etiam Marchio Albicinus, ex eo quòd ita præjudicaretur conſpicuo ejus palatio exiſtente in conſpectu, in S. Congreg. Epiſcopor. & regularium, ſine cujus licentia, ut ſæpius inſinuatum eſt, hujuſmodi novæ erectiones ſequi non poſſunt; Hinc aſſumpta diſputatione; cùm artificiosè ex parte oppoſitorum, & præſertim ultimi, controverteretur factum, impugnando plantam, de ordine Congregationis factam per Epiſcopum allegatum ſuſpectum, ut ita res in longum protraheretur, idcircò nulla facta reſolutione mandatum fuit novam plantam confici debere per unum ex Epiſcopis viciniorībus, atque in hoc ſtatu, quòd ſciam, cauſa pendet.

In una itaque diſputatione, in qua Ego ſcripſi; Cùm ſcri-
2 bentes pro oppoſitoribus magnum peneque totum fundamentum conſtituerent in meis jam editis *diſcurſibus* 18. *& ſeqq. de ſervit.* à quibus omnia deſumebantur, cum aliquo tamen majori ſuperfluo allegationum, & regularum cumulo, ea exornando; dicebam etiam cum ſenſu veritatis, quòd licèt de ſtricto jure ibi deducta extranea revera eſſent à caſu quæſtionis, cùm præſertim *in diſc.* 18. agatur de præjudicio, quòd per novum ædificium unius Monaſterii Monialium inferatur alteri conſimili, in quo viget particularis ibi conſiderata ratio perpetuæ clauſuræ, non adaptabilis domibus ſecularium; Adhuc tamen quando ageretur de nova erectione facienda ex alicujus defuncti pia diſpoſitione in genere, ſive ex aliis bonis ad id deſtinatis proprietate, vel ex Civitatis, aut loci commoditate, & decore, abſque certi loci præciſa deſtinatione, tunc ex ratione congruentiæ, & honeſtatis admittebam, ut recipienda eſſent ea, quæ ibi dicuntur, cùm tali caſu nil interſit erectionem in uno potiùs, quàm in altero loco ſequi, ſed ſolùm ſpectetur ipſa ſubſtantia erectionis in genere, idcòque intraret æquitativum axioma, ut quòd uni non nocet, & alteri prodeſt, &c. Potiſſimè quia mihi ſemper inconveniens viſum eſt, quando ratio particularis non urget, ut in præſenti, fieri hujuſmodi novas erectiones in loci habitatis ob notabilia incommoda exinde reſultantia non ſolùm dominis domorum adja- 3
centium, ſed etiam publicæ commoditati incolarum, ut notoria praxis in Urbe docet, aliiſque Italiæ Civitatibus præſertim in Neapolitana, quòd adeò multiplicata forèt in vitioſo exceſſu monaſteria occupant nobiliora, & commodiora palatia, aliaque ædificia.

Verùm in hac facti ſpecie hujuſmodi conſiderationes non intrare dicebam ex eo, quòd locus non ſtaret ſolùm accidentaliter, ac proptereà Judicis officium, vel arbitrium ex præfatis conſiderationibus interponi poſſet pro erectione in loco diverſo minùs præjudiciali, ſed locus reſpiciebat po- 4
tiùs ſubſtantiam erectionis, aliàs non ſecutæ cum præjudicio publico, cujus magis, quàm privati ratio habenda eſt, quod ſcilicet eatenus iſti pii diſponentes hoc opus peragere volebant, quatenùs aſſequerentur id quod de B. Cæcilia legitur, *ut domum meam Eccleſiam conſecrarem*; Potiſſimè quod unus eorum erat mulier, quæ cupiebat ibi perpetuò vitam ducere, ob illam affectionem, quam omnes, præſertim verò mulieres contrahunt in ea domo, in qua natales habuerunt, ac ſemper vixerunt, deducendo in id modernum exemplum in Urbe de Cardinali Gimnaſio, & Catharina Nepte, quod Monaſterium nuncupatum de Gimnaſiis ordinis S. Tereſiæ in parte propriæ domus ob conſolationem habitandi adjacenter, erexerunt, aliàs fortè non erecturi, cum ſimilibus; Et per conſequens æquitativæ conſiderationes non intrabant, ſed potiùs retorquebantur, atque huic parti aſſiſtere dicebam regulas generales aſſiſtentes cuicunque volenti ædificare in ſuo, ut ceſſante æmulatione, non curetur de præjudicio, quod vicino reſultet, ex deductis *diſc.* 1. *& ſeqq. d. tit. de ſervit.*

Clatiùs verò in hac facti ſpecie, in qua oppoſitoris potiùs 5
intereſſe videbatur iſtud monaſterium conſtrui, dum ita reddebatur magis tutus ab omni ſervitute aſpectus, vel proſpectus, tum quia in planta ſupponebatur quòd è conſpectu ejus domus, vel palatii nullæ conſtruerentur feneſtræ, tum quia ubi etiam eſſent conſtruendæ, offerebatur id quod tam de juſtitia, quàm de honeſtate eſt faciendum, ut inſinuatur *eod. tit. de ſervit. diſc.* 19. *& ſeq.* quod ſcilicet ex parte Monaſterii moderniotis conſuli deberet aſpectui, & proſpectui, non autem cogere vicinos ad patiendum præjudicium in propriis domibus, dum aliàs illa domo obveniente ad manus alterius privati, qui de præſenti, vel tractu temporis eſſe poſſet æque dives, & potens, ita conſtrui poſſet majus, & altius ædificium longè majoris præjudicii utique non impediendi, & per conſequens dicebam, quod ita hæc oppoſitio convincebatur æmulatoria, utpotè potiùs oppoſitori damnoſa, & præjudicialis; Atque ad id comprobandum deducebam practicum exemplum in Urbe Monaſterii S. Catharinæ de Rota è conſpectu inſignis palatii Ducis Matthæi, quod utique longè magis intereſt dominorum iſtius palatii adeſſe in eo ſitu iſtud Monaſterium, quàm ſi ille ſitus efficeretur de dominio alicujus privati divitis, ac potentis, qui conſimile magnum ædificium in eo conſtruere poſſet.

Quo verò ad aliam oppoſitionem Religioſorum illa vide- 6
batur prorſus improbabilis, omnique diſputationis dote indigna, utpotè nulli innixa fundamento, ſed eſſet fortè ad complacentiam, & gratificationem ejuſdem vicini, ut ita ejus oppoſitio aliquod majus haberet fomentum, quoniam ut advertitur ſuprà, *diſc.* 33. & alibi, hujuſmodi privilegia

ſuper

super distantia unicè fundantur in ratione evitandi æmulationes in Ecclesiasticis functionibus, quæ ratio nullatenus adaptari potest Monasteriis Monialium, ita docente communi usu in ipsamet Urbe, aliisque Civitatibus, quòd passim in erectionibus hujusmodi Monasteriorum Monialium non desiderantur illi consensus, qui in novis fundationibus Monasteriorum, & Conventuum virorum ob cessantem rationem sequirentur.

Facit ad precedentem discursum sequens decisio.

R. P. D. PIO,

Tarentina Fabricæ.

Veneris 25. Junii 1694.

PAtres Conventus S. Petri Imperialis, Ordinis Prædicatorum Tarenti, ut impedimentum præstarent instructioni fabricæ, quam ad Ecclesiam in ampliorem, ac sublimiorem formam erigendam peragere intendunt moniales S. Joannis Baptistæ Ordinis S. Benedicti ejusdem Civitatis, appellarunt à sententia contraria favore dictarum monialium in Partibus lata, causamque interjectæ appellationis hic in Curia cor. A. C. Tomato prosecuti fuere, ubi tamen denuò succubuerunt; At adhuc non acquiescentes in ulterioris appellationis decursu novam commissionem a signatura Justitiæ mihi dirigi curarunt; Quapropter dato Partibus dubio, *An sit locus constructioni fabricæ*; eoque in Rota sub die 15. Junii 1692. disceptato, dilata fuit resolutio, & rescriptum; *quod conficeretur mappa*, qua judicialiter expleta, deindeque ab Architecto elevata, atque ab altero Architecto diligenter revisa, tandem in hodierna audientia recensitum dubium reproposui, cui DD. placuit affirmativè respondere.

Assistit siquidem Monialibus notissima sanctio textus *in l. Altius 8. Cod. de servit. & aq.* per quam unicuique in proprio solo usque ad sidera ædificium extollere permittitur, etiamsi vicino officiatur; quam in terminis ædificiorum præjudicantium monasteriis, & Ecclesiis caonnant Carol. Marant. *controv. tom. 3. resp. 21. num. 2. & seqq.* Capon. *discept. forens. 381. n. 5. tom. 5.* Rot. cor. Celso *dec. 375.* & cor. Ubago *dec. 92. utrobique n. 1. & in rec. dec. 272. parti 1. n. 1. par. 19.* confirmata 30. Januarii 1679. §. *Illius enim validitas*, coram bonæ memoriæ Rondinino, & contra eosdem Patres Prædicatores Civitatis Gerunden. *dec. 587. 599. 611. per tot. par. 5. tom. 2. rec.* dummodò tamen id non fiat ex causa æmulationis, quæ nedum non præsumitur in Monialibus fabricantibus ad majorem Divini Cultus augmentum, Rota *d. dec. 272. n. 3. & 4.* Verùm hæc prorsus cessat ex legitima causa utilitatis, atque necessitatis Monasterium nimis angustum ampliandi, atque Ecclesiam sub decentiori forma construendi, ut habetur ex Testium depositionibus *summario in præsentiarum. 2. litera C.* testantur Capitulum, & Magistratus, *summario num. 3.* & referunt Periti *summ. n. 4. lit. B.* quo casu cessat omne dubium ulterior fabricæ prosecutio impediri non potest, optimè Rot. cor. Coccino *dec. 2209. n. 16. & seq. & n. 24. & seq. latè in recent. dec. 31. n. 2. & seq. par. 17. & d. dec. 272. n. 4. par. 19. & in eorum confirmatoria §. 3. demum*, coram Rondinino.

Neque ad evertendam hanc juris assistentiam Patres prædicti objicere valent, quod hic agitur de loco publico, proindeque limitationem reciplat regula tradita per text. *in d. l. Altius*, ad præscriptam censuram alterius textus *in l. prima, ff. de quib. in loc. publ.* Cyriac. *controv. 667. n. 28.* Mans. *cons. 228. n. 8.* Namque præmisso, quòd Ritus, in quo fabricam construere nituntur Moniales, ad easdem spectet, ut deponunt Testes *aitato summ. n. 8. littera A.* ideòque etiamsi cæteris Civitatibus inserviret; non tamen viæ publicæ nomine meretur insigniri; sed haberi debet pro privata via; Scipio Theodor. *allegat. 48. num. 5. & 9.* emit exceptio ex eo, quòd Portulani Civitatis Tarentinæ, qui juxta Romanorum leges Ædiles appellantur, facultatem fabricandi prævia necessitatis cognitione elargiti fuerunt *summ. num. 2. lit. B.* quod jure eis permittitur, dum non agitur de via publica militari, & consulari; in quibus terminis intelligendæ sunt contrariæ authoritates, sed de ignobili, & angustissimo vico vicinali, vulgò *Cloaca* nuncupato, & concessio fit dumtaxat quòad usum pro commodo non magis privato, quam publico; non autem quòad proprietatem, cùm tunc supremi Principis beneplacitum requireretur, Becc. *cons. 15. n. 4.* Surd. *dec. 42. n. 6.* & in omnem casum cum exceptio ista sit de jure Tertii, ea certe juvari nequeunt Patres Prædicatores, absque eo, quòd illam ad solam æmulationem videntur promovere, ut regulariter Rota *decis. 669. n. 17. par. 18. tom. 1. & decis. 389. num. .... par. 16. recent.*

Haud refragante, quòd ex novæ fabricæ constructione obumbrabitur Ecclesia Patrum, unde provenire poterit insalubritas aeris ob carentiam ingressus, & egressus ventorum, atque ulterius Maris aspectus impedietur, quibus concurrentibus de jure prohiberi potest novum ædificium ad celebrem constitutionem Zenonis *in l. penultima, C. de ædific. privat.* Angel. *in l. Imperatores, ff. de servit. urban. Prædior.* Hondend. *cons. 81. num. 1.* aliique adducti à scribentibus pro Partibus. Tum quia hujusmodi exaggerata præjudicia evitantur ex facto; cùm Ecclesia fabricanda, quæ erit altitudinis *palm. 57.* depressior evadet per palm. 5. sphæra coronali Ecclesiæ Patrum, cujus altitudo est palm. 62. prout benè constat ex planta elevata *præsent. summ. n. 1. litera I. & O.* ex relationibus Peritorum, *eodem summ. n. 1.* ac demum ex depositionibus Testium, *summ. præteritæ informationis, n. 2. litera D. & num. 5. litera C.* tum etiam quia ex illis nullo modo vetita censetur novi operis ædificatio, præsertim in solo proprio, nec inde æmulatio deduci valet, ut de prospectu maris, montium, & similium latè docent Gizzius *in add. ad Capyc. latr. observat. 50.* & ibi Manfrell. *a num. 5.* Card. de Luca *de servit. disc. 1.* Capon. *discept. for. 168. per tot. tom. 3.* & latius Aloys. Capac. *in allegat. ibidem impress. num. 10. cum seqq.* ubi quòd dicta Constitutio Zenonis abiit in desuetudinem, Mont. *discept. 35. num. 43.* Rota coram Celso, *dicta dec. 375. à num. 5.* ubi articulo maturè discusso, deciditur, Constitutionem Zenonis non esse attendendam tanquam apocripham, & insertam in nova Codicis impressione facta Venetiis ab Antonio Contio Græcæ disciplinæ curioso, *& in recent. d. dec. 272. n. 10. par. 19.* & de ingressu Solis, & Ventorum salubrium, Card. de Luca *de servit. disc. 2. n. 5. & 6.* Capon. *discept. forens. 382. n. 41. tom. ....* Rubeus *de validitate leg. cap. 10. à num. 36.* Rota *in dicta dec. 272. à n. 7. par. 19. confirmata 30. Junii 1679.* coram bon. me. Rondinino.

Minusque refert, quòd ex Constitutionibus Apostolicis Clementis VIII. Greg. XV. & Urbani VIII. prohibeantur novæ constructiones Monasteriorum, non servata certa distantia in eisdem præscripta. Quoniam quidquid sit, an illæ in magnis Civitatibus, hodiernis temporibus amplius practicentur, quod constanter negant Sorb. *in adnot. ad Cassan. in compend. privileg. fratrum Minor. & aliorum Mendicantium, & non Mendicantium ad verb. ædificare, in principio de privileg. Regul. tom. 2. in adnot. ad Constitut. 7. Julii Secundi, §. Primo, fol. 1 9. col. prima*, Tambur. *de jure Abbatiss. tom. 3. disp. 5. q. 3. n. 2.* Card. de Luca *de Regul. disc. 68. n. 6.*

Cessat nihilominus in præsenti earundem Constitutionum dispositio, vel quia non adaptatur ratio finalis, ob quam emanarunt, nimirùm obviandi præjudicio aliis Regularibus inferendo in quæstionibus, & administratione Sacramentorum, quæ considerari non possunt in erectionibus Monasteriorum Monialium, ut in simili de erectione Hospitii, Card. de Luca *de Regularibus, disc. primo n. 67.* Rota coram Dunozetto Juniore *dec. 982. num. 2. & in recent. dec. 124. num. 77. par. 12. dec. 275. n. 5. par. 18.* & in famigerata Hispalen. fundationis Hospitii 25. Januarii 1683. §. *non autem, coram Rever. Hispaniarum Nuncio, & 3. Aprilis 1648. §. Sacri*, cor. bonæ memoriæ Albergato, *& 9. Februarii 1685. §. Siquidem*, coram bonæ memoriæ Benincasa. Vel etiam quia memoratæ Constitutiones loquantur de novis Monasteriis propè alia erigendis, non autem de veteribus jam erectis, qui sunt termini nostræ quæstionis, respectu quorum certum est, quòd neque unquam prohibitum legitur novum fabricæ augmentum, tametsi veteri contiguo Monasterio adversetur, ut distinguunt Rodriquez *quæstion. Regul. tom. 2. quæst. 50. articul. 9. post med.* Tamburin. *de jur. Abbatiss. tom. 3. disp. 5. q. 1. n. 9.*

Majorem denique animadversionem non promeruit alterum objectum petitum ex confusione Sacræ Psalmodiæ, ac scandalo, quod fortassè exoriri posset ex allocutionibus Monialium cum Patribus, ad quod evitandum Concilium Agathense *can. 28.* demandavit Monasteria Monialium longiùs a Monasteriis Monachorum ædificari, aut propter insidias Diaboli, aut propter hominum allocutiones, ut obser-

observat Tamburin. *de jur. Abbatiss. disput. 25. quaest. 1. num. 4.* Quandoquidem confusio Psalmodiæ redditur impossibilis ob adeo considerabilem distantiam 70. palmorum inter præsentem Patrum Ecclesiam, & futuram Monialium intercedentam, ut liquet ex sæpè citatis relationibus Petitorum, quando etiam minor ad hoc effectum exuberet, Rota *in d. Neapolitana fabricæ 12. Junii 1679. §. Quod autem*, cor. bo. me. Rondinino.

Dispositio autem Concilii Agaten. obesse non poterit, quia canon illa adducitur per Gratianum, non ad effectum statuendi, ut in universum veritum esset ædificare Monialium Cœnobia propè Monachorum Conventus; Sed ad hoc, ut impostèrum prohiberentur Monasteriorum duplicium Monachorum erectiones, nempè & Monialium insimul cum Monachis vitam degentium, quod antiquitùs ex regula S.Basilii permittebatur, ut adnotant Gloss. Archidiac. & Turrecremat. *ad c. Definimus 21. ex 7. Synodo desumptum*, q. 1. & disertè probant Joan. Diatris. *in Commente, caus. 18. q. 2. in fine, fol. mihi 22. col. 2.* Rodriq. *quæstion. regular. tom. 1. q. 44. art. 1. sub n. 1.* Basil. de Poote *de impedim. matrim. c. 6 §. Hinc factum est*, Suarez *de Relig. tom. 4. tr. 8. lib. 1. c. 10. sub num. 1.* Theophyl. Rayon. *in differt. de fobr. frequen. mulier. per facr. homin. oper. tom. 12. Miscell. sacr. fol. 303. col. 1. in princip.* Ultra quod Ecclesia fabricanda non habet fenestras ad aspectum, ut ex planta, & sic evanescit excogitatum inconveniens allocutionum Patrum cum Monialibus.

Et ita bis causa proposita; utraque Parte acriter informante, &c.

POTENTINA HOSPITALIS, PRO COMMUNITATE CIVITATIS POTENTIÆ.

Casus disputatus in Congregatione super statu regularium, resolutus pro Communitate.

De eadem materia, de qua *disc. 12. de donat.* An scilicet bona assignata, seu elargita pro erectione Monasterii, vel Conventus, ob istius suppressionem redeant ad concedentem necne? Et an id procedat ubi agatur de concessione Hospitalis facta Religioni, ut illud administret?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series cum resolutionibus.*
2 *Bona donata in erectione, an in casu suppressionis redeant ad donantem?*

D I S C. LXIX.

CUm in Civitate Potentiæ adesset pia Domus sub dominio, & administratione Communitatis, in qua Hospi-
1 talitas exercebatur, secuta fundatione aliàs enunciatæ Religionis Hospitalariorum nuncupatæ, *fate ben fratelli*, eadem Communitas de anno 1598. præfatos Religiosos convocavit, eisq; dictam domum cum bonis, & redditibus concessit sub lege administrandi Hospitalitatem, juxtà eorum institutum, & sub diversis aliis pactis, & conditionibus, cum clausula, *non aliàs, aliter, nec alio modo*; Cùmque per Constitutionem Innocentii X. secuta esset suppressio omnium parvorum Conventuum Italiæ, in quibus substentari non possent sex Religiosi, inter quos fuit iste, atque Episcopus cum authoritate Congregationis super statu regularium, inaudita tamen Communitate, applicasset domū, ac bona, & redditus seminario; hinc post secutam ejusdem Episcopi mortem, Communitas recursum habuit ad eandem Congregationem, à qua prodiit resolutio pro reintegratione Conventus dictorum religiosorum; quatenus esset practicabilis, ut supponebatur, quòd scilicet quidam alii assignarentur redditus, ut propterea ad formam dictæ Constitutionis sex religiosi in eo vivere possent, sin minus restituerentur antiquo, ac primævo statui sub administratione communitatis; Resolutio tamen remansit sine effectu, & mortis ex dispositione text. *in c. 3. tot. tit. ne sede vacante*, expectando novum Episcopum, qui adiri debeat.

In infutmatione autem ad Communitatis instantiam de-
2 super edita, dicebam, quòd in isto casu non intrabit quæstio disputata per Fagnan. *in c. relatum, ne Cler. vel Mona. h. n. 39. & seqq. & de qua disc. 12. de donat.* an scilicet bona donata pro erectione jam effectuata alicujus Conventus, vel Monasterii ob istius suppressionem redeant ad donantem, quoniam opinio negativa, quam veriorem profitetur Fagnan. ubi suprà, & practicat dicta Congregatio, procedit quando donatio facta est ipsi religioni, vel ipsi Conventui, cui bona sint jam quæsita, atque de ejus dominio effecta. Sed non erat iste casus, quoniam communitas non donavit domum, & bona Conventui, vel religioni, sed solùm eidem domui, non immutato ejus statu, ac destinatione præfecit istos religiosos tanquam ministros, & operarios magis aptos, & opportunos, per quos hospitalitas melius exerceretur, ita convertendo in substentationem religiosorum id quod impendere aliàs oportebat in mercedibus, & substentatione ministrorum, & inservientium sæcularium, ideòque immutatio ministrorum non causat dominationem, & abdicationem, ac translationem dominii respectivè; & per consequens ex defectu applicationis ad factum dicebam etiam pro veritate, quòd extranea esset dicta quæstio, indebitèque in isto casu practicatum esset, id quod generaliter dispositum est de applicatione bonorum, ac redditum hujusmodi suppressorum Conventuum in alios usus pios arbitrio Episcoporum.

R O M A N A P R Æ C E D E N T I Æ, P R O S A C E R D O T I B U S CUM ALIIS RELIGIOSIS ORDINIS B. JOANNIS DEI.

Casus disputatus coram Cardinali Protectore, cum resolutione, ut infrà.

An Sacerdotibus istius Ordinis debeatur præcedentia suprà alios, qui nullos Ordines sacros habeant, quamvis ratione antianitatis, ac munerum sint in Religione digniores?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series, & de instituto istius Religionis.*
2 *Subditi non debent, nec possunt habere præcedentiam supra Superiorem.*
3 *Decanus in Collegio præcedit omnes etiam digniores.*
4 *Parochus in Parochia præcedit omnes.*
5 *De ordine hierarchico attendendo in regulatione præcedentiæ.*
6 *Canonici in sacris præcedunt antiquiores, qui non sint in sacris.*
7 *An in hoc attendatur inhabilitatio ad Prælaturas, & Officia.*

D I S C. LXX.

CUm in hoc Ordine modernorum Hospitalariorū nun- 1
cupato, *Fate ben fratelli*, fundato per B. Joannem Dei, renovatus esset antiquus usus regularium, quòd non clericarentur, quoniam stante obligatione, quam habent inserviendi per se ipsos Infirmis in operibus mechanicis, & vilibus incongruum prudenter, ac piè à fundatore reputatum fuit id peragi per Sacerdotes, aliosque in sacris Ordinibus constitutos, idcircò omnia munera Religionis etiam illa Prælati Generalis, & Provincialium, ac Priorum, aliorumque Officialium localium sunt penès illos religiosos, qui non sint in Ordinibus constituti, aliqui verò ex eis efficiuntur Sacerdotes pro administrandis Sacramentis, aliisq; divinis, infirmis existentibus in Hospitalibus, adeòut ibi dicantur Parochi, ut in specie advertitur *disc. 23. de Parochis*, istique exempti sunt à dictis servitiis, & oneribus, sed è converso sunt incapaces munerum, & Officiorum religionis; Hisque sic stantibus nata est præcedentiæ controversia inter Sacerdotes, & alios qui ratione Officiorum, vel antianitatis essent in Religione digniores, atq; vel ex concordia, vel ex Papæ rescripto assumpta desuper disputatione coram Cardinali Protectore Ordinis, ut audio, nulla desuper prodiit sententia, vel determinatio expressa, sed quòd ejus sensibus oretenus explicatis, servetur, ut post Prælatos, & Superiores actuales, quales sunt Generales, Provinciales, Prior, & Vicarius localis, & fortè alii juxta leges, vel mores, Ordinis, & qui actuales Superiores, & Prælati dici possunt, Sacerdotes præcedant alios, quamvis ratione munerum, & Officiorum aliàs exercitorum, vel ratione antianitatis isti essent de jure digniores, idque mihi scribenti pro Sacerdotibus visum est probabile.

Quatenus etenim pertinet ad præcedentiam Prælato- 2
rum,

tum, ac superiorum, licèt quòad ordinem sint minùt digni, adhuc tamen id videtur omni jure deberi ob incongruentiam, ut subditi præcedentiam habeant super Superiorem, ut docet praxis in capitulis Cathedralium, ac etiam Basilicarum Patriarchalium Urbis, & similium, quòd licèt adsint Canonici constituti in dignitate Episcopali, imò Patriarchali, adhuc tamen super eos præcedit Vicarius Episcopi, vel respectivè Archipresbyteri, quamvis esset simplex Clericus in minoribus, cùm præcedentia non detur personæ, sed Officio, ac muneri, ob incompatibilitatem, ut membra sint suprà caput; Ideòque ut advertitur *in relat. Curia* loquendo de Tribunalibus, & Collegiis; quamvis in eis adsint constituti in ordine Sacerdotali, vel Episcopali, imò Patriarchali, adhuc tamen eos præcedit Decanus,
3 qui sit inferior ordine, ea eadem ratione, quòd repræsentat caput, ipsi verò repræsentant membra, ac propterea apud Doctores passim deduci solet exemplum Episcopi, qui tanquam Scholaris sit in scholis, quòd subest Rectori occupanti primum, ac digniorem locum, ex eadem ratione, Ideòque Egomet scribens pro Sacerdotibus in hac parte dabam manus quòad superiores actuales.

Quo verò ad alios æquè subditus, qui pro instituto Religionis, vel ob reliquias munerum, & Officiorum peractorum, vel ratione antianitatis essent digniores, dicebam etiam
4 cum sensu veritatis pro Sacerdotibus respondere debere; Tum ex eo quòd in hujusmodi Hospitalibus, & Conventibus ipsi sunt Parochi non solùm infirmorū, sed etiam ipsorummet Religiosorum, ut *in d. disc. 23. de Parochis*, Ideòque Parochus in Parochia præcedere debet omnes, qui alias essent digniores, ut *disc. 21. de praced. & alibi*, quod tamen motivum non videtur tutum, quoniam verè ipsi Sacerdotes non sunt Parochi, sed istius partes gerunt tanquam Vicarii, & Ministri in solo exercitio jure Parochialis residente penès ipsum Hospitale, vel ipsum conventum; Tum etiam, & ta-
5 tiùs ratione Ordinis Hierarchici, de quo *disc. 23. & 24. eod. tit. de praem. & disc. 40. in Miscell. Eccles.* Et fortiùs ex eo, quod habetur inter Canonicos, vel alios Beneficiatos ejusdem Ecclesiæ, quòd constituti in sacris præcedunt alios, qui non sint in sacris, quamvis antiquiores; vel aliàs ratione munerum digniores, quoties non sint superiores actuales; ut declaratum fuit per Sac. Congreg. juxta declarationes relatas pro Barbos. *in Summ. Apost. decisf. verb. Canonic. quoad locum, collect. 91. n. 2. & seqq.* Multò magis, dum per statuta religionis, seu per determinationes aliquorum Generalium, ac etiam per Sac. Congreg. ita declaratum supponebatur pro causæ Patronum in facto scribentem.

6 Et quamvis in contrarium magnum fundamentum constituatur in Sacerdotum incapacitate ad munera, & Prælaturas Religionis, quasi quòd ita alii, qui non sint Sacerdotes ex hujus Religionis instituto, in ea censendi veniant digniores; Attamen dicebam istud esse fragile fundamentum, quoniam id non provenit ex eo quòd alii declarentur digniores Sacerdotibus, sed potiùs ea majori dignitate, & reverentia Sacerdotum, ne cogantur subire illa servitia mechanica, & vilia, quæ eorum Ordini incongrua sunt, & sic id potiùs arguit majorem Dignitatem, & reverentiam juxta ea, quæ habemus in muneribus civitatum, quòd clerici, quamvis sint Cives sicut alii, attamen ex legibus, vel ex consuetudine locorum, non sunt eorum capaces, quoniam non congruit, ut se immisceant Officiis sæcularibus, per quæ retrahantur à divinis Officiis, non inde tamen infertur licet, quòd laici ob istam capacitatem sint clericis digniores, eisque præcedere debeant, cùm res sit in oppositum, ut *d. disc. 23. de praemin. & alibi*.

OXOMEN CONCORDIÆ,

PRO CAPITULO CATHEDRALIS RESIDENTE IN OPPIDO DE BURGO,

CUM PP. CARMELITIS DISCALCEATIS.

Casus disputatus in Rota cum incerto exitu.

An valeat, & sustineatur conventio, per quam Regulares priventur facultate tumulandi cadavera, & habendi sepulturas in eorum Ecclesia, vel Cæmeterio; sive id non faciendi sine licentia Cleri sæcularis?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De efficacia, & operatione transactionis.*
3 *Sub alienatione bonorum Ecclesia veniunt etiam jura incorporalia inter duas Ecclesias.*
4 *Quid per conventionem inter alios non prajudicetur tertio.*
5 *Per longissimam observantiam præsumantur solemnitates, & causa.*
6 *Ex quibus inferatur ad scientiam, & consensum populi.*
7 *Quando non sit alienatio prohibita utpote in acquisitione.*
8 *In specie de conventione non dandi sepulturam invito Parocho.*
9 *Antiquitus Regulares non erant Clerici, & non peragebant divina.*
10 Per Clem. dudum. de sepultur. *non est derogatum* cap. 1. & 3. de pact. in 6.
11 *Actus non potest dividi, sed debet recipi cum sua causa, & qualitate.*

D I S C. LXXI.

DE anno 1589. cùm Patres Carmelitæ Discalceati, seu S. Teresiæ cuperent fundare eorum Coheventum in Oppido de Burgo, ubi est residentia Episcopi, & Capitoli Cathedralis, se opponeret autem Capitulum, penes quod juxta penè generalem usum Hispaniarum pleriq; enunciatū *sub t. de Decim* absque distinctione Parochiarum residet cura animarum totius Oppidi, lina inter dictum Capitulū, & Provincialem deventum est ad concordiam, per quā præstante Capitulo consensum huic novæ fundationi; E converso Provincialis promisit, quòd Religiosi in eo permāsuri non prædicabunt in diebus, & horis, in quibus prædicaretur in Cathedrali, minùsque concederent alicui sepulturam, nisi de ejusdem Capituli licentia, cum aliis conventionibus ad rem non facientibus; Cùm autem post observantiam pacificam (ut ex hac parte præsupponebatur) annorum circiter 80. præfati Religiosi in vim eorum privilegiorum, & facultatum, contra formam concordiæ dedissent sepulturam aliquibus cadaveribus sæcularium; Hinc exorta lite coram Nuncio, à quo prodiit decretum super concordiæ observantia, atque ab eo per appellationem introducta causa in Rota cor. Vicecomite, datoque dubio, an observanda esset concordia, stante discordantia in facto inter causæ Patronos super retroacta observantia, dilata fuit resolutio, deinde, quæ ex parte Religiosorum petita, & obtenta remissoria; incertum est quid deinde secutum sit, dum vel ob illam mutationem defensorum, vel ob mei status mutationem, ob quam forum dimisi, amplius de causa actum non audivi. 1

Quamvis autem plures habitæ fuerint disputationes, nihilominus illæ fuerunt potiùs super incidentibus, concessionis scilicet, vel denegationis remissoriæ, ac etiam concessionis inhibitionis specialis, quæ ex hac parte petebatur, ne interim pendente lite, sepultura concederetur; Sed quatenus pertinet ad horum jus in negotio principali super dicto dubio, an concordia sit observanda, necne, unica, me scribente, habita fuit disputatio.

In hac itaque dicebam, quòd cùm huic parti assisteret regula pro validitate, & observantia concordiæ, quæ tanquam res judicata omnes decidit, ac dirimit quæstiones, ac extinguit prætensiones, & jura donec de medio tollatur, adeout non nisi de ejus executione, & observantia agendum sit, ex frequenter insinuatis sub diversis materiis, & præsertim *disc. 50. de alien. & contr. prohib.* ubi de aliquibus adnotationibus ad hanc materiam concordiæ; Hinc punctus erat in objectis, quæ duo erant, Primò nempè potestatis dicti Provincialis absque mandato universæ religionis, & sine beneplacito Apostolico, & causa necessitatis, vel evidentis utilitatis privandi Religionem, vel Monasterium, hoc jure sibi competente in specie ex privilegiis, & concessionibus Apostolicis, dum receptum est, quòd prohibita alienatio, de qua *in extr. Ambitiosa, cum Conc.* percutit etiam hæc jura incorporalia, quamvis agatur inter duas Ecclesias, vel duo corpora Ecclesiastica ex deductis *disc. 1. de alien. & contract. prohib* & alibi pluries, adeout adesse videretur consuetum detestabile vitium Scribentium pro Religiosis super magno superfluo cumulo allegationum in comprobatione hujus certæ, hodieque notoriæ conclusionis in suis casibus, dum in hac parte id non controvertebatur, ut in dies cum nausea contingit. 2 3

Et secundò, quòd ista conventio præjudicare non posset, nec deberet populo, qui in concordia non interveniret, suumque non præstiterit consensum, dum ita sibi ad imebatur libertas, ac facultas eligendi sepulturam, ideòque ada- 4

adaptari dicebant Scribentes in contrarium à simili, ac fortiùs ea, quæ habentur in pactis, & renunciationibus hæreditatis, & successionis tertii, cui præsertim non consentienti, vel consentienti, atque in ea voluntate non perseveranti, id præjudicare non debet, faciendo pariter desuper eundem superfluum, & inutilem cumulum in certo principio non controverso.

5 Admittendo itaque dictas conclusiones tanquam certas in suis casibus, dicebam pro frequenti consuetudine fallaciam esse in applicatione ad casum; Ubi etenim subsisteret facti præsuppositum, quod ex hac parte dicebatur certum, pacificè, scilicet, & continuatæ observantiæ per dictum spatium annorum octuaginta, tunc ita de plano tolli diceebam utrumque objectum, quoniam per observantiam longissimi temporis etiam 30. annorum; multò magis adeò diuturni, intrat præsumptio tam solemnitatum, & causæ ex deductis *eod.disc.1. de Alienat. & Contr.prohib.* non obstante Constitutione Urb.VIII.quam receptum est prodiisse contra seculares, ideòque locum non habere inter Ecclesiasticos, cum quibus adhuc procedit cum dispositione juris communis, ut ibidem, quàm etiam super præsumpto consensu populi juxtà ea, quæ à simili habentur suprà, *disc.* 33. Potissimè in conventione quæ habere videtur speciem notorii non solùm ob occasionem, ex qua illa prodiit, dum

6 fundatio ea ejusdem populi consensu, & desiderio secuta fuit, ejusque consensus quoque desideratur, sed etiam ratione subjectæ materiæ, quoniam quotidie homines moriuntur, & frequens est hodierna consuetudo ex motivo devotionis, vel intuitu confessariorum, & assistentium in infirmitate, & agonia, eligendi sepulturam in Ecclesiis Regularium, ideòque subsistente isto præsupposito, cessare videbatur quæstio in radice, atque occasio assumendi disputationem in puncto juris.

7 Verùm ubi seclusa observantia, agendum esset ex integro de hoc puncto tanquam in conventione recenti, adhuc tamen advertebam, etiam in sensu veritatis, non intrare dictos terminos alienationis, sed quòd potiùs ista esset illa species conventionis, de qua *disc.30 de Jurisd.* quod scilicet ad effectum obtinendi id. quòd non habetur, promittatur non usui alicujus juris, & privilegii alias competentis, ut in eo casu, quod obtenta fuit Ecclesia sub ea lege, ut Religiosi subjacere debeant visitationi Episcopi, adeòut non possint uti eorum privilegiis exemptivis, dum ita nihil alienatur, vel amittitur de bonis, & juribus jam obtentis, & possessis, sed obtinetur aliquid de novo, cum annexo onere, vel restrictione, ad instar novæ acquisitionis bonorum, quæ subjaceant censibus, & canonibus, vel servitutibus, aliisque oneribus; Quoniam imponere census, vel constituere servitutes, & onera super bonis, quæ jam possidentur est prohibitum *per Extrav. Ambitiosæ*; sed non est prohibitum in se accollare onera, sub quibus bona acquiruntur, dummodò ista non excedant valorem ipsorum bonorum, neque afficiant alia bona Ecclesiæ; Ideòque receptum est, quòd in acquirendis ista prohibitio non intrat, ut *eod. disc.1. de Alien.& Contract. probib. n.122. & alibi*, Cùm etenim ista fundatio sequi non posset absque consensu Parochi, & Cleri, quoties isté denegatur non suppleatur per Papam, vel per Sacram Congregationem, eatenus autem ille obtentus fuerit, quatenus adjecta fuerit ista qualitas, sine qua aliàs fundatio secuta non esset; Hinc dicebam in nihilo præjudicatum esse juribus Religionis, circa hujusmodi facultates alias ei competentes in Ecclesiis, & Conventibus jam fundatis, & possessis, quoniam ita Religio non solùm privata remaneret hoc accidenti, sed etiam ipsa substantia, quia Conventum, & Ecclesiam nullatenus haberet in loco, ideòq; sicut prohibitum non est, quod aliqui Religiosi voluntariè ex eorum instituto, vel stylo abstineant ab hujusmodi actibus, ut præsertim sequitur in Capuccinis, sive quòd in casu particulari declarent nolle officiare in Ecclesia, juxtà casum, de quo supra, *disc.* 33. cum similibus, ita nulla urget ratio cur ad ef-

8 fectum obtinendi id quòd non habetur, atque faciendi rem utilem Religioni, huic conventioni consentiretur, idque fuit solitum advertitur per Franc. *contrav. inter Episc.& regul. tit.de nov. fundat. n. 482. & seqq.*

9 Potissimè verò, & clariùs cùm ista conventio non contineat rem exorbitantem, atque tollentem ea jura, quæ ex antiquorum Canonum dispositione Religiosis jure suo nativo competunt; Quoniam ut insinuatur suprà, *disc. 1. & alibi*, antiquioribus temporibus Monachi, aliique Regulares erant prohibiti clericari, & habere Ecclesias, in quibus divina peragerent, sed more populi sæcularis subjacebant Parocho, ut etiam advertitur *sub tit. de Decim.* sed paulatim per privilegia, ad id habilitati fuerunt cum præjudicio Parochorum, quibus proinde reservata fuit portio canonica ex iis, quæ habentur pluries *sub tit. de Paroch.* in proposito quartæ, seu portionis canonicæ; Ideòque ista est reversio 10 ad jus antiquum, istaque est ratio, cui innixa est dispositio text. *in cap.1. & 3. de pact. in 6.* quibus derogatum non est per *Clement. Dudum de sepult.* ut per Barbos. *in collect. ad dict. cap. 1.* atque tanquam absolutum firmat, vel præsupponit moderous moralis Petrus de Murga *in tract. de sepult. tom.1. tract. 7. disquis. 6. dub. 13. pag. 285.* quam allegare oportet in hujusmodi irreperibilibus scriptoribus, & habetur *eodem disc.1. de Alien. & Contract. prohib. & dis.26. de Paroch. & alibi.*

Hinc sequi dicebam quoque responsionem ad alterum 11 objectum præjudicii populi, quoniam si iste Conventus non esset fundatus, utique populus non haberet usum hujusmodi facultatis; Igitur eodem modo quo suprà non potest actus dividi; Et per consequens dicebam, quòd non solùm in isto casu, in quo conventio inita est per primum Prælatum, & Rectorem istius Provinciæ, juxta terminos dict. text. *in cap.1. & 3. de pact. in 6.* sed ubi etiam inita esset per putum Conversum, vel Oblatum, aut simplicem sæcularem sine aliquo mandato, adhuc tamen intrares dilemma, quòd aut Religio volebat ratum habere actum ab eo gestum, aut non; Si volebat, prout de facto voluit, debebat conventionem observare; si verò nolebat, quòd dimitteret Conventum, atque Religiosi à loco discederent, utpotè non legitimè introducti, cùm inter essentialia requisita sit illud consensus Ordinarii loci, ac etiam Parochi & Cleri, qui ita deficere dicebatur, utpotè sub tali lege præstitus; Ac propterea aliquam concipiebam admirationem, quòd huic controversiæ tanta dubietatis, ac disputationum dos tribueretur ob individuitatem consensus, & actus, qui dividui non potest, nequi in parte acceptari, & in parte reprobari, repetendo quòad populum idem, quod suprà de statu antiquo super necessitate accedendi ad Parochiam absque hac libertate cum prohibitione Religiosorum hujusmodi functiones peragendi, quod tamen dicebatur ad superabundantiam dum populus non erat causa, sed opponebatur de jure tertii non conquerentis.

MONTIS CASSINI ABBATISSÆ,
PRO ABBATISSA ELECTA.

Casus disputatus in S. Congregatione Episcoporum, & Regularium, resolutus ut infrà.

De electione Abbatissæ, quando dicatur conclusa, & quatenus non concludatur, quomodo Prælatus debeat se gerere.

S U M M A R I U M.

1 *Quando dicatur conclusa electio Abbatissæ, & quid facere debeat Prælatus, ubi non concludatur.*
2 *Facti series cum resolutione.*
3 *Quomodo deferri debeat declarationibus Sacrarum Congregationum.*
4 *De lege particulari in electione Abbatissæ in Monasteriis sub Congregatione Cassinensi.*
5 *De quibus Monasteriis hæc lex loquatur.*
6 *De differentia inter Prælatos inferiores sub altero Ordinario, & illos qui sint Ordinarii cum territorio separato.*

D I S C. LXXII.

Terminato officio Abbatissæ Monialium Monasterii S. 1 Germani, cùm in nova electione Abbas Cassinensis tanquam Ordinarius intervenisset, Moniales autem ob scissuram votorum non concordarent in concludendo electionem pro duabus ex tribus partibus, quæ requiruntur juxtà declarationem Sac. Congregationis relatam per Barbos. *in Summa Apostolicarum dec. verbo Abbatissa, Collect. an. 3. n.19. & 20.* ubi Concordantes; Hinc Abbas observando 2 id, quod in eisdem declarationibus disponitur, replicando scilicet in diversis diebus scrutinia, præviis monitionibus, eisque adhuc non concordantibus, sibi benè visam Monialem deputavit; Quare Monialibus diversæ factionis recurrentibus ad S. Congregationem Episcoporum, & Regularium, cùm supponeretur in facto, quòd aliqua adfuisset violentia, vel præcipitantia ex parte Abbatis protegentis diversam factionem concurrentem cum illa, quam ipse deputaverat, rescriptum fuit, quòd unus ex Episcopis viciniori-

bus

bus explotaret voluntatem Monialium; habitaque istius Episcopi relatione mandatum fuit procedi ad novam electionem, principaliter ex motivis potiùs prudentialibus, & ex informationibus extrajudicialibus, juxta istius præsertim Congregationis stylum enunciatum *disc. 16. in Relat. Cur.* ubi de ista Congregatione agitur.

Istaque est ratio, cui innititur pluries enunciatum assum-
3 ptum, quòd scilicet nimiùm circumspectè procedendum est in deferendo determinationibus istius, aliarumque Congregationum Cardinalitiarum, non quòd magna non sit earum authoritas, dum Rota, aliaque Tribunalia profitentur eis reverenter deferre, neque audent contrarium judicare, ideòque multò magis in aliis Judicibus, & Tribunalibus inferioribus id procedit, sed quod reflectendum est ad distinctionem inter illas declarationes, quæ generaliter, & in abstracto emanant per viam oraculi pro interpretatione Concilii Tridentini, vel aliquarum Constitutionum Apostolicarum, & illas determinationes, quæ sequuntur in casibus particularibus, ob eorum circumstantias, ut etiam habetur *disc. 1. in adnot. ad Conc. Trid. & disc. 35. de Judic. & alibi*; Ac propterea irrisione digni censendi veniunt illi, qui alios non aperientes libros, nisi (ex.gr.) Barbos. *in dd. collect. Nicol. in flosc. & similes*, eo ipso quod inveniunt relatum, quomodo in aliquibus casibus decisum fuerit per Congregationem, absque alio discursu, vel reflexione, ad literam id attendunt, cùm id rectè procedat in declarationibus generalibus, quamvis prodiita occasione casuum particularium, non autem in hujusmodi determinationibus particularibus, quæ in eo casu præciso prodirent frequenter cum legibus prudentialibus, & ob aliquas circumstantias, quæ non adaptentur ad alios casus.

In hac verò facti specie, quatenus pertinet ad juridicum,
4 præsuppositum fuit processum esse ad infirmationem deputationis ob non servatam formam particulariter statutam per Constitutionem, vel motum proprium Greg. III. in Monasteriis istius Ordinis S. Benedicti sub regimine Cassinensium, registrat. *in Bull. Cassin. Constit.* 204. quòd scilicet Monialibus non concordantibus in duabus ex tribus partibus, debet Prælatus proponere tres Moniales, atque præficere illam ex eis, quæ habeat majorem partem votorum.

Quatenus itaque pertinet ad hoc motivum, dicebam scribens pro Abbatissa deputata, non benè ad rem applicari
5 hujusmodi Constitutionem, eò quia illa in verbis loquitur de Monasteriis hujus Ordinis existentibus sub regimine, & administratione istorum Religiosorum, & sic ubi Abbas, vel alter Prælatus Regularis interveniat solùm tanquam Prælatus Regularis Præpositus regimini Monasterii, quod sit in aliqua Diœcesi sub Ordinario loci, juxta generalem frequentiorem usum, non autem congruere huic Monasterio, in quo Abbas Cassinensis non habet illam simplicem administrationem, & superioritatem, quæ habetur in aliis Monasteriis ex sola ratione, quòd sint Ordinis, sed considerant tanquam Episcopus, vel Ordinarius loci, qualis est in hoc Oppido, tanquam in Territorio nullius; Quinimò apud Oppidanos opinio, ac prætensio est, quòd ejusdem Oppidi Ecclesia Collegiata sit vera Cathedralis, quòdque ejusdem Ecclesiæ Canonici constituant Capitulum, ut patet ex deductis *disc. 32. de praem.* Quamvis etenim ista prætensio nullum haberet fundamentum ex ibidem deductis, adeout reverà dicendus veniat Prælatus inferior.

Attamen quia nullus alius adest Episcopus tanquam in
6 Territorio verè separato, & nullius, est verus Ordinarius loci, ideireò dicebam, quòd illi non congruerent ea, quæ disponuntur de Prælatis Regularibus inferioribus sub loci Ordinario, sed potiùs ea, quæ disponuntur, & servantur in Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, Ac propterea sit casus non comprehensus in dicta Constitutione ob notabilem differentiam, siquidem in illis Monasteriis, quæ sunt sub regimine, & administratione hujusmodi inferiorum Prælatorum sub Ordinario loci, iste intervenire potest, si vult, in electione Abbatissæ, ut advertitur *disc. 37. in adnot. ad Concil. Trid.* ac etiam *suprà, disc. 1. & alibi*, necnon sibi commissa est visitatio, & custodia clausuræ, ut *in Sublacen. hoc eod. tit. disc. 18. & 26. de Jurisdict. & alibi*, quæ omnia cessant in isto casu, quoniam Abbas facit figuram Episcopi, & veri Ordinarii, ideòque alter Ordinarius non potest in eo se ingerere; Id autem reputatum fuit ingeniosum ratiocinium, quoniam cùm Constitutio loquatur generaliter de Monasteriis subjectis huic Congregationi, idcircò processum est cum regula generali, quasi quòd aliqua major jurisdictio, vel prærogativa, quam Congregatio habet potiùs in isto Monasterio, quàm in aliis existentibus in alienis Diœcesibus, non faciat differre in specie, & non tollat, quin dicatur Monasterium Ordinis, & illi subjectum.

SUBLACEN. MONASTERII,

PRO ABBATE SUBLACI,

ET CARDINALI COMMENDATARIO EJUSDEM ABBATIÆ.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, resolutus infrà.

An jurisdictio delegata super clausura Monasterii Monialium, quæ competit Ordinario in Monasteriis existentibus sub regimine, & Jurisdictione Prælatorum inferiorum, procedat ubi iste Prælatus sit ejusdem Ordinis, & ejusdem Monasterii dati in Commendam, penes quod sit Jurisdictio ordinaria?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *De fundamentis pro Prælato inferiori contra Episcopum.*
3 *Id quod obtinetur in vim concordiæ, dicitur obtineri jure suo primævo.*
4 *Respondetur ad fundamenta, de quibus n. 2.*
5 *De differentia inter Abbatem Regularem Monasterii, & Commendatarium ejusdem Monasterii.*

D I S C. LXXIII.

Antiqua lis diu agitata inter Episcopum Tiburtinum pro tempore, & Abbatem, seu Commendatarium celebris Monasterii Sublaci, quod est primum, ac originale Monasterium totius Ordinis Monastici in Ecclesia latina, super puncto de quo *disc. 2. cum plurib. seqq. sub tit. de jurisd.* An scilicet illud circumdarium, in quo existunt aliqua Oppida, & Castra subdita huic Monasterio in jurisdictione spirituali, & Episcopali etiam cum Clero, & populo sæculari, essent in dicta Diœcesi Tiburtina, vel potiùs in territorio separato, & nullius, sub Urb. VIII. sopita fuit per concordiam, per quam data quadam recompensa Episcopo stabilitum fuit territorium separatum cum cessione quorumcunque ejusdem Episcopi jurium; Cùmque sub Gregor. XIII. Cardinalis Columna in Oppido Sublaci fundasset cum Apostolica authoritate de anno 1583. Monasterium Monialium sub regula S. Benedicti, & invocatione S. Jo. Baptistæ, illudque commisisset curæ, & gubernio, ac jurisdictioni, & protectioni Abbatis Regularis ejusdem Monasterii, cujus ipse erat Commendatarius, hinc Cardinalis Carolus Barberinus Commendatarius de anno 1672. obtinuit à S. Congregatione Episcoporum, & Regularium declarari, quòd stante dicta transactione cum Episcopo Tiburtino, sibi competant circa clausuram Monialium, & alia contenta in Constitutionibus Apostolicis illa præsertim Gregor. XV. omnia quæ competunt Episcopis, & Ordinariis locorum, istaque declaratione sic stante, dictus Commendatarius prohibuit accessum ad dictum Monasterium Monialium sine licentia ipsius, vel ejus Vicarii Generalis, aliosque exercere cœpit actus delegatæ jurisdictionis contentos in dictis constitutionibus, & enunciatos pluries *hoc tit.* ac etiam *in Miscell. Eccl.* & alibi, quare Abbas recursum habuit ad præfatam S. Congregationem, quæ tamen stetit in decretis. | 1

In disputatione autem desuper habita scribens pro Abba- | 2
te more Advocati deducebam primò firmata apud Bich. *dec. 459. repet. dec. 373. p. 11. rec.* per quam decisionem dicebam causam decidi in individuo ad favorem Abbatis regularis contra Episcopum in regimine Monasterii ejusdem Ordinis. Et secundò, quòd cùm istud Monasterium fundatum esset per illum, qui erat Commendatarius, & tamen voluit dare hanc jurisdictionem, & superioritatem Abbati regulari, ita dicebam quòd adesset clara lex fundationis approbata per Sedem Apostolicam, ideòq; intrarent ea, quæ in puncto regiminis Monasterii Monialium sub regularibus contra Episcopum ob consimilem legem fundationis approbatam ab eod. Greg. XIII. habentur *disc. 27. de jurisd.*

Cùmque Scribentes pro Commendatario penè totũ fun- | 3
damentũ constituerent in novo jure, quod dicebant in eum superventum ex cessione dicti Episcopi Tiburtini, cujus personam ita repræsentaret; Respondebam, & in hac parte etiam cum sensu veritatis, quòd istud esset clarum æquivocum

quo

quoniam Commendatarii prædecessores, & ipsemet immediatus, qui dictam concordiam fecit, semper sustinuerunt litem super territorio separato, & vera qualitate nullius independente à dicto Episcopo, ideoque juxta pluries enunciatam sub diversis materiis naturam transactionis, & præsertim, *disc. 50. de alien. & cont. prob.* illi non tribuit jus novum, quod acquiratur ab altero transigēte, sed continuatur jure antiquo, & primævo proprio, ita assecurato ab incertitudine, & molestiis tanquam per remotionem obstaculi, & sic revera illud fundamentum erat fragile.

4 Reflectendo autem ad veritatem ab initio pro stylo requirentibus meam operam liberè insinuatam, habebam difficultatem, ideoque resolutio fuit juxtà votum quoniam in primis fallax erat fundamentum, quod constituebatur *in dicta dec.* Bich. tum ob difficultates, quæ in individuo contra eam considerantur, *disc. 18. de jurisd.* ideoque frustra repetendas, tum ob notabilem differentiam inter illum Abbatem regularem Monasterii Cassinensis, & istum; In eo etenim nullus adest Commendatarius, ideoque ipse Abbas est Prælatorum jurisdictione Episcopali, juxta ea, quæ de illo habentur *in Montis Cassin. jurisdictioni, vel Cathedral. sub*
5 *tit. de præm. in hoc supplemento, disc. 72.* unde est Prælatus in toto territorio etiam cum clero, & populo seculari, adeout faciat figuram Episcopi, quamvis in casu, de quo d. *disc.* Bich. revera ista qualitas in consideratione habenda non esset, dum monasterium non erat in ejus Territorio, sed in diœcesi alterius Episcopi; In præsenti autem Abbas regularis est solum superior Monachorum, & mensæ Monasterialis consideratur tanquam contradistinctus ab illo Abbate Monasterii, qui habet Territorium, & jurisdictionem ordinariam, & Episcopalem etiam cum clero, & populo, adeout Abbas regularis exceptis iis, quæ concernunt disciplinam regularem, & regimen Monachorum, & eorum mensæ, consideretur tanquam Vicarius, & minister ad negotia particularia Commendatarii, penes quem residere dicitur Prælatura vera & propria Monasterii, ne alias detur inconveniens duorum capitum in uno corpore, juxta ponderationes, de quibus *disc. 34. de jurisd. & hoc tit.* ac alibi *plures*. Et sic injunctum fuit huic Abbati regulari tanquam ministro, & Vicario Commendatarii Ordinarii, loci regimen, & administratio hujus monasterii, vel sibi tanquam Prælato regulari inferiori sub Ordinario loci, in cujus Territorio Monasterium situm est, dum ita oportet dare Ordinarium loci, penes quem resideat ista jurisdictio delegata cōtradistincta ab illa ordinaria, quæ in monasteriis exemptis residet penes Prælatos inferiores regulares, vel alias exemptos, istaque persona Ordinarii loci nullo pacto verificabilis videtur in persona istius Abbatis, qui dicitur talis impropriè, sive ad certum effectum tantum regiminis monachorum, & intra ambitum monasterii, non autem cum jure territoriali, & territorio.

NULLIUS REGIMINIS ET SUPERIORITATIS

PRO CARD. OTTHOBONO COMMENDATARIO, CUM CONGREGATIONE CAMALDULENSI.

Responsum pro veritate.

An Commendatarius Monasterii dicatur Judex superior Monachorum in eo degentium cum facultate deputandi Superiorem, & alia faciendi etiam circa vitam, & mores, ac disciplinam Regularem?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *[illegible] exempti subjacent Prælato Ecclesiæ, [illegible] in concernentibus cultum, & servitium ipsius Ecclesiæ.*
3 *De aliis [illegible], in quibus religiosi exempti subjacent Ordinario loci.*
4 *De historia super antiquo modo regiminis religiosorum, & moderno.*
5 *Quare in religionibus quæ reguntur ad formam Communitatis, debeant omnes subjacere eisdem superioribus Religionis?*
6 *Secus in altero casu, quod Monasteria regantur jure singulari.*
7 *Quando erecta sit Congregatio Camaldulensium Calceatorum.*
8 *De Observantia.*
9 *Respondetur ad Breve Pontificium, & quid contineat.*
10 *De alia responsione ad objectum in casu.*

D I S C. LXXIV.

A B anno 1468. ac etiam antea, quòd Monasterium S. Mariæ de Vangadititia nullius Diœcesi, commendatum fuit Cardinalibus, vel Prælatis, & Clericis sæcularibus, observantia dedit quòd Commendatarius in eo deputavit Priorem, collocavit monachos Congreg. Camaldolensis eosque visitavit, atq; alios superioritatis, & Prælaturæ actus gessit; Cùmque de anno 1625. Religiosi tunc temporis in hoc Monasterio existentes controvertarent hanc jurisdictionem, & superioritatem Commendatarii, iste desuper sententiam, vel decretum reportavit à Nuncio Venetiarum cum subsecuta executione, atque ita in posterum continuatum fuit. Cum autem Congregatio ista Camaldulensium Calceatorum habentium in Urbe Monasterium S. Gregorii, de ann. 1657. obtinuisset declarari per S. Congr. ac etiam per Breve Pontificium pro declarationis roboratione, quod ad Generalem, aliosque superiores, non autem ad Commendatarios pertineret jurisdictio supra Monachos degentes in hujusmodi Monasteriis commendatis, hinc cùm de anno 1664. Apostolica authoritate istud Monasterium commendatum esset qualificato Card. Otthobono prius Rotæ Auditor volumen ejus decisionum docet, ex istius parte pro veritate consultus fui, an præfatum Breve sibi obstaret, necne? 1

2 Negativè respondi in omnibus; Pro clariori autem resolutione, & ne clarum confunderetur cum turbido præmittebam plures casus, vel effectus distingui debere. Aut enim agitur de concernentibus cultum, & servitium Ecclesiæ, præscindendo à disciplina regulari & à causis personalibus circa mores, & alia; Et tunc planum esse dicebam, ut quacunq; exemptione non obstante subjaceant Commendatario tanquam Prælato, & Rectori illius Ecclesiæ, cujus servitio se addixerunt, juxtà ea, quæ habentur deducta *supra, disc. 64.* ac etiam *disc. 34. de jurisd.* frustra repetenda, in cujus casu agatur de Religiosis inservientibus in Ecclesiis titulorum Cardinalium; Illa etenim difficultas, quæ in eo casu habita fuit ratione contrariæ consuetudinis, in præsenti cessabat, dum observantia potiùs assistebat, ideòque firma remanent illa fundamenta.

3 Aut agitur de illis actibus, & casibus, in quibus regulares, exemptione non obstante, subjacent Ordinario loci ratione jurisdictionis delegatæ per S. Conc. Trid. & per Apostolicas constitutiones, etiam ubi agatur de eorum propriis Ecclesiis, quarum Ordinarius loci non sit Prælatus particularis, puta in concernentibus curam animarum, & administrationem Sacramentorum, & in concionibus, & processionibus, vel accessibus ad moniales, cum similibus, de quibus *supra, disc. 1. & plures sub tit. de jurisd. & Miscell. Eccl.* & alibi; Et tunc pariter pro Commandatario dicebam sine dubio respondendum venire, non ratione commendæ Monasterii, per quam repræsentet solum Abbatem, & Prælatum regularem, sed ex eo quod idem Commendatarius, ob qualitatem Territorii verè separati, & nullius cum plena jurisdictione Episcopali cum Clero, & populo, dicitur Ordinarius loci, ideoque sibi competit dicta jurisdictio delegata etiam cum Religiosis aliorum Monasteriorum, & Conventuum existentium in hoc territorio; Multo igitur magis in hoc Monasterio, cujus est etiam Prælatus.

Aut demum agitur de concernentibus disciplinam regularem, sive causas personales religiosorum circa mores, & alia necnon deputatione superioris, & collocatione, vel respectivè amotione Monachorum, cum similibus concernentibus regimen, & administrationem Monasterii, & ad quem casum verè, & propriè quæstio restringebatur; Et tunc præscindendo a dicto Brevi, cui respondebam, ut infrà; Quatenus pertinet ad articulum in genere, sive in abstracto advertebam pro tollendis æquivocis, & pro congrua determinatione puncti reflecti debere ad sæpius enunciatam Regularium historiam, de qua *supra, disc. 1. & disc. 5. cum plur. seqq.* ac etiam *disc. 28. de jurisd.* & alibi. Quod scilicet magna differentia est inter illa monasteria, quæ juxtà antiquos mores regebantur singulariter, & de per se absque dependentia ab aliis; Et illa quæ quodam jure societatis, vel universitatis reguntur ad formam Reipublicæ sub eisdem superioribus, & Prælatis generalibus, & provincialibus. 4

In isto etenim posteriori casu, qualis erat ille, de quo agitur *dicto disc. 34. de jurisd.* id quod ut supra declaratum fuit nimium cōgruum videtur, quoniam omnia Monasteria, vel Conventus, omnesq; Religiosi tam superiores, quam subdi- 5

ri pariformiter vivere decent cum eisdem legibus, & institutis & sub eodem Superiore, & Regulatore Generali cum crebris mutationibus de loco ad locum, prout stylus, vel opportunitas exigat, perinde ac si unum esset monasterium intellectuale, vel formaliter divisum in tot membra, vel partes materiales, & ac si esset unus Prælatus, & superior, qualis est ille, qui dicitur Generalis, qui in singulis locis deputet ejus Vicarios, & ministros ob impossibilitatem residendi ubiq; per se ipsum, ut occasione Generalis Ord. S. Dominici consideratur, *disc. 27. de praem.* magisque docet praxis in Generali Societatis Jesu; Et per consequens incongrua est mixtura Prælatorum Clericorum sæcularium habentium hujusmodi commendas, ne contra Divinum oraculum detur inconveniens arandi in bove, & asino, ut advertitur, *disc. 4. & 5. eod. tit. de praem.* ac etiam ne pandantur secreta Religionis, & ob quam rationem causæ religiosorum cognosci non debent extra Religionem, ac Prælatos Regulares, ut advertitur *supra, disc. 1.* & alibi *pluries.*

6 In altero autem casu, vel in altera specie regiminis singularis, & independentis, juxtà morem antiquum, istę rationes non ostant, quoniam regula quidem præscripta per fundatorem Religionis est omnibus communis in partibus essentialibus, sed modus illam observandi, tam in iis, quę concernunt præcepta, quàm & magis in iis, quę concernunt consilia, est diversus eodem modo quo ubique docet notoria praxis monasteriorum monialium ejusdem regulæ, ejusdemque instituti, ac etiam in partibus ultra montes, in quibus etiam in Monasteriis virorum adhuc idem viget usus; Eadem praxis docet quòd scilicèt in uno Monasterio cum strictiori, & in altero cum laxiori vita, & observantia vivatur; Ideòque intrat solùm controversia super subjectione Ordinarii inter illum, & proprium Prælatum regularem, quod pendet à privilegio exemptivo, juxta quæstionem, de qua *d. disc. 28. de jurisd.* & alibi; Sed quando idem gerit utramque personam, quia sit Ordinarius loci, ac etiam superior, & Prælatus Monasterii subrogatus loco Abbatis, qui juxtà antiquum morem haberet Abbatiam in titulum, juxta considerationes, de quibus *in Romana, & Placentina hoc eod. tit. disc. 76.* Et tunc cessare videtur omnis ratio dubitandi.

Applicando autem ad rem advertebam, quòd istud mona-
7 sterium cæterè non deberet sub Congregatione, vel universitate, ideòq; illi non congruerent ea, quæ de specie communitativa superius dicuntur, quoniam cùm antiquitùs in ista Religione, ut fortè generaliter in monachalibus servaretur stylus antiquus regiminis singularis, atq; cum exemplo, vel Cistercienium, in quibus legitur, priusquam in aliis, usus capituli generalis sub Innoc. III. in Concilio generali registratus *in cap. nuper, de decim.* vel cum exemplo Cassinensium de quib. *d. disc. 28. de jur. & hoc tit. d. disc. 76.* sub Martino V. vel Eugenio IV. ista sociativa unio decem & septem Monasteriorum Italiæ secuta esset sub Leone X. juxta illum regiminis modum, qui in specie hujus Congregationis enunciatur *supra disc. 3.* atqui inter hæc decem & septem Monasteria, interque hujusmodi societas contracta fuit, istud
8 non legitur, hinc sequi dicebam, quod remanebat in priori natura, fortius verò ob continuatam observantiam annorum circiter centum sexaginta in contrarium ad favorem Commendatarii, dum ita cessare videbatur omne dubium, dum pro istius remotione, quando intraret, sufficeret aliquod tempus quale ratione interpretationis, juxtà deducta, *disc. 51. de judic.* & alibi pluries, multò verò magis accedente centenaria, per quam allegari potest privilegium Apostolicum, & quicunque alius titulus de Mundo melior, ex deductis *eod. disc. 25. de judic.* ac etiam, *disc.* 3 *de alien. & contr. prohib.* & alibi pluries.

Hinc de consequenti dicebam nullam habendam esse ra-
9 tionem de prædicta declaratione S. Congregationis, ac Brevi ejus confirmatorio, non quidem ex aliquo defectu, sed ex non comprehensione, quoniam ex præmissis rationibus vigentibus in illis Religionibus, vel Congregationibus, quarum regimen est ad formam universitatis, vel Reipublicæ ut suprà, istarum respectu declaratio est justa, benèque fundata, sed ex defectu non comprehensionis Monasteriorum singularium, quibus dictæ rationes non congruunt; Nil etenim Papa, vel Congregatio concedere voluit de novo per viam gratiæ specialis præjudicialis tertio, cujus jus tolleretur; Tum quia id non præsumitur, juxtà satis vulgatam, nimiùmque frequenter insinuatam conclusionem de gratiis, & concessionibus Principum, ut intelligantur sine tertii præjudicio; Tum ob omissam derogationem regulæ de jure tertii quæsito non tollendo, sed solùm declaratum fuit id, quod de jure inest, atque de justitia debetur.

Unicam dubitandi rationem in eo consistere advertebam quòd recento dicto antiquo stylo regiminis singularis, Mo- 10
nachi in quolibet Monasterio fixè, & perpetuò addicuntur, ibique profitentur ut docet praxis in monasteriis ultra montes, & citra montes in Monasteriis monialium, ac etiam in Canonicis, & beneficiatis Cathedralium, & Collegiatarum Regularium, ex enunciatis, *disc. 3. cum duobus seq. de praem.* & alibi, ideòque præmissa non congruunt illis Religiosis, qui sumuntur de corpore Congregationis, atque tanquam addicti Reipublicæ, vel universitati uniformiter cum aliis vivere debent sub Prælato generali, & sub eisdem legibus, & crebris mutationibus.

Verùm observabam id esse quidem considerabile ad effectum, ut Superiores Congregationis non teneantur inviti assignare Monachos pro isto Monasterio, neque illos dismembrare a corpore, vel universitate, sed quòd Commendatarius sibi quærat Monachos, qui in ejus Monasterio professionem emittant, ibique perpetuò vivant segregatis ab aliis de Congregatione, nisi dicendum sit, quod in vim dictæ centenariæ allegari possit privilegium Apostolicum super isto necessario famulatu, adiostat ejus, quòd docet praxis in Religiosis, qui præficiuntur, vel assignantur servitio Pœnitentiariæ in tribus Basilicis Patriarchalibus Urbis. Sed posito quòd velit pati ut aliqui Religiosi pro commoditate, & exoneratione Religionis ejusque majori decore vivant in hoc Monasterio, exinde sequitur, ut pati debeant quòd illi subsint Prælato, & Superiori ejusdem Monasterii, qualis est Commendatarius, ita literis ejus Commendæ expressè disponentibus.

MAJORICEN. REDDITUUM,
PRO EPISCOPO
CUM MINORIBUS OBSERVANTIBUS, ET ALIQUIBUS CONFRATERNITATIBUS.

Casus disputatus in Congregatione Episcoporum, & regularium, resolutus pro Episcopo.

De incapacitate Minorum Observantium, & an Episcopus, non obstante eorum exemptione possit procedere contra debitores, & reddentes pro applicatione reddituum ad alios pios usus?

SUMMARIUM.

1 *De incapacitate Minorum Observantium, & quibus eorum bona applicentur.*
2 *Facti series, vel casus controversia.*
3 *Episcopus est executor piarum dispositionum, easque etiam ex causa commutat.*
4 *Non habens interesse non est audiendus.*
5 *Quomodo Religiosi incapaces dicuntur interessati super capacitate aliorum indirectè.*
6 *Interesse, vel jus mediatum non causat declinationem fori ex proprio privilegio.*

DISC. LXXV.

Postquam juxtà seriem, de qua, *disc. 11. de praem. & disc. 5. & 6. 16. & 19.* & alibi, Religio Minorum Observan- 1
tium separata fuit ab illa Conventualium, ita efformando duas diversas Religiones sub diversis Generalibus ista Observantiæ profitente Observantiam paupertatis ad præscriptum regulæ, juxtà ejus declarationes contentas *in c. exiit, de verb. sign. in 6. & Clem. exivi eod. tit.* adeòut *per Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 3.* statuendo regulam generalem capacitatis omnium Religionum, ista, & alia Capuccinorum tanquam per limitationem regulæ exceptuatæ fuerint, ex deductis *in anot. ad idem Concil. disc. 35.* Stantibus declarationibus, de quibus *eod. disc. 35. ad idem Concil. & suprà, disc. 1. & 35. & in aliis,* ac etiam *sub tit. de legatis, disc. 1.* quòd ista incapacitas non comprehenderet legata, aliasque pias dispositiones, quæ fierent pro Sacristia, seu infirmaria, & libraria, aut fabrica Ecclesiæ, & similibus; Sub hoc prætexto, vel pallio inolevit paulatim aliqua relaxatio prioris instituti, ut ad ipsorum religiosorum substentationem, & commodum acceptarentur, ac retinerentur bona stabilia; magis verò census, & alii redditus, adeòut quodammodo isti Religiosi viverent eodem modo ac Conventuales, & alii capaces, potissimè verò postquam adinstar ejus, quod antiquiori tempore secutum est inter hos Observantes, & Conventuales alia exorta est diversa vivendi forma inter eosdē ad differentiam nuncupatos de Familia cujusdam laxioris

in-

instituti, alios strictioris observantiæ, qui propterea Reformati nuncupantur, ex pluries insinuatis supra locis citatis occasione agendi de muneribus, & præcedentiis, ac etiam de transitu ab uno Ordine ad alium; Huic autem relaxationi etiam in familia, causa vis Capitulum generale anni 1625. provideri, prohibendo receptionem bonorum stabilium, ac redituum, utpotè contra institutum, atque leges in eodem Capitulo emanatæ ratione Apostolicæ confirmationis Urbani VIII. habentur registratæ in Bullario ejusdem Pontificis *Constitut.* 49. Unde secutum est quòd in plerisque loci in bonis, & redditibus hujusmodi erecta fuerunt beneficia Ecclesiastica sæcularia collativa, in aliis autem, in quibus receptum sit Tribunal Fabricæ S. Petri, ista hujusmodi redditus exigere, ac sibi applicare in vim ejus facultatem consuevit, & ubi istud Tribunal ministros non habeat, Episcopi exigere, aliisque piis usibus applicare consueverunt Declaratione postmodum ab eisdem Observantibus obtenta, ut solùm à sponte dantibus hujusmodi Census, & præstationes exigere possent, non autem petere.

2 Ad hanc verò legem fraudandam denunciatum fuit Episcopo, quod pecuniæ obvenientes ex eleemosynis aliisque piis dispositionibus investirentur in Census aliosque redditus ad commodum, & favorem istorum Religiosorum in hac Civitate, & Insula Majoricen. existentium sub nomine aliquarum societatum, vel confraternitatum sæcularium, erectarum in eorum Ecclesiis, & præsertim pro duobus numerosis Conventibus in Civitatibus, fierent in vestimenta sub nominibus societatum S. Mariæ Angelorum, & Conceptionis, quare Episcopus licèt cum ejus ordinaria authoritate posset, attamen obtinuit per literas in forma Brevis Apostolicã commissionem procedendi contra dd. Societates, & debitores, ac reddentes, ad effectum detegendi fraudem, eaque detecta applicandi dd. redditus in alios pios usus; In cujus commissionis executionem plerisque causis contra multos de Clero, & populo sæculari, easdemque societates introductis, institit Procurator generalis Religionis pro dictæ commissionis moderatione ex motivo exemptionis ipsorum Religiosorum à jurisdictione Episcopi, quòdque iste casus non esset de comprehensis sub jurisdictione delegata à Concilio Trid. & per Apostolicas constitutiones attributa Ordinariis, exemptione non obstante, ex insinuatis *suprà, disc.* 1. & alibi pluries, remissoque negotio consultationis S. Congregationis Episcoporum, & Regularium.

3 Dicebam scribens pro Episcopo, quòd reverà ista commissio nullam contineret exorbitantiam exemptioni, ac privilegiis Religionis præjudicialem; Quinimò quòd neque erat delegatio, quæ tribueret illam jurisdictionẽ, quam aliàs Episcopus non haberet, sed potiùs quandam excitationem propriæ, ac ordinariæ jurisdictionis, obtentam ad quandam exuberantem cautelam, quoniam causæ non agebantur cum ipsius Religiosis exemptis, sed cum illis de Clero & populo sæculari subditis eidem Episcopo, cui etiam subjacent dictæ Societates, ad effectum detegendi hanc fraudem, atque applicandi hujusmodi redditus Religiosorum incapacium in pios usus, juxtà ejus ordinarias facultates, ob quas Episcopus dicitur legalis executor omnium piarum dispositionũ cum facultate eas applicandi in alios pios usus, quando non sint practicabiles illi usus, pro quibus ipsæ dispositiones

4 factæ sint, ex collectis per Carp. *in ejus tract. de execut. testam lib* 1. *cap.* 21. *&* 22. *ac habetur disc.* 21. *in adnot. ad Conc.* ubi de hac facultate commutandi, absque eo quod ipsi Religiosi esse possint in causa; Ac propterea ratione eorum exemptionis declinarent hunc forum, ob dilemma inevitabile quod aut ipsi negando fraudem dicerent quod redditus hujusmodi non essent ad eorum commodum, & tunc exaudiendi non essent, ex regula, de qua *disc.* 17. *de judic.* & alibi, quòd non habens interesse non debet audiri, neque ad causam admitti. Aut fatentur fraudem, atque dicunt se principaliter interessatos; Et tunc stante jam statuta incapacitate pariter repellendi veniebant, ex eo quod non haberent jus, & personam standi in judicio, cùm solùm eis, ut suprà, indultum sit recipiendi à debitoribus sponte danti-

5 bus. Et quando etiam dici posset quod haberent interesse remotum, & mediatum, ut scilicet dd. piæ Societates in eorum Ecclesiis existentes hujusmodi census, & redditus exigerent jure, & nomine proprio ad effectum ut eisdem facere possent eas eleemosynas, aliasque pias elargitiones, quod cessante fraude, & collusione non videtur prohibitum; Ad-

6 huc tamen ob istud interesse secundarium, vel mediatum dicebam allegari nõ posse proprium privilegium propriamque exemptionem pro declinatione fori, cum sufficiat competentia cum eis, cum quibus tanquam possessoribus causa immediatè agebatur, ex deductis, *disc.* 63. *de jurisdictione*, & alibi.

ROMANA, SEU PLACENTINA PRÆEMINENTIARUM ABBATIALIUM.

PRO CONGREGATIONE CASSINENSI,

CUM ALIQUIBUS ABBATIBUS TITULARIBUS.

Casus disputatus in Congregatione Episcoporum, & Regularium, resolutus pro Congregatione.

An Abbates titulares morantes in Monasteriis sub Abbate actuali prætendere possint coæquales prærogativas competentes Superiori, & Abbati actuali, ac exemptionem ab ejus obedientia, & a servitiis? Et muneribus, quibus subjacent alii Religiosi in eo Monasterio morantes?

S U M M A R I U M.

1 F*acti series cum resolutione.*
2 *De antiquo modo regiminis Monasteriorum, & de hodierno.*
3 *Quales sint Abbates hodierni.*
4 *Et quibus gaudeant prærogativis, & quare.*
5 *Quibus prærogativis gaudeant Abbates titulares.*
6 *De eorum habitu.*

D I S C. LXXVI.

CUm aliqui Religiosi Ordinis Cassinensis Monasterii S. Pauli de Urbe obtinuissent ex gratia per Capitulum generale honoris ergo, creati Abbates titulares, obtenta etiam confirmatione Apostolica per Breve, sive per organum S. Congreg. Ac etiam quidam alius Religiosus Monasterii Placentinæ obtinuisset per viam Dataria in titulũ provideri de Abbatia antiquitùs actuali ultra mõtes, hodie occupata ab infidelibus; Hinc isti respectivè Abbates titulares plures excitarunt prætensiones. Primò nempè exemptionis ab onere se præsentandi superiori in egressu, & regressu more aliorum Religiosorum; Secundò super duplicato vestiario; Tertiò super digniori Sede post Abbatem regiminis; Quartò super jure habendi famulum ejus arbitrio eligendum, alendum à Monasterio aliis ministeriis non applicandum. Quintò super usu pulvinarium in Choro. Sextò super incessu in eo habitu in quo incedunt Abbates regiminis, istamque prætensionem præsertim habebat Abbas titularis Monasterii ultra Montes, ubi Abbates adhibent illum habitum prælatitium, quem in Italia adhibet solùm Præses Gene- 1
ralis; & septimo super exemptione à refectorio communi & cum latiori usu habitationis, & commoditatum; omnes autem hujusmodi prætensiones rejectæ fuerunt, & meritò absque alia inspectione juris ex solo fundamento Constitutionum Congregationis, magis verò ex altero observantiæ non solùm consimilium Abbatum titularium honoris gratia creatorum à Religione, vel per Breve respectivè, sed etiam illorum, qui fuerunt Abbates actuales Regiminis, quinimò Præsidentes Generales, ac propterea ita ex facto dirimi videbatur omnis quæstio, nullaque videbatur subesse necessitas adhibendi operam Juristæ; ut autem illam à Congregatione desideratam adhiberem, scribendo cõtra hujusmodi prætensiones pro generica earum rejectione, advertebam ad id quod habetur *suprà, disc.* 1. *& disc.* 28. *de Jurisd.* quòd scilicet antiquiori tempore omnes Religiones, vel Ordines, præsertim verò iste Ordo Monachorum nigrorum S. Benedicti, de quo in specie agitur *in c. cum ad Monasterium, de Statu Monach.* vivebant diverso modo quam de præsenti, quoniam singula Monasteria regebantur de per se, & singulariter cum suis Monachis ibi constituentibus Capitulum, & cum Abbate habente Abbatiam in titulum, & Prælaturam eodem modo quo etiam de præsenti practicant in plerisque Monasteriis ultra montes, præsertim occasione electionis Abbatis, vel ejus coadjutoria *in hoc supplemento sub tit. de Canon. & Capit. disc.* 33. occasione agendi de electione. Hodie verò in Italia diversus est ordo, vel modus, quoniam a temporibus Martini, vel Eugenii IV. quando sedato diuturno schismate in Concilio Constantiensi in plerisq; initium habuit ille novus ordo, qui hodie practicatur ad tollẽda inconvenientia, quæ ex isto modo singulari oriebantur, quod in uno Monasterio viveretur cum observantia regulæ in altero verò scandalosè, & cum relaxatione, erecta fuit ista Congregatio per quandam speciem societatis inter plura Monasteria, ut ita regerentur ad formam Reipublicæ, vel

Universitatis, quòdque ubique esset uniformis modus vivendi, cum crebra, & frequenti mutatione Abbatum, aliorumque Superiorum, ac etiam quando opportunitas exigat ipsorum Monachorum de loco ad locum, nuncupata proinde Congregatio Unitatis, vel B. Justinæ de Padua ratione loci, in quo hæc unio secuta fuit usque ad tempora Julii secundi, quando ex ejus concessione eadem Congregatio obtinuit Monasterium Cassinense priùs commendari solitum sub hac lege, ut ab eo tanquam capite Religionis, denominationem sortiri deberet, mutando singulis trienniis Abbates de loco ad locum, & quandoque breviùs, quando ita opportunitas exigat; & quandoque etiam ut illi qui per aliquod tempus fuerunt Abbates cum actuali regimine acquiescant; atque adinstar aliorum Monachorum subditorum sub alio Abbate vivant.

3 Eamde autem sequi dicebam quòd isti Abbates non sunt sicuti erant antiqui in Italia, & nunc sunt ultra montes ut suprà, fixi scilicet, & perpetui Prælati, sed potiùs Officiales, & Gubernatores præfecti administrationi, & regimini ad tempus bene visum Superioribus, & ad eorum nutus manuales, obtinentes ex hoc titulo Abbatiæ illas honorificas præeminentias Ecclesiasticas, de quibus agitur, *disc. 15. de Praemin & disc 31. de Jurisd. & alibi*, & per consequens ad duo inferebam; Primo nempè, quod illæ præeminentiæ,

4 quibus circa obedientiam, & modum vivendi potiuntur Abbates actuales, qui ad differentiam Abbatum Titularium dicuntur Regiminis, non competunt ex sola ratione tituli, & Dignitatis Abbatialis, sed potiùs ratione Superioritatis, & Præfecturæ; Et secundo de consequenti, quòd Abbates titulares, qui adinstar aliorum Monachorum vivunt sub regimine & obedientia alterius Abbatis, vel quia honoris gratia tales creati sunt, vel etiam quia retineant hunc titulum tanquam reliquias actualis Abbatiæ, & administrationis priùs obtentæ, in duobus differant ab aliis

5 simplicibus Monachis. Primò nempè in illo usu pontificalium, de quo *dicto dis. 15. de Praem.* & in quo parificantur Abbatibus actualibus Et secundo in magis honorificis sessionibus, & tractatibus post Superiorem in Choro, & in mensa, alisque locis juxta ea, quæ habentur *in Neapolitana Praeminentiarum sub tit. de Praem. in hoc Supplemento, disc 41.* de illis qui sint Episcopi, vel Archiepiscopi titulares, & Canonici Basilicarum Patriarchalium Urbis, ac aliarum Cathedralium, quoniam in reliquis considerantur tanquam simplices Canonici, & hunc dicebam esse casum, quoniam in monasterio, in quo sub Abbate, & Prælato actuali vivunt tanquam subditi, considerantur tanquam simplices Monachi, non autem tanquam Abbates, ne detur monstrum plurium capitum in uno corpore.

6 Quo verò ad habitum, qui prætendebatur à dicto Abbate titulari monasterii ultra Montes, dicebam, quòd accederet ad suum monasterium, ibique adhiberet habitum prælatitium in proprio Territorio, dum ibi facit figuram Prælati; secus autem in loco, ubi vivit tanquam simplex Monachus subditus eodem modo, quo de dictis Episcopis, & Archiepiscopis, & Patriarchis in partibus infidelium, ac etiam, quia esset dare maximum inconveniens, ut majorem, magisque honorificum præeminentialem habitum haberet subditus, qui Abbatis solam nuncupationem honorificam obtineat, quam habeat Abbas actualis, & superior.

ROMANA DOTIS, ET ALIMENTORUM

PRO MONASTERIO POENITENTIÆ AD LUNGARIAM

CUM ANGELA, ET DIONYSIA.

Responsum pro veritate.

An id quod datur per mulieres ingredientes Monasteria, vel Conservatoria sub nomine dotis, repetatur illis egredientibus, ubi habeant egrediendi libertatem? Et quatenus repetant, an solvere debeant alimenta pro tempore, quo in loco steterunt?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series cum responso.*
2 *De dote Monialium, quando, & quomodo acquiratur Monasterio.*
3 *Quod per declarationem S. Congregationis non statuatur regula generalis, & de ratione.*
4 *Quid importet, quod per mulieres verò non Moniales datur Conservatorio, vel loco, in quo vivant.*
5 *Alimentandus nil prætendere potest ab eo, qui tenetur præstare alimenta, si voluntariè non curat percipere.*
6 *Quod ubi restituendum est datum in sorte, debeant refici alimenta.*
7 *De refectione alimentorum in pauperibus mendicantibus Hospitalis S. Sixti de Urbe.*

D I S C. LXXVII.

Ultra monasterium mulierum pœnitentium in Via Cursus, cujus pluries habetur mentio *sub tit. de Testam.* 1 occasione instabilitatis mulierum inhonestarum, quarum illud est hæres necessarius, quod est verum Monasterium, atque mulieres in eo viventes sunt verè Moniales ob solemnē professionem, quam in eo emittunt, adest etiam pro eisdem mulieribus pœnitentibus in via Lungariæ Conservatorium, cui pro communi usu loquendi, Monasterii quoque nomen tribuitur, atque mulieres pœnitentes, quæ illum locum eligunt, nuncupantur Moniales, quia more Monialium tam in habitu, quàm in aliis vivunt, sed reverà non sunt tales, quia solemnem professionem regularem non emittunt, juxtà casum, de quo *supra, disc.* 50 ubi in specie de consimilibus mulieribus pœnitentibus; Ac propterea libertatem habent egrediendi, sicuti e converso eandem habent libertatem Superiorem, & Administratores illas dimittendi. Cùm itaque Angela, & Dionysia ex eorum libito essent egressæ ab isto Conservatorio, atque repetere prætenderent id quod in ingressu ad instar Monialium dederant pro Dote, juxta illam impropriam dotem, quę in hujusmodi domibus, vel Cōservatoriis quoque practicatur enunciatam *sub tit. de dote, disc. 5. & 167.* ac etiam *sup. d. disc* 50. & 66. & alibi; E converso autem per administratores loci exciperetur de repetitione alimentorum pro tempore, quo in eo vixerant, saltim in eo, quòd excederet fructus proportionatos summæ solutæ, qui utique pro omnibus expensis ad victum & vestitum, & medicamenta, & alia necessaria non sufficiunt, atque desuper coram Vicario penderet controversia. Hinc desuper ex parte Monasterii pro veritate consultus respondi, quod de stricti, & rigorosa juris censura, neque ipsa sors per soluta repeti posset, quodque ubi ex quadam æquitate, vel congruentia præfata restitutioni locus esse deberet, adhuc tamen sine dubio intraret refectio alimentorum.

Distinguendo siquidem vera, & formalia Monasteria, in 2 quibus emittitur professio solemnis ab hujusmodi Domibus, vel Cōservatoriis In prima specie hujusmodi quęstio nō cadit, quoniam juxta ea, quæ habentur *d. disc. 167. de Dote*, ubi agitur de hac dote Monialium, ac etiam *supra. disc. 1. ex n 144.* ubi etiam *ex n. 126. cum seqq* de dicta distinctione inter vera Monasteria, & Conservatoria, quando puella admittenda est ad habitum Monasticum, unde constituatur in statu Novitiæ, fit depositum dotis solitæ Monasterio in arca ad hunc effectum deputata vel penes idoneum Campsorem, juxtà ea, quę habentur, *disc. 39. de cred.* pro anno, vel alio ulteriori tempore novitiatus, adeout pecunia stet otiosa, & acquisita non dicatur Monasterio, quod exigit a Novitia alimenta; Unde quando Novitia mutato proposito velit egredi sive quod durante tempore probationis decedat, illi vel ejus hæredibus, aut aliis sub hac lege dotem dantibus restituitur; Si verò emittat professionem, tunc irrevocabiliter acquiritur Monasterio absque onere illam restituendi, quamvis de licentia Superiorum transferatur in aliud Monasterium, juxtà casum, de quo *supra, disc. 39.* atque ad aliud Monasterium gravari non solet, nisi aliquando ad alimenta subsidiaria, & doti proportionata, quia nempe non habeat conjunctos, qui ea suppeditare valeant, ut *d. disc. 167. n. 28. & 29. de dote*, atque Nicol. *in flosc.* aliique similes col- 3 lectores, quos mea consuetudo est, ex genio non de facili videre, & allegare, plures desuper referunt determinationes S. Congreg per quas tamen certa, & generalis non statuitur regula, cùm regulentur juxta singulorum casuum circumstantias, ut advertitur, *disc. 8. in Adnot. ad C. T. & disc. 16. & seq. in rel. Cur.* & alibi; Ac propterea clarus remanet error, frequens tamen & quotidianus, in omni casu indifferenter deducere hujusmodi determinationes, earumque cumulum facere; Sed quidquid sit de isto casu, illum extraneum esse dicebam a præsenti quæstione.

In casu itaque præciso advertebam, quod non intrabant 4 termini dotis, cùm ista nomē, & essentiam recipiat a matrimonio carnali, vel spirituali, ut in specie advertitur, *d. disc. 167. de dot, n 9. &* 10. sed potiùs dicendum est, ut id, quod

sol-

solvitur, habeat quandam speciem Census vitalitii, seu veriùs illius Conventionis, quæ legitur secuta inter improbum, & iniquum negotiatorem, & celebrem Picum Mirandulanum, cui Fœnicis ingeniorum attributum ex communi consensu saltim in sæculis modernis congruit, Conventionis scilicet sub certo pretio suppeditandi alimenta ad vitam tanquam per speciem incertæ aleæ, quæ se habere potest æqualiter ad lucrum, & damnum, quoniam ubi vita sit brevis, receptor pecuniæ est in lucro, ob quod dictus improbus negotiator mortem adeo celebri viro accelerare curavit, ubi verò sit longæva est in damno, juxta ea, quæ habentur, *disc. 54. & 61. de donat.* & alibi. Quinimò etiam in dote Monialium eadem species contractus inesse videtur, quoniam ut advertitur *d. disc. 167.* & alibi pluries, non datur, neque dari potest dos pro Monachagio, quoniam esset Simonia, sed datur pro hujusmodi temporalitate, ac propterea fructus, quem ipsa dos investita præbeat est minor sumptibus necessariis pro substentatione Monialis, quoniam illud damnum, quod ita Monasterium patitur, compensatum remanet à lucro sortis juxtà ea, quæ habentur in Censibus, ac Officiis, aliisque juribus vitalitiis.

5 His itaque sic stantibus dicebam intrare ea, quæ habentur in terminis Census vitalitii; ut sors sit demortua, & irrepetibilis, solùmque ille, qui eam dedit, jus habeat petendi Conventam præstationem, sive Conventa alimenta, in quibus regula est, quod ubi alimentadus ex ejus libito, & voluntate nolit suscipere alimenta in domo illius, qui alere ex dispositione legis, vel hominis tenetur, aliud petere potest, quoties justa causa non accedat, ob quam Judicis officium vel arbitrium interponatur; Quoniam sufficit, ut non stet per eum quominus illa præstet, ex collectis per addentes *ad dec. 636 p. 4. rec. tom. 2. & sub tit. de Legat. disc. 24. & alibi*, atque habetur *disc. 160. 161. & in aliis sub tit. de Dote*, in viro faciente suos fructus dotis, quamvis non præstet alimenta uxori, quoties ista sine causa ab eo diverteat, ut apud Peutig *dec. 235.* cum aliis, de quibus locis citatis; Atque tunc locus videtur restitutioni ejus, quod acceptum est, quando puellæ invitæ dimittantur absque earum facto, vel culpa ob dissolutionem loci de ordine Superiorum juxtà casum, de quo *disc. 17. de renunciat. n. 5.* cum similibus,

6 Hinc non videbatur opus assumere inspectionem refectionis alimentorum habitorum pro tempore moræ; Verùm quando ex quadam æquitate, seu ratione congruentiæ restitui deberet acceptum sub nomine dotis, tanquam ex cessante causa, tunc indubitabile videri dicebam, ut reficientium esset loco illud plus, quod pro eatundem mulierum substentatione, aliisque sumptibus expensum esset, ultra id, quod importatet fructus investimenti dictæ dotis ex insinuata ratione, quod istud majus onus supportatur intuitu, & contemplatione lucri sortis principalis, & non alias; Ideòque esset dare inconveniens, quod hujusmodi mulieres saltim in lege congruentiæ, & honestatis delinquendo, ac turpiter agendo, lucrum reportarent cum damno loci, cui quædam injuria ita fieri dicitur, ac etiam ex ratione deficientis intentionis.

Ac propterea à simili cùm frequenter contingat, quod in Hospitali pauperum mendicantium S. Sixti, de quo fit mentio, *disc. 79. cum duobus seqq. sub tit. de Regal. & alibi*, per eos senes, vel infirmos, qui in illo recipi cupiunt, aliaque pecuniarum summa, vel aliqua bona dentur etiam sub titulo donationis, si deinde nauseanter illam vitam, coeperint egredi, quamvis de juris rigore donatio tanquam perfecta, & irrevocabilis non admitteret pœnitentiam; attamen ad instar illarum donationum, vel renunciationum, quæ fiant per novitios, & ingressuros, ut non secuta professione resolvantur, censui, ac practicare feci, ut ex motivo verisimiliter cessantis intentionis, & causæ finalis, ac etiam ex motivo congruentiæ, & honestatis eis restituatur quidquid dederint, retenta tamen summa proportionata alimentis, aliisque expensis ex eadem ratione respectivitatis, deficientis voluntatis; Atque ex ista posteriori ratione, quando post mortem hujusmodi Mendicantium detectum est, quod ipsi fraudantes illam denunciam, quam tenentur facere in ingressu, possiderent pecunias, & bona, de quibus ante ingressum, vel postea disposuerint, judicavi, quod dispositiones essent validæ, Quinimò quod haberent legitimos successores ab intestato justa ordinem juris præterquam Fiscum, cui Hospitale præfertur, ex deductis *disc. 140. de Regal* sed quod illi, quorum favore dispositum sit, vel qui succedere prætendunt, reficere debeant alimenta, aliisque expensas, pro quibus bona sint affecta ex dicta ratione deficientis præsuppositi, vel deficientis voluntatis recipiendi in loco, & alendi illum, qui esset provisus de proprio, contra loci institutum subveniendi pauperibus, & mendicantibus, ad instar eorum, quæ habentur, *disc. 7. de dote*, super subsidiis dotalibus non præstandis illis puellis, quæ sint de suo provisæ; Ac propterea quando id occultetur, atque se præsupponentes pauperes, obtineant subsidium, istud revocatur, cum similibus, quibus eadem congruat ratio. 7

S U M M A,

S I V E

C O M P E N D I U M

Eorum, quæ in foro magis practicabilia continentur in Lib. XIV. Pars I. de Regularibus utriusque sexus.

I.

DE variis Regularium generibus; ac ordinibus; Et de variis Regularis professionis speciebus; Ac aliis de materiæ introductionem; Et de requisitis validæ professionis, ac effectibus ex illa resultantibus.

II.

De translatione de una Religione ad aliam; Et de variis speciebus egressus à Religione, & mutationis status, cum effectibus exinde resultantibus.

III.

De novis fundationibus Religionum, & Congregationum, vel novorum Conventuum, & Monasteriorum, & de Prælatis Regularibus, eorumque electione, & potestate.

IV.

De Regularium exemptionibus, prærogativis, & privilegiis, & de eorundem privilegiorum conservatoribus, & aliis ad materiam.

V.

De Monialibus, & aliis ad earum materiam; Et de aliis mulieribus, quæ more Monialium religiosè vivant.

S U M M A R I U M.

I.

1 *DE distinctione utriusque Cleri, & qualis sit Clerus sæcularis.*
2 *De Clero regulari, & qui sub eo veniant.*
3 *Non est necessaria explicatio trium votorũ Paupertatis,*

Castitatis, & Obedientia, sed sufficit implicita in promissione vivendi sub regula.

4 *De distinctione Regularium sexus masculini à Monialibus.*

5 *De alia distinctione plurium generum, vel Ordinum regularium sexus masculini.*

6 *Item de distinctione Mendicantium per privilegium, vel per veritatem, sive capacium, & incapacium, & qui sint.*

7 *De Ordinibus Militaribus, eorumque distinctione, & qui sint Regulares.*

8 *Ad quos effectus Canonici, & Clerici Regulares cadant sub Clero saculari.*

9 *De Novitiis, ut sint veri Regulares.*

10 *Non omnis professio facit Religiosum, sed ea qua sua habeat requisita.*

11 *Primum est, ut fit in Religione probata, & quomodo id intelligatur.*

12 *De novitiatu.*

13 *De atate.*

14 *Ut fiat in manibus legitimi superioris professio, & gratuita sine pramio.*

15 *Consensus debet esse liber, & sincerus.*

16 *De requisitis particularibus, & extraordinariis aliquarum Religionum.*

17 *De reciproca Religionis, & Religiosi obligatione.*

18 *Quid in Societate Jesu.*

19 *De expulsis, vel ejectis.*

20 *Professio in Religione inducit impedimentum dirimens in Matrimonio.*

21 *Per eam vacant beneficia sacularia, & cessant pensiones.*

22 *Sed acquiritur capacitas beneficiorum Regularium.*

23 *Beneficia Regularia sunt Manualia*

24 *De incapacitate bonorum in particulari, & cui acquirantur.*

25 *Fallit in Societate Jesu, & quomodo.*

26 *Cui Monasterio ex pluribus ejusdem Religionis bona Professi quaerantur.*

27 *De illis redditibus, quorum administratio, & dispositio Religiosi permansit.*

28 *Quid accedente dispositione, ut Monasterio, vel Religioni non quaeratur.*

29 *An Regulares sint executores testamentarii?*

30 *Bona Regularium extra Claustra acquiruntur Camera Apostolica.*

31 *Papa dispensare potest in pradictis incapacitatibus.*

32 *In Religione Hierosolymitana, etiam M. Magister.*

II.

33 *Quando propriè intret transitus, vel translatio.*

34 *Translatio fieri non potest sine licentia Apostolica, & quando concedi soleat.*

35 *Requiritur novus novitiatus in alia Religione, & quando non.*

36 *An Religiosus translatus trahat secum bona ad secundam Religionem?*

37 *Quid de dote monialium, vel simili solutione.*

38 *An Religiosus translatus in Religione incapaci ad capacem recuperet bona?*

39 *Quid ubi Religiosus egreditur a Religione, distinguuntur plures casus.*

40 *De judicio annullationis professionis, & de forma tenenda.*

41 *De lapsu quinquennii, & de restitutione in integrum adversus eam.*

42 *De causis annullationis, & de tacita professione, seu ratificatione, ac revalidatione.*

43 *De Societatis Jesu instituto excepto a dicta forma.*

III.

44 *Non possunt fundari nova Religiones absque approbatione Sedis Apostolica, atque alias non datur solemne votum Religionis.*

45 *Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium cognoscit de novis fundationibus Monasteriorum.*

46 *Recensentur requisita novarum fundationum Monasteriorum, & prasertim de consensibus.*

47 *De illis Monasteriis, in quibus adsit minor numerus duodecim, vel sex.*

48 *De requisita distantia cannarum, vel quatuor milliarum.*

49 *Quando requisita non desiderentur.*

50 *Quomodo sit facienda mensura quatuor milliarium.*

51 *Quod consensus absque justa causa denegatus possit suppleri.*

52 *Hodie Superiores Regulares non sunt Pralati in titulum, sed Officiales, & Magistratus ad tempus.*

53 *De modo, cum quo facienda est Pralatorum electio.*

54 *De aliis ad materiam eorundem Superiorum.*

55 *Generalis debet eligi ab universa Religione.*

IV.

56 *Monasteria singularia cessantibus privilegiis subjacent Ordinario loci.*

57 *Ubi vero agatur de Religionibus, qua reguntur jure Universitatis, generica est earum exemptio.*

58 *De hujus exemptionis limitationibus, & quando subjaceant Ordinario.*

59 *An, & quando Ordinarius procedat ad Censuras, & poenas cum Regularibus.*

60 *De aliis casibus, in quibus exemptionis privilegium per accidens cesset.*

61 *De conservatoribus privilegiorum.*

62 *De quastionibus pracedentia inter Religiosos ejusdem Religionis.*

63 *De pracedentia inter Religiosos diversarum Religionum.*

64 *Professio in Religione causat legitimationem illegitimorum.*

65 *De aliis privilegiis Regularium.*

66 *De obligationibus & contractibus Religiosorum.*

67 *De exemptionibus à decimis, & à juribus Parochialibus.*

68 *De exemptione famulorum, colonorum, & servientium, ac Novitiorum.*

V.

69 *A Regularibus veris ad Moniales, & è contra licet arguere.*

70 *De jurisdictione Ordinarii circa clausuram, etiam in Monasteriis exemptis.*

71 *De electione Abbatissa, & per quantum tempus duret.*

72 *In Monialibus non datur vera mendicitas.*

73 *De differentia circa clausuram.*

74 *Defectus clausura est magnum argumentum, quod non sit verum Monasterium.*

75 *Quando dicatur verum Monasterium, & mulieres dicantur vera Moniales.*

76 *De dote Monialium.*

77 *De vitalitiis redditibus, qui Monialibus assignari solent.*

78 *De eadem dote Monialium, & de pluribus ad ipsam pertinentibus.*

79 *De aliis Mulieribus extra clausuram religiosè viventibus.*

I.

De variis Regularium generibus, ac ordinibus: Et de variis Regularis professionis speciebus; Ac aliis ad materia introductionem; Et de requisitis valida professionis ac effectibus ex illa resultantibus.

EX duplici fidelium utriusque sexus genere, Catholica Ecclesia constituit, quorum unum Populi, alterum verò Cleri vocabulum, sive hierarchicum ordinem habet; Istud posterius, in duas divisum est species, vel genera subalterna, quorum unum saculare, alterum verò regulare dicitur; Sacularis enim Clerus ex illis constituitur personis, quæ clericali Militiæ adscripti, atq; divino servitio, Ecclesiarumq; cultui addicti, nullum emittunt solemne votum, illo castitatis excepto, quod per Latinæ Ecclesiæ Clericos, dum in Sacris constituuntur Ordinibus, emittitur, secularium more, proprium habentes, atque in privatis domibus viventes, aliqua solùm circa vitam, & mores, & habitum, obligatione adstricti, ut a laicis distinguantur. 1

Sub Regularibus autem Cleri genere veniunt illæ utriusque sexus personæ, quæ sub aliqua Regula (à qua denominationem accipiunt) per Apostolicam Sedem approbata solemnem emiserint professionem, quæ, pro diverso Religionum, seu Monasteriorum, stylo, explicitum, vel implicitum perpetuum paupertatis, castitatis, & obedientiæ votum contineat; Quamvis etenim una opinio explicitam hanc desideret promissionem; Verius tamen est, ut ea implicita sit satis, quæ sub promissione vivendi sub probata regula adest A. dummodo ea, quæ per Ecclesiasticam legem pro forma, vel substantia desiderantur, accedant. 2 3

Duo itaque sunt Regularium genera; Unum scilicet personarum masculini sexus; alterum verò fœminini; Istud autem

rem sub Monialium genere, seu vocabulo pro loquendi usu
4 explicari solet, ideòque sub regularium vocabulo primum masculini sexus tantùm genus explicatur; altero fœminini sub Monialium nomine inferiùs peracto.

Istud verò subalternorum plurium generum, vel ordi-
5 num distinctionem recipit; alius namq; est Canonicorum, & Clericorum Regularium Ordo; alius Monachorum; alius Mendicantium; Et alius Militum, seu Militaris; Mendicantes verò aliam recipiunt distinctionem inter illos qui re, & nomine sunt de facto tales, quia nempè retentionis bonorum ac reddituum incapaces, ex eleemosynis, ac mendicitate vivant; alii verò, qui ad certos favorabiles, ac privilegiativos effectus tales dicuntur, atque ex legis fictione censendi sunt, re autem, sive naturali veritate attenta, non
6 sunt quia ex redditibus, quos retinent, non autem ea mendicitate vivant; Atque exinde alia capacium, & incapacium in communi distinctio oritur, dum nulla ob votum paupertatis capacitas in particulari datur.

Prior item meræ mendicitatis species, quoque diversa est,
7 pro institutorum varietate; Alii enim, eam profitentur omnimodam, ut hæreditates, & legata aliasque universales, vel particulares non obtineant dispositiones, neque bona stabilia, vel mobilia notabilis quantitatis, quæ provisionem temporis considerabilia importent, assequi, ac retinere possunt, ut ea diurna quæstuatione, Mendicorum ad instar vivant, iis acceptis, quæ non personarum victum quotidianum percutiant, sed illa opera, quibus cum mendicitate, ac diurna quæstuatione consuli non valeat, ut in Ecclesiæ, vel Conventus constructione, vel refectione Ecclesiasticæ supellectilis, vel Sacristiæ moderatæ, ac instituto proportionatæ provisione, infirmariæ, ac librariæ usibus, & similibus, quibus eadem congruat ratio, quales sunt illi, qui Minores Observantes, ac Minores Capuccini dicuntur, vel similes, qui sunt idem habentes Institutum.

Alii verò incapacitatem habent, hæreditates, & legata, aliasque dispositiones in bonis stabilibus, vel redditibus ad perpetuam retentionem assequi, non autem ad momentaneam, vel brevi duraturam, pro eorum venditione, ut pretium quotidianis usibus inserviat, quales illi sunt Clerici Regulares, qui Theatini vulgò nuncupantur, ac alii, qui Jesuitæ appellati, & quatuor adstricti sunt voto, non autem illi, qui tribus generalibus, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, voto tantum adstricti sunt. Ideoque illa in eorum domibus distinctio cadit, ut illæ, quæ professarum domuum nomen, ac statum habent, hujusmodi subjaceant incapacitati, non autem illæ, quibus Collegiorum nomen tribuitur.

Ea quoque inter explicatos, ac similes Ordines Mendicantes per veritatem distinctio cadit, quod primi, qui Minores Observantes, & Capuccini dicuntur, huic subjaceant incapacitati ex Ecclesiasticæ conciliaria legis necessitate; alii verò, ex proprio Instituto, ideòque quodammodo ex propria voluntate, dum enunciata Tridentini Concilii lex per duarum præmissarum Religionum exceptionem genericam in contrarium pro capacitate statuit regulam. b

Militaris item ordo aliam recipit distinctionem inter eas militias, quæ non sunt piæ, & Ecclesiasticæ, sed verè religiosæ sunt, earum professores præmissorum trium, paupertatis, castitatis, & obedientiæ solemni voto adstrictos habentes, eosque in verè regulari statu constituentes, ut ea præsertim Religio est, quæ Sancti Joannis Hierosolymitani vulgò Melevitana dicitur, aliæve similes; aliæ verò ratione Instituti piæ sunt, atq; ob Apostolicæ Sedis approbationem, Ecclesiasticæ, earumque professores una sententia, a contradictoribus non immunis, ut propterea ea observantia decisio pendeat, in Ecclesiastico statu constituat, quales illæ supponuntur, quæ in Italia S. Stephani, ac Sanctorum Mauritii & Lazari, vel similes appellantur. In Hispania verò S. Jacobi de Spata, de Calatrava, de Alcantara, de Montesia, & similes; Plerisq; aliis in Catholico Orbe existentibus Militaribus Ordinibus, quibus, aliquod pietatis Institutum annexum habentibus, piorum attributum rectè congruit; non autem aliarum Ecclesiasticorum; quia nempè sæcularium Principum tantùm, non autem Apostolicæ Sedis authoritate erectionem, ac regulam, sive Institutum sortiantur. c

8 Primò item, Canonicorum, & Clericorum Regularium enunciatus Ordo, duplicem, seu mixtam quoque habet speciem, ut in Ecclesiasticis scilicet functionibus, in quibus, pro Ecclesiæ ritu, solemnis adhibetur clericalis habitus à domestico, & quotidiano diversus, pro sæcularibus Clericis potiùs censendi sint, atque cum sæcularis Cleri hierarchico Ordine uniti incedentes, illum occupent locum, qui ab altero regularis Cleri sit diversus; In reliquis autem veri sint regulares, atque sub altero hierarchico regularium Ordine cadant. d

Istæ autem ita prænotatæ distinctiones, cum eo recipiendæ sunt præsupposito, ut de iis agatur personis, quæ 9
cum enunciata solemni trium votorum emissione, in hoc regulari statu, vel hierarchico Ordine jam constitutæ sint; Ideòq; regularis habitus susceptio, vel etiam regularis vitæ, quæ professorum ad instar devotionis, vel probationis gratia ducatur, hunc non operatur effectum, sed personas in statu sæculari adhuc conservat, quamvis aliquorū privilegiorum, quæ regularibus concessa sunt, participes fiant, ac respectivè Ecclesiasticum, non autem regularem assumant statum, ut iis contingit, quos Novitios dicimus.

Non omnis tamen præmissorum votorum emissio, vel professio, hunc operatur effectum, sed ea tantùm, quæ illa habeat requisita, quæ per Ecclesiasticam legem statuta sunt, & sine quibus solemnis, ac legitima dicenda non est; Eaque sunt. 10

Primum superius enunciatum, ut juxta aliquam a Sede Apostolica probatā regulam, vivendi promissio sit, particulari, seu individuo instituto ad speciem deducta, ubi eadem originaria ac generica regula per Sedem Apostolicam approbata, ex ejusdem Sedis placito, diversas habeat vitæ formas, vel modos; Ideòque generica regulæ promissio non sufficit. 11

Secundò ut integer, & continuus præcedat probationis annus, qui per egressum cum notabili statu vitæ sæcularis, ac animo religionem deserendi, non adeo corruptus sit, ut nova ex integro desideranda sit probatio; Quamvis etenim antiquorum canonum dispositione attenta, continuationis requisitum necessarium non sit, ut propterea interruptorū temporum admittatur cōjunctio, ad integrum constituendum annum; Tridentinum tamen Concilium istud quoque continuationis adjunxit requisitum; Majoris temporis, post jam completum annum, cursu in novitiatu, seu probationis statu non prohibito. d 12

Tertium est ætatis requisitum ab eadem Tridentini Concilii lege in sexdecim completorum annorum ætate statutum, ut minor sufficiens non sit, major verò, quamvis ex Religionis legibus, vel instituto desiderata, non sit necessaria, nisi particularis lex, quæ Apostolicæ Sedis in specifica forma confirmationem habeat irritans, vel annullativum non contineat decretum. e 13

Et denique quartum est potestatis requisitum, ut coram eo illa emittatur professio, qui ad id per ipsam religionem vel alios superiores ad quos pertinet, deputationem habeat; ut propterea ipsam obligare valeat religionem ad illum correspectivum, atq; hinc inde obligatorium contractum, qui inter professum, & ipsammet Religionem initi dicitur; Quodque gratuitus sit actus hinc inde, cùm citrà simoniacam labem aliquid pro emittenda professione dari, vel recipi non valeat, nisi rei temporalis datio aliam alimentorum, vel similem habeat causam correspectivam. f 14

Alterum addi solet requisitum liberi, ac sinceri consensus profitentis, quodque doli, vel metus, qui in constantem cadat virum, sive falsi præsuppositi, vel similem habeat defectum, qui profitentis adimat consensum; Illud autem generale vitium tam in quocunque contractu, vel obligatione licèt profana, quàm peculiare status regularis requisitum ab Ecclesiastica lege inductum dicendum est, cùm absque libero, ac sincero consensu correspectivi non dentur contractus obligatorii, ac irretractabiles. g 15

Ex aliquarum tamen Religionum Institutis à Sede Apostolica approbatis alia accedere debent requisita, quorum defectus professionem inficiat, eamque pro infecta haberi faciat ex deficiente consensu, quem aliàs Religio non præstare profiteatur; Id autem certam non recipit regulam, cùm à facti circumstantiis decisionem expectet. 16

Præmissis itaque accedentibus requisitis, ob quorum concursum, valida, & legitima professio supponenda sit, Ea quamplures producit effectus, quorum magis notabiles, ac practicabiles esse dignoscuntur. 17

Primò reciproca Religionis, & Professi obligatio; Professi nempè perpetuò vivendi sub habitu, ac regula, seu Instituto, & obedientia, eique inserviendi, juxtà ejusdem Religionis mores, ac Institutum; Religionis autem è converso illum perpetuò apud se retinendi, atque de necessariis in victu, & vestitu, ac aliis pariter juxta mores, ac Institutum providendi; Hujusmodi reciproca obligatione singulari quodam jure, Apostolicam habente approbationem, cessante in Societate Jesu, ut simplex trium votorum emissio, priusquam aliud magis solemne emittatur, quod quartum dicitur, dictum operetur effectum, ut obligetur quidem ip- 18

se professus non autem religio, quæ pro superiorum arbitrio eum dimittere valeat, atque sæculo restituere. *b*

Eadem item Religionis obligatione, in casu incorrigi-
19 bilitatis cessante, ut incorrigibilem expellere valeat, eique necessaria denegare, ipso expulso in sibi odiosis Religionis, ac votorum vinculis adhuc adstricto remanente, filiifamilias, vel servi ingrati adinstar. *i*

20 Secundò ut ratione voti castitatis, matrimonium contrahendi, perpetuum, ac dirimens impedimentum exinde resultet, ut propterea illud quod de facto contractum sit matrimonium, omnino irritum, ac infectũ habendum veniat.

21 Tertiò incapacitas de novo obtinendi, vel obtenta retinendi Ecclesiastica beneficia sæcularia, vel Ecclesiasticas pensiones super eisdem beneficiis reservatas, ut propterea professionis emissio, jam obtentorum vacationem, atque pensionis cessationem inducat; Præfata Societate Jesu excepta, quòd retentionem jam obtentorum, donec quartum emittatur votum ob implicitum sæcularem statum, in quo adhuc simplices ejus professi esse dicuntur ad religionis nutum. *k*

22 E converso autem capacitatem professio inducit, obtinendi regularia beneficia, & officia, quorum sæculares incapaces existunt, ex beneficiali regula, ut nonnisi sæcularibus sæcularia, & regularibus regularia, &c. Ita tamen ut ratione voti obedientiæ in Regularibus ea non detur perpetuitas, quæ in sæcularibus datur, sed manualia, seu obedientialia ad Superiorum nutum amovibilia sint beneficia. *l*

23 Et quartò paupertatis votum alia resultat incapacitas dominii, ac veræ possessionis, sive quid proprium retinendi; Exindeque servorum adinstar, quibus regulares professi assimilantur, utraque activa, & passiva intestabilitas, omnisque alia disponendi inhabilitas resultat; Ideòq; ubi Religio ob veram, quam profiteatur mendicitatem, in communi quoque incapax existat, jam obtenta, & acquisita bona, nisi ante professionem idem disposuerit, iis deferuntur, quibus casus mortis ex legis, vel prioris domini dispositione, mors
24 naturalis deferat, cujus vicem ista mors civilis habet. Ubi verò, eadem incapacitate in communi retenta, professo ipsius Religionis, vel Religiosi status intuitu ex novis dispositionibus bona, vel jura deferantur, Ecclesiæ universali, sive ubi usu vigeant Vaticanæ Basilicæ privilegia, ejus Fabricæ deferuntur.

25 Capacitate autem Religionis in communi accedente ipsi, juxtà Canonistarum in Romana Curia, atque in universo Ecclesiastico foro receptam sententiam directè, ac immediatè absque aliquo ipsius religiosi facto, vel medio deferuntur tam ea, quæ idem in sæculo obtinebat, quàm illa, quæ post professionem delata sint, nisi diversa ejusdem professi in statu habili facta dispositio, vel majorum voluntas, ipsorumque bonorum qualitas aliud suadeat.

26 Eadem quę in beneficiis, & pensionibus insinuata est, limitatio cadente in simplicibus Societatis Jesu professis, donec quartum emittatur votum, quod omnimodam tam Religionis in communi quàm professi in particulari capacitatem inducit, veręq; mortis naturalis producit effectus.

Diversam verò Civilistæ opinionem tenent, eadem admissa professi incapacitate in particulari, pro delatione ad Religionem in communi mediatè ex ipsius Religiosi professi persona, cujus desideretur consensus, non autem directè, ac immediatè, ut Canonistæ volunt. *m*

27 Quæstione cadente inter ejusdem Religionis Monasteria, vel domos, cuinam ista fiat acquisitio, vel delatio, ubi de iis agatur Religionibus, quæ omnium Monasteriorum, vel domorum communicationem habeant, atque universitatem, seu Rempublicam constituant; In iis etenim in quibus Monasteria singulari, ac independenti jure reguntur, ipso monasterio in quo emissa est professio omnia congruunt, quæ de Religione insinuata sunt; Id autem certam non recipit regulam, cum à cujuslibet Religionis legibus, vel stylis decisio pendeat.

28 Quamvis autem ex quadam per Ecclesiam tolerata consuetudine, pro diversis Religionum moribus, prę sertim verò militarium, quarum professi sæculares, populi more in privatis vivant domibus, bonorum, vel redditũm possessionem, ac administrationem, & dispositionem de facto habeant; Quod etiam in Monialibus frequentior praxis docet; Non tamē propria, sed precaria ad Superiorum nutum possessio ac administratio est, antiqui servorum, vel filiorũ familias peculii adinstar cum paupertatis voto compatibilis. *o*

29 Quia vero ex morientium, seu vivẽtium dispositionibus, bona, vel jura, seu redditus, professis relinqui, vel donari sub ea lege solent, ut Religioni, vel Monasterio, nullum jus, nullaque Superioribus potestas, quęratur; Hinc manat quæstio, consuetam habens opinionum scissuram, an ista lex servanda sit, una opinio credit; Vel potiùs vitiata maneat, & pro non scripta, ut ea neglecta bona Religioni quærantur, ut aliorum est sẽsus: Vel ipsa dispositio vitietur, ut altera tenet sententia; Probabilior verò illa videtur media, seu conciliativa opinio, ut habituale bonorum dominium, ex eadem sit interpretata lege, Religioni vel Monasterio quæratur. *p*

Ipsius autem observantia, ubi scandali, vel inconvenien-
ris ratio non prohibeat, quoad administrationem, & usum 30
ipsi professo juxtà elargientis voluntatem permittatur, pro honestis tamen, ac Religioso congruis usibus; Nisi eidem Religioso aliquorum operum executio commissa sit, ut propterea executoris munus gerat, quod ubi pietatem, vel honestatem contineat, nullamque occultet fraudem, professis non incongruit; Superiorum tamen, & non alias accedente licentia. *q*

In iis verò bonis, quæ per Religiosum, extra Claustra 31
decedentem possideri, vel obtineri competiatur, non Religio, vel Monasterium, sed Apostolicus Fiscus ex Apostolicarum legum præscripto succedit, sive illa occupat, dummodò per Religionem, vel Monasterium re integra, ipso religioso vivente agnita non sit, seu alias jam quæsita. *r*

Cum autem, non ex divina, sed positiva Ecclesiastica lege 32
pręmissi, ac similes resultent effectus, vel incapacitates; Hinc manat, ut firmo manente Religioso statu, Pontificia dispensatio, eos beneficiorum, ac pensionum, vel bonorum, & facultatis testandi capaces reddat; Ista tamen dispensatio, quæ possidendi, & administrandi bona habilitationem concedat, eam sub se conditionem continet, ut in usus honestos Religioso congruos dispositio sequatur, nisi alias latior indulti tenor concedat. *s*

In Hierosolymitana verò militari Religione, quamvis in ea professi, veri sint Religiosi ad præmissas etiam incapacitates, Magni tamen Magistri licentia testandi, seu alias disponendi sufficit, pro dispositionis validitate. *t*

a *disc.* 66. *hoc tit. in Supplemento*, b *de hi:* *in adnot. ad Sac. Conc. Trid. disc.* 35. c *In eisdem adnot. ad Sac. Conc. Trid. disc.* 34. & 39. d *disc.* 24. *de Præemin.* e *disc.* 41. & 46. *hoc tit.* f *disc.* 41. g *disc.* 47. & 48. h *disc.* 43. & 44. i *disc.* 26. & *tit. de renunc. disc.* 37. k *disc.* 1. *n.* 104. & *disc.* 42. l *disc.* 62. m *sub tit. de benef. disc.* 64. & *hoc tit. disc.* 36. n *disc.* 56. & 57. o *disc.* 39. & 57. p *disc.* 56. & *seq.* q *disc.* 57. r *sub tit. de testam. disc.* 56. s *disc.* 48. t *tit. de testam. disc.* 23. & 37. u *sub tit. de testam. disc.* 28. & 35.

II.

De translatione, seu transitu de una Religione ad aliam; Et de variis speciebus egressus a Religione, & mutationis status, cum effectibus exinde resultantibus.

SUper illa translatione quæstiones cadunt, quæ ab una, 33
in qua professio emissa sit, ad aliam Religionem facienda venit, quamvis origine inspecta, utriusq; eadem sit regula, vel fũdatio, ubi diversa sit vita, vel diversum institutum; Magis vero ubi etiam in origine, vel regulæ diversitas accedat; Idemq; ubi ejusdem religionis diversa sint Monasteria, quæ singulari regantur jure, communionem, vel universitatem non constituentia, ut propterea aliqua instituti, seu vitę diversitas dignoscatur; Ubi etenim de iis agatur de Religionibus, quæ Reipublicæ, vel universitatis more regantur, ut propterea in omnibus Monasteriis, vel domibus sub eorundem Generalis, & Provincialis Prælatorum obedientia, ac regimine uniforme sit institutum, eademq; vivendi norma, mutationes de loco ad locum commendabiles potiùs, atque Religiosæ disciplinæ conservationi congruæ dicuntur, non autem translationes, vel transitus, qui posita dicta vitæ, vel instituti notabili diversitate, ut supra cadunt. *a*

Prohibitionem verò genericam, absque Sedis Apostolicæ 34
placito hujusmodi formales transitus, vel translationes habent; Hujus verò beneplaciti, seu licentiæ concessio, illam habet regulam, quæ tamen Pontificiam non restringit potestatem, sed voluntatem regulare solet, ut Superiorum utriusque Religionis, a qua, ad quam, accedente consensu, a laxiori ad strictiorem, nõ autem è converso a strictiori ad laxiorem, concedatur, nisi alias Papæ placeat, seu videatur.

Nova tamen in statu Novitiatus probatio per integrum, 35
& continuum annum ad Trid. Conc. præscriptum necessaria est, quamvis de illo minus remoto agatur transitu, qui in-

inter eas fiat Religiones, eandem habentes originem, seu fundationem, ubi tamen laxiotis, ac respectivè strictioris vitæ ratione, de facto diversæ reputentur, secus verò, ubi eadem continuet unitas, quamvis aliqua vitæ adsit diversitas; Adhuc tamen super integri anni lapsu dispensari solet. *x*

36 Super bonorum verò, vel jurium ea professi persona delatorum, vel competentium pertinentia, legitima translatione secuta, inter primam, & secundam Religionem, sive primum, & secundum Monasterium, quæstio cadit, ex lege in transitus licentia adjecta in primis decisionem recipiens.

Ea verò cessante, adeòut per juris tramites quæstionem decidere congruat, magna dignoscitur opinionum scissura, probabiliùs cum ea conciliandâ distinctione, ut bona primę Religionis, vel Monasterii intuitu, vel occasione, sive ea illa virtute, vel industria, quam ipse religiosus status causaverit, ad primam pertineant, sive illicò ei perfectè delata, vel quęsita non auferantur; Alia verò bona sęcularia, quę ob incapacitatem in particulari ex professione resultantem juris ministerio Religionis, vel Monasterio quęsita sint, personam sequantur, clariùs verò ubi aliqua Religioni, vel Monasterii culpa, seu factum voluntarium transitum causaverit; E converso autem, ista regula limitationem recipiente, ubi ex ipsius Religiosi facto culposo, vel omninò voluntario, quod justæ causæ fomentum non habeat, transitus sequatur.

Aliqua majori dubitandi ratione, in ita cadente bonis, quę per professum primæ Religioni, vel Monasterio, ante professionem cum expresso donationis titulo elargita sint; Adhuc tamen probabiliùs tanquam ex cessante causa, eadem intrat regula, ut personam sequantur, ubi ipsa professio donationis causa finalis fuerit, secus autem si alia, sive ubi prima Religio, vel Monasterium non de lucro captando contenderet, sed de damno vitando, ut in sua sede latius; Ideòque non de facili certa, & uniformis desuper cadit regula, vel decisio, quæ à facti qualitate, ac circumstantiis pendet. *y*

Id autem, quod in Monasteriis præsertim monialium,
37 pro dote in susceptione habitus, seu emissione professionis per profitentem solvitur, utpotè ex contracto correspectivo super futura incerta alea datum, non repetitur, sed ipsius Monasterii culpa, vel alia justa causa, aut professi transeuntis subsidiaria necessitas, ad proportionatam alimentorum suppeditationem obligare solet; Idque in religionibus etiam virorum, si licitè aliquid ex eadem causa correspectiva datum sit. *z*

Ubi verò transitus quandam status mutationem indu-
38 cat, quia nempè à Religione incapaci, etiam in communi, ad aliam capacem sequatur, cum iis, quibus per hanc professi civilem mortem omnimodam, bona acquisita, vel delata sint, quæstio cadit, consuetam pariter habens opinionum scissuram, an secunda Religio, vel Monasterium capax tanquam per speciem reviviscentiæ ea recuperet, ac avocet, probabilior tamen videtur negativa.

Egressus quoque à Religione qui reversionem ad sæcula-
39 rem statum, vel facultatem in sæculo vivendi inducat, easdem parit quæstiones super bonorum evocatione, eaque ea ipsius egressus qualitate decisionem recipit; Ubi etenim ob professionis detectam nullitatem sequatur, plana est recuperatio, seu non amissio, vel continuata receptio, ac si professio emissa non esset, cùm paria sint nullum, & nihil; Illis solùm bonis Religioni, vel Monasterio remanentibus, quæ ejus, vel putativi religiosi status intuitu, vel occasione quæsita sint.

Si autem ex Apostolica dispensatione, vel ex causa illius Ecclesiasticæ dignitatis, quę sęcularem redolet vivendi formam egressus a Religione, vel Monasterio sequatur, ut in Episcopali, vel Archiepiscopali dignitate frequentiùs, & quandoque in Cardinalitia, etiam praxis docet, opinionum non deest scissura; Probabilior autem negativa videtur opinio, ut bona jam quæsita non avocet, sive ea propria renunciatione, vel dispositione, sive ex illa majorum, ut in feudis, vel fideicommissis contingit; Aut ex altera legis; in feudis tamen, ubi ultimus de linea sit, ad devolutionem impediendam; In ea feudorum specie, quorum incapacitatem Clericatus non inducat, aliqua majori cadente dubitandi ratione, adhuc tamen negativa majorè fortè probabilitatem habet, ratus verò hujusmodi quęstionis est casus, cum iis exceptis feudis, quæ in temporali Ditione Ecclesiæ sint, non de facili vera, & propria dentur feuda cum Clericatu compatibilia, eis exceptis, quæ Ecclesiæ, ejusque Præsule concessa sint. *a*

40 Egressus ex enunciata causa nullitatis, majores sori quæstiones producit, illęque duplicem ordinis, & justitię inspectionem habent, ordinis nempè ob formam à nova Tridentini Concilii lege præscriptam, ut intra quinquennii terminum nullitatis causa conjunctim à loci Ordinario, & à Superiore regulari ejusdem loci cognoscenda sit, quocunque alio Judice incompetenti declarato; Itaque cognitio assumenda non sit, nisi professo, quatenus illum dimiserit, Religionis habitum assumente, atque in claustra sub regularium superiorum obedientia redeunte, carcerationem etiam, vel alias afflictiones ob dimissionis habitus, vel egressus a Monasterio temeritatem, patiente.

Quinquennii verò accedente lapsu in eisdem aliàs competentibus Judicibus, nulla habenda est jurisdictio, ac potestas, nisi eam deleget, seu communicet Apostolica Sedes cum restitutionis in integrum adversus hujusmodi lapsum quinquennii concessione; Talisque restitutio nonnisi ex justa concedi solet causa per S. Congreg. ejusdem Concilii interpretem, vel coram ipso Papa in plena Signatura Gratiæ examinanda, ejusdem tamen Papæ libero non impedito arbitrio eandem restitutionem concedendi, quamvis causa juris rigore attento illam non exigat. 41

Reclamationes præsertim, quæ intra hunc quinquennii terminum extrajudiciali etiam via coram conjunctis, vel amicis secutæ sint, sive metus, vel alterius impedimenti duratio, causæ justitiam frequentiùs producunt, aliis tamen causis non exclusis; Quamvis etenim aliquorum opinio sit, ut quinquennii lapsus tacitæ inducat professionis præsumptionem, quæ juris, & de jure sit, ut propterea contrariam non admittat probationem; Veriùs tamen, magisque receptum est, ut juris tantùm præsumptionem inducat contraria elidibilem probatione. *b*

Justitiæ verò inspectio certam non habet regulam, cùm à facti probationibus, & circumstantiis nullitas pendeat, 42
ratione scilicet illegitimæ ætatis, vel imperfecti novitiatus, aut deficientis potestatis ejus, coram quo professio emissa sit, sive metus, aut vis, vel doli, super hujusmodi defectuum insufficienti justificatione cadentibus quæstionibus, quæ facti potiùs, quàm juris esse dicuntur; Sive probatione posita, an ejusdem defectus voluntatis sufficiens subsecuta sit suppletio ex aliis actibus, qui præsumptionem à quinquennali silentio resultantem magis coadjuvant, & confirmant, ut præsertim susceptio & administratio illorum officiorum, vel munerum, quæ nonnisi legitimè professis congruunt, considerari solet, sive susceptio Sacrorum Ordinum ad paupertatis, ac Religiosi status titulum, cum similibus pro facti qualitate, & circumstantiis. *c*

Præmissis verò ex singulari instituto superiùs enunciata Societas Jesu non subjacet, ubi ad quarti voti deventum non sit emissionem, ex qua quinquennii terminus juxta aliorum professorum præmissas regulas computandus est, atque Conciliaris forma servanda; Alios etenim trium simplicium votorum professos ipsius Societatis major Prælatus ex sibi visa causa, cujus justificationis obligationem non habeat, liberum concedit, vel præcipit egressum omnimodum, cum votorum solutione, ut propterea egressus sæcularem in omnibus assumat statum. 43

x disc. 37. cum duobus seqq. x locis proximè cit. y disc. 39. z In supplemento hoc tit. disc. 77. & disc. 39.
a disc. 17. de renunc. b disc. 40. & seqq. & in adnot. ad S. Conc. Trid. disc. 41. c Locis sup. cit. d disc. 29. & seqq. & 67. & 68. in hoc supplemento.
e disc. 1. cum seqq. f dict. disc. 1. cum seqq.

III.

De novis fundationibus Religionum, & Congregationum, vel novorum Conventuum, & Monasteriorum: Et de Prælatis Regularibus, eorumque electione, & potestate.

Super novis fundandis Religionibus, vel Congregationibus nulla cadit dubitandi ratio, ut nonnisi cum Apostolica authoritate, & probatione sequatur, quod soli pontificiæ potestati reservatum sit, ideòque illæ Congregationes, quæ militiæ, quæ pro collegiali Religioso vivendi modo, vel pro operum pietate, Religionis speciem, vel imaginem habeant, tales verè non sunt, neque personas in eis profitentes in statu regulari constituunt, atque castitatis, ac paupertatis, & obedientiæ, quamvis solemniter emissa vota simplicia, & privata, non autem solemnia, & regularia, censenda veniant, cùm inter superiùs enunciata solemnis, ac validæ professionis requisita, illud primum, ac præcipuum sit, ut in Religione ab Apostolica Sede probata juxta pariter probatam regulam sequatur emissio. 44

No-

45 Novarum itaque fundationum Monasteriorum, Conventuum, seu domorum quæstiones frequentes Romanæ Curiæ forus audit, præsertim verò Sacra Episcoporum, & Regularium Congregatio, cujus ex Pontificiis legibus privativa est cognitio, quoties Papæ non placeat eam in forma judiciali Tribunali Rotæ committere, ut in causis ultrà montes præsertim quandoque praxis docet.

46 Plura verò sunt novæ fundationis requisita, copulativè desiderata, ut ea legitima dicatur; Primò nempè Sedis Apostolicæ placitum; Quamvis etenim aliquorum sit sensus, ut in Mendicantium, non autem in Monachorum Ordine id procedat; Contrarium tamen magis receptum est, ut indistinctè istud accedere debeat requisitum.

47 Secundò consensus Ordinarii loci; Tertiò ille parochi, vel respectivè, pro locorum qualitate, universi Cleri sæcularis; Tertiò alter consensus populi; Et quartò consensus aliorum regularium in eodem loco, vel respectivè in aliis adjacentibus, ut infrà, existentium; Hisque omnibus accedentibus ea congrua, seu verisimiliter sperata, desideratur provisio, ut ad minus duodenarius Religiosorum numerus ibi sustineri valeat, exemptionis privilegio aliàs denegato, ut ea novæ fundationis Monasteria, vel Conventus, in quibus istud desit requisitum, Ordinarii subjaceant jurisdictioni, ac potestati; In illis autem antiquæ fundationis, quæ Pontificias leges desuper editas præcedant, senarius major numerus eandem inducit subjectionem.

48 Quartum requisitum, quod aliorum regularium consensum percutit, diversas haber species; Ubi etenim de illorum Religiosorum novo ingressu agitur, qui ex redditibus viventes verè mendicantibus nullum in eleemosynarum quæstuatione parant præjudicium, illorum tantum
49 Regularium desideratur consensus, qui intra certum spatium, à singularum Religionum indultis præfinitum, existunt, spiritualis æmulationis, ac diversionis populi gratia: Ideòque ubi simplex hospitii, vel collegii, seu pii loci regimen sit absque publica Ecclesia, cum prædicationum, & confessionum, aliorumque divinorum abstinentia, hujus requisiti necessitas cessat ex cessante ratione.

50 Mendicantes autem per Civitatem ex eleemosynarum diurna quæstuatione viventes, aliorum æquè mendicantium indigent assensu, qui intra quatuor milliarum ambitum, seu circuitum existent: Istius distantiæ mensura juxta legales, seu Romanos passus per frequentes, ac usitatas vias, non autem per agros, vel per sentos facienda, atque non ab ipsorum Conventuum, sed civitatum, vel oppidorum, aliorumvè locorum situ metienda distantia.

Omnes tamen hujusmodi consensus, Apostolica Sedes,
51 ejusque vice eminenter Sacram Congregationem justa exigente causa, quæ denegationis justitiam convincat, quandoque pro facti qualitate supplet, ideòque certam id non recipit regulam. *d*

Ob superiùs enunciatum commendabilem recentiorem
52 usum regiminis Religionum universitatis, vel Reipublicæ more, omnium Monasteriorum, vel Conventuum, seu domorum communione quadam accedente, ut præsertim in Italia, & in Hispania generica praxis docet, perpetuorum Prælatorum, seu regularium beneficiorum cum actuali cõventu usus exulasse videtur, ut propterea primus, vel major Prælatus, cui Generalis vocabulum, pro communi usu, tribuitur, aliisque Provinciales, seu locales, quibus Ordinariorum, seu Metropolitanorum species, seu imago congruit, temporanea est potestas, pro majori, vel minori spatio per singularum Religionum leges, vel consuetudines statutum, aliquibus exceptis, quæ majorem Prælatum ad vitam habeant, ipsius tamen Religionis placito durante: Illorumque Prælatorum pro eadem legum, vel stylorum diversitate per electionem pro frequentiori usu fieri solet creatio. *e*

Quamvis autem canonum dispositione attenta, in ista spe-
53 cie electionis scrutinii formam per eosdem canones demendatam servare non oporteret, utpotè in iis inducta Prælaturis, quæ viduatæ Ecclesiæ verum, ac perpetuum redoleant sponsalitium, non autem simplex officium, vel Magistratũ, quem hodiernæ regulares Prælaturæ important: Moderna tamen Trid. Concil. lex eadem secreti scrutinii formam induxit, canonum dispositione in reliquis legitimę electionis requisitis, firma manente: In eo præsertim, ut illa dicatur major parte actus conclusiva, quæ medietatem in uno, vel dimidio voto excedat, singularum Religionũ salvis legibus va-
54 lidè, ac legitimè ordinatis, quæ majorem votorum numerum, aliasque desiderant solemnitates, vel respectivè primi, seu majoris Prælati confirmatione, ideòque certam id non recipit regulam, cujus etiam est incapax eorundem Prælatorum, vel superiorum duratio, vel major, aut minor potestas pro singularum religionum legibus, ac stylis.

In majoris verò Prælati, cui Generalis nomen congruit, 55
electione, juris regula est, ut universa Religio singulæve ejus partes, vel provinciæ jus habeant, nisi legitima scripta, vel non scripta lex aliter statuat. *f*

d *disc. 29. & seqq. & 67. & 68. in hoc supplemento...*
e *disc. 1. cum seqq.* f *d. disc. 1. cum seqq.*

IV.

De Regularium exemptionibus, prærogativis, præcedentiis, & privilegiis: Et de eorundem privilegiorum conservatoribus, & de aliis ad materiam.

EAdem superiùs insinuata distinctione retenta inter il- 56
los Regulares quorum Monasteria, vel domus singulari jure reguntur, quamvis idem profiteantur institutum, & eos illarum Religionum, quæ omnium Monasteriorum, ac domorum connexione accedente, universitatis, vel Reipublicæ speciem constituunt, sub unico primo, seu generali Prælato, ac aliis juxtà earum diversum regimen, ut primo casu, qui in masculino sexu ultra montes etiam rarus, citrà verò nullus est, exemptio ab Ordinarii potestate, à singulorum Monasterium, vel domorum speciali Apostolico indulto pendeat: Eoque cessante, sub antiqua cadunt regula, utrumque sæcularem, ac regularem clerum Ordinario, seu Diœcesano pariformiter subjiciente.

In altero verò ob communicationem privilegiorum, quæ
aliquibus Religionibus concessa, aliis per Apostolicam Se- 57
dem facta est, generica rectè statui potest regula exem priva, ex moderna tamen Conc. Trid. lege, aliisque posterioribus Apostolicis Constitutionibus, vel decretis, quampluribus subjecta limitationibus non de facili compendio congrois, de facili tamen apud collectores videndis. *g*

Eas tamen frequentior praxis docet, quæ in obligatione
accedendi ad publicas processiones, atque Ordinarii judicio 58
circa præcedentiam, vel incedendi modum, ac quiescendi, consistunt, sive ejusdem parendi mandatis, ac inhibitionibus super accessu ad Monasteria Monialium, vel super observantia festorum, sive interdictis, ac in aliis, quæ publicam necessitatem, vel salutem, sive usum concernant, cum similibus, quibus eadem congruat ratio. *h*

Frequentior autem ea est limitatio, quam exercitium curæ animarum, vel administratio Sacramentorum, aliorumque jurium Parochialium, seu verbi Dei prædicatio, cum Clero, & populo eidem Ordinario subjecto, producunt; Istæque ac similes genericæ sunt limitationes omnibus regularibus indifferenter congruæ.

Quæstione cadente, an subjectione posita, facultas competat infligendi pœnas, præsertim verò spirituales censura- 59
rum, super quibus specificum accedat Regularium privilegium, ne ad eas Ordinarius cum ipsis procedat: Quamvis autem non modica desuper opinionum scissura dignoscatur: Modernæ tamen Pontificiæ leges, super exemptorum privilegiis quæstionem decidunt, atque affirmativam sententiam statuunt veriorem. *i*

Incursas quoque censuras à lege inflictas Ordinarium denunciare, seu declarare posse privilegiis non obstantibus, verius est, ubi nulla super facti verificatione, causæ judicialis cognitio cadat, quia nempè factum, ac jus certum sit, ideòque non Judicis sed simplicis denunciatoris partes agat cum proprio populo suum munus potiùs exercendo, ut censuratos sciat, à quorum commercio abstinere debeat.

Particulares verò limitationes à fundationis lege quãdo- 60
que derivant, quia nempè, sub hac lege per eos acceptata Regulares in loco per Ordinarium recepti sint, sive aliquam receperint concessionem: Vel à Religiosorum numero juxta superius enunciatam distinctionem inter modernas, & antiquas fundationes: In modernis scilicet, post illius pontificiæ legis editionem, quæ illa prohibet ędificari Monasteria, vel Domus Religiosorum duodenarium minorem numerum habentes: In antiquis verò, ut sit senario minor. *k*

Pro isto exemptionis privilegio, quod omnium est majus, 61
omnibusque ut supra, commune, ac genericum, ac etiam pro aliis, quibus una, vel altera religio potiatur, conservandis, Apostolica Sedes singulis Monasteriis, ac domibus indulsit, ut Apostolicũ sibi assumant, ac habeant Judicem, eorundem privilegiorũ conservationi incumbentẽ, cui propterea conservatoris privilegiorum nomen, seu vocabulum tribuitur. *l*

Quia verò in abusum hęc facultas irrepserat: Hinc moder-

na

na pontificia lex, quorumvis indultorum, prævia moderatione, aliquibus exceptis religionibus, quæ absque individua mentione sub genericis provisionibus non cadunt, formam statuit, justa quam hujusmodi Conservatorum deputatio facienda est, eorumque muneris exercitium versari debet, ut in sua Sede videndum. m

Præcedentiarum quæstiones quoque inter regulares frequenter forus audit, illæque duplicem habent speciem; Unam nempè inter singulos ejusdem Instituti, vel domus professores; Alteram verò inter illos diversarum Institutorum, seu religionum.

62 In prima specie, certa, & generalis non cadit regula, cùm à singularum religionum, vel respectivè domuum scriptis, vel non scriptis legibus decisio pendeat; Consuetudine præsertim in hac materia principatum obtinente.

63 In altera verò specie, inter solemnes Ecclesiasticas functiones, & actus, vel congressus privatos, distinctio cadit, ut primo casu illi regulares, qui Clericorum sæcularium Ecclesiasticum adhibeant habitum, eorumque figuram gerant, seu imaginem habeant, utpotè sub Cleri sæcularis hierarchico ordine recensendi, reliquos omnes Cleri regularis præcedant; Inter illos verò, qui sub Cleri regularis hierarchico ordine cadunt, ex moderna Pontificia lege, quæ Gregoriana dicitur: Religionum neglectis Indultis, vel antiquitatis prærogativa, prior receptio in loco, præcedentiam præbeat, nisi aliter legitima exigat consuetudo.

Quæstione cadente, ubi plurium ejusdem Religionis, vel Instituti domorum diversis temporibus fundatio accedat; receptum verò est, ut prioris antiquitas aliis ejusdem Instituti domibus eandem communicet prærogativam, ne unum idemque corpus scissuram patiatur, seu diverso jure censeatur.

In aliis verò privatis, ac indifferentibus actibus religionis antiquitas locum statuit, nisi Apostolicum Indultum, hujus regulæ limitationem producat: Antiquitate, non ex Instituti introductione, sed ex Apostolicæ approbationis tempore metienda. n

64 Inter status regularis favores, & privilegia, illud præsertim notabile censetur, ut illegitimorum natalium restitutionem inducat, atque ita illegitimos efficiat legitimos ad honorificos tamen effectus, non autem eos, qui in successionibus, aliisque prophanis juribus legitimorum, vel aliorum jus tollant. o

65 Pleraque alia religiosus status minus in praxi contingibilis producit privilegia in suis videnda Sedibus.

Illud autem est genericum, ut hodie regularis professio clericatus speciem habeat, ideòque sæcularium Clericorum immunitates, ac privilegia communicet.

66 Super professorum item contractibus, & obligationibus sive in communi, sive in particulari cadunt quæstiones in contractuum, & prohibitarum alienationum, sive in debiti, & crediti sedibus peractæ. p

67 Prout in altero decimarum, de eorundem Regularium exemptione, & privilegiis in ea decimarum materia agitur; q Atque in altero Parochorum de funerum, & sepulchrorum, vel canonicæ portionis, aut de jurium parochialium exercitio agitur; r Ac etiam in altera Sede præeminentiarū, ubi etiam de reverentia Ordinario, vel Diœcesano per regulares, exemptivis privilegiis non obstantibus, præstanda. ſ

68 In rerum jurisdictionalium altera Sede de multis quoque agitur, quæ regulares concernunt; Et præsertim super eorum exemptionis, aliorumque privilegiorum communicatione ipsorum Colonis, famulis, ac ministris, quamvis professi non sint, sed sæculares, ibique recensetur Pontificia Gregoriana lex, quæ formam, seu regulam desuper statuit, ut illi Cleri, vel Populi sæcularis personis ista competat privilegiorum regularium communicatio, in quibus tria copulativè accedant requisita: Primò nempè fixa, & perpetua, seu majoris partis vitæ formalis addictio religionis, & regularis domus servitio: Secundò vita inter ejusdem regularis domus claustra, vel sepee eorundem regularium more, non autem Cleri, vel Populi sæcularis more in privatis domibus, quamvia de ipsis religiosis, vel regularis domus dominio sit: Et tertio, ut sub regularia Superioris obedientia Religiosorum pariter ad instar vivant; Multò igitur magis eorum Noviriis eadem competunt privilegia; Et de aliis in suis videndum est Sedibus. t

g de jurisd. disc. 25. & seqq. & disc. 1. hoc tit. ex n. 17.
h locis proximè cit. & in Miscell. Eccles. disc. 16. & 32.

i Miscell. Eccl. disc. 14. & seq. in adnot. S. C. T. disc. 43. & disc. 65. hoc tit.
k ibid. l de hujusmodi conservatoribus disc. 51. & seqq. hoc tit. & de jurisd. disc. 49. m loc. cit.
n disc. 16. & seq. o disc. 42. n 17. p tit. de credito, disc. 82. & 83. & hoc tit. disc. 55. q tit. de decimis, disc. 1. & seqq. r de Paroch. disc. 25.
ſ cit. de jurisd. disc. 35. & disc. 64. hoc tit.
t de jurisd. disc. 4. 33. & alibi.

V.

De Monialibus, & aliis ad earum materiam; Et de aliis mulieribus, quæ more Monialium religiosè vivant.

OMnia quæ solemnis, ac validę regularis professionis requisita, & effectus concernunt in masculini sexus professoribus recensita, Monialibus quoque pro generali regula congruunt, ut propterea seguendi licentia detur, iis exceptis, in quibus diversitas, aut limitatio statuta sit. u 69

Omnibus itaque præmissis præsuppositis: In exemptivis 70 præsertim privilegiis ea dignoscitur differentia, ut Monialium quacunque exemptione non obstante, Ordinarii loci delegata interet facultas, ac jurisdictio super clausuræ visitatione, & custodia tam materiali, quàm formali, ne absque ejus placito clausuram ingredi, vel Moniales alloqui non liceat, quamvis proprii Prælati licentia accedat, observantiæ deferendo an copulativum ejusdem Prælati placitum accedere debeat, & illud solius Ordinarii non sufficiat. x

Super Abbatissæ, seu Prælatæ electione duplex quoque 71 differentia dignoscitur: Una scilicet, ut eorum exemptionis non obstante privilegio, loco Ordinarius electionis actui assistere valeat: Quòdque non ab ea majori parte, quæ votorum medietatem excedat, electio concludatur, sed duas ex tribus exigat, eadem tamen regulariter accedente temporalitate, ut triennii metam non excedat, quamvis omnium uniformis super confirmatione, vel temporis prorogatione consensus accedat, nisi Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium placitum adsit, antiqua tamen non improbata consuetudine, quæ citra montes nulla est, ultrà verò rara, ut ad vitam, sive ad longius tempus Abbatissæ, vel Prælatæ sit duratio. y

Ille item vitæ mendicitatis status, qui in masculini sexus 72 Regularibus datur, cum bonorum stabilium, ac redituum incapacitate, ut ex diuturna eleemosynarum quæstuatione, aliavè obventione, vita dicatur, in Monialibus est prohibitus, cùm sexus honestati, ac pudicitiæ id incongruat, ejusque periculum importet.

Clausuræ quoque rigor nimiùm diversus est: Quamvis 73 etenim in claustralibus Religionibus virorū clausura quoque Monasteriorum, vel Domorum cadat, ne mulieribus accessus, vel egressus, aut mora pateat; Ea tamen larga, & impropria est, præmissam tantùm concernens prohibitionem, in aliquibus solemnitatibus quoque limitari solitam, ideòque virorum sæcularium ingressum, ac moram non prohibet, minusque eorundem Religiosorum egressum illum, qui illicitè, & animo deferendi habitum, ac Religionem non sequatur: In Monialibus verò, longè strictior est clausuræ lex, intrinsecùs, & extrinsecùs, sive activè, & passivè, ne scilicet ipsæ ejus Moniales limites egredi valeant, sed sub perpetua clausura vivant, minusque inter eosdem clausuræ limites tam viri, quàm mulieres sive sæculares, sive Ecclesiastici sint, quinimò ipsimet Prælati, visitationis justa causa, vel simili cessante, ingredi valeant; iis exceptis, quorum ingressum necessitas exigat, ut Medici, & Chirurgi, ac Fabri, aliique operarii sunt: Ideòque hujus requisiti rigorosæ clausuræ defectus magnum præbet argumentum veri Mo- 74 nasterii regularis exclusivum, quòdq; potiùs pia Domus sæcularis sit, cui Conservatorii nomen volgò tribui solet. z

Frequens etenim in Italia præsertim hujusmodi piarum Domorum usus est, in quibus Monasteriorum speciem penè 75 in omnibus habentibus sub aliquo pio Instituto, quinimò etiam sub aliqua electa regula, quæ genericè per Apostolicam Sedem jam probata sit, collegialiter vitam ducant, Monialium more, etiam quoad habitum, ac aliquas promissiones, vel oblationes, vitæque asperitatem, sub Prælatæ, aliorumque Ecclesiasticorum Superiorum, vel Ordinarii loci obedientia, & tamen Moniales non sunt, sed potiùs sæculares, illeque locus sæcularis potiùs est, quàm Monasterium, cujus essentiale requisitum est formalis fundatio sub Instituto, in ipso individuo loco per superiores probato: Idque pro moderna currenti Italiæ praxi, nonnisi cum Apostolica

stolica approbatione per Sac. Congregationis Episcoporum & Regularium organum explicari solita, sequitur. *a*

Differunt quoque Moniales à masculini sexus Regulari-
76 bus, in eo pecuniario, vel quantitativo subsidio, quod sub dotis nomine Monasterio præstant Moniales, non autem viri, ex superiùs jam insinuata ratione, illam tollente simoniacæ labis dubitationem à plerisque habitam, ut non pro Monastico habitu, vel statu, sed pro alimentis, aliisque temporalibus subsidiis, id præstent, illius dotis ad instar, quæ pro matrimonio carnali, viro per mulierem præstatur, ideòque, ut in sua dotali sede advertitur, ista quoque vera dicitur dos, omnibusque dotalibus potitur privilegiis, dummodò verum spirituale accedat matrimonium, quod per solemnem professionem cum Christo contrahi dicitur. *b*

77 Magis item in Monialibus, quàm in viris, ea per Ecclesiam tolerata viget consuetudo, annuam, vel menstruam ad propriam dispositionem pro extraordinariis usibus, ac indigentiis habendi vitalitiam præstationem, quæ dotis pars, ex communi usu dicitur, ideòque sub dotis præstandæ obligatione cadit. *c*

78 Omnium ejusdem Monasterii Monialium æqualis est, ac uniformis ea summa, quæ sub dotis nomine ipsi Monasterio præstatur, difformitate cadente pro personarum qualitate, sive ubi aliquod urgeat objectum, putà quia Mulier corrupta, vel infirma, sive tertia soror, aut supernumeraria, ac proptereà duplicatam, vel majorem dotem pro facti qualitate, vel consuetudine, aut pro Sacræ Congregationis arbitrio solvere debeat.

Et è converso minus ordinaria summa solvendo; Vel quia de diverso ordine Conversarum inferioribus servitiis addicta sit; Vel quia de fundatoris, seu magni fundatoris sanguine; Aut quia animi dotes, ac virtutes, dotis partem compensent pro ejusdem Sac. Congregationis arbitrio, sine cujus placito hujusmodi diminutio interdicta est.

Ex ejusdem Sacræ Congregationis decretis in susceptione habitus, dos in ipsius Monasterii arca, vel penes idoneam personam pro locorum qualitate, & moribus deponenda est pro Novitiatus tempore, nonnisi post solemnem, ac validam professionem probationis expleto anno in legitima ætate emissam, Monasterio applicanda; Ideòque puella egrediente, sive decedente ante professionem, dotantibus restituenda est, quamvis ea emittatur professio, quæ devotionis, vel spiritualis consolationis gratia per morientes Novitias emitti solet. *d*

Antiquitas plurium Religiosarum Mulierum habebat genera, quæ diversas constituebant Religiones, vel Ordines sub Pinzocherarum, Biguinarum, Tertiariarum, & Mantellatarum, pluribusque aliis similibus vocabulis explicari solitos; Hodie verò meritò per Ecclesiam iste abolitus est usus, ut nonnisi in legitimè fundatis Monasteriis, sub enunciata stricta, activa, & passiva clausura, dentur veræ Moniales professæ. Aliæ verò mulieres, quæ antiquarum biguinarum, & tertiariarum, ac similium ad instar in privatis domibus, ac etiam in adunantiis, & conservatoriis sub alicujus etiam probatæ Religionis habitu, & regula, cælibem, ac religiosam ducant vitam, iis accedentibus requisitis, quæ per Pontificias leges statuta sunt, Ecclesiasticam ad summum, pro fori exemptione, vel immunitate, assumunt qualitatem, non autem regularem, ideòque veræ Moniales professæ censendæ non sunt. *e*

De aliis verò minus in praxi frequentibus in sua Sede videndum est.

u hoc tit. disc. 1. ex n. 126. x de jurisdict. disc. 18. & 25. & hoc tit. disc. 24. & in adnotat. ad Sac. Conc. Trid. disc. 36. & hoc tit. in Supplemento, disc. 73.

y disc. 1. ex n. 140. in adnot. ad S. Conc. Trid. disc. 37. & in Supplemento hoc tit. disc. 72. z disc. 66. hoc tit. in Supplemento, a disc. 50. & 66. & in Supplemento hoc tit. b de dote, disc. 11. & 167. & hoc tit. disc. 77. in Supplemento, & disc. 1. ex n. 144. c ibid.

d ibidem, e disc. 50. & 66. in Supplemento hoc tit.

Finis Partis Primæ Libri XIV.

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Decimiquarti Pars Secunda,

DE MATRIMONIO, SPONSALIBUS, ET DIVORTIO.

ROMANA NULLITATIS MATRIMONII PRO FRANCISCO CUM CASSANDRA.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Concilii Tridentini, resolutus pro Cassandra.

An & quando dicatur contractum domicilium in aliqua parochia, ad effectum, ut coram illo Parocho contrahi possit matrimonium ad formam Concilii Tridentini? Et quid ubi novum domicilium ita affectatè, ac in fraudem contrahatur, ut actus clandestinè fieret? Et quid operetur licentia, quæ Parocho conceditur per Ordinarium loci?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Resolutio.*
3 *Quis sit Ordinarius Urbis.*
4 *De delegatione Parochi, vel Ordinarii.*
5 *De decretis super polygamia.*
6 *De aliis super denunciationibus.*
7 *De delegationis intelligentia.*
8 *Sufficit Parochus unius contrahentis.*
9 *Fraudulenta mutatio domicilii non obstat.*
10 *Habitatio accidentalis in villa, vel alio loco non sufficit.*
11 *Referuntur plures opiniones, super legitimo domicilio.*
12 *De applicatione ad casum circa dictam quæstionem.*
13 *In arbitrariis non de facili convincitur injustitia.*
14 *Quod resolutio non placeat.*
15 *In quibus terminis procedant decisiones, quæ desuper habentur.*

D I S C. I.

1 POst diuturnam conversationem, quam Franciscus habuerat cum Cassandra, quæ inhonestam vitam ducebat in domo ad annum conducta in parochia Sanctæ Mariæ in Campitello; Cùm Franciscus intenderet eam in uxorem desponsare, timeret autem, ne innotesceret Ascanio patri, in cujus domo vivebat in parochia S. Augustini, curavit mulier de die frequentare domum cujusdam ejus benevolæ mulieris in parochia S. Nicolai in Carcere, ut ibi videretur, quamvis de nocte ad propriam consuetam domum redire; Obtentaque à Vicesgerente licentia directa Parocho S. Nicolai, ut conjungeret istam mulierem tanquam ejus subditam in matrimonium, prævio examine duorum testium facto super statu libero dependentium, quòd vidissent eam habitare in hac parochia, ad matrimonii celebrationem coram eo deventum est, cum dispensatione denunciationum. Hoc autem detecto, curavit viri pater, ut ex parte filii, qui à muliere diverterat, introduceretur causa nullitatis matrimonii coram Vicesgerente; Verùm ex rescripto San-
2 ctissimi, stante mulieris paupertate, causa summariè pro stylo dicenda remissa fuit Sac. Congregationi Conc. Trid. interpretum, a qua *sub die 23. Aprilis 1667.* prodiit resolutio pro matrimonii validitate, non sine tamen magna votorum scissura, ideòque concessa fuit nova audientia, quæ tamen sine effectu remansit, dum superventa mors viri, controversiæ finem dedit.

In disputatione igitur desuper habita, duo erant puncti; Primò circa mulieris domicilium in ista parochia, an scilicet ita legitimè contractum dici posset, ut ille Parochus dici posset proprius, ad satisfaciendum Conciliari formæ. Et secundò, quatenus etiam non esset talis, an sufficeret licentia concessa per Vicesgerentem, dum idem Conciliare decretum alternativè loquitur de Parocho, vel de quocunque presbytero habente licentiã ab Ordinario loci, vel ab ejus Vicario Generali, atque sub unius, vel alterius nomine in Urbe veniunt Cardinalis Vicarius, qui repræsentat Papam tanquam Episcopum Romæ, Vicesgerens autem reputatur dicti Cardinalis Vicarii Vicarius, ex iis, quæ habentur firmata per Rotam *in Romana hereditatis 28. Aprilis 1649. cor. Melzio* impress. post collect. Bonden. *dec.* 52. edita in casu, de 3
quo *sub tit. de fideicom. disc.* 155. atque pluries alibi insinuatur, præsertim *sub tit. de praemin. disc.* 1. ubi de distinctione plurium personarum formalium personæ materialis Papæ.

Potissima ratio resolutionis erat ista licentia Vicesgerentis, per quam plures credebant quòd omnis cessaret difficultas, quamvis de domicilio contracto dubitarent, unde proptereà ea his votis, junctis cum aliis, opinabantur, quod domicilium benè contractum esset, ita major votorum pars constituta fuit pro resolutione.

Verùm scribens ego pro viro (reflectendo etiam ad veritatem) credebam, quòd istud fundamentum contineret fal- 4
laciam in applicatione, ut etiam erat sensus, non solùm eorum, qui pro nullitate votum protulerunt, sed etiam aliorum, qui pro validitate responderunt, ex motivo domicilii; Clara etenim erat fallacia, quoniam hæc licentia per Vicesgerentem data, non erat data Parocho potestatem aliàs non habenti, ut ita eam obtineret tanquam per speciem delegationis juxta casus, de quibus *infrà in Bononien. & in Mechlinen.* Sed data erat eidem cum præsupposito quòd esset proprius Parochus ad diversum effectum, stantibus scilicet decretis generalibus Sac. Congregationis universalis Inquisitionis, inhibentibus Parochis, ne cum personis, de quarum statu libero omninò certi non sint, matrimonia contrahi permittant, nisi prævia Ordinarii loci licentia, quæ 5
concedi non solet nisi post receptas probationes super contrahentium statu libero, saltim per duos testes deponere debentes super interrogatoriis, quæ per eadem decreta, pro generali formula præscripta sunt, ideòque exinde inferri non poterat ad delegationem aliquam jurisdictionis, vel potestatis, aliàs non competentis, cùm reverà hæc non esset delegatio, sed solùm remotio obstaculi pro cautela, sive pro indemnitate ejusdem Parochi, ne aliàs incurreret pœnas ab eisdem decretis inflictas, non autem ut id percuteret substantiam, seu validitatem matrimonii, quoties ille non esset proprius parochus, seu quòd aliud canonicum impedimentum obstaret.

Ad instar eorum, quæ habentur infrà in *Neapolitana* 6
disc. sequent. super prohibitione, quam habent Parochi à Concilio Tridentino, ac strictiùs sub gravibus pœnis à Synodalibus Constitutionibus locorum, ne matrimonia solemnizare possint, neglectis denunciationibus in utraque contrahentium parochia, quoniam si eis neglectis, matrimonium fiat, id ejus validitati non obstabit, quamvis Parochus pœnis subjaceat.

Cùm etenim delegatio dicatur actus voluntatis, per 7
quam delegans tribuat privato illam potestatem, seu jurisdictionem, quam non habebat, hinc proinde impossibile est, ut illa adesse possit sine voluntate delegantis; ex generali axiomate, ut actus voluntarii trahi non possint ultra id quod voluntas est; Et clariùs ex peculiari natura delegationis,

quæ

quæ est stricti juris, ac strictissimè ad limites verborum intelligenda, ideòque concessa ad unam causam, seu ad unum actum, trahi non potest ad alium, sive sub nomine unius personæ, pro diversa persona suffragari non potest, ut ultra generalia, quæ in judicialibus commissionibus, vel delegationibus habentur in sua sede *sub tit. de Judic.* In his specialibus terminis habetur apud Dunozett. *disc.* 451. ubi in terminis fortioribus licentiæ concessæ occasione dispensandi denunciationibus, & per Tondut. *qu. benef.* 154. *num.* 1. *& seqq.* edita in casu de quo *disc.* 4. & infrà *in d. Bonon disc.* 3. Esset enim maximum absurdum, ut hujusmodi licentiæ, quæ conceduntur parochis ad dictum diversum effectum, cum præsupposito eorum potestatis, quodque ageretur cum propriis subditis, ad id trahi possent, quoniam ita nimium de facili fraudes fieri possent dictæ formæ Conciliari, quæ inanis, ac fatua remaneret.

8 Major igitur, penèque tota difficultas causæ consistebat in primo puncto, an scilicet dici posset legitimè contractum domicilium per mulierem in illa parochia, dum absolutum, ac extra omnem controversiam receptum est, ut sufficiat præsentia Parochi unius contrahentium, nulla distinctione data inter virum, & mulierem, ex plenè collectis per Boss. *de matrimonio cap.* 4. *n.* 11. Iste autem punctus in duos alios subdistinguebatur. Primò nempè circa ipsius domicilii substantiam, & an esset tale, quòd mulier istius parochiæ subdita dici posset pro hujus Sacramenti administratione. Et secundò, posito etiam sufficienti domicilio, an obstaret, quòd illud affectatè, ac in fraudem contractum esset, dum reverà mulier propriam habebat domum solitæ habitationis in diversa parochia à qua affectatè ad hunc effectum discessit, atque ad eam post secutum matrimonium rediit.

9 Quamvis autem super hoc secundo puncto fraudis, vel affectationis, more Advocati ad causæ opportunitatem, plura deducerem, cum generalibus propositionibus super infectione eorum, quæ ad legem fraudandam fiant; Nihilominus reflectendo ad veritatem, agnoscebam quòd posito domicilio sufficienter contracto, istud esset fragile fundamentum, quoniam usque ab anno 1600. hæc Sacra Congregatio Concilii *in una Senen.* quæ reputatur in materia magistralis, discusso articulo, censuit, ut hæc fraus, seu affectatio non obstaret, cùm aliàs id præjudicium præberet libertati matrimonii cum inæqualibus personis, sive præter parentum, vel conjunctorum voluntatem contrahendi, quoniam, cùm id in consueta parochia propria, stante necessitate trinæ denunciationis, absque publicitate sequi non valeat, unde propterea de facili resultare potest impedimentum; Idcircò contrahentes, ad diversum locum, vel diversam parochiam domicilium studiosè transferre satagunt; Atque cum dicta resolutione deinde processum fuit in plerisque aliis casibus relatis per Fagnan. *in cap. Significavit, de paroch.* & per Barbos. *de paroch cap.* 21. *n.* 40. Boss. *de matrim. cap.* 4. *n.* 18. atque cum hoc sensu passim proceditur.

10 Ideòque totus punctus causæ consistebat in dicta inspectione, super substantia scilicet domicilii, & an istud contractum dici posset, ad effectum administrationis hujus Sacramenti, quod aliquam habet peculiarem qualitatem desiderantem domicilium verè, ac legitimè contractum, adeò ut non sufficiat illud accidentale, seu occasionale, quod pro aliorum Sacramentorum administratione sufficit etiam in viatoribus, ac peregrinis, vel in iis, qui gratia recreationis, sive recollectionis fructuum, aut pro aeris beneficio, in villa, seu alio loco quamvis notabili tempore moram trahant, quoniam licèt à villæ, seu alterius loci parocho, alia sacramenta licitè illis administrentur, non tamen istud administrari potest, ac propterea matrimonium coram eo contractum remanet invalidum, ac præter formam Conciliarem ad text. *in c. is qui, de sepultur. in sexto*, cum Concordantibus per Sanchez *hoc tract. l.* 3. *disp.* 23. *qu.* 2. *n.* 9. *&* 11. Boss. *eod. cap.* 4. *n.* 16. *& seqq.* Barbos. *vot.* 19. *num.* 4. *& seqq.* Rot apud Dunoz. *dict. dec.* 451. *& in Leodien. nullitatis matrimonii* 28 *Junii* 1666. *cor. Cerro*, edita in casu, de quo *disc.* 5.

11 Quando autem ad hunc effectum dici valeat sufficienter contractum domicilium, necne, magna inter DD. opinionum varietas dignoscitur; Alii enim volunt, ut requiratur formalis translatio domicilii de una parochia ad alteram, cum expressa declaratione verbali, vel saltim cum indiciis, & actibus facti, ibi perpetuò habitandi, primumque domicilium deserendi; Alii verò credunt, ut requiratur in nova parochia habitatio annalis, vel saltim pro majori parte anni. Et alii, ut hæc secunda opinio procedat, quoad alia Sacramenta; Secus autem quoad illa matrimonii, & ordinis, ut prima opinio in his tenenda sit; Atque aliorum est opinio probabilior, quæ tribuitur Friderico de Sen. *cons* 254 quam sequitur Sac. Congregatio Concilii, ut ad hunc effectum matrimonii, sufficiat sola habitatio, absque necessitate, explicitæ, vel implicitæ declarationis animi, vel temporis notabilis, seu aliorum requisitorum, quæ de jure desiderantur ad contrahendum formale domicilium, quoad alios effectus, dummodò sit habitatio constans, ac formalis in ea parochia, privativè ad præcedentem habitationem in priori; Secus autem si sit gratia recreationis, vel ex alia causa accidentali, priori habitatione non derelicta, atque cum brevi reversione ad eam, ex deductis per Fagnan. *in dict. c. significavit, de paroch. n.* 20. *& seqq.* ubi dictas opiniones refert, ac etiam refert d. decisionem *Senen.* de anno 1600 cum qua in aliis processum fuit, & habetur etiam apud Barbos *de Paroch cap.* 21. *num.* 45. & Boss. *de matrim. cap.* 4 *n.* 13 atque cum eodem sensu processit Rota *in celebri Toletana coram Merlino* inter suas *dec.* 194. quæ est etiam in materia magistralis.

Hinc proinde, hac ultima opinione retenta, fallacia esse solet in applicatione, circa quam dicendum est, ut ista sit quæstio facti potiùs, ac probationis, etiam adminiculativæ, quàm juris, ideòque juxta regularem hujusmodi quæstionum facti naturam, certa regula generalis desuper constitui non potest, cuicunque casui applicabilis, cum probationum materia, præsertim, ubi de adminiculativis agitur, Judicis arbitrio reposita sit, ex singulorum casuum qualitate, ac circumstantiis regulando; Et de consequenti, erroneum pro meo judicio est, procedere cum propositionibus generalibus, vel cum decisionibus, quæ in diversis casibus prodierint, quoniam stant benè simul, ut in uno casu aliquæ probationes, vel argumenta sufficiant, in altero autem, eadem, ac longè majora insufficientia sint, quia nempè ita, locorum, ac temporum, & personarum, aliarumque circumstantiarum qualitas, uno, vel altero modo exigat. 12

His autem sic stantibus (applicando ad rem:) Dicebam quòd non de facili hæc resolutio de positiva improbabilitate redargui posse videbatur, cùm id in arbitrariis non sit convincibile, ut advertitur apud Greg. *decis.* 106. *n.* 2. Rovit. *super pragmat. in Rubr. de appellat. num.* 25. *& seq.* ubi Concordantes. 13

Pro meo autem judicio, ea difficultates pari videbatur; quoniam ista mulier, etiam de tempore quo matrimonium contractum fuit, tenebat consuetam domum conductam, cum mobilibus: Et quod magis est, ad eam nocte redibat, ibique dormiebat, etiam cum ipso viro ibi solito habere consuetudinem; Alia verò domus erat alterius, qui eam tenebat conductam, 14 eoque tunc accidentaliter absente, ejus mater potuit huic mulieri complacere, præstando solam patientiam quòd ibi de die moraretur: Et consequenter nullum verificabatur domicilii requisitum, dum deerat utrumque extremum, à quo, & ad quod, desertio scilicet prioris domicilii, ejusque transmigratio cum supellectilibus, aliisque bonis necessariis ad novam domum, causa ibi habitandi, ac vivendi, qualis erat casus *d. dec* 194. Merlin. ut ejus circumstantiæ, & argumenta ex lectura comprobant.

Ita pariter *in Senen. & in Patavina*, & in aliis relatis per Fagnan. *in dicto cap. significavit*, & per Barbos *d. cap.* 21. *de paroch.* istius voluntatis argumenta accedebant, quòd nempè volentes contrahere matrimonium, quod cupiebant esse parentibus, vel conjunctis occultum, discedebant ab 15 una civitate, atque ad aliam accedebant, ibi domum conducentes, atque in ea habitando diu, noctuque: Quamvis enim id affectatè factum esset ad hunc solum finem, vel effectum, attamen id est considerabile ad alios effectus, qui ex vero domicilio resultarent, illum præsertim civilitatis, ac similes, non autem ad istum, ad quem sufficit, ut de facto primum domicilium desertum sit, atque novum contractum cum fixa, & formali habitatione: Verùm in hac facti specie utrunque cessabat: Ideòque, nisi viri mors quæstionem decidisset, probabilius in repropositione, sperandus videbatur recessus à resolutis.

ADNOT. AD DISC. I. cum seqq.

IN ista materia matrimoniali nulla supperiit occasio postmodùm disputandi præterquam in duobus casibus, de quibus *in hoc tit. disc.* 16. *&* 17. quorum ultimus concernit eandem materiam, de qua *disc.* 11. *hoc tit.* super separationem scilicet Thori ex causa sævitiæ: Et in altero agitur de matrimonii probatione, & signanter, quando licitè per literas inter absentes contrahatur.

Præ-

Præterea, in hoc Supplemento auditum fuit compendium, sive Summa, in qua tota materia reassumitur; Prout etiam de pluribus eandem concernentibus habetur actum *in annot. ad S. C. T. præsertim disc. 56. cum seqq.*

Decisiones editæ in casu, de quo *disc. 5. sunt impress. p. 14. rec. dec. 498. & p. 15. decis. 60. 162. & 305. & p. 16. dec. 259.*

NEAPOLITANA MATRIMONII

PRO MICHAELE VAEZ DUCE CASÆMAXIMÆ,

CUM JOANNA MARIA DE SCIART.

Casus decisus per Rotam pro Jo. Maria.

De matrimonio celebrato coram parocho proprio unius ex contrahentibus an valeat, si parochus non audivit quid ageretur? Et an ejus dissensus, ac omissio denunciationum obstent, necne? Et quomodo probetur quòd matrimonium contractum sit, & qui testes admittantur?

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *De resolutione super subministratione alimentorum mulieri lite pendente.*
3 *De requisitis pro hujusmodi alimentorum suppeditatione.*
4 *Sententia probat bonum jus, etiamsi suspensa sit per appellationem.*
5 *An pater viri ad dicta alimenta teneatur?*
6 *Resolutio causæ principalis super matrimonio.*
7 *Defectus denunciatum non obstat validitati matrimonii.*
8 *Convocatio parochi cum fraude pariter non obstat.*
9 *Qualis parochi, & testium præsentia requiratur.*
10 *Quando consensus dicatur benè, vel malè explicatus.*
11 *Testes conjuncti admittuntur ad probationem matrimonii.*
12 *Numerus supplet defectum, vel exceptiones.*
13 *De differentia circa probationem matrimonii inter canonizationem, & impugnationem.*
14 *Consensus mulieris etiam nutu, & signis sufficit.*
15 *Ex quibus consensus deducatur.*
16 *De materia probationis matrimonii, & quando parentes, vel conjuncti admittantur, necne.*

D I S C. II.

1 Michael Vaez Dux Casæmaximæ, Comitis Molæ (qui etiam erat Præsidens togatus Regiæ Cameræ Summariæ) tunc viventis filius, captus amore Joannæ Mariæ de Sciart, natalibus (ut supponebatur) æqualis, fortunæ tamen bonis longè inæqualis, ut patrem lateret, ex præordinatione cum dicta Maria, ex improviso ad Ecclesiam parochialem accessit, ibique, cùm parochus celebrando, conversus ad populum diceret, *Dominus vobiscum*, apprehensa dicta Maria per manum, eidem parocho coram testibus dixit, quòd illa erat ejus uxor, dicta Maria respondente cum solo verbo affirmativo: *Signor si*; Cùmque parochus indignatus responderet, *ostis excommunicati*; atque statim discedendo ab Altari, accederet ad sacristiam, ibidem eum
2 insequentes, denuò coram eisdem, aliisque testibus, eadem protulit verba, muliere pluries repetente dicta affirmativa verba, *Signor si, Signor si*, & exinde, cum ea per aliquos menses cohabitavit, eam Ducissam appellando, atque à famulis appellari faciendo; Deindè verò, sive pœnitentia ductus, sive ut indignatis patris gratiam captaret, à dicta muliere discessit, atque conventus in Curia Archiepiscopali ad cohabitandum, opposuit de matrimonii nullitate, quæ rejecta fuit per eandem Curiam, quæ sez. lat. sententiam diffinitivam protulit super matrimonii validitate, ac obligatione cohabitandi: Cùmque per quendam Episcopum delegatum Apostolicum dicta sententia ex capite nullitatis actorum infirmata esset, hinc commissa causa in Rota coram Royas, cum clausula, *subministratis alimentis arbi-*
3 *trio Rotæ*, datoque dubio ad formam rescripti, *an intret arbitrium*, pro dicta alimentorum subministratione, sub *die 13. Maii* 1650. affirmativa prodiit resolutio, ut patet ex decisione desuper edita inter ejus *impressas decis.* 422. ex eo fundamento, quòd licèt vir, cui dos soluta non fuit, non teneatur uxori alimenta suppeditare; attamen id fallit, quando indotatam scienter pauperem duxit, ac etiam quandiu inter eos pendeat lis super validitate matrimonii, ex deductis in eadem decisione.

4 Potissimè verò, ex duplici circumstantia: Primò nempè, quod rescriptum Signaturæ super alimentorum subministratione erat decisivum, ac præcisum per ablativum absolutum, qui importat conditionem, sub qua attributa est jurisdictio. Et secundò, quia concurrebat utrumque hujusmodi subministrationis requisitum, paupertas scilicet mulieris benè probata, & præsumptio boni juris, quæ resultabat à sententia favorabili super matrimonii validitate; Licèt enim appellatio suspendat sententiam, ejusque reliquos effectus, itaut regulariter habeatur, ac si non esset in rerum natura: attamen retinet hunc effectum præsumptionis juris quoad subministrationem alimentorum, ut sæpiùs firmavit Rota, & passim practicatur.

5 Illud verò, quod aliqualiter durum visum est, parumque probabile, consistebat in eo, quòd cùm probata esset quoque paupertas viri, utpotè filiifamilias, condemnatus fuit pater, qui ita duplicem patiebatur injuriam; Unam scilicet circa matrimonium contractum eo spreto; Et alteram in suppeditandis alimentis: Ideòque circa hoc ponderanda videntur eadem, quæ è converso, contra patrem pro filia ipso inscio, ac invito nubente, decisa fuerunt in casu, de quo *in Romana dotis, sub tit. de dote, disc. 1. & 2.*

6 Assumpta igitur post dictam resolutionem disputatione dubii super negatione principali, an scilicet constaret de matrimonio valido, *sub die prima Julii ejusdem anni* 1650. affirmativa etiam resolutio prodiit mulieri favorabilis, ut liquet ex decisione inter illas ejusdem Royas *dec.* 431. ad cujus decisionis normam expedita sententia, & commissa denuò causa appellationis in eadem Rota cor. Corrado *sub die 13. Martii* 1651. pro confirmatione dictæ sententiæ, muliere solùm informante, responsum fuit, ut ex decisione impressa *p. 11. rec. dec.* 375.

7 Istæ posteriores resolutiones in negotio principali, mihi quamvis pro viro scribenti, visæ sunt probabiles, benèque fundatæ, juxta votum, in quo ab initio fui (aliis contradicentibus) in primo congressu habito pro directione causæ, non obstantibus iis, quæ egomet, & cæteri deducebamus tanquam Advocati pro nullitate, ex parte viri Scribentes; Unde propterea, tam sæpè docemur, quantum Consulentium authoritati deferendum sit.

Opponebatur enim. Primò de matrimonii clandestinitate ex defectu publicationum ab eodem Sacr. Concilio demandatarum, potissimè quia per Constitutiones Synodales vel per edicta Archiepiscopi, sub censuris, expressè provisum quoque erat, ne aliquo pacto illæ omitterentur: Verum erat leve fundamentum, quoniam licèt parochus, & contrahentes, aliàs faciendo, graviter peccent, unde propterea possunt etiam censuris innodari, seu aliàs puniri: Attamen ista non dicitur solemnitas substantialis, cujus omissio causaret matrimonii nullitatem, Covar. *de sponsal. p. 2. cap. 6. sub num. 6.* Guttier. *de matrim. cap. 69. n. 4.* Boss. *eod. tract. cap. 7. n. 3.* Atque fuisse declaratum per Sac. Congregationem Concilii testatur Bellarm. *in notis ad idem Conc.* ac perpetuò tenuit Rota signanter apud Burat. *dec.* 530. & 803. Seraph. *dec.* 1099. *n.* 4. & in aliis plenè collectis in utraque hujus causæ decisione præsertim secunda cor. Corrado *d. dec.* 375 *n. fin. p.* 11. & est propositio hodie receptissima.

8 Opponebatur item de immediato recessu, & fuga parochi, expressè dissentientis: Verùm & hoc pariter erat leve fundamentum, quoniam ut habetur infrà deductum *in Vincentina disc. 6.* ubi allegantur hujus causæ decisiones, nullus parochi, vel testium consensus requiritur, sed solùm sufficit, ut coram eis actus explicetur, quamvis invitis, ac vi detentis, seu cum fraude, sub diverso titulo vocatis.

9 Et quamvis ego scribens tanquam Advocatus, nimiùm insisterem in eo, quòd prædictorum præsentia non sufficit merè materialis, & de facto, sed requiritur etiam moralia, ita & taliter, quòd sciant, atque intelligant quid agatur, Sanchez *de matrim. l. 3. disput. 39. n. 1.* Guttier. *eod. cap. 39. n. 8.* Rota *in Granaten. matrimonii 1. Aprilis 1639. coram Verospio decis.* 122. *n. 4. p. 8. rec. cum aliis per Addent. ad dec. 431. n. 15. & seq. p. 4. rec. tom. 2.* Attamen, ut in eadem *Vincentina* advertitur, procedit ad effectum, ut coram parocho, & testibus dormientibus, vel ebriis, seu fatuis, aut alias rationis usum impeditum habentibus, seu aliud agentibus, ac non audientibus, vel aliàs non intelligentibus id fiat: Secus autem, ubi naturaliter intelligunt, sed studiosè curent nolle intelligere, neque actum approbare, ut in præ-

tit. de Paroch. disc. 2. in qua pariter magna, penéque factionaria votorum divisio adfuit.

3 Cùm igitur per plures ejusdem Congregationis Cardina-
les, unius vel alterius opinionis respectivè sequaces, desu-
per consultus essem, postquam pluries proposita causa, nulla
capi potuerat resolutio; Recognitis scripturis, ac motivis
hinc inde deductis, mihi visum fuit quòd mulieri, seu va-
liditati matrimonii, assisteret quidem nimia æquitas, rigor
verò juris resisteret, atque verior esset altera opinio super
4 nullitate, quam dixi sequendam videri; Tum quia non
scripta æquitas, in judicando attendenda est, quando jus
scriptum non urgeat in contrarium, sive quòd illud sit du-
bium, unde propterea agatur de ejus interpretatione, quæ
benignè, ac potiùs juxta æquitatem, quàm juxtà rigorem
fieri debet; Cùm autem habetur jus scriptum, quamvis ri-
gorosum, tunc ab isto recedendum non est, ob contrariam
æquitatem non scriptam, ut advertitur *sub tit. de judic.* in
relatione praxis Curiæ Romanæ, occasione agendi de Ro-
tæ Auditorio, sub cujus nomine de Judicibus, ac de modo
judicandi in genere agitur.

5 Tum fortius, ac principaliter ob plura inconvenientia, quæ de facili sequi possent, si dicta altera opinio canonizaretur. Siquidem si licentia per Ordinariũ data cuilibet presbytero conjungendi in matrimonium Titium, ita suffragari posset pro matrimonio contracto per Sempronium, resultaret, quòd cum eadem licentia possent contrahi multa matrimonia inter diversas personas, atque manifesta fraus fieri illi formæ, quæ cum adeò maturo judicio inducta fuit per Sac. Concil. Trident. ad occurrendum inconvenientibus, quæ ex matrimoniis clandestinis resultabant.

6 Itaque posterior ratio magis me impulit, atque in voto desuper edito insinuata; Aliquos in eandem sententiam traxit, quoniam prima, quæ derivat ex generica propositione obligatoria Judicum ordinariorum, quorum arbitrium intra rigorosos juris cancellos restrictum est, pro meo judicio sufficiens visa non esset in adeò supremo Tribunali à quo more supremi Principis potiùs, quàm Judicis, sive more Senatus potiùs quam Tribunalis, oracula præstantur super Concilii interpretatione.

7 Cùmque dicta votorum scissura resultaret ex opinionum diversitate, quæ in hac materia dignoscitur inter Canonistas, & Theologos morales, ut infrà; Hinc proinde dixi idem, quod pluries alibi insinuatum habetur, præsertim *sub tit. de usur. disc.* 1. quòd scilicèt in iis, quæ concernunt forum externum, sequenda est opinio Canonistarum, non autem Theologorum, quorum partes sunt agendi de concernentibus forum internum, in quibus eis deferendum est, ut etiam advertit doctus Cardinalis de Albicis *initio secundæ disceptationis editæ super jurisdictione, vel titulis Cardinal. impress.* inter hos meos labores *post tit. de jurisd. disc.* 34.

8 Tenentes igitur opinionem pro validitate, juxta senium
Theologorum, duplici nitebantur fundamento. Primò
nempè quòd cùm forma Conciliaris illum habuerit finem,
ut matrimonium contraheretur publicè in faciem Ecclesiæ,
coram unius contrahentium parocho, & duobus testibus,
vel coram quolibet presbytero, de licentia ipsius Parochi,
vel Ordinarii loci, sub cujus nomine extra controversiam
receptum est, ut veniat etiam Vicarius Generalis, hinc
proinde, ita adimpletus dici poterat iste finis, non curan-
do hujusmodi subtilitates circa modum; Potissimè stante
altera pariter recepta, & absoluta propositione, de qua
præsertim supra *in Neapolitana disc. praeced.* quòd nullus
9 Parochi consensus requiritur, sed sufficit ejus præsentia
materialis etiam cum positivo dissensu, & conditione.

10 Et secundò assumendo quæstionem adeò disputatam per tractantes materiam matrimonialem præsertim per Sanchez Pont. Gutier. Boss. Avers. & alios Morales, an scilicèt, & quando error in nomine vitiet, necne, decidendo quæstionem cum distinctione, an error sit in substantialibus, vel in causa finali, & nunc vitiet, secus autem in accidentalibus de quibus in hac facti specie agi supponebatur; Magnũ quoque fundamentum constituendo in jam edita decisione Rotæ *in Mechlinsen. matrimonii 5. Martii 1666. coram Cerro*, in casu de quo habetur *disc. proximè sequenti*.

11 E converso autem Canonistæ, qui tenebant diversam opinionem, ultra dictam, potissimam quidem, ac efficacem rationem fraudis, quæ de facili fieri posset, sive alteram inconvenientium exinde resultantium; Fundamentum constituebant in defectu formæ, cùm matrimonium contractũ non esset coram Parocho, minùsque coram presbytero, qui ad id facultatem haberet ab Ordinario, quoniam cùm facultas per Vicarium Generalem attributa, loqueretur de viro habente unum cognomen, trahi non poterat ad alterum diversi cognominis, cùm delegatio sit stricti juris, strictèque intelligenda ad limites verborum, ideoque non extendatur de persona ad personam etiam de Partium consensu, qui dare non potest jurisdictionem personæ privatæ, illam habitualiter non habenti, juxta textus literales *in cap. significante, de rescript. & c. P. & G. de offic. deleg.* ac firmant communiter Scribentes apud Frideric. de Sen. *cons.* 163. *n.* 5. Barbos. *in l. 1. art. 1. n. 204. & seqq. ff. de jud.* Carleval. *de judic. tom. 1. disp. 2 n.* 1162. Fagnan. *in c. quoniam, de offic. delegat.* & habetur in sua materia *sub tit. de judic.* Et in his terminis habetur apud Tondut. *q. benef.* 154. *n.* 1. *& n. 27. cum seqq.*

Quamvis etiam ista authoritas in casu, de quo loquitur, negligenda esset, utpote conductiva more Consulentis ad opportunitatem causæ, de qua agitur *disc. seq.* in qua contrarium judicatum fuit, ob ejus diversas circumstantias; Attamen advertebam, quòd Doctoris fallacia consistit in applicatione ad casum, non autem in veritate conclusionis. 12

Ista verò posita, de plano resultabat nullitas, ob expressum decretum irritans in Conciliari Decreto contentum, dum ille presbyter, coram quo matrimonium contractum fuerat, ita remanebat vir merè privatus utporè non parochus unius contrahentium, minùsque habens proprii parochi, vel Ordinarii licentiam, quæ concessa pro una persona, jurisdictionem, seu facultatem non tribuebat pro altera.

Neque subsistere dicebam dicta fundamenta, quibus altera opinio innitebatur, quoniam quidquid sit de conclusione pluries alibi insinuata, & præsertim *sub tit. de feud. disc.* 87. *& sub tit. de testam. disc.* 25. an scilicet, & quando forma, quæ certum habet finem, seu certam rationem expressam, impleri possit per æquipollens? 13

In præcisis terminis hujus formæ conciliaris in matrimonio, omninò verius est, atque extra controversiam receptum, ut ista dicatur forma præcisa, vel solemnis, quæ non admittat implementum per æquipollens, adeòut si matrimonium celebraretur in publica platea, seu alias coram magno cœtu virorum qualificatorum, absque tamen interventu proprii parochi, vel alterius de ejus licentia, id non sufficeret, ut firmat Sanchez *hoc tract. lib. 3. disp.* 17. *n. 4. cum seqq.* Gutier. *cap. 61. n. 4. cum seqq.* Boss. *c. 1. §. 12. n. 59. cum seqq.* Barbos. *de Paroch. cap. 21. n. 61*, Rot. *dec.* 657. *p. 1. divers.* 14

Ex his autem patet, erroneam esse credulitatem opinantium, quòd cùm Parochus in hoc actu nullum exerceat actum jurisdictionis, neque ab ejus consensu pendeat actus perfectio, ita dicatur solum quidam testis qualificatus, quoniam si ita esset, quòd scilicèt ista esset forma probatoria, exigens ultra duos integros testes Parochum tanquam testem qualificatum, ita resultare deberet idem, quod de Parocho circa formam probatoriam disponitur in testamentis per textum *in c. cum esset, de testam.* ut scilicèt sufficeret confessarius, vel quòd sufficerent alii duo simplices testes, qui vicem istius qualificati testis supplerent, ex deductis. *d. disc. 25. de test.* & tamen in his terminis contrarium verius est, quoniam si matrimonium contraheretur coram magno numero personarum in Ecclesiastica etiam majori dignitate constitutarum, seu aliàs qualificatarum, sine tamen Parocho, vel alio per ipsum, vel per Ordinarium delegato, actus esset absque dubio inutilis, & consequenter illud primum fundamentũ nullam habere videbatur subsistentiam. 15

Quo verò ad alterum fundamentum Theologorum, ad- 16
vertebam, quòd quidquid sit de quæstione in abstracto, an
& quando error in nomine, vel cognomine, vel in alia cir-
cumstantia vitiet, necnè actum? Attamen id videbatur ex-
tra casum quæstionis, adeòut inanem laborem continerent
ea, quæ plenè, nimiùmque elaboratè super ista quæstione
hinc inde deducebantur; Ista etenim quæstio percutit ca-
sum, in quo voluntas sit certa erga unum subjectum, quod
tamen erroneè in verbis explicetur, sub diverso nomine,
vel sub alia diversa circumstantia, & sic, ubi faciens ha-
beat in animo faciendi eam rem, sed in verbis ex errore al-
teram exprimat, ad materiam textus *in l. si in nomine Cod.*
de testam. cum Concordantibus, de quibus *sub tit. de te-* 17
stam. disc. 22. ubi de testatore volente instituere piam Socie-
tatem sanctissimi Sacramenti, eam expressit sub diverso
nomine, seu vocabulo Redemptoris, quoniam si aliunde
de hac voluntate expressè, vel adminiculativè constet,
veritas attenditur, atque error in nomine non vitiat, ex
ibi deductis, & in decisionibus in ea causa editis *impress.*
p. 10. rec. dec. 310. & 350.

18 Verùm non erat iste casus, ideòque ab eo extranea remanebat dicta quæstio, atque in hoc frequens Juristarum, ac Moralium error consistere solet, capiendo quid pro quo, atque cum improbo labore chartas inaniter replendo quæstionibus ad rem non facientibus; Siquidem Vicarius generalis testabatur, quòd Ipse in animo habuit dandi eam licentiam pro alia persona, diversa ab ea, de qua agebatur, cujus notitiam habebat; Sive quòd Ipsa Personæ cognitionem habuisset, si ejus cognomen fuisset expressum; utpotè commune ejusdem juvenis patruo, qui erat ejusdem Curiæ Archiepiscopalis officialis, sine cujus participatione alias licentiam non dedisset. Undè propterea per hanc declarationem animi ipsius delegantis, ita cessare videbatur omnis difficultas, cùm ipse alias non esset facturus.

19 Quinimò de stricto jure, ubi etiam ista circumstantia deficeret, adeò ut dici posset, quòd Vicarius dictam licentiam ita concessisset, si onius, ac si alterius nominis, vel cognominis expressio facta esset, adhuc tamen ob dictam conclusionem, quòd delegatio strictè ad sensum verborum intelligenda est, neque id procederet; Siquidem *gloss. in d. cap. significante, de rescript. verbo non de Remen*, excitat in specie motivum; Et quamvis pro ratione dubitandi deducat ea, quæ supra habentur de errore nominis non vitiante legatum, vel aliam dispositionem; Attamen concludit contrarium, atque cum ea magis communiter pertransennt DD. de quibus, supra, multò magis, ac extra omne dubium ubi hæc circumstantia cesset.

20 Ad authoritatem verò Rotæ *in d. Mechlinien. matrim.* respondebam cum rationibus diversitatem casus comprobantibus, de quibus *disc. proximè sequenti*, ne idem frustrà repetatur.

21 Insistebant quoque tenentes aliam opinionem, in conclusione de quâ *supra disc. 1. & sequent.* quòd etiam fraudulenter, ac dolosè licitum est hujusmodi licentias obtinere, ut ita evitetur impedimentum, quod aliis præstari posset. Verùm pariter id non videbatur facere ad casum, quoniam aliud est occulsare aliquam personalem qualitatem, vel aliã circumstantiam, ob quam expressam resultaret impedimentum, vel difficultas, absque tamen alteratione substantiæ veritatis in persona; aliud verò cum alteratione substantiæ supponere unam personam pro altera; Ut (ex. gr.) Principes, vel Magnates, exprimendo per veritatem nomen proprium, occultent titulum, seu dignitatem, sub cujus potius, quam proprii nominis noncupatione explicari solent, atque cogniti sunt; Sive ut dives, vel nobilis cum plebejo, ac objecto habitu non patens aliquam gratiam petat, cum similibus. Quidquid enim sit de veritate in isto casu, quam examinare non oportebat; Difficultas cessabat ex defectu applicatio-

22 nis, quoniam in præsenti agebatur de deceptione substantiali in nomine seu cognomine inducente præsuppositum personæ omninò diversæ, unde propterea urgebat ratio absurdi superiùs considerati, quòd ita cum unica licentia centum matrimonia inter diversas personas contrahi possent; Ideòque in puncto juris ob istud inconveniens probabilis visa est resolutio, neglecta dicta æquitate.

Advertebam tamen quòd licèt iste actus in ratione matri-

23 monii de rigore invalidus esset; Benè tamen attendendus de æquitate veniret, in ratione sponsalium, ad effectum cogendi virum ad matrimonium, denuò validè contrahendum, cum tenentur, quæ desuper pendita sunt; Et quatenus obdurato animo persisteret in negativa, unde propterea abstinendum esset (ut doces) à coactione præcisa, *ex relatis sub tit. de dote, disc. 79. & infrà, disc. 8.* tali casu cogeretur ad congruè dotandum mulierem, ut virum æqualem obtineret; Adinstar eorum, quæ de stupratore habentur *sub d. tit. de dote, disc. 142.* ac etiam pœnis personalibus rigorosè illum subjiciendo.

MECHELINIEN. MATRIMONII.

P R O

COMITISSA HONORATA DE BARCAS,

C U M D U C E G U I S I Æ,

Casus decisus per Rotam pro Comitissa.

De eadem materia matrimonii contracti coram non parocho de parochi licentia, an valeat, si licentia sit vaga, & incerta, contrahentium nominibus non expressis? Et de matrimonio contracto per militem coram Vicario, seu Capellano exercitus?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones super modo citandi per edictum, & super alimentis.*
3 *De stylo Rotæ, una parte non informante.*
4 *De fundamentis impugnantium matrimonium.*
5 *De stylo effugiendi superfluitatem.*
6 *Resolutio puncti principalis super matrimonio.*
7 *Defectus denunciationum non obstat.*
8 *Defectus conjunctorum non attenditur.*
9 *De materia, seu probatione metus.*
10 *De inæqualitate, vel indignitate.*
11 *Etiam cum indigno validum est matrimonium;*
12 *Quare consulentibus, non sit deferendum?*
13 *Unus ex duobus parochis sufficit.*
14 *Delegatio generalis ad omnia Sacramenta sufficit pro matrimonio.*
15 *Quando capellanus exercitus sufficiat cum militibus.*
16 *Quod observantiæ sit deferendum.*
17 *Quando non expressio nominum in licentia obstet.*
18 *De eodem.*
19 *Militis nomen cui conveniat.*
20 *Et de vocabulo* Nobilis.

D I S C. IV.

DUm Guisiæ Dux in Belgico exercitu Regis Catholici militabat, matrimonium cum Honorata contraxit, coram ejusdem exercitus Vicario, cui etiam mulieris parochus licentiam concesserat sub ea forma conjungendi scilicet in matrimonium quendam nobilem virum militarem cum nobili muliere, eorum tamen nominibus non expressis juxta verba præcisa registrata apud Tondut. infra allegandum, Duce autem ad aliquod tempus pœnitente, ideoque pro consueta inconstantia, matrimonii nullitatem allegante introducta causa in Rota coram Corrado sub die 15. Aprilis 1646. prodiit resolutio super modo citandi per edictum, ut patet ex *dec. 395. p. 9. rec.* Deindeque coram Priolo subrogato sub die 31. Maii 1656. alia prodiit resolutio mulieri favorabilis, super alimentis, & sumptibus litis impress. *dec. 158. p. 12. r. c.* Atque secuta postmodùm viri morte, quæ causæ principali finem imposuit, cum mulieri expediret matrimonii validitatem canonizari; Tum ob ejus famam, ac existimationem; Tum etiam ob lucra dotalia, aliaque emolumenta, causam reassumpsit coram Cerro pariter subrogato; Cùm que disputandum esset sine oppositore, atque (ut in Curia dicitur,) una tantùm Parte informante, eò quia viri defuncti successores comparere negligebant; Hinc proinde, juxta stylum, pro causæ directione convocatus fuit præfatæ mulieris Advocatorum congressus, ad effectum benè examinandi objecta, quæ deduci possent, quatenus altera pars informaret; Tum ad effectum ut solida, beneque fundata resolutio prodiret; Tum etiam attento Rotæ nimiùm laudabili stylo, diligenter practicandi axioma *ut ea, quæ desunt Advocatis, Judices suppleant*; Unde propterea frequenter contingis, quòd proposita causa una tantùm parte informante, prodeat resolutio contra informantem. 1

Potissimè dum jam nota erant viri fundamenta, utpotè deducta *per Tondutum*, qui consilium pro eo datum jam ediderat in ultimo ejus Resolutionum volumine *tom. 2. p. 3. q. benef. resol. 154.* ubi plura deducuntur motiva pro hujus matrimonii nullitate; Primò nempe ob non servatam formam Conciliarem coram proprio parocho, dum matrimonium contractum fuerat coram Vicario, seu capellano exercitus; Non obstante licentia huic attributa per parochum mulieris, cùm illa esset sub incertis nominibus, atque cum demonstrationibus viro incongruis, dum significatur sub nomine militis, ac viri nobilis, quorum neutrum congruere dicitur: non quidem attributum militis cùm esset Dux militum, non autem miles, Minusque alterum nobilis, cum esset de ordine Principum, vel saltim de illo Magnatum primæ sphæræ; Atque exinde infertur ad conclusionem, de qua *disc. præced.* super stricta delegationis natura, & operatione, illam latè exornando. 2

Secundò ob clandestinitatem deductam ex omissione denunciationum, ac etiam quia matrimonium celebratum erat sine aliquo interventu conjunctorũ, & amicorum viri. 3

Et tertiò ratione metus, deducti ex eo quòd matrimonium celebratum esset in domo ipsius mulieris, quæ in loco habens conjunctos nobiles, dici poterat potens; E converso autem vir exterus, ac juvenis annorum viginti quinque, 4

que, atque imprudens, dum ita per hoc matrimonium amisit magnos redditus Ecclesiasticos, ut ab eo supponitur scutor. 140. m.

5 Quamvis autem in informationibus per Advocatos, & per causæ Patronum editis, his omnibus objectis singillatim satisfieret, atque eorum aliqui, cum prolixitate incongrua commendabili stylo Curiæ; (ita nimium damnabiliter corrupto,) valdè se diffunderet; Attamen tam in congressu, quàm scribendo, ego fui in sensu, ut in primo puncto, strictè, tanquam substantiali insistendum esset; Reliqua etenim, contemptibilia, atque ea amine indigna
6 videbantur, utpote nullum, nec facti, nec juris fundamentum habentia, sed continentia illum magnum paleæ acervum, qui super modico tritico ita confuso ea moderno inepto stylo congeri solet; Talisque fuit Rotæ sensus, quoniam proposita causa sub die 5. Martii 1666. super dicto primo objecto, solùm perstitum fuit, in resolutione capta favore mulieris pro matrimonii validitate.

7 Absolutum quidem hodie est, atque extra omnem controversiam, ut denunciationum solemnitas servari quidem debeat tam per Parochum, quam per partes, adeout malè agant, atque peccent aliàs faciendo, sed id non influit ad
8 matrimonii nullitatem, ut advertitur præsertim in Neapolitana *disc.* 2. Nullibi verò cautum est, ut interventus conjunctorum, vel amicorum desiderari debeat, cùm id aptum sit quidem præstare aliquod tale quale adminiculum vis, vel metus, quando istius probationes, & argumenta concurrant juxta casum, de quo in Vincentina *disc.* 6.

9 Et quoad metum, manifestæ fabulæ species videbatur, ut vir Princeps, vel Magnates primi ordinis, qui in exercitu adrò potenti imperabat, metum a muliere vidua, nobili quidem, sed absque potentia, utpotè subdita in loco, pati debuerit, cùm ad hunc effectum nullitatis ex defectu consensus, requiratur metus formalis, cadens in constantem virum, qui verè consensum tollat, deductis *d. disc.* 6. ubi de hac materia matrimonii meticulosi, & pluries *sub tit. de regul.* ubi pariter de invaliditate professionis, seu matrimonii spiritualis, ex eadem causa.

10 Aliqua verò inæqualitas, quæ resultabat à majori potentia, vel dignitate viri, quamvis etiam mulier nobilis, ac magnatitii ordinis esset, juxta illam inæqualitatis speciem, de qua *sub tit. de dote*, *disc.* 1. 2. & 144. Ac etiam defectio tam magnorum redditnum Ecclesiasticorum, & immatura ætas, argumentum quidem præbebant imprudentiæ, ac volubilis naturæ, quæ prius comprobata erat a discessu à proprio Rege naturali, deindeque (post hoc matrimonium) ab Italia, ac ab aliis gestis, & præsertim ab iis, quæ habentur apud Chronistas agentes de moribus, seu revolutionibus popularibus Civitatis Neapolitanæ, totiusque Regni; Non inde tamen inferri potest ad matrimonii nullita-
11 tem, quoniam, ut insinuatur *d. disc.* 1. & 2. & 144. *de dote*, etiam matrimonium positivè indignum, atque aptum ad exhæredationem, vel ad denegationem dotis, aliosque præjudiciales effectus, ex lege civili communi, vel municipali resultantes, firmum, ac validum est, quoniam apud Deum in spiritualibus non datur acceptio personarum.

12 Hinc proindè in dies, magis, ac magis edocemur, quam manifestè erroneus sit modernus pragmaticus usus, in judicando, vel consulendo, ita simpliciter deferendi dicto, vel authoritati Consulentium ad partis requisitionem pro causæ opportunitate, cum pleraque per eos, vel ad ingenii ostentationem, vel ad scripturæ ornatum, vel pro indoctis Judicibus, qui bona, & solida motiva non capientes, levia, & fallacia amplectuntur, deduci soleant, quæ verè nullam juris subsistentiam habent, sive quatenus in suis casibus vera sint, manifestam continent fallaciam in applicatione etiam apud eosdem.

13 Quatenus igitur ad prædictum substantiale primum objectum pertinet, duo erant puncti; Primò circa insinuatum defectum licentiæ traditæ per Parochum mulieris Vicario exercitus; Et secundò an iste dici posset Parochus viri, cùm absolutum sit, ut ad validitatem matrimonii sufficiat interventus Parochi unius ex contrahentibus, sive sit ille viri, sive mulieris ex iis, quæ habentur plenè deducta per Bossium *hoc tract. cap.* 5. *n.* 10. & Rota apud Merlin. *decis.* 194. *n.* 6. cum aliis in hujus causæ decisione, & alibi *hoc tit.* pluries, cùm sit principium hodiè præsupponendum.

14 Quoad secundum punctum potestatis Vicarii exercitus, nulla cadebat quæstio juris, sed tota erat facti, vel interpretationis facultatum, quæ per litteras Apostolicas attributæ fuerant dicto Vicario administrandi sacramenta militibus, ac aliis exercitum sequentibus; Cumque facultas esset generalis, super omnium sacramentorum administratione, hinc receptum est, ut ea sufficiat, etiam pro isto sacramento matrimonii ex relatis per Fagnan. *in cap. quod nobis, de clandestin. desponsat. n.* 27. Barbos. *de Episcop. alleg.* 32. *num.* 127. Rot. *decis.* 750. *part.* 1. *divers.* aliis in Decisione.

Sola igitur difficultas cadebat, an scilicet juxta ea, quæ 15
de privilegiis militaribus super forma testandi habentur *sub tit. de testam. disc.* 28. id procedat solùm de tempore, quo milites sunt in castris, et in expeditione quando urbanus Parochus non de facili haberi potest, ideoque congruit; ut hujusmodi spirituales ministri ibi prompti habeantur; Secus autem ubi hyberno tempore, milites extra castrorum conflictum, more reliqui populi, in Civitatibus, vel locis habitatis, vivunt sub Parochis.

In hoc autem vota non fuerunt concordia, ideoque De- 16
cisio desuper edita non figit pedes, referendo solum sensum aliquorum opinantium, ut id sufficeret etiam isto casu, ex motivo observantiæ benè in facto justificatæ, quod scilicet ille vicarius exercitus, etiam eo tempore, milites in matrimonium conjungere solitus erat, ea propositione, qua in foro nil frequentius, quod observantia dicitur optima interpres, ac interpretationum Regina, rectèque declarat quid per indultum concessum sit; Ut ultra authoritates in causæ Decisione relatas; In specialibus terminis interpretationis Indultorum Apostolicorum resultantis ab observantia ut hæc etiam verborum proprietati, seu grammaticali significationi prævaleat, firmatur *dec.* 59. *n.* 13. *p.* 10. *rec.* & in Cæsaraugustana portionum 16. Junii 1659. coram Albergato edita in casu, de quo *sub tit. de Canonic. & Capitul. disc.* 7. atque nimium frequenter advertitur in omni ferè materia; Non tamen fuit opus in hoc motivo nimium insistere, cùm revera, solidum esset alterum legitimæ facultatis ejusdem Vicarii, resultantis à dicta licentia Parochi mulieris.

Circa quam advertebam (etiam in sensu veritatis) quod 17
conclusio deducta *per Tondutum* super stricta operatione delegationis, est vera ex deductis super *ea disc. proximè praeced.* Quodque in hujusmodi licentiarum forma rectè intrare potest absurdum *eod. disc. praec.* ponderatum, ut ita de facili formæ Conciliaris fraus fieri posset, atque cum una licentia centum matrimonia celebrari; Verùm ista regula generaliter ac in dubio recipienda, limitationem pati debebat, in hac facti specie, ex ejus particularibus circumstantiis, clarè certificantibus Parochi delegantis voluntatem determinatam ad has certas personas, ideoque rectè adaptari dicebam ea, quæ habentur *in Cathacen sub t. t. de testam. disc.* 22. *& in dec.* 310. *&* 350. *part.* 10. *rec.* in ea causa editis, quod scilicet quamvis incerta hæredis institutio testamentum corruere faciat; Secus tamen dicendum sit, ubi per testes, vel alias probationis species, quamvis adminiculativas, voluntatis certitudo habeatur.

Applicando autem ad rem; Clara videbatur hæc proba- 18
tio; Tum per testes benè concludentes quod Parocho significatum fuerit, inter quas personas matrimonium contrahendum erat, quodque ex quibusdam prudentialibus motivis ob personarũ qualitatem ita studiosè licentia concepta fuerat, ut idem Parochus quoque attestabatur; Tum etiam quia in libro matrimoniorum qui ex præscripto ejusdem Conciliaris decreti per Parochos tenendus est (& cui receptum est, quod major fides super matrimonii probatione præstanda venit) idem Parochus sub eadem die dicta licentia adamussim enunciata, partitam descripsit, exprimendo nomina contrahentium, ideòque his simul junctis, ac etiam subsecuta matrimonii publicitate, ac notabilis temporis cohabitatione, rei veritas nimium clara videbatur.

Inter fabulas autem dicebam reponendam esse considera- 19
tionem Tonduti ubi suprà, quod scilicet attributum militis convenire non deberet Duci; Sive quod attributum nobilis non conveniret ei, qui Principis, vel magnatis primi ordinis dignitatem haberet, quoniam ubi etiam Parochus hujusmodi subtilitatum non conscius, in his errasset, atque impropriè locutus esset, attamen id aptum non erat tollere substantiam veritatis aliundè comprobatæ, juxta casum de quo *d. disc.* 22. *de testam.*

Et ulterius neque dici poterat impropria locutio, quoniam in jure, nomen militis, etiam Ducibus, ac Imperatoribus militiæ, vel exercitus benè congruit, dum aliàs militaria privilegia eis convenire non deberent, quod utique magnum absurdum esset.

Quo verò ad viri nobilis attributum; Juxta usum lo- 20
quendi ipsius Sedis Apostolicæ, ac sacrorum Canonum,

vel facræ Scripturæ, Principibus potiùs, ac Magnatibus primis ordinis illud congruit, quàm illis, qui privata solùm nobilitate pollcant, quamvis ista generosa sit, ut comprobat praxis Secretariæ, vel Cancellariæ Apostolicæ, cùm nobilitatis plura sint genera, pluries enunciata in sua sede *sub tit. de praemia.* præsertim *disc.* 35.

LEODIEN. NULLITATIS MATRIMONII

P R O

ANNA ISABELLA BARONISSA DE FRAIPONT, CUM RICCARDO STRAVIO.

Casus decisus per Rotam pro Anna Isabella.

De matrimonio contracto inter raptorem, & raptam, an, & quando ex decreto Concilii Tridentini dicendum sit invalidum, & qualis propriè dicatur raptus, de quo Conciliare decretum loquitur; Et incidenter de invaliditate Matrimonii coram Parocho loci contracto per exteros ibi casualiter moram trahentes.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutionis causa.*
3 *De punctis, vel inspectionibus causa.*
4 *An, & quando detur restitutio in integrum, seu ejus causa committatur remissivè?*
5 *Quando dicatur contractum domicilium in parochia adhunc effectum matrimonii.*
6 *Non dicitur raptus illicitus ille, qui fiat muliere volente.*
7 *Quod in parentibus requiratur dissensus expressus cum violentia eis illata.*
8 *De jure canonico, & clariùs ex Concilio Tridentino parentum dissensus non curatur.*
9 *Quomodo intelligi debeat conclusio, de qua, n. 6. & 7.*
10 *De antesignanis duarum pugnantium opinionum.*
11 *De ratione, ob quam in hac materia nimium deferri debeat authoritati* Navarr. *ac aliorum Scribentium propè tempore Concilii.*
12 *Observantia proxima est attendenda.*
13 *Quod Civilista, & Canonista non recipiant opinionem, de qua n.6. & 7.*
14 *Canonistis potiùs, quàm Theologis est deferendum.*
15 *In quo sensu recipiendi sint volentes, ut mulieris consensus excuset raptum.*
16 *De rationibus, vel argumentis, ex quibus tenenda non est opinio, de qua n.6.*
17 *De eodem, & quod aliàs Conciliare decretum nunquam esset verificabile.*
18 *Quod attendi debeat substantia veritatis, seu voluntatis ac finis Concilii.*
19 *De jure civili paternus assensus irritabat matrimonium Filii, sed id correctum est per Jus canonicum.*
20 *Ista verò correctio multa causabat inconvenientia.*
21 *De declaratione S.Congregationis de anno 1608. quod Concilium restituit rigorem Juris civilis.*
22 *Et quod aliàs Conciliare decretum esset fatuum.*
23 *De alio decreto super nova forma matrimonii, atque ita illud adsistar.*
24 *Quod istud decretum sit exorbitans à jure communi.*
25 *Etiamsi raptus fiat è domo tutoris, adhuc intrat decretum Concilii.*
26 *De eodem.*
27 *De conclusione, ut praevius matrimonii tractatus excuset raptum, etiamsi adesset hic tractatus.*
28 *De eadem conclusione, quando illa procedat.*
29 *De jure communi solus consensus conjugum, etiam præsumptus, sufficiebat ad matrimonium, quod dabatur etiam præsumptum.*
30 *De ratione, cui innititur conclusio, de qua n.27.*
31 *Ut dicta conclusio procedat, etiam hodie ex solo tractatu, quamvis iste non inducat Matrimonium ratum.*
32 *De eodem, quodque ita intelligendi sint Morales.*
33 *Quod resolutiones videantur justa, beneque fundata.*
34 *Declaratio S. Congregationis anni 1608.*

D I S C. V.

PRo matrimonio contrahendo inter ipsam, & Annam Isabellam unicam filiam, ac legitimam futuram hæredem Baronia de Fraipont, nuncium, seu mediatorem, Comes de Duras deputavit Riccardum Stravium, qui cum patre tractatum conclusit, dissentiente puella, quæ virum desiderabat quendam conjunctum, cum quo tractatus, adeò invaluerat, ut etiam pro Apostolica dispensatione obtinenda mandatum datum esset; Quare pater ut filiam ad id induceret, communicato consilio, cum eodem nuncio, seu mediatore, determinavit puellam recludere in quodam Monasterio Bruxellen. cui præsidebat dicti Comitis de Duras amita, ut hac via eam ad matrimonium induceret, ac propterea alia sumpta occasione, ad dictam Civitatem puellam ducebat. Transeundo autem per Civitatem Leodien. præfatus Riccardus mediator, dictum Baronem induxit (qui alibi hospitium destinaverat,) ut illud acceptaret hospitium, quod ab ipso paratum erat in cujusdam ejus conjuncti domo, in qua ob commoditatem alloquendi puellam, inscio patre illi patefecit causam, seu finem itineris, eamque confirmando in aversione erga suum principalem, quem pater sponsum destinaverat, pro ipso tractare cœpit, atque die sequenti, reassumpto colloquio, conclusa fuit in proxima nocte fuga, eaque secuta, atque ipso Riccardo puellam ducente ad domum cujusdam alterius ejus conjuncti, ad aliquos dies conducta quadam domo, coram illius Parocho matrimonium celebratum fuit. 1

Patra itaque ipsa die habita fugæ notitia, apud superiores loci recurrente, atque post aliquod tempus obtinente, ut filia reponeretur in loco tuto, introducta fuit lis super matrimonii nullitate, atque introducta causa in Rota coram Cerro sub die 18. Junii 1666. super nullitate prodiit resolutio mulieri favorabilis, ex duplici fundamento. Primo scilicet ex causa raptus, quo accedente, Sacrum Concilium Trident. *sess.24. de reform. matrim. cap.6.* decernit nullum posse consistere matrimonium inter raptorem & raptam, quandiù ista in ejus potestate fuerit; Et secundo ex altero defectu formæ ab eodem Concilio præscriptæ, ut coram onius contrahentium Parocho matrimonium celebrari debeat, dum illud celebratum fuerat coram Parocho Sancti Remacli, Civitatis Leodien. qui non erat Parochus Riccardi, qui domicilium habebat in oppido Staboleti, minuique Annæ Isabellæ, domicilium habentis in ejus Castro Fraipont. Ad cujus decisionis normam, expedita sententia, commissaque causa appellationis coram Carpineo sub die 27. Martii 1667. pro dictæ sententiæ confirmatione responsum fuit, ideoque altera sententia expedita; Et commissa causa in tertia instantia coram Bevilaqua sub die 13. Junii 1670. pro eadem confirmatione resolutum fuit, concessaque adversus hanc resolutionem nova audientia, in locum dicti Ponentis in alio munere occupati, subrogato Taja, coram illo sub die 11. Martii 1671. perstitum fuit in decisis, ideoque expedita fuit tertia sententia, atque victus non acquiescendo, recursum habuit ad Signaturam Justitiæ, pro commissione restitutionis in integrum, quæ cum bina resolutione denegata fuit, eidemque denegato etiam recursu ad Signaturam Gratiæ, causa finem habuit, dictaque puella alium sibi placitum virum duxit. 2

In hujusmodi autem disputationibus, pluribusque aliis intermediis, in quibus resolutio non prodiit, sive occasione remissoriæ habitæ in Rota per tres instantias; Duo, ut præmissum est, erant puncti. Primò scilicet, super nullitate ex causa raptus. Et secundò super altero ex defectu formæ coram non proprio Parocho. In Signatura verò Justitiæ, ac etiam coram Auditore Papæ, occasione tentati recursus ad Signaturam Gratiæ, ultra dictos punctos concernentes merita negotii principalis, de quibus in utraque Signatura disputari solet, ad effectum gustandi de injustitia, ob quam locus detur commissioni, etiam in casibus, in quibus, juxta regulas juris, deneganda veniret, actum fuit de puncto restitutionis in integrum adversus rem judicatam, vel tres conformes, an scilicet, & quando de illa commissione respondendum sit, necne? De hoc autem tertio puncto concernente ordinem agitur in ejus peculiari sede *in hac eadem causa sub tit. de judiciis.* 3 4

Quatenus verò pertinet ad secundum, ille nimiùm brevia erat, atque facti, vel arbitrii potius, quàm juris, an scilicet per habitationem in domo, quæ studiosè per duos dies anteà ab ipso viro conducta fuerat, contractum esset domicilium sufficiens, super quo deducebatur hinc inde, quæ haben- 5

bentur *supra disc.*1. procedendo præsertim cum firmatis per Rotam apud Dunozetium, *dec.*451.

6 Major igitur penèque tota quæstio fuit super primo puncto raptus, an scilicet verificaretur, nec ne; Pro ejus enim exclusione, dicebant Scribentes pro viro, ex authoritate Sanchez *de matrim. lib.*7. *disp.*13. *num.*13. quod si fœmina invitis parentibus volens extrahatur, tunc Conciliaris dispositio non intret; Istamque opinionem, rejecta illa Navarri, & aliorum relatorum ab eodem Sanchez, sequuntur
7 quamplures, præsertim Morales relati per Boss. *hoc tract. cap.*13. §. 6. *n.*11. Barbos. *in collect. ad idem decretum Concil. n.*3. Leandr. *quæst. moral. part.* 2. *tract.* 9. *de matrimon. Sacram. disp.*22. *q.* 3. ac per alios, quos Scribentes pro viro, cum consueto improbo Legistarum labore cumulabant; Multo verò magis dum dici non poterat, quod actus secutus esset verè, & propriè parentibus invitis, quia nempè expressè dissentiendo, ob violentiam raptore illatam, impedire non potuerint, ne puella abduceretur; secus autem ubi patre ignaro, ac dormiente, id secutum sit, ut in præsenti contigerat, ideòque neque violentia, neque positivus dissensus verificarentur.

8 Clarius verò quia, ex quadam ejusdem puellæ confessione, emissa coram quodam Judice Leodien (qui Scabinus, ibi appellatur) constabat, quòd die antecedenti, matrimonii tractatus præcesserat; Isto enim accedente, etiam positivus parentum dissensus, quinimò abductio mulieris volentis cùm positiva violentia, non attenditur, ex dispositione, vel intentione sacrorum Canonum libertati matrimonii assistentium; Tum clariùs ex Concilio Tridentino, per quod decisæ, ac sublatæ fuerunt omnes antiquæ quæstiones super parentum consensu in matrimonio filiorum desiderando, eniaè providendo libertati matrimonii, ut dicti consensus negativa, vel dissensus positivus ejus validitati præjudicare non debeat.

Pro methodica igitur determinatione hujus quæstionis, tollendisque æquivocis, cum quibus procedere videntur plerique Morales, super quorum authoritate Scribentes in contrarium totam vim constituebant; Scribens ego pro muliere, duas distinguebam inspectiones. Primò scilicet (præscindendo à circumstantia prævii tractatus matrimonii) an solus consensus puellæ, quæ volens abduci patiatur, excludat illum raptum formalem, de quo Conc. Trid. loquitur, tam ad effectum aliarum pœnarum, quàm ad istum nullitatis matrimonii, quoties id secutum sit invitis, vel insciis parentibus, vel tutoribus, seu aliis, sub quorum potestate, vel educatione puella viveret; Et secundò quid in casu dicti præcedentis tractatus matrimonii.

9 Quoad primum, longè antea quam, ob diligentias per me, agentibus pro muliere in congressibus eniaè injunctas, haberetur notitia infrascriptæ declarationis Sac. Congregationis Concilii anni 1608. quæ in ultima disputatione coram Taja solum habita fuit; Cùm sensu etiam veritatis dicebam, quòd dicta opinio Sanchez, & sequacium; Vel minus vera censenda esset, verior autem illa antiquorum Canonistarum, cum qua procedunt Navarr. & alii Morales, de quibus infra, Vel quod intelligenda veniret, ubi accederet dicta circumstantia præcedentis tractatus matrimonii juxta sequentem inspectionem, quodque in hoc consisteret æquivocum, confundendo istum casum, in quo nullo præcedente formali tractatu matrimonii cum raptore, agatur de simplici consensu puellæ præstito ex causa libidinis, vel ex muliebri levitate, sive ex alio motivo; Et alium casum in quo dictus formalis tractatus præcedat; isti etenim casus; vel termini, nimium inter se diversificant, ut infra, ideòque manifestum æquivocum est eos confundere, atque authoritates, quæ unum percutiunt, alteri applicare; Isteque nimiùm frequens pragmaticorum, seu Collectorum abusus, indigestè consarcinandi doctrinas, totam vim in arithmetico numero constituendo, illasque non distinguendo, cum id tot frequentia in hac facultate producat æquivoca.

Ad probandum autem fallaciam dictæ opinionis duas construebam partes; Unam in parte doctrinali, quæ scilicèt opinio majora, & graviores haberet Authores; Et alteram in parte ratiocinativa, reassumendo articulum per ejus principia, ut ita dignosci posset, quænam opinio melius fundata esset, ideòque tenenda.

10 Circa primam partem; Cùm inter moderniores, præsertim verò Morales, utriusque opinionis antesignani vulgò reputari soleant; Pro una scilicet Navarr. *cons.*2. *de rapt.* ubi firmat nullitatem ex causa raptus, quamvis mulieris assensus accedat; Et pro altera Sanchez. *d. disp.*16. *l.*7. *n.*13. ubi reprobato nominatim Navarr. contrarium tenet; Hinc proinde, in primis advertebam, quòd omissa inspectione, quisnam eorum esset magis gravis Doctor.

Adbuc nimiùm considerabilis videretur ea circumstantia, ob quam authorit. Navarri potiùs in hoc puncto, aliisque concernentibus decreta Sacr. Concilii Tridentini, deferendum esset, ea ponderatione scilicet, de qua *sub tit. de paroch. disc.*1. *& sub tit. de jurisdict. disc.* 41. *&* 95. Quod scilicet hic Author scripsit in temporibus editioni, ac publicationi Concilii valdè proximis, dum de tempore, quo illud celebratum, ac respectivè publicatum fuit, ipse jam erat in Curia in nimia existimatione, adeòut plures Cardinales, ac Prælati, ejus consilio, ac opera frequenter utebantur; Ideòque nimiùm probabile est, quod ipse à Cardinalibus, qui in Concilio præsidentes fuerunt, sive à Prælatis, qui in eo intervenerunt, perceperit, qualis fuerit Patrum sensus, vel motivum, edendi istud decretum adversus raptorta. 11 12

Ponderando etiam nimiùm, itam pro ista doctrina, quàm pro infrascripta declaratione an. 1608. receptam, ac frequentem conclusionem, quam habemus in materia observantiæ, quòd scilicet, quamvis illa dicatur optima interpres ac interpretationum Regina; Attamen id intelligendum venit, de observantia actui proxima, eùm tunc intret congrua ratio, cui eadem conclusio innixa est, quod scilicet illi, qui ita observarunt, essent veritatis conscii, secus autem ubi ea sit remota, ut advertitur *sub tit. de jurisdict. disc.*41. 13

Præterea, examinando genericè authoritates, quas desuper habemus, sive agatur de illis, qui scripserunt ante Concilium Tridentinum in solis terminis juris communis, sive de illis, qui postea scripserunt, certum est, quòd forenses, tam Civilistæ, quàm Canonistæ, quos referunt idem Sanch. *dicta disp.*13. *n.* 13. *in princ. & disp.* 15. Farinac. *q.* 145. *n.* 118. *seqq.* plenè modernus Cortiad. *dec.*89. *n.*40. de Marin. *resol.* 301. *n.*8. *lib.*1. & alii, de quibus in hujus causæ decisionibus, tenent, ut raptus criminosus, ac punibilis dicatur etiam ille, qui committatur in mulieris volentis abductione, ubi fiat, invitis, vel etiam solùm insciis parentibus, aut educatoribus, in quorum tutela, vel educatione illa sit; Ideò que intret propositio, de qua supra, *in Bononien. disc.* 3. ut in foro externo Canonistis potiùs, ac forensibus, quàm Theologis deferendum sit. 14

Illi etenim, qui tam ex antiquis Canonistis, quàm ex modernis, contentantur consensum puellæ, negligendo illum parentum, vel aliorum, in quorum tutela, vel educatione sit, procedunt cum præsupposito; quod accedat talis consensus, qui redoleat contractum matrimonii jam perfectum in terminis juris communis, quatenus moderna forma Concilii non adesset, ut habetur infra in altera principali inspectione, agendo de prævio matrimonii tractatu; Atque in hoc consistit aliquorum Moralium æquivocum, confundendo scilicet istam speciem consensus, cum altera illius simplicis consensus, qui consideretur discretivè ad positivam violentiam; sive consistit æquivocum in mala intelligentia, vel mala applicatione eorundem Moralium, ac aliorum, qui solo consensu mulieris contentantur, in dictis terminis, dictoque præsupposito retento. 15

In parte quoque discursiva, seu ratiocinativa, idem dicendum esse (etiam cum sensu veritatis,) constanter affirmabam, quoniam ex communi humano sensu, ac usu, si dormiente, vel in studiis, aliisque negotiis occupato, aut etiam extra domum existente patre familias, ex ejus domo, cum suasionibus, ac blanditiis, vel cum aliis suggestionibus, abducatur puella, adeòut nulla concurrat vis vera, & positiva in parte, neque in ipsa abducta; Adhuc tamen, si universus populus interrogetur, omnes etiam rustici, ac mulieres, pro communi humano sensu, & usu, dicent, quòd puella de domo paterna, vel alterius educatoris, criminosè, ac illicitè rapta fuerit; Ideòque dicebam, quòd tam Judices dubitantes, quàm Scribentes in contrarium, qui habent filias, vel neptes innuptas, in hoc ponerent manus, (ut vulgò dici solet) supra pectus, atque considerarent si id eis contingeret, an se vocare deberent gravi injuria affectos, cum formali raptu, illaque naturalis veritas, non autem Juristarum, vel Theologorum formalitates attendi debent. 16

Item quia, istud Conciliare decretum, adeò accuratè editum, remaneret de vento, atque numquam, vel nimiùm rarò esset verificabile, si intelligendum esset de illo raptu, qui fieret cum violentia positiva, quæ potentialiter, ac armata manu fieret, parentibus, vel educatoribus expressè dissentientibus, dum id esset solùm verificabile in puellis rusticorum viventium in domibus rusticanis, sive in personis in- 17

quæ plebis, non autem in nobilibus, vel in civilibus viventibus in Civitatibus, vel oppidis alicujus qualitatis, non adhibito armamento ad formam exercitus, quod utique prorsus absonum est dicere; Ideoque spernendæ videntur in foro illæ Scriptorum simplicitates, quæ adversantur sensui naturali, ac usui communi, ipsique verisimili voluntati Legislatoris, ac fini per eum habito, sive effectui desiderato, & ex lege sperato.

18 Ac propterea dicebam quòd in hoc etiam proposito intrabat vera propositio in omni ferè materia insinuata, atque in judicando, & consulendo præoculis habenda, ac principaliter attendenda, ut in omnibus humanis actibus, ac etiam in legum interpretationibus, non cortex, vel formalitas verborum, sed substantia veritatis, seu verisimilis voluntatis attendi debeat, spectato fine, seu effectu, ob quem ille actus initus est,

19 Quòd autem verus Concilii sensus fuerit, intelligere de quocumque raptu, juxta rigorem juris civilis, eòsque restituere, sublatis Canonistarum, ac Moralium subtilitatibus, & distinctionibus, ea tantùm moderatione firma remanente, quæ resultet ex formali, ac perfecto matrimonii tractatu, ut infra; Altiùs materiam per ejus principia assumendo, advertebam, quòd attento Jure Civili, non solùm ad effectum pœnarum, sed in specie, ad effectum nullitatis matrimonii, sufficiebat negatio consensus paterni, quamvis dissensus non accederet, ex deductis *sub t. de dote, disc. 1.* & in aliis; Et generaliter pro aliis pœnis raptus, ut attento Juri Civili, iste adesse dicatur, quamvis de puella volente fiat, nullo desiderato positivo dissensu parentum per violentiam eis illatam, constat ex relatis per Farinac, & alios ubi suprà,

Quia verò id libertati matrimonii adversabatur, cùm illud ab ipsorum contrahentium, non autem à parentum, ac aliorum, libero, perfectoque consensu pendere debeat; Hinc proinde Sac. Canones corrigendo Jus Civile, non improbarunt matrimonium, quod cum puella volente, ac patiente se abduci, contraheretur, quasi quòd raptus committi non dicatur cum volente; Quinimmò, etiamsi raptus verus cum violentia accedat, adhuc tamen, si puella dum est in manibus raptoris, ex libero, ac perfecto consensu superveniente, cum eo matrimonium contrahere determinet, illud ex Sacrorum Canonum sensu, validum erit non obstante initio vitioso, quoniam sufficit ut vitium cesset de tempore contractus, quando consensus sit liber, ac perfectus.

20 Cum autem ista Sacrorum Canonum dispositio, ex zelo libertatis matrimonii, nimiùm, ac ultrà quàm par est, per Canonistas ac Morales ampliata, pene inconvincibilem, seu impracticabilem reddidisset hujusmodi raptus reatū, idque magna produceret inconvenientia, quòd scilicet viri inæquales, vel alias indigni, seu parentibus exosi, ita impunè licitum sibi reddebant, absque parentum consensu, vel scientia, eorum filias habere in uxores, eorumque hæreditates, ac successiones, cum his malis artibus captare, ubi præsertim (juxta frequentem contingentiam) ex investitura vel fideicommisso, seu majoratu majorum, aut à Statuto, successio sit necessaria, adeout nil referat habere parentes benevolos, vel indignatos; Hinc proinde sacrum Concilium, ut huic malo occurreret, plurium inconvenientium, & scandalorum productivo, moderari voluit Canonum benignitatem, seu Canonistarum, ac Moralium nimiùm benignas interpretationes, quæ satis de facili hujusmodi petulantiam excusabant, adeout ferè unquam ad praxim deducibilis esset casus raptus formalis, atque ita restituere voluit rigorem Juris Ci-
21 vilis, non quidem circa necessitatem paterni consensus, cùm in hoc potius Canones ampliaverit, sed circa raptum; Ut benè insinuatur in declaratione S. Congregat. Concilii sub die 24. Januarii 1608. quæ infrà registratur in calce, atque ita etiam discurrendo, exprimitur in aliquibus votis eorum, qui in dicta Congregatione intervenerunt, & quæ in antiquis registris ejusdem Congregationis, imminente ultima disputatione Rotali *coram Taja*, reperta fuerunt,

Si etenim, etiam hodie post Concilium, procedendum
22 esset cum eisdem sensibus, vel interpretationibus Canonum, cum quibus antea procedebatur, adeò ut Concilium nihil de novo statuerit, exindè sequeretur, quòd hujusmodi Conciliare decretum, fatuum, nulliusque operationis remaneret, atque omninò superfluum fuisset; Id autem in lege, quæ adeo summo, ac maturo studio edita fuit per tot insignes Canonistas, & Theologos, ac prudentes viros, in generali Concilio congregatos, nullatenus est asserendum,

23 Potissimè dum ejusdem decreti contextus ad evidentiam probat, ut studiose, & accuratè ista lex edita sit ad occurrendum malo, quod in hac materia adeò invaluerat, eo modo quo ad eundem effectum, alia quoque decreta fuerunt licèt à Sacris Canonibus exorbitantia, ac matrimonii libertati contraria; ut præsertim contigit in nova forma præcisa, quæ per idem Concilium sub decreto irritanti inducta fuit super matrimonii publicitate in faciem Ecclesiæ, ut scilicet, nonnisi coram unius contrahentium vero, ac proprio Parocho, duobusque testibus celebrari possit,

Attenta etenim dispositione utriusque Civilis, & Canoni- 24
cis Juris, derivata etiam ab utroque Divino, & naturali, ad matrimonii perfectionem, aliud non desideratur, nisi consensus naturalis liber ac perfectus; Solumque Jus Civile desideravit consensum parentum, sed in hac parte correctum fuit per Jus Canonicum, & clarius per idem Concilium; Et consequenter, indubitatum remanet, quòd hujusmodi nova forma, vel solemnitas extrinseca, impediat illam antiquam libertatem, quæ matrimonio connaturalis erat; Adeout aliqui moderni Theologi, adhuc in eo perseverent humore melanchonico, quòd hujusmodi forma, utpote Divino, ac naturali juri contraria, induci non potuerit, (quamvis eorum opinio omnino reprobata sit, atque contemptibilis remaneat;) Id autem prudenter, ac rationabiliter ordinatum fuit, ut ita occurreretur illis scandalis, & inconvenientibus, quæ in dies resultabant ex matrimoniis clandestinis, & ad quæ tollenda, statutum generaliter fuit, ut ea publicè in faciem Ecclesiæ ita celebrari deberent.

Sic à pari, ad consulendum scandalis, & inconvenientibus resultantibus ab hujusmodi raptibus, prudenter S. Concilium opportunum credidit, restituere in hac materia, antiqui Juris Civilis rigorem, atque non solùm annullare matrimonium, verùm etiam adjicere censuras, aliasque graves pœnas, ex quibus patet, quòd ista non fuit ea simplex antiquorum Canonum innovatio, vel restitutio, quam idem Concilium in plerisque partibus induxit, sed ita statuere voluit per legem omninò novam ab antiqua Canonum dispositione exorbitantem eodem modo quo in dicta nova forma, vel solemnitate statuit,

Adeout Sac. Congregatio, interpretando istud decretum, 25
pro illius contraventione, ac matrimonii nullitate responderit, quamvis ageretur de puella quæ à parentum jam defunctorum potestate soluta esset, atque sub tutoris, vel alterius educatoris potestate viveret, ut ex declaratione in causæ decisionibus enunciata,

Et quamvis Scribentes pro viro, huic declarationi responderet, quòd cùm ea loquatur de furore, ita supponatur puel- 26
la adhuc impubes, & non apta matrimonio, quòdque propterea ex isto defectu potiùs in eo casu resultaret nullitas per Sac. Cong. declarata; Nihilominus (pro meo judicio) ista videbatur prorsus inepta responsio, utpote præsupponens in tam magno, & qualificato Senatu, ineptiam manifestam, præbendi scilicet oraculum super interpretatione hujus decreti super nullitate ex ejus dispositione resultante, ob circumstantiam raptus commissi cum furore, si nullitas resultaret ex illo defectu naturali, qui omni jure attento, resultabat ex imperfectione consensus, ut clarè ad sensum.

Præsupposito igitur pro certo, & constanti (ut pro meo 27
sensu dubitanter præsupponendum videtur,) quòd raptus ad hunc effectum, juxta Juris Civilis rigorem attendi debeat quamvis positiva parentum violentia non accedat, quòdque illum non excuset simplex mulieris consensus, adhibitus ex alio motivo, quàm illo matrimonii, cujus formalis, ac perfectus tractatus præcesserit, juxta dictam declarationem anni 1608. cujus tenor in calce registratur; Hinc proindè, unica dubitandi probabilis ratio in ista causa, in eo consistebat, an talis matrimonii tractatus præcessisset, nec nè, adeò ut ista limitatio, seu excusatio intraret, & quæ hodie unicè admittenda videtur; Atque in hoc fuit major disputationum conflictus, stante confessione puellæ emissa, coram eo Judice, vel magistratu, qui *Scabinus* ibi appellatur, quòd scilicet, cum Riccardus pro se ipso de matrimonio die præcedenti tractare cœpisset, die sequenti conclusa fuit fuga, dum ex hoc tractatu conclusio deducebatur,

Verùm ista probatio, in facto destruebatur per plures contrarias diversæ voluntatis probationes, etiam per actus gestos de tempore quo puella erat in manibus, ac potestate raptoris, atque revera, excludebatur, magisque concludens dabatur probatio, quòd fuga per eam desiderata, atque tractata esset, non quidem ad finem perducendi ad effectū jam perfectum, & conclusum matrimonii tractatum, sed ad finem evitandi, ne recluderetur in Monasterio, atque ita cogeretur contrahere matrimonium cum eo, quem abhorrebat; Quamvis etenim aliæ probationes ex parte viri adducerentur, præsertim per quandā apocham, attamen convincebatur

factæ

factæ de tempore, quo puella erat in ejus potestate, aut antidata, ideòque revera in nulla consideratione erant habendæ, totumque in facto ejusque circumstantiis consistebat potiùs quàm in jure, ut ex causæ Decisionibus patet.

Quatenus verò pertinet ad ea, quæ juris sunt, circa di-
28 ctam limitationem, quæ raptus excusationem inducat ob præcedentem matrimonii tractatum; Advertebam, quod talis limitatio, de jure vere est, atque ubi in facto verificetur, admittenda venit; Fallacia verò consistebat in mala intelligentia, seu mala applicatione; Cùm etenim antequam nova forma per Concil. Trid. induceretur, matrimonium omninò perfectum, ac ratum, tam in ratione contractus,
29 quàm in ratione sacramenti, contraheretur per solum liberum, ac perfectum viri, & mulieris consensum, etiam implicitum, ac præsumptum, alia forma, vel solemnitate ad ejus perfectionem non desiderata; undè propterea in terminis juris communis datur absque dubio matrimonium præsumptum, quòd per hanc formam Conciliarem est sublatum; Hinc proinde, ille tractatus, de quo loquuntur antiqui Canonistæ, & Theologi perficiebat matrimonium, eoque ita perfecto, & concluso, si vir, ut mulierem secum abduceret, violentiam parentibus, vel educatoribus inferret, atque per speciem raptus id ageret, tunc nil committeret
30 illicitum, vel criminosum, quoniam in effectu, in aliud continere non dicitur, nisi quod vir secum ducat ejus uxorem, istaque virum sequatur; Violentia verò, vel clandestinitas adhibeatur solùm, ad removendum illicitum obstaculum, seu impedimentum parentum, vel aliorum, Atque hic verus, & germanus sensus textus *in cap. cum causa, de raptor.* ibique Hostien. *n.3.* Abb. Anchar. & Jo. de Anan. omnes *n.4.* ac alii communiter, cum hoc sensu procedentes, ut ita puella, tanquam uxor, vel sponsa, virum, vel sponsum sequatur, ad effectum, ut matrimonium jam conclusum, suam habeat executionem.

Hoc autem posito; Benè dicebant Scribentes in contrarium quod Conc. Trid. potiùs assistat majori libertati, quod-
31 que parentum consensus ex ejus dispositione clariùs, magisque de plano sperni valeat; Sed punctus est in hujus perfecti tractatus verificatione, an scilicet ille dici posset talis quod si non adesset dicta Conciliaris forma, vel si versaremur in locis, in quibus etiam hodie, ob non acceptationem Concilii proceditur in matrimonio cum antiqua dispositione juris, ita dici posset matrimonium validè, ac perfectè contractum, quòd sponsa sponsum secuta fuerit.

Quia verò hujusmodi tractatus, quamvis de jure communi esset habilis ad perficiendum matrimonium, adeòut eo secuto, dici posset quod sint effecti vir, & uxor, hodie ob dictam novam formam Conciliarem non sufficit, illeque re-
32 solvitur in sponsalia præparatoria illius matrimonii rati, ac perfecti, quòd juxta hanc formam est contrahendum; Hinc proinde, si præcedat talis tractatus, qui de jure communi, ut supra esset sufficiens ad matrimonium jam perfectum, hodie autem remanet in dictis terminis sponsalium; Adhuc ex eadem ratione ille sufficiens erit ad raptus excusationem, quoniam licèt dici non possit id, quòd antiquiores dicebãt, quòd scilicet uxor virum sequeretur pro matrimonii jam contracti consummatione, & executione, adhuc tamen dici potest, quòd sponsa sequatur sponsum, ut ita coram Parocho, & testibus juxta formam Conciliarem, jam tractatum, atque ex eorum parte jam perfectè conclusum matrimonió sequi posset; Et hoc est quod in effectu dicere voluit Sanchez loco citato, inhærendo sensui antiquorum, quòd scilicet mulieris fuga, à domo parentum, vel educatorum (quamvis etiam cum violentia) secuta ex ejus libera, & perfecta voluntate, quę a dolo vel falsis suggestionibus, & seductionibus aliena sit, pręordinata fuerit ad dictam finem matrimonii, ita adhibendo istam viam, ad effectum illum obtinendi, qui aliàs obtineri non posset, ob impedimenta, quæ a parentibus, vel aliis conjunctis, sive educatoribus indebitè præstarentur, atque in his terminis, & cum hoc præsupposito Sanchez, & alii intelligendi sunt, cùm aliàs malè loqueretur; Ideòque fallacia est in prædictæ, in abstracto veræ, ac recipiendæ theoricæ, mala intelligentia, seu mala applicatione.

Et consequenter, cùm in hac facti specie, dictus formalis, ac perfectus tractatus non adesset, minusque ad præmissum
33 matrimonii finem, sed ad aliud diversum effectum fuga per puellam desiderata esset; ne scilicet in Monasterio recluderetur, neque ei vis fieret contrahendi abhorritum matrimonium, ita firmum remanebat, quòd versabamur in casu raptus, de quo decretum Conciliare loquitur; Ideòque resolutiones (reflectendo etiam ad solam veritatem post sopitam causam) probabiles, benèque fundatæ visæ sunt.

Tenor autem declarationis editæ de anno 1608. est ut sequitur.

Die 24. Januarii 1608. habita est Congregatio Concilii domi Illustriss. D. Cardinalis Camerinen. cui interfuerunt Illustriss. Cardinales Camerinen. Montesperell. Pallavicinus, Aquaviva, Mantica, Pamphilius, Montisregalis, Maffeus, qui omnes censerunt, Concilium procedere etiam in muliere volente, dum tamen sit raptus juxta terminos juris civilis; Unde Cardinalis Montisregalis existimavit Concilium procedere quoad nullitatem matrimonii, non autem quoad pœnas, sed cæteri omnes putarunt, Concilium sibi vendicare locum, etiam quoad pœnas, &c.

VICENTINA MATRIMONII
INTER FRANCISCAM, ET FELICEM.

Responsum pro veritate.

De probatione matrimonii coram Parocho, & testibus juxta formam Sac. Conc. Trid. per solos testes; Et an obstet validitati matrimonii dissensus Parochi? Seu quod idem, ac testes, cùm dolo, & fraude ad id vocati sint, non factis denunciationibus?

Et de invaliditate matrimonii, ex causa metus, in casu præciso, quòd de nocte vir in domo mulieris, cum ista per conjunctos deprehensus esset, eique mors comminaretur.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Matrimonium contractum esse coram Parocho, & testibus probari potest per testes.*
3 *An testes debeant esse omni exceptione majores?*
4 *Adminicula supplent eorum defectus.*
5 *Qualis præsentia, vel consensus Parochi requiratur.*
6 *Qualis fuerit finis Concilii Trid. circa formam.*
7 *Benedictio Parochi non est necessaria, ejusque falsa credulitas non præjudicat.*
8 *De potestate Capellani, vel substituti à Parocho.*
9 *Metus quomodo probetur, ut sufficiat ad nullitatem.*
10 *Quomodo in arbitrariis procedendum sit.*
11 *Et quæ circumstantiæ ponderandæ sint.*
12 *De articulo juris, an, & quando metus annullet matrimonium?*
13 *De casu in quo metus curatus non fuit.*
14 *& 15 Facilius attenditur clandestinitas post Concilium in ordine ad metum.*
16 *An metus, vel violentia directa ad finem diversum, annullet matrimonium?*
18 *& 18 De argumentis metus, vel violentiæ quæ ad matrimonium directè sint.*
19 *Verba denotantia liberum consensum quando attendantur.*
20 *De purgatione metus ex subsecutis actibus liberi consensus.*
21 *De aliis argumentis exclusivis metus.*
22 *Conclusio, seu votum super casu.*
23 *De alio casu controversia, & quod facilius sit locus annullationi matrimonii ratione metus ubi sit ratum tantum.*

D I S C. VI.

COEptis amoribus inter nobiles, vel satis civiles adole- 1
scentes, paria, vel non multùm imparis conditionis, Felicem, & Franciscam, deventum est, in domo cujusdam vicinæ coram alio viro, ad sermones, in quibus mutua promissio matrimonii intervenit, dictaque promissio, ansam dedit eorundem amorum effectuationi plurium annorum spatio continuatæ, in quibus puella, paribus, & congruis nuptiis, per fratrem pluries destinata, istas respuit; Cùm autem vir, pluries requisitus, in longũ protraheret promissi matrimonii effectuationem; Hinc, sive quòd puella Antonio fratri rem panderit; Sive quòd aliàs factum ad ejus notitiam devenerit, eadem mulier, sub assertione absentiæ fratris à Civitate virum ad ejus domum, consuetumque cubiculum de nocte evocavit, ubi superveniente, tanquam ex improviso, dicto Antonio fratre, qui credebatur absens, cum sclopo, aliisque armis, atque de gestis se conquerente, Felix dixit se ibi esse causa honoris, ideòque velle Franciscam ducere in uxorem; Quare per ejusdem Antonii famu-

lum, evocati fuerunt duo testes, & quidam sacerdos ibi proximè convivantes, ac etiam sub prætextu ministrandi sacramenta ejusdem famuli matri, utpote graviter infirmæ, evocatus fuit capellanus, qui ob parochi infirmitatem, ejus vice, sacramenta ministrare solebat, atque coram istis, matrimonium contractum fuit, cum pluribus circumstantiis, in facti notula contentis, de quibus ad rem in discursu; Postquàm verò judicia criminalia hinc indè agitata fuerunt coram Judicibus laicis; Introducta fuit ex parte mulieris causa in foro Ecclesiastico coram Ordinario super canonizatione matrimonii, formatoque processu, desuper (incertum est ex cujus parte) pro veritate consultus fui.

In Responso autem edito, causam distinguebam in tres inspectiones, vel punctos; Primò nempè circa probationem matrimonii, an scilicet probaretur illud coram Parocho, & testibus ad formam S. Conc. Trid. validè contractum esset; Secundò circa potestatem sacerdotis non parochi, coram quo matrimonium contractum fuit; Et tertiò circa vim, & metum, ex cujus defectu (data etiam validitate ratione formæ) dictum matrimonium prætendebatur nullum.

Primum punctum dixi videri planum pro affirmativa, 2 circa probationem matrimonii validi juxtà formam præscriptam à *Sac. Conc. Session. 24. de matrim. c. 1.* quoniam juxtà processum Curiæ Episcopalis, (quem dixi attendi debere) dicti tres testes benè contestes deponebant de mutuo consensu positivo per utrumque contrahentem in verbis explicato coram ipsis, & capellano, qui vice parochi sacramenta ministrare solebat mulieri de tempore infirmitatis.

Neque dubitandum esse dixi, ut matrimonium, etiam juxtà dictam formam Conciliarem, per solam testium depositionem probari possit, juxtà magis receptam opinionem, quàm inconcussè tenent Sacra Congregatio Concilii, & Rota Romana, quibus in hac materia omninò deferendum est, ut specie probationis per testes, Mantic. *dec. 372. per tot.* Buratt. *dec. 102. & 530. utrobique num. 1. & dec. 713. n. 7.* Rojas *dec. 431. n. 3. dec. 431. n. 1. p. 4. rec. tom. 2. dec. 124. per tot. p. 7. dec. 233. n. 18. p. 10.* latè *dec. 375. n. 3. cum seqq. p. 11.* & sæpiùs;

Minúsque obstare credidi exceptiones, quæ dabantur contra testes; Tum quia opus non est, ut isti sint omninò idonei, ac omni exceptione majores, ideòque de facili 3 hujusmodi exceptiones repelli solent, ut in specie apud Mantic. *dicta dec. 372.* quæ est in hac materia magistralis, & Buratt. ubi suprà; Tum etiam quia non erant solùm duo, itaut per eorum exceptiones dici valeat, quòd non adesset perfecta probatio naturalis, cùm essent tres, inter quos aderat unus sacerdos, unde numerus supplebat quemcunque defectum aliorum, ut in specie tertii testis advertitur apud Buratt. *dicta dec. 713. num. 8.*

Clariùs verò, ac extra omnem dubitationem, ob alia adminicula cujuscunque defectus suppletiva, resultantia ex depositione dicti capellani, & ex subsecuta coram ipso parocho, ac etiam ex confessione ejusdem viri in apocha eodem tempore confecta super futura constitutione dotis, & traductione sponsæ ad ejus domum post doctoratum, accedentibus quoque præcedentibus sponsalibus, seu promissionibus, unde propterea, omnibus insimul junctis, istius veritatis probatio mihi videbatur indubitata.

Et quamvis dictus capellanus qui vices parochi gerebat, in ejus depositione diceret, se non benè advertisse ad verba per contrahentes prolata; Atque receptum sit, ut præsentia parochi, & testium ita requiratur, ut intelligant quid 4 agatur, Guttier. *de matrim. c. 39. n. 8.* Rota *dec. 152. n. 4. p. 8. rec.* Adden. *ad dictam dec. 431. p. 4. rec. tom. 2. num. 25. & seq. & n. 29.* ubi Concordantes; Attamen dixi, quòd non requiritur eorundem, præsertim parochi consensus, quòdque in actu aliquam faciant operationem, quoniam sufficit, ut non sint dormientes, vel infantes, seu aliàs impediti, adeòut percipere non possent quid ageretur; De reliquo enim, etiamsi eis transeuntibus, vel captesie discedentibus, ac fugientibus, aut cum fraude, ac dolo ad alium finem evocatis, actus fiat, adhuc valet, ut in puncto parochi evocati sub falso prætextu subministrandi sacramenta cuidam infirmæ, atque se excusantis, quòd non posset actum approbare, firmat Rot. *d. dec. 431. n. 3. p. 4. rec. tom. 2.* ubi Adden. *n. 14. & seq. & dec. 626. eadem par. 4. tom. 2.*

Et de parocho dissentiente, vel fugiente eadem Rot. *coram Rojas, dicta dec. 124. n. 17. & 18. part. 7. & dec. 375. n. 8. cum seq. part. 11.* in quibus plenè allegantur Sanchez, Guttier. Pont. Barbos. & cæteri de materia tractantes; Atque in eisdem decisionibus, præsertim *d. dec. 375. p. 11.* plenè respondetur ad defectum denunciationum, sive ad alterum defectum concordantiæ testium in formalitate verborum, & habetur *suprà, disc. 1.*

Potissimè quia ipsiusmet capellani, seu parochi deposi- 5 tio, unà cum subsecuta coram parocho, occasione falsæ licentiæ per dictum Antonium fratrem exhibitæ, ad oculum probabat, quòd parochus benè omnia audisset, prudenter verò curasset ita deponere ad se excusandum à pœnis illatis parochis, vel eorum vicesgerentibus, qui conjungerent in matrimonium in privatis domibus, & absque denunciationibus, ut in specie benè advertitur per Rot. *dec. 259. p. 4. rec.* ubi negligitur consimilis parochi dubia, & incerta depositio, ac etiam *dicta dec. 124. par. 7.*

Finis enim Sac. Concil. Trident. super dictæ formæ inductione fuit pro evitandis matrimoniis clandestinis, atque ut actus sequatur in faciem Ecclesiæ, unde propterea 6 quando dictus finis adimpletur, tunc non adeò mordicus insistitur in formalitatibus, ut liquet ex allegatis decisionibus, atque talis est sensus Sac. Congregation. Concilii, ut frequens praxis docet, præsertim *in Romana nullitatis matrimonii*, de qua *disc. 1.* & in aliis.

Minùsque obstare dixi, quod de subsecutis coram Parocho circa falsam licentiam, ac etiam, ex querela criminali porrecta per mulierem, in instantia coactionis ad matrimonium videretur, quòd in mente dicti viceparochi, ac Partium, actus habitus fuisset pro imperfecto, quoniam cùm 7 illa fuerit simplicitas, vel falsa, & erronea credulitas causata ab ignorantia Juris, quasi quòd crederetur, ut ad perfectionem matrimonii necessaria esset illa cæremonialis forma verborum Parochi, *Ego vos conjungo &c.* quæ tamen non est necessaria, ut in specie in allegatis decisionibus præsertim *d. dec. 124. n. 17. p. 7. & dec. 375. n. 7. & seq. p. 11.* ubi allegantur aliæ antiquiores decisiones, ac Scribentium authoritates; Hinc proindè illa erronea credulitas tollere non poterat substantiam veritatis ita benè probatæ.

Magis planum dixi videri alium punctum super potestate capellani; Tum quia plures testes probabant quòd ille, stante infirmitate Parochi, publicè, & palàm ejus vices gerebat 8 in exercitio Curæ, ac administratione sacramentorum, præsertim istius sacramenti matrimonii; Tum clariùs, quia tam ipse Parochus, qui facultatem dedit, quàm ipse capellanus, qui recepit, id ingenuè fassi sunt; potissimè quia fuit facultas, seu delegatio generalis, occasione impedimenti ex causa infirmitatis, juxtà casum de quo punctualiter *d. dec. 431. par. 4. recent. tom. 2. num. 4. & 5.* ideòque super hoc puncto cessare videbatur occasio, seu principium dubitandi.

Difficultas igitur tota residebat in tertio puncto deficientis consensus ratione metus. In hoc autem dicebam, quòd certa, & determinata generalis decisio non cadit, cum non sit quæstio juris, sed solùm facti, & voluntatis, ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, pro Judicis 9 prudentis arbitrio decidenda, ut in his terminis advertitur apud Speell. *dec. 5. n. 72. & seq.* & apud Boss. *de matrim. c. 12. n. 54. cum seqq.* & patet ex omnibus infrà allegandis decisionibus, & authoritatibus.

In arbitrariis autem, seu quæstionibus facti, & ambiguæ voluntatis, ut sunt frequenter illæ fideicommissorum conjecturalium, & similes, stultitiæ speciem semper censui, 10 mordicus, ac præcisè immorari in regulis generalibus, sive in decisionibus, vel doctrinis illis præsertim Consulentium, regulando decisionem ex eorum numero arithmetico (ut moderna inepia facere solet) quoniam ex personarum, locorum, temporum, ac morum, regionis, qualitate, frequens praxis docet, ut conjecturæ, & adminicula, quæ in uno casu sufficientia sunt, in altero eadem, ac majora non sufficiant, ideòque rectè eadem adminicula, seu probationis species, in uno casu canonizantur, & in altero reprobantur, quia sic unius, vel alterius casus qualitas exigat.

Hinc proinde in hac facti specie, ponderandos nimiùm esse dixi mores regionis, necnon qualitates fratris puellæ, ac dictarum aliarum personarum sibi assistentium, ad effectum 11 conjiciendi, an in viro tunc adesset talis metus, qui dici posset cadens in constantem virum, & qui removeret consensum ab actu; De reliquo etenim juris propositiones in abstracto, tam pro una, quàm pro altera parte videntur indubitatæ; ut scilicet metus debeat esse, ut supra, & non sufficiat levis; Quòdque eo concurrente, actus remaneat omninò irritus ex proximè allegandis, secùs autem è contra; Ideòque non visis juribus utriusque partis, atque non habita magis distincta notitia omnium circumstantiarum facti; præsertim verò qualitatis, tam in dicti Antonii, ac aliorum

sibi

sibi assistentium; quàm etiam dicti Pelicis, ac morum regionis, vix adæquatum judicium pro veritate dari posse respondi.

12 Quantum verò juris theoricę neque consimilium casuum decisiones docent; Probabilius pro nullitate potiùs, quàm pro validitate respondendum videbatur; Licèt enim in consimili casu Cepolla *cons. civil.* 2. quod est celebre apud volentes substinere matrimonium, curet excusare nullitatem; Ideòque ingeniosè faciat Laderchius *cons.* 17. Ac etiam habeatur in his præcisis terminis canonizatum per Rotam matrimonium consimili modo initum, in una *Ulyssipon. matrimonii* 16. *Decembris* 1616. *coram Piravano*, quę non est impressa, confirmata in aliis, quæ habentur impressæ, *dec.* 600. & 605. *p.* 4. *rec.*

Nihilominùs, in contrarium est magis communis, longè-que magis frequens numerus, tam Consulentium, quàm Decisionantium, aliorumque Scribentium, ut scilicet matrimonia, absque publicationibus, ac interventu conjunctorum, aliisque præcedere solitis, ex improviso fiant de nocte in domibus ipsarum mulierum, quibus viri, præsertim verò inexperti adolescentes, per parentes, seu fratres, vel alios conjunctos mulierum, tanquam infraganti reperti sint; censeantur meticulosa, & invalida, reprobatis nominatim Capella & Laderchio loc. cit. atque firmant plures, quos ad satisfaciendum requirenti, ita ob mores regionis desideranti, (genio, ac stylo nimium repugnantibus,) deducere curavit; Nempè Alex. *cons.* 98. *lib.* 3. & *cons.* 156. *libr.* 5. Alex. *de Nevo cons.* 12. quod est repetitum inter dicti Alex. de Imola *d. lib.* 3. *cons.* 99. Barbatia *cons.* 54. *lib.* 1. quod est in eodem casu, de quo apud Alex. *d. cons.* 98. & 99. Barbos. *cons.* 24. *inter cons. matrim. diversor. lib.* 1. quod est editum in eodem individuo casu, in quo è converso scripsit Cepoll. *d. cons.* 2. Atque, ut liquet ex infra allegandis decisionibus istud *cons.* Barbosi videtur magis receptum, Corn. *cons.* 41. *lib.* 2. Paris. *cons.* 53. & *cons.* 60. *lib.* 4. Rimin. jun. *cons.* 362. quod est repetitum *inter consilia matrimonialia diversorum cons.* 77. Aponte *cons.* 44. *lib.* 1. ubi sic testatur decisum Giovagnon. *cons.* 67. *lib.* 1. apud quos omnes, utpotè tunc visos, habentur cæteri, quos otium non dedit videre.

Et ex Decisionantibus Sperell. *d. dec.* 5. quæ est plenissima, & videtur in materia magistralis, utpotè composita ex laboribus omnium ferè Jurisconsultorum, vel Moralium primi ordinis Italiæ, qui in ea gravi causa scripserunt, ibique nominatim reprobantur Capolla *d. cons.* 2. & Laderch. *cons.* 17. Riccius, *dec.* 82. *p.* 4. Monter. licèt non ad effectum nullitatis matrimonii, sed alterius contractus *dec.* Aragon. 45.

Et Rota Romana apud Buratt. *dec.* 86. quæ est repetita *dec.* 643. *p.* 1. *rec.* & *dec.* 213. quæ est repetita, *dec.* 784. *part.* 3.

Omnes istæ sunt authoritates punctuales, atque percutientes casum præcisum matrimonii contracti de nocte ex improviso, juxtà hanc facti speciem; Et de hoc etiam super metus præsumptione ex authoritate Joan. Andreæ, & Abbatis *in cap. veniens, de sponsalibus*, generaliter agunt Mascard. Boss. Menoch. Sanchez, Guttier. & cæteri, qui habentur collecti apud Sperell. *d. dec.* 5. & in allegatis Rotæ decisionibus *coram Buratto*.

Accedunt etiam aliæ authoritates, vel decisiones agentes de eadem materia metus, ad effectum invalidandi matrimonium, quæ percutiunt casus, vel terminos diversos, licèt eorum fundamenta influant etiam ad rem; Ut sunt Oldrad. *cons.* 35. ubi de nullitate allegata per mulierem, quę per vim, & metum à viro rapta, & coacta fuerat, Barbosa, *seu Scribentes apud eum voto* 16. ubi de metu reverentiali illato viro ab ejus Patre; Et Rota *cor. Seraphin. dec.* 859. ubi pariter de metu reverentiali, aliisque violentiis allegatis ex parte mulieris, & apud Greg. *dec.* 320. & 374. Et de metu reverentiali allegato ex parte viri apud Peniam *dec.* 1140.

Atque in proximis terminis matrimonii spiritualis contracti per vim, & metum apud Burat. *dec.* 205. & plenius *in Ulyssiponen. nullitatis professionis coram Arguelles* post Dianam *p.* 9. *fol.* 1. & 5. & pluries *sub tit. de Regul.* Verum cùm istæ essent authoritates generales, dixi quòd non multùm videbantur curandæ, ubi habemus individuales, ex quibus liquet frequentiùs pro metu, & successivè pro nullitate responsum, vel judicatum fuisse.

13 Unicus enim casus, qui pro validitate in his terminis decisus reperitur, est ille de quo agitur *in dicta Ulyssiponen. dec.* 600. & 605. *p.* 4. *recent.* Verùm istæ decisiones innituntur illis particularibus circumstantiis liberam voluntatem præseferentibus; Et nihilominus ut patet ex lectura, sunt decisiones nimis debiles, quas tamen credere debeo justas, ob facti qualitatem tunc Judicibus cognitam, ad præsens verò nobis obscuram.

Et quidem, si apud antiquos Canonistas, ut alios Scriben- 14
tes ante Conc. Trid. ista forma contrahendi matrimonium de nocte, & ex improviso in domo mulieris, absque interventu propinquorum viri, præseferabat probationem metus, & violentiæ, malamque faciem habebat, quando matrimonia clandestina adeò prohibita non erant; multò magis id affirmandum est post Concilium, quando ad consulendum inconvenientibus, quæ ex clandestinis matrimoniis resultant, præscripta est forma adeò publica, & solemnis; Unde propterea omnes illi defectus, qui ex parte viri impu- 15
gnantia matrimonium allegabantur super primo puncto respiciente formam à dicto Concilio præscriptam, quamvis eo respectu nullam haberent subsistentiam; Nihilominus tamen eos considerabiles videri advertebam, ad hunc effectum corroborandi dictam metus probationem, ex hujusmodi contrahendi modo aliàs resultantem.

Considerabam, an suffragari possit illa plurium Mora- 16
lium, aliorumque Scribentium consideratio, de qua plenè, & ex professo Sperell. *dec.* 6. & Farinacc. *in fragmen. verbo metus*, *n.* 61. quòd scilicet violentia incussa non sit directè, ad extorquendum matrimonium, sed principaliter ad vindictam injuriæ, pro qua evitanda, vir ex ejus spontanea voluntate offerat matrimonium, ut latiùs est videre apud Sperell. *d. dec.* 6. ubi allegantur Sanchez, Reginald. & cæteri, atque pertransit etiam (licèt parum discussa materia) modern. Boss. *de matrim. c.* 22. *n.* 128.

Verùm dixi quòd magna remanet difficultas super appli- 17
catione, quoniam, ex facti circumstantiis, quales sunt; Præcedentia sponsalis, seu promissiones futuri matrimonii; Longa plurium annorum conversatio, cujus quodammodo impossibile est ut frater puellæ notitiam non habuisset; Modus fraudulentus, cum quo adolescens per mulierem vocatus est, sub assertiva absentiæ fratris; Promptitudo testium, seu amicorum; Negligentia claudendi portas; Subita convocatio Parochi; Et præparatio falsificatæ licentiæ, quatenus Parochus renueret, clarè, atque ad oculum convincere videbantur, ut totum præordinatum fuisset ad extorquendum matrimonium, ut ipsa facti series nimis clarè comprobata videbatur.

Potissimè verò stante qualitate viri, qui erat filius fami- 18
lias, & scholaris, ac inexpertus adolescens; Et ex qua præsertim circumstantia, stantibus subsecutis, magnam dixi remanere dubitandi occasionem; Siquidem, si verum esset, ut matrimonium ex ejus libera voluntate contractum esset, absque dubio ea nocte permansisset cum sponsa, quod unicè ad salvandam coactionem ponderat Cepolla *cons. civil.* 4. Et è converso ad probandum metum ponderatur in allegatis decisionibus coram Buratto; Et quando etiam in ea nocte, ob aliquam animi turbationem, cum muliere permanere, atque matrimonium consummare noluisset, omninò probabile est, quòd diebus subsequentibus redisset pro continuanda alia amorum licita, & tota effectuatione, quam tot annorum spatio, illicitè, & clandestinè, atque cum tot periculis, ac timoribus, & incommodis continuaverat, cùm timor patris impediret quidem traductionem sponsæ ad domum, aliosque publicitatis actus, non autem dictam continuationem amorum, adeò ut omninò impossibile videretur captivare sani hominis intellectum ad credendum, ut adolescens scholaris, in eo intermedio spatio, donec id ad patris notitiam deveniret, se continere potuerit, quando matrimonium, ex ejus voluntate initum fuisset.

Ponderando, in exclusionem motivi, de quo apud Sperell. 19
dicta dec. 6. & Farinacc. *ubi supra*, excitati per Scribentes pro validitate, quòd licèt vir coram Parocho, & testibus, protulerit verba significantia consensum positivum de præsenti, juxtà deducta super primo puncto; nihilominùs, ut ex eisdem testium depositionibus patere observabam, Antonius frater fuit ille, qui fecit omnes partes in scena, interrogando Felicem, ac etiam requirendo Parochum; Et consequenter non probabatur in facto dicta circumstantia, cum qua unicè hæc nullitas salvari posset, quòd scilicèt, ordinato accessu conjunctorum, pro vindicanda injuria cum viri morte, hic, ad eam effugiendam sua sponte, obtulerit matrimonium.

Deducebatur quædam subsequens allocutio clandestina 20
post aliquos dies cum eodem Antonio in quadam Ecclesia, seu Conventu; Verùm non videbatur actus sufficiens ad purgandum metum, ac inducendam ratificationem, cùm hæc deduci soleat ex subsecuta copula, & continuata conversa-

versatione post omninò cessatam causam metus, qua durante, idem inesse dicitur, unde propterea magnam sentiebam difficultatem.

21 Constituebatur item fundamentum in absolutoria secuta ad favorem Antonii in judicio criminali, sed non videbatur quòd esset solidum fundamentum, quoniam nullum delictum commiserat, curando ita proprio, ac sororis honori consulere, mediante matrimonio; Et è contra, condemnatio in eodem judicio criminali dicti Felicis, potiùs præsupponebat matrimonii validi negationem, quoniam si Judex criminalis credidisset matrimonium validum, usque nullus suberat condemnationi vel penè locus, ideòque non videbatur subesse probabile fundamentum, quod pro libertate, seu metus exclusione, captivaret intellectum.

22 Præcedentes autem promissiones adolescentis pro assequendo suorum amorum fine, dixi quòd sunt consuetæ phrases amantium, ita simplices puellas decipientium, unde propterea, quamvis agnoscerem, quòd casus ea parte mulieris commiseratione dignus esset, quòdque omne possibile arbitrium in casu dubio interponendum esset ad ejus favorem pro matrimonii validitate; Sive quòd stante præsupposita æqualitate, vel non magna disparitate, locus esse debèrat rigorosæ, ac præcisæ coactioni viri ad contrahendum denuò matrimonium, quatenùs primum non subsisteret; Verùm hæc dixi, quòd non poterant prodesse ad salvandam dictam nullitatem ejus, quod actum erat; Incertum autem est quid in eo casu secutum sit.

In hac verò materia matrimonii meticulosi; Pro ejus
23 nullitate scripsi quoque *in una Romana* pro Angela, cum Lucio coram V. Gerente, in qua ex parte mulieris opponebatur de metu reverentiali, juncto cum importunitatibus parentum adoptivorum, unà cum minis, eam expellendi è domo, ac privandi eorum successione, quam ab ipsis prole carentibus, ipsa tanquam pauper puella adoptata de facto, seu ut dicitur filia animæ verisimiliter spectabat, cum aliis facti circumstantiis, à quibus dicebam totum pendere, cùm istæ non dicantur quæstiones juris, sed facti, ideòque (ut supra) certam, ac generalem decisionem non recipiunt, sed pro Judicis prudentis arbitrio, juxtà singulorum casuum qualitatem decidendæ sunt; Ad istum arbitrium regulandum pro nullitate, satis ponderabam eam circumstantiam, quòd matrimonium esset solùm ratum, adhuc non consummatum, ex triplici ratione; Primò nempè, quia in tenera puella virgine, atque virorum conversationis ignara, facilior est timor, seu concussio, Greg. *dec.* 326. *n.* 25. cum aliis per Barbos. *d. voto* 17. *n.* 105. Secundò, quia faciliùs dissolvitur matrimonium adhuc ratum, in quo non intret præceptum divinum, ut quos Deus conjunxit, homo non separet, ex deductis infra *in Januen. disc.* 9. Et tertiò, quia abstentio à copula, & matrimonii consummatione, est magnum indicium non liberæ voluntatis, ut apud Mantic. *dec.* 54. *num.* 12. cum aliis allegatis per Sperell. *d. dec.* 5. *num.* 59. & 63. & apud Buratt. *d. dec.* 861.

ROMANA MATRIMONII.

Responsum pro veritate suppressis nominibus personarum nobilium primi ordinis.

An, & quando, ex sponsalibus nulliter contractis cum patre, resultet impedimentum publicæ honestatis, quod irritet matrimonium contractum cum filio? Et an dispensatio concedenda sit super precedenti matrimonio rato tantum, ad effectum, ut substineatur secundum matrimonium consummatum?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Sponsalia etiam invalida de jure communi causant impedimentum publicæ honestatis.*
3 *Secùs autem ex Concilio Tridentino.*
4 *Sponsalia contracta inter prohibitos sub conditione dispensationis, adhuc sunt invalida, & obtenta dispensatione, novum exigunt consensum.*
5 *Hypotheca dotalis à quo tempore incipiat.*
6 *Matrimonium ratum inducit impedimentum.*
7 *Quando matrimonium ratum dispensetur.*
8 *De eodem super justa causa dispensationis.*

D I S C. VII.

1 Contractis sponsalibus de futuro, inter Titium, & Mæviam, quarto affinitatis gradu conjunctos, sub reservatione Apostolicæ reservationis, quæ deindè obtenta fuit, literis etiam expeditis, (quas tanquam subreptitiè extortas, Datarius deinde, ab illarum Expeditore sibi restitui curavit,) factisque interim proclamationibus, ac etiam dato per Titium qui in quadam arce à pluribus annis ex gravi causa carceratus reperiebatur, mandato ad matrimonium contrahendum, sub incertitudine, an ad ejusdem matrimonii celebrationem cum dicto procuratore deventum esset; In hoc statu aliud initum est matrimonium, juxtà Sac. Conc. Tr. formam, inter dictam Mæviam, & Cajum dicti Titii filium subsecuta etiam ejus consummatione; Hinc proinde post aliquod tempus, apud Mæviæ conjunctos, orta est dubitatio, super hujus secundi matrimonii validitate, & quatenus de hoc dubitari posset, quomodo consulendum esset; Cumque desuper pro veritate consultus essem.

2 Respondi, quòd attentis terminis Juris communis, potuisset dubitari de validitate secundi matrimonii, ob dispositionem *text. in c. unico de sponsal. in* 6. ubi expressè disponitur, ut ex sponsalibus puris, & certis, quamvis nullis, præterquam ex defectu consensus, oriatur impedimentum publicæ honestatis, quod subsequens matrimonium dirimit, ac firmant DD. collecti per Sanchez. *lib.* 7. *disput.* 68.

3 Verùm ista difficultas hodie cessat post Conc. Trident. per quod *sess.* 24. *de reform. Matrim. c.* 3. expressè decidiiur, ut hoc impedimentum publicæ honestatis, quod resultat à sponsalibus ex quacunque causa invalidis, non obstet validitati matrimonii; Quòd etiam confirmatur per Motum proprium S. Pii V. *Const.* 26. Et sequuntur moderni, de quibus Sanch. *ubi suprà. n.* 0. *cum sequen.* & Barbos. *ad Concil. ubi supra*, ideòque cùm dicta sponsalia essent invalida, ita cessabat difficultas.

4 De invaliditate autem dictorum sponsalium, dixi non esse dubitandum, stante dicto impedimento affinitatis intra quartum gradum; Licèt enim aliàs dubitatum fuerit, an valeant sponsalia contracta inter impeditos, sub conditione dispensationis obtinendæ, sub qua, & non aliàs, matrimonium contrahendum sit, neque desint plures tenentes opinionem pro validitate. Verior tamen, magisque recepta est contraria opinio, ut adeò nulla sint, nullamque penitùs obligationem, vel alium effectum inducentia, ut etiam superventa dispensatio ea non revalidet, nisi novus accedat simultaneus consensus, ut plenè discusso articulo 5 firmatur per Rotam *dec.* 603. *p.* 5. *rec.* & 107. *p.* 8. ac habetur deductum *in Æsina sub tit. de dote, disc.* 79. super articulo, an hypotheca dotalis initium sumat a die sponsalium, vel potiùs à die matrimonii, Potissimè verò ac extra difficultatem, dum dispensatio posita fuerat sub expressa conditione adimenta aliàs consensum ab actu, unde propterea cessabant illa fundamenta, quæ pro diversa sententia urgent, in eisdem decisionibus deducta.

6 Difficultas autem superesse poterat, quando in vim mandati dati per virum procedendi post obtentam dispensationem, ad matrimonii rati celebrationem, in faciem Ecclesiæ, ad talem actum processum esset, de quo requirentes erant incerti, cùm tunc ex eadem *Constitutione* 62. S. Pii V. impedimentum publicæ honestatis, absque dubio resultaret; Itaque casu dicebam aliud non superesse remedium nisi illud obtinendi dispensationem Apostolicam super tali impedimento, cum revalidatione secundi matrimonii jam consummati, ac dissolutione primi solùm rati.

7 Hanc autem dispensationem, justè, ac rationabiliter sperandam esse dicebam, utpotè per Sedem Apostolicam concedi solitam, quando nulla suspicio urgeat consummationis primi matrimonii, dum è converso ob consummationem secundi, infamia mulieris, aliaque scandala resultarent, juxta exempla in una *Cajetana*, & in una *Caven.* relata per Barbos. *ad Concil. d. c.* 3. *sess.* 24. *de reform. matrim. n.* 12. & 13.

8 In hoc autem casu versabamur, quoniam ob arctam carcerationem Titii in arce primaria benè custodita, absque eo quòd unquam per Mæviam ad eum habitus esset accessus, omnis suspicio cohabitationis penitus cessabat; Et è contra, stante copula secuta per menses cum ejusdem Titii filio, ac personarum conspicua qualitate, non dubitabatur de justa causa ex ratione infamiæ, & scandalorum.

RO.

ROMANA SPONSALIUM

PRO

QUODAM MARCHIONE.

CUM N.

Casus disputatus in Tribunali Vicarii, resolutus pro Marchione.

De obligatione ad matrimonium, quæ resultet à sponsalibus, necnè, & quodammodo ad hujus obligationis executionem procedi possit, ac de causis excusantibus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ille, qui contraxit sponsalia, & cogi potest ad contrahendum matrimonium.*
3 *Declaratur ubi sponsalia sint valida, & non adsit justa causa excusationis.*
4 *De requisitis ad validitatem sponsalium circa repromissionem.*
5 *An, & quando promissio matrimonii excludat pœnitentiam, & sit obligatoria.*
6 *De materia promissionis in genere.*
7 *De eadem conclusione de qua n. 5. super promissione.*
8 *Quando promissio dicatur gratuita, vel correspectiva.*
9 *De eadem ex facti circumstantiis.*
10 *Quod justa causa excuset ab executione sponsalium.*
11 *& 12 Qualis dicatur justa causa, & quomodo regulanda sit.*
13 *De nobilitate Doctorum, & professorum eorumque filiorum.*
14 *Timor exhæredationis est justa causa.*
15 *De successione feudorum Regni Neapolitani, & potestate morientis gravandi successorem.*
16 *Quando dicantur nuptiæ indignæ ad hunc effectum excusandi.*
17 *De eodem, & de distinctione effectuum.*
18 *Tenera ætas in hoc est considerabilis.*
19 *Contractis sponsalibus inter eos, in quibus adesset canonicum impedimentum, si accedat dispensatio, non requiritur novus consensus de tempore habili remissivè.*

DISC. VIII.

1 CUM filius primogenitus cujusdam Ducis, habens titulum Marchionis, in adolescentiæ ardore, captus esset amore puellæ, quæ ex nimium civilibus parentibus procreata erat, adeò ut, circumscripta generosa nobilitate, vel magnatitia qualitate, in terminis privatæ nobilitatis, ipsa nobilis ordinariæ sphæræ dici posset, absque dubio tamen in omnibus inæqualis. Hinc priùs per epistolas familiares quæ inter amantes practicari solent, deindè verò per apocham, eam promisit ducere in uxorem, quatenùs eum ab Urbe discedere volentem sequeretur, ut ita clam à parentibus, eorum amores ad effectum ducere possent; Habita verò de his notitia per juvenis patrem, iste curavit eum ab hoc proposito divertere; Unde propterea ex parte puellæ, ejusque parentum, & conjunctorum, productis dictis epistolis, & apocha in Tribunali Vicarii coram V. Gerente, institutum fuit judicium super dicti Marchionis coactione, etiam per censuras, aliaque juris remedia in executione sponsalium. In disputationibus autem habitis, Scribentes pro muliere actrice, latè insistebant cum copiosis allegationibus desumptis ex Sanc.
2 Gutt. Boss. & aliis hanc matrimonialem materiam tractantibus, ac etiam ex collectis per Add. ad Bur. *dec.* 31 t. & Adden. *ad dec.* 431 *p.* 4 *rec.* *to.* 2. *ex n.* 58 super conclusione quod contractis sponsalibus de futuro, unus contrahentium jus habet implorandi Judicis officium, pro alterius renuentis coactione ad matrimonium, nedum per adstrictionem personalem, seu captionem pignorum, aut gravatoriam, aliaque remedia à jure prodita pro coactione ad factum, sed etiam per censuras, ad quas deveniri quoque potest, pro Judicis tamen prudentis arbitrio, non semper interponendo, sed juxtà singulorum casuum particulares circumstantias; Et quatenus etiam interponatur, perseverante altera parte indurato animo in negativa, adhuc abstinendum est, quoniam omninò coactæ nuptiæ, ex præcisa coactione, quæ adimat consensum, permittendæ non sunt, ut apud allegatos, ac habetur etiam deductum in *Æsina dotis sub eiq. de dote, disc.* 79. occasione tractandi articulum hypothecæ dotalis, an sumat initium à die sponsalium, vel à die matrimonii.

3 Scribens pro viro, non negabam veritatem dictæ conclusionis, quoniam absque tanto allegationum cumulo, poterat præsupponi, quoties damus perfectionem, ac validitatem sponsalium, absque eo quod justa causa concurrat, quæ ab eorum implemento excuset; Ideòque respondebam, quòd punctus difficultatis non erat in dicta conclusione, sed in ejus applicatione ad factum, an scilicet concurrerent, necnè, sponsalia perfecta, & obligatoria; Et quatenus sic, an adesset justa causa, quæ excusaret. Ideòque scribendo, duas constituebam inspectiones; Unam scilicèt super sponsalium imperfectione; Et alteram super justa causa excusante.

4 Quatenus igitur pertinet ad primam; Dicebam, quòd ad essentiam, ac perfectionem sponsalium, requiritur repromissio alterius contrahentis, ita ut unius promissio non sufficiat cùm sit contractus, qui ad sui perfectionem exigit duorum mutuum, ac reciprocum consensum in idem, ex deductis cæteris relatis per Sanchez *hoc tr. lib.* 1. *disput.* 5. *n.* 1. & per omnes Legistas, Canonistas, & Morales passim pertranseuntes cum textu literali *in l.* 1. *ff. de sponsal.*; Solumque cadere solet quæstio, an præcedente unius promissione, seu pollicitatione, simplex acceptatio alterius, cui promissio facta sit, vim habeat repromissionis, ita ut sponsalia perficiat. Et quamvis non desint tenentes affirmativam; Negativa tamen verior, magisque communiter recepta videtur, quam latè, ac benè probant Sanchez, *dicta lib.* 1. *q.* 5. Gutt. *eodem tr. lib.* 1. *c.* 5. cum quibus cæteri moderniores pertranseunt; Ideoq; cùm in facto constaret solùm de promissione, seu pollicitatione viri mediantibus epistolis amatoriis, ex quarum retentione, aliisque adminiculis ex parte mulieris deducebatur acceptatio, non constaret autem de positiva repromissione perficiente contractum, atque inducente utriusque contrahentis obligationem, ob quam æqualiter utrique respectivè jus competeret alterum renuentem cogendi, idque re integra, & ante pollicentis pœnitentiam; Hinc proinde de plano resultare dicebam; ut non esset locus coactioni, tanquam ex deficiente fundamento obligationis, quæ est causa, & mater hujusmodi obligationis, cùm non dubitetur, ut durantibus terminis simplicis promissionis, seu pollicitationis, absque repromissione perficiente contractum hinc inde obligatorium, locus fiat pœnitentiæ, ex plenè deductis per Sanchez *d. lib.* 1. *disp.* 6. *n.* 27. *cum sequent.*

5 Unde propterea, stante acceptatione alterius Partis, absque tamen positiva repromissione; Difficultas restringebatur ad punctum, an talis acceptatio excluderet pœnitentiam, ac redderet promissionem irrevocabilem, ita ut illi, cui promissio facta est, jus, vel actio competat, contra promittentem ad observantiam, si non in ratione sponsalium jam perfectorum, saltem in ratione simplicis promissionis, ut distinguendo habetur per Gutier. *d. c.* 5. *n.* 3.

6 In hac autem quæstione Sanchez *dicta disp.* 5. *n.* 7. *ad* 11. tres refert diversas opiniones, ipse verò *ex dicto numer.* 11. *ad* 15. duos distinguit casus; Unum scilicet, ubi promissio gratis, ac liberaliter facta sit; Et alterum, ubi correspectivè, ac per viam contractus hincinde onerosi; Ut primo casu promissio acceptata, etiam sine repromissione excludat pœnitentiam, & sit obligatoria, secus autem in secundo.

7 Itaque distinctio generaliter habetur in quibuscunque aliis promissionibus indifferentibus ad materiam *text. in l. si absenti, ff. de donat.* de qua habetur cæteris relatis per Rot. *dec.* 27. *p.* 7. *rec. in Reggien. bonorum* 23. *Februarii* 1646. & 23. *Januarii* 1647. *coram Corrado*, quarum prima est *dec.* 387. *p.* 9. & sæpiùs *sub tit. de donat.* occasione agendi de materia, quando scilicet donatio facta absenti sit revocabilis, necnè, ex ibi deductis.

Verùm hanc distinctionem, acriter, ac doctè impugnat Pont. *eod. tract. de matrimon. lib.* 12. *c.* 4. *per totum*; Et meritò quidem, ratione subjectæ materiæ, cum in sponsalibus directis ad futurum matrimonium, non sit verificabilis promissio gratuita, & liberalis, in qua unus dare, alter verò solùm recipere dicatur; Atque unus de solo damno, alter de solo lucro contendat, cùm semper in matrimonio, vel sponsalibus, utpotè in actu hincinde oneroso, & correspectivo, insit correspectivitas, & causa onerosa ex parte utriusque; Ideòque non data repromissione perficiente contractum, ita certum esse dicebam, ut locus fuisset pœnitentiæ re integra.

8 Et nihilominùs ubi etiam dicta distinctio tenenda esset, atque procedendum cum sensu Sanchez; Adhuc tamen, ex

facto cessabat difficultas; Quærit enim ipse n. 15. quando hujusmodi promissiones censendæ veniant gratuitæ, vel potiùs è converso correspectivæ, & per viam contractus, atque dicit quod standum est intentioni promittentis, de qua si non constet, advertit, ut recurrendum sit ad facti circumstantias, ac tractatus antecedentes, quod scilicet si in antecedentibus nullus fuit habitus sermo futuri matrimonii, sed solùm ob aliquod acceptum beneficium, unus ex motivo gratitudinis spontè alteri hujusmodi promissionem faciat, tunc dicatur promissio gratuita, secùs autem è converso; Ubi verò inest dubium, tunc capaci debeat intellectus, juxtà secundam partem, ut scilicèt, potiùs ex causa contractus correspectivè, promissio censeatur; & sequitur Gutier. *ibidem n. 6.* ex regula, quam receptam habemus apud Cavaler. *dec. 603. dec. 54. p. 5. recent.* & frequenter, ut in dubio donatio, & liberalitas præsumi non debeant.

9 Applicando autem ad casum; Cùm ex præcedentibus epistolis constaret de tractatu matrimonii, exindè sequebatur, ut promissio contenta in apocha, quamvis purè concepta, & absque illis conditionibus simultanei discessus ab Urbe, non esset merè gratuita, & spontanea, sed correspectiva, & per viam contractus; Alia etiam in idem tendente recepta conclusione, de qua pluries in dicta sua materia *sub tit. de donat.* quod scilicet in casu dubio, deferendum est declarationi ipsius donantis, seu promittentis, quamvis aliàs in casu claro actus esset irrevocabilis, & obligatorius.

10 Hinc proinde, cessabat necessitas assumendi alteram inspectionem, super justa causa excusante, seu eximente ab obligatione prædicta, utpotè non contracta; Verùm ubi etiam, data perfectione sponsalium, de hoc agi debuisset, adhuc, cum sensu etiam veritatis, cum quo quoque credebam versari in casu imperfectionis sponsalium ut supra; Dicebam ut pro viri absolutoria responderi deberet, cum recepta pariter conclusio sit, ut justa causa sufficiat ad sponsalium dissolutionem, sive regulandum Judicis arbitrium; ut à coactione renuentis abstineat, juxta *dec.* Peniæ 517. juxtà Lugdunen. aliàs *dec.* 405. juxtà Venetam, cum qua tanquam magistrali proceditur, ut apud Boss. *hoc tract.* c. 11. *n. 97. cum seq.* Buratt. *dec.* 311. & 415. Cavaler. *dec.* 447. plenè *in Calagaritana prætensi matrimonii 11. Februarii* 1647. *cor. Meltio* impress. *dec. 19. p. 10. recent.* & aliis.

11 Justa verò causa, in præsenti absque dubio concurrere videbatur, ob indignationem Ducis patris, necnon divitis, & qualificati patrus, ac aviæ, aliorumque conjunctorum, & ex qua indignatione maximum præjudicium resultare poterat, inductivum omnimodæ mutationis status, ob comminatam exhæredationem, seu privationem illarum successionum, quas tanquam primogenitus domus, verisimiliter sperabat; Istam verò esse justam causam, firmatur in specie apud Caval & Peniam *ubi suprà*, cum aliis apud Boss. *de matr. c. 11. sub n. 97.* Buratt. *d. dec. 412. n. 6. in d. Calagaritana coram Meltio*, in quibus concordantes, & per Adden. *ad dictam dec. 432. p. 4. rec. tom. 5.* Apud quos habetur, ut ista sit materia arbitraria, in qua certa & determinata regula generalis tradi non potest, sed totum pendeat à prudentis Judicis arbitrio, juxtà consuetam arbitrariorum naturam ex singulorum casuum particularibus circumstantiis regulando; prout personarum, temporum, locorum, bonorum, modi contrahendi sponsalia, & morum regionis, qualitas exposcat.

12 Super hujusmodi puncto justæ causæ. Scribentes pro muliere multa inculcabant circa materiam exhæredationis filiorum ex causa indignarum nuptiarum, non autem ex istis, quas tales in hac facti specie dici non possent contendebant, cùm ageretur de puella honesta ex civalibus, honestisque parentibus orta, & cujus pater erat Doctor, deducendo consue-
3 tas legaleicas propositiones quod Doctor dignus sit nuptiis cujuslibet Comitissæ, vel è contrà, ut apud Paschal. *de patr. potest. p. 2. c. 5. n. 68. & 69.* cum aliis, de quibus *in Romana dotis sub tit. de dote, disc.* 1. ubi de hac materia dignarum, vel indignarum nuptiarum, & *sub t. de praemin. disc.* 35. ubi de nobilitate Doctorum, & Professorum.

14 Illud etiam subjungendo, quod cùm hujus domus assis consisteret in bonis antiquis fideicommissis subjectis, ac etiam in feudis in Regno Neapolitano Juris Francorum jure primogeniture regularis, ita neque volens poterat pater filium eo invito nubentem hujusmodi feudis, ac bonis fideicommissariis privare, inculcando quoque ea, quæ habentur apud Barbos. *in l. 1. p. 5. n. 36. ff. solut. matrim.* Caval. *dec.* 526. Merlin. *de legit. lib. 3. t. 1. q. 25.* de Statutis inducentibus exhæredationem filiorum absque patris consensu nubentium.

Sed hæc revera nullam habere videbantur subsistentiam; Tum quia ultra bona antiqua hujus conspicuæ domus fi- 15 deicommissis subjecta, ac etiam feuda, adhuc magnus, ac satis notabilis erat assis ab hoc primogenito speratus ex bonis liberis, patris, patrui, & aviæ, aliorumque conjunctorum, indignationem aliàs, ac privationem comminantium. Tum etiam, quia clarum erat eorundem Scribentium æquivocum quoad d. feuda, quoniam licèt in Regno Neapolitano ea lege Investituræ, ac natura individua Juris Francorum illa debeantur primogenito, cui pater nec volens potest auferre, quatenus pertinet ad ipsum corpus feudi. Attamen ob hæreditariam qualitatem admixtam etiam respectu ultimi morientis, quamvis ageretur de feudis antiquis, ut per Franch. *dec.* 1. cùm aliis frequenter deductis in sua materia *sub t. de feud.* Exinde sequitur, ut pater, seu alter feudatarius in vita, vel in morte possit filio primogenito, vel alteri legitimo successori præjudicare in ejus integro valore, gravando successore in pretio, quod reputatur allodiale, quod idem importat in effectu, ac si ageretur de bonis liberæ dispositionis.

Et quoad punctum dignitatis, vel indignitatis; Dicebam 16 quod ille percuteret materiam formalis exhæredationis, etiam à legitima, aliàs de necessitate debita, & quam adhuc sub dubio est etiam per indignas nuptias intrare, ex dispositione juris canonici ex collectis per Merl. *de legit. lib. 4. t. 5. q. 6. cum aliis in dicta Romana dotis, sub t. de dote, disc.* 1. Verùm punctus erat in eo gravi præjudicio, quod resultabat à voluntariis dispositionibus patris in reliquo bonis, necnon patrui, ac aliorum, à quorum grata, & libera voluntate totum pendebat; Ideoque spectandum erat, an accederet justa, seu verisimilis causa indignationis dictum grave præjudicium productura. Siquidem aliud est, nuptias esse forma- 17 liter indignas ad effectum inducendi justam omnimodæ exhæredationis causam. Aliud verò eas esse inæquales, & incongruas, ad effectum inducendi justam indignationem, ac privationem eorum, quæ à libera voluntate pendent. Quoniam ubi ratione inæqualitatis, scandalum in Civitate, vel in cognatione, seu aliquod dedecus familiæ, vel domui resultat, adhuc dicitur justa causa, ex deductis per Sanchez *l. 1. disp. 14. n. 3. & 4.* apud quem concordantes.

Eoque magis hæc præmissa de plano procedere dicebam, 18 stante tenera ætate, atque tunc nimia facilitate dicti adolescentis. Licèt enim ubi contractum esset matrimonium, itaut adesse jam vinculum spirituale sacramenti, non curentur ea, quæ de jure communi, vel statutario disposita habentur favore minorum contrahentium, utpotè de facili circumventionibus subjectorum, dum in spiritualibus sufficit adesse ætatem congruam naturaliter obligantem. Attamen in ordine ad regulandum dictum arbitrium super obligatione sponsalium in ratione contractus, non autem in ratione sacramenti, ista circumstantia remanet valde considerabilis. Ideòque justa fuit resolutio.

De ista verò materia sponsalium, quæ contracta essent 19 inter eos, inter quos adesset canonicum impedimentum, an illo sublato, per Apostolicam dispensationem requiratur novus consensus de tempore habili, vel sufficiat primus, aliqua insinuantur *sub tit. de dote, disc.* 79.

JANUEN. MATRIMONII.

INTER ANNAM MARIAM, ET BABILANUM.

Discursus pro directione, cum resolutione ut infra.

De matrimonii rati dissolutione, ob unius conjugis impotentiam, quomodo de ista constare debeat; Et an sufficiat unica triennalis cohabitatio, etiam ante Judicis decretum, vel potius nova post illud requiratur?

Et an Papa ex justa causa possit, ac solet dispensare, super dissolutione matrimonii rati?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De novo experimento post triennalem habitationem necessario, & de dicti triennii computatione.*
3 *De consilio prudentiali desuper tradito.*
4 *Quod judex omissa opinione magis communi, sequi possit alteram magis rationabilem.*
5 *Papa munus est occurrere scandalis.*
6 *Exitus controversia.*
7 *Quod Papa possit dispensare dissolutioni matrimonii rati tantùm.*

8 *Quan-*

8 *Quando facilius id procedat, atque concedendum veniat.*

9 *De eadem conclusione, de qua n. 2. de triennali cohabitatione post diligentias.*

10 *A quo tempore triennium computandum sit, referantur plures opiniones.*

11 *Quod sit quæstio facti, & quomodo decidi debeat.*

12 *De signis, vel argumentis, ex quibus desumendum sit, an impedimentum sit naturale, vel accidentale.*

13 *Quod sit deferendum peritis.*

14 *Ut prudentia, seu bona directio in negotiis fori externi necessaria sit potius quàm disputatio quæstionum in abstracto.*

15 *De differentia inter virginem, & viduam super justificatione, quod matrimonium non sit consummatum.*

D I S C. IX.

1 Contracto matrimonio ad formam Sac. Conc. Tr. inter Annam Mariam, & Babilanum, nobiles adolescentes; Quamvis in triennali, ac majori cohabitatione, ob sponsi impotentiam, consummatio secuta non esset; attamen prudens, ac modesta puella, rem solis parentibus communicatam, occultam tenebat; atque ulteriorem cohabitationem, cum eadem patientia semper prosecuta esset, nisi accessisset quædam prohibitio forsan indiscreta, quæ puellæ facta fuit per confessarium, idque publicitati, ac etiam separationi cum gravibus dissidiis occasionem præbuit: Cumque mulier, ejusque parentes, libertatem ab hoc vinculo obtinere optarent, nimiumque ex subsecutis rancoribus, abhorreret novam cum dicto sponso cohabitationem pro novo experimento; Hinc plures primi nominis Morales, tam in ipsa Civitate Januen. quàm in Urbe, ac alibi, desuper consuluerunt, reportaris favorabilibus Responsis probantibus, ut absque nova cohabitatione, stante jam secuta triennali, separatio matrimonii obtineri posset, ac deberet.

2 Ex eadem verò parte mulieris, ejusque parentum, Ego fui consultus, potiùs pro directione causæ in foro agitandæ, quàm super dicto puncto, circa quem ob dicta Responsa mulieris parentes, & conjuncti in tuto esse opinabantur; Respondi autem, nimium periculosum videri, viam forensem desuper aggredi, quoniam licèt Morales concorditer teneant, ut sufficiat triennium, à die cohabitationis computandum, absque novi experimenti necessitate; nihilominus ubi non constet de indiciis saltim verisimiliter certis impotentiæ naturalis, itaut illa remaneant æquivoca, tunc magis communis opinio Canonistarum, quam tenet Rota, ut infra, est ut nova triennalis cohabitatio post Judicis decretum requiratur, quod omninò mulier, ejusque parentes abhorrebant.

3 Hinc proinde validè periculosum esse dicebam, hujusmodi opus in judicio assumere, quoniam licèt, ubi signa, quamvis non evidentia, & indubitata, verisimiliter, naturalem potiùs, quàm accidentalem causam suadent, etiam in sensu Canonistarum, novum experimentum non sit necessarium; Attamen punctus difficultatis est in applicatione ad factum, quando scilicet signa, de una, vel altera specie censenda sint, & super quo, partibus dissentientibus longissimæ, ac inextricabiles lites esse solent, ob varia medicorum, ac peritorum judicia, quæ juxta singulorum partium opportunitatem dari solent, ut quotidie in omnibus materiis, quæ à peritorum judicio pendent, experimur, unde oportet devenire ad electionem tertii periti, & quandoque etiam quarti, seu peritioris, cum litibus perpetuis, potissimè in hac materia, in qua nimia circumspectè, ac lentè procedi solet, expectando mortem unius.

4 Ideoque mea opinio fuit, ut recurrendum esset ad Papam, eique supplicandum, ut ad obviandum malis, & inconvenientibus, quæ, retenta Canonistarum, ac Rotæ rigorosa opinione, ex novo experimento resultare possent, committeret causam loci Ordinario, seu alteri, prout de jure determinandam; Eo solùm declarato, ut concurrentibus aliis requisitis præscriptis per sacros Canones *in c. 1. & c. laudabilis, & c. fin. de frigid. & maleficiat.* sufficeret triennalis cohabitatio jam secuta, absque novo experimento.

5 Neque incongruam dicebam petitionem, quoniam si quilibet Judex, potissimùm verò supremus Magistratus, ex aliqua probabili causa, quæ in eo particulari casu contingat, potest relicta opinione magis communi, amplecti in judicando minùs communem, tanquam æquiorem, seu in eo casu magis rationabilem, & congruam, ex deductis per Franch. *dec.* 30. *n.* 2. Cevall. *comm. contra comm. in præf. n.* 40. *cum seq.* Rot. *dec.* 163. *p.* 7. *rec. n.* 7. & in aliis per Add. *ad decis.* 460. *num.* 18. *& seqq. part.* 4. *rec. tom.* 2. Multò magis id asserendum est in Papa, qui proinde, rem à jure exorbitantem, concedere non diceretur, neque directè jus tertii tollere, sed solùm, unam magis, quàm alteram opinionem, in isto casu, ex ejus particularibus circumstantiis canonizare, nè dum ex dicta justa causa occurrendi scandalis, quibus propriè ad Papam pertinet occurrere, ad notat. *in cap. super his, de consanguin. & affin. & c. cum ex injuncto, de novi operis nunciat.*

Sed clariùs, quoniam verè & propriè (ut infrà,) rigorosa Canonistarum, & Rotæ opinio recipienda videtur, quando signa sunt valde æquivoca, adeout probabiliter, ad accidentalem potius, quàm ad naturalem causam, impedimentum referri valeat, unde propterea plerique totum id remittunt Judicis arbitrio; Ideoque cùm in hac facti specie, signa impotentiæ, quodammodo certitudinaliter denotarent causam, potiùs naturalem, quàm accidentalem, ut peritissimi medici testabantur, hinc proinde rationabilis mihi videbatur petitio. 6

Juxta istud consilium porrectæ fuerunt preces Papæ Alexandro VII. qui remisit negotium consulendum Sacræ Congregationi, negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ, cui juxta discursum, de quo infra, concorditer probabile visum fuit, ut in hac facti specie, ex ejus particularibus circumstantiis, dictæ Moralium opinioni potiùs adhærendum esset; Verùm noluit capere resolutionem, nisi parte audita, ad quem effectum, juxta stylum scripsit pro informatione Cardinali Durazio Archiepiscopo, per quem cum summa ejus, consueta prudentia, & charitate, prævidendo mala, quæ ex hujusmodi controversiæ prosequutione oriri potuissent, (me quoque temperamentum insinuante) inductæ fuerunt Partes ad supplicandum eidem Papæ concorditer, ut stantibus dissidiis, & odiis, gratiosè dispensaret super hujusmodi matrimonii rati, & non consummati dissolutione; Atque ita sequutum fuit, prævio juramento coram eodem Archiepiscopo præstito, tam ab ipsis conjugibus, quàm à septima manu conjunctorum, ac etiam relatione obstetricum (dum de virgine agebatur) juxta Canonum dispositionem, super mulieris virginitate, ac matrimonii non consummatione, atque ita præsens controversia finem habuit, aliàs probabiliter pro toto tempore vitæ unius ex contendentibus, duratura, si via judicialis assumpta esset. 7

Ista verò dispensatio, plerisque in solo rerum cortice discurrentibus, visa fuit exhorbitans, sed malè, quoniam, quicquid aliqui dubitaverint, magis communis est opinio Canonistarum, quam totus caterus recepit, ac servat, & præsertim Curia Romana, ut Papa ex justa, vel honesta causa, illa præsertim, odii, & inimicitiarum, dispensare possit super matrimonio rato tantum, & non consummato, illudque dissolvere, ex iis quæ antiquioribus relatis habentur apud Sanchez *de matrim. lib.* 2. *disp.* 14. Fagnan. *in c. ex p. n.* 6. *cum seq. de conversione conjugatorum*, Petr. Corrad. *in praxi dispensat. matrimonial. lib.* 8. *c.* 7. atque ultra exempla relata per Sanchez, & Corrad. *ubi suprà*, pleraque alia, etiam recentiora Urbani Octavi, & ejusdem Alexandri dabantur, prævio etiam voto Sac. Congregationis Concilii. 8

Multò verò magis, quia in hac facti specie, verè, & propriè non erat formalis dispensatio super matrimonio alioquin firmo, ac indissolubili, dum stantibus claris indiciis impedimenti naturalis, videbatur potiùs quædam administratio justitiæ, ita prudentialiter sub alio titulo magis honesto, more Principis, administratæ, cùm ita utriusque Partis juribus consultum remaneret, nè scilicet vir judicialiter declararetur impotens, quod idem abhorrebat, sperando, ut ea impotentia, quam in hac sponsa virgine experiebatur, cessare posset in alia muliere vidua, quod sæpè praxis docuit.

Quatenus verò pertinet ad articulum, de quo suprà, an scilicet sufficiat triennalis cohabitatio, absque novo experimento à die matrimonii computanda, vel potiùs post Judicis decretum, nova cohabitatio, pro novo experimento requiratur, & per quantum tempus; Dicebam in discursu desuper edito, ut recepta distinctio sit quod; Aut ex signis evidentibus, ac indubitatis, certò constat, impedimentum esse naturale; Et tunc opus non est triennalem cohabitationem expectare, vel alias diligentias adhibere, sed statim per Judicem ecclesiasticum competentem, ad dissolutionem procedi potest. Aut signa impedimenti naturalia non sunt omninò certa, & evidentia, ac indubitata, verùm satis verisimiliter id probent; Et tunc constito de mulieris virginitate, 9

tate; Vel per inspectionem obstetricum, & peritarum mulierum; Vel per utriusque conjugis, ac septem conjunctorum juramentum, justa formam traditam per Canones supra allegatos, atque accedente triennali cohabitatione, absque alio experimento, per eundem Judicem competentem proceditur ad dissolutionem. Solumque cadit quæstio, an dictum triennii tempus possit per Judicem abbreviari, atque probabilior affirmativa, ex justa causa ita rationabiliter suadente.

Aut demum signa sunt æquivoca, & dubia, itaut incertum sit, an impedimentum proveniat à causa naturali frigiditatis, seu alterius defectus naturæ, vel potiùs ab accidentali maleficiorum; Et tunc verior, magisque communis, & recepta opinio est, ut triennalis cohabitatio omninò necessaria sit absque potestate abbreviandi, ut post Canonistas *in c. laudabilem, de frigid. & malef.* Sanchez *de Matr. lib. 7. c. 107. &* 108. Pontius *eodem tract. lib. 7. c. 66.* Guttier. *eod. c.* 130. Menoch. *de arbitr. casu* 519. Sperell. *dec.* 241. *n.* 5. *& seq.* Rota apud Burat *dec* 763 Penia *decis.* 1017. 1224. *&* 1256. Seraph. *dec.* 687. *dec.* 695. *p.* 1. *rec. Toletana nullitatis matrimonii* 18. *Februarii* 1639. *cor. Coccino impress. post Dianam*, p. 6. *fol.* 187. ac etiam *inter suas*.

10 Solumque cadit quæstio super modo computandi dictam triennalem cohabitationem, an scilicet à die contracti matrimonii, seu temporis, ex quo Conjuges rei uxoriæ operam præstare cœperunt, sive judicis decretum cum aliis diligentiis præcedat, sive sequatur, sive intermediet; Vel potius à die dicti decreti, atque diligentiarum adhibitarum.

In hujusmodi autem quæstione, quatuor habemus opiniones. Prima est jam insinuata Moralium, ut indistinctè sufficiat cohabitatio triennalis absque alterius novi experimenti necessitate, ex ea ratione, quod jam sacrorum Canonum dispositioni satisfactum est, neque admitti debent illi actus, in quibus peccati periculum subest, Sanchez *d. lib. 7. c.* 110. *n.* 4. *&* 5. Pontius *dicto c.* 66. *n.* 12. Bonacin. *de impedimentu matrim. lib. 7. q. 3. punct.* 13. *n.* 58. cum quibus transeunt Enriquez, Reginald. Filiucc. Castropalao, Rebell. Perez, Tancred. & reliqua caterva per dictos alios Morales in ista causa consultos plenè collecta.

Secunda est opinio Hostien. *in d. c. fin. n.* 10. & aliorum Canonistarum relata per Rot. apud Peniam *dicta dec.* 1017. *n.* 3. *&* 1224. *num.* 2. ut id Judicis arbitrio repositum sit.

Tertia est volentium, ut triennio, quo Judicis decretum præcessit, aliquod aliud tempus etiam modicum pro Judicis arbitrio bene visum, addi debeat, de qua apud Peniam *dicta dec.* 1017. *n.* 4.

Et quarta demum est magis rigorosa plurium Canonistarum, quam tanquam tutiorem tenet Rota, ut nova triennalis habitatio pro novo experimento post decretum requiratur, ut liquet ex dictis decisionibus coram Penia, Seraphino, Burat. & Coccino, ex ea ratione, quia nil servirent diligentiæ spirituales per sacros Canones demandatæ cum exorcismis, pœnitentiis, orationibus, eleemosynis, aliisque spiritualibus remediis, nisi experimentum fiat temporis notabilis, an illæ proficiant, necnè, atque ita in cognitionem deveniatur an causa sit potius naturalis, quàm accidentalis; Atque his positis (quidquid sit in foro interno, quatenus ad æternum pertinet) Ubi causa judicialiter, & in forma contentiosa decidenda esset, tunc certum dicebam, ut in judicando sequi debuisset hæc ultima opinio Canonistarum, quam Rota sequitur.

11 Hinc advertebam, ut ista quæstio videatur hodie potiùs facti, & applicationis, quàm juris, circa signorum Impedimenti speciem, seu qualitatem, an scilicet sint indubitata, & evidentia super defectu naturali, quo casu cessat omnis dubitatio, vel sint omninò æquivoca, & dubia (in quo casu intrat dicta quæstio) Vel verisimiliter naturalem defectum demonstrent potius, quàm accidentalem, cùm tunc intret arbitrium, ut ita distinguendo, quæstionem conciliari admonent Adden. *ad dec.* 27. *post primum. volum. consil.* Farinac. & Pontius *dicto c.* 6. *n. final.* Atque in hoc sensu dicebam, rectè procedere, ac recipiendam esse secundam opinionem relatam apud Peniam *dec.* 1224. *n.* 2. ubi totum Judicis arbitrio remittitur, ut scilicet species, seu qualitas signorum id regulare debeat; Ideòque dicebam Agentibus pro muliere, ut in casu judicialis disputationis, potiùs elaborandum esset in probationibus facti, quàm in Responsis Theologorum, vel Juristarum Consultationibus, in quibus adeò elaboratum fuerat inutiliter, quoniam quæstio est potiùs facti, quàm juris.

Considerando enim casus, in quibus Rota in allegatis decisionibus coram Seraphino, Penia, Buratto, & Coccino, novum experimentum desideravit, constat ita rationabiliter determinatum esse, quoniam agebatur de viris robustis, qui naturaliter ad copulam habiles reputabantur, & qui aliarum mulierum cognitionem asserebant, ac probabant, unde propterea probabiles conjecturæ, pro accidentalis magis, quàm naturalis impedimenti causa concurrebant. In casu autem converso, nulla subesse videtur ratio, ob quam hujusmodi triennale experimentum, tanquam per quandam judaismi speciem, omnino requiri debeat; Et sic remanet quæstio conjecturalis, ideoque arbitraria, quæ ad instar quarumcunque conjecturalium, & ambiguarum quæstionum, certam, ac uniformem determinationem non recipit, sed diversimodè decidenda est, juxta singulorum casuum individuas circumstantias, pro Judicis prudenti, beneque regulato arbitrio pensandas.

In hac verò facti specie, videbatur, quòd signa si non evidentes, ac indubitatè, attamen satis verisimiliter, causam naturalem potius, quàm accidentalem præseferebant. Primò quia vir constitutus erat in florida ætate 24. annorum, quando majores libidinis ardores habentur, atque coeundi potentia viget. Secundò quia vocem nimiam exilem illi spadonum, ac frigidorum similem habebat. Tertiò quia nullos pilos, vel eorum signum in facie in ea ætate habebat; Et quartò quia nulla fama erat, quòd cum aliis mulieribus, etiam corruptis, magisque facilibus, ut præsertim sunt meretrices, rem habuerit; Potissimè quia ex ejusdem viri moribus, ac vivendi licentia, id referri non poterat ad causam, ob quam mulierum cognitionem non habuerunt Sanctus Casimirus, & similes; ponderando præsertim, quod cùm esset patris diligentissimi, ac valdè divitis filius unicus, ex quo proles nimium desiderari debebat, omninò probabile videbatur, ut omnes possibiles diligentiæ desuper essent adhibitæ, dum in facto supponebatur, quòd juventis viveret, cum ea licentia, cum qua juvenes nobiles, in ea libera patria quandoque vivere solent. 12

Et his addebantur relationes plurium peritissimorum, ac primi ordinis medicorum, qui complexionis, ac status ejusdem notitiam habebant, constanter affirmantium, atque bonas, & concludentes rationes adducentium, quòd revera istud esset impedimentum naturale, ac certum, præsertim cum puella virgine, adeòut inanes futuræ essent quæcunque diligentiæ; Ideoque cum illis superfluis copiosis allegationibus, quæ super certis propositionibus, vel ad scripturæ ornatum, vel ad satisfaciendum vulgo ignaro, ex his judicium præbenti, per Advocatos consarcinari solent, deducebam vulgarem propositionem, ut in arte peritis deferendum esset. 13

Istius autem causæ exitus præsertim me docuit, quantum in Consulentibus, & Advocatis, magis necessaria sit prudentia, & politica negotiorum directio, quam superflua indigestaque allegationum consarcinatio, in qua ex malo nostri sæculi fato, ac abusu, in futuris tamen (ut video) magis augendo, totum est leguleicorum opus, ac studium, ac etiam aliquorum insipidorum Judicium gustus, non distinguendo lepram à lepra, & an authoritates sint benè, vel malè fundatæ, seu (quod magis est) an rectè congruant activa passivis; Quoniam si cum solo leguleico more ista causa gubernata fuisset, utique, unius ex contendentibus mortem pro ejus terminatione, expectare oportuisset. 14

In quadam verò alia causa, in qua ob inimicitias, & antipatiam, cum hoc exemplo idem practicatum fuit, cum præsupposito etiam quòd ageretur de matrimonio rato tantum, difficultas magna apud me erat, quòd ageretur de vidua, quæ cum viro jam dormierat, ideoque non agnoscebam quomodo convinci posset negativa consummationis matrimonii, licèt enim id non sit omninò impossibilis justificationis, attamen videtur nimium difficilis, adeòut sit difficultas, quæ quodammodo fraternizet cum impossibilitate. 15

ROMANA PACTORUM DOTALIUM

PRO PHILIPPO CALEONE, CUM FRANCISCO PUSTERIO.

Casus disputatus in Signatura Justitiæ.

De pacto, per quod unus conjugum obligatur vivere in certo loco, seu in certa domo, an valeat, & obliget? Et an attentatorum purgatio intret in materia matrimoniali, quando illa, cohabitationi

tationi conjugali, ipsique matrimonio præjudicare potest.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Injustitia reddit causam appellabilem etiam in judicio Executivo.*
4 *De validitate pacti inter conjuges permanendi in certo loco, vel in certa domo.*
5 *Quod istius pactum concernat favorem mulieris, adeòque non allegatur a tertio.*
6 *Non intrat allegatio attentatorum, ex qua scandala oriantur.*
7 *Quando conjuges etiam volentes, non possunt simul cohabitare.*
8 *Interesse affectionis in hoc non attenditur.*
9 *De cautela adhiberi solita pro observantia pacti de quo n. 4.*
10 *Ex quibus causis istud pactum quamvis validum non obligat.*
11 *An, & quando cautionis remedio locus esse debeat necnè?*
12 *Quando præjudicium, quod infertur viro, principaliter concernat præjudicium uxoris.*

D I S C. X.

1 INter alia pacta dotalia, super matrimonio inter Philippum, & Angelam Felicem Francisci filiam, conventum est, ut conjuges, vivente patre, in ejus domo donec viveret, semper cohabitare deberent, prout ad aliquod tempus secutum fuit; Exortis autem gravibus dissidiis inter generum, & utrunque socerum, etiam cum querelis criminalibus, unde propterea Philippus à domo prædicta divertit; Hinc introducta fuit lis in Rota coram Meltio super dicti pacti de cohabitando validitate, ac subsistentia, qua pendente, cùm mulier sequi vellet virum, ejusque voluntatem denunciasset V. Gerenti, de istius mandato extracta fuit à domo paterna, atque traducta ad illam viri seu Corinthii ejus patris, unde propterea socer coram eodem Meltio obtinuit sub die 27. Martii 1651. dictum actum declarari attentatum, ut liquet ex decisione desuper edita *impress. dec. 232. part. 11. recent.* in qua proceditur cum regulis generalibus, ut omnia gesta coram alio Judice, lite
2 pendente in Rota, dicantur attentata, ideòque ante omnia revocanda sint, etiam ex officio Judicis, cujus majestas læsa est, non obstante prætensa dicti pacti invaliditate, cùm id respiciat justitiam, ac merita negotii principalis, examinanda in disputatione causæ post purgationem attentatorum per hujusmodi exceptionem non retardandam ex deductis in decisione, ad cujus limites expedito mandato, pro istius executione impedienda per Philippum edita fuit in Signatura Justitiæ, ad effectum obtinendi commissionem appellationis cum clausula translativa, ut etiam in executivis, & privilegiatis judiciis ratione injustitiæ, vel nimiæ turbiditatis rescribi solet, prout secutum fuit.

3 In hoc autem statu disputandi in Signatura, requisitus ex parte Philippi; Pro eo scribens, præsupposita recepta, & quotidiana conclusione, de qua in sua materia *sub tit. de judic.* ut injustitia in quocunque judicio, quantumvis executivo, & privilegiato reddat causam appellabilem, quoniam permittenda non est executio sententiæ, vel decreti injusti, etiamsi ageretur de tribus conformibus; Cùm aliquo etiam sensu veritatis, injustum dicebam istud mandatum restitutionis uxoris ad domum soceri, ipsa uxore non curante, ac volente potius cohabitare cum viro, quo-
4 niam quæstio super validitate hujusmodi pactorum inter conjuges de cohabitando in certa Civitate, vel in certa domo, procedit uno conjugum dissentiente, quod frequentius contingit in mulieribus nolentibus deserere patrios, vel parentum lares, atque non sequi viros, aliò domicilium transferre volentes, & in his terminis loquuntur DD. sive unam, sive alteram opinionem in hujusmodi quæstione tenentes, de quibus plenè Herculan. *in suis qu. post tit. de verb. oblig. tertia qu. principali*, Sanchez *de matrimonio lib. 1. disput. 40.* Pontius *eod. tract. lib. 12. cap. 20.* Guttier. *eadem quæst. 23. n. 15. & seq.* Rota *in Tridentina matrimonii 27. Junii 1646. coram Celso inter suas dec. 9. & in eadem 11. Martii 1650. coram Albergato impress. dec. 35. p. 11. recent.*

5 Tenentes enim affirmativam favore uxoris, principaliter moventur, ex ea ratione, quòd uxor quoddam jus in persona viri habere dicitur, ut benè Roman. *in l. stipulationes non dividuntur, ff. de verb. oblig.* cujus formalia verba refert Capyc. *dec. 135. n. 4. & 5.* sequuntur Pont. *dicto c. 20. n. 8. circa finem,* Guttier. *d. q. 23. n. 13. vers. probatur etiam*; Ideòque cùm pactum percutiat favorem uxoris, nullum jus, nullaque ratio suadere videbatur, ut ipsa consentiente, ac renunciante cuicunque proprio favori, vel juri tam ex pacto, quàm ex litispendentia resultanti, possit tertius petere hujusmodi attentatorum purgationem resultantem in præjudicium ipsiusmet mulieris, quæ sic restituta domui paternæ, separationem à proprio viro pati cogeretur, & successivè privationem debiti materialis, aliorumque effectuum matrimonialium, contra omnia scripti, ac naturalis juris principia, ut quod favore introductum est, in odium retorqueatur, atque tertius separet conjuges insimul cum materiali affectione cohabitare volentes, contra præceptum Evangelicum.

Hinc proindè dicebam de plano intrare conclusionem, 6
quòd ubi ex purgatione attentatorum resultat, seu resultare potest scandalum, vel peccatum, aut aliud malum irreparabile, ab ipsa abstinendum est, *in dec. 2. ut lit. pend. in novis*, ubi Adden. *dec. 8. ut lit. pend. in antiquis*, Gregor. *dec. 276. n. 5.* cum aliis plenè collectis per Lancellot. *de attentatis, p. 2. cap. 4. limit. 13. & cap. 12. limit. 43.*

Uno enim solo casu simultaneus conjugum consensus 7
super mutua cohabitatione, non excusat ab attentatis, ac spretu inhibitionis Superioris, quando ista ex justa causa suspicionis peccati perveniat, quia nempè Episcopus suspicans de validitate matrimonii, vel ex alia causa, ob quam interim quòd de ea cognoscatur, mutua cohabitatio, peccatum, vel scandalum parere potest, eam usque prohibet juxtà terminos text. *in cap. laudabilem, ut lit. pend. & cap. tua, de sponsa duorum*, cum concordantibus, cùm aliàs nulla juris dispositio, vel ratio prohibeat conjuges renunciare posse attentis ad sui favorem, ac etiam renunciando pacto super cohabitatione in certa domo, vel Civitate, alterum conjugem sequi, cùm semper hujusmodi pacta intelligantur, quatenus ille, ad cujus favorem pactum adjectum est, illo uti velit, ut generaliter habemus de pactis resolutivis, ac similibus.

Et quamvis in contrarium diceretur, quòd in hujus pa- 8
cti observantia interessatus quoque esset sponsæ pater, cujus intererat ratione affectionis, ac etiam commodi ex filiali obsequio resultantis, filiam cum genero in propria domo habere; nihilominùs istud dicitur interesse affectionis, & sanguinis, non autem cohabitationis, Quod non datur nisi inter ipsos conjuges, quorum principaliter interest, dictum verò interesse affectionis parentum, vel consanguineorum dicitur accessorium, & remotum, quod non sufficit, neque præponderare potest consensui principali interessati, juxtà magistralem doctrinam Bald. *in l. si fidejussores, ff. de pactis*, Unde propterea, quoad parentes, & conjunctos cadere solum potest actio ad interesse bursale, quod ex hujusmodi pacti inobservantia resultet; Ideòque ad hunc effectum adjici 9
solet cautela diminutionis dotis, non per viam pœnæ, & privationis (quia casu dubitari posset de validitate ratione libertatis matrimonii, & cohabitationis conjugum) sed per viam conditionis, ut scilicet constituta dote simpliciter in minori summa, promittatur etiam augmentum qualificare, obtinendum scilicet quatenus talis conditio continuum implementum sortiatur, & non alias, cum tunc tanquam conditio invitativa ad lucrum non cadat sub dispositione pœnæ, ex iis, quæ super hujusmodi conditionibus adimplendis, vel rejiciendis habentur *sub tit. de testament. disc. 73. & infrà, disc. 14.*

Clariùs verò, accedente justa superventa causa gravium 10
dissidiorum, ob quæ cohabitatio generi cum socero credebatur impracticabilis; Si enim, etiam in sensu tenentium validitatem hujusmodi pactorum, adhuc justa causa, quamvis levior, puta; Jussus paternus; Insalubritas aeris; Diminutio bonorum; Novi muneris susceptio, cum similibus, excusat ab observantia ex deductis per Sanchez, Pont. Guttier. & alios, ubi supra; Multò magis hujusmodi causa accedente, quæ ubi vigeat inter ipsos conjuges, apta quoque est ad tori separationem, quæ ita inter conjuges concordes ob inimicitiam cum tertio induceretur, id etenim theoricè, & practicè novum in Mundo videri dicebam.

Et quamvis in dicta decisione dicatur, quòd stante cau- 11
tione per socerum oblata, ita consultum esset; nihilominùs non videbatur probabile fundamentum, quoniam hujusmodi inspectio procedit inter ipsos conjuges, quando

sci-

scilicèt uxor, quæ à viro divertit, cum eo habitare timet ex sola ratione sævitiæ, cùm ita hujusmodi timori consultum sit; Quod tamen neque semper est tutum, sed remissum est prudentis Judicis arbitrio ex facti circumstantiis regulando, ex quibus inspiciendum est, inspecta qualitate personarum, temporum, & locorum, ac principaliter causa dissidiorum, an cautionis fragilitati fidendum sit, necnè; Et in his terminis loquuntur decisiones, & authoritates ibidem deductæ; Verum illæ à præsenti controversia extraneæ remanent, quoniam punctus, de quo agebatur, non erat, an vir cogendus esset ad accedendum ad domum soceri, cùm adhuc nihil desuper decretum, vel mandatum esset, sed erat super restitutione mulieris ad domum paternam, à qua attentatè extracta fuerat.

12 Ubi enim dictum mandatum executioni demandandum esset, tunc hujusmodi executio, non viri, sed ipsius mulieris damnum, ac præjudicium principaliter contineret, quoniam donec disputaretur, an vir cogendus esset ad eandem domum accedere, & an cautioni fidendum esset, necnè, interim irreparabiliter remaneret sine viro mulier, quæ ita vincendo perderet causam; Ideòque rationabiliter de appellatione rescriptum fuit.

NEAPOLITANA SEPARATIONIS TORI

PRO CÆSARE SERSALE MARCHIONE MONTORII

CUM MARCHIONISSA UXORE.

Discursus pro directione causa, qua ob subsecutam mortem viri remansit indecisa.

De sequestro mulieris à viro divertentis sub prætextu petendi separationem tori, istius causa pendente: Et de loco, in quo sequestranda sit.

Et an donec causa decidatur per Judicem Ecclesiasticum, coram quo pendet, possit Judex sæcularis se ingerere circa restitutionem dotis, vel circa alia temporalia, ex dicti articuli separationis decisione resultantia?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio super appositione sequestri.*
3 *Sequestrum mulieris quando intret.*
4 *An id procedat in muliere provecta?*
5 *In quo loco mulier sit sequestranda.*
6 *Restitutio dotis, & suppeditatio alimentorum ab Ecclesiastico Judice decerni debent.*
7 *Vir non tenetur ad alimenta erga mulierem ab ejus domo discedentem.*
8 *Dantur exempla ejus, quod habetur n. 6.*
9 *Quando Judex laicus decernat ea, qua habentur eodem n. 6.*
10 *De alio casu controversia similis.*
11 *De eadem conclusione, de qua n. 7.*
12 *De facilitate remissoria in his materiis, & qualis esse soleat istarum causarum finis.*
13 *An lite pendente, viro danda sit manutentio in obsequiis matrimonialibus, & quando cautio admittenda sit.*

D I S C. XI.

1 Divertente Marchionissa Montorii à viro, petiit iste in Curia Archiepiscopali Neapolitana, eam cum remediis à jure proditis compelli ad cohabitationem; Ipsa verò excipiente de tori separatione, ob sævitiam, aliasque causas, pro quarum probatione articulos dederat, ac testes induxerat examinandos, vir petiit lite pendente sibi decerni manutentionem in cohabitatione; Cùmque Curia Archiepiscopalis decrevisset, petitæ manutentioni deferendum non esse, eaque non obstante procedendum ad receptionem testium, appellavit vir ab hoc decreto; Et introducta cau-
2 sa in Rota coram Cerro, assumptoque dubio, an mulier sequestranda esset, & in quo loco, sub die 4. Julii 1660. ipso viro tantùm informante, in contumaciam mulieris non comparentis, prodiit resolutio super dictæ mulieris sequestro in aliquo Monasterio, vel Conservatorio dictæ Civitatis, vel penes honestam matronam arbitrio Nuncii Apostolici; Itaque resolutione secuta, mulier adivit illud Sac. Consilium, quod dicitur S. Claræ, à quo obtinuit sequestrum Terræ Montorii, aliorumque effectuum dotalium pro restitutione dotis, vel pro præstatione alimentorum, unde propterea, cùm pro viro scribentem, tam in Rota pro dicto sequestro mulieris, quàm etiam pro remotione dicti sequestri appositi per Sac. Consilium; Duo erant puncti ut supra, quorum discussio ulteriorem progressum non habuit, ob subsecutam viri mortem, quæ liti finem dedit.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum disputatum in Rota super mulieris sequestro, duo erant dubii partes; Una scilicèt super ipso sequestro in genere; Et altera super loco; Quoad primam dicebam planam esse affirmativam, quoniam licèt dispositio textus *in cap. ex transmissa, de rest. spoliatorum, & cap. cùm locum, de sponsal.* procedat in sequestro mulieris pendente quæstione super fœdere matrimonii; nihilominus Rota, eorundem Canonum dispositionem recepit, atque practicat, etiam quando agatur de causa separationis, ut in alia consimili Neapolitana apud Butat. *dec.* 684. ubi punctualiter de muliere quamvis provectæ ætatis, ut erat illa; Et de muliere quamvis infirma *dec.* 108. *p.* 6. *recent.* 3

Licèt enim frequentius, ac faciliùs hujusmodi sequestrum demandari soleat, ubi agatur de muliere juvene, in qua urgeat periculum honestatis, vivendo extra domum viri; nihilominus quia plures sunt causæ, ex quibus hujusmodi remedium adhiberi solet, quarum una, & frequentior est jam dicta consulendi honestati, & scandalis, non tamen exindè sequitur, ut ista cessante debeant aliæ cessare ex prudentis Judicis arbitrio, in quo totum repositum est. 4

In eodem quoque arbitrio residet alter punctus loci, ut *in eadem dec.* 684. Butatii, *& dicta dec.* 108. *p.* 6. *rec.* Quia verò in causis de partibus Rota non potest esse de facili informata de facti circumstantiis, ex quibus hujusmodi arbitrium regulandum est; Hinc proindè, pro loco honestæ matronæ, eligi solet aliquod Monasterium, juxta *dec.* 197. Peniæ *repet. dec.* 131 *post.* 2. *eod. cons. Farin.* cum qua processum fuit *in dicta dec.* 386. Butatii; In hac verò facti specie, cùm ageretur de muliere provectæ ætatis, prudenter demandato sequestro in genere, illius locus remissus fuit arbitrio Nuncii Apostolici in ea Civitate residentis. 5

Quo verò ad alium punctum sequestri, appositi per Sacr. Consilium; Dicebam (etiam cum sensu veritatis) claram esse fori incompetentiam saltem in tempore, priusquam scilicèt dicta causa separationis tori, quæ pendebat coram Judice Ecclesiastico terminaretur; Cùm enim dotis restitutio, ac alimentorum suppeditatio non petantur ex causa temporali stante de per se independenter à separatione tori, sed ex istius causa, cujus cognitio, ac determinatio pertinet absque dubio ad Judicem Ecclesiasticum, ut concorditer firmatur per omnes Ecclesiasticos de materia matrimoniali tractantes absque contradicente, atque ex ipsismet gravibus Doctoribus regnicolis, in eodem Tribunali versatis Franc. qui fuit ejusdem Sac. Cons. meritissimus Præses *dec.* 36. *n.* 1. Exindè sequitur, articulum restitutionis dotis, vel præstationis alimentorum, tanquam dependentem, & consecutivum, ad eundem Judicem Ecclesiasticum spectare debere, juxta text. clarum *in cap. de prudentia, de donat. inter vir. & uxor.* ubi glos. Abb. & cæteri Sanchez *lib.* 10. *disp.* 8. *n.* 15. Et ex laicis Molina *de primogen. libr.* 2. *c.* 15. *n.* 76. atque admittit tanquam absolutum Barbos. qui aliàs in hac materia est laicalis jurisdictionis acerrimus defensor *in l.* 1. *ff. solut. matrim. num.* 46. & cæteri, cùm videatur propositio theoricè, & practicè certa, ex ea convincenti ratione, quòd mulieri non competit ex causa separationis tori actio repetitionis dotis, nisi separatio sequatur culpa viri. 6

Minusque eadem habet actionem ad alimenta extra viri domum, à qua voluntariè divertit, nisi constet ex justa causa divertisse ex culpa viri, Sanchez *lib.* 9. *disp.* 4. *n.* 20. Surd. *de aliment. t.* 7. *q.* 16. Galeot. *lib.* 2. *controv.* 66. *n.* 47. Rot. *in alia Neapolitana separationis tori* 16. *Martii* 1646. *coram Pentingerio*, & in aliis frequenter editis in causis proximè infra insinuatis; Ideòque cùm ad Ecclesiasticum Judicem pertineat declarare, an separatio, seu diversio mulieris à viro esset licita, necnè; hinc proindè impossibile est, ut alter Judex sub prætextu temporalitatis possit apponere manus super eo puncto, qui est omninò connexus, seu dependens à puncto spirituali justæ separationis; Aliàs enim dari posset casus, ut duæ contrariæ determinationes eodem tempore super eodem puncto à diversis Judicibus manarent, atque innocens condemnaretur favore culposi. 7

Ad probandum autem, quòd ita passim ubique servetur

in

in praxis, decucebam plora exempla, præsertim illud, de quo *in d. alia Neapolitana matrimonii coram Peutingerio infra, n.* 10. Et in altera *Neapolitana matrimonii*, de qua habetur *supra, disc.* 2. *& in Jannen. separationis tori*, in qua tot habentur decisiones coram Meltio, recensitæ *dec.* 323. *par.* 9. *rec.* in fine, ex quibus liquet, quòd idem S. Conf. circa restitutionem dotis, aliaque temporalia, utpotè consecutiva, seu dependentia à puncto separationis, gessit partes executoris, & delegati ipsius Rotæ in bonis à viro in eo Regno possessis, Idemque in altera *Jannen. separationis tori*, & in aliis, ac etiam extra Italiam *in Tullen. matrimonii* Ducis Lotharingiæ, de qua coram Galislerio, & Albergato, *dec.* 133. *part.* 10. *dec.* 301. 329. *&* 334. *p.* 11. *& in Mechlinien. matrimonii* Ducis Guisiæ coram Cottado, Priolo, & Cerro, de qua habetur supra, *disc.* 4. & in aliis, quoniam semper eadem Rota, in qua pendebat, vel decisa fuit causa principalis separationis tori, decrevit circa consecutiva, & de pendentia præstationis scilicet alimentorum, ac restitutionis dotis, Judice laico gerente solùm partes executoris, seu impartiendo brachium.

Uno autem casu dicebam, quòd rectè Judex laicus pos-
9 set desuper manus apponere, ubi scilicet ageretur de alimentis provisionalibus, donec per Rotam, vel alium Ecclesiasticum Judicem, desuper provideretur, nè ob loci distantiam, ac temporis intervallum, quòd de natura litis est necessarium in hujusmodi provisione à proprio Judice facienda, mulier interim alimentis careat, atque fortè ista fuit intentio Sac. Concilii.

In hac item materia, disputationes habui *in alia Neapolitana separationis tori* supra insinuata *in Rota coram Peutingerio*, quæ eodem modo terminata fuit, per mortem scili-
10 cet unius ex collitigantibus, ut frequentior illarum causarum exitus esse solet; Cùm enim Francisca Serzalis divertisset à Paschale Caracciolo Marchione Macchiagodonæ ejus viro, atque prodisset sententia Curiæ Archiepiscopalis condemnatoria dictæ Franciscæ ad mutuam cohabitationem, Introducta causa per appellationem in Rota, obtinuit Francisca remissoriam, cujus vigore, multos induxit testes, qui nihil concludebant, unde propterea mulier convolavit ad remedia extraordinaria, obtinendo ab Urbano VIII. per breve, avocationem, ac extinctionem litis, atque sub prætexto gravis ætatis utriusque conjugis, Pontifex decrevit motu proprio, & de plenitudine potestatis separationem, distributis fructibus dotis pro duabus ex tribus partibus mulieri pro ejus sublentatione, alia verò tertia parte pro tempore constantis matrimonii ad commodum viri remanente; Itaque provisio visa fuit Curiæ satis exorbitans, qualem declaravit Innoc. X. successor, de voto etiam plenæ Signaturæ Gratiæ, reducendo dictum breve ad viam juris, ac si non emanasset; Unde propterea reassumpta causa in Rota coram Peutingerio, & firmato dubio, an esset, necne locus separationi tori, vel respectivè coactionis dictæ Franciscæ ad cohabitandum cum viro, stante dicti brevis revocatione integros fructus dotis percipiente, oppositum fuit per mulierem de præstatione alimentorum, unde propterea suspenso dicto dubio principali, datum fuit dubium super dicto incidenti alimentorum sub dicta die 16. Martii 1646. resolutum ad favorem viri, ex ea ratione, quòd hic tenetur alere uxorem in propria domo, non autem extra eam, à qua ipsa voluntariè diverterit, non proba-
11 ta justa causa, in dubio non præsumenda ad text. *in l. consensu, Cod. de repudiis* cum Concordantibus per Sanchez, & per Surd. *de alimentis, ubi supra*, Cavaler. *dec.* 469. *nu.* 1. *dec.* 517. *par.* 3. *rec.* & passim.

Cumque per virum instaretur pro disputatione dicti dubii principalis, Agentes pro muliere, ita affectantes ob gravem litigantium ætatem, dilationem terminationis causæ usquequò unius eorum mors illam decideret (ut exitus do-
12 cuit) petierunt novam remissoriam, sub prætextu probandi novas inimicitias, & causas dictæ separationis; Et quamvis manibus palpari videretur hujusmodi petitionis calumnias, quodque totum fieret ad supradictum finem: Nihilominùs cùm in his materiis ab hoc Tribunali nimiùm circumspectè procedi soleat, sub die 4. Julii ejusdem anni 1646. pro concessione remissoriæ responsum fuit, ad instantiam autem viri non acquiescentis, sed petentis iterum audiri reproposito dubio sub die 15. Februarii 1647. persistitum fuit in decisis, atque in hac secunda decisione ponderatum fuit, quòd cùm ageretur de causa matrimoniali, benignius procedi debeat, neque de facili coangustandæ sint probationes, quibus pendentibus mors viri dedit liti finem, qualia hujusmodi causarum solet esse frequentior.

Quamvis enim de stricta juris censura, etiam in hac materia instet distinctio petitorii, & possessorii, atque vir petere valeat manutentionem in quasi possessione recipiendi ab 13
uxore obsequia maritalia, ex relatis apud Merlin. *dec.* 67. *in princ.* Attamen Rotæ, & Curiæ stylus est in hoc se regulandi ex facti qualitate, ex qua pendet, an cautioni sit fidendum, necnè, adeout videatur materia Judici arbitraria, ut apud Merlin. *d. dec.* 67. vel scilicet cogendi uxorem ad cohabitandum, vel illam sequestrandi apud honestam matronam, sive in Monasterio, ut supra: Idque nimium pendet à qualitate personarum, quoniam si agitur inter Magnates, inter quos contractæ sint indignationes, ob quas ad judicium veniatur, cum id arguat magnam causam, idcircò non de facili cautionis remedium adhibetur, dum lis duratura est, ob inconvenientia, quæ resultare possunt: Secus autem ubi agatur de personis privatæ fortunæ, & quæ juxta mores regionum, præsertim Urbis, de facili rixantur, ac separantur, sed de facili conciliantur; quoniam tunc hujusmodi provisiones proficuæ esse solent, ad lites omninò componendas: Ideoque id certam non recipit regulam cuicunque casui applicabilem, sed pro singulorum casuum circumstantiis, prudens Judicis arbitrium est regulandum.

ROMANA PRÆTENSÆ RECONCILIATIONIS

PRO BARBARA BARONIA CUM FRANCISCO VALLETTA.

Casus disputatus coram Vicario, seu Prælato deputato cum incerto exitu, credo pro Barbara.

Secuta separatione tori inter conjuges, per sententiam transactam in judicatum, & executam, ex causa inimicitiarum: An subsequens reconciliatio tribuatur illi, qui sententiam passus est, cogendi conjugem, qui obtinuit, ad cohabitationem, in qua manutentionem petere valeat?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Res judicata tollit possessionem, quæ etiam tollitur per tempus longum, & quando secus.*
3 *An, & quando subsecuta reconciliatio inter Conjuges attendatur.*
4 *De eodem cum distinctione.*
5 *De mutua compensatione adulterii.*
6 *Quando admitti debeat remedium cautionis.*

DISC. XII.

Emanata usque ab anno 1647. ad favorem Barbaræ con- 1
tra Franciscum virū sententia transacta in judicatum, executioni etiam demandata super separatione tori, ac restitutione dotis: Post annos 12. & ultra, Franciscus, sub motivo subsecutæ interim reconciliationis, atque cessatæ causæ odiorum, & inimicitiarum, ob quam dicta sententia prodierat, judicium instituit coram eodem Vicario, seu Prælato deputato in locum Vicesgerentis, seu Locumtenentis civilis, qui sententiaverat, super manutentione in quasi possessione cohabitandi cum uxore, atque ab ea recipiendi obsequia maritalia; Verùm pro muliere scribens, distinguendo causam in plures inspectiones, Unam scilicet, quoad intentatum judicium possessorii. Et alteram in bono jure super puncto, an subsecuta reconciliatio cessare faciat sententiam emanatam super separatione, adeout insurgat actio ad petendum cohabitationem?

Quatenus pertinet ad primam (cum sensu etiam veritatis) dicebam quòd prorsùs vana, nulloq; fundamento innixa esset actoris petitio, cùm non detur manutentio sine posses- 2
sione, quæ sublata fuit per dictam sententiam, ejusque executionem ad text. *in l. qui universas*, §. *item Prætor*, *ff. de acquir. possess.* & DD. passim de quibus latè Post. *de manut. observ.* 12. *num.* 26. Potissimè accedente patientia per spatium annorum duodecim, & ultra, cùm etiam decennale tempus inducat præsumptionem amissionis illius possessionis civilis, quæ animo retinetur, quasi quod ita habita sit pro derelicta, quamvis id difficultates patiatur in juribus incorporalibus, ex iis, quæ habentur in sua materia *sub tit. de Judiciis:* Verùm opus non fuit hujusmodi inspectionem assumere, cùm satis planum esset alterum motivum amissæ

possessionis per sententiam executioni demandatam; ideò-
que adversùs factum Judicis hoc retinendæ remedium non
7 datur, nisi quoties ageretur de facto nullo, vel notoriè in-
justo, Itaut ageretur de tali notoria injustitia, quæ æqui-
polleat nullitati, ut habetur in foro quotidianum, & plu-
ries in dicta sua materia *sub tit. de Judiciis*.

Quo verò ad alterum punctum, adhuc difficultas ces-
sabat ex facto, in quo nedum reconciliatio non benè pro-
babatur, sed potiùs excludebatur, ut docebat causæ Patro-
nus, ad quem, de iis, quæ facta sunt, agere pertinebat;
Et quòad ea, quæ sunt juris dicebam distinguendos esse ca-
sus; Siquidem aliud est, ubi mulieri agenti ad separatio-
nem tori ob inimicitias, vel sævitiam viri, iste excipiendo
3 opponat de reconciliatione, per quam antiqua injuria re-
missa censeatur, & isto casu actus reconciliativi, quales
quales sint, attendendi veniunt ad impediendam, seu red-
dendam turbidam probationem mulieris, cui tanquam a-
ctrici incumbit onus probationis concludentis ita sublatæ,
vel offuscatæ, ex iis, quæ in hac materia colligit Sperell.
dec. 139. n. 93. lib. 2. ubi cæteri.

Aliud verò, ubi mulier jam perfectè probavit sævitiam,
seu inimicitias, aut aliam justam causam à Judice jam appro-
batam, ac admissam, per sententiam executioni demanda-
4 tam; tunc enim si maritus instituendo ex integro novum
judicium reintegrationis ad priorem statum, tanquam ex
cessante causa alleget reconciliationem, quę importet omni-
modam remissionem prioris injuriæ, ac abolitionem causæ,
ob quam separatio decreta fuerat, tenetur eam probare con-
cludenter, ita, & taliter, quòd dictum effectum producat;
Ideòque non sufficit probare illos actos, qui excludant so-
lùm cessationem inimicitiæ, seu odii positivi, in quo ex
christianæ legis præcepto perseverare non licet; Et conse-
quenter magna differentia est inter casum, in quo actus re-
conciliativi deducantur re integra, & ad effectum impe-
diendi, nè separatio sequatur; Et alterum, in quo post jam
decretam, & executam separationem, deducatur reconci-
liatio, ad effectum faciendi eam cessare tanquam ex cessan-
te causa, ex axiomate, quòd turpiùs ejicitur, quàm non
admittitur hospes, seu quòd faciliùs impediantur facienda,
quàm retractentur jam facta.

Hinc in simili dicebam, quòd si conjux innocens, mota
5 lite adversùs conjugem adulteram, ipse quoque in adulte-
rium incidat, tunc ob mutuam delictorum compensatio-
nem, cessat jus, vel actio petendi ex ista causa separatio-
nem: Sed si post latam, & executam sententiam separatio-
nis, conjux innocens, absolutus a coactione habitationis
fornicetur, non per hoc intrat dicta mutua compensatio,
ex deductis per Sanchez *lib. 10. disp. 50. n. 30. cum seqq.*

Offerebatur ex parte viri cautio, per quam dicebant Scri-
bentes pro eo, quod consultum esset mulieri, omnisque
6 difficultas cessaret: Verùm neque videbatur fundamentum
probabile, quoniam, quidquid sit de puncto, an, & quan-
do cautionis fragilitati fidendum sit re integra, & quoties
ad separationem deventum non sit, quod remissum est Ju-
dicis arbitrio, frequentiùs interponendo pro exclusione
confidentiæ habendæ hujusmodi remedii fragilitati, quo-
ties inimicitiæ, & sævitiæ sunt graves, ex plenè collectis
per Cyriac *controv. 172.* ac habetur per Rot. *dec. 155. 191.
202. 239. & 277. part. 6. rec.* & in aliis frequenter; Adhuc
tamen dicebam quòd versabamur extra hujusmodi quæstio-
nem cadentem, ut dictum est, re integra, & quoties ad-
huc articulus separationis non sit decisus; secus autem ubi
adsit sententia transacta in judicatum, & executioni de-
mandata, cùm aliud sit impedire faciendum, aliud verò
retractare jam factum ut suprà.

ROMANA SEPARATIONIS TORI

PRO MARIA CÆCILIA

CUM CAMILLO.

Casus decisus per Rotam pro Camillo.

De separatione tori, ob unius conjugis fornicatio-
nem, quando hæc ad hujusmodi effectum suffi-
cienter probata dicatur: Et aliqua de materia mu-
tuæ compensationis delicti excludentis jus petendi
separationem.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Locus est separationi tori ob adulterium.*
3 *De ejusdem adulterii probatione, qualis ad hunc effe-
ctum desideretur.*
4 *De eodem, & quomodo hæc probatio debeat regulari.*
5 *De circumstantiis facti super eadem probatione.*
6 *De eodem, ac de opinione requirente probationem
rigorosam.*
7 *De eodem, ac distinctione.*
8 *Quid operetur etiam fornicatio alterius conjugis.*
9 *Et quid operetur reconciliatio.*

D I S C. XIII.

POst diuturnam pacificam cohabitationem, inter Ca- 1
millum, & Mariam Cæciliam conjuges artifices, ac
inferiores populares, spatio annorum circiter quindecim,
Vir ex eo quòd crederet mulierem cum Amasio fornicatam
esse, judicium instituit in Tribunali Vicarii super separatio-
ne tori, atque sententiam favorabilem reportavit: Intro-
ductaque per appellationem causa in Rota coram Albergato
sub die 10. Maij 1568. pro eadem separatione, in dictę sentē-
tiæ confirmationem responsum fuit, unde propterea mulier
acquievit, neque quod sciam, causa ulteriorem habuit pro-
gressum, dictaque decisio est impressa *p. 12. rec. dec. 33.*

In hac autem disputatione habita in Rota, in qua solùm
pro muliere paupere, meum gratuitum, atque charitativum
patrocinium implorante scripsi; Non dubitabatur de juris
principio in eadem decisione firmato, ut ex causa adulterii
per unum conjugem commissi, detur alteri innocenti, ea- 2
demque macula non fędato, jus petendi separationem tori
ad tex. *in cap. significasti, & cap. ex tenore de divortiis*, &
firmant communiter Scribentes, de quibus Sanchez *lib. 10.
disp. 30.* Gratian. *discept. 737. num. 50. cum seq.* Rota apud
Peniam *dec. 1018. in princ.* & in aliis frequenter.

Minùsq; impugnabam alteram conclusionem à Scribenti-
bus pro viro deductam, atque in hujus causæ decisione fir-
matam, quòd cùm adulterium, clàm, & in occulto commit- 3
ti soleat, adeòut, rari, ac ferè nulli sint casus, in quibus
expressa, & concludens probatio haberi valeat, ea ut Mascar.
cons. 57. n. 3. & advertitur per Rot. *dec. 95. n. 12. par. 2. di-
vers.* idcircò ad præsumptivam, & conjecturalem probatio-
nem recurrendum sit, dummodò præsumptiones, & conje-
cturæ violentæ sint, *annot. in cap. literis, de præsump.* cum
concordantibus per Bart. *in l. 2. in princip. n. 76. & 79. ff.
solut. matr.* Sanchez *dicta disp. 3. n. 10.* Rota *dec. 32. n. 2. &
dec. 35. n. 7. post. 2. volum. cons. Farinac.*

Ideòque juxta conjecturalium, ac præsumptivarum mate-
riarum regularem naturam, hujusmodi quæstiones sunt po- 4
tiùs facti, quàm juris, uniformem determinatam regulam
non recipientes, sed prudentis Judicis arbitrio decidendæ
sunt, ex singulorum casuum particularibus circumstantiis,
tam circa fidem testibus adhibendam, quàm circa persona-
rum qualitatem, regionis mores, retroactæ vitæ statum,
aliasque circumstantias, quæ insimul unitæ cum regula, *ut
singula quæ non prosunt, &c.* animum Judicis ad ita creden-
dum inducant, unde propterea non de facili super resolutio-
nis justitia, injustitia judicium efformari valet.

Verum ex facti circumstantiis in isto casu concurrenti-
bus (reflectendo ad veritatem) quamvis scriberem in con-
trarium, adhuc prodictæ resolutionis probabilitate magis
animus inclinabat, propter concursum plurium probatio- 5
num, & conjecturarum quæ concurrebant, licèt singulæ
probationis species suas paterentur difficultates: Quamvis
enim scribens pro muliere dicerem ut deferendum non es-
set testibus de conversatione mulieris cum adultero in ea-
dem aula per horas januis clausis, deponentibus, cùm essent
viles, aliasque paterentur personales exceptiones, dum eo-
rum unus erat puer apothecæ famulus, & alter erat mulier
famula, de qua dicebam satis suspiciendum esse, ut separatio-
nem uxoris à viro animosè affectaret propter proprium in-
teresse, ut ita sine impedimento, domini conversationem
haberet, deducendo latè firmata in terminis probationis
adulterii per Grat. *cons. 50. num. 33. lib. 2.* Bursat. *cons. 435.
num. 39.* Sanchez *dicto lib. 10. disp. 12. num. 51.* Et in ter-
minis sævitiæ ad eundem effectum, Rot. *dec. 324. num. 3.
part. 6. recent. Tridentina matrimonii 11. Martii 1650. co-
ram eod. Albergato, impress decis. 36. p. 11. Bononien. sepa-
rationis tori 10. Junii ejusdem anni coram Bichio inter suas
dec. 425.*

decis. 425. ut scilicet tanquam in causa gravi, testes exceptione majores requirantur; Nihilominus, cùm agatur (ut supra) de materia difficilis probationis, & quæ non nisi per domesticos haberi potest, agnoscebam quidem, ut discretè per Judicem procedendum esset in adhibendo fidem testibus, atque in videndo, an eorum dictum ab aliis urgentibus adminiculis corroboratum esset, necnè; Ideòque cùm in hac facti specie multæ concurrerent conjecturæ, & adminicula per testes vicinos fide dignos probata, præcedentes scilicet amores, salutationes, signa, epistolæ, allocutiones secretæ de nocte, aliique similes actus in decisione desuper edita ponderati, de quibus etiam apud Orthob. *dec.* 262. idcircò hæc omnia nimiùm dictorum testium fidem comprobare videbantur, atque certam reddere adulterii probationem resultantem ex notabili horarum mora cum adultero in eadem aula januis clausis.

6 Quamvis enim scribens in causa tanquam Advocatus deducerem punctualem authoritatem Baldi *cons.* 445. *nu.* 1. *lib.* 2. quod esse sequendum probat Bursatt. *dicto cons.* 435. *num.* 35. *& seq.* ut scilicèt non concludat probatio adulterii, ex eo quòd mulier inventa esset in camera januis clausis cum viro despectato, & cum caligis solutis, quoniam poterat quidem adesse animus, ad effectum tamen non deductus, ideòque non puniendus affectus absque effectu; Nihilominus istæ sunt Advocatorum subtilitates in gratiam clientum, cùm prorsùs impossibile sit, ut præcedentibus amoribus, aliisque signis, & actibus ut supra, in subsecuta mora amasii cum amasia per horas in aula januis clausis, dici debeat non esse probatum adulterium: Multò magis quia, ultrà dicta signa, & actus concurrebant etiam publica vox, & fama, necnon extrajudiciales ejusdem mulieris confessiones, unde propterea conclusio, quam deducebam, ea collectis per Sanch. *dicto l.* 10. *disp.* 12. *n.* 41. *cum seq.* & Sperell. *dec.* 140. *n.* 18. ut scilicet præsumptiones, & con-
7 jecturæ debeant esse vehementes, atque suspicio violenta per actus proximos, benè que concludentes, generaliter, ac abstractè est vera, potissimè ad hunc effectum separationis tori, in quo magis circumspectè procedendum est, quàm ad alterum effectum, de quo agitur apud Orthobon. *d. dec.* 261. probandi scilicet impedimentum affinitatis, cùm agatur non solùm ad effectum separandi conjuges, sed de inducendo mulieris infamiam; Attamen punctus est in applicatione, quæ tanquam in quæstione potiùs facti, quàm juris, ex ipsius facti circumstantiis regulanda est.

8 Deducebam vehementes suspiciones, quæ habebantur de fornicatione, etiam viri cum dicta famula, unde propterea intrare deberet mutua compensatio dictæ actionis exclusiva, ex plenè deductis per Sanchez *dicto l.* 10. *disp.* 5. *cum seq.* Verùm factum non assistebat, cùm suspiciones essent remotæ.

Item deducebam subsecutam reconciliationem, per quam
9 præcedens injuria remissa censeatur, unde propterea cessat actio petendi separationem, ex deductis per Sanchez *dicto lib.* 10. *disput.* 14. Farin. *cons.* 157. *nu.* 21. *lib.* 2. Rota *in Bonon. separationis tori* 21. *Februarii* 1650. *coram Bichio inter suas decis.* 412. Sed pariter difficultas erat in facto circa applicationem, dum non probabatur, quòd de tempore conversationis, & reconciliationis, maritus fuisset conscius adulterii, ut requiritur ad effectum remissionis injuriæ, ut apud Peniam *d. decis.* 1117. *&* 1092. *utrobique n.* 3. *dec.* 49. *n.* 8. *& seq. par.* 4. *rec.* Reconciliatio etenim, non data dicta scientia, operabatur solùm remissionem aliquarum dissensionum inter eos habitarum, etiam cum querelis criminalibus; Verùm istæ faciliorem, ac propensiorem reddiderunt Rotam ad respondendum pro hujusmodi separatione, cujus plures causæ ita concurrere videbantur, ideòque dici non poterat quòd arbitrium fuisset malè interpositum.

A V E N I O N E N.

PRO DOMITILLA CASTELLETT.

Responsum pro veritate.

De conditione, vel præcepto testatoris, nubendi in certo loco, vel cum certa persona, seu genere personarum, an adversetur libertati matrimonii, adeòut citra incursum pœnæ adjectæ, sperni valeat; Et quatenus non, an, & quando contraveniens excusetur, vel restitutionem in integrum petere valeat? Et de aliquibus ad materiam civilitatis, quando dicatur retenta, vel respectivè amissa, &c. Et quis dicatur verus, & originarius civis?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De punctis causæ.*
3 *Præceptum injunctum uni personæ, non censetur repetitum in altera.*
4 *De eodem super exclusione.*
5 *An, & quæ conditiones admittantur, vel rejiciantur circa matrimonii libertatem?*
6 *Quando dicatur constitutio invitativa ad lucrum, vel pœna, seu modus.*
7 *De eodem, & quod quandoque modus resolvatur in conditionem.*
8 *De eodem, & quando præcepta circa matrimonium sint obligatoria.*
9 *De restitutione in integrum adversus contraventionem præcepti.*
10 *De civilitate originaria, quamvis non adsit nativitas.*
11 *Nativitas accidentalis non tollit civilitatem patriæ originariæ.*
12 *Potest quis habere duas civilitates diversis respectibus.*
13 *De eadem materia civilitatis, & quando ea desideretur per veritatem, & non sufficiat ficta.*

D I S C. XIV.

FRanciscus Bonagratia, qualificatus civis Avenionen. filiam habens Joannam jam nuptam, & Domitillam, ex Antonia altera filia prædefuncta, neptem, eas heredes instituit, cum quibusdam substitutionibus tam in casu mortis, quàm in casu contraventionis ejus voluntati ad favorem adimplentis, ejusque descendentium; Deindè verò per capitulum separatum, narrando ejus voluntatem esse, ut omnia bona conservarentur in dicta ejus patria inter familias nobiles, ac etiam pro cōservandis piis operibus ad ipso institutis, mandavit ut dicta Domitilla neptis, adhuc innupta per verba præcisa ex Gallico idiomate in latinum translata, *nubere deberet nobili Avenionensi, nativo, & civi naturali, ac nato à nobili, similiter nativo, & non ex privilegio, vel gratia Principis, vel Civitatis*, adeòut ipsa nubente cætero, quamvis nobili, vel civi filio nobilis, vel civis non naturalis, sed ex privilegio, vel gratis, non intelligatur instituta, atque ita ejus institutio, cum ista conditione facta censeretur, ac aliàs tota hæreditas deveniret ad Joannam, ejusque filios cum eodem onere. Adimplevit dicta Domitilla præceptum; Ex dicta verò Joanna altera filia nupta N. Castellett, orta fuit altera Domitilla, quæ cupiens nubere Pompeo filio Comitis Pauli de Gildas, quorum uterque natus erat, atque morabatur Parisiis, occasione cujusdam officii, quod in Curia Regis habuit Camillus, nobilis, ac civis originarius Avenionen. pater Pauli, qui in servitio Regis continuabat, & qui ab eodem effectus erat feudatarius; Adhuc tamen verbis, & factis se civem Avenionen. semper declarando, tenendo ibi domum apertam, ac curando se adscribi in eo Collegio mercatorum, atque eligi ad munera, & officia Civitatis, ejusdem quoque onera more aliorum civium supportando, plura etiam bona ibidem acquirendo, ultra retentionem antiquorum, à majoribus obvenientium, obtenta etiam Apostolica dispensatione super absentia; Hinc proindè, eadem Domitilla junior, à me aliisque Advocatis consilium pro veritate petiit, an tutè, & absque periculo incursus dictæ caducitatis, matrimonium prædictum contrahere posset? 1

Respondi, resolutionem pendere à triplici puncto, seu triplici inspectione; Primo scilicèt, an præceptum à testatore injunctum dictæ alteri Domitillæ seniori, repetitum censeretur huic Domitillæ nepti ex altera filia; Secundò 2 quatenus sic, an dicatur libertati matrimonii contrarium, adeòut tanquam habendum pro non scripto, sperni posset? Et tertio, an dictus Pompeus, cui nubere intendebat, haberet, necne qualitates a testatore præscriptas, ita ut, etiam in casu validitatis præcepti, istius contraventio resultaret?

Quòad primam, probabiliùs censui negativè respondendum videri, quoniam cùm ageretur de præcepto merè personali, adjecto dictæ alteri Domitillæ nomine proprio, & appellativo, ita videbamur versari extra quæstionem, quæ 3 intrat in præceptis, seu oneribus adjectis alicui generi personarum, seu aliquibus personis sub nomine collectivo, quia nempè quæstio sit, an adjectum filiis, ex retiamis iden-

ritate, seu verisimili testatoris voluntate, repetitum censeatur nepotibus, aliisque descendentibus, qui sub sint comprehendi sub genere, & nomine filiorum; Et quo etiam casu, in penalibus, & odiosis adhuc regula est negativa, ex plenè collectis per Fusar. *quæst.460. & 679.* Rota *in Arimin. fideicom.13. Martii 1615. coram Dunozetta seniore inter suas decis. 81. & in Romana fideicommissi 27. Martii 1641. coram Ghislerio*, & frequenter in sua materia *sub tit. de fideicommissis disc. 20. cum seq.*

Potissimè verò quia dicti præcepti adjectio, neglecta legebatur in Joanna altera filia, quæ licèt nupta, viduari tamen 4 potuit, aliasque nuptias contrahere; Licèt enim ratio per testatorem explicata, omnibus conveniret, utpotè respiciens conservationem ipsorum bonorum in patria; Nihilominus, aliis adminiculis, & conjecturis non concurrentibus, non videbatur, ut præceptum personale, proprio, ac appellativo nomine factum, præsertim in pœnalibus, ac odiosis, posset ex hujusmodi ratione effici generale, & continere repetitionem, cùm ad summum, hujusmodi consideratio, suffragari posset ad inducendum limitationem dictæ alterius regulæ super repetitione descendentium sub genere filiorum cum similibus.

Hinc superfluum esse dicebam agere de secunda, & tertia inspectione, dum ita, posita etiam validitate præcepti, quòdque in verò non concurrent qualitates, adhuc eramus in casu omisso, vel saltim nimiùm probabiliter dubio, an dictum præceptum censeretur repetitum, unde, itaque sola probabilis dubietas videbatur sufficiens, justamque causam præbebant obtinendi in omnem eventum restitutionem in integrum, quæ in hujusmodi casu intrabat, ut infra; Stante etiam probabili dubietate, cadente super aliis inspectionibus, tam validitatis præcepti, quàm civilitatis viri, cui requirens nubere intendebat.

Verum ad superabundantem satisfactionem requirentis, seu ejus Sapientum de partibus, discurrere censui super materia validitatis, vel invaliditatis dictæ conditionis; Atque in hoc dicebam, quòd licèt plerique matrimonii libertatem nimis tueri volentes, senserint, ut hujusmodi præcepta, 5 seu conditiones tanquam dictæ libertatis præjudiciales, ex juris canonici, clarius verò ex Sac. Concilii dispositione, indefinitè irritæ sint, atque pro non scriptis haberi debeant; Attamen, rejecta hac opinione utpotè minus probabili, verior, magisque communiter recepta videtur opinio distinguens, ut scilicet inspici debeat forma dispositionis, an esset solùm invitativa ad lucrum, vel potiùs inductiva pœnæ, ut primo casu sustineatur, non autem in secundo; quoniam matrimonium non est subjectum pœnis, juxta textus *in cap. gemma de sponsal.* Ut, ita distinguendo, habetur per Oldrad. *cons 16.* quod est in materia celebre, ac magistrale, & sequuntur cæteri magis communiter collecti per Capyc. Latr. *consult. 72. num. 1. & consult. 134. num. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 1. disput. 33. num. 6.* Coscia *dissert. 9* Marcian. *disput. 77. nu. 7. & per tot.* Cyriac. *controv. 451. nu. 1. & seq.* Rota *dec. 493. in principio par. 4. rec. tom. 3. in Anconitana legati 30. Maji 1642. coram Bichio, inter suas decisiones 89. in Romana, seu Comen. hæreditatis 26. Junii 1647. coram Meltio impress. dec. 93. par. 10. & in aliis deductis sub tit. de testam. disc. 73.*

Loquendo enim generaliter, ac in abstracto, distinctio in puncto juris hodie vera, & recepta videtur, atque sola quæstio cadit super applicatione ad factum, quando scilicet, de una, vel de altera distinctionis parte agi dicatur; Aliqui 6 enim credunt, ut tunc dicatur pœna, quando puella, cui tale præceptum injungitur, passura est damnum, & jacturam rei propriæ, secus autem ubi operetur, ne obtineat bona testatoris ita disponentis, cùm tunc de lucro contendere dicatur absque proprii patrimonii diminutione, ut ex Oldrad. *dicto cons. 16.* firmant Covarr. *de sponsal. par. 2. cap 3. §. 3. n 7 & 8.* Sanchez *dicta disp 33 n. 7. & 8* Cancer. *lib. 3. var. cap. 7 n. 300. & 302* plenè Coscia *d. dissert. 9. n. 32. & seq. & n. 4.* & hanc admittere videtur Rot. *in d. Anconitana legati coram Bichio inter suas dec. 89.*

Alii verò credunt, ut tunc demùm agatur de lucro, quando dispositio concepta sit per viam conditionis suspensivæ, & a parte antea, quæ se opponat principio acquisitionis, itaut contraveniens nihil amittat, nisi facultatem cōsequendi; Secus autem ubi sit a parte postea, & per viam modi, seu conditionis resolutivæ, quoniam id non impedit assecutionem legati; vel alterius dispositionis solum amittendæ in casu contraventionis, quæ ita importare dicitur rei jam quæsitæ, & incorporatæ amissionem, unde propterea amittens dicitur fieri pauperior; Et consequenter sentire pœnam, quæ amissioni etiam magni lucri inesse dicitur, ut ex Aretio. *in l. Titia. ff. de verb. oblig.* & aliis, plenè Moronus *cons. 197.* Menoch. *cons. 425. num. 4. cum seq. & cons. 1083. num. 9. cum seq.* Capyc. Latr. *d. consult. 72. num. 17. cum seq.* Cyriac. *d. controv. 451. n. 83. cum seq.* Rota *d. dec. 493. num. 30. & seq. par. 4. rec. tom. 2.* cum aliis *sub d. tit. de testam. dicta disc. 73.*

Tertia est opinio distinguens, inter dispositiones omninò voluntarias ad favorem extraneorum, & quodammodò necessarias ad favorem filiorum, ut primo casu valeant; Altero autem non, ex ea differentiæ ratione, quòd cùm paterna hæreditas filiis quodammodò debita sit, hinc proinde conditio, seu contraventio, potiùs privationem juris habiti, quàm impedimentum juris habendi continere dicitur, ut post Ruin. Crot. & alios plenè Menoch. *d. cons. 425. n. 4. & seq. & d. cons. 1083. n. 7. cum seq.* Cyriac. *controv. 441. n. 83. cum seq.* Capyc. Latr. *consult. 77. n. 11.* & hanc distinctionem secuta est Rota *in dicta Romana, seu Comen. coram Meltio dec. 93. par. 10. rec.*

Insinuabam tamen quod mihi indistinctè placeret, atque verior videtur prima opinio Oldradi, quoniam, sive 7 conditio opponatur tanquam suspensiva, & à parte antea, sive tanquam resolutiva, & à parte postea, illa semper inesse dicitur acquisitioni, quæ ita qualificata est, ut scilicet non sit pura, & perfecta, sed in pendulo, & resolubiliter. Distinctio autem inter filios, & extraneos, nullum habere videtur juris fundamentum, quoniam, excepta legitima, quæ hujusmodi conditionibus, vel oneribus, sive, uno, sive altero modo conceptis, non subjacet, ex ipsius legitimæ natura, & tanquam successio necessaria, juxta vulgarem text. *in l. quoniam in prioribus, Cod. de inoff. testam.* & frequenter in sua materia *sub tit. de legitima, & detractionibus*; In reliquo esse nulla differentia videtur inter filios, & extraneos, cùm pariformiter dispositio dicatur merè voluntaria, & cum omnimoda testatoris libertate, pro libito disponendi.

Clariùs verò, ubi conditio non contineat talem restrictionem, ad certas personas, vel ad certum genus, seu locum adeò restrictum, quod libertati matrimonii præjudica- 8 tum esse dicatur, ut plures casus distinguendo, habetur in hac materia deductum *in Bonon. fideicommissi de Guidottis sub tit. de fideicommissis disc. 44. & dicta tit. de testament. disc. 73.* Et in specie consimilis præcepti nubendi civi oriundo, Fulgos. *cons. 91.* & Rota *in dicta Anconitana legati 30. Maji 1642. coram Bichio inter suas decis. 89.* Quidquid in contrarium in terminis consimilis præcepti non ducendi virum, nisi civem, habeatur apud Cyriac. *dicto controv. 451. num. 99. & 100.* quoniam asperum, ac irrationabile videtur, ut Patri morienti, prohibendum esset præscribere filiabus innuptis ac verisimiliter imprudentibus, hujusmodi leges, quæ prudentiæ, & honestatis fundamentis innixæ sunt, ut ita eas alliceret ad obtinenda ea bona; quæ poterat eis non relinquere, cùm non videatur subesse ratio, cur qui potest facere plus, non possit facere minus, & qui potest nullatenùs concedere, ac omninò denegare, non possit concedere qualificatè, præsertim ubi qualitas est discreta, itaut non dicatur adimere libertatem, ut latiùs *in d. Bononien. & d. disc. 73. de testam.*

Nihilominus quia secunda, & tertia opiniones supradictæ magnum habent authoritatum fomentum, & quòd magis est in hac facti specie insimul uniebantur, quod scilicet ageretur de descendente, quæ jam ex persona matris successerat in bonis, quorum privationem tanquam speciem pœnæ contraventio induceret; Hinc proindè dicebam, ita 9 tutiùs ad matrimonium prædictum procedi posse, quoniam si apud nostros receptum est, ut puellæ præsertim minores, adversus hujusmodi contraventiones quamvis aliàs inexcusabiles, restitutionis in integrum beneficio juventur, ex plenè deductis apud Menoch. Cyriac. & Marcian. jun. *locis citat.* & per Rotam *dicta dec. 493. par. 4. rec. tom. 2.* Morott. *dicta cons. 97.* Aliograd. *cons. 77. lib. 2.* & apud alios; Multo magis, ac extra controversiam, accedentibus tot justis, & probabilibus excusationis causis; Primò scilicet, quoniam dubium est, ut supra, an hoc præceptum alteri Domitillæ injunctum, censeretur aliis receptum; Secundò quia, ut proximè, cùm fundamento tot authoritatum credi potuit, ut tale præceptum non esset obligatorium; Et tertio, quia, ut infra, pariter satis probabiliter credi poterat, ut vir haberet qualitatem à testatore præscriptas.

Quatenus ergo pertinet ad istum punctum civilitatis in viro desideratæ; Dicebam, quòd licèt primo aspectu videretur posse satis dubitari, dum neque ipse, neque ejus pa- 10 ter in Civitate nati erant, cùm originarius dicatur ille, qui pro-

procreatus est à patre, qui natus sit in loco, non autem ab avo, quoties eo mortuo conceptus est, ex plenè collectis per Carleval. *de Judiciis, to. 1. q. 2. n. 53.* Nibilominus in puncto juris probabilius videbatur, ut qualitas originarii verè concurreret, ex eo quòd, tam pater, quàm filius nati essent Parisiis, occasione officii, quod Camillus Pauli pater, ac successivè idem Paulus, ibi exercebant in Curia Regis, unde propterea censendi erant nati in ipsamet Civitate originaria Avenionensi, ex regula, quòd absentia occasionalis
11 non tollit, neque interrumpit civilitatem, neque nativitas accidentalis in alio loco tollit, ut quis in propria patria originaria verè natus dici non debeat, ut loquendo de ipso Felin. *in c. cum Rodulphus, n. 14. de rescriptis*, Grammat. *dec. 103. n. 112.* Menoch. *consil. 80. n. 9. cum seq. & lib. 6. præsumpt. 30. n. 16. & 17.* ubi exemplificat in ejus filii Cyriac. *controv. 292. n. 30. & 31.* plenè Giurba *observ. 76.* Otiob. *dec. 148. n. 8.* & habetur pluries deductum *sub tit. de praeminentiis*, ubi de hac materia civilitatis agitur; Ac etiam *in Anconitana onerum, sub tit. de Regalibus disc. 104.* ad materiam gabellarum seu contributionum; Atque docet quotidiana praxis nobilium Neapolitanorū feuda possidentium, qui penè pro majori parte nascuntur extra eam Civitatem in feudis, ubi nati sunt etiam patres, ac avi, & tamen habentur pro veris civibus Neapolitanis quoad omnia, non ex privilegio, vel fictione, sed per veritatem, ac si ibi nati essent; Idemque in Jannensibus, aliisque nationibus industriæ vacantibus, vel occasione etiam feudorum, & officiorum vel frequentiùs ratione mercaturæ.

Potissimè dum continuabatur, more aliorum civium in supportatione onerum, ac in descriptione in Collegio, cum
12. aliis supra enunciatis; Nil obstante, quòd supponeretur, ut Parisiis quoque civilitatem contraxisset, quoniam non implicat aliquem esse civem duorum locorum, ad text. *in l. assumptio, §. filius, ff. ad municipal.* Menoch. *lib. 6. præsumpt. 42. n. 4.* Burat. *dec. 804. n. 4.* Adden. ad eum *dec. 811. n. 7. dec. 187. in fine post Zacch. de oblig.* & in aliis, ut in dicta sua materia civilitatis, *sub tit. de praeminentiis*.

Et quamvis nimiùm dubitari posset, quòd testatoris voluntas refragaretur, quòd scilicet senserit intellexit de civibus per omnimodam veritatem de facto, cum actuali habitatione in loco, per illa verba, *nato ex nobili pariter nativo*, quæ verba casum propriæ originis, non autem paternæ respicere videntur, ex ponderatis apud Merlin. *decis. 832. n. 5.* Ac etiam ob rationem adjectam conservationis bonorum in patria, & ut ejus descendentes incumberent iis operibus per ipsum testatorem ordinatis, unde circa hunc punctum, ex testatoris verisimili voluntate, quando de solo
13. ad alios effectus agendum esset, dicebam quòd non levis cadere posset difficultas; Nihilominus, ad effectum evitandæ penam caducitatis, quæ timebatur, stantibus tot probabilitatibus, ut supra, dicebam, ut probabilius timendum non esset, ideòque si expediret, ad matrimonium deveniri posset; Et de hac materia civilitatis habetur etiam in Reggien. consortii, *sub tit. de Canonicis, & Capitulo, disc. 21.* & in supplemento in eodem casu.

ROMANA MATRIMONII HEBRÆORUM

PRO ESTER ANNUBA

CUM LEONE DE MARENO.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Leone.

De matrimonio Hebræorum, ejusque requisitis ad perfectionem, ut sit obligatorium.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Inter infideles non datur matrimonium, tanquam sacramentum.*
3 *Inter Judæos servanda est in matrimonio lex Moysis.*
4 *Etiam circa minorem ætatem.*
5 *De actibus, qui requiruntur ex dicta lege in matrimonio Judæorum.*
6 *De interpretatione dictæ legis per Rabbinos.*
7 *Quod matrimonium inter Judæos, quod non habeat omnia requisita, habet vim sponsalium.*
8 *An, & quomodo detur matrimonium inter infideles?*
9 *De pœna mulieris nuptæ, quæ cum alio viro rem habeat.*
10 *Resolutio causæ.*

D I S C. XV.

CUm Leo, per plures annos in figura maritali, conversa- 1
tionem cum Ester habuisset, eam verò ex quodam tempore crudeliter tractaret, hinc ista coram A.C. judiciū institutū, vel super nullitate matrimonii per dictum Leonem prætensi, vel super tori separatione, ex dicta causa sævitiæ, Assumptaque desuper disputatione; Dicebam scribens pro muliere, quòd in matrimoniis Judæorum, aliorumque Infidelium, procedendum non esset cum regulis sacrorum Canonū, vel Sac. Conc. Trid. cùm hæc respiciant matrimonium tanquam Sacramentum, quod non datur inter Infideles, qui nō ligantur Constitutionibus Ecclesiasticis directis ad regimen
spirituale, ex deductis per Ricciull. *de jure personarum, par.* 2
2. c. 4. n. 1. & seqq. Boss. *de matrim. c. 1. §. 31. n. 82.* Ideòque considerandum est matrimonium tanquam simplex contractus, qui ex duorum consensu, inter Infideles consideratur, quādo scilicet, adinstar aliorum contractuum, dicatur utriusque contrahentis obligatorius ad mutuam cohabitationem, aliaque debita, & onera matrimonialia, necne.

Inter Judæos autem in specie, ut quoad matrimonium
servandā sit lex Mosaica, firmat Marquard. *de Judæis, par.* 3
2. c. 4. n. 9. & admittitur per Ricciull. *dicto cap. 3. per tot.* Et generaliter de lege Mosaica attendenda inter Hebræos, tam ad effectum minoris ætatis, quàm ad alios, plenè de-
ductum habetur apud Cyriac. *controv. 240. & 241.* & Fa- 4
rin. *in fragment. verb. Judæi*; Quare dicebam, punctum esse in Mosaicæ legis intelligentia, quando scilicet ad ejus præscriptum dicatur validè, ac perfectè matrimonium initum esse, necne.

Controversia verò est in eo, quòd cum ex dicta lege
tres actus requirantur, seu enuncientur, qui dicuntur *aras,* 5
chidussin, & nissuin, an scilicet isti actus importent perfectum matrimonii contractum, adeòut alter actus ad perfectionem non requiratur (ut ex parte viri prætendebatur) vel potiùs illi importarent simplicem præparationem, seu promissionem futuri matrimonii, adinstar nostrorum sponsalium de futuro, matrimonium verò non perficiatur, nisi per alias solemnitates, quæ explicantur cum vocabulo *nissuin.* (ut erat mulieris prætensio.)

Dicebant enim plures Rabbini, sive in hebraicis lite- 6
ris periti Judæi quod dicti termini, *aras, chidussin, & nissuin*, essent synonymi, atque importarent solùm illum actum, qui fit per annuli impositionem, seu per cujusdam monetæ traditionem, per quem actum dicebant sequi solùm quandam speciem sponsalium de futuro, seu præparationem ad matrimonium perfectum, ac inductivum copulæ licitæ, imò obligatoriæ, necnon potestatis viri in mulierem cum aliis effectibus ex matrimonio resultantibus (quos iidem Judæi dicunt inter eos esse decem) cum solùm dicti actus præparatorii inducant mulieris obligationem, ne alteri viro nubere valeat, donec sequatur libellus repudii, ad quem, iidem Rabbini, seu periti dicebant, quòd donec matrimonium cum aliis solemnitatibus perficeretur, mulier poterat, etiam sine causa cogere virum, atque ita obtinere libertatem nubendi cuicunque.

Hinc propterea dicebam, quòd iste actus esset minus ob- 7
ligatorius, quàm sint nostra sponsalia de futuro inducentia obligationem, etiam per censuras, aliasque coactionis species, cessante justa causa, ad matrimonium; Cùm enim principalis matrimonii effectus consistat in vicissitudinaria licentia, & respectivè obligatione copulæ carnalis licitæ, atque dicti periti concorditer affirmarent, istum effectum non sequi, nisi accedentibus aliis solemnitatibus, ut supra nuncupatis *nissuin*, idcircò dicebam probabilius videri, quòd donec istæ solemnitates intervenirent, quas supponebatur, in hac facti specie non adesse, per dictos alios actus, qui secuti erant, inducta essent solùm sponsalia futuri matrimonii præparatoria, ideòque licitum esset mulieri petere solutionem à vinculo, & à maritali subjectione.

Neque dicebam, ut in hac materia matrimonii Infide- 8
lium, ita strictè, ac rigorosè procedendum esset, sicuti in illo Christianorum, cùm inter Infideles non detur illud perfectum, ac indissolubile matrimonium, quod datur inter fideles, ut ad literam probat *text. in c. Quanto de divortiis*, ubi quòd licèt inter infideles, verùm matrimonium existat, non tamen est ratum, ac indissolubile, sicuti inter fideles, quoniam indissolubilitas resultat ex lege Evangelica ob significatum unionis inter Deum, & Ecclesiam, quæ ratio non congruit Infidelibus, ut per Marquard. *de Judæis, dist. 2. c. 3. nu. 16.* bene Pont. *de Matrim. lib. 7. cap. 48.*

nu. 1. & sequen. Adeòut non desint volentes, ut etiam hodie inter Judęos licitus sit libellus repudii, ut per Marquard. *dicta part. 2. cap. 8. nu. 4.* Et quamvis Sanchez, aliique Morales de hoc dubitent, ad effectum tribuendi libertatem conjugibus jam conjunctis, & post matrimonium consummatum alias nuptias contrahendi, nihilominus dicebam difficultatem prædictam resultantem ex dicto Evangelico *Matthæi cap. 19.* procedere cum præsupposito jam secuti matrimonii, dum illud loquitur de viro, & uxore, qui termini propriè congruunt illis, qui matrimonium perfectè contraxerunt non autem, qui sola sponsalia, seu actus præparatorios.

9 Major difficultas resultabat ex eo, quod ex dictis *aras, & cheausin*, resultat pœna mortis contra mulierem, quæ cum alio viro eam habere inveniatur, unde propterea inferebatur, quòd hæc esset pœna adulterii, quod in necessarium antecedens præsupponit matrimonium; Respondebam tamen, quòd lex Mosaica *Deuter. c. 22.* quæ adjicit dictam pœnam, non explicat, an id sit ratione adulterii cùm loquatur de muliere alicui viro desponsata, quod verbum desponsationis nō supponit de necessitate matrimonium perfectum, saltem ad effectus, de quibus agebatur: neq; aliqua implicantia adesse dicitur, ut etiam sponsa de futuro dictæ pœnæ subjaceat, ob injuriam, quæ irrogari quoque dicitur sponso, qui in vim sponsalium matrimonium deinde contrahendo, ita deceptus inveniretur ducendo mulierem ab alio corruptam.

Verum Judex, stante longæva plurium annorum cohabitatione, cum verisimili subsecuta copula (licèt ex parte mulieris negata, utpote illicita, donec dictæ aliæ solemnitates sequerentur), fretus etiam authoritate Navarr. *cons. 2.*

10 *& 3. de convers. infidelium, lib. 3.* pro matrimonii validitate pronunciavit, neque causa ulteriorem habuit progressum, unde propterea, cùm unica tantùm scriptura desuper confecta esset, absque communicatione scripturarum, & jurium alterius partis, non potui desuper maturum judicium pro veritate efformare, cum iidem Hebræorum periti essent inter se in hoc discordes.

ROMANA MATRIMONII
PRO A.
CUM B. ET C.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Concilii, & resolutus, pro B. & C.

De Matrimonio inter absentes per literas, an, & quando valeat? Et incidenter de Matrimonii probatione.

SUMMARIUM.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *De punctis controversiæ.*
3 *Non requiritur consensus Parochi, sed sufficit ejus simplex præsentia.*
4 *Si Parochus non descripsit in libro Matrimonii, adhuc potest aliunde probari.*
5 *De distinctione, quando in hac materia exacta, probatio requiratur; Et quando sufficiat levis etiam per testes exceptione elidibiles.*
6 *Quomodo in hac probationum materia sit procedendum.*
7 *Levis probatio sufficit, ubi incidenter de matrimonio agitur.*
8 *De caso, in quo principaliter, sed sine contradictione, vel contraria probatione.*
9 *De modo tenendo in regulando probationes, non contradictus.*
10 *Quid ubi Parochus contradicat?*
11 *Testis est suspectus si allegat in contestem alium qui neget.*
12 *Declaratur conclusio, de qua n. 3. ut requiratur intelligentia.*
13 *Fortiùs intelligentia requiritur in matrimonio per Epistolam.*
14 *De promissione.*
15 *Quod resolvere in puncto probationis placeat, & quare erroneum sit procedere cum decisionibus?*
16 *Quandoque propriè difficultates oriantur in hac materia.*
17 *De consiaerationibus circa probationem.*
18 *De alio motivo Judicum, & Consulentium.*
19 *De opinione volentium, quod forma matrimonii per Epistolam non valeat.*
20 *De opinione contraria, magis communi.*
21 *Sensus Authoris in quæstione.*
22 *Et quomodo intelligi debeat facultas contrahendi matrimonium per procuratorem.*
23 *De alio motivo Judicum.*
24 *De ratione, ob quam in isto casu procedi debuisset cum prima opinione negativa, & quod inæqualitas non dirimit matrimonium.*
25 *De potestate Papæ tollendi matrimonium ratum, & quando hæc potestas exercenda sit.*

DISC. XVI.

In arcto, diuturnoque carcere ex causa uxoricidii existens B. pro humano loquendi usu, ac fortunæ consueta stultitia, vel casus irrationabilitate, ex antiqua illustri familia immeritos habens natales, immeritamque Magnatitiam qualitatem, in gravi etiam ætate constitutus (quod crimen auget) indignas cum populari muliercula absente, per istius epistolæ organum, in ipsomet carcere, coram Parocho, & testibus matrimonium contraxit; Idque (ut decebat) nimium ægrè ferente A. ejus filio in Magnatitio quoque constituto ordine, causam nullitatis matrimonii summariè à Sanctissimo cognoscendam committi obtinuit Sac. Congregationi Concilii, à qua ipsa die percuntis mensis Septembris 167., affirmativa pro matrimonii validitate, cum aliqua votorum discordantia resolutio prodiit. 1

In disputationibus autem desuper habitis, duo fuerunt puncta ad trutinam deducti, Primò nempè, super ista contrahendi per literas forma, in genere, sive in abstracto, an hodie post Conc. Tridentini decreta valeat; Secundò quatenus valeat, an in casu controversiæ benè servata esset istius contrahendi forma? istiusque posterioris puncti occasione, de sufficienti matrimonii probatione actum est, ubi præsertim inter Parochum, & testes discrepantia dignoscatur; De aliis vero pluribus incidenter. 2

Quatenus itaque (præsupposita validitate hujus formæ contrahendi per epistolam in genere) ad secundum punctum hujus particularis causæ pertinet, facti potius, quam juris videbatur quæstio, super efficacia scilicet probationis, quòd forma concilaris benè servata esset, necne.

Ex parte siquidem, tam viri quam mulieris matrimonii validitatem concorditer prætendentium, dicebatur, quòd cum illo duo testes, qui ex decreto Conciliari cum Parocho debebantur, benè deponerent de actu gesto juxta ejusdem Conciliaris decreti formam, quòd scilicet vir coram Parocho, & ipsis exhibita mulieris absentis Epistola ejus manu conscripta Parocho directa, in qua suum consensum præstabat super matrimonio contrahendo cum ipso viro, qui suum consensu quoque præstitit & conjunxit, ita sufficiens aderat probatio, non obstante, quòd Parochus id negaret: Et hodie certa, & recepta conclusione, de qua supra *hoc eodem tit. disc. 2. & 6.* & alibi pluries, quòd scilicet nullus Parochi consensum desuper desideratur, sed sola præsentia sufficit, quamvis ad alium finem dolosè fuerit evocatus, imò quamvis expressus dissensus adesset. 3

Non debet etenim à Parochi affirmatione, vel negatione id pendere; ad instar eorum, quæ in his quoque terminis habemus super ejusdem Parochi negligentia, vel malitia non registrandi actum matrimonii in libro, qui ad ejusdem Conciliaris decreti præscriptum retineri debet, quoniam non exinde præclusa est via, illud probandi per alia species probationis, ut aliis relatis, *disc. 233. n. 12. p. 10. & dec. 301. n. 4. & seqq. p. 11. rec.* & in aliis frequenter. 4

Et quoniam adversus dictos testes, ex hac parte aliquę per causæ Patronum dabantur exceptiones, illa præsertim, quòd essent viles, & famuli ejusdem viri; Ideircò Scribentes pro matrimonii invaliditate in hoc potissimùm, ac principaliter insistentes, veram in suo casu adhibebant distinctionem, inter odibilem probationem contra matrimonium super ejus nullitate, vel resolutione: Et favorabilem super ejus validitate, ac existentia, ut scilicet primo casu, exactæ, benèque concludentes requirantur probationes, ideòque testes omni exceptione majores desiderentur, exceptionumque ratio habeatur ubi numerus, vel adminicula eas non suppleant; Secus autem in altero, in quo sufficiunt domestici, imò conjuncti, seu alia exceptione elidibiles testes, ut apud Mantic. *dec. 372. dicta dec. 233. p. 10. & 301. p. 11. rec.* 5

Scribens ego è converso ad istantiam oppositorum, ex jam insinuatis honestatis, ac decoris motivis, circa præmissas conclusiones, consuetas nimiumque frequentes canebam cautiones, quòd scilicet præmissæ conclusiones in suis casibus essent veræ, non autem quibuscunque casibus applicabiles, quòdque propterea in hujusmodi casu facti, & 6

pro-

probationis potiùs, quàm juris manifestus error sit cum ge-
neralitatis, vel conclusionibus, seu aliorum casuum deci-
sionibus procedere, cum veritas reverà pendeat ab singulo-
rum casuum individuis circumstantiis.
7 Admittebam siquidem dictam distinctionem inter odibi-
lem, & favorabilem probationem, quòdque hoc secundo
casu leviores minùsque perfectæ sufficerent probationes
etiam per testes aliàs exceptione elidibiles; Dicebam tamen
id procedere in casu, in quo incidenter de matrimonii pro-
batione agatur ad effectum scilicet legitimationis persona-
rum, putà probandi legitimam procreationem, vel descen-
dentiam pro successionibus præsertim in feudis, & fideicom-
missis, aliisque similibus, & ad quos effectus majores desu-
per cadere solent quæstiones, ut præsertim apud Otthob.
*dec. 232. & in tot. Rota decisionibus editis in celebri Parmen.
Status*, & in alia majori, de qua incidenter agitur *sub tit. de
Feud. disc.* 2. & sæpiùs.
8 Ubi verò principaliter agatur de ipso fœdere matrimo-
nii, advertebam distinguendum esse, quòd scilicet: Aliud
est ubi Parochus habet se merè negativè, quia nempè nulla-
tenus sit in causa nullamque faciat depositionem, solumque
illud cōtrarium deducatur argumentum, quod ex ejus resul-
tet negligentia, quia in ejus libro partita non reperiatur de-
scripto, adeòut desit concursus positivè contrariantium pro-
bationum hinc inde; Et tunc rectè dicta conclusio procedat,
atque in his terminis procedunt præmissę, aliǽque plures de-
cisiones, & authoritates, quæ desuper, pro consueta inutili
chartarum repletione, in magno cumulo deducebantur.
Et nihilominùs etiam isto casu, quando inter ipsos contra-
hentes discordia vigeret, quia nempè unus affirmaret, & al-
ter negaret, ideòque unus de vinculo, alter verò de libertate
contenderet; Sive quòd eis cōcordantibus, quęstio esset cum
tertia agente de nimiùm gravi præjudicio, adeòut de ipso
matrimonii fœdere principaliter ageretur, quia nempè ex
unius matrimonii validitate, alterius de facto contracti in-
validitas resultaret; His etenim, vel similibus casibus, ea ma-
jori, vel minori præjudicii gravitate, regulandum venit pro-
9 bationum pondus pensandum prudentis Judicis arbitrio, in
quo probationum materia reposita est, juxta celebrem tex-
tum *in l. 3. ff. de testib.* cum Concordantibus *sub tit. de Judic.
disc.* 32. prorsus enim improbabile esset, quod nimiùm inæ-
quali, vel indigna muliere, se prætendente à viro nobili, &
qualificato despōsatam, ut ejus uxor cum notabili mutatio-
ne status fieret, pro muliercularum consuetudine viris se
prostituentium, vel è converso inæquali viro nobilis Matro-
næ, vel divitis puellę matrimonium affectante, testibus, vili-
bus, vel conjūctis, aut aliàs exceptione elidibilibus, ita de fa-
cili deferendum esset; Ideòq; firmum remanet, erroneum es-
se, cum solis generalitatibus, vel cū conclusionibus in abstra-
cto procedere, illasque omni casui parifòrmiter applicare.
Sed quando, ut in præsenti Parochi positivè contraria de-
positio accedat, negando illud factum, de quo testes depo-
nunt; Et tunc, seclusis infrascriptis particularibus circum-
10 stantiis, etiam cum sensu veritatis, dicebam, prorsus erro-
neum esse, ut in ista contrarietate, potiùs duobus vilibus fa-
mulis ipsius Patris inducentis deferendum esset, quam Paro-
cho in Sacerdotali, ac parochiali dignitate constituto, qui
juxtà terminos textus *in cap. cum esses, de testam.* duorum te-
stium vicem gerit. Ac propterea adhibendo eosdem terminos
text. *in cap. cum esses*, qui nimiùm similes, ac proximi viden-
tur, deducebam ea, quæ habentur *sub tit. de Testam. disc.* 25.
ut Parocho, nedum contrarium asserente, vel negante, sed
etiam vacillante, testibus deferendum non esset; Quòdque
11 intraret conclusio, de qua *sub tit. de Judic. disc.* 32. & alibi,
quòd potiùs suspecti de falso redduntur, ac fide indigni te-
stes, qui in contestes adducant alios, qui negent.
Clarius verò in hac facti specie, quoniam non agebatur de
matrimonio contracto inter præsentes, sed inter absentes
per epistolam, Quamvis etenim vera sit conclusio, de qua su-
12 prà quòd sola Parochi materialis præsentia sufficiat, absque
ejus cōsensu, quinimò etiam cum ejus positivo dissensu, imò
etiamsi casualiter ibi reperiatur, vel quòd vi, seu dolo ad id
sit inductus; Nihilominus certum est, ut ipsius, ac testiū in-
telligentia requisita sit, ut nempè intelligant, ac percipiant
quid agatur, & nē dormientiū, vel ebriorum, aut aliud agen-
tium præsentia sufficiat ex insinuatis *supra*, *disc.* 2. & 6.
Cùm itaque ageretur de epistola, per quam mulier absens
13 loquebatur cum ipso Parocho, cui directa erat, sine dubio
necessarium erat, ut ipse Parochus sciret, atque intelligeret,
quòd ea epistola esset conscripta per illam mulierem, nē aliàs
esset confictum folium; Et per consequens, naturaliter, ac
legaliter, impossibile dicebam, ut Parocho, totam facti se-
riem negante, testibus deferendum esset, cum ipsi Parocho
principaliter incumberet notitia consensus alterius partis,
ut ita utriusq; consensus conjunctio verificari posset; Ideoq;
Bossius *de matrim. cap.* 8. *n.* 123. agendo de ista contrahendi
forma, præsupponit, ut Parocho, & testibus innotescat
veritas epistolæ, quam Morale exemplificando præsuppo-
nunt uni ex contrahentibus directam; multò magis in præ-
senti, quòd ipsi Parocho directa erat.
Deducebam quoque ea, quæ occasione sponsalium inter 14
absentes per literas familiares habentur suprà *hoc eodem tit.
disc.* 8 super necessario requisito repromissionis, cujus Scri-
bens notitiam haberet, ut ita coram Parocho, & testibus,
quando forma conciliaris servatur, legitima adesset con-
sensuum conjunctio, atque ea isto præsertim motiva aliqua
gravia vota pro invaliditate inclinabant.
Reflectendo autem ad veritatem, seclusis difficultatibus 15
de quibus infra super ipsa contrahendi forma in genere, ista-
que præsupposita, probabilis potiùs mihi, quamvis succum-
benti, visa est resolutio, ex particularibus facti circumstan-
tiis; Ideòque in dies magis edocemur, quàm ad evidentiam
erroneum sit, cum aliorum casuum decisionibus, vel cum
responsis, quæ in eis prodierint, in aliis diversis decidendis
procedere, ad circumstantiarum diversitatem, vel respe-
ctivè combinationem non reflectendo.
Ex duobus itaque præmissæ considerationes, quas tan-
quam Advocatus deducebam, in suis casibus veræ, ad rem 16
non faciebant; Primò nempè quoniam contrahentes, ean-
dem veritatem affirmabant, atque in eadem perseverabant
voluntate, denuo ubi opus esset, actum peracturi; ideòque
cessabant illæ difficultates, quæ verè, & propriè desuper
cadere solent tam circa probationem, quàm circa repromis-
sionem, quando inter ipsos met contrahentes contentiosis,
quia nempe unus neget, & alter affirmet.
Et secundò quia, ex aliis testibus, qui in loco actui ade- 17
fuit, & ex plerisq; aliis adminiculis veritas depositionis te-
stium nimiùm comprobata erat, ideòque supplebantur exce-
ptiones; Et è converso ex pluribus extrajudicialibus ipsius
parochi confessionibus, pluribus ejusdem mendaciis, pa-
rumque bona fama, de mendacio, ac affectatione clarè con-
vinci videbatur; Ac etiam, quantum ab aliquibus ex Con-
gregationis Patribus nimiùm prudenter, & circumspectè
motivantibus, desumi potuit, forsan ipse Parochus ore-
tenus aliquibus eandem affirmativè veritatem, cujus nega-
tionem judicialem, timori, ac minis referebat; Ad id autem 18
Judices, & consulentes reflectere debent quòd scilicet ta-
lenses controversiæ frequentiùs à singulorum casuum indi-
viduis circumstantiis decisionem recipiunt.
Majorem igitur difficultatem, mihi ad veritatem refle-
ctenti, inferebat primus punctus generalis, super quo hu-
cusque per istam S. Congregationem, vel per Rotam adhuc
formiter non disputato, nec deciso, aliquam majorem, ma-
gisque maturam desiderassem discussionem, ac reflexionem,
an scilicet ista contrahendi forma; post novum jus concilia-
re, admittenda esset, necne;
Istam etenim efformant quęstionem Scribentes post Con- 19
cilium, qui pro majori parte, penèque omnes sunt Morales,
atque negativam sententiam tenent duo eandem de Ledes-
mo nuncupationem habentes, ac alii relati per Sanchez *hoc
tract. lib.* 2. *c.* 12. Gurtierez *eodem tract. c* 45. Boss. *dict. c.* 3.
nu. 312. *& seqq.* & alii, pro modernorum præsertim verò
Moralium consuetudine, cùm sufficiat unum dixisse, ut
alii, per eadem penè verba dicant; Et ea moti ratione
quòd Conciliare decretum ipsorum contrahentium præsen-
tiam in verbis præsupponit, Ideòque istam contrahendi
formam inter absentes non admittit.
Majori tamen calculo, affirmativa opinio recepta est, ut ex
proximè allegatis, ac aliis patet, plures expendendo ratio- 20
nes, quas omnium latiùs reassumit Gurtierez *loco citato*, il-
lam præsertim, quòd cum etiam post Concilium forma con-
trahendi per Procuratorem, vel per nuncium specialem re-
cepta sit, adhibendo exemplum Abraham, idque frequens
praxis doceat, ideircò ista quoque contrahendi forma per
Epistolam admitti debeat; Ac etiam quia cùm ante Conci-
lium receptum esset, eam sufficere, insinuata solùm repro-
missionis quæstione cadente; Hinc proinde in nova, & cor-
rectoria lege, correctionum, ac exorbitantiarum cumulus,
non est permittendus, ac propterea verius sit, ut contrahen-
tium præsentia demonstrativè, non autem taxativè in conci-
liari decreto pro frequentiori contingentia præsupponatur.
Quando autem, cum hujusmodi, ac similibus generalitati-
bus, punctus regulandus esset, admittebam quòd prępon- 21
derantia essent hujus posterioris opinionis fundamenta; Ve-

rùm difficultatem mihi inferebat ea generalis in omni materia frequenter insinuata propositio, quæ pro meo sensu ac genio in omnibus fori quæstionibus decidendis principatum obtinere debet, ut scilicet, non verborum formalitas, mi onsque legalium propositionum generalitas attendi debeat, sed substantia veritatis, atque ratio, vel finis, ob quem lex prodierit, ac ordinata sit.

Cùm itaque prævia illa adeò magna discussione, ac maturitate, quam ejusdem Concilii historia, & acta docent, ut multis occurreretur inconvenientibus, quæ clandestina matrimonia producebant, ista nova introducta fuerit forma, per quam publicè, & palam, in faciam Ecclesiæ matrimonium contractum dici valeat; Hinc proinde ista ratio, vel iste finis attendendus videtur, qui elusus alias remaneret, dum coram vero parocho ac testibus, qui nullam absentis, quinimò aliquando in diversa regione, vel Civitate morantis puellæ, notitiam habent, clandestinum matrimonium contrahi posset, adeòut ille pater familias, qui propriam filiam domi cautè custoditam retineat dignis, & aliis nuptiis destinatam, ita ignarus eam habere cogatur alicujus inæqualis, vel indigni uxorem, mediantibus amatoriis epistolis, quæ nimiùm de facili, ancillis, vel aliis mulierculis mediantibus, a puellis obtinentur, frequenter ignorantibus quid agant.

22 Neque congruere videtur simile de Procuratore, vel Nuncio, quoniam id pro frequentiori praxi inter magnos Principes, vel Magnates, ac nobiles contingit, mediante Nuncio, vel nobili, & qualificato Procuratore, publicè, & palam deputato, vel transmisso justà præfatum deduci solitum exemplum Abraham.

Ac propterea pro meo judicio (veritatis tamen integrum locum reliquendo) etiam ubi de procuratore agatur, id cum eadem moderatione intelligi debeat, ut idem adimpleatur finis, non autem ubi procuratoris deputatio non esset per publicum instrumentum, sed per consimilem epistolam familiarem, vel aliam privatam, & clandestinam schedulam. Et è converso, ut ista contrahendi forma per epistolam, vel per schedulam privatam, sufficeret, ac admittenda veniret, ubi publicitatem haberet, adeòut ratio decreti Conciliaris congrueret, vel finis adimpleretur, ut in Principum, vel in Magnatum contingit notoriis, privatis literis, quas literas petentes, vel cedulas appellamus.

Aliàs etenim nimiùm de facili, antiqua clandestinitatis inconvenientia, ita Mundo restituentur, dictumque conciliare decretum adeò magna discussione, & maturitate editum, elusorium ac ideale remanebit; Nimiaque ponderatione digna pro meo sensu videtur illa circumstantia, quòd intra spatium annorum centum, & decem circiter, à die publicationis Concilii, iste casus adhuc disputatus ac decisus non fit, quòdque iidem DD. supra recensiti, ac alii, qui hanc formam admittunt, eam non laudant, sed potiùs damnant.

Iste autem videtur modus, cum quo magna, & suprema Tribunalia, illud præsertim, quod Principis partes potiùs quodammodo gerere videtur, procedere debeant, non autem in sola fide, vel traditione aliquorum privatorum scriptorum.

23 His autem ita generaliter insinuatis; Quatenùs etiam ad applicationem præsentis causæ particularis pertinet; Dicebam, quòd stante magna contrahentium inæqualitate adeò ut verè indignum matrimonium dicendum esset, in hoc dubio articulo nunquam deciso; atque ut supra ex facti qualitate regulando, pro invaliditate responderi debuisset, admissa etiam sufficienti probatione; Quamvis etenim hodie extra controversiam sit inter Catholicos, ut inæqualitas, vel indignitas, matrimonii validitatem, vel substantiam non tollat,

24 ut insinuatur *sub tit. de dote, disc. 1.* & alibi: Attamen justum motivum id præbere videtur, ut in articulo dubio, una potius quam altera opinio amplectenda veniret, potissimè ab adeò magno Tribunali, in quo faciliùs, quàm in ordinario, seu inferiori Judice verificatur assumptum, de quo *sub tit. de Judiciis, disc. 35* & alibi, ut liceat in judicando, omissa magis communi opinione, minus communem pro facti qualitate magis rationabilem amplecti.

25 Ac etiam stante quòd, post dictum actum, certum erat, quòd nulla accesserat consummatio, dum vir erat in arcto carcere ut supra, mulier autem in Monasterio est, & per consequens agebatur de matrimonio rato tantum, dum asserta copula, antequam actus sequeretur, tanquam inter concubinos in nulla consideratione habetur: Ita justè, & congruè interponi potuisset Pontificis authoritas de qua *supra, disc. 9.* stante etiam magna inæqualitate ætatis, cum vir senex esset, & mulier valdè juvenis, quæ sine ejus præjudicio alteri collocari possit.

ROMANA SEPARATIONIS TORI
PRO BARTHOLOMÆO ANSIDEO
CUM VICTORIA CHERUBINA.

Casus disputatus in Tribunali Vicarii, resolutus pro Bartholomæo.

De eandem materia de qua supra, *disc. 11.* separationis thori ex causa sævitiæ, & quomodo in hujusmodi causis procedendum sit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *In hac materia matrimoniali etiam ubi agatur de possessorio, cognoscenda sunt merita.*
3 *De manutentione viri in quasi possessione obsequiorum maritalium, lite pendente quomodo sit regulanda.*
4 *De circumstantiis ex quibus arbitrium judicis sit regulandum.*
5 *An in monasteria, vel penes honestam matronam uxor divertens, sit collocanda?*
6 *An cautioni quæ per virum offertur, sit fidendum?*
7 *Authoritates, & decisiones in hac materia ad quid prosint.*

DISC. XVII.

Divertente Victoria à viro, istoque in Tribunali Vicarii petente cum magis celeri, ac usitato remedio manutentionis in quasi possessione recipiendi obsequia maritalia, illam cogi ad redeundum, ut post plures disputationes nedùm coram ejusdem Tribunalis Locumtenente Civili, sed etiam in plena Congregatione qualibet hebdomada haberi solita, juxta ea quæ habentur *disc. 13. in Relat. Curiæ,* decretum fuit, 1 2
cum etiam in disputationibus quæ habentur in possessorio discreto, à petitorio, in hac præsertim materia rationabiliter quidem de petitorio, ac meritis negotii principalis quamvis incidenter cognosci soleat, præsertim circa fidem testibus adhibendam & quando dicatur constare, necne de tali sævitia quæ sit sufficiens ad separationem, adeòut fidendum non sit cautioni; vel è converso istud remedium attendi debeat, nec nò super sequestro mulieris interim demandando atque super his per scribentes hinc inde ipso consueto moderno vere damnabili, & contemptibili stylo, magna fieret chartarum repletio magnusque cum improbo labore cumulus decisionum, & authoritatum, certando cui nam major assisteret numerus. Hinc scribentes pro viro dicebant, quòd licet tam apud antiquiores, quàm etiam apud moderniores de partibus ubi tractæ sunt hujusmodi quæstiones, magnæ super præmissis soleant reperiri quæstiones præsertim circa punctum manutentionis viri lite pendente in quasi possessione exigendi obsequia maritalia ab uxore, quæ ab eo divertit, ex collectis ad satietatem per modernum moralem Boss. *de effect.* 3
matr. c. 6 §. 4. n. 71. & seqq. ac etiam apud Merlin. *dec. 67. in princ.* cum aliis de quibus infra: attamen in Curia præsertim in hoc Tribunali, ubi frequentes, & quotidianæ sunt hujusmodi cautiones, reverà ista est inanis chartarum repletio ratione subjectæ materiæ periculosæ, ob quam procedendum non est in hoc summario, & privilegiato judicio possessorio cum illis regulis, & facilitatibus, cum quibus proceditur in aliis materiis indifferentibus, de quibus, *disc. 44. de Judic.* & alibi, sed potiùs dicendus est punctus facti, & arbitrii decidendus ex prudenti arbitrio regulando à facti qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantiis, non autem ex eo quod Doctores, vel Collectores in abstracto dicant; vel quod in diversis casibus per Rotam decisum fuerit, ut etiam insinuatus supra, *disc. 15. in fine.*

Quantum verò plurium causarum hujusmodi praxis me docuit, ac etiam docent sur Rotæ decisiones, quas in hac materia habemus in parte infrà insinuatas pro isto arbitrio benè regulando ad tria reflecti solet, ac debet. Primò circa provisionem de persona mulieris lite pendente, an in Monasterio, vel penès honestam matronam fieri debeat, quòd juxta deducta *eod. disc. 11.* certam, & uniformem nò habet regulam, cum pariter pendeat à circumstantiis facti, præsertim verò à mulieris ætate, & a moribus regionis, aliisque considerationibus desuper habendis, ut utriusque partis indemnitati in materia adeò suspecta, & periculosa, benè consultum sit. Secundò circa accelerationes probationum, quæ offerantur per mulierem a viro divertentem, resecando quantum possibile est, causidicorum dilationes, & calumniosa artificia, ne ita 4 5

in-

iodirectè obtineatur intentum; Et tertiò reflectendo ad materias articulatas ac etiam ad qoalitatem personarum ad effectum dignoscendi, an causæ scissorarum conjugalium sint adeò graves, & periculosæ, ot cautionis fragilitati fidendum ooo sit, vel è converso sint tales quòd cautio reputari valeat sufficieos medicina, quam optimam inter populares, ac etiam civiles medii status quotidiana praxis docet, præsertim in Urbe, in qua longè mioor est virorum authoritas, & potentia cum mulieribus, quàm sit in aliis locis, adeòque ioter alias circumstantias qoæ considerandæ veniuot pro istius arbitrii regulatione an dictę cautioni fidendum sit, necne, suot mos regionis, & qualitas personarum ob maximam differentiam qoę dignoscitot inter populares, vel mediocres, ac Magnates, & oobiles, quoniam io primo genere personarum etiam ex levibus discordiis faciles suot hujusmodi diversiones, & scissuræ, sed faciles etiam reconciliationes; E cooverso autem in altera specie ob majorem stimulum hoootis, & existimationis noo nisi ea magnis causis ad hojosmodi actus deveniri solet, atque ita rectè ponderaodo decisiooes, invicem pugnare videntur io hac materia, quandoque denegando cohabitationem cum cautione, & quandoque concedendo, verè tamen non sunt diversæ, ut præsertim favore petentis cohabitationem contra conjugem denegantem habetur *decis.* 371. *post.* 2. *vol. cons.* Farin, quæ reputari solet magistralis apud Buratt. *decis.* 711. & 815, Duran, *decis.* 72, Bich. *decis.* 425. late Coccio. *dec.* 2011. & 2030. *repetit. dec.* 255. & 191. *part.* 6. *rec. dec.* 35. *part.* 11. Et è converso favore conjugis divertentia, *dec.* 706. *part.* 1. *rec.* & apud Merlin. *dec.* 446. cum Concord. quæ hioc iode io materia habentur, cum reverà ot præmissum est ista ceoseoda non sit quæstio joris, sed facti, ideòque maoifestam redoleat ineptiam, improbos labor super cumulo decisionum, & authoritatum in abstracto, cùm totum pendeat à præmissis facti circumstantiis; authoritates verò, ac præsertim decisiones Rotæ deservire debeaot pro quadam norma, seu lumine judicis, quomodo aliàs magoa Tribunalia io hoc se regulare coosueverint, faciendo tamen debitam combinationem circumstaotiarum, ooo autem procedendo in illarum sola litera, & cum regulis, & conclusionibus generalibus in abstracto, hisce coosideratis io hac facti specie, justè ad favorem viri prodiit resolutio.

S U M M A,

S I V E

C O M P E N D I U M

Eorum, quæ in foro magis practicabilia continentur in hac Parte II. Lib. XIV. de Matrimonio, Sponsalibus, & Divortio.

I.

DE pluribus sponsalium ac matrimonii speciebus, ac de aliis generalitatibus ad materiæ iotroductionem.

II.

De sponsalibus de futuro, eorumque forma, & effectibus.

III.

De requisitis necessariis ad validitatem, ac perfectiooem matrimonii, seu Sponsalium inter præsentes, eorumque interventus probatione.

IV.

De impedimentis Canonicis à jure communi, vel Conciliari provenientibus, quæ Matrimonium irritent: Et è converso de Matrimonii impedimentis ex legibus sæcularis, vel hominis prohibitione manantibus ab eodem Canonico communi, vel Conciliari jure sublatis.

V.

De Matrimonii dissolutione, vel separatione, ac de aliis ad materiam pertinentibus super effectibus, præsertim ex illo resultantibus.

S U M M A R I U M.

I.

1 *DE aliquibus quæstionibus quæ non tractantur.*
2 *De quibus tractetur.*
3 *De distinctione sponsalium, & de terminis qui adhibentur.*
4 *De distinctione Matrimonii rati, & consummati.*
5 *De alia præsumpti, & expressi, ac publici, & clandestini, & an detur præsumptum.*
6 *Omissio publicationum non irritat Matrimonium.*
7 *Quales leges civiles, vel sæculares in hac materia attendantur.*
8 *Quibus Authoribus in hac materia sit deferendum.*

II.

9 *Sponsalia de futuro prabent actionem ad cogendum ad Matrimonium, & quæ species coactionis intret.*
10 *Quando ista coactio intret, & quæ causa excuset.*
11 *Quando sponsalia dicantur valida, & obligatoria.*
12 *An obtenta Apostolica dispensatione novus requiratur consensus?*
13 *De sponsalibus inter præsentes, & de ætate ad id sufficiente.*
14 *De illis inter absentes, & de quæstionibus in isto casu cadentibus.*
15 *Parentes contrahant sponsalia pro filiis.*
16 *Quid deferat sponsalia esse valida licèt non omninò obligatoria.*
17 *De impedimento honestatis quod oritur à sponsalibus.*

III.

18 *Ad quid referat inspicere de forma Matrimonii de jure communi.*
19 *De ætate sufficiente ad Matrimonium.*
20 *Consensus debet esse liber, & sincerus sine metu, vel dolo.*
21 *De consensu simulato, vel conditionali.*
22 *De Matrimonio inter absentes per Procuratorem, vel Nuncium aut literas, attenta dispositione juris communis.*
23 *Istud Mandatum re integra est revocabile, pacto, vel juramento non obstante.*
24 *De necessitate repromissionis ubi fiat per literas.*
25 *Non debent inter contrahentes adesse impedimenta.*
26 *De probatione Matrimonii, & quomodo.*
27 *De Matrimonio præsumpto sublato per Concilium.*
28 *De forma Concilii coram Parocho, & testibus.*
29 *De publicationibus.*
30 *De delegato generali, vel particulari Parochi.*
31 *Ordinarius loci, vel ejus Vicarius Generalis, aut Capitularis eandem Parochi facultatem habet.*
32 *Non autem Archipresbyter Cathedralis.*
33 *Sufficit Parochus unius contrahentium.*
34 *Quis dicatur Parochus proprius ad hunc effectum?*
35 *An sufficiat domicilium contractum in fraudem?*
36 *Etiam inter absentes attenta forma Conciliari Matrimonium per Procuratorem, vel Nuncium, seu literas contrahitur.*
37 *Non requiritur consensus Parochi, & testium, etiamsi dissentiant, & qualis eorum intelligentia requiratur.*
38 *Quomodo consensus contrahentium explicetur.*
39 *Si consensus sit simulatus, vel coactus, sed postea superveniat*

veniat consensus liber, an nova forma requiratur?
40 *Debet Matrimonium describi in libro.*
41 *De errore nominis, vel cognominis.*

IV.

42 *De duplici specie impedimentorum.*
43 *De impedimento consanguinitatis, vel affinitatis.*
44 *De dispensatione Apostolica desuper concedi solita.*
45 *De effectibus dispensationis.*
46 *De Voto solemni Religionis, vel Castitatis.*
47 *De cognatione, vel affinitate ex coitu illicito.*
48 *De affinitate spirituali.*
49 *De impedimento publica honestatis.*
50 *De ligamine alterius Matrimonii.*
51 *De disparitate Cultus, seu Religionis.*
52 *De impedimento criminis.*
53 *De illo erroris.*
54 *De altero impotentia ad copulam.*
55 *De impedimento ex causa raptus.*
56 *Damnata sunt omnes leges seculares, quæ Matrimonio præjudicent, & quid in hoc facere possint Magistratus seculares.*
57 *De quæstionibus quæ desuper cadunt, ac etiam super conditionibus quæ adjiciuntur per testatores, aliosque disponentes.*

V.

58 *Matrimonium consummatum est indissolubile de jure divino, ideòque Papa illud non dissolvit.*
59 *Sed solùm in eo intrat separatio tori, & quando hæc intret.*
60 *Lite pendente mulier est sequestranda.*
61 *Judex Ecclesiasticus est solum competens, & quid agere possit judex laicus.*
62 *Si Matrimonium est ratum tantùm justis causis, intrat verum divortium.*
63 *Papa potest dissolvere Matrimonium ratum tantùm.*
64 *De aliquibus effectibus Matrimonii, & præsertim de obligatione mulieris sequendi virum, & an pactum contrarium valeat?*
65 *De effectu legitimationis prolis ex matrimonio putativo.*
66 *Et de alia legitimatione ob subsequens matrimonium.*
67 *Dispensatio Apostolica legitimat prolem in radice cum retrotractione, si alia extrema non dispensabilia habilia sint.*
68 *Quando legitimati per subsequens matrimonium, non habeantur pro legitimis.*

I.

De pluribus Sponsalium, & matrimonii speciebus; Ac de aliis generalitatibus ad materiæ introductionem.

1 DOgmaticis, ac Moralibus, aliisque de universa materia, pro utroque foro, ex professo agentibus, eas reservando quæstiones, quæ in externo practico foro, nullæ, vel nimiùm raræ sunt super matrimonii scilicet origine, vel introductione, an in ipsa Mundi creatione in terrestri Paradiso, inter Adam, & Evam secuta sit; Sive an ex divino, vel Ecclesiastico jure, vel divino præsupposito, an ex utroque veteri & novo Testamento, vel ex novo tantùm, unicitas, ac indissolubilitas proveniat; Et quomodo antiquum repudium, vel antiqua mulierum pluralitas in uno viro, quæ in Sacra legitur pagina, contigerint; Sive quæ inter contractum, & Sacramentum, vigeant differentiæ, qualisve sit Sacramenti, vera materia, & forma; Cum aliis plerisque, in ultimo præsertim œcumenico Tridentino Concilio, disputatis, ac decisis.

De iis tantùm, in præsenti compendiosè agitur, quæ ejusdem Tridentini Concilii decretis præsuppositis, juxta
2 praxim Curiæ Romanæ, quæ ex debito, communis est universo foro Ecclesiastico, qui solus est hujusmodi controversiarum cognitor, ac decisor, externo practico foro magis congruunt. a

Duplicem itaque in primis, inter sponsalia, genericam habemus distinctionem; illorum scilicet, quæ de futuro,
3 ac aliorum, quæ de præsenti dicuntur; Istaque posterior species, idem denotat, ac matrimonium, sub cujus vocabulo, pro loquendi practico forensi usu, hæc sponsalia de præsenti explicari solent, in illis de futuro tantùm istud sponsalium vocabulum adhibendo, ideòque idem adhibetur practicus loquendi usus, vel stylus.

Matrimonium itaque plures habet species, vel terminos pro effectuum diversitate; Aliud namque est, quod ratum tantùm dicitur, quia nempè, post illud contractum, nul- 4
la inter contrahentes carnali perfecta copula secuta sit, ea quæ præcesserit, non curata; Et alterum, quod ob enunciatam secutam copulam consummatum dicitur.

Aliud idem est, quod expressum; Aliud verò quod præsumptum dicitur; Ista verò posterior species, quæ apud 5
antiquos Canonistas, & morales est frequens, pro moderna praxi, utpotè à præfato Tridentino Concilio abolita, recessit à foro, eam nimirùm raram cognitionem habens, quàm locorum, seu regionum præseferat qualitas, quia nempè nova Conciliaris forma in usu non sit, ideòque matrimonium præsumptum adhuc detur.

Idemque super alia terminorum distinctione, inter matrimonium publicum, & clandestinum, ut verè, & propriè clandestinum illud sit, quod ob non servatam formam a præfato Concilio inductam coram Parocho, & testibus publicum, atque in faciem Ecclesiæ celebratum dici non valeat.

Alia tamen magis impropria, seu remota datur species 6
clandestinitatis, quæ tamen actum non vitiat, ut alia præcedens, ubi nempè eadem nova forma coram Parocho, & testibus impleta quidem sit, illa verò non præcesserit trina publica in Ecclesia denunciatio, seu publicatio, quam idem Concilium citra tamen actus irritationem præcipit. b Alii verò termini, matrimonii scilicet libri, vel coacti, sive puri, vel conditionalis, ac similes, magis improprii sunt, diversasque non constituunt species, sed ejus potius denotant modum pro effectibus, qui exinde resultant.

Ea quoque prænotata generali regula ut quidquid per civiles leges communes, aliasque particulares laicales statutum est, quòd matrimonii substantiam, seu validitatem, ac 7
libertatem percutiat, pro non scripto habendum sit, cùm antiquorum etiam Canonum, & Conciliorum correctio, seu abolitio accedat, Magis verò insinuati Concilii Trid. Ideòque nulla hujusmodi legum, vel ejus interpretum, in externo etiam foro sæculari, habenda est ratio in iis, quæ matrimonii substantiam, seu validitatem concernunt, ejusque connaturales, vel substantiales effectus; quorum negatio ipsam substantiam, seu validitatem, ac libertatem proximè afficeret; Non autem super iis, qui remoti sint, atque aliqua lucra, vel beneficia, ab ipsamet civili lege delata per speciem non impletæ conditionis, vel deficientia qualitatis potiùs quàm per illam pœnæ pereuntiant, ut latiùs infrà, c

Illud quoque generali prænotatione dignum censendum est, ut in iis, quæ ad hunc, de quo solùm agitur, exter- 8
num practicum forum pertinent, cùm forensium Canonistarum potiùs authoritate, ac sensu procedendum sit, quàm illorum, qui sive Canonistæ, sive Morales, vel dogmatici sint, pro interno potiùs foro, cujus Judex est Deus, qui corda scrutatur, ac mentes hominum videt, loquuntur, quàm pro eo externo, de quo Ecclesia solum ex iis judicat, quæ videt; Istaque neglecta authoritatum distinctio pleraque in hac materia producit æquivoca.

a *Adnot. ad S. C. T. disc. 26. cum seqq. in quibus agitur de materia matrimonii præter ea quæ habentur hoc eod. tit.*
b *disc. 1. & 2. hoc tit. & disc. 26. in Adn. ad S. C. T.*
c *disc. 7. & 8. hoc tit. & disc. 27. in Adn. ad S. C. T.*

II.

De sponsalibus de futuro eorumque forma, & effectibus.

SAcramenti speciem, vel mixturam ista sponsalia non habent, sed illius Sacramenti præparatoria, vel ordinatoria sunt, quod per alia sponsalia, de præsenti perficitur, ideòque in simplicis contractus terminis remanent; Illius tamen operationis, ut ubi valida, & perfecta sint, uni ex 9
contrahentibus, jus, vel actionem præbeant, alterum cum Ecclesiastici tamen Judicis privativa authoritate, cogendi ad matrimonium contrahendum, cum iis personalibus, vel realibus molestiis, & adstrictionibus, quas lex, vel stylus pro aliorum contractuum, & obligationum implemento induxerit, & servet; Quinimò etiam cum spiritualibus censurarum armis, vel remediis; Ita tamen ut moralis, non autem ut præcisa una, vel altera sit coactio; Ubi etenim quantum ut par est pro casuum circumstantiis, & qualitate, sufficientes adhibitæ sint diligentiæ, ac species coactionis eas tamen parùm proficuas experientia probet, ab ulteriori executione abstinendum est, cùm illius tamen interesse refectio-

sectione; quod alteri contrahenti ex contractus indebitè denegata observantia, vel implemento resultet.

10 Cùm indebitè verò denegationis præsupposito, hæc procedunt; Secus autem ubi justam illam habeat excusationem, vel denegationis causam ab ipsius contractus validitate, vel imperfectione resultantem, sive etiam validitate, ac perfectione posita, ab ea superventa, vel præexistenti causa, quæ justam præbeat excusationem, qualis generaliter ea est, quæ juris civilis dispositione attenta ad divortium sufficeret, sive illa juris Canonici ad tori separationem aliæque sunt, quæ hunc divortii, vel separationis tori non operantes effectum, istum tamen inducant; Vel (ex. g.) superventa deformitas, vel notabilis infirma valetudo, sive parentum, aliorumque majorum magna indignatio, vel notabilis amissionis successionum, ac bonorum, vel jurium justus timor, vel probabile periculum, aliaque similia, pro facti qualitate prudentis Judicis arbitrio pensanda. *d*

11 Ad eorum autem validitatem, ac perfectionem, ultra illa liberi ac legitimi consensus requisita, quæ in quibuscunque contractibus, ac humanis actibus desiderantur, illud quoque ex peculiari jure exigunt, ut inter contrahentes (ætatis secluso impedimento) aliud Canonicum non vigeat, quod matrimonium contrahi posse prohibeat, quoniam sicuti ipsum matrimonium invalidum esset, ita fortius invalida sunt sponsalia.

Quæstione cadente, quæ non modicam inter Canonistas, & Theologos scissuram opinionum habet, an super-
12 venta Apostolica dispensatio, quæ præexistens tollat impedimentum, ista revalidet sponsalia, quæ novum politicum consensum, vel contractum non exigant; Vel potius ille denuò sit necessarius, ut efficacem ad præmissa coactionem producant; Itaque posterior Canonistarum opinio, quæ novum desiderat consensum, vel contractum, in foro magis recepta est, quidque propterea libera sit pœnitendi licentia, seu facultas, *e* quæ tamen eam non tollit moralem sive honestatis, & congruentiæ necessitatem, quæ pro magis probabili ac recepta sententia illo etiam casu, dotalis hypothecæ retrotractionem ad sponsalium diem inducit, ut in dotali sede advertitur. *f*

Dupliciter autem hæc sponsalia contrahi solent, eodem
modo quo, & ipsum matrimonium; Inter præsentes sci-
13 licet, & absentes, In primo verò casu, aliæ non cadunt peculiares quæstiones præter illas, quæ quoscunque alios indifferentes contractus, vel humanos actus percutiunt, super consensus libertate, ac sinceritate, sufficientis ætatis inspectione cadente, ea tamen sufficiens reputatur, quæ suprà infantiam sit, licet infrà eam pubertatem, quæ pro Matrimonio necessaria reputetur, ita tamen, ut pubes ea rata habeat.

Inter absentes verò, eadem in his procedunt sponsalibus,
14 quæ ut infrà, in ipsomet habentur matrimonio, per nuncium, vel per Procuratorem, seu per epistolam; eadem quoque repromissionis quæstione cadente, quæ consectam habet opinionum scissuram, ea verò probabilior est, quæ illam exigit. *g*

Faciliùs tamen, in eo præsertim casu, in quo per Epistolam actus fiat, in hac sponsalium specie, procedunt ea, quæ in matrimonio habentur, dum illa non cadit dubitandi ratio, quæ ex moderna Concilii Tridentini forma in matrimonio oritur. *h*

Illud autem peculiare in hujusmodi sponsalibus de futuro videtur, utpotè inter pueros, supra infantiam, infrà ve-
15 rò pupillarem, pro frequentiori usu, contrahi solitos, ut parentes mandatum ad id sufficiens habere dicantur, ad sponsalia eorum vice contrahenda, sub enunciatæ tamen ratificationis conditione, legitima superventa ætate ad matrimonium apta.

Nimium autem refert, actum validè fieri posse, quamvis pœnitentiæ, vel resolutioni ea ratihabitionis defectu subjaceat, ut matrimonio subsecuto, hypotheca illius do-
16 tis quæ in ipsorum sponsalium contractu constituta sit, illius temporis initium sumat ex jam insinuata ratione, quòd ratihabitionis conditio, quamvis à libera voluntate implementum, seu purificationem expectet, non omninò, tamen voluntaria sit, quæ retrotractionem non admittat, sed potiùs mixta, illam habens admixtam necessitatem quæ à congruentiæ, ac honestatis lege manat.

Honestatis impedimentum, quod ab hac sponsalium le-
17 ge resultet, apud antiquiores ante Concilii Tridentini decreta non modicam habebat quæstionem cum consueta opinionum scissura, hodie verò per eadem decreta decisionem habuit, ut in solo primo gradu cadat. *i*

d *ibidem.* e *disc. 7. & 8. hoc tit.*
f *tit. de Dote, disc. 78. & 79.* g *disc. 8. hoc tit.*
h *disc. 16. in Supplemento hoc tit.* i *disc. 7. hoc tit.*

III.

De requisitis necessariis ad validitatem, ac perfectionem matrimonii, seu sponsalium inter præsentes, eorumque interventus probatione.

DUplicem ista rubrica inspectionem habet, super validi ac perfecti matrimonii requisitis; unam nempè, cano-
num, vel juris communis dispositione attenta; alteram verò 18
ubi cum Concilii Trid. legibus vivatur, idque inspicere refert pro iis regionibus, in quibus præfati Concilii decreta in toto, vel in parte ea Apostolicæ Sedis tolerantia in usu non existentibus; ad juris communis tramites, ista matrimonialis materia regulanda venit, Conciliari forma non curata.

Canonum itaque dispositione attenta; Certa desuper præscripta non est forma, sed ea sufficit legitima consensuum
conjunctio, quæ in quibuslibet humanis actibus, ad per- 19
fectum, ac obligatorium contractum genericè sufficiens reputetur, quia nempè consensus illam judicii perfectionem habeat, quæ ea legis præsumptione a pubertate resultat, ideòque in viro, nonnisi post annum decimumquartum, in muliere autem post duodecimum sequatur.

Ex legis tamen præsumptione id manat, quæ veritati cedit; ubi etenim ætatem suppleat malitia, ejus perfectio expectanda non est; ad inconvenientia tamen vitanda, Apostolica licentia, quæ hanc sub se conditionem habet, obtinenda est; & è converso, ingenii hebetudo, vel tarditas, in ea ætate adhuc imperfectum judicium, seu consensum causare solet; ideòque legis ratio, vel spiritus, non autem litera attendenda est, præfata ætate, ex frequentiori contingentia, statuta pro regula, præmissæ limitationi subjecta.

Libertatem quoque idem consensus habere debet, ac sin-
ceritatem, ne dolo, vel metu, seu vi, à nolente extor- 20
sus dici valeat, eodem modo, quo in altero spirituali matrimonio per solemnem regularem professionem contrahi solito, omnibusque aliis contractibus, statutum est. *k*

Id autem, certam, ac genericam non recipit regulam, cùm à facti circumstantiis pendeat, an ille accedat justus metus, qui in constantem cadat virum, sive ille dolus, qui consensum adimat, vel imperfectum reddat, ideòque erroneum est cum generalitatibus desuper procedere, illisque distinctionibus, quæ inter verum, & expressum, ac reverentialem metum habentur, cùm a singulorum casuum circumstantiis, pro locorum, temporum, ac personarum, aliarumque contingentiarum qualitate totum pendeat, utpotè in voluntaria ac facti potiùs quam juris quæstione.

Purus item iste consensus esse debet, ac verus, ideòque
simulationis, vel conditionis multæ per morales, præser- 21
tim disputantur quæstiones, hodie, ubi conciliaris forma servanda sit, externo practico foro penè incongruæ atque interno potiùs adaptatæ in sua Sede casuum opportunitate videndæ, utpotè ob varietates, ac distinctiones, compendio parùm aptæ.

Inter absentes quoque, ad aliorum contractuum instar,
ac justa eorum generales regulas, hujusmodi consensuum 22
conjunctionem fieri prohibitum non est, sive per Mandatarios, sive per nuncios, aut literas, id sequatur. *l*

Ea specialitate vigente ut re integra priusquam perfecta sequatur consensuum conjunctio, jam præstiti consensus, vel
dati mandati revocatio concedatur, illa non attenta mādati 23
irrevocabilitate, quæ in profanis indifferentibus contractibus datur, neque jurisjurandi religione hanc inducente irrevocabilitatem, seu liberam penitēdi facultatem excludente.

Ubi verò per ipsorum contrahentium literas id sequatur, enunciata cadit repromissionis quæstio, ut scilicet il-
le, qui prior per scripturam alterum contrahentium ad ma- 24
trimonium invitat, eique suum pollicetur consensum, acceptationis alterius reddatur conscius, atque in eadem perseveret voluntate, ut legitima fiat consensuum conjunctio; eaque probabilior videtur opinio, quæ repromissionis necessitatem credit. *m*

Contrahentium habilitas quoque desideranda est, ne scilicet inter eos aliquod vigeat canonicum dirimens impedi-
mentum ex iis, quæ in sequenti rubrica insinuantur, illis 25
non curatis impedimentis, quæ impedientia tantùm, non autem dirimentia sint.

Præmissorum autem implementum, expressam per testes, vel scripturas probationem admittit, etiam leviorem per do-
mesti-

mesticos, vel conjunctos testes in aliis indifferentibus acti-
26 bus ad perfectam probationem, non omninò idoneos, quod tamen certam, ac generalem non recipit regulam, cuicunque casui applicabilem, sed pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, decidendum est, ideòque de errore meritò reprehendi veniunt illi, qui cum generalibus regulis, vel traditionibus in omni casu procedant. n

Præsumptam quoque, sive adminiculativam admittit pro-
27 bationem, juxta genericas indifferentium actuum regulas ab utroque anteriori ac posteriori tempore præsumptiones, & adminicula desumendo, ideòque juxta initio insinuatas distinctiones, veri, ac præsumpti matrimonii distinctio datur; Moderna verò insinuata Tridentini Concilii lege attenta præsumpti matrimonii species abolita est, formæ tamen ab ea statutæ adminiculativa non exclusa probatione.

Ad occurrendum itaque inconvenientibus, quæ clande-
28 stina producebant matrimonia, certa & præcisa statuta est forma, sub irritanti, seu annullativo decreto, ea non servata, ut scilicet in faciem Ecclesiæ; coram contrahentium Parocho, ac duobus testibus, & non aliàs, matrimonium contrahendum sit.

Quamvis etenim, ut eidem occurratur clandestinitati,
29 alia demandetur trium publicationum diligentia in Ecclesia inter Missarum solemnia, ac etiam per S. Congregationis Inquisitionis decreta, ut alteri occurratur poligamiæ inconvenienti, aliquæ demandentur diligentiæ; Punitione tamen digni reputandi sunt Parochus, & alii, qui hæc negligant, actum verò earum omissio non vitiat, cùm sola forma, cujus omissio vitiat, in præfata Parochi, & testium præsentia consistat, eaque nullum admittat æquipollens implementum, sed præcisa est; Atque publicationibus Ordinarius ex causa dispensat. o

Parochi verò delegatus, vel Mandatarius generalis, cui
30 Vicarii nomen tribui solet, istam quoque habet potestatem; Eandemque habet particularis delegatus, cui ipse illum specificum actum peragendi facultatem, seu licentiam tribuerit Delegationis tamen specialis accedentibus requisitis, quæ à jure in qualibet delegata jurisdictione desiderantur, illo præsertim certitudinis personarum juxta Canonistarum sententiam Theologis tamen contradictum in sua Sede latiùs. p

Majorem verò hanc habet potestatem Episcopus, vel
31 alter Ordinarius Prælatus, qui Parochus major, seu Parochus Parochorum in suo dicitur Territorio, ejusque generalis Vicarius, vel ille, qui vacante, seu impedita Sede à Capitulo sit deputatus, atque uni, vel alteri Prælato scilicet, vel Vicario eadem conceditur generaliter, vel specialiter delegandi facultas, vel per se ipsum interveniendi. q

Illa verò generalis Cura, quam antiquorum Canonum
32 dispositione attenta in universa Diœcesi, Cathedralis Archipresbyter, tanquam Episcopi in spiritualibus Vicarius habebat, utporè contraria consuetudine abolita, ad id hodie insufficiens reputatur.

Non utriusque tamen contrahentis Parochus esse debet,
33 sed ille unius, sive viri, sive mulieris sufficit, dummodò talis de jure dici mereatur. r

In hoc autem, majores fori quæstiones, ista nova forma producere solet quando nempè in ea Parochia tale contractum dicatur domicilium ut contrahentium, vel unius eo-
34 rum ad hunc effectum sufficiens adsit subjectio. Occasionalis etenim mora, tutandi, vel infirmitatis, aut alterius accidentis gratia ad id non sufficit, cùm formale requiratur domicilium, Id autem certam non recipit regulam, cùm à facti pendeat circumstantiis, quæ contrahendi animum suadeant ideòque pro singulorum casuum qualitate prudens arbitrium regulandum est. ſ

Quæstione cadente, an fraudulenta novi domicilii mutatio ad id sufficiat, magisque recepta est affirmativa opinio, ubi fraus ad matrimonii libertatem teneat, quòdque illa, causam, non autem effectum percutiat, quia nem-
35 pè, ut parentibus, vel aliis verisimiliter impedituris, matrimonium celaretur, domicilii mutatio facta sit, ita tamen, ut illud contractum dici valeat. t

Quamvis autem Conciliare decretum in litera contrahentium supponat præsentiam, eamque præcipiat contra-
36 hendi formam, quam jus civile in stipulationibus adjicit ut Parocho interrogante contrahentes, iisque affirmantibus, dicat eos conjungere in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Nuptialem quoque juxta Ecclesiasticum ritum eis impartiendo benedictionem; Demonstrativè tamen, vel suppositivè, pro frequentiori usu, lex ita loquitur, cum inter absentes quoque, vel eorum alterum; per Procuratorem, vel Nuncium, seu literas, cum eadem forma, coram Parocho; & testibus, ad juris communis normam, cum hujus formæ tantùm alteratione, contrahi potest, quoties in eo actu, qui per Mandatarios, vel Nuncios, seu literas coram Parocho explicatur, contrahentium voluntas duret, ad præexistat. u

Ejusdem quoque Parochi, ac testium consensus non desideratur, sed sola intelligentia requisita est, ut coram ipsis dormientibus, vel ebriis, seu alia peragentibus, atque actum non advertentibus fiat, sed coram ipsis, ita intelligentibus, quid agatur, quamvis invitis, seu vi, vel dolo inductis, ac detentis, quinimò dissentientibus, rectè actus explicatus, ideòque ubi inter absentes per literas, vel mandatarios actus fiat, Parochi, & testium intelligentiæ verificatio aliquam parere solet dubitandi rationem. x 37

Consensus item explicatio contrahentium, vel eorum alterius, certam non habet verborum formam, neque omninò expressa desideranda est, sed etiam quæ ex signis, & argumentis manet. y 38

Ubi verò simulatus, aut aliàs, ex vi, vel dolo infectus consensus esset, ut propterea actum vitiaret; adhuc tamen hujus conciliaris formæ implementum, jam secutum, illum operatur effectum, ut superveniens liber, vel sincerus consensus, qui legitimam inducat ratihabitionem absque alia forma, vel solemnitate, ad juris communis limites actum revalidet; ideòque ad hunc effectum præsumpti matrimonii jam aboliti species, vel imago adhuc durat. 39

Actum in libro ad hunc effectum retinendo per Parochum describi idem Conciliare decretum præcipit ad sufficientem probationem ex ejusdem libri partita mansionem, id autem neque formam percutit ideòque Parochi negligentia veritati, ac validitati non præjudicat, ubi alia sufficientis probationis species accedat super formæ observantia. 40

Nominum, vel cognominum contrahentium alteratio, vel omissa qualitas dubitandi rationes parere solet ubi præsertim non coram Parocho, vel Ordinario, sed coram particulari delegato actus fiat ob delegationis vitium exinde sequi solitum, ut in sua Sede. 41

k *sub tit. de Regal. disc. 43. & seq. & hoc tit. disc. 4. & 6.*
l *sub tit. de Alien & Contract. disc. 47.* m *disc. 8. hoc tit.*
n *de probatione matrimonii habetur hoc tit. disc. 6. & in supplemento, disc. 16. & in annot. ad S. C. T. disc. 26.*
o *disc. 1. & 2.* p *disc. 6.* q *disc. 3.* r *disc. 1. & 4.*
ſ *disc. 1. & 5. in annot. ad S. C. Trid. dis. 26.* t *ibidem.*
u *disc. 8. 16. in hoc Supplemento,* x *disc. 2. 3. & 6.*
y *disc. 2.*

IV.

De impedimentis Canonicis à jure communi, vel conciliari provenientibus, quæ matrimonium irritent; Et è converso de matrimonii impedimentis ex legis secularis, vel hominis prohibitione manantibus ab eodem Canonico communi, vel Conciliari jure sublatis.

Quamvis Canones, jura statuant matrimonii impedimenta, non tamen omnia eandem habent operationem; aliqua etenim impedientia tantùm dicuntur; ut re infecta, seu integra licitè actus impediri, vel prohiberi valeant, actum tamen de facto secutum non inficiant, istorumque inspectu raram in foro praxim habet; Majores etenim ejusdem fori quæstiones jam contracti matrimonii infectionem percutiunt. z 42

Primis itaque Impedientibus tantùm cuilibet mediocriter in moralibus facultate versanti innotescentibus; atque alterius speciei dirimentium apud forenses inspectione cadente; Illud quod omnium frequentius est sanguinis, vel affinitatis intra quartum gradum, juxta juris Canonici computationem; 43
quę illà juris civilis duplicat, ut propterea quartus canonicus octavum civilem importet, modicam habeat juris quæstionem, quę tota facti est super consanguinitatis, vel affinitatis intra prohibitos gradus existentia, seu justificatione.

Apud antiquiores gradus inæqualitas aliquam præbuit dubitandi rationem, quia nempè quartus, & quintus esset, an prohibitiva, vel permissiva pars in hac inæqualitate attendenda sit, magisque receptum, ut permissiva pro libertate prævaleat.

Quęstiones verò Apostolicarum dispensationum, quæ desuper concedi solent, validitatem, seu legitimam executionem percutiunt; Id autem certam non habet regulam, cùm à singulorum casuum qualitate, & circumstantiis decisio pendeat; Strictè verò in hujusmodi dispensationibus proceditur, ut in expressis tantùm, suam faciant operationem, ne- 44

que

que earum detur extensio, quamvis rationis identitas, vel non denegandi consuetudo accedat.

45 Vitio autem cessante, ea magnos operatur effectus, ut nedum vincula, & impedimenta, pro actu faciendo futurisque effectibus tollat, sed etiam actum jam infectum ab initio, ad quod sit retrotractio revalidet, pro liberorum interim procreatorum legitimatione præsertim, dummodò extremorum habilitas accedat, ut aliud non obstaret impedimentum, nisi illud, quod per dispensationem sublatum, quodque post eam obtentam, nova, ac legitima consensuum accedat conjunctio, ut in sponsalibus de futuro insinuatur absque conciliaris formæ, vel solemnitatis necessitate, ubi ea sit legitimè jam adhibita. a

46 Solemne castitatis votum, quod per professionem in Religione validè factam, vel sacrorum ordinum susceptionem emissum sit, ditimens quoque producit Impedimentum, non autem illud castitatis, vel Religionis votum, quod privatum, non autem solemne censendum sit.

47 Cognationis autem, vel affinitatis enunciatum impedimentum, quod usque ad quartum Canonicum protrahitur gradum, in ea consanguinitatis, vel affinitatis specie procedit, quæ per legitimam contracta sit copulam, ubi verò per illegitimam, duplicem pariter Canonicum non egreditur gradum.

48 Spiritualis quoque affinitas idem præstat impedimentum inter patrinos, ac personam in Chrismate, vel Baptismate tentam, ejusque parentes, absque ulteriori progressu, Tridentino Concilio, ita antiquas dirimente quæstiones.

Publicæ honestatis etiam impedimentum ante Tridentinum Concilium aliquam præbebat opinionum scissuram
49 ab eodem Concilio sublatam, certam pariter desuper statuendo regulam, ut primum non excedat gradum. b

Alterius matrimonii, validè contracti ligamen, idem producit dirimens impedimentum, cùm virorum, vel re-
50 spectivè mulierum pluralitas interdicta sit, dummodò validum, ac legitimum sit matrimonium, quamvis ratum, cum non entis nullæ sint partes, ideòque invalidum hunc non producit effectum, quem neque sponsalia de futuro producunt, ideòque posteriora legitima sponsalia de præsenti prioribus de futuro prævalent, quibuscunque neglectis pactis, & conventionibus, jurisjurandi etiam Religione munitis. c

51 Disparitas Cultus, vel Religionis idem producit impedimentum, cujus tamen nullam, vel nimium raram forus praxim habet, ideòque in sua Sede in casus contingentia videndum; Prout etiam raram praxim illud habet impedimentum quod à crimine manat; quia nempe prioris con-
52 jugis criminosa mors pro eo matrimonio præcisè contrahendo secuta sit, cum in eo tantùm, non autem in aliis id impedimentum præstet.

Quamvis autem inter hæc impedimenta in iis, qui desuper habentur versibus, error quoque recenseatur, non tamen
53 impedimentum censendum est a lege inductum, sed naturalis defectus consensus; Itaque species non de facili compendio subjacet; cùm à singulorum casuum pendeat qualitate, & circumstantiis, atque facti potiùs, quàm juris quæstio sit, Ideòque ad pleniorem Sedem recurrendum. d

Carnalis copulæ impotentia idem dirimens, seu annullativum producit effectum ex cessante causa finali, ut propterea ille, qui potens est, aliud matrimonium contrahendi libertatem habeat, non tamen propria authoritate sibi ipsi
54 jus dicendo, quamvis alterius contrahentis, qui supponatur impotens accedat assensus, sed prævia Ecclesiastici competentis Judicis declaratione, super cujus ordine, vel forma, non modica dignoscitur inter Canonistas, & Theologos opinionum scissura, quæ inter cujuslibet facultatis professores non deest; Ea tamen pro externi fori praxi probabilior distinctio est, ut in hujusmodi quæstione, quæ facti potiùs, quàm juris, censenda est, ipsius facti in primis, ex judicio peritorum, aliisque signis, inquiratur veritas; Ubi etenim, certum est, ut naturalis sit frigiditas, vel ineptia instrumenti, seu vasis impedimentum per quod matrimonii consummatio de præterito ac habitus, vel potentia futuræ consummationis certò desint; tunc aliis non desideratis diligentiis declarationi aperitur locus; ubi verò id ambiguum sit, an à naturali, vel accidentali maleficiorum causa id proveniat, tunc spiritualia adhibenda sunt, exorcismorum, & sacramentorum, & jejuniorum ac orationum remedia; eisque adhibitis, triennale quoque desideratur experimentum; Quæstione cadente, an cohabitationis tempus, quod hujusmodi præcessit diligentias, in hoc triennii spatio computandum sit (ut Theologi credunt) vel ex Judicis decreto, post spiritualia adhibita remedia, illud initiari debeat retroacti temporis cohabitatione neglecta, ut forenses Canonistæ volunt, atque Romana Curia sequitur. Hisque completis, aliisque per obstetrices, & peritos, super non consummatione adhibitis diligentiis, receptoque ab iisdem contrahentibus, eorumque conjunctorum septima manu juramento, super præteritæ consummationis negativa, futuræque impotentia, ad hujusmodi deveniatur declarationem. e

Moderna enunciati Tridentini Concilii lex aliud dirimens introduxit impedimentum, quod ex raptu resultat; ut donec rapta penes raptorem, vel alium, qui ab eo depen-
deat, existat, ejusque pristinæ libertati omninò restituta non 55
sit, matrimonium inter eos validè contrahi non valeat, quamvis raptæ liber, ac sincerus superveniat consensus.

Quæstiones autem, facti potiùs, quàm juris desuper, cadunt super hujusmodi raptus qualitate, quando scilicet ille, verus, ac proprius, qui hujusmodi producat effectum, adesse dicatur; Idque pariter non modicam habet opinionum scissuram, quam plures tollunt, vel conciliant distinctiones ac declarationes, compendio parum aptæ, ideòque in sua Sede videndæ. f

Quemadmodum verò, moderna Conciliaris lex, nova in matrimonio, ita justis suadentibus motivis induxit impedimenta, cum enunciata nova forma præcisè servanda, & cum proximè insinuato impedimento, quod ex raptu resultat; Alia verò honestatis, ac fornicariæ, & spiritualis affinitatis moderata est, seu benignè declaravit, antiquas ita dirimendo ambiguitates; ita; è converso, antiquam ma-
trimonii libertatem, a Canonum Conciliorumque decre- 56
tis manantem, ut sæcularium legum, vel hominum tollantur impedimenta, ampliavit, seu clarius declaravit, omnesque antiquas ambiguitates ex Interpretum subtilitate, vel opinionum varietate orientes sustulit, ut omnimoda dignoscatur adesse libertas, magna inæqualitate, quinimò positiva in dignitate, vel patria, seu dominicali potestate neglectis omnibus sæcularibus legibus, vel sæcularium magistratuum prohibitionibus damnatis, ut propterea sæculari potestati ea solùm concedatur gerere, quæ ipsum liberæ voluntatis factum percuiant pro ejusdem libertatis tuitione potiùs, & auxilio.

Adhuc tamen super earundem sæcularium legum dispositione, vel Magistratuum editis, vel prohibitionibus, sive testantium, aut aliàs disponentium voluntate, vel præ-
cepto, non modicæ dignoscuntur controversiæ, cum con- 57
sueta opinionum scissura, non quidem super ipsius Matrimonii substantia, & validitate, vel directo, ac præciso impedimento cùm inter Catholicos extra quæstionem id remanet, sed super illis remotis, indirectisque impedimentis, quæ super successionibus, vel bonis, ac juribus interantur; Id autem pariter certam ac generalem, sub compendio explicabilem regulam non de facili recipit, cùm à plerisque pendeat distinctionibus ac declarationibus, in sua sede promptè videndis; An scilicet pœnam legis, vel hominis dispositio inferat, ob conditionis vel modi implementum; vel potiùs eadem conditio, aut modus, eam qualitatem inducat, cum qua juris quærendi, ac lucri fiat acquisitio; sive an ætatis, loci, temporis, ac personarum restrictio, justæ rationis habeat fomentum, atque matrimonii libertatem ita quoque benè exercibilem conservet, atque omninò non adimat, ut in sua sede latiùs. g

x de matrimonii impedimentis habetur in Adn. ad S. C. T. disc. 27. a disc. 7. & 8. in Adnot. ad S. C. T. disc. 27.
b disc. 7. & d. disc. 27. ad S. C. T. c eod. disc. 27.
d locis supracitatis, & præsertim disc. 3. & 4. e disc. 9.
f disc. 5. in Adnot. ad S. C. T. disc. 28.
g sub tit. de Testam. disc. 73.

V.

De Matrimonii dissolutione vel separatione ac de aliis ad materiam pertinentibus super effectibus, præsertim ex illo resultantibus.

DUplicem hæc rubrica inspectionem habet, super matrimonii, jam validè, ac perfectè contracti dissolutione, vel separatione; unam scilicet, super ea omnimoda solutione vinculi, per quam contrahentes omnimodam acquirant libertatem; atque in primævo constituantur statu, perinde ac si illud contractum non esset; & alteram, vinculo firmo remanente, super absolutione ab obligatione co-

ne cohabitandi, ac præstandi debita, & obsequia matri-
monialia, idque legaliter sub termino separationis tori,
vulgò autem sub illo divortii explicatur,

Ad primum effectum, initio insinuata distinctio intrat,
inter matrimonium ratum, & consummatum, ut in hoc
58 posteriori, cujus dissolutionis prohibitionem à divino jure,
manare magis receptum est, ex oraculo, ut quos Deus con-
junxit, homo non separet. Prima omnimodæ dissolutio-
nis species non cadet, quemvis justa causa & Apostolica au-
thoritas accedat, quinimò istis mutuus contrahentium
consensus adjungatur; Solùmque verificabilis est alter sepa-
rationis tori, ipsius matrimonii vinculo firmo manente;
59 Duplici tamen accedente requisito; Primò nempè justa
causa sævitiæ, vel inimicitiarum, adeòut cautionis medi-
cina insufficiens reputetur, sive carnalis, vel spiritualis
fornicationis; Et secundo Ecclesiastici superioris authori-
tas, sine qua, mutuo etiam consensu, legitima non datur
separatio. Itaque ex præmissis aliisque causis desuper consi-
derari solitis facienda, certam, ac genericam non habet
regulam, ubi præsertim, ex inimicitiarum; vel sævitiæ
aliorumve inconvenientium causa pendeat, cùm pro Judi-
cis arbitrio, ex singulorum casuum circumstantiis regulan-
do, inspiciendum sit, an insinuatæ cautionis medicinæ sit
fidendum, cùm in istius subsidium, & non aliàs, ubi mu-
tuus non accedat consensus, huic separationi locus fiet, at-
que de culpa ejus, qui causam præbeat, pro frequentiori
forensi praxi inspici solet pro bursali præsertim interesse
60 fruitionis dotis, ut in odium culposi favore innocentis ju-
dicandum sit; Lite autem desuper pendente, ita sexus hone-
statis periculo exigente, penes honestam matronam, cujus
loco pro moderna frequentiori praxi, Monasterium Mo-
nialium, vel probatum Conservatorium religiosè viven-
tium succedit, mulier sequestranda est totumque in Eccle-
siastici Judicis foro privetivè competente gerendum est ea
sæculari Judici vel Magistratui desuper attributa potestate,
quæ merè temporalia, accessoria, vel consecutiva concer-
61 nat puta alimentorum suppeditationem, ac dotis ejusque
fructuum assignationem vel securitatem, sive illam quoad
personas provisionem, quæ scandalorum & inconvenien-
tium præservativam, vel curativam redoleat medicinam. *h*

Ubi verò, ratum tantùm sit matrimonium, cum nega-
tivæ consummationis certa tutaque probatione præmissis
62 accedentibus causis, quæ ad consummati separationem a-
ptæ sint, cum Ecclesiastici pariter Judicis authoritate, il-
lud intrat formale divortium, quod sub repudii nomine in
jure civili explicatur, dissolutionis vinculi inductivum; In
causæ tamen probatione, ac urgentia seu gravitate, longè
rigorosius procedendum est, ubi præsertim mutuus non
accedat assensus, qui sine causa insufficiens reputatur; nisi
63 Apostolica accedat authoritas, quæ ex Canonistarum sen-
su, consuetum habente antiquorum Theologorum dissen-
sum, in practico tamen foro extra controversiam receptu,
matrimonium ratum dissolvere potest, cùm insinuatum
divinum oraculum alterum percutiat consummatum, per
quod duo in carne una jam effecti sint. *i*

Matrimonii validi effectus quamplures in suis respecti-
vè sedibus sparsim insinuati habentur; Puta competentiæ
fructuum dotalium, de quibus in sua dotali sede. *k* Patriæ
64 potestatis, ac obligationis mulieris sequendi virum quæ-
stione cadente ubi contraria accedat conventio, quem ali-
qui validam & obligatoriam, aliqui verò invalidam, ac
pro non scripta habendam esse credunt; alii verò distin-
guunt, ut in sua sede, *l* cum plerisque similibus effecti-
ctus, illo præsertim juris petendi, ac respectivè obligatio-
nis præstandi conjugale debitum, super quo interni potius,
quèm externi fori quæstiones cadunt, hoc externo ad
actum proximum cohabitationis obligante.

Major autem effectus qui in externo foro frequentiores
habet quæstiones, pro successionum aliorumque jurium
effectibus exinde manantibus, est ille legitimationis prolis
ad natalium illam effugiendam maculam, quæ ex copula
extra legitimum conjugium contrahitur; Id autem dupli-
cem habet speciem; unam scilicet pro legitimitate illius
prolis, quæ in constantia seu figura illius matrimonii pro-
creata sit, quod cùm validum reputaretur, invalidum ac
illegitimum postea detegatur, quodque propterea putati-
vum dicitur; Et alteram ubi extra matrimonium in statu il-
legitimo secuta sit procreatio; ex subsequenti autem matri-
monio legitimitas, vel natalium restitutio deducatur. *m*

In prima specie putativi matrimonii, tam ad istum,
quàm ad alios effectus illum præsertim pertinentiæ fru-
ctuum dotalium à bonæ vel respectivè malæ fidei qualitate 55
decisio pendet; ubi etenim bonæ fidei putativum sit matri-
monium, illud veri omnes operetur effectus, istum præ-
sertim legitimæ prolis, cujus favore, unius tantùm pa-
rentum bona fides sufficit alterius mala non curata; Quin-
imò neque positivè bona necessaria est, sed sufficit media,
quæ positivè malam excludet.

In altera verò specie illius legitimitatis, quæ ex postmo- 56
dùm superveniente matrimonio resultet, ab extremorum
habilium conjunctione pendet, an scilicet procreationis
tempore inter parentes, canonico non obstante impedimen-
to, validum, ac legitimum consistere posset matrimo-
nium intermedio alterius matrimonii impedimento non
obstante ob istius dissolutionem, illud inter priores con-
cubinos posteà sequatur?

Ista verò impedimenta hanc favorabilem retroractioné, 57
vel extremorum conjunctionem tollunt, quæ dispensabilia
non sint, ut illud est quod ab alterius legitimi matrimonii
vinculo, tunc ligante manet, Secus verò ubi altero, ab hu-
mana lege proveniens dispensabile sit, ut illud consanguini-
tatis vel affinitatis, sive criminis, aut raptus, vel simile esse
dignoscitur, quòd per Apostolicam non vitiosam tollatur
dispensationem, cujus ea est virtus, & operatio, ut cum vi
retrotractiva, prolis legitimationem in matrimonii radice
inducet, ut propterea ita pro legitima habenda sit, ac si vere
in matrimonii constantia secuta esset, nisi particularis legis
vel hominis provisio hanc legitimitatis abhorreret speciem 58
eamque veram, ac de facto neutralem exigeret, quæ in
constantia tunc præexistentis matrimonii secuta sit. *n*

De aliis verò in externi fori, de quo agitur, praxi mi-
nùs frequentibus, in sua sede videndum est.

h *de hujusmodi separatione habetur hoc tit. disc. 11. & seqq. & in supplemento disc. 17.*
i *disc. 9. & in Adnot. ad S. C. T. disc. 27.*
k *sub tit. de dote disc. 161.*
l *disc. 10. hoc tit.*
m *disc. 161. de dote.*
n *de legitimatione per subsequens matrimonium habetur sub tit. de fideicommissis, de success. ab intest. & pluries, alibi.*

Finis Partis II. Libri XIV.

JO:

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Decimiquarti Pars Tertia,

DE DECIMIS, OBLATIONIBUS, ET ELEEMOSYNIS.

HISPALEN. DECIMARUM,

PRO MONASTERIO SANCTI ISIDORI CUM CAPITULO METROPOLITANÆ.

Casus decisus per Rotam pro Capitulo.

De privilegio exemptionis à solutione decimarum, an & quando ei obstet Concilium Lateranense in *cap. nuper de decim.* Et de istius decreti Conciliaris intelligentia?

An decimæ debitæ sint potiùs Ecclesiæ prædiali, quàm sacramentali, vel è contra? Et quæ consuetudo, vel præscriptio in hoc attendi debeat?

Et an Parochus Parocho decimam solvat, sive una Ecclesia alteri?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causa.*
3 *De restitutione in integrum adversus rem judicatam.*
4 *Ubi non adsunt Parochiæ distinctæ Episcopus est Parochus.*
5 *Ecclesia Cathedralis constituitur ab Episcopo, & Capitulo.*
6 *Capitulum habet participationem in administratione decimarum.*
7 *De pluribus punctis, seu fundamentis.*
8 *De probatione immemorabilis.*
9 *Ejus vigore potest allegari quicumque titulus.*
10 *In specie decimarum idem.*
11 *An immemorabilis sit incompatibilis cum privilegio?*
12 *De exemptione nativa sive contrario principio.*
13 *De tempore Concilii Lateranensis in* cap. nuper de decim.
14 *Refertur tenor dicti decreti Conciliaris* in cap. nuper.
15 *De eodem, & quid propriè contineat.*
16 *Habens pro se regulam dicitur habere intentionem fundatam.*
17 *De axiomatibus generalibus super eodem.*
18 *Sola assistentia juris in hac materia non sufficit.*
19 *Ad quid deserviat probatio immemorabilis etiam imperfecta.*
20 *Negativa solutionis probatur ex libris.*
21 *De eodem de quo n. 12. super exemptione nativa.*
22 *Ob expulsionem Maurorum decimæ in Hispania concedebantur laicis.*
23 *De privilegiis concessis huic Religioni.*
24 *Ista sufficiunt ad titulum putativum.*
25 *De distinctione super præscriptione decimarum.*
26 *Quadragenaria juncta cum titulo putativo æquipollet immemorabili.*
27 *De conclusione quod clerici clericis decimam non solvant.*
28 *Distinguuntur plures casus in ista conclusione.*
29 *Qualis sit casus præcisus controversia.*
30 *Coloni solvunt decimam non obstante exemptione.*
31 *De eodem, & super quæstione, inter Ecclesiam matricem & filialem.*
32 *De ratione ob quam facilius Ecclesia præscribit decimas contra Ecclesiam.*
33 *Antiquitus regulares non ministrabant in divinis, & subjacebant Parocho.*
34 *Clerici jure privato, & singulari solvunt decimas.*
35 *De persona formali, seu intellectuali repræsentata per plures.*
36 *De quæstione inter Ecclesiam prædialem, & sacramentalem.*
37 *Cui potius assistat regula.*
38 *An procedat solum in dominis, vel in assictuariis?*
39 *De incompatibilitate, ut idem sit decimarum debitor, & creditor.*
40 *De concursu trium personarum ad hunc effectum.*
41 *Impugnatur id, de quo num. 38.*
42 *De eodem super intellectu aliquarum decisionum.*
43 *Declaratur incompatibilitas, de qua num. 39.*
44 *De concursu plurium personarum formalium in una materiali.*
45 *De distinctione inter corpus vel capitulum, & singulos.*
46 *Declaratur quod Monachi recipiunt sacramenta à Parocho.*
47 *Observantia est deferendum.*
48 *Unde provenit, ut cum Regularibus hodie rigorosè procedatur, & non antiquitus.*

D I S C. I.

Monasterium S. Isidori, quod antiquitus erat ordinis
Cistercienfium, in proximis temporibus expulsionis 1
Maurorum, per Medinæ Ducem fundatum in Oppido, seu
loco S. Pontii, quod supponitur constituere territorium
separatum, ac Nullius, sub ejusdem Monasterii omnimoda
quasi Episcopali jurisdictione tractu temporis ablatum
Cisterciensibus, concessum fuit Religioni S. Hieronymi,
quæ dicitur de Escurial, illudque quamplura possidet bona
sita in adjacenti diœcesi Hispalensi, pro quibus, retroactis
temporibus non consuevit solvere decimas, quando propria
manu, vel sumptu ea colat.

Pro earum igitur solutione, usque ab anno 1632. Capitulum
Ecclesiæ Metropolitanæ litem in partibus excitavit,
introductaque postmodum causa in Rota coram Cerro *sub
die 16. Junii 1659.* prodiit ad Capituli favorem resolutio,
ad cujus normam expedita sententia, & commissa causa appellationis
coram Taja; Cùm ex parte Capituli prætenderetur
res judicata ob appellationem infra legitima tempora
non interpositam; Hinc proinde datum fuit consuetum dubium,
an constet de re judicata? quod affirmativè ad favorem
pariter Capituli resolutum fuit *sub diebus* 26. *Apr.*1660.
13. *Jun.* 1661. 16. *Febr.* 1663. & 23. *Maii* 1668. deindeque
assumpta fuit disputatio super concessione remissoriæ incertumque
est quid ulteriùs in causa secutum sit, cùm amplius
ad scribendum in ea, huc usque requisitus non fuerim.

In tot autem disputationibus habitis in secunda instantia
coram Taja (in qua solùm ego scripsi) duæ erant partes; 2
una scilicet ordinis, super puncto appellationis interpositæ
infra legitima tempora, ad effectum videndi an adesset,
necne sententiæ transitus in rem judicatam; Et altera in
meritis negotii principalis super ejusdem sententiæ injustitia, 3
de qua in istorum dubiorum disputationibus principaliter
agi solet, quoniam posita etiam re judicata ratione ordinis,
adhuc nullus est ejus effectus, ubi accedat injustitia,
cujus ratione intrat restitutio in integrum, ut habetur in
sua materia *sub tit. de judic.* ac etiam alibi pluribus incidenter
insinuatur; Atque de prima parte concernente appellationem,
seu ordinem judicii agitur in hac eadem causa sub
dicta propria sede *de judic.*

Quatenus verò pertinet ad secundam partem meritorum 4
negotii principalis; Non controvertebatur quòd fundata
esset actio, seu intentio Capituli actoris, super jure decimandi,
eo quia juxta ferè generalem Hispaniæ consuetudinem

in ista

in ista diœcesi non adsint Parochiæ distinctæ, nullusque Parochus proprius in titulum, unde propterea tota diœcesis, seu Ecclesia Cathedralis dicitur unica Parochia, cujus Rector, seu Parochus universalis est Episcopus qui in singulis locis, vel Ecclesiis curam exercet, & sacramenta administrat per clericos ab eo ad nutum amovibiles deputari solitos, ut in specie hujus diœcesis plené habetur in decisionibus editis *in Hispalen. juris amovendi Curatos cor. Peuting.* de quibus decisionibus, istaque materia facultatis amovendi ad nutum deputatos ad curam animarum, habetur actum *sub tit. de benef. disc.* 80. & pluries *sub tit. de Paroch.*

Cumque (ut pluries advertitur, *sub tit. de jurisd.* & sub altero *de præemin.* ac etiam *sub altero de Canon. & Capitul.*) 5 Ecclesia Cathedralis, seu ejus corpus politicum, vel intellectuale, efformari dicatur ab Episcopo tanquam capite, & à capitulo aliquorum corpus constituente; hinc proinde, ob hanc promiscuam Ecclesiæ administrationem, seu habitualem curam, promiscuum est Episcopi, & Capituli jus decimandi, administratio autem esse solet penes Capitulum, à quo Episcopus ejus obtinet portionem; Et consequenter Capitulum dicitur habere illam juris assistentiam, quam generaliter in decimis habet Parochus, ut in specie hujus diœcesis habetur *dec.* 22. & 180. *part.* 7. *rec. dec.* 101. *part.* 6 10. & in aliis pluries; Ideoque punctus erat in exceptionibus, ex quibus Monasterium prætendebat ad hujusmodi decimarum solutionem non teneri pro bonis ab eo possessis extra limites, vel territorium Sancti Ponui, intra hujus diœcesis fines, cùm in illis, quæ intra dicti loci limites existunt, nulla caderet controversia.

Quatuor igitur erant Monasterii fundamenta distincta, quorum singula sufficientia erant ad exemptionem, quamvis omnia insufficientia reputata fuerint; Quod tamen mi- 7 hi scribenti pro Monasterio (reflectendo etiam ad solam veritatem) nimis durum, vel rigorosum visum est, quoniam ubi etiam ex singulariter, ac distinctè considerata aliquam pati possent difficultatem, attamen videbatur, motiva simul connectenda, quodque omnia unitim ponderata cum regula *ut singula quæ non prosunt &c.* viderentur hanc exceptionem bené concludere, ideòque intellectus non acquiescebat resolutionibus.

Primò etenim deducebatur fundamentum præscriptionis immemorabilis; Secundò alterum privilegiorum Apostolicorum Ordinis Cisterciensium, quorum loco cum omnibus privilegiis, ac prærogativis isti Religiosi subrogati fuerant; Tertiò quod cùm istud Monasterium haberet curam animarum, idcircò intraret dispositio text. *in c.* 2. *de decim.* ubi disponitur quod sicuti Levitæ Levitis decimas non præstabant ita hodie clerici clericis eas non solvant; Et quartò, quod cùm Ecclesia ipsius monasterii esset sacramentalis domini bonorum, Ecclesia verò Hispalensis esset prædialis tantùm; hinc proinde intrarent termini textus *in c. cum non sint homines, &c. Ad Apostolica, de decim* in quibus habetur, quod cùm non reperiatur in jure statutum, an potiùs uni quàm alteri Ecclesiæ decimæ debeantur, idcircò consuetudini deferendum sit, & consequenter ubi non adesset immemorabilis bene probata sufficeret consuetudo, seu præscriptio ordinaria, de cujus concludendi probatione non dubitabatur; Quare singula hæc fundamenta examinando.

Quatenus pertinet ad primum immemorabilis, de illo actum non fuit in bis disputationibus habitis in secunda instantia *cor. Taja*, sed solùm in prima disputatione *cor.* 8 *Cerro*, in qua ego non scripsi, solumque incidenter, ut infra pro aliorum motivorum comprobatione ego deducebam illud fundamentum probationum super immemorabili factarum; Iste verò punctus nullam habere videbatur quæstionem juris, dum ea videbatur nodi facti super sufficienti scilicet justificatione requisitorum, quæ in hac probatione desiderantur, recensita per celebrem, *glos. in cap.* 1. *de præscript.* & de quibus, ac de materia hujus probationis particulariter agitur in propria sede *sub tit. de judic.*

Ideò enim probatio insufficiens reputata fuit, eò quia, licèt testes omnes supra ætatem ad id necessariam ad minus annorum 54. ante motam litem, bené deponerent de eorum visu per annos quadraginta, non tamen bené concluderent in quadam rigorosa verborum formalitate, requisitum auditus à majoribus, sive alterum famæ, ideòque totum consistebat in facto super ipsorum testium dicto.

Ubi etenim sufficiens immemorabilis probatio cum suis requisitis adesset, tunc non dubitabatur de ejus relevantia in puncto juris, quæ in tot decisionibus, quas in copioso numero super hac materia habemus, præsupponitur absolu- 9 tè; Et meritò ob istius præscriptionis virtutem, seu operationem, quod ejus vigore allegari potest quicunque titulus de mundo melior, absque justificationis necessitate, ex iis, quæ generaliter habentur collecta apud Sperell. *dec.* 37. Buratt. & add. *dec.* 435. Apont. *dec.* 2. & *sub tit. de alienat. & contract. prohibit. disc.* 3. & sub altero *de jurepatr. disc.* 58. ac in dicta peculiari sede *sub tit. de judic.*

Et in bis specialibus terminis exemptionis à solutione 10 decimarum, *dec.* 101. *part.* 10. *rec.* apud Cels. *dec.* 110 *n.* 3. & *seqq.* apud Bich. *dec.* 386. *nu.* 17. & *seq.* Ubi de differentia circa istud privilegium præsumptum, & aliud expressum circa modum probationis, & in aliis sæpissimè, & sic rectè allegari potest Apostolicum privilegium cum expressa, ac speciali derogatione Concilii generalis Lateranen. *in cap. nuper de decim.*

Et quamvis Scribentes pro Capitulo, objicerent de incompatibilitate hujus fundamenti cum altero privilegiorú Apostolicorum concessorum Cisterciensibus, quodque pro- 11 pterea inepta esset eorú cumulatio, ex eo quòd inter immemorabilis requisita, illud est præcipuum, ut non detur ejus initium, quod ita per privilegium dari dicitur; Et consequenter quod privilegium sit immemorabilis destructivum, sive ejus probationis impeditivum; Nihilominus erat parum probabilis oppositio, quoniam juxta distinctionem de qua, post antiquiores ab eis relatos, bené Lanár *con.* 94. & Rot. *dec.* 218. *part.* 6. *rec.* 29. *part.* 7. cum aliis de quibus *sub tit. de Regal. disc.* 47. & *tit. disc.* 3. *de alien. & contract. prohib.* Incompatibilitas adesse dicitur quando possessor ita imprudenter producit privilegium, ut ad illum titulum suam possessionem, vel exemptionem restringat, secus autem ubi cumulativè, & cum debitis deducatur, quoniam non implicat, ut habens fundatam intentionem in immemorabili, ad istius majorem confirmationem, ac observantiam, compatibiliter privilegium quoque obtinuerit, ex ibi deductis.

Potissimè verò, & clariùs, in hac facti specie, quoniam Cisterciensium privilegia jam præsupposita, seu enunciata in dicto Concilio Lateranensi registrata *in cap. nuper*, jam vigebant de tempore fundationis hujus monasterii, ac expulsionis Maurorum quæ secuta, tunquam per speciem Ecclesiæ primitivæ, & quasi ex integro, in hac regione restitutum, seu reassumptum fuit jus decimandi, quod ob tyranni- 12 dem infidelium abierat in oblivionem; Ideòq; existentia privilegii in ipso initio causaret quamdam exemptionem nativam, atque per speciem oppositionis principio, ut jus decimandi, quod tunc nascebatur, respectu istorum bonorum, oriretur, ita se opponendo principio acquisitionis, Atque ita esclusum remaneat principium servitutis, quod dicitur immemorabilis exclusivum; Verùm non fuit opus hanc inspectionem assumere, dum ob hujusmodi probationis rigorosam formam non servatam, cessabat ex facto occasio disputandi in puncto juris de hujusmodi compatibili concursu.

Quod verò ad secundum fundamentum privilegiorum, non controvertebatur eorum existentia, Punctus autem quæstionis erat, an illis obstaret derogatio contenta in dicto decreto Concilii Lateranensis *sub Innocentio III. regi-* 13 *strato in c. nuper. de decim.* quod prætendebat, dum Concilium prædictum celebratum fuit circà initium sæculi duodecimi, & sic circa annum 1215 Monasterium autem fundatum fuerit initio sæculi decimitertii, de anno scilicet 1301. Et consequenter dicebant Scribentes pro Capitulo (quibus Rota adhæsit) quod de plano intrabat dicta derogatio, dum agebatur de bonis postea de novo acquisitis, de quibus idem decretum literaliter loquitur.

In hoc autem advertebam, quòd decretum prædictum duas continet partes, ut ejus litera claré probat, absque alicujus glossæ, vel interpretationis necessitate; In prima ete- 14 nim refertur quoddam decretum, quod ad Pontificis, vel ipsius Concilii commonitionem fecerat Capitulum generale Ordinis ut in futurum Monasteria jam fundata, ad collendas Parochorum querelas abstinerent à novis bonorum decimabilium acquisitionibus, nisi fortè pro Monasteriis noviter fundandis, & quatenus acquisitiones fierent præsertim per viam obventionum, bona aliis excolenda committantur, per quos decimæ solvi debeant; In secunda verò parte, sequitur decretum ipsius Concilii generalis ex §. *Hoc occasione &c.* per quod decernitur per verba precisa, *ut de alienis terris, & à modo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus, aut sumptibus excolant, decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur &c.*

Ex his igitur patet, quod revocatio privilegiorum, quæ 15 concessa erant Cisterciensibus, ac generaliter competebant aliis Regularibus juxta tex. *in c. ex parte tua, de decim.* restricta est ad bona, in quibus copulativè duplex concurrunt

qua-

qualitas; Una scilicet, ut ea per Religiosos quæsita sint de novo post Concilium; Et altera quod priùs pro eis decimæ solvi consuevissent, unde propterea privilegia exemptivu causarent præjudicium positivum amissionis juris quæsiti, ac privationis illarum decimarum, quæ jam percipiebantur, ut ejusdem decreti clara litera probat, cum qua pertranseunt Jo. Andr. Hostien Butr. & cæteri Canonistæ (cum DD. loqui non possint contra textum clarum) & ex eorum sensu, ita ex modernis, dictorum requisitorum copulativum concursum desiderantibus, benè firmant Fagnan. *in cod. cap. nuper*, *n.*14. 18. *&* 19. Ac propterea indebitè dicebant Scribentes in contrarium, quod his esset sensus istius moderni, cùm sit sensus communis antiquiorum fundatus in clara litera textus.

Difficultas igitur residere videbatur, super onere proba-
16 tionis, & cui nam illud incumberet, circa secundum requisitum, quod bona essent aliàs decimabilia, an scilicet Capitulo actori incumberet onus probandi affirmativam, vel potiùs Monasterio reo probandi negativam; Atque in hoc generalitates utrique parti assistere videbantur; Siquidem respectu Capitoli, cum illud haberet, ut supra fundatam intentionem in assistentia juris, idcircò intrabat frequens, & recepta propositio in omni ferè materia enunciata, de qua apud Mantic. *dec.*241. *n.*4. & Barbos. *axiom.* 198. quod scilicet habens pro se regulam, & assistentiam juris, habere dicitur intentionem fundatam, donec ille, qui se fundat in limitatione, eam probet, cùm hæc in dubio non præsumatur; Itaque sit præsumptionis virtus, ac operatio, ut transfundat onus probationis in aliam partem.

E converso autem, dicebam ego scribens pro Monasterio
17 quod hæc eadem generalitas huic potiùs assisteret, quoniam dum ejus intentio fundata erat in supra anunciatis privilegiis regulam generalem exemptivam statuentibus, hinc proinde dum Capitulum author adducebat hanc replicationem deductam ex dicta revocatione privilegiorum, quæ non est pura, & simplex, sed qualificata, ea probanda est qualitas, quæ est fundamentum intentionis, ex duplici axiomate. Primò nempè quod ubi reus benè fundat suam exceptionem, tunc actor, qui modificative replicationem eam elidere intendit, talem replicationem cum sua causa, vel qualitate concludenter justificare debet tanquam fundamentum intentionis, Gregor. & add. *dec.* 228 & communiter, cùm ista sint axiomata plana. Et secundò quia ubi agitur de aliqua limitatione qualificata, probanda est ea qualitas, sub qua limitatio inducta est ex plenè relatis per Foman. *de pactis clauf.* 5. *gloſ.* 1. *part.* 2. *n.* 19. Rot. *decif.* 357. *p* 10. *rec. num.*23. *& seq.* ac passim.

Verùm, ubi etiam huic parti talis necessitas incumberet,
18 cujus tamen contrarium probabilius videbatur ex altero axiomate, quod reo ac possessori sufficit vincere per non jus actoris, dum sola assistentia juris admittitur pro fundamento intentionis in jurisdictionalibus tantùm, non autem in aliis, nisi saltim adminiculorum fomentum accedat, ne ultra generalia, in his specialibus terminis decimarum plures decisiones & authoritates colligunt Add. ad Buratt. *decif.* 219 & apud Royas, *dec.* 412. *n.*3.

Adhus tamen, vel probationes, vel vehementia argumenta hujus negativæ accedere videbantur ex pluribus,
19 quæ simul juncta pro meo judicio ad evidentiam hanc veritatem convincebant. Primò nempe, ob supra enunciatam probationem immemorabilis, quam spectata substantia veritatis, testes concludebant, adeòut ex jam insinuatis in primo puncto, ejus non admissa cannonizatio, provenisse potiùs videatur ex quodam leguleico rigore, quamdam judaismi speciem redolente ob defectum cujusdam formalitatis verborum circa auditum à majoribus, provenientem potius ab imperitia Judicum, vel Notariorum de partibus, non bene callentium Rotæ, ac Romanæ Curiæ formalitates in hac probationis specie desideratas; unde propterea dicebam quod quando hæc probatio non esset sufficiens ad concludendam illam perfectam immemorabilem, quæ absque aliu inspectione sufficeret, ut ejus vigore quiscumque titulus de mundo melior allegari posset; Attamen sufficiens reputari deberet ad istam probationem, quæ ex axiomatibus, vel regulis supra deductis, saltem dubium est, huic parti incumberet.

Secundò in idem, quod cùm Capitulum esset de magis insignibus, ac primi ordinis Capituli Hispaniarum, ob am-
20 plitudinem, ac divitias Civitatis, & diœcesis pariter ea primaria, unde propterea hujusmodi decimarum exactio magnam continet machinam, atque retinentur libri benè ordinati, cum archivio, & officialibus ad id specialiter deputatis; Utique ex ipsorum librorum inspectione, de facili dari posset contraria probatio, vel saltim aliquis fumus, absque necessitate adhibendi quasdam nimium exactas, ac affectatas diligentias faciendi probationes per testes nulla fide dignos ob exceptiones in personas & in dicto, vel quia percutiebant exactionem à conductoribus, seu arrendatariis; Ideòque adaptari dicebam conclusionem, quam habemus in materia possessionis exemptionis à solutione gabellarum, ut ex earundem gabellarum libris negativa probetur, juxta communem traditionem Bart. & aliorum *in l.* 7 *itia textores*, *ff. de legat.* 1. cum Concordantibus relatis per Capyc. Latr. *conf* 66. *n* 39. & latiùs *conf.* 68. *n.*10.

Tertiò quia ista fundatio secuta fuit de tempore recenti 21
post Maurorum expulsionem, intra annos scilicet triginta circiter, quando nimiùm probabile est, quod tanquam per speciem Ecclesiæ primitivæ, hodiernus status decimatorius, adhuc introductus, seu practicatus non esset, sùm lectura chronicarum Hispaniæ doceat; quòd ea primæva tempora id non de facili permittebant.

Quartò fortiter quoniam in ducem fundatorem, ex chro- 22
nicarum testimonio hæc bona pro hujusmodi fundatione concessa, obvenerant à manu Regia, nempè à Regina Maria, ideòque nimium probabile est, ut decimabilia non essent; quoniam ut patet ex magna copia decisionum Rotalium, quas in hac materia decimarum habemus inter volumina; Ac etiam, ex deductis *in Cæsaraugustana Cathedralitatis sub tit. de præemin. disc.* 3. *cum pluribus seqq.* Summi Pontifices, præsertim Gregorius VII. & Urbanus II. ex pio, prudentique motivo, ut ita Reges, ac Duces, & milites Christianos adjacentium Provinciarum, invitarent, impellerent ad Maurorum expulsionem, non solum exemptionem passivam, sed etiam jus activum decimarum, quinimò, quòd magis ipsasmet Ecclesias, earumque bona, exceptis Cathedralibus, concesserunt.

Et quintò demum, quoniam Agentes pro Monasterio
non solum se offerebant promptos ad solutionem decima- 23
rum ex illis bonis, quæ saltim cum fumo doceretur fuisse aliàs decimabilia, sed offerebant dimittere ipsamet bona in proprietatem ad Capituli omnimodam utilitatem.

Præterea advertebam negari non posse, quin juxta præmissa, probabiliter dubium esset, an non obstante dicto Con- 24
ciliari decreto *in cap. nuper* suffragarentur privilegia Cisterciensia, vel etiam propria, & particularia hujus Religionis S. Hieronymi, quæ cum derogatione dicti Concilii concessa fuerunt insigni Regio Monasterio nuncupato *de Escurial*, quæ huic, & aliis Monasteriis per Sedem Apostolicam communicata fuerunt; Unde propterea resultaret titulus bonæ fidei putativus qui junctus cum quadragenaria, de cujus concludente, ac perfecta probatione dubitari non potestat, in hac materia sufficit, quamvis ageretur de laicis, multò magis ubi de clericis, in quibus concurrerent circumstantiæ, de quibus infrà in tertio, & quarto fundamentis.

Quamvis enim in hac materia exemptionis a solutione
decimarum, quæ à consuetudine, vel præscriptione resul- 25
tat, recepta sit distinctio quod, Aut non agitur de omnimoda præscriptione ipsius substantiæ, vel juris decimandi in universum, sed de præscriptione quotæ, sive certarum specierum fructuum, vel modi solvendi, & tunc sufficiat ordinaria triceunaria, vel quadragenaria præscriptio; Quinimò juxta unam opinionem etiam ordinaria decennalis; At verò agitur omnimoda præscriptione in genere, & tunc requiratur immemorabilis, vel saltim centenaria, quæ vitiosum principium, vel titulum non habeat, ex deductis per Rot. *decif.* 13. *part.*6. *recent.* apud Royas, *decif.* 391. & alibi *hoc eod. tit.* Attamen huic æquipollet etiam pacifica quadragenaria munita titulo bonæ fidei putativo; ex iis quæ pluries habentur in omni ferè materia, super ista certa, & frequenti conclusione.

Quo verò ad tertium punctum, seu fundamentum supe- 26
rius insinuatum, deductum ex text *in cap. novum genus il secundo, de decim.* ut scilicet, quemadmodum in veteri Testamento Levitæ Levitis decimas non præstabant, ita in novo Testamento clerici clericis; sive Ecclesiæ Ecclesiis eas præstare non debeant; Quamvis textus sit literalis, attamen super ejus intellectu magna dignoscitur pugna inter Canonistas, & Theologos, quinimò inter cujuslibet ordinis, vel scientiæ Professores, ut patet ex plenè collectis per Barbos. 27
vot. 48 *& in collect. ad eundem text in cap* 2, & Castropal. *tom.* 2. *oper. moral. tract.* 10. *de decim. disp unic. punct* 11. cum aliis de quibus infrà, ac etiam de tempore hujusmodi disputationum, me quoque scribente, disputatum fuerat *in Palentina decimarum*, de qua agitur infrà, *disc. seqq.*

Pro conciliatione autem, atque pro tollendis æquivocis,
28 in quæ incurri solet ex consueto abusu Collectorum, qui indigestè authoritates in magno numero consarcinare student; ad earum diversitatem non reflectendo; Advertebam ad id, quòd ex pluries insinuatis, hodie penè in omnibus forensibus quæstionibus pro earum congrua decisione præcisè necessarium videtur, ut scilicet procedendum sit cum casuum seu quæstionum distinctione, ex qua, congrua resultat doctrinarum applicatio, earundemque conciliatio.

Prima igitur quæstio est ubi agatur de bonis existentibus intra fines Ecclesiæ parochialis, cui decimæ debentur, quæ tamen assignata sint pro dote beneficiorum, vel capellaniarum, in ipsamet Ecclesia parochiali erectarum, sive pro sustentatione clericorum eidem Ecclesiæ inservientium, & de ista quæstione agitur particulariter *in dict. Palentina, disc. seqq.* ideòque authoritates de ista quæstione agentes, extraneæ remanent à casu præsentis controversiæ.

Altera quæstio est; ubi bona sita sint in aliena parochia sed assignata pro dote alterius Ecclesiæ, quæ non sit parochialis, vel sit intra limites alterius parochiæ, & de ista agunt Guttier. *lib. 2. pract. cap. 21. num. 54.* & alii relati per Barbos. *d. vot. 41. n. 8. & de paroch. p. 3. cap. 28. §. 3. num. 9.* istaque quæstio cadit potiùs sub infrascripto quarto fundamento, deducto ex text. *in cap. cum sint, & cap. ad Apostolica*, super quæstione inter Ecclesiam prædialem, & Ecclesiam sacramentalem, sed pariter istæ authoritates extraneæ sunt à casu.

Tertia est quæstio, de qua pariter agitur *in d. Palentina, disc. seqq.* circa bona patrimonialia, vel ex aliis titulis possessa per ipsummet parochum, vel per clericos ipsi Ecclesiæ parochiali inservientes & pariter id extraneum est à casu; Et consequenter omnes authoritates, quæ percutiunt dictas tres quæstiones ponendæ sunt ad partes.

Præcisa igitur, ac propria quæstio in præsenti controver-
29 sia cadebat in bonis merè Ecclesiasticis, quæ una Ecclesia parochialis habens etiam jus decimandi, possidebat intra limites alterius parochiæ; adeòut verificetur casus præcisus, ut unus parochus, alteri parocho decimas solvere debeat, concurrente in utroque eodem jure activo decimandi.

Non de facili autem DD. ad hanc præcisam speciem descendunt, cùm plures ex eis promiscuè agant de Ecclesiis de novo constructis, intra limites parochiæ, quæ tamen non sint parochiales, neque coæquales jus decimandi habeant, Ut plurimum exemplificantes in Ecclesiis quas construunt Regulares, & sic juxta secundam quæstionem supradistinctam ut patet ex Abb. *in d. cap. novum genus, n. 6.* Rebuff. *de decim. qu. 5. n. 19. & 20.* Guttier. *d. cap. 21. n. 54. cum tribus seqq.* procedendo cum materia, seu quæstione text. *in cap. 1. de censib.* unde propterea sensus Canonistarum favore Ecclesiæ parochialis contra alias Ecclesias, non videtur ita indefinitè attendendus tanquam æquivocus, utpotè referibilis ad Ecclesias non parochiales.

Et quamvis Zabarel. *cons.* 88. agat de bonis Ecclesiæ matricis Patriarchæ Aquilejensis, quæ est parochialis sita intra limites alterius parochiæ subditæ seu filialis, attamen neque percutit casum præcisum; Tum quia loquitur incidenter, & non disputat quæstionem, dum illa non erat inter unum parochum, & alterum, sed cum colonis, vel arrendatariis, qui solvere debent decimam etiam fructuum, quos colligunt ex bonis aliàs exemptis, & non decimabilibus tanquam ex bonis suis, non autem ex illis locatoris, ut advertitur infrà in sequenti quarto puncto, & habetur etiam *sub tit. de Regal. disc.* 53. super obligatione colonorum laicorum solvendi gabellas, aliaque onera laicalia pro fructibus, quos colligunt in bonis Ecclesiasticis per eos conductis.

Tum etiam quia, ut advertitur infrà *in Novarien. disc.*
30 32. ubi quæstio est inter matricem, & filialem, aliqua peculiaris ratio dignoscitur, quoniam stant benè simul, ut Ecclesia filialis sit vera parochia, atque in universum habeat jus parochiale, & tamen matrix jus decimandi, in toto, vel in parte retineat.

Magis proximè casum præcisum percutere videtur Abbas (qui hujus decimatoriæ materiæ magister dici meretur) *in*
31 *cap. nuper n. 7.* dum ponit casum de alia Ecclesia existente intra limites antiquæ parochiæ, quæ ob multitudinem populi sit etiam parochialis, vel curam exerceat, juxta ea, quæ habentur in sua materia *sub tit. de Paroch.* præsertim *disc. 33. cum seqq.* ubi de distinctione inter Ecclesias socias, vel coæquales in cura animarum, ac inter matrices, & filiales, sive inter matrices, & subditas, vel adjutrices, dum Abbas istas novas Ecclesias vocat capellas ad differentiam matricis, quam vocat plebem. Atque per argumentum à contrario, & subobscurè loqui videtur, se referendo ad largiùs dicenda *in cap. cum contingat eod. tit.* ubi potiùs pro hac parte decidere videtur, dum *n. 3. & 4.* optimè, ac magistraliter distinguit inter laicos, & Ecclesiasticos, vel Ecclesias; Ubi enim agitur de præscriptione decimarum cum laicis, qui jus activum decimandi prætendant, tunc nimiùm rigorosè proceditur ob vehementem juris resistentiam, eorumque incapacitatem obtinendi jura spiritualia ex deductis infrà *in Taurinen. disc. 6.* Secus autem ubi cum clericis, & personis Ecclesiasticis, non proprio, ac privato, sed Ecclesiæ nomine hanc præscriptionem deducentibus, ex nimiùm congrua ratione per eum assignata, quòd de jure Divino decimæ debentur Deo, & Ecclesiæ in universum; Distributio autem magis uni, quàm alteri Ecclesiæ, oritur ex jure positivo Ecclesiastico, & consequenter non viget illa positiva resistentia, quæ intrat cum laicis, quoniam juris Divini præcipienti decimarum solutionem non adversatur, an potiùs una, quàm altera Ecclesia decimas percipiat, ut habetur infrà in sequenti quæstione, inter Ecclesiam prædialem, & sacramentalem.

Ex his autem constare dicebam, quod iste casus præcisus 32
non habetur expressè decisus in jure & consequenter, ut intrarent eadem, quæ habentur infrà in sequenti puncto quæstionis inter Ecclesiam prædialem, & sacramentalem; ut præscriptioni, vel consuetudini, quamvis simplici, ac decennali deferendum sit; Multò verò magis dum ut supra accedit vera immemorabilis, vel ad minus, & absque dubio quadragenaria.

Et clariùs quoniam, tam ista, quàm altera quæstio, de qua infrà in puncto sequenti, percutit casum, in quo utraque Ecclesia contendat de jure activo, exigendi scilicet decimas à laicis, ac possessoribus bonorum; Secus autem, ubi ut in præsenti, una Ecclesia contendat solùm de libertate, seu exemptione à jure passivo; dum etiam laicis faciliùs ista ex præscriptionis, vel consuetudinis beneficio conceditur, atque longè minor juris resistentia dignoscitur.

Scribentes pro Capitulo, nimis ab alto assumentes mate- 33
riam hujus textus *in cap. 2.* cum magno labore, copiosisque allegationibus, probare conabantur ea, quæ collecta habentur per Tambur. *initio tract. de jure Abb.* ac per alios modernos Collectores frequenter, quod scilicet Regulares, seu Monachi, juxta eorum primævum institutum, non erant clerici, quinimò clericari, ac in divinis ministrare prohibiti erant, deindeque modernioribus temporibus fuerunt ad id paulatim dispensati, adeòut sit modernus in Ecclesia usus, qui præsertim invaluit post introductionem Mendicantium, qui vitam activam magis profiteri cœperunt, (dum antiqui Monachi, & Anachoretæ, contemplativæ potiùs dediti erant,) ut Regulares sacramentorum, ac divinorum administrationi incumbant, unde ita consequentiam trahebant, quod cum textus loquatur de clericis, non congrueret istis Religiosis tanquam Monachis.

Verùm istud fundamentum, quòd cum magno apparatu 34
deducebatur, omninò verè contemptibile erat, utpote continens æquivocum manifestum, quoniam dispositio, vel ratio dicti textus *cap. 2.* non consistit in clericatu personali, dum etiam clerici quantumvis in sacris atque in majoribus dignitatibus constituti, pro iis bonis, quæ tanquam patrimonialia, vel aliàs quæsita, quinimò etiam occasione simplicium beneficiorum, vel capellaniarum possident, jure sæculariū habentur, atque tenentur ad decimas, cum textus prædictus, juxta veriorem, ac germanum ejus sensum, loquatur de illis clericis, qui ratione Ecclesiæ parochialis ejusque ministerii, vel cultus, hanc exemptionem allegent, ex deductis *in dicta Palentina, disc. seqq.* ubi in specie de hac materia; Et consequenter nil refert an isti Religiosi Ecclesiæ parochiali inservientes, atque curam exercentes; & sacramenta administrantes, in stricta juris censura venirent, necne sub 35
nomine clericorum, quoniam punctus exemptionis non est in earum personis, vel bonis jure privato, ac singulari, sed est in ipsa parochia, ejusque parocho, cujus persona intellectualis rectè côstitui, vel repræsentari dicitur per plures personas materiales universitatem, seu corpus politicum constituentes, ut sunt Capitula, & collegia, vel Monasteria, quibus aliqua parochialis Ecclesia annexa sit, quoniam ipsum corpus universale, seu politicum dicitur parochus, qui habitualiter habet curam animarum, ac repræsentat Ecclesiæ sponsum, singuli verò non sunt parochi, neque animarum curam habent, quoniā aliud est corpus, aliud sunt singula membra ex deductis in sua materia *sub tit. de benef.* & sub altero *de Paroch.* occasione agendi de ætate, vel sacris ordinibus requisitis in beneficiis curatis, ut non requiratur in

Canonicatibus, vel beneficiis Ecclesiæ Collegiatæ, cui curas animarum annexa sit, minusque oporteat facere specialem curæ animarum mentionem, quæ in casibus necessaria est cum similibus, ibi deductis, præsertim *in Melphitan. cantoria dicto tit. de benef. disc.* 55. & in adnotationibus ad S. C. T. in materia concursus.

Demùm quoad quartum, & ultimum punctum, seu fundamentum deductum ex dispositione tex. *in cap. cum sint, & cap. Apostolicæ*, super quæstione inter Ecclesiam prædialem, et alteram sacramentalem, literaliter in eis disponitur, quòd cùm non reperiatur in jure decisum, an decimæ debeantur potiùs Ecclesiæ prædiali, quàm sacramentali, hinc proinde deferenduni sit consuetudini; Non tamen Canones exprimunt qualis esse debeat ista consuetudo, circa quam Interpretes magis communiter concordant, quod cùm ista non dicatur contra jus, sed præter; sufficeret ordinaria decennalis, ut latè, ac magistraliter Abbas *cons.* 58. *p.* 1. *& in d. c. cum sint in principio*, *n.* 6. & aliis antiquioribus relatis firmant Covarr. *lib.* 1. *var. cap.* 17. *n.* 8. *vers.* 4. Guttier. *lib.* 1. *pract. q.* 17. *n.* 1. *&* 5. *lib.* 2. *canonic. c.* 21. *n.* 58. Barbos. *de jur. Eccl. lib.* 3. *cap.* 26. § 2. *& de paroch. c.* 28. §. 1. *utrobique*, *n.* 33 *& seqq.* ac tenuit perpetuo Rota ut apud Achill. *dec.* 3. *&* 6. *de decim* Put. *dec.* 150. in correctis, *n.* 5. *lib.* 1. *dec.* 163. *n.* 3 *&* 4. *part.* 2. *divers. decis.* 279. *&* 289. *p.* 2. *rec.* quæ sunt eædem apud Cavaler *dec.* 95. *&* 107. *n.* 1. *dec.* 124. *n.* 11. *& seqq. p.* 5. *Segobien. decimarum* 10. *Octobris* 1583. coram Aldobrandino seu Clemente VIII.

Aliaque desuper dignosci non videtùr quæstio, nisi super juris regula, vel præsumptione in dubio, ad effectum exinde
37 dignoscendi, cuinam incumbat onus probandi consuetudinem, quia non probata, fundata remaneat intentio habentis pro se regulam juris; Et in hoc licèt aliqua pariter habeatur antiquorum variatio penè relata per Abb. *d. cons.* 58. concludit tamen, & benè, pro Ecclesia prædiali; Et sequuntur DD. suprà allegati; Quamvis Rota *in d. Segobien. decimarum* cor. Aldobrandino seu Clemente VIII. sentire videatur, ut regula assistat potiùs sacramentali, quod tamen ego licèt scribens pro sacramentali, atque more Advocati deducerem hanc conclusionem, credebam minus tutum; Verùm opus non erat id examinare, cùm cessaret quæstio ex facto, stante probatione non solùm decennalis, sed quadragenariæ imò de facto immemorabilis, ut supra.

In decisionibus autem desuper editis, præsertim verò, ac
38 latius in illa 26. *Februarii* 1663. admittitur conclusio tanquam incontrovertibilis, negatur autem applicatio ad casum ex quatuor fundamentis. Primò nempè quòd text. *in c. cum sit*, agat de decimis, quæ debentur per colonos, qui viventes in una parochia, accedunt ad alteram, causa colendi prædia ibi existentia, & sic de decimis quodammodo industrialibus, quæ ab eis debentur ex portione colonica juxta sensum Anchar. & Jo. Andr. & Abb. *ibid.*

Secundò quòd dictorum Canonum dispositio percutiat casum in quo duæ Ecclesiæ parochiales activè concurrant
39 in exactione hujusmodi decimarum ab iis, qui viventes in una parochia, ibique sacramenta percipientes, in altera prædia possideant, & colant; Id autem non esse verificabile in facti specie, cùm idem Monasterium, quod bona possidebat, & colebat in aliena parochia, possidebat etiam parochiam sacramentalem, ideòque intrat incompatibilitas actionis, & passionis in eodem subjecto, quodque non possit quis eodem tempore esse debitor, & creditor sui ipsius, sive quòd res propria sibi servire, ut in his terminis habetur *in dec.* 53. *sub n.* 2. *part.* 5. *divers. et in Calaguritana, decimarum de Ochon.* 1. *Julii* 1664. coram Cerro; Ponderando idem, ea quæ maximè habemus in materia censuali, quod si fundus censitus efficiatur de dominio creditoris, census extinguitur, vel saltim tali dominio durante, suspenditur, ac obdormit, ex eodem ratione incompatibilitatis, quod res sua ei servire non potest, idemque in servitutibus &c.

Tertiò in idem, quòd non verificaretur consuetudo per Canones præsupposita super jure activo, quòd unus parochus, in parochia alterius decimas exegerit, quoniam non
40 docebatur ex parte Monasterii de aliqua exactione activa, quæ videtur impracticabilis cum se ipso, dum probationes percutiebant solùm negativam solutionem respectu parochiæ actricis, & sic exemptionem à jure passivo, non autem possessionem in jure activo.

Et quartò (quòd coincidere videtur cum secundo) ut pro ipsorum canonum verificatione desiderandus veniat concursus trium personarum, nempè parochi prædialis, alterius parochi sacramentalis, & parochianorum, qui possidentes, vel colentes prædia existentia intra limites unius parochiæ in altera viverent, ad sacramenta, reciperent; In hac autem facti specie, ista tertia persona deficeret, quoniam Monachi, qui in hoc Monasterio vivunt, non veniunt sub nomine parochianorum, seu populi sæcularis viventis sub parocho cum reciproca necessitate administrationis, ac receptionis sacramentorum, dum ipsi, pro omnium Regularium usu, ac privilegiis independentes a parocho, sacramenta recipiunt à proprio superiori regulari in proprio Monasterio, quamvis huic nulla annexa sit parochialitas, sed adsit Ecclesia parochialis diversa ex pluries deductis *sub tit. de jurisdict. disc.* 1. *et seq.* & alibi pluries.

Verùm (in sensu etiam veritatis) dicebam quod nulla ex 41
his responsionibus probabile fundamentum habebat; Quatenus enim pertinet ad primam, (salva ex reverentia, quæ antiquitati debita est) intellectus Jo. Andr. & Anchar. quem solum refert, sed non probat Abbas, omninò improbabilis videtur, utpotè contra claram literam text. *in cap. ad Apostolicæ in fin.* ubi supponitur, quod domini prædiorum, in una parochia illa possideant, & excolant, & in altera vivant, ac sacramenta recipiant; Et tamen proceditur cum eadem distinctione de qua *in cap. cum sint*, ideòque iste sensus est de directo contra textum, ac meritò moderniores communiter procedunt cum præsupposito, quòd agatur etiam de dominis, ut patet ex Guttier. Barb. & aliis ubi supra, atque cum hoc intellectu, seu præsupposito etiam respectu dominorum semper processit Rota ut apud Achil. *dict. dec.* 6. *de decim* Put. *dec.* 150. *lib.* 1. *dec.* 163. *p.* 2. *divers.* apud Cavaler. *dec.* 95. *et* 107. *repetit. dec.* 279. *et* 289. *part.* 3. *rec. in d. Segobien. decimarum* 10. *Octobris* 1583. coram Clemente VIII. Et in specie cum Monasterio Regularium sito in una parochia, & possidente bona in altera *dec.* 124. *p.* 5. *rec.*

Secunda responsio continet æquivocum clarum in applicatione, ut convincunt authoritates, quibus innititur, nem- 42
pè *dec.* 53. *p.* 2. *divers.* cum qua proceditur *in Calaguritana de Ochon, prima Julii* 1654. coram Cerro ex authoritate Bonifacii *in Clementina prima, n.* 71. *et seq de decim* ubi de casu, in quo Monasterium, vel Religio, quæ sit in una parochia, & possideat bona in altera, non habeat parochiam sacramentalem, & consequenter non contendat de jure activo, sed solùm de passivo exemptionis; Ideòque in extraneum remanet à casu controversiæ, in quo, ut intrà quarta responsione, rectè verificatur concursus trium personarum ob earum reduplicationem in hoc Monasterio, quòd repræsentat personam parochi, & alteram personam parochiani possessoris, unde propterea hæc responsio continet æquivocum elatum in applicatione.

Idemque dignoscitur æquivocum in præsupposita incom- 43
patibilitate, adhibendo simile de creditore censuario qui efficiatur dominus fundi censiti, quoniam ut pluries ad hanc materiam incompatibilitatis crediti, & debiti in eadem persona advertitur *sub tit. de credito, & sub tit. de camb.* ac etiam insinuatur *sub tit. de feud.* id rectè procedit quando una & eadem sit persona materialis, ac formalis, atque non accedat respectuum diversitas; Sed ista concurrente, id nullam continet implicantiam, quoniam rectè in una & eadem persona materiali, pro respectuum, vel stationum diversitate, dari potest concursus debitoris, & creditoris, vel emptoris, & venditoris, seu mandantis, & mandatarii cum similibus, ut in specie habetur *in Palatina, disc. seq* de parocho, qui possideat jure privato bona sita in ejus parochia, quoniam est debitor decimarum sibi ipsi solvendarum absque dicta implicantia, ob duplicem personam, quam ita repræsentat unam scilicet propriam, & privatam, & alteram parochi nomine Ecclesiæ.

Atque eandem de plano corruere dicebam tertiam respon- 44
sionem, quæ magis evidenti laborat æquivoco, quoniam, ut eodem *disc. seq.* advertitur, quando in una persona materiali, pro respectuum diversitate, verificatur duplicitas personarum formalium; tunc in integra fructuum perceptione, ac repositione in ejus horreo, per actum occultum, ita à lege subintellectum ratione inanis circuitus, subintelligitur uterque actus solutionis, & exactionis respectivè, quod scilicet parochus tanquam parochianus, ac privatus possessor bonorum, debitor decimarum, istas solvat sibi ipsi tanquam parocho, easque perceptas confondit, cum reliquis fructibus propriis, Ad instar illius solutionis, ac instantaneæ restitutionis, quas lex occultat in novatione, vel in delegatione, seu trasfusione debiti de una causa in aliam, unde propterea ista tertia responsio verè discursu indigna videbatur. 45

Demum quoad quartam, ea pariter de plano tolli videbatur, cum iis, quæ habentur superiùs insinuata occasione agendi de tertio fundamento ad materiam text. *in cap.* 1. *de decim.*

decim. quòd scilicet aliud est corpus universale, putà Capitulum, vel Collegium, seu Monasterium cui annexa est parochia; Aliud verò sunt singuli Canonici, vel collegiales; Isti etenim non dicuntur parochi, neque habitualem curam habent, quamvis eam de facto exerceant, unde propterea Canonici, vel Beneficiati alicujus Ecclesiæ quæ sit parochialis, singulariter considerati dicuntur parochiani, & subditi ejusdem propriæ Ecclesiæ, dum non implicat, ut pro respectuum diversitate, quis eodem tempore sit pastor, & ovis.

Ad id autem quod dicitur, ut monachi, tanquam exem-
46 pti à jure parochiali, recipiant sacramenta à proprio superiore, independenter à Parocho, & consequenter quòd non verificetur concursus trium personarum; Pariter advertebam quòd contineri videtur clarum æquivocum, quoniam ut supra ex sensu eorundem Scribentium pro Capitulo actore advertitur, antiquitus monachi erant potiùs laici, quam clerici, atque sæcularium more sacramenta recipiebant in parochia, ideòque attento eo statu verificabatur concursus trium personarum nempè Parochi prædialis repræsentati per Capitulum actorem, Sacramentalia repræsentati per ipsum Monasterium in universum tanquam per personam intellectualem, seu corpus politicum; Et parochianorum, quales erant ipsimet monachi; Superventa verò privilegia exemptiva monachorum, aliorumque regularium utpotè inducta in favorem, retorqueri non debent in odium, neque immutare debent statum, ita ut in impressum, pro quo initium attendendum est; Ac etiam quia rectè istud Monasterium dicere potest, quod hujusmodi superventia privilegiis non indigebat, ideòque eorum usum neglexit; dum ipsummet erat Parochus.

Et nihilominus advertebam, quòd ex his negari non po-
47 test, quin materia reduceretur ad probabilem dubietatem, ut propterea omninò deferendum esset tam diuturnæ observantiæ, tam in ratione interpretativa, quàm in altera præscriptiva, dum non solùm concurrebat decennalis, quæ ex magis recepto sensu sufficit, ut dictorum Canonum dispositio intret, sed etiam quadragenaria, imò vera, & de facto immemorabilis, cum ea exemptione, quæ potiùs nativa, quàm dativa dicenda est, utpotè inoixa origini fundationis absque eo quòd constaret quòd unquam hæc bona decimabilia fuerunt; Et fortiùs conjungendo istud fundamentum deductum *ex cap. ad Apostolica*, cum altero *in dicto cap. 2.* Si etenim ista singulariter, ac distinctè considerata sufficiunt, multò magis simul juncta; Ideòque resolutiones, vel improbabiles, vel nimiùm asperæ, ac rigorosæ videbantur.

Ponderandum quoque in hoc proposito rigoris, qui in hac materia ab aliquo moderno tempore probabiliter per Ro-
48 tam, & Curiam Romanam adhiberi consuevit contra Regulares exemptos ad favorem Parochorum, seu Clericorum sæcularium, quòd scilicet antiquiori tempore, atque circa primævam Monachorum aliorumque Regularium introductionem, isti erant in parvo numero, & in statu paupertatis ideòque per Parochos dissimulati, & commiserati erant in decimarum exactionem tanquam per speciem eleemosynæ, eademque ratio impulit sedem Apostolicam ad eis concedendum aliqua privilegia; Cùm itaque tractu temporis iidem regulares ex piis dispositionibus, vel etiam ex contractibus correspectivis valdè ditati fuerint, atque prædia quæ erant possessa à sæcularibus, qui decimas solvebant; Hinc ista æquitas seu commiseratio resolvi dicitur ad iniquitatem, & ad Parochorum supplantationem pro exuberanti Regularium ditatione, ad notata *in cap. suggestum, de decim.* ut præsertim advertitur per Rot *dec. 344. part 11. rec.* edita in casu de quo infra *disc. 3. & in aliis*; Ista verò nimium congrua ratio in hac facti specie non intrabat, cùm in facto doceretur, quòd istud Monasterium nullas bonorum alias decimabilium acquisitiones fecisset, quinimò quòd potiùs diminuta essent bona pro ejus fundatione assignata, & consequenter ita major convincebatur rigor desuper adhibitus; Et tamen hæc non valuerunt ita exigentibus illis causarum fatis, quæ in die experimur.

ADNOT. AD DISC. I. cum seqq.

IN ista pariter materia decimarum alia non adfuit occasio præterquam in duobus casibus de quibus, *disc. 21. & 22. in hoc tit.* quorum primus concernit eandem materiam de qua *disc. 14. & 15. hoc tit.* Et in altero agitur de modo exigendi decimas, Et quando plures invicem conviventes vel socii dicantur constituere unam Domum, sive unum foculare.

De obligationibus, & Eleemosynis de quibus, *disc. 19. & 20.* habetur quoque actum *sub tit. de Paroch. disc 25. & 32. & in adnot. ad S. C. T. disc. 19. & disc. 52. de Jurepatr.*

Decisiones editæ in casu de quo, *disc. 1. habentur impress. dec. 97. 201. & 344 p. 13. dec. 27. p. 14 & dec. 254. part. 15.*

Aliæ decisiones coram Zarat. *de quibus in disc. 3.* sunt inter ejus impressas, *dec. 53. & 67.* Et ex aliis duæ habentur *impress. dec. 24. p. 13 & dec. 232. p. 54. rec.*

Altera quæ prodiit *in disc. 4. habetur impress. dec. 99. p. 15.*

Dec. in seq. disc. 5. sunt impress. dec. 67. & 375. par. 15. & dec. 109 & 391. p. 16. rec.

In disc. 11. sunt impress. dec. 216. & 320. p. 13. & decis. 69. part. 14.

Decisio prodita *in disc. 13. habetur in p. 16. & decis. 382.*

PALENTINA DECIMARUM PRO CAPITULO CATHEDRALIS CUM BENEFICIATIS LOCI DE OSSORNO.

Casus decisus per Rotam pro Capitulo.

De eadem materia text. *in cap. 5. de decim.* ut scilicet clerici clericis decimas non solvant, quomodo id intelligendum veniat, & an procedat in illis bonis quæ assignata sint pro dote beneficiorum, & capellaniarum existentium in eadem Ecclesia parochiali, non tamen ex causa parochialitatis, & curæ animarum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causa.*
3 *Quòd Clerici Clericis decimas non solvant.*
4 *Qualis esset causa punctus.*
5 *Qualis sit verus* text. in cap. 2 de decim.
6 *Idem Parochus solvit decimas sibi ipsi de bonis suis.*
7 *De compatibili concursu actionis, & passionis in eodem subjecto.*
8 *An famulatus necessarius det aliquod jus.*
9 *& 10 De eodem cum distinctione, & de effectu exinde resultante.*

D I S C. II.

CUm in hac diœcesi idem vigeat usus, qui *disc. praced.* insinuatus est, prout universæ Hispaniæ communis, 1
ut nullæ adsint parochiæ distinctæ, ideoque Episcopus sit Parochus universalis; ac etiam alter vigeat usus, qui in Italia quoque & præsertim in plerisque Regni Neapolitani partibus habetur pluries insinuatus *sub tit. de benef.* & sub altero *de Canon & Capitul.* ac alibi, quòd Ecclesiæ matricis servitio ascribi solent omnes clerici naturales loci qui in Hispania beneficiati, in Italia verò capellani seu presbyteri participantes nuncupari solent, Congregationem per quandam Capituli seu Collegii specialem constituentes, cum arca communi, aliisque universitatis, vel collegii signis; Hinc proinde, matrice Ecclesia loci de Ossorno in qua cura animarum exercetur, & sacramenta populo ministrantur, cùm notabilis adesset hujusmodi clericorū, seu beneficiorum numeros, ex eis Episcopus, duos, vel plures, quos magis idoneos ac opportunos reputet, eligere, ac deputare solet pro exercitio curæ animarū, ac administratione sacramentorum, ad ejus nutum amovibiles inter eos quasi per circulū quandoque variando, ita tamen ut decimarum loci tertia pars ad hunc effectum assignata, ponatur in massa communi, ac veniat in distributionibus ad commodum omnium, Alia tertia parte pro eodem Hispaniarum usu spectante ad Episcopum, & Capitulum; Et alia tertia divisa inter Dominum temporalem loci, & ejusdem Ecclesiæ fabricam; Omnium decimarum administratione, & collectione existente penes dictam beneficiatorum Congregationem, quædam horrea retinentem, in quibus recondere consuevit quoque fructus illorum bonorum, quæ ab eadem Congregatione, seu massa possidentur, ratione piorum legatorum seu capellaniarum, cum oneribus Missarum, & Anniversariorum.

Cùm autem aliquo moderno tempore, innovando dictā 2
antiquam consuetudinem, Beneficiati cœpissent reponere fructus hujusmodi bonorum, in horreo separato, ad effectum ut integrè inter eos dividerentur, nullamque participationem ratione decimæ habere deberent dicti alii participantes; Hinc proinde exorta desuper lite in partibus, ac aliquibus sententiis, & decretis, tam in possessorio, quàm in petitorio emanatis; Introducta per appellationem causa in Rota coram Zarate, datoque dubio in possessorio, cuinam dandum esset mandatum de manutenendo; cùm pro frequē-

ti Ry-

ri stylo, in causis gravibus, nulla capta resolutione, rescriptum esset, ut videretur de bono jure, etiam ad effectum manutentionis, idcircò assumpta in dicto bono jure disputatione *sub die* 14. *Maii* 1655. prodiit resolutio ad favorem Capituli, aliorumque participantium, quæ resolutio habetur impressa *p.12. rec. dec* 16. ad cujus normam expedita sententia, & commissa per Signaturam causa appellationis in eadem Rota cor. Cerro cum clausula *consilio de tribus*, & cum alia clausula respectu mandati de manutenendo, *cum facultate manutenendi quem de jure*, post binas resolutiones cor. eodem Cerro super denegatione remissoriæ, petitæ per Beneficiatos *sub diebus* 24. *Januarii*, & 24. *Junii* 1656. duplex dubium propositum fuit, an scilicet constaret de relevis conformibus, quæ veniant exequendæ? Et an dandum esset mandatum de manutenendo? & utrumque *sub die* 22. *Junii* 1657 ad favorem Capituli, & consortium resolutum fuit atque ita credo quòd causa finem habuit, dum de illa amplius actum non audivi, dictæque resolutiones habentur impressæ *ead. p.12. rec dec.* 283. & 284.

3 In hujusmodi autem disputationibus, ultra ea quæ concernebant possessorium, in facto potiùs quàm in jure consistentia, & de quibus proinde Advocati, vel nihil, vel parum agere solent; Unicus punctus juris restringebatur ad intellectum text. *in c.2. de decimis*, de cujus materia agitur quoque *disc præcedenti*, eo disponente, ut quemadmodum in veteri Testamento Levitæ Levitis decimas non præstabant, ita in Novo eas clerici clericis non solvant, quomodo scilicet, & in quibus casibus id intelligendum veniat.

4 Cùmque bona pro dictis beneficiis seu capellaniis, aut anniversariis assignata, sita essent intra limites ejusdem Ecclesiæ, sive in ejusdem loci territorio, atque pertinent ad clericos ejusdem Ecclesiæ servitio adscriptos, & animarum curam ibi exercentes, hinc proinde non instabant diversæ quæstiones, vel casuum distinctiones enunciatæ, *d. disc. praced.* sed stringebatur punctus ad secundum casum, ibi distinctum, & exemplificatum, ubi scilicet agatur de bonis existentibus intra limites ipsius Ecclesiæ parochialis, atque assignatis pro dote, vel cultu ejusdem, seu beneficiorum in eadem existentium.

In hoc autem dicebant scribentes pro Capitulo, & consortibus, quòd quidquid malè dicat *glossa in eadem c.2.* commu-

5 niter reprobata; Verus, ac receptus dictæ Decretalis intellectus est, ut de illis clericis id intelligendum veniat, qui Levitarum loco subrogati sunt, quia nempè hæc bona habeant tanquam præmium seu mercedem laboris, & occupationis ratione ministerii, quòd populo decimas solventi exhibent, in exercitio curæ animarum, ac in administratione sacramentorum, adeò ut ista bona dici valeant assignata pro dote ipsius Eccl. parochialis, atque ad hunc effectum curæ; Unde propterea si idemmet parochus qui habeat parochiam in titulum, intra ejusdem parochiæ limites bona possideat patrimonialia, & laicalia; Quinimò etiam Ecclesiastica ratione aliorum compatibilium beneficiorum, vel piorum legatorum, sive etiam incompatibilium, quæ ex Apostolica dispensatione retineat, adhuc de eis decimam solvere debet sibi ipsi, tanquam diversæ personæ, pro ea personarum formalium reduplicatione in eadem persona materiali, quæ consideratur *d. disc. praced.* quòd scilicet ita considerentur duæ personæ omninò distinctæ; Una scilicet parochiani

6 seu unius de populo jure privato possidentis bona, ac decimarum debitoris; Et altera administratoris Ecclesiæ parochialis, quæ reverà est decimarum creditrix juxta receptam sententiam Innocentii, Abb. & aliorum *in eod. c.2.* Covar. *lib.1. var. cap.17. n.8. vers. primum hinc est* Suarez *de Relig. tom.1. c.17. n.16*, cum aliis plenè collectis per Barb. *vot.41. n.15. cum seqq.* & in causæ decisionibus; Ideòque cùm ista bona assignata non essent ipsi Ecclesiæ parochiali, vel ejus clericis, pro mercede, seu præmio curæ animarum, & administrationis sacramentorum, sed ex diversa causa anniversariorum, & celebrationis Missarum, ex legatis, aliisque piis dispositionibus, hinc proinde in hac parte repræsentabant personam omninò diversam ab illa parochi, quamvis istam quoque ipsi de facto exercerent.

Clariùs quoque, dum iidem Beneficiati nullum habe-

7 bant in hujusmodi cura, seu parochialitate titulum, qui ut supra, ob non distinctionem parochiarum, residet penes Episcopum, tanquam parochum universalem, sed considerantur tanquam nudi servitores, ac ministri manuales pro solo exercitio, unde propterea cessat in radice illa ratio dubitandi, quæ in ipsomet parocho habente parochiam in titulum cadere potest ratione incompatibilis concursus actionis, & passionis in eodem subjecto; Quamvis reverà, neque in ipsomet Parocho ista incompatibilitas dignoscatur ob dictam personarum formalium discretionem, quæ in eadem persona materiali datur, ex deductis *d. disc praced.*

8 Non negabantur hæc per Scribentes pro Beneficiatis; Dicebatur tamen, quòd licèt habitualiter cura sit penes Episcopum, qui aliquos ex istis beneficiatis ad ejus nutum deputat ad exercitium; Attamen est deputatio necessaria, dum non potest deputare Clericos exteros; sed pernecessè deputare debet ex illis, qui sint ex isto cœtu, seu congregatione, quòdque propterea jus curæ actualis resideat penes ipsum corpus Beneficiatorum; quamvis exercitium ab aliquibus eorum expliceur; Adinstar eorum quæ habentur *sub tit. de Benef.* in proposito juris conferendi, quod competit Capitulo, & explicatur per Canonicum turnarium, sive hebdomadarium, ac etiam *sub tit. de jurepatronat.* de jurepatronatus existente penes totam familiam, exercitio autem penes unum, vel aliquos, cum similibus.

9 Ideòque dicebant, quòd intraret doctrina Jo. Fantucci, cum qua transeunt Franch *in cap. fin. n.5. de prabend. in 6.* Geminian. *ibid. n 5.* & Ros. apud Seraph. *decis.716. num.9.* quòd scilicet si officium, vel beneficium, quod à superiore dari solitum est Capitulari, potest ab eo dari etiam non Capitulari, & tunc non erit Capitulare, sed si pernecesse dandum est Capitulari, tunc erit Capitulare, quamvis esset ad nutum amovibilis, quoniam ista facultas est circa unam, vel aliam personam, sed non circa ipsum corpus Capituli.

10 Verùm dicebam, ut id extraneum esset à casu quæstionis; Quoniam admisso etiam dicto præsupposito, ut hæc deputatio in Episcopo esset necessaria, adeò ut non posset deputare alios clericos, qui non essent de isto gremio (quod examinare non oportebat) Adhuc tamen, id aliud non operatur, nisi ut iste reciprocus famulatus dici valeat necessarius, ejusque emolumenta spectarent ad congregationem seu massam, atque adinstar dici possent capitularia, sed semper agendo de emolumentis Parochialibus, quæ data, vel assignata sunt ratione exercitii curæ animarum; Ideòque ubi ageretur de illis bonis, quæ assignata sint loco congruæ Vicario exercenti curam animarum in Ecclesia parochiali, quæ alteri unita sit, juxta casum de quo *in Perusina sub tit. de Paroch. disc.* 19. cum similibus tunc rectè dicendum videtur ut intrent isti termini, neque parochus habitualis decimam de hujusmodi bonis petat.

CALAGURITANA DECIMARUM S. ASCENTII.
PRO MONASTERIO SANCTÆ MARIÆ DE ESTRELLA
CUM PAROCHIS, SEU BENEFICIATIS SANCTI ASCENTII.

Casus variè decisus per Rotam.

Ad materiam text. *in cap. suggestum de decim.* an scilicet, & quando privilegiativa, vel conventionalis exemptio à solutione decimarum cessare, vel moderari debeat, si tractu temporis id magnam redoleat læsionem? Et incidenter de probatione, ac signis parochialitatis, ad effectum juris decimandi? Et de validitate transactionis super decimis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causa.*
3 *De punctis causa.*
4 *De validitate transactionis.*
5 *Decimæ spectant ratione curæ habitualis.*
6 *An, & quando in actibus Capitularibus vel Collegiativis non sufficiat consensus majoris partis.*
7 *Transactio quando afficiat venientes jure suo.*
8 *De circumstantia ob quam confirmationi Apostolica magis deferendum est.*
9 *Ad regulandum transactionem, quale tempus attendi debeat.*
10 *Ad materiam text.* in cap. suggestum.
11 *Est error insistere in quæstionibus juris, ubi difficultas potest removeri cum facto.*
12 *Quod sic desideretur in decisionibus Rota.*
13 *De ratione cessantis exemptionis Religiosorum in decimis, & ad eandem materiam capit. suggestum.*

14 *De læsione, quæ resultat tractu temporis habentibus tractum successivum.*
15 & 16 *De eodem, & declaratur.*
17 *De distinctione remissionis juris quæsiti, & juris quærendi.*
18 & 19 *De eodem, de quo n. 15. & 16.*
20 *Declarantur decisiones* Martir. Andr. *in quibus terminis procedant.*

D I S C. III.

1 ORta lite inter parochos, & beneficiatos oppidi S. Ascentii, ibique situm Monasterium S. Mariæ de Estiella, ordinis S. Hieronymi nuncupati *de Escurial*, super jure decimandi bona à Monasterio possessa, tam in dicto oppido, quàm in loco diruto Villaricæ; Cùm Monasterium in vim privilegiorum exemptionem prætenderet, ac etiam in bonis Villaricæ jure parochiali activo Ecclesiæ S. Emiliani ibi annexæ; De anno 1432. deventum est ad concordiam per quam determinatum fuit, ut pro bonis sitis in dicto loco S. Ascentii, Monasterium solvere deberet, de tritico, orden, & vino tantùm quinquagesima, in reliquis autem omnibus exemptione potiri deberet; Post observantiam verò dictæ
2 concordiæ per duo secula; Suscitata lite per Parochos, & beneficiatos ex partibus, deindeque introducta causa in Rota cor. Zatate sub die 17. *Aprilis*, & 1. *Julii* 1654. prodierunt resolutiones ad favorem Parochorum, altera interloquutoria super denegatione remissoriæ, ad quarum resolutionum normam (quarum aliquæ habentur impressæ p. 11. *rec. dec.* 344. & 345.) expedita sententia, & commissa causa in eadem Rota coram Cerro *sub die* 26. *Junii* 1658. pro confirmatione sententiæ, favore Monasterii responsum fuit, sed reproposita causa 7. *Februarii* 1659 hæc resolutio in parte reformata fuit; Verùm sub diebus 3. *Junii* 1664. 4. *Decemb.* 1662. & 5. *Decemb.* 1664. *cor. eodem*, recedendo ab hac posteriori resolutione reformatoria, prior approbata fuit favore Monasterii pro observantia transactionis in omnibus atque ita credo, quòd causa finem habuerit.

3 In hujusmodi autem disputationibus duo fuerunt puncti. Primò nempè super validitate dictæ transactionis ratione solemnitatis, & causæ. Et secundò quatenus esset valida, an ob prætensam læsionem resultantem à nimia excrescentia bonorum intrarent termini text. *in c. suggestum de decim.* sive alii termini generales super reductione ad justitiam illius contractus, qui tractu temporis nimiùm injustus, ac læsivus efficeretur.

4 Primus punctus percutiebat potiùs terminos, seu materiam alienationis bonorum Ecclesiæ, de quibus in sua peculiari sede *sub tit. de alien. & contract. disc.* 1. atque in magna parte consistebat potiùs in facto, quàm in jure, super veritate, & forma probandi ejusdem concordiæ, ejusque confirmationis concessæ per Paulum II. authorem *Extravag. Ambitiosæ*, ac etiam super probatione parochialitatis saltim habitualis dictæ Ecclesiæ S. Emiliani dicti loci diruti Villaricæ ac alterius S. Joannis de Ruogo; Posita enim parochialitate, certa resultabat consequentia super jure activo decimandi etiam bona aliorum sita intra limites dictæ parochiæ ad favorem Monasterii, cui unita erat, cùm jus decimandi pertineat ad eum, cui ratione unionis cura habitualis competit,
5 Caputaq. *decis.* 339 *p.* 3. apud Merlin *dec.* 817. *num.* 2 & in aliis, de quibus in causæ decisionibus cùm sit conclusio certa; Plenaque autem concurrebant parochialitatis adminicula, in eisdem decisionibus recensita, præsertim in ultima anni 1664. unde propterea sufficiens probatio aderat.

Objiciebatur etiam de dictæ concordiæ nullitate ex defectu in primis decisionibus coram Zatate omisso, quòd in
6 ea non intervenissent omnes parochi, seu beneficiati, quorum interventus dicebatur necessarius, stante quòd agebatur de actu voluntario, in quo non sufficit major pars, sed desideratur consensus omnium, ex iis quæ cæteris relatis in hac materia habentur apud Franch. *decis.* 2. ibique Adden. & in primis causæ decisionibus, ac etiam *in Monasterien. canonicata* 20. *Novembris* 1652. & 22. *Maii* 1656. coram eodem Cerro in quibus Concordantes.

Verùm de facili objectum solutum fuit, quoniã ista con-
7 clusio rectè procedit in iis, quæ singulis cõpetunt jure singulari, ac sunt merè voluntaria; Secus autem ubi agitur de actibus factis jure universitatis, seu collegiativo, & qui potiùs necessarii, quã voluntarii dici merentur, ut potissimum est trãsactio, quoties bona fide inita sit, juxta distinctiones, de quibus *sub tit. de fideic. disc.* 173. & *seqq.* & *sub tit. de feudis, disc.* 49 & *sub tit. de emphyt. disc.* 53. in dicta sua materia *sub tit. de alienat.* & *contract.* & alibi pluries super articulo, an & quando trãnsactio præjudicet tertio, vel successori independenter venienti, ex persona propria; Quoniam ubi (cessante collusione,) ea bona fides inita sit, dicitur actus potiùs necessarius tanquam species rei judicatæ, inter ipsas partes concorditer emanatæ, ad ponendum ita partem litis in tuto, ac se assecurandum de majori damno, quod incertus litis eventus inferre poterat. Potissimè verò stante confirmatione Apostolica omnium defectuum suppletiva; Et circa quam confirmationem, ad effectum, ut ei magis deferendum esset, ponderabam eam particularem circumstantiam, quòd concessa esset per Paulum II. qui in hac materia alienationis bonorum Ecclesiæ fuit omnium rigorosior, & accuratior, ut comprobat Constitutio desuper per eum edita in *Extravag. Ambitiosæ*, cum qua hodiè vivitur.

Insistebant quoque Scribentes pro parochis super defectu 8
causæ respectu saltim bonorum existentium intra limites propriæ parochiæ S. Ascentii, dum quoad hæc, cessante jure activo, ratione parochialitatis competente in aliis bonis, quæ in diversis limitibus existebant, atque stante certa juris assistentia eorum favore, alius non aderat exemptionis prætextus, qui ansam dederat concordiæ restringenti solutionem decimarum ad tres species fructuum tantùm, ac in istis in adeò modica summa quinquagesimæ, nisi illæ privilegiorum per Sedem Apostolicam huic Religioni concessorum, quæ tamen plures per Rotam tam antiquam, quàm mediam declarata fuerunt non suffragantia pro hac exemptione decimarum, ob non factam specialem derogationem omninò necessariam decreti Concilii generalis Lateranensis registrati *in c. nuper de decimis*.

Verùm pariter istud erat fragile fundamentum de facili 9
rejectum, quoniam ut advectitur apud Otthobon. *dec.* 25. *n.* 22. & *seqq.* & alibi pluries, ad regulandam transactionem, attendendum est illius tempus, non curato quod de tempore subsequenti, in eis præsertim, quæ consistunt in ambiguis & disputabilibus articulis juris, quòd Rota, vel alia Tribunalia mutaverint opinionem, atque unam potiùs, quàm alteram receperint, dum ea deductis ad materiam alienationis bonorum Ecclesiæ *dict. tit. de alienat. & contract. prob. disc.* 1. & *plurib. seqq.* ac etiam *sub tit. de empt. & vendit.* ad materiam læsionis, attenditur tempus contractus, atque sufficit quòd tunc actus sit utilis, vel non læsivus, non curato quid posteà eventus præbeat, ut etiam firmatur in authoritatibus, de quibus infrà in puncto sequenti.

Quatenus igitur pertinet ad dictum alium punctum, super quo major fuit disputatio, ad materiam scilicet text. *in* 10
cap suggestum de decimis, per quem disponitur, ut ubi privilegium exemptivum tractu temporis magnam producit læsionem, seu præjudicium tunc revocari, vel moderari debeat; Difficultas sublata fuit ex facto, ex cujus circumstantiis potiùs prodierunt resolutiones huic parti favorabiles, dum benè justificata fuit fallacia actorum, cum qua in primis decisionibus processum est, magnæ scilicet ditationis, & excrescentiæ bonorum, quæ aliàs decimabilia, per istud
Monasterium quæsita fuerint, quoniam in facto benè ju- 11
stificatum fuit, quòd istæ acquisitiones, adæquatæ, seu compensatæ remanebant cum concessionibus emphyteuticis, aliisque alienationibus, quæ sæcularibus factæ fuerant de bonis antiquis, & exemptis, ex quibus ipsi parochi decimas percipiebant; Ideòque meritò Rota neglexit insistere super puncto juris, cùm ex frequenter insinuatis, nimia imprudentia sit, ac manifesta ineptia, assumere quæstiones juris, atque in hujusmodi disputationibus tempus, ac laborem terere, ubi quæstio dirimi potest cum facto.

Benè verùm quòd cùm in decisione præsertim 7 *Februarii* 1659. quoad punctum juris firmaretur conclusio funda- 12
ta in traditione Bart. *in l. inter stipulantem*, §. *sacram*, *ff. de verb. oblig* de qua infrà, ideircò desiderassem illius declarationem, in posterioribus decisionibus revocatoriis; Non quidem pro servitio, vel opportunitate istius causæ, pro qua, ut suprà evitabatur conclusio ex facto, sed pro aliis causis in futurum ratione authoritatis, quam ista decisio in parte non revocata, vel non declarata facere potest, ut advertitur *sub tit. de judiciis* in relatione, in praxi Curiæ, occasione agendi de Rotæ Auditorio, & alibi.

In iis autem, quæ in puncto juris consistebant ad mate- 13
riam text. *in d. c. suggestum*; De facili pariter ex hac parte difficultas evitabatur, quoniam probabiliùs, magisque receptum est, ut hujus Decretalis dispositio locum habeat in exemptione merè gratiosa, & privilegiativa, quæ ità cessare debeat ex regula *cum cessante*, &c. ob rationem insinuatam suprà, *disc.* c. quòd scilicet primæva Monachorum aliorumque Regularium introductio fuit in statu paupertatis, atque bona per eos poss. ssa, modicum parochia pa-

rebant

rebant præjudicium; secus autem nunc divitiis excreris.

Ideòque eadem Decretalis recipienda non venit in contractibus onerosis, & correspectivis, in quibus habemus regulam supra insinuatam desumptam ex textu *in l. Præses, & §. de fideicommisso, C. de transact.* & ex traditione Innocentii *in cap. quærum, de censib.* quod sufficit justitia contractus de tempore quo ille initus est, non curato posteriori eventu, qui sicuti uni parti præjudicialis fuit, ita eidem parere esse utilis; Et in specie in his terminis *cap. suggestum*, ut procedat solùm in privilegiis, non autem in contractibus, est sensus Abb. *ibid. n. 6.* ac cæteris relatis firmant Socin. Junior. *cons 60. n. 58. & seq. lib.* 3 Roland. *cons.* 13. *n. 69. & seqq. lib.* 3. Natta *cons. 397. & seq.* Menoch. *cons* 156. *n.* 34. atque in formâ discursiva (nihil tamen firmando) insinuatur in dicta decisione 3. *Junii* 1661.

14 Replicabant tamen Scribentes in contrarium, atque Rota (ut præmissum est) admisit in decisione 7. *Februar.* 1659. ut ista conclusio rectè procedat in iis conventionibus, quæ temporis momento perficiatur non autem in iis, quæ habeant tractum successivum, atque singulis annis, vel temporibus contineant novum, ac reiterabile præjudicium, quoniam tunc, si tractu temporis contractus ad injustitiam, seu nimiam inæqualitatem reducatur, vel est rescindendus, vel reducendus ad justitiam, & æqualitatem juxta dictam theoricam Bart. *l. inter stipulantem, §. sacram. n. 7 ff de verb. oblig.* cum concordantibus apud Natt. *cons.* 584. *n.* 36. Rot. apud Martin. Andr. *decis* 48. *n.* 13. & 14. & *dec.* 70. *n.* 3. & 4. Thesaur. *decis.* 226. Capyc. Latr. *decis.* 18. *n* 5. apud quos Concordantes, idque ad rem applicari dicebant, quoniam præjudicium erat reiterabile singulis annis, in quibus decimæ præstari debebant.

15 Verùm scribens pro Monasterio respondebam, quod dupliciter cessabat dictæ conclusionis applicatio ad casum, absque necessitate examinandi ejus veritatem, vel declarationes in casu suo; Primò siquidem quoniam, ut patet præsertim ex deductis per Thesaur. & Capyc. Latr. ubi supra, ad hunc effectum requiritur, ut læsio sit in adeò magno excessu, quod redolere dicatur iniquitatem; Ideoque cùm id in facto (ut supra) cessaret, de consequenti opus non erat istam conclusionem examinare.

Et secundò, quòd ista conclusio non esset applicabilis ad casum controversiæ; Procedit etenim ubi agatur de onere, quòd singulis annis, vel temporibus, per actum positivum per quam quis sufferre onus, ac damnum pati teneatur juxta casum, de quo agit Natta ubi supra, quod scilicet teneretur Communitas singulis annis vendere fruges, ac victualia pro certo, & determinato pretio, quod attento tempore conventionis erat congruum, de præsenti autem ob notabilem alterationem pretiorum remanet vilissimum; Ad instar illius venditionis piscium, & carnium silvestrium, quam universitas Nursinorum facere tenetur pro mensa Capitolii, seu Conservatorum Populi, cùm id recenseatur inter onera ob damnum positivum, quòd pati oportet in suppletione ejus, quod necessarium est ad emendum ea bona pro pretio currenti, ut insinuatur *sub tit. de Regal disc.* 98. Sive juxta exemplum, quod nostri magis communiter tradere solent illius conventionis, quæ fiat per Furnarium, de coquendo panem in ejus furno pro aliqua familia, & universitate, quæ tunc esset parva, deinde verò tractu temporis multum excreta; Aut de molendo triticum, sive oleas in ejus molendinis cum similibus, adeòut agatur de onere, quod consistat in actu facti positivi singulis annis, vel temporibus præstandi, vel patiendi cum damno, & diminutione proprii patrimonii.

16 Id autem dicebam non esse ad rem applicabile, quoniam bona erant in Monasterii dominio; cujus ratione integri fructus ad dominum spectant, onus autem decimarum, sive collectarum, ac contributionum, quæ decimarum vicem proportionabiliter habent, ut pluries advertitur in earum materia *sub tit. de Regal.* dicitur quid accidentale, quod redolet speciem servitutis, ob cujus remissionem, vel diminutionem dominus fundi servientis nihil acquirit de novo, sed solùm removet illud obstaculum, quod rem suam minus pretiosam reddebat; Ista verò remotione secuta, non verificantur termini oneris successivi, & reiterabilis, quoniam dicitur potius actus, qui momento temporis perficiatur, per quem extincta causa obligatoria, acquirat quis libertatem, cujus statu constituto, actus qui subsequuntur quamvis reiterabiles, dicuntur effectus naturales, & consecutivi, juxta exemplum tradi solitum per Beneficialistas, occasione agendi de indultis, quæ conceduntur Ordinariis collatoribus conferendi reservata, illius scilicet, qui habeat membra ligata, quoniam donec durant vincula, seu ligamina, dicitur onus, vel impedimentum positivum, ac successivum, & reiterabile, quòd infert damnum certum, & palpabile, seu visibile; Si verò ille in cujus gratiam vincula injecta sunt, ea solvat, tunc ista solutio importat actum restitutionis membrorum pristinæ libertati, operationes verò subsequentes, ac reiterabiles, non proveniunt ab ea dissolutione, tanquam causa earum productiva, sed proveniunt à facultate naturali.

Ita pariter, juxta practicum quotidianum exemplum, quod habemus in censibus reservativis, consignativis, seu canonibus, & livellis, quibus bona stabilia affecta esse solent, quoniam ex parte debitoris singulis annis illud onus importat damnum positivum solvendi eam pecuniam, vel partem fructuum; Ubi verò sequatur extinctio, vel remissio dicitur actus liberativus, qui momento tẽporis perficitur, atque creditor, ita potius remittit jus quærendũ. & sic illud majus lucrum, quod singulis temporibus obtenturus fuisset, quàm quod sentiat onus, ac damnum positivum, Istique videbantur nostri termini, & consequenter, quod dicta conclusio ab eis extranea esset, malèque applicata.

17 Reflectendo autem ad veritatem, ponderabam quod licèt verè, & propriè termini dictæ conclusionis non intrarent, adhuc tamen intraret eadem ratio, ut ita de facto ille cui decimæ debitæ erant, damnum diceret singulis temporibus per diminutionem illius majoris redditus, seu emolumenti, quod jam agnitum erat; & comprobat; ideòque non est verum non acquirere, seu abstinere ab acquirendo, sed remittere jus quod jam agnitum erat, & comprobat juxta eam distinctionem, de qua habetur pluries *sub tit. de credit.*, præsertim *disc.* 137 ad materiam textus *in l. qui autem ff quæ in fraud. creditor.* an scilicet, & quando debitor possit nolle quærere, vel remittere in præjudicium creditorum, quoniam ita est etiam proprium patrimonium diminuere, ac se depauperare; unde propterea ut habetur in sua materia *sub tit. de donat.* ac etiam sub altero *de alienat & contract. prohibit.* insinuato, aliæque solemnitates ita requiruntur in donatione, vel alia alienatione verè translativa ejus quod donator possidet, & alteri tradit, sicut in remissione, seu condonatione ejus, quod jam sibi cõpetit, atque pariformiter intrant termini læsionis, ac præjudicii.

18 Bene verum; quod licet ratio sit eadem, idemque sit finis, vel effectus; Attamen termini videntur diversi, quod scilicet læsio resultat, non ratione ordinis successivè reiterabilis, ut est in casu, de quo supra, sed ex cessante præsupposito, seu voluntate, quæ ita cessare dicitur ex regula, seu axiomate quod quælibet dispositio, vel conventio intelligenda venit rebus in eodem statu permanentibus, super quo axiomate multa colligit elaboratus Addition. *ad dec.* 523. *n.* 3. *p.* 4. *rec. tom.* 3. quod scilicet ita onus sibi debitum quis remiserit, quoniam eo statu attento, modicum sibi præbent præjudicium, quodque aliàs non fecisset, si hanc alterationem prævidisset, vel ad eam cogitasset; ad instar eorum, quæ in materia defalchi, seu remissionis pensionis ob casum verisimiliter non prævisum, neque cogitatum habetur *sub tit. de Regularibus* pluries, ac etiam *sub tit. de locat. & conducto*, cum similibus.

19 Fortiùs verò ubi notabilis alteratio status, ex qua damnum, vel præjudicium resultat, sive illud sit positivum, sive negativum non proveniat ab augmento, vel decremento intrinseco, quòd citra factum positivum, & voluntarium contrahentis ex temporis, vel aliorum accidentium beneficio, vel maleficio sequatur, ut est casus, de quo loquitur Natta, ubi supra, sed proveniat a facto positivo; Puta (ad rem nostram) ex causa novarum acquisitionum bonorum, à quibus volens poterat abstinere; Durum enim, & irrationabile videtur, quòd ille, cui aliqua exemptio, vel franchitia data est, dum constitutus est in mediocri fortuna, cum industria deinde posset multa bona acquirere, atque in longè meliori fortuna se constituere, ob quam illa franchitia magnum sibi causet lucrum, notabile autem damnum illi, qui eam concessit, aliàs non concessurus, idque fortè adaptabile videtur introductioni franchitiarum, & immunitatum, quæ tempore primitivæ Ecclesiæ Clericis, seu Ecclesiasticis concessæ fuerunt, ut insinuatur *in Barcinonen. sub tit. de Regal. disc* 58. & infra *in Miscellan disc.* 5.

20 Advertebam tamen non facere ad rem supra allegatas *dec.* 48. & 70. Martin. Andr quoniam ut patet ex earum facti serie, recensita in præcedenti *dec.* 23. *ejusdem*, ubi agebatur de conventione pro observantia, & executione sententiæ quæ credebatur justa, deinde verò detecta fuit injusta, ob injustitiam, quæ verè, & intrinsecus tunc jam existebat; ideò-

que instabant termini falsi præsuppositi, qui diversi sunt ab illis læsionis supervenientis.

TOLETANA DECIMARUM HORTI, PRO PP. REDEMPTIONIS CAPTIVORUM CUM ARCHIEPISCOPO.

Casus decisus per Rotam pro PP.

Ad materiam textus *in cap. ex parte de decim. & cap. fin. de privil.* super exemptione ab onere decimarum ex novalibus.

Et incidenter de exemptione Religiosorum à decimis pro hortis, & rebus ad proprium usum deservientibus; Et de aliquibus ad materiam privilegiorum exemptionis.

S U M M A R I U M.

1 *FAlsi series cum resolutione.*
2 *Exemptio Religiosorum à decimis intelligitur de iis, quæ sunt pro usu proprio.*
3 *De novalibus autem generalis esse debet.*
4 *De ratione quæ viget in novalibus.*
5 *De differentia inter exemptionem, de qua n. 2. & alteram n. 3.*
6 & 7 *De eodem circa novalia.*
8 & 9 *An exemptioni novalium obstet derogatio contenta in* cap. nuper.
10 *De quo tempore prodiit decretum Concilii generalis in* cap. nuper.
11 *Quæ propriè sint novalia cadentia* sub d. exemptione.
12 *Etiam de prædiis incultis, eorumque pascuis, & herbis debetur decima.*
13 *Decimator an impediat culturam bonorum, seu ejus mutationem?*
14 *Debetur decima de novis fructibus introductis in prædio aliàs fructifero.*
15 & 16 *Quando propriè sint novalia exempta.*
17 *Cui incumbat onus probationis.*
18 *De eodem de quo n. 15. & 16.*
19 *Conciliis generalibus expressè est derogandum.*
20 *Declaratur.*
21 *De ratione Instituti Religionis, ob quod privilegium exemptivum decimarum intrare debet, non obstante revocatione.*

D I S C. IV.

1 CUm PP. Reformati vulgò Discalceati Ordinis redemptionis captivorum Conventum habentes extra muros Civitatis Toletanæ, ab eo Magistratu ad id potestatem habente, legitimè obtinuissent quendam sterilem, ac inutilem situm ibi adjacentem, quem paulatim, ac tractu temporis ex eorundem religiosorum laboribus, ac devotorum auxiliis reduxerunt ad usum horti, ex quo ultra usum proprium, aliqua utilitas ex oleribus excrescentibus venalibus percipitur. Hinc Archiepiscopus ex pluries insinuata consuetudine tanquam parochus universæ diœcesis habens jus decimandi, prætensionem excitavit super decimis hujusmodi olerum, emanatisque in partibus aliquibus invicem pugnantibus sententiis, introducta per appellationem causa in Rota coram Cerro; atque dato dubio, an decimæ debeantur, *sub die 4. Maii* 1667. ad favorem PP prodiit resolutio negativa neque quòd sciam causa ulteriorem progressum hucusque habuit, nisi defensores mutaverit, ut frequenter contingit, quòd mutatio Procuratoris secum trahit mutationem Advocatorum.

2 In hac autem disputatione, Scribentes pro Archiepiscopo, insequendo forsan disputationes habitas in partibus, atque opinantes; quòd hæc exemptio deduceretur ex dispositione text. *in cap. ex p. 1. de decimis*, per quem conceditur exemptio Religiosis pro eorum hortis, & vineis, dicebant (& benè) quòd hæc Decretalis, quæ de novalibus etiam loquitur, intelligenda venit de oleribus, aliisque fructibus, qui deserviunt pro usu ipsorum Religiosorum, ac eorum inservientium, non autem de exuberantibus, ex quorum venditione redditus pecuniarius, vel aliud emolumentum percipiatur, juxta communem interpretationem DD. ibidem scribentium, & præsertim Anchar. *n. 4.* Abbat. *n. 3. in fin. vers. debet intelligi*, Annao. *n. 2.* Rebuff. *de decim. q. 14. n. 58.* Monet. *eodem tract. cap. 5. q. 1. n. 16. & 17.* Rota *dec. 493. p. 4. rec. decis. 94.* post Tamburin. *de jur. Abb.* apud Peniam *dec. 1072.* & in aliis, ex quibus patet, quòd licèt eadem Decretalis in fine de novalibus, quæ demonstrativè, seu incidenter enunciantur, dum idem procedit in quibuscunque aliis bonis, quibus novalium terminus non congruis, quoniam in eisdem quoque intrat exemptio pro fructibus, qui proprio usui deserviant.

Non negabam ego scribens pro PP. imò expressè admittebam hujus theoricæ veritatem; Dicebam verò, quòd hujusmodi exemptio respectu novalium, non deducebatur ex dicta Decretali *in cap. ex parte*, sed ex altera *in c. fin. de privil.* ubi hæc exemptio conceditur, ex peculiari novalium natura, & ex diversa ratione ab illa usus proprii, de qua *in d. cap. ex parte*; Ex eo scilicèt quòd, ut plurimum hujusmodi novalium reductio, non nisi cum magno sumptu, ac labore sequi solet; ideòque fructus, qui ex eis percipitur, ex causa onerosa, & correspectiva percipi dicitur, potiùs tanquam effectus proprii sumptus, vel propriæ industriæ, quàm tanquam elargitio, seu beneficium naturæ; Ac etiam quia nullum exinde parocho præjudicium patari dicitur, dum bona erat aliàs sterilia, & infructifera, ideòque de consequenti non decimabilia. 3

Hinc proinde longè diversi sunt termini unius Decretalis, ac alterius, ob rationis diversitatem, cùm exemptio, quæ conceditur per dictam Decretalem *in cap. ex parte* dicatur gratiosa, & privilegiativa, altera verò concessa *in d. c. fin.* contineat potiùs agnitionem, seu administrationem justitiæ, ex vulgari recepta juris propositione, de qua *sub tit. de benef.* & alibi pluries, quòd fructus, qui ex bonis percipiuntur, dicuntur illi, qui deductis priùs expensis, supersunt ad solam percipientis utilitatem, cùm in hac parte consistere dicatur illud beneficium naturæ, ac Dei, cui proinde in recognitionem pro substentatione ejus ministrorum, decima solvi debet; Id autem non intrat in fructibus novalium, qui saltim circa prima tempora, nunquam passas expensas adæquare solent. 4

Adversus hanc responsionem, de tribus replicabatur per Scribentes in contrarium pro Archiepiscopo. Primò nempe de authoritate Barbosæ *de jur. Eccl. lib. 3. c. 26. §. 3. n. 17.* ubi in specie agendo de exemptione novalium, dicit, ut ea procedit respectu fructuum deservientium pro usu proprio tantùm; Secundò, quòd hoc privilegium quoque revocatum esset per Concilium generale Lateranense registratum *in c. nuper, de decim.* Et tertiò, quòd hæc verè dici non possent novalia, quibus congrueret secunda ratio supra assignata, quòd parochus eis priùs nullas decimas perciperet, cùm iste situs quamvis apertus, & campestris, deserviret etiam pro pascuis arietum, & agnorum, quorum ipse decimam obtinebat, dum ita etiam ex pascuis decimæ percipi dicuntur in ipsis animalibus, vel eorum fœtibus, vel lacte, ut habetur *infra, disc. 8.* 5 6

Verùm (cum sensu etiam veritatis) dicebam quòd nulla ex his responsionibus probabile fundamentum haberet; Singulas enim examinando; Quatenus pertinet ad primam deductam ex dicta authoritate Barb. dicebam ut ea omninò negligenda esset, prout meritò per Rotam neglecta fuit, utpote nulli innixa fundamento, atque laborans æquivoco manifesto, quod videtur quotidianum pabulum hujusmodi elaboratorum Collectorum, quorum operatio ut dici solet, tota est in humeris, nulla verò in capite, dum procedit cum terminis textus *in cap. ex parte, de decimis*, cujus dispositione attenta (ut superiùs dictum est) nulla viget differentia inter novalia, & non novalia, sed attenditur solùm causa usus proprii, peculiaris autem exemptio novalium provenit ex alia Decretali *in cap. fin. de privil.* ob diversam rationem supra ponderatam. 7

De facili autem cessabat altera responsio circa revocationem contentam *in cap. nuper*, quoniam hæc exemptio novalium concessa, seu verius declarata per dictam Decretalem *in cap. fin. de privil.* est posterior dicto Concilio generali Lateranensi, & consequenter dici non potest, ut decretum Conciliare revocasset id, quod adhuc concessum non fuerat, ut in specie post Abbatem *in eodem cap. nuper*, *n. 3.* advertit Fagnan *ib. disc. 22. & 23.* Qui aliam assignat rationem latiùs expensam suprà, *disc. 1.* & quæ coincidit cum tertia responsione, de qua infrà, ut scilicet dicta revocatio Conciliaris percutiat ea bona, quæ sunt aliàs decimabilia, unde propterea eorum acquisitio per exemptos tolleret parochis jus quæsitum; Ideòque prudenter Pontifex Gregor. IX. dictæ Decretalis author, ita censuit compatibiliter cum dicto decreto Conciliari, quoniam, ut supra insinuatum est, ista exemptio novalium, non provenit ex gratia, & privilegio, sed ex justitia ob necessitas rationes, & consequenter ista di- 8 9

cenda

cenda non est lex nova, quæ aliquid statuat contra jus antiquum, sed potiùs declaratio, vel determinatio ejus, quod de jure procedebat, sed erat ambiguum.

10 Siquidem Concilium Lateranense celebratum fuit sub Innocentio III in anno 17. sui Pontificatus, qui juxtà chronologias cadit sub anno salutis, 1215. ut ex traditione Jo: And. advertit Anchar. *in cod. c. nuper*, n. 7. & Abbas n. 3. *circa fin.* Istà verò Decretalis edita fuit per Gregorium IX. qui fuit creatus Pontifex de anno 1227. Atque seclusa necessitate revolvendi tempora, & chronologias, observabam id probari per evidẽtiam rei, quę dicitur omnium probationum melior, magisque concludens, dum idem Gregorius IX. hujus Decretalis author, fuit compilator quinque librorum *Decretalium*, in quorum tertio registratum est istud decretum Conciliare, quod ita pernecesse convincitur pręcessisse;

11 Major igitur, penèque tota disputatio fuit circa tertiam responsionem, an scilicet ista bona dici possent talia, ut eis hæc novalium exemptio congrueret; Quamvis enim attento generali novalium vocabulo, sub eo veniant omnia prædia, quæ prius inculta, deinde ad culturam redacta sint, adeòut eorum status, vel species immutata sit; Attamen, ad effectum de quo agitur, cum potiùs attendi debeat finis, seu ratio, quàm cortex, vel formalitas verborum, novalia dicuntur illa, quæ consistunt quidem in prædiis incultis redactis ad culturam, ita tamen quod in primævo statu, vel nullam, vel nimiùm modicam decimam ex eis parochus perciperet, adeòut hæc exemptio grave detrimentum Ecclesiæ parochiali non causet; Secus autem ubi in eo statu inculto bona producerent quoque fructum notabilem licèt diversum, unde propterea notabile esset jus decimandi, ut ad litteram exponitur textus *in cap. quid per novale de verbor. signific.*

12 Et meritò quidem, quoniam, ut praxis ubique docet, atque advertitur etiam *in Ravennaten. collecta sub tit. de Reg. disc. 59.* Multoties meliora, magisque fructifera, & tuta sunt prædia, & terrena inculta ad pratorum, vel pascuorum usum deservientia, adeòut frequenter, præjudicialis, ac damnosa detegatur eorum redductio ad culturam, quæ præjudicare non debet decimatori; Non quidem ut iste impedire

13 possit rei dominium ne illius faciem seu speciem immutet, nisi agatur de illo decimatore temporali, qui ratione directi dominii hoc jus decimandi habeat, juxta distinctiones, de quibus ad materiam pascuorum, seu juris pascendi *sub tit. de servit. disc. 36. & 37.* sed ut secuta immutatione, vel de fructibus naturalibus ad industriales, seu mixtos, vel de una specie industrialium ad alteram, tanquam per speciem

14 subrogationis de novis fructibus decima debeatur, quamvis de illis percipi non consueverit, quoniam intrat subrogatio ad text. *in cap. commissum, & c. in tua, de decim. cum Concor.* de quibus post Rebuff. Monet. Gutier. & alius Rot. apud Carill. *dec. 44. & recent. dec. 591. p. 5. rec.* Rovit. *dec. 97.* & advertitur etiam *infra, disc. 15.*

15 Hinc proinde, potius facti inter causæ Patronos, quam juris inter Advocatos quęstio fuit, sub facti qualitate, ex qua pendebat dictæ juris theorica determinatio, seu applicatio; bene autem justificatum fuit, quod hic esset situs sterilis, non aptus ad fructum notabilem, qui sub annua vẽditione, vel locatione caderet; Quãvis etenim ex parte actoris probatum esset, quod arietes, præsertim destinati ad usum macelli Civitatis, in eo depasci solerent; Attamen erat ea modica pastura, quæ etiam in locis sterilibus datur, juxta illam pasturam, quam ego exemplificando, deducebam in monte testaccio, intra mœnia Urbis, quoniam ad effectum faciendi concessionem, id ea tunc probatum, & consideratum fuit ad effectum evitandi contraventionem illius Regię Pragmaticæ; Atque idem text. *in c. quid per novale, de verborum significat.* præsupponit ut ager incultus, qui ad culturam redactus est, aliquem produceret fructum, sed considerat, an iste sit notabilis, necne, quoniam excepto mere arenoso, vel paludoso litore magis, non datur ager, vel terrenum adeo sterile etiam in locis saxosis, ut non producat aliquam modicam herbam, etiam inter unum saxum, & alterum, sed punctum est in qualitate, vel quantitate, spectato effectu præjudicii, an scilicet istud sit notabile, necne?

16 Cum autem dictus textus *in c. quid per novale*, enunciando prædium incultum, dicat esse illud, de quo memoria non habeatur, quod quandoque cultum fuerit; Hinc proinde scribentes pro actore nimium in eo insistebant, quod non bene probata esset hæc immemorabilis cum suis requisitis recensitis *per glos. in c. 1. de præscript.* super quibus cum improbo inani labore chartas allegationibus implebant; Verè, autem hæc erat ineptia manifesta, & contemptibilis. Tum quia ipsa rei evidentia id probabat, dum erat situs montuosus, & saxosus naturaliter culturæ ineptus, qui non nisi ex Religiosorum longa patientia, & labore, ad hunc statum reduci poterat, vel reducere expediebat, ut generalis praxis docet locorum, quæ per speciem eremi concessa fuerunt illis reformatis, ac rigorosis Religiosis, qui quandam speciem antiquæ anachoriticæ vitæ ducunt.

Tum etiam, quia onus est actoris probare id, quod est suæ intentionis fundamentum, cum reo juxta notoria, & quotidiana axiomata, sufficiat vincere per non jus; Quamvis etenim in hac decimatoria materia intentio parochis actoris fundata sit in sola assistentia juris, ut pluries *hoc eod. tit.* advertitur præsertim *disc. seq.* adeout reus, qui exemptionis exceptionem allegat, dicatur in ea actor, qui concludentis probationis onere gravetur, juxta distinctionẽ, de qua apud Mantic. *dec. 241.* Gregor. & Add. *dec. 128.* & passim; Attamen in hac facti specie reus suam exceptionem jam quoque bene fundaverat, eo ipso quod probaverit hæc esse novalia ex dicta clara dispositione textus *in c. fin. de privil.* Cumque ad hanc evitandam actor replicaret, quod ista non essent de illa specie novalium, quibus hęc exemptio congruit, eo quia etiam in pręcedẽti statu notabilem fructum decimatorum producerent: ideoque exemptio notabile præjudicium Ecclesiæ parochiali pareret: Hinc proinde turbiditas consistebat in hac replicatione, cum qua tanquam per speciem limitationis regulæ exemptivæ novalium, hanc exemptionem evitare prætendebat, & consequenter intrabat axioma de quo apud Mantic. & Gregor. *ubi supra*, ac alias quotidie, quod limitatio in dubio non præsumitur, ideoque ille, qui eam allegat, concludentis probationis onere premitur. 17

Item quia dictus textus *in cap. quid per novale* illam ponderat circumstãtiam, non extantia memoriæ de statu culturæ, ne alias prætendi posset, ut sub novalium nomine venirent omnes illi agri, qui naturaliter culturæ, ac segetibus apti, & quandoq; coli soliti per eorum dominos, vel ex incuria, vel etiam ex industria, temporum conditione ita exigente, pascuis destinati fuerint, ut frequens praxis docet in casalibus agri Romani, quod scilicet in aliquibus temporibus magis expedit habere agros incultos ad usum pascuorũ, quam eos colere; non autem ut propterea desideranda veniat rigorosa probatio illius immemorabilis, quæ in hac materia apta est ad omnimodam exemptionem decimarũ, etiam in casibus, in quibus illæ alias debitæ sint, ob eam immemorabilis virtutem, seu operationem adeo notabilem, quod ejus vigore allegari possit, absque justificationis necessitate, Apostolicum privilegium, cum speciali derogatione dicti Concilii generalis *in cap. nuper*, vel quicunque alter titulus de Mundo melior, etiam contractus onerosi, & correspectivi, quinimo non solum ad effectum simplicis exemptionis passivæ, sed etiam illum juris activi decimatorii etiam in laicis, qui sine Apostolica authoritate hujusmodi jurium spiritualium incapaces existunt, ex deductis infra *in Taurien. disc. 6.* & in aliis, ideoque meritò hæc rigorosa probatio desideratur, sed manifestum æquivocum est ad hunc effectum idem desiderare, cum id nullum juris, vel rationis fundamentum habeat. 18

Deducebantur etiam ex hac parte ad quandam superabundantiam, privilegia Apostolica exemptiva huic Religioni concessa; Meritò autem Rota in Decisione desuper edita, ea neglexit, inhærendo commendabili Curiæ stylo, negligendi superflua; Adhuc tamen inter Scribentes hinc inde desuper certatum fuit, quamvis in hac unica disputatione, super qua resolutio non prodiit, in hoc puncto judicium pro veritate efformari non potuerit; Siquidem Scribentes pro Archiepiscopo actore insistebant in solita conclusione, quæ in hac materia est quotidiana, ut scilicet hujusmodi privilegia in proposito decimarum, non suffragentur, quoties non habeant specialem derogationem dicti Concilii generalis *in c. nuper*, ex generalium, ut indigeant mentione, ac derogatione speciali, atque non veniant sub derogationibus, vel non obstantiis generalibus, excepto Concilio Tridentino, quod ita disponente ejus confirmatoria Constitutione Pii IV. non indiget hac mentione speciali, sed venit sub derogatoriis generalibus. 19

Non negabam ego scribens pro reis conventis veritatem hujus theoricæ, seu conclusionis; Dicebam tamen quod ea non consistit in præcisa formalitate verborum, sed in ratione verisimiliter deficientis voluntatis Papę non comprehẽdendi sub dispositionibus, ac derogatoriis generalibus decreta Conciliorum generalium; Verùm hæc est nuda præsumptio juris, quæ tollitur per contrariam explicitam, vel etiam implicitam virtualem, seu adminiculativã probationem; 20

nem, Ad instar eorum, quæ habemus ex eadem ratione voluntatis ad materiam derogationis regulæ *de jur. tert. quæs. non tollend.* cùm nulla desuper cadat quæstio potestatis Papæ supra Concilium generale, juxta opinionem, quam inconcussè tanquam omninò veriorem Romana Curia tenet, unde propterea ubi alicujus Concilii generalis mentio habeatur, ea sufficit, sive dicatur de Conciliis generalibus in genere, aut quod alia ejusdem voluntatis adminicula, seu argumenta concurrant, quoniam in effectu ista est quæstio voluntatis, super cujus probatione certa forma præscripta non est, sed sufficit quod de illa constet, juxta originariam decisionem in hac materia decimarum in *Conchen. exemptionis* coram Orano relata per Garz. *de benef. par.* 4. *c.* 5. *n.* 29. Millin. *dec.* 277 *in fin* Add. ad Buratt. *dec.* 704. *n.* 11. & admittitur *in Vercellen. decimarum* 15. *Junii* 1646. *coram Cerro*, & latius *dec.* 334. *par.* 12. *rec.* & sæpius.

Et consequenter, stante amplitudine privilegiorum huic Religioni concessorum, vel innovatorum per Urbanum VII in ejus Constitutione 131. videbatur quod hujus voluntatis sufficiens probatio adesset.

21 Ponderabam quoque in idem istius Religionis Institutum, ob quod facilius dictæ voluntatis probatio, vel præsumptio resultaret, ob quandam peculiarem rationem, quæ in aliis Religionibus non dignoscitur; In aliis etenim, hæc exemptio à solutione decimarum, majorem ipsorum Religiosorum commoditatem, vel provisionem redolet, quæ attendenda non est in concursu clericorum sæcularium, animarum curæ, ac Sacramentorum administrationi vacantium; Hæc autem ratio non intrat in hac Religione, præsertim reformata, quæ in victu, & vestitu ipsorum Religiosorum arctissima est, fortè magis, vel saltim non minùs, quàm sit illa Capuccinorum, vel Minorum Observantium strictioris Instituti, adeòut, ad eorum instar rectè cum ostiaria mendicitate se substentare possent; Eatenus autem redditus, ac bona temporalia possident, atque de eis soliciti esse solent, ut eorum emolumentum convertant in principale hujus Religionis Institutum redemptionis captivorum a manibus infidelium; quod omnium magis pium opus videtur, pro quo antiqui Sancti PP. etiam vasa Sacra frangi, ac vendi posse dixerunt, atque practicarunt; Quinimò aliqui, ut præsertim Paulinus Episcopus Nolanus, seipsos vendiderunt; Ideòque parùm probabile videtur, ut pro majori parochorum, vel Episcoporum ditatione, hoc redemptionis opus per istud jus decimandi impeditum, vel diminutum remanerent; Et consequenter hæc privilegia potiùs quandam justitiæ declarationem, quam gratiosam, ac privilegiativam concessionem à jure exorbitantem continere videntur; Adhuc tamen defuit occasio id formiter disputandi, mihi verò ad veritatem etiam reflectendi, nimium probabile id videbatur.

VITERBIEN. DECIMARUM

PRO

PAROCHO SANCTÆ MARIÆ FARINARUM

CUM

RICCIOLIS, ET ALIIS.

Casus disputatus coram A. C. seu Prælato deputato, resolutus pro Parocho.

De differentia inter decimas prædiales, & Sacramentales; Et de prima decimarum specie debita per dominos prædiorum, quamvis ibi non vivant, neque sacramenta percipiant.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De regula*, cum cessante, &c.
3 *Resolutio causæ.*
4 *De distinctione inter decimas prædiales, & sacramentales.*
5 *De caso in quo quis plures habeat habitationes.*
6 *Cui Ecclesiæ isti solvant decimas.*
7 *Regulariter solvendæ sunt in Ecclesia, in qua recipiuntur sacramenta.*
8 *Decima solvendæ sunt de omni acquisitione etiam ex industria, vel exercitio.*
9 *De decima portionis colonicæ.*
10 *De decima prædiali, cui solvenda.*
11 *In istis etiam subest ratio Sacramentorum in habitu.*
12 *Decima assimilantur collectis, & è contra.*
13 *Forenses an solvant collectas?*
14 *Observantia est deferendum.*
15 *Pendente discussione exceptionis datur Episcopo manutentio.*
16 *De differentia inter privilegium explicitum, & implicitum, quod deducitur ab immemorabili.*
17 *In possessorio non admittuntur exceptiones contra testes.*
18 *Sola juris assistentia non sufficit in materia decimarum, sed bene juncta cum adminiculis.*

D I S C. V.

PRævio decreto Visitatoris Apostolici, usque ab anno 1574. Episcopus de anno 1580. ex eisdem motivis, de quibus super consimili provisione habetur, *sub tit. de Parochis in Melfiten. disc.* 18 pro cura animarum viventium in colonicis, seu ruralibus domibus prædiorum extra mœnia Civitatis Viterbii, duas erexit parochias suis finibus cuilibet assignatis, atque pro parochi substentatione, facta enumeratione domorum, seu familiarum, ita sparsim in prædiis viventium, loco decimarum, ex quibus hujusmodi parochialium dotem constitui debere per dictum Visitatorem decretum fuerat, præscripta fuit quædam uniformis taxa, seu præstatio annua Juliorum quinque pro qualibet domo, seu familia, quæ per Episcopum successorem de anno 1648. ex justis, & prudentibus motivis, commutata fuit in quandam præstationem pariter uniformem tritici; Cùmque post diuturnam pacificam observantiam aliqui prædiorum domini præsertim Riccioli, in dicta Civitate, vel alibi viventes, nullosque habentes in prædiis colonos fixos in eorundem prædiorum domibus viventes, hujus præstationis solutionem denegarent; Ordinarius autem instante Parocho Sanctæ Mariæ Farinarum, mandatum contra eos decrevisset; Hinc per appellationem introducta causa coram A. C. seu Prælato deputato. 1

Scribentes pro appellantibus, qui ad hujusmodi oneris solutionem, se non teneri prætendebant, cùm vagis generalitatibus, in eo insistebant, quod cùm hujusmodi onus injunctum esset per domos, seu familias, intra hujusmodi parochialium limites viventes, atque in eis recipientes Sacramenta, pro quorum commodiori administratione ad hanc novam erectionem processum fuerat, idcircò ex regula *cum cessante &c.* ipsi rei conventi, quibus dicta ratio non congruebat, cùm in prædiis non habitarent, neque ibi sacramenta reciperent, ad id teneri non deberent, nimiùm se diffundendo super interpretatione primi decreti Visitatoris Apostolici, quod ad colonos, vel incolas, decimarum onus restringere videbatur, & an per duas posteriores provisiones Episcoporum, illud alteratum fuerit, vel alterari potuerit; Sive an quasi possessio, seu observantia, in qua insistebat causæ Patronus, qui parochum tuebatur, suffragari deberet, necnè? Vel an per testes, ea benè probata esset ob plures exceptiones, quæ in persona, & in dicto adversus eos deducebantur. 2

Requisitus autem penè in limine expeditionis (justà stylum Curiæ) ad scribendum in jure pro Parocho; Dicebam etiam in sensu veritatis, injustam esse appellationem, atque improbabilem appellantium prætensionem fundatam in dicto motivo non habitationis, ac non perceptionis sacramentorum, cùm in hoc manifestum esset æquivocum Scribentium pro ejusdem; Idque Judex agnovit. 3

Dicebam etenim, advertendum esse ad notoriam distinctionem duarum diversarum specierum decimarum, quod scilicet; Aliæ sunt personales, vel sacramentales; Aliæ verè reales, seu prædiales; In prima autem specie procedunt ea, quæ per dictos Scribentes deducebantur, cùm illæ verè correspectivæ sint ad curam animarum, ac perceptionem Sacramentorum, & consequenter intrat dicta regula *cum cessante, &c.* illæque prætendi non possint nisi ab incolis, quibus dicta ratio congruat. 4

Cadente quæstione inter plures parochias, quæ æque sacramentales dici possent, quia nempè parochiani, vel causa curandi, vel occasione negotiationis, seu collectionis fructuum, aut alias, partem vitæ in una, & partem in altera ducerent, ut frequenter contingit in pastoribus, qui pro commoda animalium pastura, partem vitæ in montibus, partem verò in maritimis, vel alias apricis regionibus, du- 5

cere

cere coguntur, juxta ea, quæ occasione dohanæ habentur *sub tit. de Regal. disc. 94. & 95.*

Istoque casu, licet pro Juristarum, ac Moralium con-
6 suetudine, pene in omnibus materiis generali, opinionum varietas dignoscatur ex iis, quæ antiquioribus relatis habentur collecta elaboratè de more per Barbos. *de Paroch. cap.* 28. §. 1. *num.* 12. ex quibus patet, quòd consuetudo, sive observantia sit melior hujus quæstionis judex; Eodem modo quo est judex alterius quæstionis, de qua suprà *disc.* 1. inter Ecclesiam sacramentalem, & alteram prædialem, quæ ex consuetudine, prætendat etiam personales colonorum decimas.

Attamen ubi una vel altera circumstantia cesset, tunc sicuti extra controversiam videtur affirmativa, ut scilicet hujusmodi decimæ personales, seu sacramentales solvi
7 debeant parochiæ, in qua ex jure, seu reciproca necessitate parochiali, sacramenta recipiuntur, vel recipi debent; Ita è converso certa videatur negativa, ut non viventes intra parochiæ limites, ejusdem propterea non subditi, ad easdem non teneantur, utpote solvendas parochiæ propriæ, cui dicta ratio congruat administrationis sacramentorum, & curæ animarum, pro quibus hujusmodi decimæ personales, vel sacramentales parocho ministranti solvi dicuntur tanquam laboris merces, seu præmium, ex oraculo, ut qui altari servit, de altari vivat, sive quod bovi trituranti, os claudi non debeat.

8 Verùm hæc omnia procedunt in decimis merè personalibus, quæ ex omni industria, vel opificio solvi debent, adeout de stricto juris rigore etiam ex Advocatorum, & Procuratorum, ac Notariorum, & Medicorum, aliorumque professorum lucris, & emolumentis decima solvi debeat, quamvis pro magis communi usu de facto non id servetur, ex iis, quæ habentur apud Barbos. *d. tract. de Paroch. c.* 28. §. 1. *n.* 20. *& infra disc.* 18.

Et licèt sub hoc decimarum genere veniant illæ, quæ per
9 agrorum, ac prædiorum colonos, ex ipsorum prædiorum fructibus, pro eorum parte colonica percipiuntur, & quæ decimæ, primo aspectu, potiùs prædiales, seu reales dici videntur, utpotè consistens in quota fructuum naturalium, vel mixtorum, qui ex prædiis, & agris percipiuntur; Attamen ut advertitur *dicto disc.* 1. *& sub tit. de Regalibus in Mantuana disc.* 53. alias insinuata occasione agendi de oneribus laicalibus, solvendi per colonos laicos bonorum Ecclesiasticorum; Verius tamen est, ut decima personalis potiùs dicatur, quoniam colonica fructuum pars obtineri non dicitur ratione bonorum, & tanquam dominii sequela, adeout sit emolumentum reale, seu prædiale (cùm ista terminus congruat solùm portioni dominicali) sed obtinetur tanquam pretium ejus industriæ, & laboris, ac expensarum pro prædii cultura, ipsorumque fructuum recollectione, quasi quòd, quemadmodum dominus, quando manu sua, sive ad omne suum commodum, & incommodum prædium colit, cogitur in pecunia, vel in alia æquivalenti solvere mercedes conductitiis colonis, ac operariis, qui de illa mercede pro locorum consuetudine decimas personales Ecclesiæ sacramentali soluturi essent, ita domino nolente hoc onus subire, sed ejus loco, fructuum portionem colonicam eorundemque incertam aleam colono assignare, ista in locum dictæ mercedis operarum personalium subrogata dicitur.

In hac verò facti specie, quamvis cessaret causa, seu ratio solutionis decimarum personalium, vel sacramentalium, Non tamé cessabat altera obligatio decimarum prædialium quæ de jure debitæ sunt illi Ecclesiæ, intra cujus limites ipsa prædia sita sunt, non curato, an eorum domini, intra diversæ parochiæ fines vivant, ac sacramenta percipiant, quoniam (ut dictum est) aliæ sunt decimæ personales, quæ in sola ratione administrationis sacramētorum à personis debentur Aliæ verò reales seu prædiales, quæ debitæ sunt, ex quodam jure territoriali, seu jurisdictionali, illi Ecclesiæ, intra cujus limites bona existunt, ut ita quilibet parochus de suis emolumentis certus reddatur ex bonis, quæ intra suæ parochiæ fines sita sunt; ejusque sustentatio non pendeat à voluntate parochianorum, an in una, vel in altera parochia vitam ducere eligant, sæpius variando, ut aliquarum præsertim magnarum Civitatum consuetudo probare videtur; Ut ita distinguendo habetur in auctoritatibus, & decisionibus, de quibus *supra d. disc.* 1. ac etiam habitū fuit pro absoluto *in Calagaritana Decimarum S. Asterii disc.* 3. respectu bonorum existentium intra fines parochiæ loci diruti, ac depopulati, in quibus nemo vivat, sed prædiorum domini in alia parochia vivant, ac sacramēta percipiant, quoniam receptum est, ut ad hunc effectum sufficiat sola cura habitualis, quamvis non adsit actualis.

Atque ita dicebam, quòd in prædialibus quoque verificari dicitur eadem ratio curæ animarum, ac administrationis 10
sacramentorum, in potentia, seu in habitu, quod scilicet, si prædiorum domini eligant pro eorum oblectamento, vel commoditate, in ipsis prædiis vivere, atque in ea parochia sacramenta recipere, tunc parochus ad id tenetur, neque recusare potest: Ideoque congruere videntur ea, quæ in materia salarii, vel mercedis habentur *sub tit. de tutor. vel administr. disc.* 18. alibi, quod scilicet pro consecutione salarii 11
obtinendi per eum, qui ad servitium, vel ministerium tenetur, quoties ab eo peti contingat, sufficiat sola potentia, quod scilicet per eum non stet quominus conventum, vel debitum servitium præstet: Ponderando etiam, quod ob necessitatem culturæ, & collectionis fructuum etiam in illis prædiis, in quibus fixi coloni non vivunt, pernecesse in aliquibus anni temporibus, vitam ducunt operarii diurni, qui in ea parochia sacramenta aliaque divina pabula percipiunt, & consequenter, ex etiam ratio administrationis actualis aliqualiter verificari dicatur.

In idem quoq; conferre dicebam ea, quæ habemus in materia collectarum, à quibus, ad decimas, è contra, rectè 12
augeri licet, quoniam collectæ dicuntur etiam decimæ, quæ Principi, vel Civitati solvuntur, ad instar hujusmodi decimarum spiritualium, quæ solvuntur Deo tanquam Principi spirituali, ex pluries insinuatis ad materiam vectigalium, & collectarum, *sub tit. de Regalibus, & infra d. disc.* 18. Quoniam iterat eadem distinctio inter collectas personales, quæ solvunt ratione personæ, ac laborum, & industriarum personalium; & istæ debentur illi Communitati, cujus persona sit subdita ratione domicilii sui; Quæstione cadente respectu exterorum, qui accidentalem, seu occasionalem ibi trahant moram, ideòque subditi, ac domiciliarii dicendi non sunt, respectu illarum collectarum, vel contributionum, quæ proportionatæ sunt illis expensis, & oneribus, quorum commodum etiam exteri occasionaliter, ibi viventes sentiunt, ut (ex. gr.) sunt stipendia medicorum, & chirurgorum, vel expensæ horologiorum, & similes ex deductis in dicta sua materia.

Ubi vero agitur de collectis realibus, quæ per æs, & li- 13
bram solvuntur, ratione bonorum, ac prædiorum in territorio existentium: Quamvis de stricta juris censura forenses, qui bona in eo territorio possideant, tanquam non subditi illius Communitatis, ex defectu jurisdictionis collectari non possint; Attamen per communem consuetudinem, præsertim Italiæ, etiam antiqua, cujus mentionem faciunt Bartol. & alii antiquiores, forenses quoque collectantur, quamvis ibi non vivant, sed in propria patria, in qua onera publica supportant, ex plene deductis per Rotam *dec.* 3. post Cenc. de *cens.* & in aliis relatis *dicto tit. de Regalibus disc.* 92. ubi etiam *disc.* 77. habetur, quod imò in plerisque locis forenses, qui bona in loco possideant, duplici seu majori collecta gravantur, dictæque consuetudinis à plerisque improbatæ congrua ibi assignatur ratio.

Omnisque difficultas in hac facti specie cessabat ob obser- 14
vantiam, ac possessionem, in qua parochus existebat, ex qua duplicem effectum valde proficuum in proposito resultare dicebam. Primò nempè ex recepta, & quotidiana propositione adeo frequenter in omni materia insinuata, quod in quibuscunque ambiguis quæstionibus, observantia dicitur optima interpres, ac magnus Judex.

Et secundò, quia parocho existenti in possessione exigendi 15
decimas, juxta perpetuum, & inconcussum Rotæ antiquæ, & modernæ stylum, danda est manutentio, pendente discussione prætensæ exemptionis, sive ista deducatur à privilegio, sive à præscriptione etiam immemorabili, quoties non agatur de privilegio omninò claro, & indubitato, quod nullam admittat quæstionem, cùm tunc solùm clarum petitorium absorbere dicatur possessorium; Secus autem ubi illud aliquam admittat quæstionem, quæ altiori indagine digna sit, ac Judicis determinationem exigat.

Certiùs autem, ubi exemptio deducatur ex privilegio im- 16
plicito, quod allegari potest in vim immemorabilis, quoniam licet non dubitetur de virtute, seu operatione hujus adeo privilegiatæ præscriptionis, Attamen qui eam probare oportet per testes, cum tot rigorosis requisitis, quorum verificatio in praxi nimiùm rara est, ubi præsertim contingat fieri in partibus, ad consilium præsertim non callentium praxim Curiæ Romanæ; unde propterea quæstio non cadat super virtute seu operatione ipsius immemorabilis (præsupposita legitima ejus probatione) sed cadat super facto, an scilicet

licet

licet probatio benè, vel malè facta sit, cùm id exigat altiorem indaginem, ac Judicis determinationem, ideòque dicitur exceptio petitorii, non admittenda in possessorio, ut plene antiquioribus relatis firmatur *in Hispalen. decimarum coram Meltio impressa p. 10. rec. dec. 22.* ac melius, & quidem magistraliter ita distinguendo in alia confirmatoria coram Bichio *inter suas dec.* 386. ac etiam in aliis frequenter, præsertim apud Roys *dec.* 391. apud Celsum *dec.* 44. & passim.

17 Neque curandum esse dicebam de criticatione probationum dictæ possessionis; Tum ex regula generali, de qua pluries in sua materia *sub tit. de jud.* & alibi, quod, in possessorio præsertim retinendæ, non admittuntur exceptiones contestes, neque desiderantur perfectæ, & concludentes probationes, sed etiam imperfectæ sufficiunt.

18 Tum clarius in hac speciali materia decimarum favore parochi habentis pro se assistentiam juris, quæ licèt sola in hac materia, juxtà opinionem in Rota, & Curia magis receptam non sufficiat in possessorio eo modo, quo sufficit in jurisdictionalibus, attamen sufficiens reputatur ubi sit adminiculata ex iis, quæ habentur collecta per Add. ad Buratt. *dec.* 219. & insinuatur alibi pluries, & consequenter ille, qui habet juris assistentiam non indiget perfecta, & concludenti probatione, sed sibi sufficiunt adminicula, quæ non dubitatur resultare ex testibus, quamvis alicui exceptioni subjectis, quinimò etiam ex privatis attestationibus, ex pluries deductis dicta sua materia *sub tit. de judic.* & alibi.

TAURINEN. DECIMARUM

PRO ARCHIEPISCOPO

CUM COMITIBUS DE VALPERGA.

Casus decisus per Rotam pro Archiepiscopo.

De concessionibus decimarum, seu juris decimandi, factis per Episcopos, aliosque Prælatos, cum Apostolica confirmatione, vel respectivè sine, ad favorem laicorum; An & quando cadant sub revocatione Concilii generalis *in cap. nuper de decim.* Et quando decimæ præsumendæ sint temporales vel spirituales? Et de aliquibus ad materiam immemorabilis pro capacitate laicorum in hoc jure activo decimarum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De resolutionibus quæ diversis temporibus in causa prodierunt.*
3 *De punctis causæ.*
4 *Quando sit locus sequestro.*
5 *An, & quando sententia lata cum uno præjudicet alteri, ac faciat statum?*
6 *Etiam ubi non præjudicat, adhuc facit adminiculum.*
7 *An, & quando tertius veniens ad causam, faciat acta sua?*
8 *De distinctione inter decimas spirituales, & temporales.*
9 *Cui incumbat onus probandi unam, vel alteram qualitatem.*
10 *Probatio præsumpta non sufficit ubi est fundamentum intentionis.*
11 *An, & quando in possessorio sola possessio non sufficiat sine titulo?*
12 *In decimis sola possessio sufficit ob possibilitatem quod sint temporales.*
13 *Etiam in spiritualibus dari potest possessio commoditatis in laico, seu alias incapaci.*
14 *Quomodo hæc negotia gubernari debeant.*
15 *De actione negatoria.*
16 *Decimæ præsumuntur potiùs spirituales, quàm temporales.*
17 *De argumentis temporalitatis, vel spiritualitatis.*
18 *De incapacitate laicorum obtinendi decimas spirituales.*
19 *De ademptione potestatis Prælatorum facta per Concilium Lateranense.*
20 *An concessio decimarum præsumatur facta ante, vel post dictum Concilium?*
21 *Enunciativæ, an & quando probent?*
22 *De probatione immemorabilis.*
23 *Lis in qua possessor victus, non interrumpit immemorabilem.*
24 & 25 *An, & quando immemorabilis sufficiat, ut laicus obtineat decimas spirituales absque titulo?*

D I S C. VI.

PRætendentibus Comitibus de Valperga, ex antiquissimis concessionibus Archiepiscoporum, ac etiam ex plurium sæculorum antiqua, & immemorabili possessione, sibi competere jus decimandi bona castrutia intra fines oppidorum Ripariæ, & Furni, E converso autem eorundem locorum incolis id contravenientibus, (absque eo quòd Archiepiscopus esset in causa) introducta desuper lite in Rota prius coram Cotta, deinde coram Penia, prodierunt favore Communitatum dictorum locorum quædam resolutiones, ut liquet *ex dec. 616.* Peniæ *juxta Lugdunen. alias dec. 486. juxta Venetam impressionem*; Postmodùm vero tam coram eodem, quàm in aliis instantiis tres sententiæ conformes Rotales ad favorem Comitum prodierunt cum subsecuta executione, unde propterea causa diu siluit; Ea verò moderno tempore reassumpta per Archiepiscopum, cui eædem Communitates adhærebant coram Bourlemont *subrogato, sub die 23 Martii 1667.* ad favorem Archiepiscopi prodiit resolutio, ad cujus normam expedita sententia, & commissa causa in eadem Rota coram Calataju, post resolutionem super sequestro *sub die 27. Aprilis 1668.* prodiit etiam secunda sententia confirmatoria prævia decisione *sub die 31 Maii 1669.* deindeque tertia coram Priolo prævia decisione *sub die .... Junii 1670.* atque Signatura rescribente cum clausula, *sine præjudicio trium conformium*, causa vel finem habuit, vel concordata est, vel saltim quiescit, dum de illa ampliùs actum non audivi. 1

In tot autem disputationibus desuper habitis in tribus instantiis in Rota, ac etiam demum in Signatura, quinque erant puncti; Primò super sequestro de quo actum fuit in secunda instantia coram Calataju: Secundò an obstarent dictæ tres antiquæ sententiæ Rotales? Tertiò, an istæ dicendæ essent decimæ spirituales, vel temporales, ad effectum capacitatis laicorum? Quartò circa concessiones factas per Archiepiscopos. Et quintò circa immemorabilem, tam quoad ejus probationem, quam circa ejusdem virtutem, seu operationem. 3

De primo puncto habetur actum in sua materia *sub tit. de judic.* ubi de iis, quæ judicii ordinem, ac hujusmodi incidentia concernunt, præsertim, quando sequestro locus esse debeat, adeòut intret limitatio regulæ, quæ illud prohibet, quando justa causa non accedat, quæ limitationem suadeat.

Quatenus verò pertinet ad secundum punctum trium conformium Rotalium, planum videbatur, ut illæ non obstarent Archiepiscopo actori, quoniam latæ fuerunt cum dictis Communitatibus laicorum, quæ dici non poterant legitimi contradictores, seu legitimi defensores ob diversitatem juris, seu tituli; Ipsæ etenim contendebant de sola exemptione passiva, Archiepiscopus autem de jure activo, loco parochi, & consequenter de plano intrabat regula textus *in l. sæpè ff. de except. rei judic.* ut res judicata cum uno, non præjudicet tertio diverso jure venienti, Quinimò etiamsi ex eodem, ubi illud sit coæquale, & contemporaneum, cum solum sententia lata cum uno, præjudicet alteri, atque cum eo statum faciat, seu causet exceptionem rei judicatæ, quando jus tertii sit accessorium, seu consecutivum, defensio autem causæ principaliter spectaret ad eum, cum quo lata est, juxta distinctiones, de quibus *sub tit. de jurisdict. in Conversanen. & in Marsicen.* ac *in Terrasonen. disc. 2. 13. & 22.* ac etiam habetur *sub tit. de fideicomm. disc. 173. & seqq.* occasione agendi de re judicata, vel de transactione cum hærede gravato, an obstet fideicommissario, cum similibus, de quibus in sua propria sede *sub tit. de jud.* & in hujus causæ decisionibus, cùm solùm, ea ibi deductis, res judicata, quæ prodiit cum uno, quoties non constet de collusione, vel ejus suspicio non accedat, aliquod adminiculum faciat contra tertium favore victoris. 4 5 6

Potissimè, quia Archiepiscopus non curaverat se admitti ad dictam causam cum Communitatibus, in statu, & terminis, unde propterea dici posset quòd fecisset acta sua, eisque ligaretur, dum judicium instituerat ex integro, independenter ab altero collitigante, juxta distinctionem, de qua *dec. 352. n. 2. p. 3. rec.* Adden. ad Gregor. *dec.* 239. *n.* 7. cum 7

aliis

aliis in hujus causæ decisionibus, in dicta materia *sub tit. de judic.*

Circa tertium punctum; an decimæ essent temporales, vel spirituales, non controvertebatur conclusio plenè per Scribentes in contrarium exornata, de quo pluries intrà præsertim *disc.* 8. quòd iste terminus, seu vocabulum decima-
8 rum, non semper, neque pernecesse importat illas decimas spirituales, quæ de jure Divino in veteri Testamento solvebantur Levitis, in Novo autem solvuntur parochis, cum congenere possit etiam decimis temporalibus, quæ, vel per speciem canonis, vel census, in recognitionem directi do-
9 mini fundi, vel per speciem collectæ, seu contributionis solvuntur domino temporali loci, seu alteri personæ quamvis sæculari, ut etiam habetur *in Hydruntina onerum sub tit. de Regal.disc.*40. Ideòque sola quæstio erat cuinam incumberet onus probandi unam, vel alteram qualitatem, ex qua laicorum capacitas, vel respectivè incapacitas resultat.

In hoc autem Scribentes pro Comitibus procedebant cum vulgari, & quotidiano axiomate, quod præ cæteris constanter Romana Curia sequitur, & a me insinuatur in omni ferè materia, & præsertim *sub tit. de dote, disc.*144. *&* 145. in proposito agendi, cuinam incumbationis probandi congruitatem, vel incongruitatem dotis, sive existentiam, vel carentiam bonorum liberorum, cum similibus, ac etiam in dicta sua peculiari probationum sede *sub tit. de judic.* quòd
10 scilicet semper onus actoris est, probare id, quod pro suæ intentionis, vel actionis fundamento allegat, quamvis in negativa consistat; Atque juxta opinionem pariter receptam in Curia, de qua per Adden. ad Gregor. *dec.*53. *& dec.* 892. *n.* 4. *par.* 5. *recent.* & passim, in iis, quæ in actore sint fundamentum intentionis, sola præsumptiva probatio non sufficit.

Scribens ego pro Archiepiscopo dicebam quòd quidquid sit de hujusmodi generalitatibus, in aliis casibus, seu ad alios effectus; Quatenus pertinet ad hos terminos speciales quæstionis super jure decimandi per laicos possessi, vel prætensi, distinguendum est inter judicium possessorium, & petitorium. Primò etenim casu; quamvis posito quòd ageretur de
11 decimis spiritualibus, non intraret favore laicorum regula generalis, quam in possessorio retinendæ habemus, quod in hoc judicio non quæritur de justitia, vel injustitia, cujus inspectio reservatur ad petitorium, sed attenditur nudum factum possessionis, cum id procedat in juribus, ac bonis indifferentibus, in quibus non urgeat vehemens juris resistentia, quæ operatur, ut sola possessio sine titulo legitimo, saltim sufficienter colorato, non sufficiat, ut receptum habemus in Regalibus, ac aliis, quę sine privilegio Principis per privatum possideri non possint.

12 Attamen illa possibilitas, quòd sint decimæ temporales, sufficit ad tollẽdam dictam vehementem juris resistentiam, quòdque propterea possessor sit manutenendus; Potissimè verò ubi possessio sit diuturna, seu temporis considerabilis, cùm tunc attenditur, ac sit manutenibilis etiam in iis, quibus jus resistat, ut sine privilegio possidere non possint; Ut ultra generalia, de quibus in omni ferè materia, & præsertim *sub tit. de Regalib.* ac *d. tit. de judic.* In his præcisis terminis meè converso scribente pro Comitibus de Publicis contra ipsummet Archiepiscopum firmatum fuit in alia *Taurinen. decimarum* 23. *Jun.* 1694. coram eodem Bourlemont, *ex dec.* 404. Gregor. cum aliis in dictis decisione relatis.

Quinimò ubi ageretur de decimis spiritualibus, adhuc in possessorio, ubi præsertim possessio sit diuturna, seu tempo-
13 ris considerabilis, id obstare non videtur, cùm referri possit, non quidem ad ipsum jus decimandi, quod est spirituale, cujus laicus est incapax, sed ad illam capacitatem, quæ etiam in spiritualibus in laico dari potest, in sola scilicet perceptione, seu commoditate, prout nudi facti est, absque mixtura juris, juxtà eam capacitatem, quam quotidianam habemus in laicis circa commoditatem pensionum Ecclesiasticarum, ut in sua materia, *sub tit. de pension.* præsertim *disc.* 10. & de capacitate privatorum in feudis, aliisque juribus regalibus non obstante strictissima prohibitione alienandi, & incapacitate obtinendi sine assensu domini, habetur pluries *sub tit. de feud.* præsertim *disc.* 61. *& seq.* & alibi.

Et in his specialibus terminis decimarum, ita distinguendo inter jus decimandi, & commoditatem seu facultatem exigendi decimas de facto, ut laicorum incapacitas, ad primum, non autem ad alterum effectum procedat, cæteris relatis habetur per Abb. *in cap. ad hæc n.* 4. Rebuff. *hoc tract. q.* 10. *num.* 34. Gratian. *discept.* 238. *num.* 21. *& admittitur dec.*95. *n.* 10. post Salgad. *in labyrint.* Et consequenter una, vel altera possibilitas ad id sufficit; Ideoque non mirum si iisdemet Comitibus in eadem causa per Nũcium Sabaudiæ concessa fuit manutentio, in secunda instantia confirmata per A.C. Quamvis enim ego in hoc secundo Tribunali Scribens pro Archiepiscopo more Advocati insisterem in dicta conclusione, quòd vehemens juris resistentia impediat etiam in possessorio; Attamen (reflectendo ad veritatem, ab initio pro stylo agentibus pro Archiepiscopo insinuatam) dicebam quòd justa esset determinatio, ideòque consului quòd in Rota, cedendo possessorio, assumeretur petitorium, prævidendo ex tunc cautelam jam admissam, ut obtenta in petito- 14
rio prima sententia, intentari, ac obtineri posset sequestrum, ex iis, quæ super hoc puncto sequestri habentur in hac eadem causa, *sub tit. de jud.*

Secus autem ubi quæstio sit in petitorio, quoniam tunc, juxtà receptam distinctionem, de qua in proposito servitutum plenè cæteris relatis habetur, *dec.* 101. *p.* 4. *rec. tom.* 2. 15
& sub tit. de serv. disc. 23. & in proposito pensionum Ecclesiasticarum, vel censuum, seu livellorum, aliorumque onerum habetur *sub tit. de pens.* & sub altero *de emphyt.* illi, qui habet pro se juris assistentiam, vel præsumptionem, competit facultas intentandi super ejus libertate contra eum, qui servitutem, vel jus in alieno prætendit, actionem negatoriam, quę absque alia justificatione sufficit ad ejus absolutoriam, seu libertatis canonizationem, si ille, qui servitutem habere prætendit, in præfinito termino eam non probet.

Istique termini rectè intrabant, quoniam licèt iste deci- 16
matum terminus sit æquivocus, qui spiritualibus, ac temporalibus congruere potest, atque inter DD. opinionum varietas dignoscatur, cuinam qualitati potiùs præsumptio assistat; Attamen Rota, & curia sequitur opinionem, quæ antesignanum habet Bald. *cons.*419. *lib.* 1. ut in dubio præsumantur potiùs spirituales quàm temporales, ut habetur *dec.* 64. *n.* 7. *p.* 1. *recent dec.* 22. 28. *&* 180. *p.* 7. apud Merl. *dec.*694. cum aliis per Add. ad Gregor. *dec.* 404. & firmatur in dicta alia *Taurinen. Decimarum* 23. *Junii* 1664. coram Bourlemont. Ideòq; intrat consuetus effectus præsumptionis transfundendi onus probandi contrarium in alteram partẽ.

Multò verò magis, ac extra dubium, ubi hæc juris præsumptio, aliquibus facti adminiculis munita sit, quę plura concurrere videbantur, Primò nempè, & potissimùm, quòd istæ decimæ erant communes pro quibusdam quoties, inter ipsos Comites, & parochum; Id enim esse magnum spiri- 17
tualitatis argumentum in specie advertitur in altera *Taurinen. impress. p.*10. *rec. dec.* 291. Secundò, non leve argumentum, seu adminiculum desumebam ab observantiam, tam antiqua, quàm moderna, circa hujus causæ introductionem; ac diuturnam agitationem, primò in partibus coram Nuncio, deinde in Rota, tanquam in tribunalibus Ecclesiasticis, quod utique in hoc Principatu laicali secutum non esset; neque ipse Princeps, quamvis partibus consentientibus, juxtà communem praxim permisisset, ubi quæstio esset inter Baronem, ejusque vassallos super decimis, aliisque oneribus temporalibus; Signum clarum quòd ageretur de spiritualibus, de quibus nonnisi in foro Ecclesiastico, quoties agitur de ipso jure decimandi, non autem de nudo facto exactionis, agi potest, ob fori laicalis incapacitatem.

Et tertio; quia iidem Comites allegaverant, se etiam ex- 18
hibuerant antiquas concessiones, ac renovationes factas per Archiepiscopum pro tempore; Quamvis etenim istud adminiculum esset equivocum, ideòque solum, ac de per se insufficiens, eò quia hujusmodi oppida, seu loca erant de dominio directo Ecclesię etiam in dominio temporali;(quidquid sit de dominio alto vel superioritate Principis(unde proptereà concessio continebat etiam jus temporale: Attamen stantibus præmissis aliis, istud quoque cum eis conjungendum considerabile videbatur: Potissimè dum in retroactis disputationibus causæ antiquæ, ut liquet ex supra allegata *dec.*616. Peniç, & ex aliis, ipsimet Comites probare conati sunt immemorabilem, ad effectum substinendi hujusmodi competentiam, ac tollendi dictam juris resistentiam, atque semper processum fuit cum præsupposito, quòd ageretur de decimis spiritualibus, cum quarum terminis processum fuit, ideòque iste punctus videbatur planus,

Hinc de consequenti: Quatenus pertinet ad quartum punctum: Iidem Scribentes pro Comitibus, non negabant regulam super eorum incapacitate, ac vehementi juris resistentia juxtà textus literale, *in cap. decimas* 16. *quæst.* 7. *c. prohibemus*, *cap. tua*, *c. dudum de decim. cum concord. collect.* per Monet. *hoc tract. c.* 5. *qu. st.* 3. *n.* 57. apud Cels. *dec.* 118. *n.* 14. *cum concord. in causæ decisionibus*, cum sit principium

pium absolutum: Ideòque, ultra motivum immemorabilis, de quo infra in puncto sequenti, fundamentum constituebatur in exhibitis investituris, vel renovationibus antiquis Archiepiscoporum de annis 1305. & 1414 aliisque posterioribus, in quarum aliquibus enunciatur quod istæ essent concessiones antiquissimæ, etiam ante Concilium
19 Lateranense sub Alexandro III. per quod Episcopis, aliisq; inferioribus Prælatis expressè adempta est facultas faciendi laicis hujusmodi concessiones decimarum, non revocatis tamen concessionibus jam factis, ac effectum sortitis de quarum manifesto vitio non appareret, ideòque nulla videbatur cadere quæstio juris, sed tota erat facti, an scilicet constaret de hujusmodi antiquitate, quodque concessiones jam factæ essent ante dictum Concilium.

Atque in hoc (cum sensu etiam veritatis, qualem Rota quoque agnovit) dicebam probabiliorem esse negativam; Tum quia in dubio talis est præsumptio juris, ut scilicet, potius postea, quam antea concessiones factæ præsumantur, ideòque præsumptio stat pro invaliditate, ex iis quæ
20 ceteris relatis habentur apud Barbos. *de Episc. alleg.* 111. *n.* 5. & per Rotam *in alia Taurinen. dec.* 193. *n.* 9. *p.* 2. *rec.* Tum etiam quia prima investitura, quæ exhibeatur, erat de dicto anno 1305. & sic post Concilium, quod celebratum fuit circa annum 1175. Et quamvis ista concessio non convinceret quod esset prima, sed potiùs præsupponere videretur alteram præcedentem, non tamen concludebat tempus ante Concilium, ob possibilitatem quod ea sequi potuerit in notabili intermedio tempore.

Enunciativæ autem quod originariæ concessiones, factæ
21 essent ante Concilium, tunc suffragari potuissent, quando essent antiquæ, atque continerentur in dictis primis investituris annorum 1305. & 1414. Sed non proderant, quia continebantur solùm in quibusdam renovationibus modernis obtentis de annis 1580. & 1594. ideòque nullius ponderis videbantur: Tum quia recentes, ideòque non attendendæ, tùm solùm deferatur antiquis ultra centum annos, ex relatis per Add. ad Buratt. *dec.* 178. *n.* 12. Dum quia etiam antiquis enunciativis tunc defertur, ubi sunt aliunde benè adminiculatæ, vel ubi non agatur principaliter de enunciato, quod incidenter ad alium effectum deducatur, secus autem ubi super eo sit principalis quæstio, quoniam tunc solæ non sufficiunt ex iis, quæ antiquioribus relatis habentur apud Greg. *dec.* 562. *n.* 3. & apud Otthob. *dec.* 257. *n.* 11. & frequenter, cùm sit propositio certa.

Potissimè verò ubi enunciativa non sit tertii non suspecti, sed ejusdem Episcopi, qui actum prohibitum fecit, quoniam in prohibitis non statur confessionibus, vel assertionibus, ex regula quod prohibitus alienare est etiam prohibitus confiteri, ne alias legi fraus de facili fiat, illaque verbis potiùs, quàm rebus imposita dicatur, quia nempè id, quod directè fieri prohibitum est, ita indirectè sequatur, ut ultrà generalia, de quibus, *sub tit. de alienat. & contract. prohib.* pluries; In specie assertionum, vel enunciativarum Episcopi, vel Prælati facientis actum, plenè habetur apud Otthob. *dec.* 6. *& dec.* 224. *p.* 10. *rec.* in proposito agendi de dismembrationibus, de quibus etiam agitur *sub tit. de benef.* & sub altero *de paroch.* pluries.

Clarius verò, ac extra omnem dubitationem, quoniam istæ recentes enunciativæ ad evidentiam convincebantur affectatæ, ac probabiliter ab Archiepiscopis, vel eorum officialibus ad id non reflectentibus, studiosè extortæ post jam introductam, & agitatam litem in Rota coram Penia, & Coria usque ab anno 1566. cum ex motivatis in decisionibus editis in dicta antiqua causa cum Communitatibus, & probabilius ex motivatis per Advocatos in Curia, occasione congressuum, qui pro directione causæ haberi solent, iis ipsi admoniti, & consulti fuerint; ideòque omninò planum videbatur, ut hujusmodi enunciativis nullatenus deferendum esset.

Demum quoad quintum, & ultimum motivum immemorabilis, duæ erant inspectiones; Una scilicet facti (quamvis in decisionibus neglecta) an ista probatio cum suis requisitis adesset, necne? Et altera juris an posita ejus probatione, ad hunc effectum relevaret?

Circa primùm, quamvis probatio, attento tempore præsenti, atque subducto solum illo hujus modernæ litis, esset benè facta, cum suis consuetis requisitis positis per celebrem *glos. in c.* 1. *de præscript. in* 6. Attamen dicebam, ut
22 deduci deberet tempus etiam dictæ primæ litis habitæ cum Communitatibus, quæ in Rota initium habuit usque ab anno 1666. Ita enim resultabat, ut immemorabilis non solum non remaneret probata, sed esset improbabilis, cum subducto dicto tempore litis, impossibile esset habere testes, qui subducto etiam tempore pupillaris ætatis concludere posset immemorabilis primarium ac substantiale requisitum pacificæ quadragenariæ possessionis de visu.

Ac etiam quia per dictam litem in possessoribus mala fides introducta erat, neque alterum verificari poterat essentiale requisitum, quod nihil in contrarium unquam gestum, vel auditum fuerit; Accedente etiam dicta exhibitione tituli concessionum.

Et quatenus singulis bis considerationibus benè respondere posset, ad hanc ultimam scilicet exhibitionis concessionum, quod illa sit compatibilis cum immemorabili, quando ad titulum, seu initium restrictum non sit, ut alibi in præcedentibus insinuatur, quodque omnimoda diversitas causæ superius ponderata ad effectum evitandi obstaculum rei judicatæ, seu trium conformium dictæ litis obstaculum tollat, juxtà firmata in his terminis in decisionibus, de quibus *disc. proximè seq.* dum ex alia regula, quod lis, in qua obtentum fuit, non interrumpit præscriptionem, neque inducit malam fidem, sed potius ita confirmat bo- 23
nam, Seraphin. *dec.* 1027. *n.* 14. cum Concord. apud Buratt. & Add. *dec.* 171. *n.* 16. *et dec.* 436. *n.* 7. Gregor. & Add. *dec.* 467. Bich. *dec.* 361. *n.* 23. Nihilominus ista simul juncta, atque superius ponderata affectatio contenta in ultima renovationibus post dictam litem super enunciativis quod concessiones essent ante Concilium, quemdam malum fumum, seu rei malam faciem inducere videbantur, ut immemorabilis benè conclusa non videretur.

Unde propterea advertebam, quod ita magis de plano intraret alter punctus juris super dictæ immemorabilis, quamvis benè probatæ, operatione, & qui punctus fuit potissima causa resolutionum, quod scilicet quamvis accedente immemorabili, dari possit etiam in laico possessio hujus juris decimandi, ob adeò frequenter insinuatam immemorabilis, virtutem, seu operationem, ut ejus vigore 24
allegari possit quicunque titulus de Mundo melior, & consequenter etiam privilegium Apostolicum, vel concessio Episcopi ante dictum Concilium Lateranense; Attamen, in his specialibus terminis, quamvis inter antiquos Canonistas sub non modica quæstione fuerit, an ea sola sufficiat, vel necessaria quoque sit probatio famæ privilegii, vel alia æquipollens, quod id secutum sit ex investitura feudali, seu æquipollenti, ob quam tollatur jus proprium, quod in laico est impossibile, seu omninò incompatibile, unaque opinio credat, ut hoc adjunctum necessarium non sit, quoniam ex eadem immemorabilis virtute seu operatione allegandi quemcumque titulum de Mundo meliorem, ita hæc omnia allegari possunt.

Verùm in Rota prævaluit, magisque recepta est altera opinio, quæ tribuitur Jo. Andr. eamque sequitur Felin. *in c. cum causa de præscript. et in c. cum contingat de for. compet.* ut formiter discusso articulo firmavit Rot. *antiqua dec.* 115. *p.* 2. *divers.* quæ reputatur in materia magistralis, cum qua deinde processum fuit in aliis pluries, præsertim apud Merlin. *dec.* 694. *n.* 18. *et seq. dec.* 103. *n.* 7. *et seq. p.* 7. atque cum hac procedunt Marescott. Monet. & alii in præmissis, & in hujus causæ decisionibus relati, unde propterea ad effectum faciendi hanc aliam probationem, curavit altera pars obtinere in secunda instantia remissoriam sibi concessam prævia *d. dec.* 27. *April.* 1668. cor. Calatajn, ea tamen ad exercitium deducta non fuit.

Benè verum quod (reflectendo ad veritatem) pro meo judicio, quamvis Scribentes in contrarium id non motivaverint, dictæ enunciativæ, quando non haberent supradictæ affectationis suspicionem, censeri debuissent probatio æquipollens, sed ob præcedentem litem, affectatio videbatur clara, ideòque ea, quæ prodesse debuissent, ita nocebant, & consequenter resolutiones probabiles visæ sunt.

ILLERDEN. DECIMARUM

PRO CAPITULO OPPIDI DE ALBELDA

CUM DOMINO SEU CARLANO EJUSDEM LOCI,

Casus decisus per Rotam pro Carlano.

De eadem materia laici obtinentis jus decimandi in vim immemorabilis, & quando huic obstet lis, quæ sub diversa re agitata fuerit, necne?

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *De pluribus resolutionibus causæ.*
3 *De probatione immemorabilis.*
4 *Quale tempus litis debeat deduci.*
5 *Et quæ his non præjudicet.*
6 *De jure decimandi temporali competente Baronibus.*

D I S C. VII.

1 ORta jamdium controversia inter parochum Oppidi de Albelda, ejusque Baronem, qui Carlanus ibi appellatur super jure decimandi, dum parochus decimas prætendebat ex illis domibus & bonis, quæ non essent franca, qualia erant solùm ea, quæ erant descripta in quodam libro nuncupato *manifesto*, in quo bona franca descripta erant; De anno 1418. juxta dictam distinctionem, favore parochi prodiit sententia arbitramentalis, ut scilicet Carlano jus decimandi, privativè ad parochum in bonis franchis tantùm in dicto libro descriptis, competeret, in aliis autem esset parochi; Cùmque deinde dicta Ecclesia parochialis in Collegiatam erecta fuisset; Hinc propterea Capitulum, in locum parochi in omnibus subrogatum, dicta determinatione non contentum, litem coram Ordinario introduxit, de anno 1593. Super solutione decimarum contra possessores bonorum francorum, citato etiam pro suo jure Carlano, qui è converso judicium introduxit super ejus jure decimandi in universo territorio etiam respectu bonorum, quæ in ejus libro non descripta, non franca dicuntur, atq; de ann. 1616. prodiit in partibus sententia illi favorabilis, eum declarando decimatorem universalem; Introductaq; per appellationem causa in Rota coram Sacraro, de anno
2 1618. dicta sententia revocata fuit, idemque dictum per duas alias sententias Rotales coram Ubaldo, & Verospio de annis 1620. & 1621. Verùm commissa denuò causa per Signaturam coram Pitovano, cum clausula *parito judicato*, assumpta fuit consueta quæstio super immemorabili, in qua ex insinuatis *disc. præcedenti*, unicum est refugium laicorum aliàs absque dubio incapacium hujus juris decimandi, atque super hoc variæ prodierunt resolutiones, quoniam *sub diebus 15. Martii 1630. & 7. Februar.* 1631. dictum fuit non benè constare de immemorabilis probatione, quæ ad id sufficeret, quarum resolutionum prima est impressa *dec. 511. p. 5. rec.* deinde verò *sub die 23. Junii* 1631. ab illis recessum fuit, ex eo fundamento quod non ageretur de jure decimandi in universum, sed de illo super quibusdam bonis; Verùm reproposita causa, coram eodem Pitovano *sub die 18. Febr. 1639.* recedendo ab ultimò decisis, confirmatæ fuerunt priores resolutiones; In alia verò propositione 16. *Decembr. ejusdem anni* approbata fuit dicta diversa resolutio 23. *Junii* 1631. istæq; resolutiones habentur impressæ *p. 8. rec dec.* 108. & 185. eisq; stantibus, Carlanus obtinuit per Signaturam committi eidem Pitovano causam restitutionis in integrum adversus dictas tres conformes, atque assumpta desuper disputatione, prodiit sententia super restitutionis competentia, prævia resolutione *sub die prima Martii* 1641. eaq; confirmata fuit in alia instantia coram Ghislerio prævia *dec. 4. Julii, ejusdem anni*, ac demum commissa denuò causa coram Celso *sub die 22. Martii* 1656. pro dictarum sententiarum confirmatione ad favorem Carlani prodiit quoque resolutio, quæ habetur inter ejus impressas *dec.* 217. neque audivi amplius actum de causa, vel quia Capitulum acquieverit; Vel quia defensores mutaverit.

In hac autem ultima disputatione habita coram Celso; (in qua solum ego scripsi pro Capitulo, cum de tempore præcedentium, neque ad Curiam adhuc accessissem) unicus punctus fuit, an immemorabilis benè probata esset, necne cum requisitis vulgatis *glossæ in c. 1. de præscript. in 6.* quibus accedentibus, de ejus operatione dubitandum non erat,
3 cùm causæ latè facta esset etiam cum fama privilegii, unde propterea cessaret difficultas de qua *disc. præced.* An autem talis probatio benè concluderet pendebat ab alio puncto litis ut supra notæ usque ab anno 1593. quinimò usq; ab ann. 1418. quoniam cùm primum, ac essentiale requisitum sit, ut testes deponant de pacifica quadragenaria de visu post pubertatem, unde ad minus testes habere debent ætatem annorum 54. ante motam litem, hinc proinde si primæ litis tempus subducendum esset, non solùm deficiebat probatio, sed ea erat impossibilis; secus autem ubi subducendum esset solum tempus secundæ litis, initium habentis de anno 1617. cum tunc probatio concluderet.

In hoc autem, Rota in decisionibus editis super dicto 4
puncto, & præsertim ultima coram Celso processit cum eadem conclusione *de qua disc. præced.* & in aliis quòd scilicet, ejusdem, non autem diversæ litis tempus deduci deberet, cùm antiqua lis mota de anno 1418. vel de anno 1593. esset ab hac recenti diversa, dum antiqua lis erat super jure particulari decimandi solùm quædam bona particularia franchitiam habentia, vel respectivè non habentia, ista verò recentior erat super jure universali.

Verùm pro meo judicio videbatur, ut in hoc processum esset cum aliquo æquivoco, quoniam parochus ab initio de anno 1418. habens juris assistentiam super jure universali decimandi omnia bona intra suæ parochiæ limites existentia, istud vero jus exercendo in aliquibus tantùm, atque in aliis, quæ diversam qualitatem habebant descriptionis in dicto libro, ex antiquo usu impeditus, ad alia istam qualitatem non habentia, ejus petitionem restringeret, & ne super istis impediretur, id non causat litem su- 5
per jure peculiari, sed continet jus, seu regulam universalem, non impediendam nisi in solis casibus limitatis juxtà ea quæ habentur *sub tit. de jurisd. disc.* 3.

Ac propterea, illud jus decimandi, quod Baro, seu Carlanus habebat in dictis aliis bonis qualificatis, verè 6
non importaret jus decimandi activum spirituale, quod ei competeret, sed solùm potiùs quamdam exemptionem passivam à jure decimandi, ac propterea si ipse Carlanus ea possideret nihil solvere deberet, sed integros fructus perciperet; Sed quia tanquam ea concessione in emphyteusim, vel subfeudum possidebantur à privatis, idcircò id quod exemptio à decima parochiali importabat, ipsius domini commodo cederet.

Ad instar eorum quæ habentur *in Algaren. sub tit. de jur. disc.* 49. Quod scilicet cum ex Regio privilegio Comes de Sedillo habere jus obtinendi decimas frumenti, aliarumq; frugum illorum territoriorum, unde propterea conductores solvere solent dominis territoriorum pensionem, quæ illi sub terratici vocabulo nuncupatur, ac ulterius decimam Comiti, quando Ecclesiastici ab hoc onere exempti possident terras, quas colonis concedunt, isti eisdem Dominis solvunt solitum terraticum, ac etiam istam decimam, quam alias solvere deberent Comiti, si bona essent laicalia, Isteque mihi videbatur casus; Adhuc tamen in unica disputatione in qua ex parte Carlani parum scriptum fuit, dum Decisiones juxtà stylum fuerunt loco informationum, non potuit maturum judicium desuper efformari.

ROSSANEN. DECIMARUM

PRO ARCHIEPISCOPO

CUM

QUODAM COLLEGIO SOCIETATIS JESU.

Casus disputatus coram A.C. sub incerto exitu.

An privilegia exemptionis, quantumvis ampla, suffragentur pro bonis conductis, seu arrendatis? Et an pro decimis temporalibus? Et quando istæ dicantur tales potius, quam spirituales?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *De privilegiis exemptivis Societatis Jesu.*
3 *An sub nomine Regnorum Castellæ, & Legionis veniat Regnum Navarræ?*
4 *Privilegia exemptiva non suffragantur pro prædiis conductis.*
5 *Decimæ quæ solvuntur per conductores, in effectum solvi dicuntur per locatores.*
6 *Dantur exempla in gabellis, & dohanis.*
7 *Idem de conductore assumente in se onera.*
8 *Decimæ præsumuntur potius spirituales.*
9 *Episcopus an habeat juris assistentiam in decimis?*
10 *Duplex decima, seu redecima non debetur.*
11 *Decimæ possunt spectare ad aliam Ecclesiam, quàm ad parochialem.*
12 *Præsumptio de qua n. 8. tollitur per contrariam probationem.*

13 Re-

13 *Recensentur plures aliæ causæ, in quibus agitur de decimis temporalibus.*

14 *De decimarum temporalium usu in Regno Neapolitano.*

15 *De argumentis temporalitatis, & de pluribus aliis casibus.*

16 *Exemptio ad quod suffragari debeat.*

17 *An, & quando clerici cives debeant subjacere prohibitionibus pascuorum?*

18 *De casibus, quibus etiam clerici solvunt decimas, & onera, dominio temporali.*

D I S C. VIII.

1 CUm in hac diœcesi Archiepiscopus exigere soleat decimam, seu aliam potionem fœtuum, & lactis ovium, aliorumq; animalium, quæ à locis montuosis ad ea pascua hiberno tempore accedere solent, præsertim vero Collegium Societatis Jesu Cusentiæ, seu alterius loci, quasdam tenutas conduxisset pro pastura herbarum hymalium pro ejus ovibus, aliisque animalibus, atque prætenderet ad hujusmodi decimarum solutionem non teneri; Hinc introducta desuper causa coram A. C. post aliquas disputationes, credo quod ea finem habuerit per concordiam, cui ansam dederit decretum Archiepiscopo favorabile.

2 Fundamentum Collegii, seu Scribentium pro eo, consistebat in amplissimis hujus Societatis privilegiis super exemptione à solutione decimarum etiam cum derogatione Cōcilii generalis Lateranen. *in c. nuper*, quæ pluties per Rotam canonizata fuerunt, ut patet præsertim ex iis, quę nimium fuso calamo pro illius extensoris stylo habentur *in Hispal. decimarum cor. Corrado impress. p. 10. rec. dec. 101* & in aliis, quę de tempore hujus disputationis prodierant, & deinde *in Pampilonen. decimarum sub tit. de præeminent. disc. 49.*

Scribens pro Archiepiscopo, non negabam hujusmodi exemptionis veritatem post has disputationes quoque me pro eadem Societate scribente, pluries ab eadem Rota canonizatam, & præsertim *in dicta Pampilonen. decimarum dicto disc. 49. de præeminent.* in quo casu Scribentes pro Parochis vel Clero non impugnabant hanc regularem exemptionem, sed insistebant in quadam modificatione
3 resultante à motu proprio Leonis XI edito pro regnis Castellæ, & Legionis, unde propterea sola quæstio fuit super diverso puncto, an scilicet sub dictorum Regnorum nomine veniret illud Navarræ, utpote per Regem Catholicum Ferdinandum post ejus acquisitionem, dictorum Regnorum coronæ annexum, ideoque probabilior visa fuit negativa, & de consequenti privilegium generale exemptionis ob cessantem limitationem, seu moderationem, remansit sub regula, ex ibi deductis.

Negabam tamen (etiam cum sensu veritatis) eorundem privilegiorum applicationem ad casum, ex duobus fundamentis, quorum quodlibet de per se, decimatori sufficiebat pro victoria; Primò nempè, quod ubi etiam ageretur de decimis spiritualibus, sub hujusmodi privilegiis cadentibus, adhuc tamen in casu controversiæ suffragari non debebant, cùm procedant in prædiis, ac bonis propriis ipsius Religionis, sua manu, vel sumptu cultis, non autem in alienis, quæ ipsa conduceret.

Et secundò, quod ex facti circumstantiis, probabiliùs dicendum veniret, quod ista non esset decima spiritualis, sed potiùs temporalis, debita Archiepiscopo, tanquam prædiorum, seu tenutarum domino directo, seu aliàs ex legum vel Principum temporalium concessione jus habenti, ideòque super his puncti potiùs quàm super dictis privilegiis in genere disputationes fuerunt.

Quatenus igitur pertinet ad primum, dicebam casum
4 videri in jure planum, ut hujusmodi exemptiones non suffragentur pro prædiis conductis, ob expressam dispositionem textus *in c. dilectus de decim.* ubi Abb. Butr. & alii Canonistæ communiter (cum DD. loqui non possint contra leges, vel canones, & quando eorum dispositio sit expressa;) Idque convincentem habet rationem, quod scilicet isto casu, decimæ non exiguntur ab ipsi conductoribus privilegiatis, sed à locatoribus, ac prædiorum dominis, qui exempti non sunt.

Et quamvis Scribentes in contrarium, non negando conclusionis veritatem, replicarent, ut Archiepiscopus suo jure
5 uteretur contra ipsos locatores decimationi subditos, exigendo ab eis decimas ejus, quod ab ipso Collegio pro pastura, seu herbarum pretio solutum fuerat; Nihilominus responsio parum tuta erat, quoniam cùm ex hujusmodi herbis animalium pasturæ destinatis, decimæ percipi non possint in ipsismet fructibus, eo modo quo exiguntur, de frumento, aliisque fructibus separabilibus; Hinc proindè frequentior usus induxit eas exigere in fœtibus, aliisque fructibus animalium ibi depascentium, ut in specie Rebuff. *hoc tract. q. 8. n. 21.* Itaque solutio fieri non dicitur per conductores exemptos, quamvis ipsi essent animalium domini, ut rei aspectus, seu factum materiale probare videtur, sed potiùs per locatores, ac prædiorum dominos in ea parte pretii, seu pensionis, quam hujus oneris intuitu diminutam recipiunt, cum alias ea solvi deberet in majori summa, ideòque onus est pars pretii, juxtà theoricam Bart. *in l. interdum, §. quoties, ff. de vectigal.* Bald. *cons. 31. n. 2. lib. 1.* cum Concordantibus apud Gratian. *discept. 390. n. 8.* & Menoch. *cons. 136. n. 20.*

Et conferunt quæ habentur *in Mantuana exemptionis sub tit. de Regal. disc. 53.* occasione agendi de exemptione 6
laicorum, conducentium bona Ecclesiæ, à gabellis, & oneribus laicalibus, quod scilicet unus, vel respectivè exemptio dicitur pars pretii, illudq; auget, vel respectivè minuit, ac etiam pluries *eod. tit.* præsertim *disc. 67.* in proposito dohanarum, aliarumq; gabellarum, quæ solvuntur pro mercibus, aliisque victualibus, quod licet materialiter, ac de facto solvantur per exteros, seu aliàs non subditos Principi, vel Civitati, gabellæ impositori; Attamen reverà solvi dicuntur per emptores subditos, cùm quibus merces contractantur, dum intuitu dohanæ, seu gabellæ solutæ, venduntur pro majori pretio, ipseque introductor, seu venditor pro minori esset venditurus, undè propterea non esset obtinere exemptionem passivam ab onere, sed potiùs exercere jus activum exactionis gabellarum, & dohanarum, quæ pertinent ad Principem, vel Rempublicam ad privatam utilitatem, atque non ageretur de vitando damnum in re propria, quod exemptus ex gabella sentiret, sed de faciendo lucrum de alieno, ex ibi deductis, ideoque ita exemptus solvere dicitur onus, non jure, ac nomine suo, sed vice ac nomine subditi locatoris, ex implicito ejus mandato.

Ad instar illius locationis, quæ pro minori pensione fiat de prædiis, quæ affecta sint oneribus censum, seu li- 7
vellorum, quæ conductores in se assumunt, sive ubi iidem conductores in se assumunt onus refectionis tectorum, & viarum, aliarumque contributionum, quæ per dominum, vel prædiorum dominos fieri solent, vel debent, quoniam in effectu a locatore in parte diminutæ pensionis, non autem à conductore solvi dicuntur, ex deductis in sua materia *sub tit. de locat. & conduct.*

Hinc nulla subesse videbatur necessitas agendi de altero puncto qualitatis hujusmodi decimarum, an scilicet essent spirituales, vel temporales, dum, admissa etiam spiritualitate, effectus erat idem ex præmissis; Verùm de illo agendo.
Pro eo Advocatorum stylo, qui potiùs necessarius est ob in- 8
geniorum varietatem, ob quam ea pluries insinuatis in dies edocemur, quod Judices solida motiva negligendo, fallacia potiùs, ac penè contemptibilia amplecti solent; Admittebam conclusionem insinuatam supra *disc. 6.* in qua Scribentes in contrarium insistebant, quod scilicet, juxtà opinionem, quam Rota, & Curia sequitur, decimæ in dubio præsumuntur, potiùs spirituales, quàm temporales.

Potissimè verò ubi parochus non sit in causa, quoniam licèt regulariter Episcopus non habeat illam juris assistentiam, quam habeat parochus, cui, non autem Episcopo decimæ debitæ sunt, ex iis, quæ cæteris relatis habentur firmata 9
in S. Severine decimarum cor. Royas inter suas *dec. 344. & 412.* Attamen id rectè procedit in concursu parochi, istoq; in causa existente; Vel ratione ejus præjudicii; Vel ne, ipso suas integras decimas exigente, cogantur parochiani, seu prædiorum domini solvere redecimam, seu duplicem decimam, quæ in jure prohibita est *cap. 2.* ubi DD. *de decim.* Buratt. & Adden. *dec. 575.* Rot. *dec. 203. & 458. p. 5. recent.* Secus autem ubi parochus non est in causa, neque alias decimas exigit, adeout non intret unum, vel alterum ex dictis incōvenientibus, quoniam cùm parochiani, seu prędiorum domini in genere ad hoc onus teneantur, ideircò concedenda non est exemptio ex oppositione juris tertii non conquerentis; Ac etiam quia sicuti, ex deductis supra *disc. 1.* & in aliis, plerisque diœcesibus usus induxit, quod licet actualiter, ac de facto, quod exercitium curæ animarum, & administrationis sacramentorum, parochiæ sint distinctæ, suosque habeant rectores, vel ministros, attamen ea quadam juris fictione, intellectualiter non sunt distinctæ, sed universa diœcesis unicam constituit parochiam habitualem,

lem, cujus parochus est Episcopus, qui jus decimandi habeat.

Sive magis ad rem, sicuti non implicat, ut jus deciman- 11 di privativè ad parochiam filialem, pertineat ad matricem, ex deductis infra *in Novarien. disc.* 12. Ita pariter non implicat, ut ex eodem usu introduci potuerit, quod quamvis parochiæ sint distinctæ quoad reliqua jura parochialia, ipsæque in titulum conferantur, attamen jus decimandi, reservatum sit Ecclesiæ Cathedrali, seu Episcopo tanquam parocho generali, seu parocho parochorum.

Admittebam ego veritatem hujus theoricæ in abstracto, quatenùs non urgentibus contrariis circumstantiis, cum sola juris regula, seu præsumptione procedendum esset, dicebam verò secus esse talibus accedentibus circumstantiis, ex quibus contraria probatio expressa, vel adminiculativa resultaret, quoniam cum hæc sit simplex, & nuda 12 juris præsumptio, indubitatum est, quod ea cedere debeat contrariæ probationi, non solum expressæ, sed etiam præsumptæ, seu adminiculativæ, quæ ex contrariis fortioribus præsumptionibus, vel argumentis resultet.

Quare, tam occasione istius causæ, quàm plurium consimilium, quam frequenter occasio dedit disputare in eo- 13 dem Tribunali A. C. præsertim *in S. Severina*, inter Archiepiscopum, & Baronem, ac cives pro Archiepiscopo (prędecessore illius, pro quo ob consuetum in discretum censurarum usum tot inconvenientia resultarunt;) Et *tal. emen. decime* pro Monasterio Monialium Leuci cum diversis particularibus; Ac etiam *in Mediol. decimarum* pro altero Monasterio Monialium Varisii cum PP. Olivetanis S. Victoris, ac similibus, dicere consuevi quod ista non est quæstio juris, sed facti, ac probationis, ideoque certam, ac determinatam regulam generalem cuicunque casui applicabilem non accipit, sed in singulis casibus pro facti qualitate, quisque particularibus circumstantiis decisio varia est, & de consequenti manifestus est consuetus error pragmaticorum cum regulis, vel doctrinis generalibus in eis procedere.

Ut enim præcedentibus advertitur, ista decimarum terminus æquivocus est, æque congruns spiritualibus, ac temporalibus, ut præsertim in Regno Neapolitano, ubi il- 14 læ præstationes, quæ prædiorum dominis directis, & frequentius Baronibus solvi solent in certa quota fructuum, sub hoc decimarum vocabulo explicari solent, ut patet apud Capyc. *dec.* 50. Franch. *dec.* 117. *&* 124. Rovit. *dec.* 97. Capobl. *de Baron* p. 3. *e* 78. Rovit. *pragm.* 1. *de offic. bajul.* n. 17. ubi add. *lit. A.* & habetur *tit. de Regal. disc.* 50. & alibi.

Applicando autem ad rem plura argumenta respectivè, pro qualitate dictorum casuum concurrere videbantur; At- 15 que præsertim in ista causa, & in altera supra enunciata *S. Severina* in provincia Calabriæ, illud videbatur nimium efficax argumentum, quod juxta ferè generalem illius Regni consuetudinem nullę solvuntur decimæ de frumento, vino, oleo, aliisque frugibus, in quibus magis propriè solvi debent, ac solent; Et secundò tertius pro convincenti probatione, quod hæc solutio erat in oppositum decimarum spiritualium, quoniam istæ, ubi præsertim sunt personales, vel sacramentales, quales dicuntur illæ, quæ solvuntur, de hujusmodi animalium industriis, quibus realium, seu prædialium terminus non congruit, solvi debent per parochianos, & parochiæ subditos, non autem per exteros ovium dominos, qui illas transmittendo ad hiberna pascua per pastores, & famulos, neque ibi morantur, sive aliquam brevem accidentalem moram habere solent, qui propterea hujusmodi decimas de jure solvunt proprio parocho; Et tamen pro frequentiori regula, aliquas particulares limitationes recipientes, hujusmodi decimæ exiguntur solum à forensibus, ac hiberno tempore quando solum forensium animalia à montibus ad hæc pascua descendunt, non autem à civibus, ac subditis; Signum clarum quod est solum pro jure pascendi, quod à forensibus amittus, non autem a civibus ut plurimùm ex communi usu jus pascendi in locis campestribus, quamvis de privato dominio quodam civico jure habentibus, ex pluries deductis in sua materia pascuorum *sub tit. de servit.* præsertim *disc.* 39. Et tertiò ob usum istius Provinciæ, quod Ecclesiæ Cathedrales, & Metropolitanæ, ex Regum, vel Principum concessionibus, hujusmodi tenutas hibernis pascuis præsertim congruas, quas ibi *cursus* appellant, possident, ut patet præsertim, ex deductis *sub tit. de jurisd. in Cetronen. & in Cusentina, disc.* 47. *&* 48.

Atque in dictis aliis causis *Comen. & Medialanen.* in quibus hoc jus decimandi possidetur per Monasteria monialium ex titulo emptionis à privatis laicis, pro magno argumento ponderabam illud, quod resultat à regula juris, ut in dubio præsumptio capienda sit pro validitate actus, & exclusione delicti, quale alias supponendum esset in hujusmodi juris spiritualis contractatione inter laicos incapaces, pretio mediante; Potissimè verò, quia ut advertitur *sub tit. de dote, disc.* 167. ubi agitur de dotibus monialium, investimenta dotium non solent nisi cum licentia Episcopi, vel alterius Ordinarii, qui vel in totum, vel pro ejus canonica portione regulariter est interessatus in decimis spiritualibus, ideoque prorsus inverisimile esse dicebam, tam ratione delicti, quàm ratione proprii interesse, ut hoc investimentum permissum esset; Atque ex his à simili alia argumenta pro facti qualitate, & circumstantiis in aliis causis desumenda veniunt prudentis Judicis arbitrio, cui ista quæstio utpotè facti, & voluntatis commissa est.

Posito autem quod agatur de decimis temporalibus, 16 tanquam pro pretio pascuorum, exindè de plano resultabat, ut nullatenùs hæc privilegia exemptiva suffragari possent, quinimò neque ipsa exemptio generalis, quàm de jure Canonico ex dispositione, vel intentione juris Divini, habent clerici, & Ecclesiæ, ab oneribus laicalibus, quoniam ista exemptio non tribuit, ut clerici aliena pascua non soluto pretio, cum eorum animalibus sumere possint, ut advertitur pluries *sub tit. de servit.* ad materiam pascuorum, ac etiam *d. disc.* 53. & in aliis *sub tit. de Regal.* & infra *in Miscellan. disc.* 5. *&* 6. quod scilicet immunitas Ecclesiastica præservat à damno, & jactura in bonis propriis, non autem ut lucrum faciant de alieno.

Solumque hujusmodi clericale privilegium considerari 17 solet, in illis pascuis propriæ patriæ, in quibus de consuetudine ex jure civico, omnes cives, & incolæ jus pascendi habeant, iidem verò cives voluntariè illo se privent, reducendo illam territorii partem, ut vulgò dicitur, ad *bannitam*, seu *defensam*, ut pretium exinde retrahendum, pro publicis necessitatibus deserviat, an scilicet id afficiat clericos, necnè ex deductis *sub tit. de servit.* & altero *de Reg.* Sed extra patriam, & in alienis territoriis id remanet extra omnem controversiam.

Quinimò etiam in propria patria, & territorio, quando agatur de illis prædiis reclusis, quæ vulgò *appatronata* appellantur, in quibus dictus civicus usus non habeatur; Sive quod idem usus denegetur in toto territorio, non soluto pascui pretio, quod sub *fida* vocabulo solvi solet domino temporali, ad quem pertineat totum territorium, non solum in ratione territoriali, seu jurisdictionali, sed etiam in ratione dominii, juxta casum, de quo *in Amerina eodem tit. de servit. disc.* 36.

Hinc proinde in una *Chassanen.* disputata coram A. C. 18 pro Duce Bellisgusdi domino loci Casalis novi, cum Conventu Minimorum ejusdem loci; Cùm iste Conventus renueret solvere certam præstationem fructuum sub decimæ vocabulo pariter explicari solitam sub prætextu immunitatis; Atque Scribentes pro Conventu, cum magno allegationum cumulo, totum desumendo ex celebri *Alben. gabella coram Merlino* inter suas *dec.* 902. *repetit dec.* 339. *par.* 6. *rec.* assumerent quæstionem, de qua *in dicta Hydruntina sub tit. de Regal. disc.* 50. & in *Mediolanen. imbotatus eodem tit. disc.* 51. & alibi an scilicet, & quando clerici, & Ecclesiastici teneantur ad onera laicalia, quibus bona in eos obventa subjacebant penes laicos priores possessores, distinguendo onera merè realia, fixa, & invariabilia à personalibus, vel mixtis; Dicebam ego Scribens pro domino temporali, quod iste esset labor inanis, ac extrà propositum, dum non agebatur de onere laicali, quod loci Dominus in ratione Baronali, seu jurisdictionali exigebat, sed illa fructuum quota, seu responsione, quæ loco pensionis, seu portionis dominicalis præstanda est domino per colonum, vel per subalternum dominum utilem, quodam coloniæ jure fructus percipientem, ideoque nil commune habet exemptio, vel immunitas Ecclesiastica, ac habetur etiam infrà *Miscellan. ecclesiast. Bojanen. disc.* 7. atque ita pro Domino judicatum fuit.

FERRARIEN. DECIMARUM

PRO EPISCOPO, ET PAROCHIS

CUM BENTIVOLIS.

Casus varii decisus per Rotam.

An exemptio generalis, concessa per Papam, in ejus Statu temporali, & ex causa temporali, ab omnibus oneribus, comprehendat etiam decimas spirituales; Et de materia novalium, seu bonorum, quæ licet verè non sint novalia, pro talibus tamen habenda sint; Et de aliquibus circa potestatem Papæ concedendi exemptionem à decimis; Et de juris assistentia in Episcopo.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *An Episcopus habeat assistentiam in decimis.*
4 *De errore cumulandi allegationes in regulis certis.*
5 *De eadem materia, de qua n. 3.*
6 *De potestate Papæ eximendi à decimis.*
7 *De praxi non solvendi decimas.*
8 *De eadem potestate, de qua n. 6.*
9 *Et de ratione, ob quam alicubi exemptio decimarum habeatur.*
10 *De vocabulo decimarum temporalium diverso a spiritualium.*
11 *Quare non sit immorandum in formalitate verborum privilegii?*
12 *Idem de investituris feudalibus.*
13 *De demonstrationibus, quod Papa concesserit exemptionem tanquam Princeps laicus.*
14 *De ratione, ob quam strictè procedatur in exemptione decimarum.*
15 *Quando intret exemptio novalium.*

D I S C. IX.

1 OCcupata ab aquis (pro illius, aliàs felicis regionis, nimia infelicitate) notabili parte territorii Ferrariensis, undè propterea diuturno tempore nonnulla, aliàs pretiosa prædia, Ecclesiarum, & privatorum, sterilia, atque inutilia effecta erant; Marchio Bentivolus, & consortes, magnum opus assumere volentes exsiccationis aquarum, ac reductionis bonorum ad priorem culturæ statum, conventionem inierunt cum Cameræ Apostolicæ Officialibus, per Papam amplissimè approbatam, ut in recompensam hujusmodi magnorum sumptuum, ac laborum, in hoc tam utili opere erogandorum, medietas omnium terrarum, seu prædiorum, cedere deberet commodo ipsorum benificantium, immunis, & exempta à quibuscunque datiis, gabellis, ac oneribus, sub quorum genere, cujuscunque decimæ quoque mentio facta fuit, reliqua medietate antiquorum dominorum, & possessorum commodum cedere debente; Cumque dictum opus, in toto, vel in parte notabili perfectum esset, atque prædia reddita essent fructifera, prætensionem excitarunt Episcopus, & parochi, consequendi decimas à Bentivolo, & 2 consortibus, eodem modo quo à privatis possessoribus, exigebant, dicto exemptionis privilegio non obstante; Introductaque causa in Rota usque ab anno 1634. *coram Ghislerio*, eaque diù quiescente, ac reassumpta *coram Albergato* subrogato, sub die 26. *Maii* 1636. pro jure decimando, ad favorem Episcopi, & parochorum, prodiit resolutio, quæ habetur impressa *par. 12. rec. dec. 183.* à qua tamen in repropositione recessum fuit, firmando decimas non deberi, ac privilegium suffragari sub die 11. *Januarii* 1638. Itaque resolutio habetur etiam *in eadem par. 12. rec. dec. 299.* neque, (quod sciam) causa ulteriorem progressum habuit.

Quamvis autem Scribentes hinc indè, ipsaque prima Decisio plura deduceret super assistentia juris ad favorem Episcopi actoris, etiam in locis, in quibus regulariter hanc 3 assistentiam non habent, juxta firmata *in dec. 344. & 412. cor. Rojas*, & in aliis; Attamen iste revera inanis erat labor, inanisque chartarum repletio, cum tanto allegationum cumulo, quem prima decisio desuper facit, super juris assistentia in parochis, qui erant in causa uniti cum Episcopo, ac super istius jure pro ejus quarta, seu portione canonica, dum ista sunt principia juris nimis certa, hodieque indubitata, Et consequenter in magnis Tribunalibus, præsertim præsupponenda sunt, cùm authoritatum indicatio in hujusmo- 4 di certis, ac receptis principiis, vel propositionibus, congrua solum videatur in scholis pro tyronum instructione; Et tamen ignarum leguleium vulgus, ad hujusmodi ineptiarum superfluitates adeò inficitur.

Ista etenim assistentiæ quæstio cadit; ubi contentio sit in- 5 ter Episcopum, & parochum, sive inter eundem Episcopum, & privatos decimabiles, qui aliquas decimas parocho solvant, secus autem ipsi Episcopo, & parochis simul agentibus, sive parochis nullas exigentibus, neque petentibus decimas, nulloque alio existente decimatore, inter Episcopum, & privatos ad decimas de jure obligatos, quando eis legitima præscriptio, vel consuetudo non suffragetur, quoniam (ut in præcedentibus quoque insinuatur) quemadmodum ex consuetudine, vel implicita reservatione, uni Ecclesiæ competere potest jus decimandi intra fines alterius, ex deductis in duobus *disc. proximè seqq.* ita non implicat, ut idem jus competere valeat Ecclesiæ Cathedrali, ejusque Episcopo tanquam parocho parochorum intra parochiarum fines, ad instar usus Hispaniæ insinuati, *disc. 1. & seqq.* quasi quod parochiarum divisio, spectato effectu, sit potiùs in solo actu, vel exercitio, ipso habitu remanente penes Episcopum, cujus vice, antiquiori tempore, Archipresbyter, tanquam Vicarius natus in spiritualibus, curam universalem exercebat cumulativè cum parochis tanquam ministris inferioribus, ut insinuatur *sub tit. de præemin. disc. 20.* & in aliis; Neque implicat, ut etiam hoc jus in solo actu, seu exercitio (habitu penès alium existente) importare valeat titulum perpetuum, & collativum, cujus vigore prorsus Ecclesiarum parochialium Rectores dicantur, vel pro talibus ad alios effectus de facto habeantur, ut occasione agendi de Vicariis perpetuis in titulum conferri solitis, habetur pluries in sua materia *sub tit. de beneficiis*, & sub altero *de paroch.*

Prout inanem chartarum repletionem continebant plenè deducta per Scribentes pro altera parte, ac initio secundæ decisionis allegata circa Pontificiam potestatem eximendi aliquas particulares personas, vel etiam populos, & regiones 6 à decimarum solutione, cùm id pariter apud Catholicos sit principium indubitatum, ac præsupponendum, ideoque pro sola tyronum instructione authoritatum allegationes deserviunt; Quamvis etenim de hac potestate dubitantes, procedant cum vero principio, quod decimæ debeantur de jure Divino, cui Pontificia potestas dispensare non potest; Attamen ista dubitatio cadit apud eos, qui aliquam legalis facultatis superficialem notitiam habentes, vulgò *infarinati*, in generalium propositionum superficie solum immo- 7 rantur; Si enim hoc assumptum ita indefinitè attendendum veniret, sequeretur quod neque per consuetudinem, vel immemorabilem id induci posset, cujus contrarium docet recepta praxis notabilis partis Orbis Catholici, & præsertim Italiæ, in cujus majori parte, præsertim in Regno Neapolitano, rarus est decimarum usus, cùm centenaria, vel immemorabilis, non ea alia ratione hanc exemptionem in totum inducat, nisi ob facultatem ex ea resultantem, allegandi quemcunque titulum meliorem, & sic privilegium Apostolicum, etiam cum derogatione Conciliorum generalium.

Plures etenim rationes hanc potestatem comprobant, de- 8 rivantes ab eodem principio insinuato præsertim *sub tit. de testam. sub t. de matr. & de usur.* ac alibi, quod scilicet quamvis Papa non possit directè derogare juri Divino, attamen potest illud interpretari, atque pro temporum, ac regionum, & personarum qualitate, seu ex aliis justis causis, observantiam diversimodè præscribere pro casibus particularibus; Primo scilicet quia jus Divinum præcipit decimarum solutionem in genere tanquam tributum ipsi Deo præstandum, cui tanquam omnium rerum Domino, omniumque fructuum gratioso Largitori, ista quota tanquam portio dominicalis, in dominii, ac beneficii recognitionem præstari debet; An autem uni, vel alteri Ecclesiæ, vel uni, ac aliis ministris hæc solutio facienda sit, non est à Deo expressè determinatum, ideoque remanet sub suprema administratione Papæ, tanquam Dei Vicarii, quod potest hoc onus applicare Ecclesiæ universali, ejusque nomine ipsas decimas tanquam proprias, ac implicitè solutas denuò remittere ex justa causa aliquibus personis, vel populis.

Et secundò, quod ut advertitur supra *disc. 1.* & alibi, in 9 proposito præscriptionis, vel consuetudinis, juris Divini dispositio est circa decimarum debitum in genere, vel substantia,

tia, non autem altera modum, qui etiam per ordinariam longi, seu longissimi temporis præscriptionem, vel consuetudinem, diversua constitui potest, ipsas decimas solvendo etiam in re æquipollenti, in quo solvi dicuntur per eos, qui ex privilegio Apostolico, vel ex legitima consuetudine de facto eas non solvant in specie, idest in ipsis fructibus, quos ex bonis percipiunt, sed in emolumentis, quæ per populum solvuntur parocho occasione funerum, & sepulturæ, ac administrationis aliorum sacramentorum, pro quibus tanquam in spiritualibus pecuniarum, seu aliud temporale emolumentum, citra simoniam percipi non posset, atque ideo licitum est, quia subrogatum fuit loco decimarum, sive tanquam merx, & salarium laboris personæ ministrantis, ut ad instar bovis triturantis, cui Deus præcipit, os claudi non debere, vivat de illo ministerio, in quo se gerit, ac laborat; Sivè quod etiam in locis, in quibus Ecclesiis benè provisis de prædiis, aliisque bonis, ex quorum fructibus, & proventibus parochus, aliique ministri congruam obtineant sustentationem, nihil pro Divinorum ministratione solvitur, adhuc dici valeat, quod eadem prædia, & bona, in Ecclesiarum fundatione per ipsos populos, vel eorum vice per Principes, loco decimarum, jure subrogationis, assignata fuerint; Siquidem Divinum præceptum non consistit in formalitate verborum, sed in substantia finis, seu effectus sustentationis scilicet ministrorum divino cultui, & sacramentorum ministrationi vacantium, dum idem Divinæ legis Author, in distributione terræ populo factæ, ab ea exclusit Levitas, quos possessione bonorum incapaces esse voluit, eorumque loco decimas subrogavit, ab aliis solvendas pro illorum sustentatione, ideoque si hæc sustentatio habetur ex fructibus bonorum populo assignatorum, ita rectè obtinetur finis, atque in effectu decimæ per populum in hoc æquipollenti implicitè solvi dicuntur in ipsis bonis pleno jure ad id assignatis.

Causæ punctus igitur erat, super hujus privilegii interpretatione; Circa quam Scribentes hinc inde, ac utraque Decisio (ut earum jam impressarum tenor ostendit) nimium immorantur, pro consueta Juristarum frigiditate, super verborum formalitate, circa distinctionem decimarum spiritualium, ac temporalium, & super qua distinctione, secunda decisio nimium insistit, quod scilicet *decimarum* vocabulum spiritualibus propriè convenit, cùm temporalibus, *decimationum* vocabulum, seu terminus magis conve-
10 niat; Id autem pro meo sensu, claram continere videtur frigiditatem, dum ex authoritatibus deductis *disc. præcedenti*, & alibi patet, quod etiam in temporalibus idem decimarum terminus adhibetur.

Neque placebat magna disputatio habita super ea facti circumstantia, an in ea regione in universum adesset usus decimarũ temporalium, quibus decimæ vocabolũ in privilegio contentũ referri posset; Et quatenus adesset, ut ea hac parte in facto docebatur, an referret quod iste usus esset in aliis territorii partibus, non autem in istis, ut secunda decisio nimium ponderat unà cum verborum generalitate, ac prægnantia, quoniam notissimum est quod quando per
11 Cancellariæ Apostolicæ, vel Secretariæ Brevium Officiales, literę super gratiis, & privilegiis Apostolicis componuntur, ipsi non reflectunt, neque informationem habent, an magis in uno, quàm in altero loco certę onerum species solvantur, sed juxta consueta formularia, ad speciem deducunt omnia onera, eorumque diversa vocabula, ita ut, pro regionum, seu locorum diversitate, omnia complectantur, non autem ut exinde certa, & determinata Papæ voluntas desumi valeat, super singulorum verborum significatione, vel operatione; Ad instar eorum, quæ pluries *sub tit. de feud.* præ-
12 sertim *disc.* 2. habentur circa ineptiam aliquorum, qui ex amplitudine verborum, quæ contineri solent, juxta generale formularium in Investituris feudalibus, in quibus dicatur (ex.gr.) cum fluminibus, lacubus, nemoribus, pascuis &c. inferunt quod ita feudatario hæc concessa censeantur, quamvis alias non sint de pertinentiis feudi, quod continet errorem manifestum, cum similibus; Omninò enim verius est, ut spectari debeat substantia voluntatis, ex facti qualitate, & circumstantiis desumenda, juxtà adeò frequenter insinuatam generalem regulam, cum qua hujusmodi quæstiones voluntatis decidendæ sunt, utpotè facti potiùs, quàm juris.

Attenta verò rei substantia, probabilius videbatur, ut in hujusmodi conventionis approbatione Papa se gesserit, po-
13 tius tanquam Princeps sæcularis, quàm tanquam Pontifex, ita consuetudo subditorum beneficio pro hujus territorii ædificatione absque mixtura Pontificiæ, ac spiritua-

lis potestatis, juxta pluries hujusmodi personarum insinuatam distinctionem, præsertim *sub tit. de dote disc.* 22. in proposito Statutorum Urbis aliarumque legum temporalitatem concernentium, quodque propterea intellectum sit de oneribus cameralibus, vel communitativis, aliisque laicalibus sub Principis temporalis potestate cadentibus; Idque arguebat, non solùm ipsius privilegii contextus, sed etiam clariùs, ea circumstantia, quod ista concessio non provenerat per organum immediatum Datarii, aliorumque Officialium Principatus Ecclesiastici, sed ex capitulationibus, & conventionibus habitis cum Thesaurario, aliisque Officialibus Cameræ, ac Principatus temporalis, super re merè temporali, nulla assignata causa, vel ratione, quæ spiritualitatem concerneret.

Ac etiam magnum resultare videbatur argumentum, ex neglecta derogatione Concilii generalis Lateranensis registrati *in c. nuper, de decim.* adeò frequenter insinuati, quam verisimile non est in re adeò gravis momenti neglectam esse, utpotè conclusa prævis pluribus sapientium maturis consultationibus, si de decimis spiritualibus cogitatum esset, cùm in Curia, etiam infra mediocriter versatos notissimum sit, ut ista specialis derogatio requiratur.

Et quamvis Scribentes pro reis conventis, (quorum di- 14
cta reassumere videtur secunda Decisio) plenè, ac elaboratè insisterent, super ea interpretatione decreti Conciliaris, de qua habetur actum suprà *in Hispalen. disc.* 2. ut scilicet ejus dispositio attendi debeat, ubi ejus ratio congruat, quia nempè privilegium exemptivum grave inferat Ecclesiis parochialibus præjudicium respectu bonorum, ex quibus penès non privilegiatos decimæ percipiebantur; secus autem ubi hæc ratio cesset ut in præsenti; Attamen iste videbatur labor extraneus, quoniam; Aliud est agere de validitate, seu operatione privilegii, quod expressè conceptum sit super exemptione à decimis spiritualibus, juxtà casum, de quo *in dict. Hispalen.* cum similibus, Aliud verò id ponderare ad effectum interpretationis privilegii ambigui ad aliarum decimarum temporalium species referibilis, ita desumendo argumentum diversæ voluntatis ex hujus derogationis omissione.

Solidum igitur, ac probabile posterioris resolutionis fundamentum, ita subobscurè in secunda Decisione deductum, & ob quod mihi quamvis in contrarium scribenti, ea probabilis visa est, videbatur illud deductum ex dispositione, vel ratione textus *in c. fin. de decim.* de quo habetur actum supra *in Toletana decimarum horti, disc.* 4. quod scilicet ista bona dici possent novalia, pro quibus, ex ibi assignatis rationibus, decimæ solvi non debent; Quamvis etenim, in propria, ac stricta significatione, verè novalia dicenda non essent, cùm ea juxta dispositionem textus *in c. quod per novale, de verbor. signif.* dicantur bona omninò inculta, & infructifera à tempore, cujus contrarii memoria non extet, quod in præsenti dici non poterat, cùm rectè memoria haberetur illorum culturæ, ac boni status, & fructiferæ qualitatis, ita per remotionem impedimenti resultantis ab Inundationibus, illa restituenda primævo statui; Attamen de facto, ac spectato effectu, bona per diuturnum tempus effecta erant sterilia, & inutilia absque spe, quod ex solo naturę beneficio, vel operatione ad priorem statum regredi possent, ideoque de facto non erant decimabilia & consequenter benè congruit eadem novalium ratio, quæ in omnibus primariò attendenda est.

URBINATEN. DECIMARUM

PRO ARCHIPRESBYTERO TALLACHII

CUM PAROCHO COLBRUDOLI.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Concilii, credo, resolutum pro Archipresbytero.

De jure decimandi in aliena parochia, privativè ad proprium parochum, an, & quando congruat? Et quid ad talis juris acquisitionem requiratur?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Procedendum est in decisionibus causarum cum distinctione casuum.*
3 *De quæstione exemptionis passiva inter parochum, & parochianos.*
4 *De jure decimandi activo pratenso per laicum.*

N 2 5 De

5 *De eodem jure decimandi activo per omninò tertium Ecclesiasticum.*
6 *De eodem jure prætenso per Episcopum, vel Prælatum.*
7 *De eodem inter Vicarium, & eum, cui parochia sit unita.*
8 *De eodem inter Ecclesiam prædialem, & sacramentalem.*
9 & 10 *De eodem inter matricem, & filialem.*
11 *De differentia ubi possessio deducatur ad effectum probationis, vel præscriptionis.*
12 *De ponderatione in casu, de quo n. 9. & 10.*
13 *Resolutio causæ.*
14 *Assignatio facta Rectori unius Ecclesiæ alicujus partis decimarum, potiùs arguit jus universale in alia Ecclesia.*

D I S C. X.

1 ARchipresbytero Tallachii existente in antiqua posses-
sione percipiendi decimas in loco Colbrudoli, istius
Parochus recursum habuit ad Sacram Congr. Concilii,
oraculum petendo super indebita exactione decimarum,
quam unus parochus intra limites alterius parochiæ, priva-
tivè ad proprium parochum faciebat; Cùmque in supplici
libello desuper porrecto, confunderentur, sive indigestè cu-
mularentur ferè omnes authoritates, ac decisiones quas ha-
bemus in hac materia, super puncto capacitatis, vel inca-
pacitatis juris decimandi, privativè ad proprium parochum.
2 Hoc proindè pro parte Archipresbyteri Rei conventi, re-
quisitus ad respondendum deductis pro parte actoris, adver-
tebam ad id, quod frequenter in omni materia insinuatur,
quod hodiè pro congrua, seu methodica omnium pœnè fo-
rensium quæstionum determinatione, pernecessè proceden-
dum est cum diversorum casuum distinctione, qua mediante,
congrua resultat conclusionum, ac doctrinarum appli-
catio, ea verò neglecta, easdemque conclusiones, vel do-
ctrinas indigestè consarcinando, magna resultant æquivo-
ca, quæ videntur pragmaticorum pabulum quotidianum,
Quare plures casus distinguendo, dicebam quod,
Primus est, ubi contentio sit inter parochum, & subditos,
vel alios intra suæ parochiæ limites possidentes bona, con-
3 tendentes de libertate, seu exemptione ab onere solvendi de-
cimas, unde propterea contentio sit inter duos, quorum unus
agat de jure activo, Alter verò de passivo, & de isto casu agi-
tur supra *in Hispalen. & in Calagurritana, disc.* 1. & 2. & in
aliis, quarum decisiones in hoc proposito cumulabantur,
sed malè, utpotè extra casum controversum, ideòque di-
cebam quòd segregari debebant, atque poni ad partes.
Alter casus est, ubi quæstio quidem sit super jure activo
decimandi, inter parochum, & tertium, qui tamen sit lai-
4 cus juxtà tot decisiones editas in pluribus Toletanis, & in
aliis super jure decimandi, quòd aliqui divites, & magnates
Hispaniarum in plerisque locis habere prætendunt, juxtà
casu, de quo supra *in Taurinen. disc.* 6. Et tunc, ob vehemen-
tem juris resistentiam in laico, possidendi hoc jus spirituale,
rigorosa immemorabilis probatio necessaria est; Quinimò
juxtà opinionem, quàm Rota sequitur, neque illa sufficit,
nisi quoque accedat specialis probatio famæ privilegii, vel
aliud æquipollens, ex deductis *d. disc.* 6. Sed pariter plures
authoritates ac decisiones, quæ in id cumulabantur, istum
casum percutientes, tanquam extraneæ segregari debebant,
cùm contentio esset cum altera Ecclesia, in qua non urget
dicta resistentia.
Tertius casus est, ubi agatur quidem de eodem jure de-
cimandi, activo, quod in aliena parochia privativè ad pro-
5 prium parochum prætendatur per aliam personam ecclesia-
sticam, quæ tamen nullum habeat jus, nec actuale, nec
habituale in cura animarum alienæ parochiæ, minusque
prætendere possit antiqui juris reliquias; Et tunc, licèt pa-
rochus habeat juris assistentiam, adversus quam requiritur
vel privilegium Apostolicum, vel immemorabilis, seu
centenaria, cujus vigore idem privilegium allegari possit,
eò quia in extraneo volente exigere decimas in parochia
aliena, concurrit etiam juris resistentia; Attamen quia
ista non est vehemens, ut est illa laici, juxtà casum
præcedentem, idcircò non requiritur probatio adeò ri-
gorosa, ut ibi; Sed quidquid sit de isto casu, qui in
praxis nimium rarus videtur, pariter extraneus erat ab
illo controversiæ.
Quartus est, ubi eadem contentio sit cum alterius Ec-
clesiæ Prælato, seu Rectore, in quo probabiliter dari possit
quædam cura saltim remotè habitualis, in ratione jurisdi-
ctionali, putà inter parochum, & Episcopum, vel alium
Prælatum, cui competat jurisdictio, seu jus territoriale,
ac jurisdictionale in ipsius parochiæ finibus, juxtà casum,
de quo præsertim *in Cracovien. decimarum 9. Junii* 1653.
coram Verospio impress. dec. 316. *par.* 11. *rec.* Et tunc non
intrat quæstio super resistentia, sed benè altera super assi-
stentia, quæ magis uni, quàm alteri competat, cùm ea trans-
ferat in alium onus benè probandi præscriptionem imme-
morabilem, vel quadragenariam cum titulo putativo, seu
fama privilegii; Istoque casu, ob possibilitatem à verisimi-
litudine non alienam, quòd illa Ecclesia major, antiquitus,
christiano populo ita non excreto, etiam curam sacramen-
talem haberet in his finibus, eo modo quo jurisdictionalem
nunc habet; Exigitur parochus consuetam juris assistentiam
habeat, quatenus doceat, quòd antiquo tempore ejus Ec-
clesia esset etiam in statu parochialitatis, ex ibi deductis,
sed quidquid sit de istius casus decisione, quamvis ille esset
proximus, non tamen erat præcisus.
Quintus est, ubi quæstio sit inter Vicarium, seu paro- 7
chum habentem curam actualem, & alium Prælatum, vel
Dignitatem prætendentem habere habitualem ratione unio-
nis parochiæ, vel respectivè juris decimandi, quæ suæ
prælaturæ, vel dignitati facta esset, juxta casum de quo
in Barbastren. disc. seq. sed pariter neque iste erat casus quæ-
stionis.
Sextus est, ubi eadem quæstio sit inter duos diversos pa-
rochos, quorum unus, nullum jus nec actuale, nec ha- 8
bituale habeat, vel habere potuerit super cura animarum
alterius parochiæ, quæstio autem proveniat à diversitate
subjectionis personæ decimabilis, quia nempè ipsa vivat,
atque sacramenta percipiat in una parochia, possideat verò
bona intra fines alterius, cui scilicet Ecclesiæ istorum bo-
norum decimæ debeantur, an prædiali, vel sacramentali;
Et de ista quæstione, pariter à nostra extranea, agitur su-
pra *in Hispalen. disc.* 1. & infra *in Pampilonen. primitia-
rum, disc.* 13. sed pariter extra rem.
Septimus est, ubi contentio sit inter duas Ecclesias æquè
parochiales, quarum tamen una, certam habeat dependen-
tiam ab altera, quia nempè, expressè constet, quòd una esset
matrix, altera verò filialis, vel respectivè adjutrix, juxtà 9
casum, de quo infrà *in Novarien. disc.* 12. neque concurrat
talis observantia, ex qua ad legitimam præscriptionem, vel
consuetudinem inferri valeat, sed solùm agatur de quæstio-
ne in nudo puncto juris, an scilicet, dismembratione, no-
vaque erectione non obstante, jus decimandi remaneat pe-
nes Ecclesiam matricem, ex ibi deductis, sed pariter est
non percutiebat casum præcisum quæstionis, dum de ista
matrice, vel filiatione claré, ac expressè non constabat.
Octavus igitur proprius, ac præcisus casus est, ubi quæ- 10
stio sit inter duas parochias ita adjacentes, quòd licèt non
habeatur certa probatio dicti antiqui status, attamen adsit
possibilitas, quòd una potuerit antiquitus esse sola paro-
chia, quæ complecteretur omnes utriusque fines, altera
verò, tractu temporis, prævia dismembratione alicujus
partis territorii, erigi potuerit de novo, ita exigente neces-
sitate, ob excretum populum, sive ob magnum incommo-
dum activum, vel passivum parochi, & populi in activa,
& passiva administratione sacramentorum, ut per antiquos
Canones innovatos per Sacrum Conc. Tridentinum dispo-
situm esse, habetur pluries *sub tit. de paroch. præsertim disc.*
34. *& seqq. in annot. ad Sac. Conc. Trident.* adeout non ac-
cedat intermeditatio alterius territorii, vel alia circumstan-
tia, quæ excludat hanc possibilitatem, sive illam inverisi-
milem reddat, sed potiùs è converso, loci utriusque paro-
chiæ situatio, aliæque circumstantiæ, hanc possibilitatem
reddant verisimilem, juxtà ponderationes, de quibus *in
prædicto disc.* 12. ex ibi assignata ratione, quòd antiquiori
tempore, quando ob adhuc non omninò expulsam genti-
litatem, totus populus non erat Christianus, etiam in ma-
gna Civitate, vel oppido, unus parochus pro universo po-
pulo Christiano sufficiebat; Sive quod parochia haberet la-
tos fines campestres, in quibus nullus populus adesset, de-
inde verò introductus; vel nimium excretus juxta ibi insi-
nuatum casum parochiæ Sancti Joannis majoris Neapolis,
de qua occasione juris sepeliendi habetur actum *d. tit. de
paroch. disc.* 27. quod scilicet intra illius fines, oportuit
magnum numerum viginti circiter parochiarum erigere,
cum similibus.
Istoque casu, nulla videtur adesse resistentia juris in ad-
jacenti parocho Ecclesiæ, quæ ita antiquitus potuerit esse
unica, & consequenter matrix, minusque adeò certa est illa
assistentia, quàm in aliis supra exemplificatis casibus respe-
ctivè

vel adversus subditos contendentes
ctivè parochus habeat, vel adversus tertium contendentem
de exemptione passiva, vel adversus tertium contendentem
de jure activo sine ista antiqui juris proprii possibilitate, sed
est quædam assistentia magis simplex, fundata in juris præ-
sumptione, elidibili per contrariam observantiam, quam
possessor juris decimandi, ubi præsertim illa aliis admini-
culis, vel argumentis munita sit, deducere potest; potiùs
ad probationem dicti allegati juris, vel status antiqui pro-
prii, quàm pro formali præscriptione juris alieni.

Ob notabilem differentiam, quæ viget inter casum, in
11 quo diuturna possessio deducatur ad effectum præscriptio-
nis; Et alterum in quo eadem deducatur ad effectum pro-
bationis proprii juris, vel tituli allegati, ex iis, quæ circa
hanc differentiam habentur, præsertim particulariter exa-
minata *in Colon. sub t. de alien. & contract. prohib. disc. 3.*
ac etiam in sua generali materia probationum *sub tit. de ju-
dic.* atq; in consimilibus controversiis inter duas Ecclesias,
super aliquibus præeminentiis, vel functionibus advertitur
infrà, *in tit. miscel. Ecclesiast. & in tit. de præemin.*

Applicando autem ad rem, nulla ex parte actoris dabatur
probatio, nec quidem præsumptiva, vel adminiculativa,
quòd ejus Ecclesia esset in hoc antiquo statu, priusquam ista
12 Ecclesia hoc jus decimandi, acquireret, Juxta ponderatio-
nem, seu distinctionem de qua *in dict. Cracovien. decima-
rum cor. Verospio dec. 316. p. 11. rec.* deductam in quarum ca-
su, qui huic aliqualiter approximat; E converso autem
naturaliter, ac de facto aderat probatio immemorabi-
lis, quamvis, ubi ea præcisè necessaria esset, juxtà illum
rigorem, qui in casu positivæ resistentiæ desideratur, dici
non posset perfecta, potiùs, ex imperitia Notarii, vel de-
fensorum, ob non benè conclusa ejus requisita, eodem mo-
do quo insinuatur supra *d. disc. 1.*

Loci autem situatio hanc probationem antiqui status
reddebat nimiùm inverisimilem, atque pleraque accede-
bant inditia, & argumenta. Tum ob quandam antiquam
traditionem. Tum etiam ob aliquas majores præeminen-
tias, inter quas eam ponderabam resultantem à magis ho-
norifico titulo Archipresbyteri, quem iste parochus habe-
bat, dum alter habebat illum simplicis Rectoris, ideòque
omnibus simul junctis (etiam cum sensu veritatis) dice-
bam, ut clarum videretur bonum jus istius Ecclesiæ, pro
13 qua credo quòd resolutio prodierit de anno 1669. quando
hæc disputatio habita fuit.

Deducebant ex parte actoria pro magno fundamento ad
enervandam probationem immemorabilis, quoddam decre-
14 tum factum in visitatione per Archiepiscopum de an. 1625.
quando ejus prædecessore conquerente, sibi decreta fuit ista-
rum decimarum tertia pars, unde inferebant, quòd testes
debuissent concludere primum, ac essentiale immemorabilis
requisitum, quadragenariæ de visu post completam puberta-
tem subducto isto tempore dicti recursus, qui speciem litis,
ac interpretationis haberet, & qua subductione facta, utique
probatio non aderat, cùm testes non haberent ætatem ad id
necessariam, quæ ferè centum annorum esse debuisset; Ve-
rùm advertebam, quòd potiùs hæc circumstantia retorque-
batur, atque præmissa fortiùs comprobabat, dum assignata
cationis tenuitatis fructuum, & emolumentorum, Ordi-
narius, firmo remanente jure universali decimandi in altera
Ecclesis, istius quotæ participationem demandaverat, tan-
quam per speciem illius suppletionis congruæ, ad quam Ec-
clesia matrix, vel ea, cui parochia annexa sit, tenetur,
quando tractu temporis emolumenta vicarii, seu rectoris
Ecclesiæ unitæ, seu filialis, vel adjutricis notabiliter di-
minuta sint, atque ad congruam sustentationem non suf-
ficiant, ex deductis *in Perusina sub tit. de paroch. disc. 19.
& in Barcinonen. eod. tit. in supplemento*, & in aliis.
Ideoque id potiùs matricitatem comprobabat.

BARBASTREN. DECIMARUM

PRO DECANO ECCLESIÆ CATHEDRALIS

CUM CAPITULO ECCLESIÆ DE BOLTANA.

Casus decisus per Rotam pro Decano.

De eadem materia juris decimandi, quod possessor alte-
rius Ecclesiæ, vel dignitatis, obtineat intra fines al-
cujus parochiæ, privativè ad proprium parochum,
ratione unionis, ex qua jus habituale resultet.

Card. de Luca, Lib. XIV.

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *Resolutiones causa.*
3 *Immemorabilis collit assistentiam juris.*
4 *Vicarius non habet assistentiam contra eum cui uni-
ta est parochia.*
5 *De probatione unionis ad hunc effectum.*
6 *De ejusdem unionis destructione.*
7 *Stant simul, ut Ecclesia sit unita, & quod deci-
ma, aliaque jura sint Vicarii.*
8 *De differentia probationis unionis ad diversos effectus.*
9 *Jus decimandi potest reduci ad certas species tantùm.*
10 *Curato loco congrua solent assignari bona, vel redditus.*
11 *Ad quem effectum in literis Apostolicis redditus be-
neficii solent narrari in certa summa.*
12 *De potestate, & voluntate tollendi jus tertii.*
13 *Quando non oporteat derogare regulæ de jure tertii
quæsito, &c.*
14 *In eadem Ecclesia possunt dari Rector, & Colle-
gium distinctè.*
15 *De reductione pensionis, vel præstationis ad cer-
tam summam uniformem.*
16 *Locatio, & conductio non præstat titulum obliga-
torium in futurum.*

D I S C. XI.

CUM Ecclesia loci de Boltana, tunc diœcesis Oscensis 1
esset in statu simplicis parochiæ, seu vicariæ; Ab anti-
quo tempore, Decanus dictæ Cathedralis Oscensis, erat in
possessione percipiendi decimas tritici, aliarumq; certarum
specierum fructuum, reliquis ad parochum, seu vicarium
pertinentibus; De anno verò 1544. in gratiam Communita-
tis, & populi, Paulus IV. enunciato jure dicti Decani, cùm
narrativa emolumenti in annuis scutis 150. istam Ecclesiam
erexit in Collegiatam, transferendo in Collegium omnia ju-
ra, & emolumenta parochialia; Postmodùm autem, facta per
S. Pium V. nova erectione Ecclesiæ Cathedralis Barbastr. me-
diante dismembratione partis dictæ diœcesis Oscen. hoc jus
decimandi, narratum dicti valoris scutor. 150. dismembra-
tum fuit à præfato Decano, & translatum in alterum Deca-
num hujus novæ Cathedralis, in cujus finibus istud oppidum
cadebat; Quare novum Collegium Portionariorum (tractu
temporis, notabiliter decimis excretis) prætensionem excita-
vit, quod jus Decani restringeretur ad præstatam summam
pecuniariam scutor. 150. integris decimis ad favorem ipsius
Collegii, cadere debentibus; Introductaque lite de an. 1641.
priùs cor. A.C. deindeque in Rota, tres prodierunt sententiæ 2
ad favorem Capituli, seu Collegii cor. Coccino, Ubaldo, &
Carillo; Reassumpta verò causa per Decanum fortè indefen-
sum, & commissa per Signaturam Justitiæ cum clausula *pa-
rito*, in eadem Rota coram Albergato, secutoque dictæ
clausulæ implemento, atque dato dubio, an ultima præfa-
tim sententia Carilli esset confirmanda, vel infirmanda, sub
die 7. Maii 1660. pro infirmatione prodiit resolutio, ad cujus
normam expedita sententia, eaque transacta in judicatum,
ob appellationem in tempore non interpositam, commissa
causa restitutionis in integrum coram Taja, datoque du-
bio consueto, an constaret de re judicata vel potiùs de
causis restitutionis in integrum sub diebus 11. Decembris
1663. & 30. Maii 1666. affirmativæ de prima, negativæ
autem de secunda parte ad favorem Decani prodierunt reso-
lutiones; Incertumque est an causa ulteriorem progressum
habuerit, dum de illa ampliùs actum non audivi.

Resolutionum præcipuum fundamentum fuit probatio
immemorabilis, facta ex parte Decani, supra qua, an es-
set benè, vel malè facta, fuerunt majores quæstiones, ob
exceptiones, quæ dabantur testibus, idcircò potiùs facti,
quàm juris quæstio erat; Posita enim probatione immemo- 3
rabilis, etiam ipsimet Scribentes pro Portionariis, qui
Parochum repræsentabant, non negabant conclusionem
plenè in decisionibus comprobatam, præsertim in prima
coram Albergato, ut per eam, cessat juris assistentia, quam
parochus habet in jure decimandi, cum unius fundamento
processum fuit in antiquis decisionibus coram Carillo,
& in aliis, quodque alteri competere valeat jus deciman-
di in aliena parochia; Potissimè verò ubi sit persona Eccle-
siastica, cui non obstet illa vehemens, an major juris re-
sistentia, quæ obstat laico juxtà distinctionem, de qua
disc. præced.

Verùm dicebam, scribens pro Decano, præsertim in ul-
tima

tima disputatione an. 1666. adhibendo eandem aliquorum casuum distinctionem, de qua *eod. disc. præcedenti*, quod scilicet ubi etiam probatio immemorabilis, ob exceptiones, quæ adversus eam dabantur, difficultates pati posset. Adhuc tamen id non obstaret, in casu præsentis quæstionis, in
4 qua verè, & propriè non agebatur de controversia inter parochum habentem curam pleno jure actuali, & habituali, & tertium, qui nullum jus habeat, & quo casu intrat assistentia favore parochi, & resistentia contra tertium, unde propterea desiderare oporteret immemorabilem benè conclusam. Siquidem potiùs agebatur inter duos ejusdem Ecclesiæ parochialis ministros, eodem jure parochiali diversis respectibus venientes, ideoque extranea remanent ea, quæ percutiunt casum tertii, quamvis ecclesiastici, nullum parochiale jus, quamvis habituale, vel antiquum habenti, quoniam hic Decanus, utpotè ex regula subrogatorum, habens omne jus alterius Decani Oscensis, ejusque jura repræsentans, dicendus non erat tertius decimator in aliena parochia, sed potiùs parochus habitualis, cujus dignitati ipsa parochia annexa erat; ipsi autem Portionarii repræsentabant vicarium habentem solùm curam actualem, seu ad ejus exercitium deputatum juxta ea, quæ habentur pluries *sub tit. de paroch.* præsertim *disc.* 10. ubi de causa *Barcinonen.* de qua latissimè Rota *disc.* 330. *p. 9. recent.* & in alia *Barcinonen. in supplem. eod. t. de paroch.* Hoc etenim posito resultat, quòd juris assistentia super decimis competit potiùs parocho habituali, quàm actuali, ex deductis apud Greg. & Add. *dec.* 174. Merlin. *dec.* 95. & 115. & in causæ decisionibus, & passim, & consequenter nulla urgebat necessitas dictæ immemorabilis probationis.

Quod autem dictæ dignitati Decani Oscensis annexa esset cura habitualis probari advertebam ex eadem Bulla Pauli IV. super erectione hujus Ecclesiæ in Collegiatam, in qua narratur, quòd ista Ecclesia provideri solita erat ad præsentationem, vel omnimodam dispositionem dicti Decani. Istaque narrativa comprobata remanebat ab aliis adminiculis. Primò nempè à fama. Secundò à frequenti consuetudine Hispaniarum, quòd parochiales diœcesis annexæ essent aliquibus dignitatibus Cathedralis, juxtà casum de quo d.
5 *dec.* 95. & 115. Merlin. & *dec.* 330. *p. 9. recent.* ubi Concordantes recensentur. Tertiò ab ipsa denominatione antiqui parochi, qui non utebatur eo nomine, quo uti solent Rectores Ecclesiarum parochialium illius pleno jure actuali, ac habituali purè habentes, & quibus propriè congruit terminus sponsi Ecclesiæ, sed habebat nomen Vicarii, quod supponit existentiam principalis juris parochialis in altero, cujus ipse vices gerat, ideoque potiùs ministerium facti denotat juxtà distinctionem, de qua pluries in dicta sua materia *sub tit. de paroch.* Et quartò, ultra pleraque alia argumenta in facto concurrentia, ponderabam istud, quod resultabat ex ipsa possessione decimandi, cùm in dubio ea referenda sit potiùs ad modum licitum, quàm illicitum. Non quòd istud solum argumentum de per se ad id sufficiat, sed benè ut cum aliis junctum sit considerabile ex regula, *ut singula, quæ non prosunt, &c.*

Ad excludendam hanc unionem, Scribentes in contrarium quatuor ponderabant. Primò nempè quod jus antiqui Decani Oscen. ac etiam novi, ejus loco subrogati, non erat in decimis, sed in annua præstatione pecuniaria scutorum
6 150. quæ referri potest ad tributum, vel ad censum ratione protectionis, vel patronatus, sive ratione concessionis aliquorum bonorum, non tamen exinde inferri potest ad unionem, seu ad habituale jus parochiale, ut pluries firmatum fuit per Rotam, præscripti plenè *in Bononien. paroch. 24. Aprilis* 652. *coram Meltio*, & habetur in dicta sua materia *sub tit. de parochis disc.* 10. & aliis.

Secundò quod attentis etiam probationibus factis ex parte Decani, suum jus decimandi restrictum erat ad certas fructuum species tantùm, ideòque non habebat causam universalem, quæ arguit jus parochiale. Tertiò quia ubi etiam ante erectionem hujus Ecclesiæ in Collegiatam dici posset, ut cura habitualis esset penes Decanum, ea tamen Apostolica authoritate sublata fuit per dictam erectionem, per quam jus parochiale ipsi Collegio noviter erecto attribuitur. Et quartò quod in omnem eventum, aliud ex parte Decani prætendi non posset, nisi dicta annua præstatio pecuniaria, quam diuturno tempore loco decimarum percipere consueverat, & de qua solum agunt tam literæ Apostolicæ Pauli IV. super erectione Collegiatæ, quàm illæ S. Pii V. super subrogatione hujus novi Decani. Itaque erat præcipuus præcisus punctus, dum ob populi excrescentiam decimæ longè plus importabant.

Nullum tamen ex his objectis urgere videbatur, singula etenim examinando. Quatenus pertinet ad primum, illud concedit cum quarto, quòd nempè non implicat, cum unione, seu cum cura habituali, ut dignitati, vel Ecclesiæ principali ex fructibus loco suæ portionis dominicalis, seu juris habitualis solvatur aliqua annua præstatio etiam modica, 7
reliqui autem fructus admittantur vicario ob ejus sustentationem, aliasque expensas necessarias pro Ecclesiæ cultu, & sustentatione, ut in specie cæteris relatis advertitur apud Merlin. *d. dec.* 95. & 115. & *d. dec.* 330. *p. 9. rec.* atque admittitur *d. disc.* 10. *de paroch.* & *ead. t. in supplemen. in d. Barcinon.* ideoque annua præstatio sola, & de per se non præbet sufficiens unionis argumentum, tanquam signum æquivocum, ac referibile ad censum, seu alium titulum ut supra. Sed ubi alia unionis argumenta accedant, potissimè verò ubi de eadem unione non agatur principaliter ad effectum collationis, & pro firmando statum Ecclesiæ, sed agatur incidenter ad dictum alium effectum, tunc minores probationes sufficiunt, ut advertitur in sua unionum materia *sub tit. de benef.* quoniam tunc non ex eo, quòd Ecclesia principalis non participet de ipsis fructibus in specie, sed eorum loco detur aliqua uniformis præstatio pecuniaria, resultat unionis exclusio.

Hinc proindè dicebam quòd, Aliud est id ponderare ad effectum affirmativum probationis unionis in dubio non præsumendæ, quando id loco probationis adducatur per eum, qui unionem prætendit, & allegat. Aliud verò ad 8
effectum negativum, destruendi scilicet unionis probationes, vel argumenta. Potissimè, ut dictum est, ubi de illa agatur incidenter ad effectum potius favorabilem interpretandi possessionem, in qua quis repertatur, ut ea ad modum licitum potiùs, quàm illicitum referenda veniat.

Quo verò ad secundum objectum restrictionis juris decimandi ad certas species, duo deducebam. Primum nempè, quòd etiam in ipsomet parocho utrunque plenum habituale, & actuale jus parochiale habente, non implicat, ut ex 9
consuetudine ad certas tantum fructuum species jus decimandi restrictum sit juxta ea, quæ habentur infra *in Marsicana disc.* 14. Et secundò quia stant benè simul quod parochus habitualis pro se retineat decimas aliquorum fructuum, reliquas verò omnes dimittat ejus vicario, aliisque ministris, ut supra loco cujusdam portionis colonicæ, seu loco congruæ, ut advertitur *in Perusina, & Murana*, 10
& in aliis in dicta sua materia *sub t. de paroch. disc.* 19. & 20.

Tertium objectum pariter planum videbatur, quoniam Pontifex enunciavit jus Decani in dicta summa pecuniaria, non quod ad eam, Apostolica authoritate, jus decimandi restringere voluerit, sed solùm demonstrativè, 11
gratia exprimendi valorem, ut pro stylo Datariæ, & Cancellariæ fieri solet pro regulandis taxis componendæ aliarumque expensarum in hujusmodi erectionibus; Neque Papa concedendo novo Collegio Ecclesiam parochialem, & curam animarum, tollere voluit jus habituale Decani, cùm id non exprimeret; Atque juris regula est generalis frequenter insinuata in omni ferè materia, & præsertim 12
sub t. de Regal. disc. 148. ubi particulariter agitur de potestate Principis tollendi jus tertii, quod scilicet data etiam potestate, voluntas non præsumitur, sed semper Principum gratiæ intelligendæ sunt sine tertii præjudicio, multò verò magis in Papa qui per Regulam Cancellariæ *de jure tertii quæsito non tollen.* expressè profitetur, suumque animum declarat, per ejus gratias non tollere jus tertii, nisi expressè dicatur cum speciali mentione, ac derogatione dictæ Regulæ.

Et quamvis scribentes in contrarium nimiùm insisterent 13
in conclusione, de qua apud Seraph. *dec* 665. & 1445. de qua *eod. disc.* 148. *de Regal.* & *disc.* 9. *de præem.* & alibi, ut scilicet id non procedat in gratiis de sui natura præjudicialibus, quales in specie dicuntur novæ erectiones, quæ pernecessè secum trahunt præjudicium tertii, suique juris dismembrationem, vel diminutionem; Attamen replicabam, quòd conclusio est vera, sed fallacia clara erat in applicatione, cùm id procedat in iis, quæ pernecesse ex gratia resultant in tertii præjudicium; Ut (ex. gr.) in novæ Cathedralis, vel Parochialis erectione est illa dismembratio territorii, ac populi, cujus assignatio fiat novæ Ecclesiæ; Vel sunt illæ præeminentiæ, quæ ex nova impressa qualitate resultant, juxtà casum de quo *d. disc* 9. *de præminen.* Secus autem in iis, quæ sunt compatibilia, & quæ non resultant ab ipsa gratia tanquam ex necessario antecedenti, vel necessario consequenti,

Jus

Jus enim parochiale non est pernecesse annexum collegialitati, atque possunt simul stare, quòd in eadem Ecclesia parochiali, adsit proprius rector, contradistinctus à Collegio in ea erecto, pro effectuum, seu respectuum diversitate, ut in plerisque Ecclesiis praxis docet. Quinimò etiam ut adsint
14 personæ, vel corpora diversæ naturæ sæcularis, & regularia, ut advertitur *sub tit. de jurisd. in Romana Tituli Cardinalitii disc. 34. & in Cæsaraugustana Cathedralitatis sub tit. de præemin. disc. 4.* & alibi. Unde propterea poterant stare simul, quòd ista Ecclesia erigeretur in Collegiatam absque eo, quod Collegium haberet curam animarum, quæ continuaret in primævo statu penes antiquum vicarium, cujus jura tantùm, talia qualia essent, Papa transferre voluit in Collegium, quod ita in effectu solùm jura dicti antiqui Parochi, seu Rectoris repræsentat.

Demùm quoad quartum objectum, quod hoc jus decimandi redactum esset addictam annuam summam pecuniariam. Dicebam, quòd tunc istud motivum fuisset considerabile quando verificarentur termini *textus in c. cum olim de*
15 *cens.* cum concordantibus, de quibus in proposito taxationis monetæ habentur *sub t. de pension. disc. 34. & seqq.* quòd scilicet, vel ob diuturnam observantiam aliis requisitis, vel argumentis munitam, allegari posset præscriptio inductiva certi status tanquam per speciem implicitæ concordiæ, quæ ex futuro incerto bono, vel malo eventu ad utriusque partis commodum, ac respectivè incommodum æque se habere posset, ut scilicet, sive decimæ augerentur, sive minuerentur, semper eadem summa uniformis solvenda esset. Id autem in præsenti non verificabatur, vel potiùs in oppositum facti circumstantiæ ostendebant, ut id ex utriusque respectivè partis facultate aliquibus temporibus secutum esset pro majori commoditate, & per quamdam speciem impliciti contractus emptionis, & venditionis, sive locationis, & conductionis, atque ut vulgò dicitur *appaltus*, seu attendamenti, ex quo actu inferri non potest ad jus, vel titulum obligatorium in futurum, ut in bisterminis hujusmodi implicitæ conventionis inter clerum, & Episcopum super certa summa pecuniaria, vel super certa uniformi quantitate frumenti, vel aliorum fructuum solvenda per Parochum,
16 vel Clerum jus Parochi habentem, Episcopo pro quarta, seu portione canonica sibi debita ex decimis, aliisque emolumentis parochialibus, ut iste titulus non sit obligatorius in futurum, cæteris relatis, habetur *in Beneventana quarta coram Dunozetto inter suas dec. 842. & 890.* edita me scribente pro Clero, ac alibi etiam advertitur.

NOVARIEN. DECIMARUM

PRO PAROCHO ARLEXIÆ

CUM PAROCHO N.

Casus disputatus coram A. C. sub incerto exitu.

Facta erectione novæ parochialis, cum dismembratione partis territorii, & populi alterius parochiæ; An jus decimandi, intra fines novæ parochiæ assignatos, in istam transferatur, vel potiùs remaneat penes antiquam Ecclesiam matricem?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod observantia sit bona interpres.*
3 *Ubi verba sunt clara, de alio non est quærendum.*
4 *Decimæ regulariter debentur Ecclesiæ filiali noviter erectæ.*
5 *Contrarium.*
6 *Declaratur.*
7 *Ubi frequentius contingere solent novæ erectiones parochialium.*
8 *Quando ad novas erectiones procedendum sit, necnè.*
9 *Quod ista sit quæstio facti, & quomodo decidi debeat.*
10 *Datur distinctio super decisione quæstionis, de qua n. 4. & seq.*
11 *De eodem, ac distinctione casuum.*
12 *& 13 De diversis speciebus matricitatis ad diversos effectus.*

DISC. XII.

1 CUM juxtà Sacrorum Canonum, & Sacri Concilii Tridentini dispositionem sæpiùs enunciatam in sua materia *sub tit. de paroch. & in annot. ad S. C. Trid.* ob amplitudinem territorii, ac populi excrescentium, Ordinarius, prævia dismembratione partis territorii, & populi Ecclesiæ parochialis loci Arlexiæ, novam Ecclesiam parochialem erexisset, nulla in erectione facta mentione decimarum. Hinc proinde, inter antiquum, & respectivè modernum parochum, super earum pertinentia, orta est controversia. Introductaque causa coram A. C. incertum est, qualis fuerit ejus exitus, dum ob superveniam mortem causæ Patroni, post aliquas disputationes, de illa amplius actum non audivi.

In disputationibus igitur, quæ desuper habitæ fuerunt, 2
cùm nulla adesset pacifica observantia, quæ dici posset hujus quæstionis interpres, vel judex, qualis de jure dici deberet, quatenus adesset, quoniam cum ex iis, quæ infra habentur, ista sit ambigua quæstio potius facti, & voluntatis, quid scilicet in animo habuerit Ordinarius quando ad hanc novam erectionem processit, unde propterea consuetudo, seu observantia, dummodo sit univoca, & pacifica, rectè attendenda videntur, quamvis non esset temporis considerabilis, non tanquam præscriptiva, sed tanquam interpretativa, juxtà quotidianam nimiùm receptam distinctionem in omni materia frequenter insinuatam.

Hinc proindè quæstio reducebatur ad merum punctum, seu articulum juris, an scilicet dismembratio cum præsupposito, quòd legitimè, ac validè facta sit de parte populi, & territorii, ex una parochia pro erectione alterius, importet etiam dismembrationem, juris decimandi, vel potiùs istud remaneat penes antiquam seu matricem.

Hic autem articulus, tunc circa professionis initia, istius causæ occasione, leviter disputatus fuit, eo quia facti circumstantiæ quæstionem, ad favorem matricis dirimere videbantur, ob quædam verba, quæ reservationem 3
decimarum præferebant, & quo casu intrat vulgaris regula textus *in l. ille, ff. de l. 3.* de qua in his specialibus terminis Rota *dec. 448. n. 1. & per tot. p. 1. rec.* cum Concordan. apud Barbos. *de paroch. c. 28. §. 2. n. 18. & 19.*

Verùm illum etiam discurrendo in genere, ob aliquas interpretationes, quæ dictis verbis dabantur; Cùm Scribentes pro Ecclesia filiali dicerent, quòd ejus intentio fundata esset in magis communi opinione Canonistarum, præsertim Abb. 4
in c. cum contingat de decimis, ubi Butr. & alii apud Fagn. *ibidem*, qui plenè quæstionem expendit *n. 31. cum seq.* & Rot. apud Martin. Andr. *dec. 59. n. 6. dec. 178. p. 1. recent. dec. 673. p. 2. & dec. 682. p. 3.* & in aliis, in quibus allegatur Calderin. *cons. 1. de decim.* cùm quo alii procedere solent.

Advertebam ego scribens pro Ecclesia matrice ad ea, quæ referuntur per Barbosam *loco supra citato n. 19. in fin.* quòd scilicet in eodem casu, in quo prodiit *d. dec. 59.* 5
Martin. Andr. quæ inter allegatas videbatur omnium recentior, edita una tantùm parte informante, cùm in seproposizione, altera parte informante Rota habuisset difficultatem, idcircò nulla capta resolutione, remisit dubium ad Sac. Congr. Concilii, quæ censuit contrarium, ideoque huic posteriori resolutioni standum esset.

Clariùs verò quoniam, ultra fundamentum ex facto de- 6
ductum, ut suprà. Alterum in idem resultabat, ex ea circumstantia, quod in erectione hujus novæ parochiæ, constituebatur dos pro congrua sustentatione Rectoris, oblata per illam Communitatem parochianorum, seu incolarum, quorum intererat hanc erectionem fieri, ob distantiam ab antiqua parochia, sive ob itineris asperitatem in aliquibus anni temporibus, ut in specie ponderatur *in dicta dec. 448. p. 1. rec.* ac etiam in alia *Novarien. dec. 11. p. 6. n. 18. & seqq.*

Siquidem ferè omnes decisiones, quas in hac materia ha- 7
bemus, editæ videntur pro causis istius diœcesis, vel alterius *Mediolanen.* ex ea ratione quod in illarum regionum incolis gaudentibus ea felicitate, quam S. Scriptura, (loquendo de Salomone) enunciat, quod scilicet quilibet vivere potest sub vite, vel sub ficu sua, & non vigeat ea verè deploranda miseria bannitorum, ac latronum incursus, cui subjacet Regnum Neapolitanum. Excrescente populo ita sparsim per agros in prædiis vivente, atque hiberno præsertim tempore ob regionis asperitatem ac torrentium copiam, impedito, vel nimium incommodo effecto itinere parochianorum ad Ecclesiam, seu parochi ad parochianos infirmos, hinc frequenter oritur ista necessitas faciendi hujusmodi dismembrationes, ac novas erectiones respectivè, vel saltim erigendi, seu destinandi Ecclesias adjutrices, ut exemplo præsertim de hac diœcesi *Novarien.* habetur *sub tit. de paroch. disc. 34.*

Quia verò parochianorum indigentiis, sive inconvenientibus, quæ ab itineris distantia, vel asperitate resultare solent, consuli potest cum dicto remedio erectionis, vel
8 destinationis alicujus Ecclesiæ adjutricis, cui inserviat pro exercitio curæ ac administratione sacramentorum idoneus vicarius, idque etiam pro diœcesis qualitate multiplicari potest, ut advertitur *d. disc. 34. de paroch.* per erectionem autem depauperetur antiqua Ecclesia parochialis, ejusque dignitas vilesceret, juxta illas considerationes, de quibus occasione novæ erectionis Cathedralis habetur *sub t. de praem. in Burgen. disc. 6. & in annot. ad S. C. T. & alibi*. Hinc proinde ad hujusmodi formales dismembrationes, novasque erectiones procedi non solet, nisi ubi nova erectio sequatur, cum eo quo fieri potest minori antiquæ Ecclesiæ præjudicio, ut scilicet patiatur quidem illud diminutionis, jurisdictionis populi, ac etiam alterum consecutivum diminutionis aliorum emolumentorum parochialium, non autem istud decimarum, in quo frequentius parochiarum præcipua dos consistere solet. Ideòque catenus lucorum Ordinarii ad hujusmodi novas erectiones cum formali dismembratione procedere solent, quatenus illa parochianorum pars vel communitas, quæ id petit, congruè dotet novam parochiam, adeout antiqua dos, istud detrimentum saltem in hac parte non patiatur. Potissimè verò quia, ut patet ex *d. disc. 34. de paroch.* frequentius hujusmodi novæ erectiones per aliquas parochianorum communitates peti solent, non tam pro commodiori administratione sacramentorum, quam pro quadam honorificentia, vel ambitione, ne ita agnoscere videantur quandam superioritatem alterius communitatis, in qua parochia sita sit.

Hinc proinde. Quamvis occasio non dederit formiter, magisque maturè hunc articulum in Rota disputare. Attamen semper credidi, quod ista dicenda non sit quæstio juris,
9 sed potiùs facti, & voluntatis, ut etiam recenter agnovisse visa est *Rota in Hispal. seu nullit. decimarum 23. Novembris 1671. cor. Bourlemont*, quod scilicet principaliter ex facti qualitate, & circumstantiis in eo fortiori casu pro antiqua Ecclesia contra modernam dismembratam responsum fuit. Ac propterea juxta adeò frequenter insinuata regulam quæ in hujusmodi facti, ac voluntatis quæstionibus insinuata est, erroneum videtur, cum generalitatibus procedere, sive cum decisionibus pariter in aliquibus casibus particularibus, cùm verè singulorum decisio ex eorum præcisis circumstantiis, ac facti qualitate noscenda sit, ponderando antiquæ Ecclesiæ dotem, an scilicet sit omninò pinguis, vel tenuis ita, necnè, ac etiam considerando alteram dotem assignatam Ecclesiæ noviter erectæ, ut ita cum prudenti arbitrio, habita debita proportione, dignoscatur, quid per dismembrantem, ac erigentem respectivè volitum fuerit.
10 Est benè verum quod raròtum caraucidentur hujusmodi casus, ut ad solum punctum, seu articulum juris in abstracto quæstio reducatur, quoniam, aut agitur de erectionibus modernis, & tunc cum per tot disputationes desuper habitas intellectus magis illuminatus fuerit, ita exprimi solet, aut verò agitur de antiquis, & tunc observantia tanquam optima interpres dirimit quæstionem.
11 Quidquid autem sit de dicto casu recenter disputato *in d. Hispal. coram Bourlemont*, in quo me pro neutra partium scribente, agitur inter Episcopum tanquam parochum universalem diœcesis, & illum prælatum inferiorem, qui est Ordinarius, cum proprio territorio separato ex dismembratione facta apostolica authoritate, de qua habetur actum *sub tit. de jurisd. disc. 8.*
12 Quatenus pertinet ad hujusmodi controversias, inter Ecclesias matrices, & filiales; Advertendum est ad eam distinctionem, quam deducebam *in Tranen. juris sepeliendi*, de qua habetur actum *sub t. de paroch. disc. 27.* ac etiam habetur intra *in t. Miscellan. Ecclesiastic. disc. 1.* quod scilicet triplicitur Ecclesia solet dici matrix. Primò etenim potius impropriè, ut in specie advertitur *in alia Novarien. dismembrationis parochialium disc. 33. sub d. t. de paroch.* Quia ob parochiæ amplitudinem, aliæ erigantur, vel destinentur Ecclesiæ inferiores intra ejus limites existentes, quarum servitio præficiantur vicarii, vel clerici, pro commodiori exercitio curæ, & administrationis sacramentorum, absque tamen earum formali erectione in titulum. Et tunc, quamvis istæ Ecclesiæ vulgò dici soleant filiales, ipsaque parochia antiqua, comparativè dicatur matrix. Attamen ista est impropria locutio, quoniam verè non adest hæc differentia matris, & filiæ sed parochia remanet in ejus propria unitate, istæ verò Ecclesiæ inferiores dicuntur adjutrices, seu membra, & grangiæ; eo modo quo supra *in Palentina disc. 3.* & in aliis adventitur de Ecclesiis localibus aliquarum diœcesium Hispaniarum, in quibus parochiæ non sint distinctæ, sed Ecclesia Cathedralis est unica parochia, & Episcopus est parochus universalis, unde proptereà non intrat quæstio pertinentiæ juris decimandi, quoniam licèt Ecclesiæ locales, vel earum vicarii, & clerici curam exercentes, aliquam habeant decimarum loci participationem, juxta casum de quo *in dicta Palentina disc. 3. & in Barbastr. disc. praecedenti*, & in aliis; attamen ista non est participatio juris decimandi, sed potiùs participatio commoditatis de facto tanquam pro salario seu mercede ministrorum, & loco congruæ.

Altera est species Ecclesiæ matricis, comparativè ad alias parochias in loco existentes, absque tamen independentiam habentes, quæ tales dicantur ratione antiquitatis, sive alicujus majoris præeminentiæ, & hæc pariter impropriè matrix dicitur, cùm aliæ Ecclesiæ non sint filiæ, sed potius dicitur Ecclesia major seu prima in loco, ad effectum ut 13
ibi majores solemnitates celebrari debeant, atque ad eam aliæ inferiores accedere juxta ea, quæ habentur infra *d. tit. Miscell. Ecclesiastic. in Theatina, & sub tit. de praemin. disc. 9.* atque de ista specie videtur ea, de qua agitur *dec. 173. disc. 1. rec.* cum qua in ista quæstione procedere videntur *d. dec. 673. p. 2. & 681. p. 3. & dec. 591* Martin. Andr. sed malè quoniam diversa est ratio.

Tertia demum est species casus præcisi, in quo propriè una dicitur matrix comparativè ad alteram uti filiam, ubi scilicet ex una parochia efficiuntur duæ, vel plures, quoniam prima reverà est aliarum mater, dum ex ejus territorii, ac populi parte aliæ efformatæ sunt. Ideòque isti tres termini distinguendi veniunt, ob longam differentiam, quæ inter unum, & alium dignoscitur, neque ex eo quòd aliqua Ecclesia matricis nomen seu aliquas præeminentias habeat, indefinitè matricialis effectus resultant, cùm istud nomen ad alias causas ut supra valeat referri, ideòque diversi sunt effectus.

PAMPILONEN. PRIMITIARUM

PRO ECCLESIA PAROCHIALI OPPIDI VILLÆ TORTÆ

CUM ECCLESIA PAROCHIALI ESTRELLÆ.

Casus decisus per Rotam pro Parochiali Villæ Tortæ.

De primitiis, an debeantur potius Ecclesiæ prædiali, quàm Sacramentali, vel è contra? Et an inter primitias, & decimas aliqua dignoscatur differentia?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *An decimæ debeantur Ecclesiæ prædiali, vel Sacramentali.*
4 *& 5 De eodem cum distinctione.*
6 *Testes rustici faciliter sunt ad contrarium quo magis fieri potest.*
7 *Constitutionibus synodalibus est deferendum.*
8 *In conflictu testium, quibus magis deferendum sit.*
9 *Habentes intentionem fundatam sufficit turbatam reddere probationem alterius partis.*
10 *De conciliatione testium, de qua n. 6.*
11 *De efficacia constitutionum synodalium.*
12 *De distinctione inter decimas & primitias, & quandonam ab una ad alteram arguere liceat.*
13 *In dubio pro regula contra limitationem est respondendum.*

D I S C. XIII.

TRanslato per aliquos incolas Villæ Tortæ, domicilio ad oppidum seu Civitatem Estrellæ, orta est controversia, inter utriusque loci parochos, super primitiarum pertinentia bonorum in loco Villæ Tortæ existentium, an uni, vel alteri Ecclesiæ debitæ essent, atque delata causa ad Rotam *coram Bourlemont, sub die 19. Decembris 1670.* pro Ecclesia parochiali Villæ Tortæ prodiit resolutio, neque hucusque, quod sciam, causa ulteriorem progressum habuit.

In hac igitur disputatione, Scribentes hinc inde, concordabamus respectu decimarum in conclusione, seu principio de qua supra *disc. 1.* deducto ex dispositione *textus in c. cum non*

non sint homines, & *c. Apostolica*, *de decimis*, quòd scilicet cùm in jure statutum non sit, an decimæ, prædiali, vel sacramentali Ecclesiæ potiùs debitæ sint, consuetudini deferri debet; Ideòque quæstio fuit super tribus; Primò scilicet cuinam potiùs assisteret juris præsumptio pro consueto effectu exinde resultante fundandi intentionem ejus,
3 qui juris præsumptionem pro se habet, atque in alterum transferendi, onus probandi contrarium; Secundò circa probationem istius consuetudinis, stantibus pluribus, quæ hinc inde urgebant, quibus scilicet potiùs deferendum esset, seu quæ prævalerent; Et tertiò, an ea, quæ de decimis in jure disposita sunt, in primitiis quoque procedant, vel potiùs in istis aliqua peculiaris ratio accedat, ob quam diversimodè statuendum sit.

4 Quatenus pertinet ad primum; Quamvis Scribentes pro Ecclesia sacramentali, deducerent ea, quæ pro ratione dubitandi adducuntur per Abb. in magistrali *cons.* 58. ubi plenè istam quæstionem examinat, pluresque antiquorum Canonistarum opiniones refert; Ac etiam deducerent ea quæ favore ejusdem Ecclesiæ sacramentalis insinuantur supra *dict. disc.* 1. & præsertim cumularent ibi allegatas Rotæ decisiones firmantes, ut sacramentali potiùs, quàm prædiali, cessante consuetudine, juris dispositio assistat.

5 Attamen scribens in ista causa pro Ecclesia prædiali, cum sensu veritatis, agnitæ in causa de qua *d. disc.* 1. (quamvis in ea pro sacramentali scriberem) dicebam, quòd juris regula Ecclesiæ prædiali potius assistit, pro ea rata, quæ cadit sub decimis realibus seu prædialibus, cùm revera juris assistentia, quam Ecclesia sacramentalis habet, percutiat solùm ratam cadentem sub portione colonica, referibili industriæ personali, juxta authoritates ac rationes ibidem ponderatas, quas in hac disputatione quoque adducebam; Et in specie primitiarum, ut videantur Ecclesiæ, in qua prædia sita sunt, firmatur *dec.* 261. *n.* 1. & *per tot. p.* 6. *rec.*

6 Quo verò ad secundum punctum, probationum hinc inde colluctantium super consuetudinem, quæ istius quæstionis regulatrix est, illæ potiùs facti, quàm juris erat, atque revera probationes hujus Ecclesiæ prædialis erant ponderosiores, cum contrariæ essent æquivocæ seu compatibiles, utpote referibiles ad illas decimas, quas parochiani solvere consueverunt Ecclesiæ sacramentali occasione prædiorum existentiũ intra fines alterius parochiæ ratione industriæ personalis tanquam affictuarii, seu coloni, Ideòque dicebam intrare propositionem per forensium ora volitare solitam, ac frequenter receptam, de qua cæteris rela-
7 tis apud Greg & add. *dec.* 351. *n.* 37. & *f.* 44. *dec.* 471. & 487. *utrobique*, *n.* 7. *dec.* 153. & 197. *p.* 7. *rec.* apud Buratt. & add. *dec.* 430. & sæpius, & in sua materia *sub t. de judic.* quòd scilicet ubi habentur testes hinc inde, qui videantur inter se contrarii, unde propterea resultet, ut eorum aliqui sint mendaces, tunc omnis possibilis, vel compatibilis intellectus capiendus est, sive omnis interpretatio facienda pro eorum reductione ad concordiam, ut excludatur delictum. Et consequenter cum ita conciliari possent, quòdque omnes dicerent verum, cum dicta distinctione respectivè, ita probatio facti pro hac parte firma remanebat.

8 Clarius verò, ac extra omnem quæstionem (adeoque causa mihi videretur nimium plana, itaque disputatione indigna) dum accedebat etiam Constitutio synodalis, quæ idem disponit, cùm ita per istam non tanquam legem aliquid de novo disponentem, sed tanquam enunciantem id, quòd de jure dispositum est, atque loci observantia dabat, fortissimè adminiculati remanerent nostri testes ea altero practico principio, de quo add. Buratt. *dec.* 43. Mant. *dec.* 566. *Tiburtina Cast coram* 31. *Martii* 1659. *cor. Bevilacqua*, & sæpius, & in dicta sua materia *sub t. de judic.* quòd scilicet in conflictum testium, ac probationum, deferendum est iis, quibus juris dispositio magis assistit, sive magis assistunt adminicula habentia certum primordium veritatis, seu desumpta ex scripturis, vel aliis speciebus inalterabilibus, in quibus cadere non valeat subornationis, vel affectationis suspicio, aut erroris possibilitas.

9 Et nihilominus sufficere dicebam huic parti alterum practicum axioma, de quo in his terminis decimarum relatis per Sard. *cons.* 505. *n.* 6. & alios, habetur in *Toletana decimarum*, *de Capilla cur. Verospio p.* 10. *rec. dec.* 157. & 270. *utrobique*, *n.* 2 & 3. quòd scilicet habenti pro se juris regulam, seu alias jam fundatam intentionem, non incumbit onus faciendi probationes majores seu præponderantes, sed sufficit cum suis probationibus, talesquales illæ sint, quamvis imperfectæ, offuscare probationes alterius partis, cui onus incumbat concludenter probandi suam exceptionem seu limitationem, quoniam ita non dicitur destrui, vel suffocari contraria probatio jam facta, seu impediri ne illa fiat, ut tanquam per remotiorem obstaculi, firma remaneat intentio ejus, qui juris regulam, seu assistentiam pro se habet.

Potissimè verò, & clariùs in illa peculiari materia consuetudinis, cujus præcipuum, ac essentiale requisitum consistit in pacifica, continuata, & non interrupta observantia, per illud tempus, quod juxta ejusdem consuetudinis diversam naturam, necessarium est, ad eam legitimè inducendam, ideòque ita probationes pariter ad excludendum in testibus delictum, conciliabiles remanebant, quòdque omnes hinc inde dicerent verum, quod scilicet uterque parochus habens respectivè hanc prætensionem primitias exigere curaverit, atque pro benevolentia possessorum respectivè exactionem perfecerit, dum ita actus, qui gesti erant ex par- 10
te hujus parochi prædialis, quamvis sufficientes ad inducendam ejus favore consuetudinem, absque dubio sufficientes erant, ad impediendam consuetudinem contrariam, favore alterius, ut propterea neutra probatione concludente, huic Ecclesiæ prædiali sufficeret juris regula seu assistentia munita etiam à jure speciali Constitutionum synodalium, quæ fieri non possunt in iis, quæ sint contra jus clarum, illius dispositioni derogando, bene tamen in iis, quæ sunt præter jus, & clarius ubi sunt juxtà, vel saltem ubi contineant ejusdem juris dubii interpretationem. Ut agendo de Constitutionibus synodalibus advertitur *sub tit. de judic.* & alibi. Ideoque ex pluribus resolutio favore Ecclesiæ prædialis justa, beneque fundata visa est cum præsupposito quod intrarent termini generales decimarum. 11

Demum quoad tertium punctum. Quamvis Scribentes in contrarium deducerent ea, quæ habentur apud Rebuff. *hoc tr. q.* 1. *n.* 17. *cum seq.* & Monet. *c.* 2. *n.* 9. & 10. Rot. apud Martin. Andr. *dec.* 59. *n.* 10. & 11. quod scilicet. Aliud sint decimæ. Aliud verò primitiæ, quoque ex depositis in una specie, ad alteram inferri non potest. Attamen admittebam veritatem assumpti in abstracto. Negabam verò applicationem ad casum, id etenim rectè procedit, ad effectum excludendi necessariam argumentationem affirmativam, vel negativam de una specie ad aliam, quoniam possunt stare simul, ut una species, ad unum, & altera ad alterum pertineat, sive quod in eis diversa detur observantia tam super substantia, quam super modo solvendi; ut in specie apud Martin. Andr. *d. dec.* 59. id ponderatur ad effectum quæstionis, de qua *disc. proximè præcedenti*, quod nempè una species spectare possit ad Ecclesiam matricem, altera verò ad filialem, quoque ex reservatione, vel respectivè assignatione, quæ de una specie favore unius fieret, inferri non valeat ad reservationem, vel assignationem alterius, sed potius, ut juxta consuetam discretivæ operationem, resultet argumentum in contrarium; Et sic ad rem nostram, rectè compatibile est, ut istam quæstionem inter Ecclesiam prædialem, & sacramentalem expressè non decisam, decidat consuetudo cum hac distinctione inducta, quod scilicet uni Ecclesiæ solvantur decimæ, & alteri primitiæ. Verùm ubi rectè procedit, 12
assistente facto, secus autem istius assistentia deficiente, adeout procedendum ut cùm sola assistentia juris communis, cum ista indubiè, sive sit favore unius, sive alterius pariformiter utramque speciem complectatur, dum generaliter in jure statutum est, quod sicut Levitis, tam decimæ, quam primitiæ debitæ erant, ita pariter in novo Testamento omnes parocho debeantur, talisque est regula, quæ ut supra apta quidem est limitationem recipere, itaque possibilitas excludit dictam necessariam argumentationem, sed cessante probatione limitationis, procedendum est cum regula, pro qua in dubio judicandum est, cùm limitatio non præsumatur juxtà vulgatam axioma, super quo plura colligunt Barbos. *axiom.* 198. Mantic. *dec.* 251. *dec.* 357. *par.* 10. *recent. circa fin.* & passim.

MARSICANA DECIMARUM

PRO COMMUNITATE PODII CINOLFI

CUM PAROCHO.

Casus disputatus coram A. C. sub incerto exitu, credo, sopitum per concordiam.

Si ex consuetudine decimæ solvantur solùm de quibusdam fructibus; in aliis autem generalis exemptio habeatur, an illæ solvendæ sint ex specie fructuum

de

de novo in regione, seu loco introducta; Vel potiùs isti cadant sub genere exempto?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De subrogatione novorum fructuum in locum antiquorum.*
3 *& 4 Declaratur, & quando dicantur novales, de quibus decima non debetur.*
5 *De distinctione causæ universalis, cui assistat.*
6 *De effectu causæ universalis.*
7 *Quando ea uni assistere dicatur.*
8 *De distinctione inter observantiam interpretativam, & præscriptivam.*
9 *Immemorabilis quando requiratur in exemptione decimarum.*
10 *De quibus decimæ debeantur.*
11 *Habens pro se juris assistentiam, dicitur habere intentionem fundatam.*
12 *De fructibus minutis, & in modica quantitate non solet exigi decima.*
13 *De modo decidendi quæstionem in casu introductionis novæ speciei fructuum.*
14 *Quod in facultativis non intret præscriptio.*
15 *De eodem modo, de quo num. 13.*

D I S C. XIV.

1 CUm in oppido Podii Ciuulsi, ex antiqua non controversa consuetudine, Parochus decimas exigat de frumento, aliisque quinque speciebus fructuum tantùm, in reliquis autem exemptio sit generalis, nullaque decima solvatur; Ab annis verò quadraginta circiter, secuta esset nova introductio cujusdam frumenti quòd *turcum* vulgò dicitur, istamque speciem incolæ pro loci qualitate experti magis proficuam colerent, unde propterea effecta esset species penè major in loco; Hinc proindè parochus prætensionem excitavit ex hac specie decimam percipere. Introductaque causa coram A. C. post unicam, vel binam disputationem, de illa ampliùs actum non audivi, unde probabiliter puto, quòd concordia ei finem dederit.

2 Scribentes pro parocho, potissimum fundamentum constituebant in iis, quæ antiquioribus relatis in proposito decimarum temporalium, plenè habentur deducta apud Rov. *dec.* 97. & in terminis decimarum spiritualium per Rot apud Carill. *dec.* 44. & 48 quarum prima est repetit. *dec.* 591. *p.* 5. *rec.* & *in Carpentor. decimæ* 4. *Julii* 1618. *cor. eodem*, & *in ead.* 5. *Junii* 1647. *coram Bichio* inter suas *dec.* 322. & apud Merl. *dec.* 434. & 474. super decimarum solutione facienda de fructibus, qui ex nova introductione, vel nova specie culturæ, ex prædiis percipiuntur, alias percipi non solitis, & qui sub novalium nomine explicati solent.

3 Verùm Scribens pro Communitate rea conventa, dicebam in hoc procedi cum æquivoco, dum istæ authoritates, ac aliæ apud eas percurrunt terminus diversus, de quibus *disc. proximè sequenti*, ubi scilicet nova introductio fructuum fiat jure subrogationis loco antiquorum, quia nempè in agro, qui priùs segetibus pro collectione frumenti, aliarumque frugum destinatus erat, plantentur vites, vel arbores, ita illum convertendo ad diversam speciem pro novorum, ac diversorum fructuum perceptione, quoniam licèt isti novales dicantur, attamen de eisquoque decima solvenda est, tanquam subrugatis loco antiquorum fructuum, quorum species ita in eo agro perimitur, & in his terminis rectè dictæ authoritates procedunt.

4 Ut enim advertitur *disc. sequenti*, ac etiam supra *in Toletana decimarum horti disc.* 4. tunc in novalibus exemptio intrat, quando eorum congrua ratio adaptatur, quòd scilicet per eorum introductionem, Parocho notabile præjudicium non resultet, quia ad culturam redigantur bona, & prædia inculta, ex quibus prius nulla, vel modica decima percipiebatur, secùs autem ubi erant fructifera, & decimabilia, solumque innovatio importet immutationem de una specie ad alteram, adeout generatio unius, alterius corruptionem importet.

5 Id autem in hac facti specie dici non poterat, quoniam ista fructuum species non erat talis, ut eorum introductio destrueret alias species, cùm in agris qui frugum perceptioni, ac segetibus destinati sunt, ista species cum aliis consuetis compatibilis esset, quia nempè pro colentium placito, seu pro temporum opportunitate, quandoque una, & quandoque altera species seratur, ut etiam in cannapa, aliisque frugibus praxis docebat, quòd scilicet in eodem agro in uno anno seratur frumentum, in altero legumina, & in altero cannapa, cum similibus, & tamen pro aliquibus speciebus solùm decima solvebatur, pro aliis autem non, quamvis de eisdem agris individuis ageretur, ideoque non intrabant dicti termini novalium, cadentes super omnimoda immutatione formæ colendi.

Dicebam igitur quòd hujus controversiæ decisio pen- 6
debat à puncto, seu distinctione causæ universalis, vel particularis, quam communiter tradunt Canonistæ *in c. cum in tua hoc t.* ubi præsertim Butr. *n.* 2. & 5. & cæteris relatis Giovagnon. *cons.* 28. *n.* 3. & *seqq. lib.* 2. Rot. apud Merlin. *dicta dec.* 434. *num.* 9. & *seq.* & *dec.* 474. & *dicta dec.* 322. *Bichii*, & in aliis, cui scilicet causa universalis assistere dicatur.

Ubi enim causa universalis assisteret Communitati, a- 7
liisque hominibus, super exemptione à decimis, per viam regulæ generalis, quæ limitationem pateretur in solis sex speciebus, ad quas taxativè restrictum esset jus parochi; Et tunc pro Communitate respondendum veniret, quoniam hic est effectus causæ universalis, ut exceptis casibus limitatis, reliqua omnia secum trahat, ipsaque exceptio firmet regulam generalem in contrarium ex supra allegatis; Et conferunt quæ in hoc proposito causæ universalis, vel actuum particularium habentur in materia jurisdictionali *sub tit. de jurisd. in Tolетana*, *disc.* 1. & infra *disc.* 18.

Quòd autem causa universalis assisteret Communitati, 8
probari dicebam ex eo, quòd ad prædictas sex species ex antiqua consuetudine jus decimandi restrictum esset, neque uniformiter, sed variè pro earundem diversitate; Et consequenter resultat regula generalis exemptiva in contrarium etiam respectu novalium, ut advertitur *dec.* 169. *n.* 17 *p.* 5. *rec.*

Et clariùs stante præsupposito observantia diuturna annorum 40. & ultra, à quibus hæc nova species fructuum in 9
loco introducta erat, cùm ista, ob dubietatem, an & cui assisteret causa universalis, rectè considerabilis remaneret, tanquam interpretativa, quæ longè favorabilior est magisque operativa, quàm sit altera præscriptiva, cùm non exigat tempus determinatum, aliaque præscriptionis requisita juxta vulgarem, adeoque frequenter insinuatam distinctionem inter observantiam interpretativam, & præscriptivam, de qua benè Barbos. *in l. post dotem n.* 47. *ff. solut. matrim.* Rot. *dec.* 319. & 351. *p.* 6. *rec.* & quotidiè.

Quinimò, stante lapsu tam diuturni temporis dici pote- 10
rat, ut esset quoque præscriptiva, quamvis in hac materia exemptionis decimarum, ex pluries insinuatis in præcedentibus, requiratur immemorabilis ob receptam distinctionem, de qua cæteris relatis apud Royas *dec.* 391. & *dec.* 23. *p.* 6. *rec.* quod scilicet, aut agitur de substantia decimarum in genere præscribendo scilicet ipsum jus decimandi, à quo allegetur exemptio; Et tunc necessaria sit immemorabilis; Aut verò, posito jure decimandi in genere, agatur de modo, vel circa quotam, vel circa restrictionem ad certas species, seu commutationem, dando pecuniam, vel aliam rem loco decimæ, & tunc sufficit quadragenaria.

Quamvis autem ob non benè discussam causam, cum conducta communicatione informationum alterius partis, ex qua intellectus nimium illuminari solet, maturum judicium pro veritate desuper efformare non potuerim; Attamen restringendo ad veritatem, sentiebam aliquam difficultatem contrà Communitatem, ut scilicet parocho potiùs assisteret causa universalis, neque consuetudo exigendi decimas de sex speciebus fructuum tantum, & non de aliis, restrictionem præcisam importaret, sed potiùs id proveniret
ex ratione de qua infrà, quòd scilic. non in vim præscriptio- 11
nis, sed potiùs ex dispositione, vel intentione juris proveniret; Siquidem juris assistentia generalis est pro parocho, ut ei debeantur decimæ, non solùm de frumento, hordeo, vino, oleo, & aliis fructibus hujusmodi magis considerabilibus, sed etiam de pascuis, de foliis arborum, de animalium fœtibus, de lana, & caseo, ac etiam de artium, vel facultatum exercitio, & de quacunque alia specie acquisitionis, quamvis ex sola industria personali, vel operatione intellectus, ut penè centum species refert elaboratus collector Barb. *de paroch. c.* 28. *s.* 1. apud quem Concordantes.

Posita igitur hac regula, intrat vulgare principium, in præcedentibus pluries insinuatum, ac etiam *d. disc.* 1. *de jurisd.* ac in decisionibus in ea causa editis, in quibus principaliter agendo de jurisdictione Episcopali, de consequenti infertur quoque ad hoc jus decimandi, quòd scilicet habens hanc regulam, habere dicitur intentionem fundatam, donec

nec

nec probetur limitatio, quæ non præsumitur, sed concludenter probanda est.

12 Hæc autem probatio desumi non posse videbatur ex eo, quòd pro aliis fructuum speciebus decima non consueverit exigi, quoniam cùm pro territorii, ejusque incolarum qualitate, fructus notabiles, in quibus major utilitas consistit, restringerentur ad istas sex species, alii verò essent nimium modici, vel cum tam magno labore, & sumptu parti, quod nullam ferè causarent utilitatem, seu modicum continerent naturæ beneficium, idcircò abstentio parochorum ab exactione decimarum ex eis, prodiit potiùs ex quadam generali consuetudine deducta ex non scripta æquitate, seu ea, quam vulgò dicimus *Epicheja* abstinendi ab immoderato rigore exigendi decimam de hujusmodi fructibus minutis, ut advertit Rebuff. *hoc tract.* q. 13. n. 51. Rot. *dec. 64. n.* 11. *par. 9. rec.* Ideoque dici non poterat, ut id proveniret ex ea consuetudine, quæ præscriptiva sit, atque pro consueta præscriptionis operatione, habilis tollere jus uni, & dare alteri, sed potiùs ex quadam æquitativa abstentione facultativa, seu commendabili conniventia, juxta eam conniventiam insinuatam *suprà*, *disc.* 1. & in aliis, quam parochi habere consueverunt cum Regularibus in eorum debilibus principiis, vel introductione.

13 Hinc proindè advertebam, quod in hac facti specie, congrua decisio penderet potiùs ex facti circumstantia, quàm ex regulis juris, an scilicet hæc nova fructuum species esset notabilis, & in magna quantitate, adeout illi congrueret eadem ratio aliarum sex specierum decimabilium, vel potius è converso adhuc esset modica, unde propterea dici posset de reliquo genere leguminum, ac rerum non decimabilium, ut hoc secundo casu istud novale sub causa universali exemptiva caderet, non autem in primo; Idque non ex consuetudine, vel præscriptione causæ universalis, sed identitate rationis, ut in specie de nova introductione fructuum in loco, ita distinguendo, circa initia, in quibus ea modica sit, ac successiva tempora, in quibus excreverit, habetur apud Monet. *hoc tract. cap. 5. q. 5. n.* 109.

14 Atque hinc resultare advertebam responsionem ad retroactam observantiam non exigendi decimas in hac specie novorum fructuum, ob aliam juris regulam, super qua in his terminis decimarum plura colligunt Rovit. *d. dec.* 97. & Rot. apud Catill. *de dec.* 44. & 48. quarum secunda est repetita *dec. 591. par. 5. rec.* & in aliis, de quibus supra, quod scilicet in facultativis non intrat præscriptio nisi ex tempore petitionis, ac denegationis cum subsecuta acquiescentia, cum in incorporabilibus hæc dicatur stare loco possessionis, sine qua non datur præscriptio; Potissimè verò ubi successor veniat jure suo independenter à prædecessoribus quorum negligentia sibi præjudicare non potuit, ut in proposito præscriptionis advertitur *sub tit. de fideicomm.* & sub altero *de jurepatr.* ac alibi pluries.

15 Omnisque difficultas ita cessare videbatur ex dicta distinctione resultante à fructuum quantitate, quoniam cum circa initia novæ introductionis, ea modica esse soleat, ac etiam frequentiùs ob modicam colonorum peritiam, magis laboriosa, & dispendiosa, idcircò mirum esse non debet, si per aliquod tempus donec eadem species notabiliter creverit, parochus ea dicta æquitate, seu conniventia abstinuit, & consequenter, quod eis exercitis ex regula *cum cessante &c.* sive ex ratione textus *in cap. suggestum hoc tit.* dicta facultativa abstentio esse non debeat in futurum obligatoria; Et consequenter pro stylo, ea Divina benigna assistentia, inconcussè servato, libere partibus insinuata difficultate, consului ut restringerent ad dictam distinctionem, seu facti circumstantiam, quodque ubi ista nova fructuum species notabiliter crevisset; curarent cum honesta concordia litem sopire, ut credo secutum esse.

ARIMINEN. DECIMARUM

PRO PAROCHIS.

Responsum pro veritate.

An, & quando, restricto jure decimandi ad certas fructuum species, illud competat pro aliis fructibus, qui percipiantur ex agris, vel prædiis, ex quibus aliàs fructus decimabiles percipi solebant, ob immutatam culturæ formam? Et è converso quid ubi mutatio fiat ex fructibus non decimabilibus, sed ad decimabiles? Et incidenter de judicio summario, & executivo in exactione decimarum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quando non possit dari maturum judicium pro veritate.*
3 *Habenti causam universalem non præjudicat mutatio culturæ.*
4 *Quod parochus habeat juris assistentiam in causa universali.*
5 *De jure decimandi fructus novos etiam in decimis temporalibus.*
6 *Quando cultura immutari possit in præjudicium habentium jus pascendi.*
7 *& 8 An, & quando de fructibus novis non debeatur decima.*
9 *De eodem, & quando compensatio intret.*
10 *& 11 De præscriptione, an, & quando obest?*
12 *De observantia interpretativa.*
13 *Decimæ habent viam executivam.*
14 *Quando autem de hoc dubitari possit.*

D I S C. XV.

Præsupposita consuetudine hujus diœcesis Ariminensis, solvendi solùm decimam frumenti, & lini, non autem vini, & fœni, seu pascuorum ex pratis; Cum ab aliquo tempore possessores agrorum, qui frumenti, ac lini perceptioni destinati erant, in eis, vineas constituissent, seu ad usum pratorum, & pascuorum reduxissent, & è converso aliquæ jam desertæ vineæ, vel prata, ad culturam, pro frumento, seu lino, redacta essent; Hinc ex parte parochorum, pro veritate consultus fui, an scilicet, pro vino, & fœno, seu pascuis, quamvis aliàs non decimabilibus, eis deberetur decima, ex ea peculiari ratione, quòd hujusmodi fructus perciperentur ex prædiis decimari solitis in diversa fructuum specie, vel è converso; Et an posita affirmativa, eis obstaret longi, vel longissimi temporis præscriptio, seu consuetudo non exigendi; Et quatenùs idem jus competeret, atque Judex primæ instantiæ eorum favore ita decerneret, an causa esset appellabilis, & ordinaria, vel potiùs summaria, & executiva. 1

Quamvis autem, in hujusmodi Responsis etiam pro veritate, ad instantiam partis interessatæ peti solitis, omninò certum, ac maturum judicium non de facili efformari possit, cū in facti notulis, quæ ad hunc effectum transmittuntur, vel ex inadvertentia, vel ex deficiente notitia, deduci non solent illæ circumstantiæ, ex quibus bonum jus alterius partis resultet; Attamen procedendo, cum illis juris propositionibus, quæ juxta facti narrati præsupposita resultant. 2

Quatenùs pertinet ad primum quæsitum; Dixi quod ipsorum parochorum favore plana videbatur affirmativa, quoties agatur de illo decimatore, qui juris assistentiam habeat in causa universali, ut tunc non obstante immutatione culturæ prædiorum aliàs decimabilium, debeantur decimæ ex fructibus subrogatis, ac de novo introductis, quoniam hæc immutatio fieri non debet cum notabili præjudicio decimatoris, qui in illis prædiis, & bonis jus decimandi jam quæsitum habebat. 3

Neque dubitatur de jure parochi super causa universali, ut in ea etiam respectu novorum fructuum juris assistentiam habeat, ad textum *in cap. commissum est*, & *cap. cum in tua, de decim. in fin.* ubi communiter Canonistæ; Atque ita in specie, relatis Covarr. Rebuff. Guttier. & aliis hanc decimarum materiam tractantibus; sæpiùs firmavit Rot. adeò, ut videatur conclusio præsupponenda, & super qua verè inanis labor est, authoritates cumulare, vel ineptias eas desiderare, ut præsertim firmatur apud Manticam *decis.* 341. Catill. *dec.* 44. & 48. quarum prima est repetit. *decis. 591. par. 5. rec.* apud Royas *dec.* 414. *dec. 666. n. 1. part. 3. rec. dec. 502. n. 2. par. 4. in Abulen. decimarum* 15. *Januarii* 1644. *cor. Peutingerio*, & in aliis. 4

Ut enim benè advertitur apud Catill. *dict. decis.* 44. aliàs *dec. 591. par. 5. rec.* in hoc proposito, circa novos fructus subrogatos, difficultas intrat, ubi agatur de decimatore particulari habente jus restrictum ad certas species fructuum; Et in proposito decimarum temporalium solvendarum Baroni, seu Domino temporali ut debeantur etiam de fructibus, qui percipiantur ex novis plantationibus, eo quia culturæ immutatio tollere non debet jus decimatoris, habetur plenè apud Rovit. *dict. dec.* 97. Et conferunt quæ habentur ad materiam juris pascendi *sub tit. de servit. disc.* 37. & *seqq.* super articulo, an, & quando incolæ immutare possint faciem agrorum, ac prædiorum, reducendo ad usum vinearum, vel cannetorum, agros pascuis, vel segetibus de- 5

stinatos

stinatos in præjudicium juris pascendi universalis, quod loci Dominus habeat.

7 Difficultatem autem aliquam, circa applicationem conclusionis, mihi inferebat ea circumstantia, quod è converso aliqua prædia antiquitus fructibus non decimabilibus destinata, conversa essent in fructus decimabiles, an scilicet ita locus esse deberet cuidam compensationi, nè aliàs in parochis daretur illa in jure damnata inæqualitas, quæ leonina dici solet, quod ea immutatione culturæ sentire deberent solum lucrum, non autem subjacere damno; cùm ita inter parochum, & parochianos, quædam species societatis contracta videatur, solutionis, ac exemptionis respectivè pro qualitate fructuum; Et consequenter intret verum principium juris frequenter in omni ferè materia insinuatum, præsertim *sub tit. de credito*, ut societati repugnet hæc inæqualitas, quod unus subjacere debeat damno absque spe lucri, & è contra.

8 Ponderabam quoque, in idem conferre ea, quæ habentur supra *in Toletana decimarum horti disc. 4.* in materia novalium, ut scilicet pro eis decimæ non debeantur, ubi agatur de prædiis aliàs infructiferis, ex quibus parochus nullam decimam percipiebat, cùm tunc nullum sibi præjudicium faciat exemptio; Eatenùs enim ex noviis fructibus decimari non solitis, solvenda quoque est decima, quatenùs sint subrogati loco antiquorum decimabilium; Et consequenter, quamvis ista prædia essent aliàs fructifera, & culturæ destinata, adeòut verè, & propriè non congruat dicta conclusio sumpta in sensu literali, cùm procedat in agris, aliàs incultis, & sterilibus, attamen attenta ratione, sive attento effectu, idem dicendum venit, dum ob qualitatem fructuum non decimabilium, idem respectu parochi, vel alterius decimatoris videtur, ut prædia sint sterilia, vel culta, & fæcunda, producentia fructus decimationi non subjectos; Ideòque intrare debeat adeò frequenter insinuata propositio in judicando, & consulendo semper præ oculis habenda, ut non cortex, & formula verborum, sed substantia veritatis, seu finis, vel effectus à lege consideratus attendi debeat, quoniam lex non est imposita verbis, sed rebus.

9 Sed quoniam hæc distinctio in eodem genere fructuum decimabilium, confusiones pareret; Hinc proinde quandu notabilis inæqualitas parochis præjudicialis ex hac mutua compensatione non resultaret, tunc in ratione dubitandi dicebam, quod probabiliter dubitari posset de applicatione primæ conclusionis ipsorum parochorum favore firmatæ, super jure decimandi, etiam vinum, & prata, quamvis generaliter non decimabilia, ex ratione subrogationis; Reservavi tamen maturius judicium post meliorem facti notitiam super dicta culturæ immutatione hinc inde, ad effectum inspiciendi, an ita res promiscuè se haberet, quod æqualitatem, vel respectivè notabilem inæqualitatem produceret; Adhuc tamen occasio non dedit hunc punctum formiter disputare, ut maturius judicium super eo efformari potuerit.

10 Quatenus verò, dicto compensationis motivo non intrante, admittenda esset dicta prima conclusio subrogationis fructuum novalium, loco antiquorum fructuum decimabilium; Respondi, non obstare longævam observantiam contrariam, ubi ea capienda esset in ratione præscriptiva, ex pariter vera, & recepta conclusione, in præcedentibus insinuata, quod in facultativis non intrat præscriptio, nisi ex tempore petitionis, ac respectivè denegationis cum subsecuta acquiescentia, cùm hæc incorporabilibus statè dicantur loco quasi possessionis, sine qua præscriptio non datur; Potissimè verò dum parochi successores veniunt jure proprio, independenter à prædecessoribus, quorum negligentia eis præjudicare non debet, quoniam qui non potest remittere, vel expresse disponere, neque potest negligere, ne major sit virtus taciti, quam expressi, seu ficti, quàm veri, & ne quod directè prohibitum est per indirectum sequatur.

11 Ideoque ut præsertim advertitur *in Colonien. sub tit. de alien. & contract. prohib. disc. 3.* in illis juribus; in quibus successores veniunt jure suo independenter à prædecessoribus, nunquam, vel nimium raro, practicabilis est præscriptio quantumvis antiqua observantia concurrat, quæ solum operativa esse solet, quando ille, qui eam pro se habet, prudentem adhibeat cautelam allegandi titulum prosicuum, putà privilegium Apostolicum; Secùs autem ubi, imprudenter, ad præscriptionis præsidium recurrat, ut latius advertitur, *dicto disc. 3. de alienat. & contract.* ubi de conclusionis declarationibus.

Benè tamen in hac facti specie diuturna observantia obstaculum præbere poterat, in ratione interpretativa ob superius excitatam dubitandi rationem compensationis, cùm ea stante, rectè intret terminus interpretationis; Verùm etiam super hoc maturum judicium efformare non potui, ob deficientem magis distinctam notitiam hujus observantiæ ejusque singularum circumstantiarum ex quibus pendet resolutio, an ei deferri debeat, necne. 12

Hinc proindè in specie motivum præscriptionis neglectum fuit in eisdem supra allegatis decisionibus *præsertim dec. 666. par. 3. & dec. 402. par. 4. rec.* & apud Carill. *dict. dec. 44. repress. decis. 591. par. 5. rec.* Et consequenter ista quæstio dicenda videtur potiùs facti, quàm juris, non de facili recipiens certam, ac generalem regulam, cuicumque casui applicabilem, cùm decisio potiùs pendeat ex facti qualitate, & circumstantiis, ad quas principaliter reflectendum est, non autem cum consueto errore procedendi cum generalitatibus juris.

Demùm quoad aliud quæsitum ordinis, an scilicet instante supra dicta prima conclusione favore parochorum, competeret judicium summarium, vel executivum, Respondi quod generaliter, ac in abstracto plana est regula affirmativa, ut pro decimis competat via executiva ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Dunozett. *dec. 990. n. 1.* & 13 apud Royas *dec. 391. n. 3.* & passim, cùm regulariter sit principium absolutum.

Verùm in hac facti specie dubitabam, saltim pro unica translatione executionis per Signaturam concedenda, ob temporis antiquitatem, adinstar eorum quæ habentur, *sub tit. de pension. in Urbanien. disc. 67.* super stylo Signaturæ 14 relato per Gonzez. ut etiam in pensionibus ecclesiasticis, executivis, & privilegiatis, rescribi soleat de appellatione suspensiva, ob temporis antiquitatem, cum declarationibus ibi contentis; Clariùs verò in hac facti specie, ob supra insinuatam dubitandi rationem, resultantem à motivo compensationis fructuum decimabilium, qui percipiantur ex prædiis antiquitus destinatis diversis fructibus non decimabilibus, cum ita pernecesse intrat judicis interpretatio, seu declaratio, quæ secum trahit appellationem, ut in sua materia, *sub tit. de judic.* Ideoque de praxi judicii executivi probabiliter dubitari poterat.

URBEVETANA DECIMARUM PRO MARCHIONE MARABOTTINO.

Responsum pro veritate.

De redecima, seu duplici decima, an, & quando debita sit? Et incidenter, an venditor prædii, qui expressè illud asseruit, ac promisit liberum, vel exemptum ab omni onere, præstatione, teneatur de evictione, vel actione quanti minoris pro onere decimarum parocho solvendarum?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De decimis temporalibus.*
3 *In dubio præsumuntur spirituales.*
4 *Prohibita est exacta redecima seu duplicis decimæ, nisi adsit consuetudo.*
5 *De argumentis temporalitatis.*
6 *In possessorio non requiritur de justitia, vel injustitia.*
7 *De actione negatoria.*
8 *De oneribus intrinsecis decimarum venditor non tenetur.*
9 *Idem de oneribus collectarum, & onerum publicorum.*

DISC. XVI.

Præsupposita facti serie in hac eadem causa enarrata, 1 *sub tit. de Empt. & vendit. disc. 36.* occasione agendi de diverso articulo concernente obligationem evictionis, vel actionem quanti minoris? Quatenus pertinet ad hanc materiam decimarum, ex quarum debito, seu natura, & qualitate pendebat dicti alterius puncti determinatio.

Respondi quod decisio pendebat potiùs ex facto, quàm 2 ex jure, an scilicet ista præstatio sub nomine decimæ, importaret potiùs decimam temporalem, quæ redoleret speciem census, seu livelli, ratione directi dominii, seu ex alio titulo profano, vel potiùs decimam spiritualem, debitam parocho in sola ratione parochialitatis, insinuando in Responso desuper edito eadem, quæ habentur *suprà disc.*

disc.6. super significatione hujus vocabuli decimarum, ut etiam hujusmodi livellia, vel canonibus, alisque responsionibus merè temporalibus congruat.

3 Quatenus autem, ex parte parochi, expressè, vel saltem adminiculativè, non doceretur de oneris temporalitate, adeout juxta opinionem, quam tenet Rota, & Curia, præsumptio staret potiùs pro spiritualitate, quàm pro temporalitate, ex deductis *eodem disc.6.* tunc stante dicta præsupposita consuetudine, quod parochi integras decimas exigunt à colonis; Dicebam quod juris regula ei resistebat, quoniam de jure prohibitum est exigere redecimam, seu duplicem decimam, ex iis, quæ antiquioribus relatis, ha-

4 bentur firmata apud Buratt. *dec.575.* ubi Add. latè cumulant Concordantes *dec.672. par.1. & dec. 548. par.5. rec.* & in aliis; In quibus pariter firmatur ejusdem regulæ limitatio ex contraria consuetudine, quæ tamen debet esse immemorabilis, vel saltem quadragenaria, cum fama privilegii, vel cum titulo bonæ fidei colorato, juxta regularem naturam præscriptionis eorum, quibus jus resistat, ut præsertim in hac decimatoria materia receptum habemus ex pluries insinuatis in præcedentibus.

5 Nimium tamen probabile videbatur, ut istud esset potiùs onus temporale, seu profanum; Tum ex specialitate quod ex istu prædio, non autem ex aliis adjacentibus intra ejusdem parochiæ fines existentibus exigeretur; Tum etiam quia non esset in quota, juxta regularem decimarum spiritualium naturam, sed in certa uniformi quantitate; Verùm sive ex hac ratione temporalitatis, sive ex altera consuetudinis inducentis limitationem, super redecima, dixi quod decisio pendebat potiùs à facto, quàm à jure, à probationibus scilicet, quas parochus deduceret in judicio actionis negatoriæ per ipsum possessorem intentandæ.

6 Quoties enim non agitur de consuetis decimis ex juris communis dispositione parocho debitis, in quibus absque alia probatione ipse habet intentionem fundatam in assistentia juris; Sed agatur de decima extraordinaria, cui jus potius resistat, quàm assistat; Tunc licet in possessorio parochus, vel alter in quasi possessione juris exigendi existens, ad aliquam tituli justificationem non teneatur ex recepta propositione, de qua in sua materia *sub tit. de judic.* ubi de ejus declarationibus, ac alibi pluries, quod in hoc judicio non quæritur de justitia, vel injustitia, sed attenditur nudum factum possessionis, rejiciendo ad petitorium ea, quæ concernunt justitiam, vel injustitiam; Attamen in petitorio sufficit possessorio pro obtinenda absolutoria ab onere fructuum sola intentatio actionis negatoriæ, donec ille, qui præstationem, vel aliam servitutem prætendit, illam justificet, ex iis, quæ antiquioribus relatis habentur per Rot. *dec.* 101. *p.4. rec. tom.2.* & apud Cenc. *de cens. quæst. 90. ex n.9.* ac pluries advertitur, præsertim *sub tit. de pension. & sub altero de emphyt.* ac etiam *de servitut.*

7 Ex probationibus autem à parocho faciendis, de consequenti resultare Respondi alterius quæsiti resolutionem super actione competente adversùs venditorem pro evictione, vel actione quanti minoris, quoniam si istud esset onus temporale, ac extraordinarium, quod parocho debitum esset, non ex dispositione juris ratione decimarum spiritualium, sed potiùs in ratione census, seu livelli, tunc de plano dicta actio intraret; Secus autem ubi ageretur de decimis spiritualibus, quæ importare dicuntur onus intrinsecum, & reale debitum per quemcumque possessorem de natura rei, & consequenter non cadit sub hujusmodi assertionibus, ac promis-

8 sionibus libertatis factis per venditorem, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Ann. seniorem *alleg. 48. & in Sabinen. Status Montis Libretti, sub tit. de feud. disc.65.* ubi quod venditor non tenetur ad evictionem, vel ad quanti minoris ob assertionem, ac promissionem quod nemora, ac prata, aliaque bona existentia in feudo, vel castro vendito, essent libera, & exempta ab omni onere, & servitute ob jus pascendi, seu lignandi, quod in eodem loco habeant ejus incolæ, & vassalli, cùm istud dicatur onus intrinsecum, & connaturale, quod sob dicta promissione non venit, nisi deducatur ad speciem, ex deductis *d. disc. 65. de feud. & disc.36. de empt. & vend.*

9 Atque in idem conferre dicebam eas, quæ communis praxis docet de collectis & tributis, aliisque oneribus, quæ Principi, vel Communitati per prædiorum, ac bonorum possessores solvuntur, quod pro eis non intrat actio evictionis, vel quanti minoris, ob dictam libertatis, ac exemptionis promissionem, nisi deducatur ad speciem, cùm dicatur onus intrinsecum, & de natura rei, Sic à pari, quoniam, ut pluries advertitur *sub tit. de Regal.* ad materiam gabellarum, & vectigalium, isti termini patificantur, cùm collectæ, & tributa, quæ Principi, vel Civitati solvuntur, speciem decimarum quoque habeant, ad instar istarum spiritualium.

TOLETANA DECIMARUM. DE UZEDA.

Discursus in congressu pro directione.

De portione canonica debita Episcopo ex decimis, an sit quarta, vel alia portio, & quomodo consuetudo in ea attendi debeat? Et qualem juris assistentiam, vel directam actionem contra parochianos Episcopus habeat?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones prodita in causa.*
3 *De quarta canonica debita Episcopo ex decimis.*
4 *An Episcopus habeat actionem directam contra decimabiles.*
5 *Quod dicta quarta debita sit de jure.*
6 *Quod consuetudo seu observantia dividi non possit.*
7 *Consuetudini est deferendum, ubi non proveniat à locatione.*
8 *De distinctione super præscriptione decimarum.*
9 *Quando intret quæstio quartæ, & de concursu trium personarum.*
10 *De consuetudine Hispaniarum non habendi parochias distinctas, quodque Episcopus sit parochus universalis diœcesis.*
11 *Quo jure fieri dicatur divisio decimarum inter Episcopum, & exercentes curam.*

D I S C. XVII.

Divisis fructibus decimabilibus, inter magis considerabiles, ut sunt triticum, hordeum, vinum, oleum, 1
aliæque fruges, quæ sub vocabulo *fructuum* explicari solent, & in minutos, minusque considerabiles, ut sunt poma, & pira, olera, & similia, quæ sub nomine *virentium*, explicantur, ut scilicet hæc secunda species in oppido Uxedæ integra spectet ad Rectores, seu Beneficiatos curam animarum exercentes, de altera verò specie, ipsi participent pro tertia parte, pro alia tertia Archiepiscopus, & pro alia quidem participantes; Atque secuta de recenti reductione cujusdam prædii ad usum horti, ex quo aliqua notabilis decima, ex oleribus, & pomis percipiebatur; Hinc prætensionem excitavit Archiepiscopus super quarta, seu portione canonica juxta dispositionem juris ex his decimis sibi debita; Introductaque causa *in Rota cor. Dunozetto sub die 5. Decembris* 1631. ad favorem Rectorum, seu Beneficiatorum prodiit resolutio in
possessorio retinendę, ut patet *ex dec. is.320. inter ejus impressas*; Reassumpta verò ex parte Archiepiscopi causa in bono 3
jure de anno 1656. *coram Zarate subrogato*, hinc ex parte Rectorum convocatus fuit congressus pro directione, incertumque remanet, an ulteriorem progressum habuerit, dum frequenter accidit, quod litigantes, præsertim in hujusmodi causis Hispanis, audiunt pro directione sensum plurium Advocatorum, eoque habito, cum aliquibus tantum defensoribus pro minori sumptu causam prosecuntur, undè propterea maturum judicium desuper efformari non potuit.

Supponebatur igitur, quod ex parte Archiepiscopi, & 3
Agentium pro eo, prætensio fundaretur in assistentia juris super participatione omnium decimarum sibi debita in quarta parte, quæ portio canonica dicitur, juxta *textum in cap. conquerente, §. nos autem, de offic. Ordin.* ubi communiter scribentes Rot. apud Seraph. *dec.1204. n.4. dec.31. par.2. divers.* & habetur in proposito quartæ funeralium, *sub tit. de paroch. disc.* 25. ubi Concordantes.

Undè propterea intrat quæstio, an Episcopus ad decimas 4
à parochis percipiendas, concurrat directè, ac jure coæquali, pro ejus quota? Vel potiùs, hac ractione sibi denegata, habeat solum jus, vel actionem contra parochos pro communicatione, seu participatione, ex iis, quæ habentur in dicta hujus causæ *dec.*320. Durani, plenè Fag. *in cap. quoniam, de decimis*, apud Gregor. *dec.* 519. & pleniùs *dec.* 122. 387. & 357. *par.5. recent.* in quibus firmatur verius esse, ut actio directa contra parochianos non detur, benè tamen intentare possit Judicis officium contra eosdem, nempè tanquam debitores debitoris, de quo etiam habetur *dec.*334. *par.6. rec. & in Frequentina decimarum* 10. *Junii* 1639. *coram*

ram

ram Ghisleriu, in quibus, & prius *d. dec. 31. par. 2. divers. & dec. 311. n. 2. par. 6.* firmatur, quod ea participatio debita sit Episcopo ex dispositione juris, reprobata opinione volentium, ut id ex consuetudine proveniat.

6 E converso, Beneficiatorum defensores, admittentes, quod ageretur de quæstione inter parochum, & Episcopum, super portione canonica, dicebant (& benè his terminis retentis) quod cùm ista regulariter sit quarta pars, de consequenti Archiepiscopus plus debito, ac excessivè exigebat eandem portionem, ex decimis majoribus fructuum siccorum, & consequenter procedebant cum dilemmate quod; Aut standum erat dispositioni juris communis; Aut consuetudini; Primò casu generaliter de omnibus portio ad dictam quotam, à jure statutam reduci debebat, idque Beneficiaria expediebat, ideoque dabant manus; In secundo autem, consuetudo dividi non debebat, & rationabiliter quidem, quoniam ille excessus, quem ultra quotam à jure statutam in fructibus siccis, Archiepiscopus percipiebat, compensatus hinc inde remanebat cum sibi denegata participatione in hac specie.

7 Atque ad probandum, ut deferendum esset consuetudini, sive ista, non immutata natura quotæ, eam in pluri, vel minori statuisset; Sive etiam eam reducendo ad certam, uniformem quantitatem quoties ista non habeat initium à locatione, vel alio contractu voluntario, & resolubili, cujus cõtinuationi, vel renovationi observantia referri valeat, juxta deducta *dec. 727. par. 1. divers. dec. 43. par. 7.* & apud Dunozet. *decis. 824. & 990.* Deducebant receptam distinctionem, quam habemus tam in his terminis, quàm in ipsis decimis inter parochum, & parochianos, de qua post Covarr. Rebuff. Monet. & alios relatos, Martin. Andr. *dec. 45. d. dec. 43.*

8 & 311. *par. 6. rec.* & in aliis pluries, quod scilicet; Aut agitur de præscribendo dictas decimas, earumque substantiam in toto, & tunc requiratur immemorabilis, vel saltim quadragenaria cum fama tituli, vel cum isto bonæ fidei putativo; Aut verò de inducendo consuetudinem super alteratione quotæ, vel super reductione ad certã quantitatem, vel ad certam speciem fructuum tantùm, & tunc iste rigor non requiritur, sed simplex quadragenaria sufficit, dum hoc secundo casu non urget illa positiva juris resistentia, quæ urget in primo, ut etiam in præcedentibus insinuatur pluries.

9 Quamvis autem, retento etiam dicto præsupposito, quod ageretur de quæstione inter parochum, & Episcopum, super quarta, seu portione canonica, ego laudarem discursum pro hac parte, potissimè quia inevitabile videbatur præfatum dilemma, dum electio ipsi Archiepiscopo dabatur, vel scilicet acquiesceret consuetudini prout jacet, ea sublata de medio, indefinitè attenderet dispositionem juris super quota ab ipso jure statuta; Nihilominùs diversa fuit mea sententia, quod scilicet omnia cum dicto præsupposito hinc indè deducta, extranea essent à casu quæstionis, in qua dicti termini quartæ, seu portionis canonicæ nullatenus intrarent; Siquidem ista quæstio præsupponit concursum trium personarum, nempè populi, qui explicari solet sub nomine ovium, Parochi habentis curam in titulum, cui tanquam pastori integras decimas oves solvant; Et tertiæ personæ Episcopi, cui parochus decimas jam perceptas, ratione cujusdam concursus habitualis in eadem cura, communicet istam quotam.

10 Iste autem concursus trium personarum, in præsenti non aderat, quoniam in hac diœcesi verificatur idem, quod insinuatur supra *in Hispalen. disc. 1. & in Palentin. disc. 2.* & in aliis, quod scilicet pro frequentiori Hispaniarum usu, parochiæ non sunt distinctæ, sed pro universa diœcesi, Ecclesia Cathedralis est unica parochia, ideoque sibi debentur decimæ, de quibus participare solet Capitulum Cathedralis jure cujusdam participationis quam habet Capitulum, cum Episcopo in administratione Ecclesiæ Cathedralis, quæ formari dicitur simul ab Episcopo tamquam capite, & à Capitulo, tamquam reliquo corpore, ex iis quæ pluries habentur *sub tit. de Canonic. & Capitul.* Hujusmodi autem Rectores, qui in singulis locis curam exercent, & sacramenta mini-

11 strant, non sunt parochi, neque jus decimandi habent, cùm istud, ex pluries insinuatis, resideat penès eum, qui habet curam habitualem, sed sunt nudi famuli, ac ministri deputati, ad nudum factum exercitii, quod impossibile est ubique per ipsum parochum habitualem explicari; Et consequenter advertebam extraneos, ac impropríos esse dictos terminos quartæ, seu canonicæ portionis inter Episcopum, & parochum, cum ita Episcopus utramque personam gerat, ideoque sui ipsius debitor esse non potest, quoniam ita esset in eadem persona dare titularem, & pensionatium; Et sic quod attento jure habituali omnes decimæ pertinerent ad Episcopum jure suo, qui eodem modo quo *in dicta Palentina disc. 2.* jure cujusdam impliciti contractus assignationis loco salarii, seu congruæ, dederat his Beneficiatis tamquam ministris tertiam partem decimarum ex fructibus siccis, & integram decimam ex aliis fructibus virentibus, & consequenter quod hæc antiqua assignatio congruæ esset hinc indè inalterabilis, quoties non urgeret ratio reductionis rerum ad nimiam injustitiam, juxta ea, quæ in proposito assignationis congruæ habentur *in Perusina sub tit. de paroch. disc. 20.* ubi Concordantes, atque his terminis attentis, clarius, magisque planum mihi videbatur bonum jus hujusmodi Rectorum, seu Beneficiatorum.

CORDUBEN. DECIMARUM
PRO COMITISSA ALOYSIA DE GONGORA
CUM CAPITULO.

Casus in possessorio decisus per Rotam pro Aloysia.

De decimis molendinorum an dicantur prædiales, vel potiùs personales, & industriales: Et de consuetudine non solvendi decimas de industriis.
Et de regula, an, & quando expensæ deducantur, necnè, ante decimationem?
Et an Capitulum habeat assistentiam juris in causa universali sine Episcopo?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Etiam in possessorio solet gustari de meritis.*
4 *De operatione caus. universalis, & assistentia juris.*
5 *In decimis non datur extensio de re ad rem, vel de casu ad casum.*
6 *Episcopus in decimis non habet juris assistentiam, multo minus Capitulum.*
7 *Fallit ubi non adsit parochianorum distinctio.*
8 *Quando Capitulum isto casu habeat assistentiam juris.*
9 *De argumento temporalitatis decimarum.*
10 *Arrendatarii, seu conductores non præjudicant domino in solutione decimarum.*
11 *Servitus non præsumitur, sed est probanda per allegantem, ac sufficit allegare negatoriam.*
12 *In concursu probationum, quibus potius deferendum sit.*
13 *Decimæ debentur etiam de molendinis.*
14 *Debentur decimæ ante deductionem expensarum.*
15 *Quod sint fructus industriales illi molendinorum.*
16 *Ex industriis de consuetudine non solvitur decima, & de ratione.*
17 *Fallit, si adsit consuetudo particularis, quæ prævalet generali.*
18 *Quod conclusio, de qua n. 14. non procedat in fructibus naturalibus, non autem in industrialibus, & de ratione differentiæ.*
19 *De conclusione ut non debeatur redecima, & an applicetur ad rem.*

D I S C. XVIII.

PLuribus existentibus molendinis in flumine *Gualdaquibi* 1
nuncupato, decurrente propè mœnia Civitatis Cordubensis, quorum duo sunt de pleno dominio Capituli, quod ex plerisque aliis decimam percipere consuevit; Cùm Comes de Gongora se exemptum prætenderet, ideoque se manutenere in exemptione consueverit pro ejus molendino nuncupato *de Casillas*; Hinc desuper Capitulum, usque ab anno 1635. judicium instituit coram Ordinario, à quo decretum quoddam favorabile reportavit; E converso autem in gradu appellationis coram Nuncio, prodiit decretum favorabile possessori, atque devoluta per appellationem causa *ad Rotam coram Bourlemont*, datoque dubio in possessorio, 2
an & cui danda esset manutentio, an scilicet Capitulo in quasi possessione exigendi, vel Comitissæ in quasi possessione libertatis, *sub die 20. Junii 1672.* pro Comitissa prodiit resolutio, atque in hoc statu causa pendet.

Duæ autem erant hujus disputationis inspectiones; Primò scilicet, circa probationem possessionis exigendi, vel non 3
solvendi respectivè; Et secundò circa bonum jus, quod incidenter, & pro gustu ex commendabili stylo, etiam in posses-

forijs

fotiis judiciis, pro eorum faciliori regulatione deduci solet.

4 Quatenùs pertinet ad primum; Cùm ex parte Capituli, bene, & concludenter probaretur possessio decimandi, in plerisque aliis molendinis in eadem flumiois Contrata existentibus, non benè autem probatur possessio respectu istius molendini, dum deducebatur solum exactio unica vice facta à quodam arrendatario, seu conductore in sanecis a 50. pro decimis plurium annorum de affectatione, seu collusione suspecta, ob plures facti circumstantias, quæ ex hac parte per causæ Pattonum benè, ac diligenter considerabantur, idcircò Scribentes pro Capitulo, recurrebant ad motivum causæ universalis resultantis ab assistentia juris, ob quam ex pluries insinuatis in præcedentibus, quasi possessio probata ex aliquibus prædiis, suffragatur quoad omnia existentis intra limites jurisdictionis ejusdem decimatoris.

5 Quare ab hoc puncto assistentiæ juris, & causæ universalis resolutio causæ in possessorio pendere videbatur, cum ea posita, vel respectivè negata, Scribentes hinc inde concordarent in conclusionibus, seu theoricis juris enunciatis etiam in præcedentibus, præsertim *disc.* 14. & 15. quod scilicet concurrente dicta assistentia, ea qua resultat causa universalis, possessio in parte, influit in totum; E converso autem, ea non concurrente, adeout jus decimatoris consistat in jure, vel titulo particulari, tunc possessio non suffragatur nisi ad ejus limites, ac in bonis, in quibus illa præcisè probetur.

6 In ista enim materia decimarum non datur extensio de re ad rem, vel de prędio ad prædium, ut in his terminis Achill. *dec.* 3. *de decim. circa finem*, Seraph. *dec.* 802. *n.* 6. Coccin. *dec.* 187. *n.* 2. & frequenter, cùm sit conclusio firma, quoniam isto secundo casu jus decimandi redolet speciem servitutis particularis, cujus extensio prohibita est.

7 Itaque circa istam juris assistentiam, Scribentes pro Capitulo cumulabant multas decisiones editas *in Hispalen. & Toletana, Palentina*, & in aliis enunciatis *in disc. praced.* ad probandum hodiè receptum, ac planum assumptum, quod licèt regulariter Episcopus, & Capitulum in jure decimandi non habeat juris assistentiam, sed potiùs resistentiam, cum istud sit jus parochorum, illud autem Episcopi consistat in quarta canonica, quæ per parochos eis præstanda est, ut apud Seraph. d. *dec.* 802. apud Royas *dec.* 344. & 412. *utrobique in princ.* & frequenter; Attamen id procedit

8 in illis diœcesibus, in quibus parochiæ sint distinctæ, ideoque parochorum usus habeatur; Secus autem, ubi nullæ parochiæ distinctæ sint, juxta magis frequentem Hispaniarum usum, quoniam tunc Episcopus dicitur parochus universalis totius diœcesis, ipsaque Ecclesia Cathedralis unica parochialis, & consequenter ipse hanc assistentiam habet, atque ex ejus jure etiam Capitulum jure administrationis, & participationis ex sæpissimè firmatis.

9 Non negabamus, ego, & alii pro hac parte scribentes, hujus assumpti veritatem; Dicebamus tamen, illud procedere, quando Episcopus est in causa, ejusque vice, ac nomine potiùs, quàm proprio, Capitulum decimas petit jure dictæ administrationis, ac participationis; Secus autem ubi jure, ac nomine proprio independenter ab Episcopo, quoniam tunc hanc assistentiam juris non habet, ut in specie advertitur *in dicta dec.* 187. Coccini, *dec.* 22. *num.* 6. & 7. *par.* 7. *rec.*

10 Cùm itaque probaretur, quod Episcopus non esset in causa, nullamque haberet, nec prætenderet participationem hujusmodi decimarum; Quinimò ex quibusdam articulis, aliisque actibus aliàs factis ex parte Capituli probaretur, quod ipsum acriter substinuerit non jus Episcopi in decimis hujusmodi molendinorum, de consequenti plana remanebat exclusio causæ universalis, quodque decimatio ex aliis molendinis, ad causam, vel titulum particularem potiùs referri deberet.

11 Magnum quoque argumentum ex eo desumendo, quod Capitulum in eodem flumine; pleno jure dominii privati possideret duo ex hujusmodi molendinis, unde propterea probabile esse dicebam, quod antiquitus idem dominium haberet aliorum molendinorum, quę privatis in emphyteusim, seu alio jure concessisset, ita exigendo decimam potiùs temporalem per speciem canonis, vel portionis dominicalis, juxta illam decimæ temporalis speciem, quę habetur pluries enunciata in præcedentibus præsertim *disc.* 6. & *seq.*

12 Exclusa igitur dicta causa universali; Quatenus pertinet ad præponderantiam probationum possessionis hincinde punctus erat potiùs facti, quàm juris; Meliores autem videbantur probationes hujus partis, potissimè quia major probatio, quæ daretur ex parte Capituli actoris consistebat in dicta solutione, quæ sit facta per quemdam conductorem, seu arrendatarium, quoniam ubi etiam vera, & sincera esset, apta non est locatori, vel domino præjudicare, ut in specie apud Royas *dict. dec.* 344. *n.* 13. & frequenter; Multò magis dum iste actus de collusione, ac affectatione nimium suspectus erat.

Et nihilominus advertebam, quod huic parti, non incum-
bebat necessitas alicujus probationis præponderantis, quo- 13
niam cùm esset reus, & possessor, intentionem fundatam habebat in regula juris, quæ assistit libertati in exclusionem servitutis, pro qua sufficit actio, vel exceptio negatoria, quæ conceditur contendenti de libertate adversus prætendentem servitutem, ex iis quæ generaliter in materia servitutis habentur *dec.* 101. *par.* 4. *rec. tom.* 2. & *sub tit. de servitut.* pluries, unde ad census, vel alias annuas præstationes infertur ex collectis per Cenc. *de cens. q.* 87.

Ubi vero quis absque alio extrinsecę probationis fomente, intentionem habet fundatam in regula, seu præsumptione juris, tunc duo intrate dicebam vulgaria, nimiumque frequenter insinuata axiomata; Primò nempè quod, habenti jam intentionem fundatam, sufficit cum ejus probationibus offuscare, vel debilitare illas collitigantis, cui incumbit earum onus, ut ita dicantur minus perfectę, ad effectū, ut ipse vincat per non jus; Et secundò in idem, quod paribus existentibus probationibus hinc inde, potior est conditio rei, & possessoris, undè propterea illi, qui in hoc onere probationis, actoris partes facere dicitur, incumbit majus onus faciendi probationem adcò concludentem, & perfectam, ut apta sit facere duplicem operationem; Primò nempè suffocare illam collitigantis; Et secundò ut concludens remaneat, quod utique in hac facti specie non accedebat. 14

Quo verò ad alteram inspectionem in meritis, duæ erant ejus partes; Primò nempè, posita etiam assistentia juris decimandi ratione parochiali, an decimæ à molendino deberentur in genere? Et secundò posito quod deberentur, an detrahi deberentur expensæ, & quæ? 15

Ad primum, dicebant Scribentes pro Capitulo, casum esse expresse decisum, *per textum in c. pastoralis* 28. *de decim.* ut de molendinis decimæ debeantur, quod etiam dicitur *in cap. pervenit, & c. ex transmissa, eod. tit.* & firmant communiter DD. ampliantes, sive agatur de molendinis ad aquam, sive ad ventum, ex relatis per Monet. *hoc tract. cap.* 5. *q.* 4. *n.* 35. Castill. *tom.* 3. *controv. c.* 13. *n.* 10. Barbos. *de jur. Eccl. lib.* 3. *cap.* 26. §. 1. *n.* 24. & *de paroch. par* 3. *cap.* 28. §. 1. *n.* 24. etiam latè Guttier. *practicarum*, *lib.* 1. *q.* 18. *n.* 9. & *seq.* ubi in specie de quæstione super molendinis ad ventum, & refertur *in dec.* 458. *n.* 35. *par.* 5. *rec.*

Et ad secundum pariter dicebant assistere regulam decimatori, ut scilicet, decima debeatur ante expensarum deductionem *ad tex. in eod. c. pastoralis* 28. *de decim.* ubi DD. de quibus Monet. *d. cap.* 5. *q.* 4. *n.* 28. & 36. Barbos. *de paroch. d. cap.* 28. §. 1. *n.* 34. & *seqq.*

Quatenus pertinet ad primum; Ego & Alii scribentes pro hac parte dicebamus, quod molendina non dicuntur prædia naturaliter fructifera, adeout fructus, qui percipiuntur, dici valeant naturales, vel saltem mixti, ob coæqualem operationem naturæ, & industriæ hominis, sed potiùs dici debent fructus merè industriales, cùm natura in hoc nihil operetur; sed totus sit effectus industriæ hominis, quæ etiam facit, ut aqua, seu ventus, quamvis sint effectus naturæ, cooperentur tamquam ministri velociores, magisque operativi, quoniam etiam muli, vel equi operantes in molendinis, quæ dicuntur ad manum, producuntur à natura, & tamen eorum operatio circa hunc effectum tota referenda est industriæ, eo modo quo industriales dicuntur omnes fructus, qui percipiuntur à prædiis urbanis destinatis hominum habitationi, seu aliis officinis, & usibus, vel commoditatibus, *ut dec.* 95. *num.* 4. post Merlin. *de pignor.* & apud Otthobon. *dec.* 193. *num.* 6. & *seqq.* unde propterea licèt Canones dicant, ut etiam de molendinis decimæ debeantur, id provenit, quia de omni industria, & opificio decimæ solvi debent. 16

Et consequenter exinde resultaret penè universalis consuetudo, quæ præsertim in Hispania probatur, & de qua testantur Sotus *de justitia, & jure lib.* 9. *q.* 4. *art.* 2. Navarr. & alii apud Guttier. *canon. quæst. lib.* 2. *q.* 1. *num.* 33. Azor. *instit. moral. lib.* 7. *c.* 31. *vers. septimo quæritur*, *tom.* 1. quod scilicet quamvis ad præscriptum sacrorum Canonum ex sola industria, & opificio, vel ingenii operatione decimæ debeantur, etiam ex Advocatorum, & Procuratorum, ac Nota-

tario-

taribrum, & scribarum, medicorum, mercatorum, & artificum lucris, ex iis quæ deducuntur per diligentem, ac elaboratum collectorem Barbos. *de Paroch. d. c. 28.* Attamen usus communis docet contrarium; Et meritò quidem, quoniam id magnā pareret confusionem, ac lites inextricabiles super hujusmodi lucrorum probatione, ac liquidatione, dum ob temperamentorum diversitatem, quotidiana praxis docet quod aliqui naturaliter timidi, vel avari, quamvis multum lucrentur, semper audiuntur dolentes de parvo lucro, & alii vanitatis amatores, ac inanis gloriæ cupidi, jactant lucra talia, ut neque mediets, ac minus fortè verificetur.

17 Quamvis autem ista generalis consuetudo vera sit, adeout irrisione digni censendi essent illi Parochi, qui freti authoritate Canonum, & Canonistarum, vel Moralium, hujusmodi prætensionem excitarent; Attamen ubi (ut in casu de quo agitur) in Capitulo actore verificarentur assistentia juris, & causa universalis ratione juris parochialis; Advertebā quod motivum videretur parum tutum, stante jam bene probata exactione decimarū ab aliis molendinis in eodem flumine, eademque Contrata existentibus, ex certa juris propositione, quod consuetudo particularis prævalet universali, Potissimè verò, & clariùs, ubi illa sit potiùs favorabilis, quā odiosa, utpotè impeditiva, ne contraria consuetudo in hoc nata sit, ad effectum conservandi dispositionem juris communis, dum ex pluries deductis in omni ferè materia, & præsertim *sub tit. de success. ab intest.* (ubi est major, ac peculiaris Statutorum, & Consuetudinum sedes) favorabilis censetur illa cōsuetudo, per quam, correcto jure innovativo juris antiqui, ad istud fiat reversio, ut etiam in Statutis habemus cùm tunc non adsit illa exorbitantia, vel correctio, quę in Statutis, & consuetudinibus odibilitatem inducit; Ideoque solidū motivum, per quod istud jus decimandi in genere exclusum remanebat, consistebat in negatione hujusmodi causę universalis, quodque decimatio Capituli actoris, temporalis potiùs, ac jure servitutis dicenda esset, ut supra.

18 Verùm, ubi præsupposita dicta causa universali ex titulo parochiali, competeret jus decimandi in genere, adeout causa restringeretur ad alium punctum deductionis expensarum; Tunc (etiam in sensu veritatis) dicebam, quod deductioni locus non esset, non obstante dicta regula in contrarium, quoniam, ut post Monet. *hoc tract. de decim. d. cap. 6. q. 4. n. 31. & seq.* qui plures refert, benè (ac forsan præter stylum) discurrit, & ratiocinatur, Barbos. *d. c. 28. §. 1. n. 37. & seqq.* regula prædicta, super cujus ratione, Canonistæ, & Theologi omnium certant, ex relatis ab eodem Barbos. locum habet in fructibus naturalibus, in quorum provisione principaliter operatur natura, seu Dei beneficentia, sine qua inanis esset illa hominis industria quæ admixta est, ut sunt fruges, aliique fructus terræ, ac etiam lana, lac, & fœtus animalium, Secus autem ubi de fructibus, & lucris mere industrialibus, ex ea differentiæ ratione, quod decimæ fructuum naturalium sunt de jure divino, illæ verò industrialium sunt de jure humano.

Prima etenim species, ex eo desumpta est, quod Domini est terra, & plenitudo ejus, quoque totum id quod percipitur, Dei beneficio immediatè referendum est, sine cujus gratia, industria, vel operatio humana inanis esset, juxta dictum Apostoli, quod neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus; Ideoque sicuti non deductis expēsis, domino temporali fondi debetur responsio fructuum in conventionali, vel consuetudinaria quota pro ejus dominicali portione, adeout expensę pro cultura recollectionis factę per colonum, compensatę remaneant, ab ejus portione colonica; Sic à pari, quoniam Deus est primus Dominus, qui istam dominicalem portionem sibi reservare voluit, pro substentatione ejus ministrorum; Unde ad instar idem introduxerūt Principes, cum tributis, & collectis, quę decimis assimilat, sunt, ut pluries advertitur *sub tit. de reg.* occasione agendi de materia vectigalium, ac etiam insinuatur *sub tit. de benef. disc. 89.* occasione agendi de usu, & introductione annatarum in beneficiis ecclesiasticis.

Non cadit autem ista ratio in industriis, in quibus natura nihil operatur; Quoniam licèt istud emolumentum, Dei gratiæ, & beneficio quoque referri debeat, qui nisi ipse dedisset, atque in dies conservaret vires tam corporis, quàm mentis, id sequi non posset, attamen est auxilium magis remotum, ac mediatum, in naturalibus autem magis proximum, & immediatum.

Ac etiam quia in industrialibus, ut plurimum magnæ solent esse impensæ adeout si istarum deductio non fieret, sed decima ex omnibus percipienda esset, plus obtineret decimator, quàm ipsemet fructuum perceptor, ut præsertim verificari dicebam in molendinis ad manum, quorum usus necessarius habetur in Apulia, aliisque similibus regionibus, in quibus non adsunt flumina, neque ventorum copia ad hunc effectum, quoniam facto calculo ejus quod ex molituris percipitur, emolumentum est magnum, sed illius maximam partem absorbent expensæ, adeout quandoque vix decima remaneat pro domino; Et consequenter prorsus absonum esset, ut decima ex integro emolumento, non deductis expensis, percipienda esset.

Motivabant Sapientes de partibus de pro hac Parte, quod cum molitura non solvatur in pecunia, sed in quadam mensura ipsiusmet frumenti, ita esset exigere redecimam de jure prohibitam, ex iis quæ habentur supra in Urbevetana, *disc. 16.* & latè *in alia Corduben. dec. 458. par. 5. rec.* dum pro eodem frumento, in ejus recollectione jam soluta fuit decima; 19
Verùm istud motivum, quamvis ab aliis pro hac parte in Curia scribentibus, deductum, & cultum esset; A me omninò neglectum fuit, utpotè contemptibile, quoniam est per accidens, quod merces moliturę præstentur potiùs in frumento, quam in pecunia, ejusque loco, atque decima non exigitur de frumento, tamquam frumento, sed tamquam de industria, & emolumento molendini.

PRÆNESTINA OBLATIONUM PRO PETRO ANGELO MATTHIOLO.

Responsum pro veritate.

De oblationibus, quæ fiunt sacris, ac devotis Imaginibus intra limites Ecclesiæ parochialis, an, & quando pertineant ad Parochum, seu Rectorem, sive ad Episcopum, aut alium?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Qualibet causa excusat ab incursu pœnarum.*
3 *De censuris contra occupatores bonorum Ecclesiæ.*
4 *De quæstione ad quem pertineant oblationes, & eleemosynæ.*
5 *In quæstionibus facti erroneum est procedere cum doctrinis in genere.*
6 *Regula in oblationibus, & eleemosynis assistit parocho.*
7 *An Episcopus possit transferre Imaginem de loco ad locum?*
8 *Quomodo hodie antiquæ quæstionis juris decisæ sint.*
9 *Regula de qua n. 6. limitatur ex voluntate facientium oblationes.*
10 *De alia limitatione ubi sint magnæ.*
11 *De eodem, & de distinctione.*
12 *Etiam ubi non debeantur Rectori, istius tamen est administratio, sed evitari non potest superintendentia Episcopi.*
13 *Quando oblationes, & eleemosynæ dicantur esse in fructu, etiam certa.*

D I S C. XIX.

Postquam Petrus Angelus dimiserat Ecclesiam parochialem, seu præposituram loci Palliani, ab Ordinario (instante forsan successore in præpositura) pulsatus fuit ad reddendum rationes, cum restitutione reliquatus, de nonnullis eleemosynis, ac oblationibus, factis cuidam devotę Imagini existenti in parochia, vel intra ejus limites, etiam cum comminatione censurarum ob hujusmodi oblationum, ac eleemosynarum occupationem, quasi quod ita incurrisset in censuras contentas in Sac. Conc. Trid. *sess. 22. de ref. cap. 11.* 1
Quare desuper pro veritate pro parte ejusdem Petri Angeli consultus fui, ad effectum determinandi quomodo se gerere deberet, tam circa sibi injunctam redditionem rationum, ac restitutionem respectivè, quàm circa prætensum incursum censurarum, ac pœnarum ratione usurpationis, seu occupationis bonorum Ecclesiæ.

Quatenus pertinet ad secundum quæsitum; Resp. planam 2
videri negativam, etiam ubi super primo malum jus foveret, atque ad restitutionem teneretur, quoniam cùm ex infra dicendis super primo puncto, regula sibi assisteret atque dubium caderet super limitatione, quæ tam de facto, quàm de jure adhuc dubia erat, ita dicebam de plano cessare omne dubium circa incursum censurarum, & pœnarum; Tum ex generali regula seu axiomate, quod in pœnalibus quælibet causa quamvis malè opinata excusat, atque ut vulgò Juristæ dicunt, etiam fatua, & bestialis, ut habetur pluries *sub tit. de emphyt.* in proposito excusationis à pœna caducitatis, &

ali-

& alibi, cùm formalis, & gravis pœna non detur sine delicto positivo; Tum etiam quia, ut habemus in proposito censurarum contentarum *in extravag. Ambitiosa, de reb. Eccles. non alienand.* stant benè simul, quod actum sit malè gestum, & tamen quod non adsit incursus censurarum, cùm ad hunc effectum temeritas requiratur, ut advertitur *sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc.* 1. & aliis.

3 Multò magis ad hunc effectum censurarum contentarum in dicto decreto Conciliari contra occupatores, & usurpatores bonorum Ecclesiæ, quoniam ut advertitur *infrà sub tit. Miscellan. Ecclesiastic. disc.* 14. id procedit eodem modo quo Bulla Cœnæ in occupationibus, vel usurpationibus potentialibus, unde propterea, cum hujusmodi circumstantiæ sine dubio non adsint, vanum erat agere de censuris, & pœnis.

4 Difficultas itaque consistebat in primo puncto super quo, licèt ad scripturæ ornatum, ut ignaro vulgo satisfieret (ut quandoque præsertim in Responsis extra Curiam facere oportet,) multa deducerem, illas transcriptoris partes gerendo, quæ hodie Juristis videntur adeò connaturales, transcribendo scilicet ea quę plenè habentur deducta per Rot. *in Lunen Sarzenen. oblationum* coram Merlin. *inter suas dec.* 257. *repetit. dec.* 37. *p.* 5. *rec.* ac per Barbos. *de paroch. p.* 3. *c.* 24. *n.* 22. *& seq. & n.* 29. *& seq.* quorum uterque totum desumpsit ex iis, quæ cum consueto copioso, & elaborato stylo pro utraque parte collecta habentur per Decian. *cons.* 16. *lib.* 2.

5 Attamen reverà, ista quæstio, dicenda potiùs est facti, quàm juris idroque cùm pendeat ex facti circumstantiis, absque earum distincta notitia, certum judicium de facili dari non potest; Et consequenter, ut pluries in hujusmodi quæstionibus facti insinuatur, non solùm erroneus, sed nimia irrisione dignus est modernus pragmaticorum usus, cum doctrinis, vel decisionibus, quæ certos casus percutiant, vel generales propositiones firment, indefinitè, atque cum cæca fide in omni casu procedere, cum revera totum pendeat ea circumstantiis facti, ex quibus congrua applicatio desumenda est.

6 Quamvis etenim apud antiquiores ista quęstio inter Episcopum, & parochum, nimium controversa fuerit, an oblationes, vel eleemosynæ, quæ fiant alicui capellæ, vel imagini existenti in Ecclesia parochiali, vel etiam extra ejus limites, ad unum, vel ad alterum pertineant, & quatenus ad neutrum cujusnam esse debeat administratio? ex relatis per supra allegatos, & præsertim *in dicta disc.* Rot. apud Merlin. quæ in Curia circumfertur, tanquam in materia magistralis pluries canonizata præsertim in *Rossanen. Capellæ, seu Jurispatronatus* coram Cerro, de qua habetur actum *sub tit. de jurepatr. disc.* 12. ac etiam insinuatur *in Romana imaginis,* 7 *sub tit. de paroch. disc.* 32. ubi etiam de puncto an possit Episcopus aliquam imaginem in loco profano existentem, ad quam populus confluat, transferre de loco ad locum.

Attamen, juxtà penè generalem naturam omnium aliarum quæstionum, quæ apud antiquiores nimirum involutę & controversæ fuerunt, illa hodiè plana videtur in puncto juris: Dubitandi autem ratio cadit in facto, seu applicatio-8 ne, quoniam generaliter illa opinio, quæ tanquam magis probabilis per modernos ac Tribunalia magis recepta sit, statuta est pro regula: Altera vero opinio emanet pro limitatione quando facti circumstantiæ eam suadeant, ut in omni ferè materia advertitur, & præsertim frequentiùs, *sub tit. de fideicommiss.*

Regula igitur assistit parocho potiùs, quàm Episcopo: Ea verò plures patitur limitationes præsertim duas: Primò nempè ubi expressè, vel etiam adminiculativè, & conjectu-9 raliter constet de voluntate facientium oblationes, & eleemosynas, ut ipsi Ecclesię, seu certis usibus applicari debeant, non autem, ut ipse Rector impinguaretur, atque in privatos usus, privatamque utilitatem convertat, cum tunc absque dubio ista voluntas servari debeat, eaque cuicumque juris dispositioni prævaleat.

10 Et secundò in idem, in ambiguo, ubi scilicet ipsarum oblationum qualitas, vel quantitas eandem verisimilem voluntatem præseferre videatur, quia nempe oblationes, ac eleemosynę essent magnę, vel etiam minutę, quę tamen ob nimiam frequentiam, magnæ quoque dici mererentur, atque verisimilem præseferrent voluntatem devotorum, ut pro fabrica, vel ornatu, seu dote illius capellæ, vel Ecclesiæ deservirent, ut regulariter pro communi usu verius dicendum videtur, atque in praxi magis receptum est, quoniam pro majori parte, illæ Ecclesiæ, quæ hodie habentur, etiam sumptuosè structuræ, & cum pingui dote, ista initia habuerunt

Hinc proinde dicebam, quod pro congrua decisione, procedendum videtur cum distinctione quod: Aut agitur de imagine de novo reperta, seu etiam de antiqua, ad quam ob aliquas contingentias, sive miracula vera, vel opinata, populus cum eleemosynis, & oblationibus confluat: Et tunc qualescumque illæ sint, sub dictis limitationibus cadere debent, cùm posterior priorem implicitè continere videatur; Omninò enim probabile est, quod populus pro gratiis acceptis, vel speratis, ad illam imaginem recurrendo cum eleemosynis, & oblationibus, id agat animo donandi ipsi imagini, & frequentiùs ut sumptuosa Ecclesia construatur, ac dotetur, & ornetur, non autem ad donandum Parocho, vel Episcopo, seu alteri Prælato ad privatam utilitatem.

Solumque isto casu intrat quęstio disputata *in dicta Rossanen. sub tit. de jurepatr. disc.* 12. super administratione, in 12 quo pro veriori magisq; recepta opinione regula assistit parocho, quando certum sit de situatione intra limites parochiæ: Et è converso assistit Episcopo quando sit extra omnem parochiam: Verùm in casu etiam quod regula assistat parocho, adhuc tamen prohibendus non est Episcopus, sive ex dispositione juris communis, cū dicatur parochus parochorum, sive ex dispositione Sacri Concilii Tridentini *sess.* 22. *de reform. cap.* 8. *& 9.* ut rationes administrationis debeant ei reddi, atque super intendentiam quamdam habeat, *ex deduct. sub tit. de jurisd. disc.* 40. *cum plur. seqq. & infra in annot. ad S. C. T. hunc citato.*

Aut vero agitur de antiquis Ecclesiis, vel imaginibus, ad 13 quas singulis annis, vel temporibus populus, ex devotione vel consuetudine cum oblationibus, & eleemosynis confluere solet; ut (ex. gr.) docet praxis in Urbe in Ecclesia S. Antonii Viennēsis, quod in die ejus solemnitatis, confluunt habentes equos aliaque animalia cum cereis, & pecuniis, aliisque oblationibus: Ac etiam est casus oblationum in Ecclesia S. Mariæ Angelorum Assisii in die Portiunculæ, de quo habetur actum, *sub tit. de praem. disc.* 21. cum similibus: Et tunc illæ oblationes, & eleemosynę pertineant ad Parochum, seu Rectorem tanquam fructus, adeout licèt Beneficialistarum regula sit, quod in valore non veniunt nisi fructus certi, non autem incerti: attamen ubi hujusmodi oblationes, & eleemosynæ ex longo usu videntur quasi certæ, & uniformes, unde propterea invenirent conductorem seu appaltatorem, habentur tanquam fructus certi, si non ad effectum *Regulæ de valore*, ad alios tamen effectus, ex iis quæ habentur *in dicta Assisien. oblationum, sub tit. de praeminent. dicto disc.* 11. ac etiam, *sub tit. de jurepatr. disc.* 10. & generaliter ad materiam *Regulæ de valore*; *sub tit. de benefic. disc.* 90. Itamque pluries, respondendo in hac materia, dicere consuevi videri germanam distinctionem.

Applicando itaque ad rem, cùm ex facti circumstantiis constaret quod ageretur de prima parte distinctionis, oblationum scilicet & eleemosynarum factarum novæ imagini, hinc proinde contra ipsum requirentem respondendum censui, idemque eidem consului, ut eo quo posset modo, se concordaret, ut credo secutum esse.

JANUEN. ELEEMOSYNÆ VEL SUBVENTIONIS PRO JACOBO RAGGIO.

Responsum in forma supplicis libelli apud Senatum Reipublicæ.

Ac eleemosynæ, ac subventiones, quæ ex judicio testatoris, vel ex alia dispositione, in certos usus erogari debent, erogari valeant, ac debeant in alios usus majoris pietatis, & indulgentiæ, & præsertim in redemptionem existentium in captivitate infidelium: Et generaliter de modo distribuendi eleemosynas, & quinam dicantur pauperes.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur puncta, sive inspectiones.*
3 *De probatione paupertatis ejusque materia.*
4 *De variis speciebus nobilitatis.*
5 *De considerabilibus inter æquè nobiles.*
6 *Ad effectum regulandi paupertatem pro subventione inspici debet causa.*
7 *De applicatione ad casum, ut etiam dives dici mereatur pauper.*

8 *Eleemosyna potiùs distribuenda sunt conjunctis quàm extraneis.*
9 *An quod relinquitur conjunctis, dicatur piam opus?*
10 *Quod redemptio captivorum sit opus piam super alia erga pauperes.*
11 *De alienatione bonorum fideicommissi ob dotem puellarum, vel alimenta.*
12 *Vel ob redemptionem à servitute.*
13 *An id procedat in transversalibus?*
14 *De potestate executorum, vel distributorum.*
15 *De potestate Principis commutandi ultimas voluntates, eisque dispensandi.*

DISC. XX.

1 CUm juxtà nimium commendabilem, Civitatis Januen. stylum, pluries enunciatum præsertim *sub tit. de jurepatr. disc.* 54. *& sub tit. de fideicomm. disc.* 3. Nicolaus Raggius in ejus testamento quædam bona, sub eo consueto cumulo, seu multiplico, reliquisset ad effectum, ut administratores per eum deputati, statutis temporibus, distributionem facerent de fructibus cumulatis, partim in subventionem, ac eleemosynam pauperum, inter quos, ejus propinquos præferri voluit, & partim pro subsidio dotali puellarum; Casus autem dedisset, quod Jacobus de hac familia, testatoris propinquus navigando de loco ad locum in Turcarum servitutem incidisset, unde propterea, tanquam nobilis qualificatus, atque in opinione apud pytatas personæ divitis, notabili indigeret pecuniarum summa pro se redimendo, undè propterea in aliqua parte ex isto cumulo, seu multiplico subventionẽ peteret; Videretur autem administratoribus petitio incongrua, utpotè extra casum dispositum per testatorem, qui eleemosynam præstari voluit pauperibus ejus conjunctis, qui extraneis præferri deberent, & consequenter quod id non conveniret dicto Jacobo, qui etiam dives erat, leneq, de suis bonis provisus, cum quibus se redimere posset; Hinc proinde habitus fuit recursus ad Senatum, apud quẽ in forma supplicis libelli requisitus fuit ad probandum in jure justitiam, vel saltem cõgruentiam petitionis, quodq; illi annuendum esset.

Scribendo igitur, tres efformabam inspectiones; Primò
2 nempè an orator in hoc proposito dicendus esset pauper, cui congrueret hæc distributio, quam testator sub nomine eleemosynæ pauperibus distribuendæ explicavit; Secundò an hæc dispositio pia esset, adeò ut illud verbum *eleemosyna*, in ea significatione capiendum esset, per quam explicatur illa distributio, quę ex motivo charitatis, erga proximum indigentem fiat, adeò ut formalis paupertatis, vel indigentiæ requisitum desiderandum veniat, Vel potiùs utpotè favore conjunctorum, importaret illam subventionem temporalem, quæ ex honorifico motivo conservandi decorem agnationis, & familiæ, est valdè ibi in usu ut supra, quidque uno, vel altero casu de justitia, per executores, vel per Judicem ordinarium faciendum esset; Et tertiò, quatenus ad præcisos limites juris, ac justitiæ per executorem, vel per Judicem ordinarium huic petitioni annuendum non esset, utpotè extra casum à testatore dispositum, ad quid in hoc se extenderet potestas Senatus; Et an (data potestate) probabile concurreret motivum regulandi voluntatem?

Quatenus pertinet ad primum, advertebam, quod licèt in hac materia probationis paupertatis, DD. (ut penè in omnibus) nimium variare, ac se involvere videantur, ut patet
3 ex iis, quæ, post antiquiores ab eis relatos, habentur apud Mascard. *de prob. concl.* 1154. Menoch. *de arbitr. cas.* 65. Bur. & Add. *dec.* 15. *&* 51. *&* 320. *dec.* 283. *p.* 10. *rec.* & sæpiùs.

Attamen verius est, ut ista sit quæstio potiùs facti, quàm juris, non de facili recipiens regulam generalem, seu uniformem cuicumque casui applicabilem, cum revera pendeat ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis; Nõ solum attendendo qualitatem personæ, & loci respectivè, an scilicet sit nobilis, vel plebejus, ex generali propositione, ut id quod facit plebejum divitem, in nobili paupertatẽ importet, & sic, proportionabiliter juxtà subjectã materiã, ut bene Rot. apud Dunan. *dec.* 98. *n.* 10. Sed etiam ponderando speciem nobilitatis, majoris, vel minoris sphęrę, seu gradus juxtà illas diversas nobilitatis species, quæ recensitę habentur *in*
4 *Venusina præminentiarum sub tit. de præeminent. disc.* 35. quod scilicet: Alia est nobilitas simplex, seu legalis, qualis ea dicitur, quæ distinguit personam civilem à plebeja, atque à pœnis, vel oneribus vilibus eximit; Alia verò illa magis qualificata, quæ generosa dicitur, pro habitu militari justitiæ in aliqua militia, puta in illa S. Joannis Hierosolymitani, vel simili; Et in qua etiam specie, inter unam, & alteram militiam, quamvis ambæ, idem nobilitatis requisitum exigant, valdè notabilis differentia dignosci soleat: Alia verò dicitur illa nobilitas majoris sphęrę, seu magis publica Civitatis dominantis, vel metropoliticæ, ad differentiam nobilitatis privatæ Civitatum inferiorum, vel subditarum, juxtà ibi exemplificatas species; Et alia est nobilitas major, quæ magnatitia dicitur; Et tamen etiam inter istas singulas species, non quidem de jure, pro gradibus Civitatis, vel Ditionis, qui nobilibus illius qualitatis, vel speciei congruant, sed facto, atque in hominum opinione, seu in communi existimatione, sphęrę notabilis diversitas dignoscitur ex majori antiquitate, vel ex majoribus divitiis, aut ex gradibus, & honoribus, qui unam familiam reddant magis conspicuam, quàm alteram, quamvis in eadem patria, vel regione, sint æque nobiles, eorumdemque graduum, & munerum capaces; Ut etiam ultra insinuata præfato *disc.* 35. habetur *in Fulginaten. eod. tit. de præmin. disc.* 30. *& in Melevitana, disc.* 32. *& in Asculana eodem tit. in supplemento*, & alibi, ac etiam insinuatur *sub tit. de dote, disc.* 1. *&* 2. *&* 144. occasione agendi de taxa dotis congruæ, seu, de matrimonio digno, vel indigno,

Item posita specie nobilitatis, habenda quoque est ratio Civitatis, vel loci, in quo persona vivat ob notabilem vivendi modum in magnis metropoliticis Civitatibus, ac in 5
parvis, sive in una, vel in altera regione, ut præsertim plenè advertitur *dicto disc.* 2. *de dote*, ubi insinuatur casus, quod in duabus sororibus paris nobilitatis, ex eodem patrimonio dotandis, in una nupta nobili viro in parvo loco, congrua reputata fuit dos scutor. 6. m. In altera verò nupta in Urbe, judicata fuit congrua illa scutorũ 4. m. cum similibus, quoniam totum intelligendum est, cum debita proportione.

Potissimum verò (ultra præmissa) principaliter inspici debet causa, ob quam de paupertatis requisito, vel justificatione agatur, & signanter, si subventio, quæ ratione paupertatis 6
petatur, ex legis rigore potiùs proveniat, ac odiosa censenda sit, utpote tertio directè, ac positivè præjudicialis, ut (ex. gr.) est illa suppeditatio alimentorum, ac sumptuum litis, quam adversario collitiganti contra quandam humanã rationem facere oporteat, cùm in ea, strictè, ac rigorosè procedi debeat, ut advertitur in sua materia *sub tit. de judic.* Vel etiam est, illa alimentorum subsidiaria petitio, quæ à conjuncto invito, per conjunctum parum gratum, forteque exosum, ex Judicis officio petantur, cum similibus, in quibus ratio odii potiùs vigeat: Vel è converso, agatur de hujusmodi distributionibus, quæ ex piis, vel honorificis defunctorum voluntatibus, fieri debent, spectando etiam ipsius distributionis causam, & an majorem, vel minorem æquitatem, vel rationabilitatem contineat, nec non effectum exinde resultantem, & an ille qui subventionem habet, vel petit, cum ea provisus remaneat, necne?

Ut putà (præsupponendo licitam, ac honestam provisionis causam) petit dotale subsidium puella de sanguine, vel familia, ad terminos textus *in Auth. res quæ, C. comm. de legat.* de quibus *sub tit. de dote, disc.* 145. & alibi pluries: Et tunc strictè paupertas, vel casus subsidii justificari seu attendi debet, ad limites indigentiæ, seu provisionis congruæ, & non ultra: Undè propterea si habeat de proprio, in toto, vel in parte, id priùs erogari debeat: Ut ultra ea, quæ habentur ad terminos *dicto Auth. res quæ*, occasione etiam subsidiorum dotalium, quæ ex piis dispositionibus præstari debent, advertitur *eod. tit. de dote disc.* 7. Ex ea congrua ratione, quod illud subsidium constituit personę peculium sufficiens ad ejus sustentationem, adeòut alia subventione, vel bonorum subsidio in futurũ non indigeat; ita pariter in eo subsidio, qui masculi indigeant, ut aliquam ingrediantur Religionem, à qua post modùm provisi remaneant, sive ut aliquod obtineant officium, ex cujus exercitio, & emolumentis congrue in futurum vivere valeant, cum similibus.

Secùs autem, ubi agatur de illa specie subventionis, ex qua provisio personæ non resultat, sed necessaria sit ad certũ effectum, quo secuto, adhuc persona, provisione, bonorumque subsidio indigeat, adeout nulla remaneant vestigia, seu reliqui subsidii, de quo agitur: Ut (ex. gr.) est casus de quo in præsenti) redemptionis ab hostibus, vel a bannitis, & a latronibus; Ac etiam casus redemptionis à molestiis criminalibus ad effectum se exculpandi de criminum imputatione, suamque innocentiam justificandi, vel etiam, in casu reatus, ad effectum se componendi, ad evitandas pœnas, præsertim ignominiosas familiæ, vel parentelæ præjudiciales, cum similibus, quoniam id, quod in hujusmodi causa erogatur, totum perditur, nilque remanet pro futura sustentatione personæ, ita liberatæ pro tempore futuro.

In

In hac autem subventionis specie adhuc ejus causa nimium ponderanda est, an æquitata, vel commiseratione magis, vel minus digna sit, quoniam magna differentia est inter illum pauperem, qui ex infortuniis in eo statu paupertatis constitutus est, & illum, qui culpa sua, & ex vitiosa vita pauperem se effecit, sive inter illum, qui accidentaliter, & absque culpa in manus hostium, vel bannitorum incidit, sive injustam persecutionem in judicio criminali patitur, & illum, qui est reus, & delinquens.

Applicando itaque ad rem; Quamvis ad alios effectus provisionis personalis præfatus Jacobus possessor portionis hæreditariæ paternæ, potiùs dives, quàm paupre de stricto jura, dici deberet, undè propterea sibi non conveniret illa eleemosynalis distributio, de qua pro frequentiori contingentia, testator sensit pro subventione personæ, ad effectum ejus necessariæ, vel congruæ substentationis; Attamen, ad hunc effectum dicebam censendum esse talem, quodque ex præsumpto, vel implicito testatoris judicio dicta subventio ei
7 conveniret, quoniam juxtà supradictam distinctionem, ista impensa, quamvis necessaria esset, attamen erat ad metam jacturam, neque eainde persona remanebat provisa, dum redemptione secura, eadem persona liberati restituta, debebat in patria se substentare cum decore convenienti ejus nobilitati, ac statui, & consequenter ei dici non poterat, quod dum habebat proprium, illud erogare deberet, eo modo, quod dicitur in subsidio dotali, ob longè diversam rationem; Potissimè dum agebatur de casu non culposo, sed ex mero infortunio commiseratione digno; Ac etiam quia non agebatur de subventione ad integrum opus, sed pro aliqua parte, unde propterea notabilem summam de proprio assa erogare oportebat; Ideoque his omnibus simul junctis dicebam nimium probabile videri, quod versaremur in casu indigentiæ, saltim moralis, si non physicæ, vel præcisæ.

Quo verò ad aliam inspectionem; Dicebam quod cùm testator expresse disposuisset, ut conjuncti extraneis præferri
8 deberent, ita cessabat necessitas id comprobandi de jure; Et nihilominus, etiam si testator ita non disposuisset, adhuc ita de jure subintelligendum veniret, quoniam justà benè ordinatam charitatem, eleemosyna potiùs conjunctis, quàm extraneis erogands est, ut *in Canone non satis 85. distinct.* cum concordantibus apud Franch. *dec. 190. ubi Adden.*

Quod autem ista esset eleemosyna, continens opus pieta-
9 tis, ac dispositio esset pia, certum quoque videri dicebam, quoniam licet certent DD. an id, quod relinquitur conjunctis, referendum sit potiùs temporali motivo sanguinis, & honorificentiæ, quàm alteri charitatis erga Deum, & proximum, ex iis quæ super utraque opinione deducta habentur *sub tit. de testam. disc. 19.* Attamen quæstio intrat ubi agatur de dispositione ad favorem certarum personarum, cum quibus ratio sanguinis principaliter vigeat, vel etiam incertarum, de certo genere cui eadem ratio congruat; Et nihilominus etiam tali casu, si motivum pietatis adaptabile est, adeout non sit color quæsitus, atque testatori illud applicet, adhuc rectè opus pium dici potest, ex ibi deductis; Multò verò magis, ubi dispositio est generica pro pauperibus, inter quos juxtà supradictam benè ordinatam charitatem, conjunctis prælatio solùm data est.

Quod autem istum opus esset pium, quodque eleemosyna selecta pro pauperibus propinquis, in hoc opus potiùs eroganda esset, quamvis adessent alii propinqui indigentes ordi-
10 naria subventione pro alimentis, quodque istis tale opus præferendum esset (multò magis dum nulli aderant;) Dicebam, etiam in sensu veritatis, quod non esset dubitandum, quoniam nulla datur necessitas, vel pietas major, quàm ista redemptio captivorū apud barbaros hostes & infideles; Siquidem paupertas, affligit solum corpus atque non est talis, ut mortē causet, ob charitatem, quę viget inter eosdem Catholicos; Maximè in magnis, ac divitibus Civitatibus, in quibus ob copiam personarum divitum, & nobilium, summæ pietatis (ut notoria praxis cōprobat) etiam personę nobiles, sine præjudicio decoris mediantibus PP. spiritualibus, aliisque piis mediatoribus & operariis, eccoltas habent subventiones; Secus autem ubi agatur de existentibus in captivitate apud infideles, dum ista captivitas sociam habet extremam paupertatem, destitutam tamen eo solatio charitatis quod inter fideles habetur; Atque ultra maximam corporis afflictionem, quę ab asperrimo servitutis jugo resultat, longè major, quàm illa, quam sola paupertas causat, viget etiam periculum animæ ob scandalosam infidelium conversationem, ac privationem subsidiorum spiritualium, undè propterea subest apostasiæ periculum, ex iis quę antiquioribus sclatis collecta habentur per Barb. *in l. sancimus, C. de Sacro-*

sanct. Eccles. & de univer. jur. Eccles. lib. 3. c. 27. de legat. piis, n. 15. & Prat. in adden. ad Pasqual. *de patr. potest. par. 3. c. 5. vers. hinc est*, addit. ad Tiraquell. *de pia causa in præfat.* atq; communis est sensus SS. PP. antiquorum, ut pro hoc opere, non solùm temporalia Ecclesiæ bona alienari debeant, sed etiam ipsa vasa sacra effrangi.

Et nihilominus, ubi etiam ista dicenda esset dispositio prophana, principaliter facta, ex temporali motivo sanguinis, ac decoris agnationis, & familię juxta hujus Civitatis supradictam consuetudinem; Adhuc tamen, ducto argumento à dispositione textus *in Auth. res quæ, Codic. commun. de leg.* super subsidiis dotalibus præstandis puellis ex 11
fideicommisso, de quo *sub tit. de dote, disc. 145.* & in aliis pluries, idem dicendum esse in alimentis, aliisque subventionibus masculorum, advertitur pluries *d. disc. 145. de dote*, ac etiam *sub tit. de feud.* ad materiam Bullæ Baronum, *& tit. de fideicom. disc. 173.* ubi de praxi Congreg. Baronum: Et in specie quod pro redemptione ab hostibus, vel bannitis bona fideicommisso subjecta alienari possint, antiquio- 12
rib. ab eis relatis, habetur apud Menoch. *de arbitr. cas. 192. n. 23. & 24.* Fusar. *de substit. q. 535. n. 2.*

Et quamvis, juxtà magis communem, ac receptum sensum, dispositio, vel ratio *dict. Auth. res quæ*, procedat solùm in descendentibus, non autem in transversalibus, ut agen- 13
do de alimentis, aliisque subventionibus masculorum habetur apud Seraph. *dec. 915.* & apud Rot. *in Romana fideic. vel salviani, de Patrisiis 28. Junii* 1653. coram Albergato & in aliis, de cujus casu agitur *sub tit. de fideicom. d. disc. 163.* Attamen advertebam in præsenti obstare non posse: Tum quia testator expresse mandaverat subventionem conjunctorum potiùs quàm extraneorum: Tum etiam quia cùm ipse esset cælibes propriamq; familiam effectivam non haberet, ita familia contentiva loco effectivæ habenda videtur, ex pluries insinuatis *sub tit. de fideic.* præsertim, *disc. 55.* Unde propterea congruere videtur illa ratio verisimilis voluntatis, ad quam inter tres rationes assignari solitas referibilis remanet dispositio *d. Auth. res quæ*.

Clariùs verò, ac extra omnem controversiam, quoniam ista quæstio percutit casum, in quo agatur de distractione bonorum fideicommissi in sorte principali, unde propterea ipsius fideicommissi destructio, vel diminutio resultaret, secus autem dum salva remanente sorte principali, agebatur de fructibus cumulatis, qui ex testatoris judicio jam distribuendi erant, unde propterea nulla erat quæstio super substantiæ distributionis, sed solùm super modo magis in unum quam in alterum pium opus.

Atque hinc dicebam quod etiam per solos tramites juris, atque per justitię commutativę terminos, ipsi administrato- 14
res, vel executores, (qui in ea Civitate fideicommissarii nuncupari solent) poterant, ac debebant hanc distributionem huic operi erogare: Tum ob amplam facultatem à testatore eis attributam; Dum quia etiam de jure probabilius est, ut justa causa accedente numerus pluralis in singularitates resolvatur, quodque illa eleemosyna, quæ pluribus distribuenda est, uni tantùm distribui, seu assignari valeat ex iis, quæ antiquioribus relatis ad satietatem de more colligit Castill. *lib. 5. contr. c. 67. ex n.* 14. ubi Concordantes.

Verùm ubi etiam dicendum veniret quod authoritas executorum ad id se non extenderet; adhuc tamen (aggredien- 15
do tertiam inspectionem) dicebam quod certa erat potestas Senatus repræsentantis Principem supremum: Tum quis coram eodem excitanda non est quæstio potestatis, ut advertitur *sub tit. de feud. disc. 9.* & alibi: Tum etiam quis, quidquid sit de quæstione in abstracto, an Princeps sæcularis possit apponere manus in commutationib. ultimarum voluntatum contra naturam pias dispositiones, vel potiùs id sit solum Pontificiæ potestatis? super quo veritati integrum locum relinquebam: in hac Civitate, ex ejus moribus, atque ex testantium voluntate, ista quæstio cessat, dum hujusmodi distributiones, ibi adeò frequentes, Reipublicæ, ejusque Senatus protectioni, ac supremæ directioni, & dispositioni relinquuntur, unde propterea potestas, quamvis alias de jure non competeret, ita de plano resultat à voluntate disponentium, qui si possunt hanc potestatem tribuere privatis Executoribus, quos ipsi deputant, multò magis supremo Principi.

Super potestate autem Principis derogandi, vel dispensandi ultimis voluntatibus, ac tollendi jus tertii, deducebam eadem, quæ habentur deducta *sub tit. de Regal. disc. 148.* ubi latiùs de hac materia.

CONCHEN. DECIMARUM.

PRO PAROCHO, ET ALIIS PARTICIPIBUS CUM CANTORE CATHEDRALIS.

Casus variè decisus per Rotam.

An ille decimator, qui participet solùm de aliquibus speciebus fructuum, pretendere valeat participationem de illis fructibus, qui colliguntur mutata cultura de illis prædiis, ex quibus dictæ species percipiebantur ad eandem materiam, de qua supra, *disc.* 14. & 15.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series cum resolutionibus.*
2 *De fundamentis Partis contrariæ.*
3 *Quod ista sint quæstiones potius facti, quàm juris, & de ratione.*
4 *Debet procedi cum distinctione casuum.*
5 *De decimis temporalibus.*
6 *De controversia inter Parochum, & Populum.*
7 *De controversia inter Parochum, & Vicarios exercentes curam.*
8 *De Decimatore particulari.*
9 *De casu præciso quæstionis inter Parochum, & alium Decimatorum.*
10 *Respondetur ad contraria.*
11 *De operatione immemorabilis, quando procedat.*

D I S C. XXI.

1 Cum in Oppido de Guastuena Cantor Cathedralis ratione unius præstimonii annexi Dignitati pro quadam rata participaret de decimis septem specierum fructuum, nempe grano, tritico, hordeo, centeno, avena, carnibus, & agnis, adeòut aliæ decimæ perciperentur integræ per Parochum, aliosque particípes, progressu verò temporis secutum sit, quod coloni mutata cultura, in illis prædiis, ac terris, ex quibus dictę species fructuum percipi solebant, plantaverint oleas, ac seminarent crocum, ac propterea notabiles effectæ sunt decimæ olei, & croci, quæ prius erant modicæ, & per consequens diminutionem passæ essent decimę prædictarum aliarum specierum; Hinc prætensionem excitavit super participatione istorum fructuum tanquam subrogatorum loco antiquorum, introductaque causa *in Rota cor. Manzanedo sub die* 31. *Maji* 1617. ad ejus favorem pro participatione prodiit resolutio, quæ habetur *impress. in par. . rec. dec.* 502. postmodùm verò, ut sæpè contingit ob mutationem possessoris dirati diu siluit causa, quam circa ano. 1673. reassumpsit modernus Cantor *cor. Emerix subrogato*, cor. quo assumpta pro stylo revisione dictę decisionis, post ultimam propositionem *sub die* 16. *April* 1676. pro recessu a decisis prodiit resolutio, ut prætensa participatio non debeatur, atque in hoc statu, quod sciam causa reperitur.

In his itaque novis disputationibus, cùm Scribentes pro Cantore multas decisiones, & authoritates inculcarent ad probandum, quod mutatio seminis vel culturæ præjudicare non debeat decimatori, cui propterea debitæ sint decimæ de novis fructibus tanquam subrogatis loco antiquorum, quodque istud esset jus reale intrinsecum ipsis bonis, ipsisq; causæ pro-
2 ductivę cumulando multas decisiones specialiter super hoc puncto proditas in hac eadem Diœcesi Conchen. quarum plures recensentur *in dicta decisione cor. Manzanedo*, ac etiam apud Merlin. *dec.* 435. & 474. & apud Bich. *decis.* 322. nimiumque insisteretur *in dec.* 44. & 48. Carill. *quarum prima est reperta dec.* 591. *p.* 5. *rec.* Ac etiam insisteretur in operatione immemorabilis ut ejus vigore quicomque titulus de mundo melior allegari valeat.

Hinc scribens pro Parocho, & Collegio Societatis Jesu participe, aliisq; consortibus, & participibus etiam cum sen-
3 su veritatis dicebam inhærendo deductis supra, *disc.* 14. & 15. ac etiam *disc.* 18 & *alibi*, quod ista revera censenda videtur hodie quæstio potiùs facti, & applicationis quàm juris, cujus theorica est certa, cum qua proceditur etiam in dicta decisione *cor. Manzanedo*, quam dicebam benè loqui generaliter, & in abstracto, quoad ea, quæ juris sunt, sed quod fallacia erat in applicatione ad factum, ut frequenter contingit.

Ad id autem melius dignoscendum, tollendaque equivo-
4 ca, in quę, confundendo de more authoritates, & conclusiones incidi solet adeòut videantur quotidianum, & connaturale æquivocum illorum modernorum pragmaticorum, qui in sola litera authoritatũ absque alio discursu verè damnabiliter procedunt, advertebam reflectendum esse ad solitam sacram anchoram distinctionis casuum.

Primus etenim casus est, ubi agitur de decimis temporalibus, quæ debentur Baroni, vel alteri juxtà ea quæ habentur 5
supra, disc. 8 & *disc.* 7 *in Miscellan. Ecclesiast.* & *disc.* 50. *de Regal.* & *alibi*, atq; de hac specie agitur apud Carill. *dict. dec.* 44. & 58. eodem modo, quo apud Rovit. *dec.* 97. & *alios*, atq; cum hac specie clarus error est confundere illas decimas spirituales, de quibus in ista controversia agitur, quoniam hujusmodi decimæ temporales, ita impropriè appellantur per quemdam usum loquendi, revera tamen importaut canonem, vel responsionem pro recognitione dominii, & loco portionis dominicalis, ideoque dicitur jus verè reale in specie, & per consequens quicumque fructus ex eo percipiantur, Domino debita est responsio, vel recognitio, nisi legitima consuetudo aliter suadeat, adeòut illi non obstent difficultates, de quibus apud Rovit. *d. dec.* 97. vel nisi esset illa species decimarum temporalium, quæ redoleret potiùs gabellam, vel contributionem debitam per vassallos domino juxtà casum, de quo *d. disc.* 50. *de Regal.* ex conventione, vel præscriptione, quoniam tunc tantùm debitum, quantum conventum, vel præscriptum.

Alter casus est, in quo agatur quidem de decimis spiritualibus, de quibus in præsenti agebatur, sed controversia sit in- 6
ter Parochum, vel alterum habentem jura Parochi, ut in Hispania frequentius est, Episcopus cum Capitulo & Populum, quia nempè fuerint neglectæ decimæ aliquorum fructuum tanquam minutæ, & modicæ considerationis juxtà casum, de quo *supra, disc.* 14. & tunc dicendum est idem, quod ibi.

Tertius est qui coincidit in idem, & de quo propriè loquuntur, vel omnes, vel pro majori parte superius enunciatæ decisiones in aliis consimilibus controversiis hujus Diœ- 7
cesis, quando pariter contentio sit inter Parochum, vel habentem jura Parochi, & Capellanos, seu Vicarios deputatos exercitio Curæ, qui aliquam decimarum participationem habeant juxtà casum, de quo *supra disc.* 2. & in aliis, quia nempè illi dimittantur aliquæ decimæ minutæ, utpotè modicæ considerationis tanquam neglectæ, ideòque id cesset, quando notabiliter excrescant.

Quartus casus est, ubi contentio sit inter illum, qui de jure non sit decimator universalis, neque habeat assistentiam 8
in causa universali, & populum, seu possessores prædiorum, juxtà casum, de quo *supra, disc.* 18. Et tunc tantum pertinet quantum possessum, vel præscriptum, atque non intrat extensio, vel subrogatio, ut ibi.

Quintus demum est casus noster præcisus, quod contentio sit inter Parochum, qui habet juris assistentiam, ac intentionem fundatam in causa universali, & alterum, qui non 9
sit Parochus, sed solùm habeat ex privilegio, vel antiqua consuetudine participationem decimarum cum Parocho. Et tunc nisi iste doceat se esse etiam decimatorem universalem, atque habere jus coæquale cum Parocho, ut contingit (ex. gr.) in Episcopo, & Capitulo simul, juxtà enunciatam Hispaniæ consuetudinem, & in aliquibus partibus ex Apostolicis privilegiis etiam in Rege, & aliquib. Magnatibus, adeò ut ipse in istorum jus successerit, eorùmque loco fuerit subrogatus, Et tali casu, cum cessante ista circumstantia dicatur decimator particularis certum fructuum, ultra eos suum jus non extenditur ex eadem regula, quòd tantum præscriptum quantum possessum, ideòq; nõ intrat subrogatio, quia verè nõ habet jus realę in universum, quod est idem ac causa universalis, ut *in ead. dec.* Manzaned. admittitur & firmatur, & per consequens probabilior remanet hæc posterior resolutio, non quidem ex fallacia applicationis.

Atque hinc dicebam non applicari decisiones, & conclusiones, quæ adducebantur in contrarium cum consueto improbo labore, & magno cumulo inutiliter chartas replendo 10
in iis, quæ non negabantur, cùm percuterent diversos alios casus, ultra quos dari solet alter quæstionis inter duos Parochos, ad quorum unum pertineant decimæ prædiales & ad alterum sacramentales, juxtà casum, de quo *supra, disc.* 5. cum similibus.

Prout etiam ex defectu applicationis dicebam non obstare ea, quę in eadem inutili, ac superflua chartarũ repletione 11
deducebantur super virtute, & operatione immemorabilis, quoniam, ea rectè procedere dicebam in iis, quę possessa fuerint, quatenus Parochus super eis moveret controversiã, prætendendo quòd doceri deberet de legitimo titulo, qui ita quicumque melior allegari potest juxtà tot decisiones Rotæ, quæ in voluminibus habetur inter Episcopos, & Capitula ex unâ, & aliquos Duces, & Magnates, vel nobiles sæculares

ex

ex altera, quod frequenter contingit in Hispania, & quandoque etiam in Italia juxtà casus, de quibus *suprà, disc. 6.* sed semper intra limites possessionis, & in eo quod est possessum, non autem, ut allegari possit titulus possessioni contrarius, ut in hac facti specie, quod possessio utpotè restricta ad certas species erat contraria causæ universali possessæ per Parochum habentem in illa assistentiam juris.

Et quamvis replicaretur, quod iste Cantor esset subrogatus in locum Episcopi decimatoris universalis, attamen gratis dicebatur absque justificatione; Si etenim etiam Capitulum Cathedralis sine Episcopo dicitur potiùs decimator particularis *ut suprà, d. disc.* 18. multò magis una Dignitas, & quod magis, quia hanc participationem non habet principaliter ratione dignitatis, sed potius ratione præstimonii sibi annexi, quod juxtà antiquam introductionem, & naturam erat quædam subventio temporalis, quæ præstabatur scholaribus, ut se possent substentare in studiis.

Et quoad motivum exiguitatis aliarum decimarum minutarum, quæ propterea neglectæ fuerint, dicebam quoque illud tolli ex facto, cum participaret de decimis vini, aliorumque fructuum, qui ubique tanquam necessarii pro victu humano, sunt notabiles, & in magna quantitate; Ideoque ex facto etiam cessabat difficultas.

SUTRINA DECIMARUM PRO CAPITULO TULPHARUM CUM POPULO.

Responsum pro veritate.

De modo exigendi decimas, & quando plures invicem conviventes, vel socii unam constituant domum, sive unum foculare?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quando pater, & filius, vel alii viventes in eadem domo unum foculare constituant.*
3 *De modo solvendi decimas, & de quibus sint solvendæ.*
4 *De sociis, an de negotio sociali unicam, vel duplicatam decimam solvant.*

D I S C. XXII.

1 Cum antiquitus in Ecclesia Parochiali S. Ægidii Oppidi Tulpharum adessent tantùm duo Sacerdotes, qui curam animarum exercebant, populus autem majorem numerum Sacerdotum in ea cuperet, ut ad formam Ecclesiæ Collegiatæ ibi divina celebrarentur, hinc de anno 1588. inter Communitatem dictosque duos Curatos, & Episcopum deventum est ad conventionem, ut in eadem Ecclesia adesse deberent sex Sacerdotes computatis dictis Curatis, & duo Clerici, pro quorum condecenti substentatione Cõmonitas eis concessit quędam territoria, aliaq; bona, quę concedi dictum fuit ultra decimas consuetas ad rationem duodecim stariorum frumenti pro quolibet aratro constituto ex quatuor bobus cum distinctione ratarum, quando essent tres, vel duo, sive unus. & stariorum trium & unius quarti pro quolibet foculari sub diversis pactis, & capitulationibus ad rem non facientibus. Itaque conventione sic stante suumque effectum sortita de tribus dubitari contigit. Primò nempè circa ratam frumenti solvendam pro quolibet foculari, an pluribus in eadem domo viventibus ad eadem mensam, eundemque ignem communem, isti unum tãtum foculare constituant, vel potiùs censeri debeant duo focularia separata; Secundò, an illi, qui nullatenus serunt, ideòque non colligunt frumentum, teneantne ad solutionem dictæ decimæ debitæ ad rationem focularis ut suprà; Et tertiò si aliqui dent boves colono ad soccitam, adeout aratrum fiat commune domino boum, & colono, debeatur solum unica decima ratione aratri, vel duplex, una scilicet ratione aratri, & altera ratione focularis. Quare desuper consultus.

Ad primum respondi, quod ratio dubitandi contra collegium, seu Parochos cadere posse videretur, quando ista communis vita separetur inter patrem, & filios, quod si revera omnes vivant sub unico tecto, & ad unicam mensam habendi essent pro unico foculari; secus autem si quilibet distinctè cognosceret suum, ac se, suamque familiam regeret, quoniam tunc constituere dicuntur diversa focularia, quanvis in eadem domo materiali vivant, quoniam non attenditur domus materialis, sed potiùs formalis, adeout si vivant pro communi absq; eo quod quis distinctè cognoscat, & administret suum, sed habitet in diversis domibus materialibus, id non tollit unitatē focularis, & sic è contra ex iis quę habentur apud Boer. Capob. Marort. Rovit. & alios in puncto onerum solvendorum per focularia, à me relatus, *disc. 96. de Regal. n. 5. & 6.* Isto enim casu patris, & filiorum vita cõmunis videtur connaturalis, ut filii vivant sub tecto, & administratione patris; ideoq; ipsi non constituant novum, ac diversum foculare, sed secluso isto casu nulla videtur cadere ratio dubitandi inter transversales, quamvis arcto gradu conjunctos, multò magis inter extraneos, qui nõ possunt tollere jus tertii, & eludere, ac fraudare onera cum eorũ voluntaria societate, & communione, potissimè ubi ista non est universalis, ac formalis, quia quilibet cognoscat & administret suum sed est solùm materialis vivendi ad unum ignem, & unam mensam, cùm materialitas in hoc non attendatur suprà.

Ad secundum pro Ecclesia quoque respondendum censui, ut omnes ad illud onus tenerentur, quoties omnimoda paupertas, ac impotentia eos, utpotè miserabiles non excusaret, quoniam concordia, quæ reverà in hac parte nullam continet novam conventionem, sed solùm enunciat antiquam consuetudinem comprobatam quoque ab antiquo libello, distinguit ratas debendas ad rationem aratrorum, vel boum, ab illis, quæ debentur ad rationem focularium, ideoque præsupponitur, quod illi qui solvere debeant ad rationem focularium, non habeant aratra & boves & consequenter non colligant frumentum, ideòque contra distinctiu est clara, & literalis.

Nil obstante, quod decima dicatur de jure quota fructuum qui colliguntur, ideòque solvi non debeat, nisi per eos, qui illum fructum colligunt, quoniam decimæ sacramentales, quę Parocho debentur tãquam præmium laboris pro administratione Sacramentorum, non debentur solum ex tritico, sed etiam ex omnibus aliis frugibus, ac etiam ex vino, & oleo, ex animalium fœtibus, & fructibus, nec non ex lucris, quæ fiunt cum industriis, & negotiis, quinimò etiam cum labore, & operibus personalibus, ex relatis per Barb. *de Paroch. cap. 28. §. 1. cum concord.* deductis *supra, disc.* 14. et 18. & passim, sed ex consuetudine in plerisque locis ad tollendas dissensiones, & confusiones quę oriri solent occasione exigendi omnes decimas minutas ex fructibus prædictis tanquam per speciem concordiæ, transactiones præstantur in una, vel aliquibus speciebus; & alicubi in pecunia, ex relatis *supra, disc.* 14. et 15. & per consequens ista rata frumenti, quæ solvitur ad rationem focularium contradistincta ab altera, quę solvitur ratione aratrorum, & boum, continet onus certum ita taxatum loco aliarum decimarũ solvendarum ex aliis fructibus, & etiam ex labore, & opificio personali ut supra, ita clarè comprobante dicta distributione ad rationem focularium, quod ad evidentiam denotat personalitatem oneris, unde diversa observantia exigendi aliquid in pupillis, vel alia modica re, est referibilis ad paupertatem impotentium, non autem apta tollere jus Ecclesię, cui factum administratorum præjudicare non potest.

Ad tertium respondendum censui id, quod dictum est in
4 primo, quod scilicet voluntaria societas duorum extraneorum supplantare nõ possit tertium, eique prejudicare, taxatio enim ratę ad rationē aratrorum, vel boum est major ob qualitatem mixtam; decimę scilicet fructuũ, qui in frumento colliguntur tanquam per speciem decimę prędialis & alterius decimę personalis ac propterea possessor aratri supponitur quod sit una, & eadem persona formalis, quę constitui possit ex pluribus personis materialibus constituentibus tamen illam personam socialem contradistinctam à personis materialibus in aliis rebus, & negotiis diversis ab eo negotio sociali, adeout unus, & idem possit esse debitor & creditor sui ipsius, vel emptor, & venditor aliosque similes actus incompatibiles facere, quia negotium sociale dicitur constituere personam diversam, & contradistinctam, ex deductis *sub tit. de Cred. disc. 11. n. 2.* ubi Concordantes, & per consequens cùm dominus, & colonus sint reverà personę diversę diversa habentes focularia, & patrimonia, adeout colonus possit habere vineas, & oliveta aliaque bona, nec non alias facere acquisitiones ex ejus laboribus, & operibus, hinc sequitur quod considerandæ veniunt duæ personæ distinctę, quarum una repræsentat dominium aratri, qualis est propriè dominus boum, & qui ratione aratri illam decimam majorem solvat, altera verò solvat decimam minorem ratione focularis, idest proprię industrię, propriique opificii, ac aliorum fructuum, quos ex ejus bonis fortè colligere potest, Istumq; pro meo judicio dixi videri verum, ac germanũ sensum hujusmodi antiquæ consuetudinis, quæ in dicta conventione enunciata, ac approbata, seu præservata fuit.

SUMMA, SIVE COMPENDIUM

Eorum, quæ continentur in hac Parte III. Lib. XIV.
De Decimis, & Oblationibus, &c.

I.

Generalia de origine decimarum, earumque diversis speciebus, & de laicorum incapacitate, *à numero 1. ad 10.*

II.

De concursu plurium Ecclesiarum, vel clericorum in jure activo decimandi, *à num. 11. ad 18.*

III.

De exemptione à decimarum obligatione in toto, vel in parte, vel in modo, ex privilegio, vel præscriptione, seu consuetudine, *à num. 19. ad 34.*

IV.

De oblationibus, & eleemosynis aliisque canonicis portionibus, vel præstantionibus, *à num. 35. ad fin.*

I.

SUMMARIUM.

1 *De introductione decimarum ex divino oraculo, ejusque ratione favore Levitarum.*
2 *De antiquissimo decimarum usu.*
3 *Loca Levitarum successerunt parochi.*
4 *Debentur decimæ etiam ex industria, & opificio, sed ex jure humano.*
5 *Ista species decimarum non videtur esse in usu.*
6 *An expensa culturæ, & collectionis deducantur ante decimas? distinguitur.*
7 *De duplici genere decimarum temporalium, & spiritualium, & quales in dubio præsumuntur.*
8 *In possessorio laicis decimarum possessoribus quamvis incapacibus, decernitur manutentio, & de ratione.*
9 *Laici sunt incapaces decimarum spiritualium.*
10 *Distinguuntur materiæ inspectiones.*

II.

11 *Parochi habent assistentiam juris in decimis, non autem Episcopi.*
12 *Episcopis ex decimis debetur à parochis portio canonica.*
13 *Declaratur conclusio, de qua num. 11.*
14 *Ubi parochiæ non sunt distinctæ, Episcopus est parochus generalis, & decimator.*
15 *Ad parochum habitualem, non autem ad vicarium actualem decimæ pertinent.*
16 *An ad matricem, vel ad filialem decimæ pertineant?*
17 *Cui potiùs decimæ debeantur, an prædiali, vel sacramentali.*
18 *Quod Ecclesiæ non parochiales possint habere jus decimandi.*

III.

19 *An ex privilegio, vel ex consuetudine acquiratur decimarum exemptio? & de ratione.*
20 *De ratione exemptionis privilegiativæ, quæ clericis, vel religiosis conceditur.*
21 *De conclusione quod clerici clericis decimas non solvũt.*
22 *De ratione moderationis privilegiorum Regularium super exemptione decimarum.*
23 *Sunt generaliter exempti Regulares pro hortis, & vineis ad usum proprium.*
24 *Exempti non communicant exemptionem colonis, & arrendatoribus.*
25 *Ex novalibus decimæ non debentur.*
26 *Declaratur, & qui propriè sint novales.*
27 *Quando, & quomodo in decimis intret præscriptio.*
28 *De regula generali decimarum de omnibus emolumentis, & per omnes personas.*
29 *Quomodo solvantur de pascuis, & herbis.*
30 *Quod inter decimas, et primitias non adsit differentia.*
31 *In quo loco decimæ solvi debeant.*
32 *An fiat deductio expensarum?*
33 *Non debetur redecima.*
34 *Quando privilegium Apostolicum suffragetur.*

IV.

35 *De quarta debita Episcopo per parochos ex decimis.*
36 *De oblationibus.*
37 *De distributione eleemosynarum.*

I.

Generalia de origine decimarum, earumque diversis speciebus, et de laicorum incapacitate.

CUm à divisione terræ Promissionis, quam Deus in 1
Veteri Testamento dedit filiis Israel ab Ægyptiorum
captivitate liberatis, exclusos esse idem Deus voluerit Le-
vitas ejus cultui addictos, ut à temporalium rerum curia
exempti, melius Divinis vacare possint; Bovi autem tri-
turanti, ex eodem divino oraculo, os claudi non debeat,
omnisque operarius dignus sit mercede sua, ideoque vul-
gate prodiit axioma, ut qui altari servit, de altari vive-
re debeat.
Hinc reliquo populo terram obtinenti, onus idem Deus
injunxit, de quibuscumque fructibus, decimas, ac primitias
præstandi Levitis, qui victum exindè reportent, ita fru-
ctuum ista quotitativa portione Deo reservata per illius
portionis dominicalis speciem, quæ per colonum domino
solvitur, quoniam Domini est terra, & plenitudo ejus, to-
tumque id quod terra producit, Dei beneficio referendum
est, dum juxta dictum Apostoli; neque qui plantat, neque
qui rigat est aliquid, sed qui incrementum, dat Deus. *a*
Quinimò antiquiorem esse hujusmodi decimarum usum,
in gestis Abrahæ, & Melchisedech, sacra pagina docet. 2
Levitarum autem loco, in novo testamento, Parochi,
aliique clerici divini administrantes successerunt; ideoque
eis, ex eodem jure divino, decimæ & primitiæ de omni 3
fructu debitæ sunt. *b*
Illa quoque per sacros Canones superaddita est obligatio 4
decimarum ex proprio labore, vel industria, omnibus lu-
cro, & opificio; istam verò speciem humano jure debitam
esse verius est; Eamque pene generalis usus abolevit, ubi 5
de corporis, vel ingenii lucro, vel industria agatur, natu-
ræ operatione non admixta, nisi particularis usus Cano-
num dispositionem adhuc conservet. *c*
Ea verò inter unam, & alteram speciem differentia po- 6
tissimum dignoscitur; ut ex prima fructuum naturalium
specie si hominis industriam annexam habeant, integro ex
acervo decima debita sit, nulla facta expensarum deductio-
ne, tanquam dominicalis portio, quæ per colonum do-
mino in recognitionem beneficii, vel dominii debeatur;
Altera verò industrialium, humano potiùs jure debita,
expensarum deductionem patiatur, ita primò casu fructus
capiendo in sola ratione naturali, pro toto eo quod natura
produit, & colligitur, in altero autem in ratione civili de
eo, quod detractis expensis, superest. *d*

Du-

Duplicem verò significationem hoc decimarum vocabulum habet, spiritualium scilicet à divino præcepto ut supra manantium, & temporalium, quibus quæcunque præstatio in quota fructuum ratione profani dominii, vel tributi, aut alterius juris temporalis congruit.

Quæstione cadente in dubio, ubi scilicet unius, vel alterius generis certa non habeatur probatio, an spirituales potius quàm temporales censendæ sint, vel è converso magis temporales, quàm spirituales; atque prior pars verior, magisque recepta est pro spiritualitatis præsumptione, contrariis etiam præsumptionibus, & argumentis elidibilis; ideoque facti potiùs, quàm juris est quæstio ex facti qualitate ac singulorum casuum circumstantiis decidenda, certam proindè non recipiens regulam generalem. *e*

8 Utrius autem, vel alterius generis possibilitas, in possessorio præsertim, etiam favore sæcularium, qui spiritualium, cum positiva, & vehementi juris resistentia incapaces existunt, nimium operativa dignoscitur, ut dicta vehementi resistentia non obstante, laico possessori decernenda sit manutentio, utpotè referibilis ad eas temporales decimas, quarum laicus est capax. *f*

9 Spirituali verò qualitate præsupposita, extra controversiam est laicorum incapacitas in jure activo, quod tamen explicitum Apostolicum indultum tribuere potest, ac etiam illud implicitum, quod ex consueta operatione bene probatæ immemorabilis, vel centenariæ vitiosum initium non habentis est allegabile, quoties ejusdem privilegii fama bene probata accedat. *g*

Laico autem in causa non existente, vel existente cum certa capacitate; cujus nulla sit quæstio; Bina est materiæ 10 generalis inspectio; una scilicet plurium decimatorum de hoc jure decimandi activo ejusque pertinentia, inter se contendentium; Et altera est super exceptione passiva inter parochum, vel alium decimatorem, decimas exigere volentem, illosque de populo illas jure exemptionis, vel præscriptionis in toto, vel in parte solvere abnuentes.

a *disc.* 18 b *disc.* 1. *cum pluriam seq.* c *disc.* 18.
d *Eod. disc.* 18. e *disc.* 6. *cum seqq. &* *disc.* 10.
f *Eod. disc.* 9. *& seq.* g *d. disc.* 6. *& seq.*

II.

De concursu plurium Ecclesiarum, vel Clericorum in jure activo decimandi.

11 UBi juxtà regularem diœcesum statum, seu naturam, Ecclesiæ parochiales distinctæ sint; Parochus intra fines propriæ parochiæ, assistentiam legis fundatamque intentionem habet in causa universali juris decimandi personas, ac bona intra propriæ parochiæ fines, etiam in concursu Episcopi, cui in concursu parochi lex non assistit, sed potiùs resistit; Quamvis etenim Episcopus universæ diœcesis parochus, omniumque diœcesanorum primus pastor existat, ideòque parochus parochorum dicatur, attamen istud decimarum emolumentum non ipsi, sed parochis lex defert, utpotè Le-
12 vitarum loco subrogatis; *h* Eisdem tamen obligatione injuncta per speciem recognitionis, vel dominicalis portionis præstandi Episcopo quotitativam portionem. cui quartæ vocabulum à frequentiori usu tribuitur, ut scilicet quarta pars ejus quod percipitur, esse debeat, quamvis non implicet, ut in vim consuetudinis, major, vel minor existat.

13 In concursu autem parochi, hæc juris resistentia in Episcopo dignoscitur, non autem ut illam populus decimarum debitor ita objiciat, ut laico decimatori, vel decimabili, præsupposita spiritualitate, de illa objicere possit, cùm cessante jure parochi particularis, cujus, substentationi aliunde consultum sit, improba non censeatur ea consuetudo, quæ decimas Episcopo, tanquam primo parocho deferat. *i*

14 Ubi verò nulla parochiarum distinctio adsit, ut Hispaniarum præsertim penè universalis esse videtur consuetudo, unica dicitur totius diœcesis parochialis Ecclesia Cathedralis atque Episcopus parochus universalis, ideòque eandem habet assistentiam, quæ data divisione singulis parochis competit, atque ex Episcopi participatione eandem habet assistentiam Capitulum, quod cum eodem Episcopo Ecclesiæ Cathedralis corpus efformat, ut earundem præsertim Hispaniarum frequentior praxis docet. *l*

Si verò Ecclesia parochialis duplicem habeat ministrum,
15 vel rectorem habitualem scilicet, cui ipsa Ecclesia unita sit, ut in Capitulis, vel Collegiis, aut Monasteriis, ac etiam in plerisque dignitatibus, ac beneficiis praxis docet; Et actualem cui vicarii perpetui, vel manualis vocabulum tribus solet; ad primum, non autem ad secundum jus decimandi pertinet, cùm ille verus Ecclesiæ, sponsus, ac rector dicatur, alter autem purus facti minister, solo exercitio deputatur, nisi consuetudo, vel conventio aliter suadeat, ut aliqua quota, vel quantitate habitualis Rector contentus, reliquum vicario loco congruæ dimiserit. *m*

Ipsaque parochiali Ecclesia ob multitudinem populi, vel 16
territorii amplitudinem in duas, vel plures divisa, quarum prima matris, aliæ autem filiales dicuntur, quæstio est, an jus decimandi intra novarum, seu filialium fines, ipsarum, vel matricis esse debeat, regula filialibus assistente, nisi lex fundationis, vel consuetudo diversimodè statuat cùm nulla dignoscatur juris resistentia, ut nova Ecclesia aliundè sufficienter provisa, etiam intra ejus limites mater aliqua jura parochialia pro suæ dignitatis, vel majestatis conservatione retineat, ideòque facti potiùs quàm juris quæstio est, certam, se uniformem non habens regulam pro singulorum casuum qualitate, ac circumstantiis decidenda. *n*

Inter plures æquè parochiales Ecclesias, juris decimandi 17
quæstiones cadunt, quia nempè sacramentalis una sit, prædialis altera, cui magis jus assistat, cumque id in jure expressum non sit, iidem sacri Canones consuetudini deferendum esse statuunt, eamque decennalem, ac ordinariam sufficere, frequentior Canonistarum, ac Moralium schola docet, Consuetudinis autem justificatione cessante, prædiali potiùs, quàm sacramentali juris regulam assistere magis receptum est, clariùs verò ubi sacramentorum perceptio in aliena parochia occasionalis, vel accidentalis existat. *o*

Non parochiali quoque Ecclesiæ privativè ad parochia- 18
lem ex Apostolica concessione, vel consuetudine, istud jus decimandi competere, aliquando praxis docet; Quamvis enim juris assistentiam parochialis, resistentiam verò non parochialis habeat, non ea tamen vehemens resistentia est, quæ immemorabilis, vel centenariæ non vitiosæ observantiæ, sed præscriptionis requisitum desideret, sed quadragenaris sufficit ex ea congrua ratione quod decimarum debitum directè, ac principaliter erga Deum, & Ecclesiam in universum esse dignoscitur, ideòque in laicis positiva incapacitas, ac vehemens resistentia urget, inter Ecclesias verò magis, vel minus qualificatas, utpote de eodem genere existentes, tanta non dignoscitur resistentia, potissimè verò ubi Ecclesiæ non parochialis, quæ jus decimandi possideat, certum initium non habeat ut ob eam possibilitatem, ut antiquitus parochialitatem obtinens, alteri Ecclesiæ, hoc jure pro se retento, eam dimiserit, ut in sua sede alterius dignoscitur. *p*

h *disc.* 1. *cum plurib. seqq. & disc.* 18.
i *disc.* 7. *& seqq. & disc.* 17. l *disc.* 11. *& seqq. & disc.* 18.
m *sub tit. de paroch. disc.* 19. *& seq. & hoc tit. disc.* 2 *&* 11.
n *disc.* 10. *&* 12. o *disc.* 1. *&* 6.
p *disc.* 10. *& in aliis.*

III.

De exemptione à decimarum obligatione in toto, vel in parte, seu in modo ex privilegio, vel præscriptione, seu consuetudine.

CRedunt aliqui, neque ex privilegio, neque ex consuetudine, exemptionem ab onere spiritualium decimarum 19
dari posse; Cùm etenim earum certa sit à jure divino derivatio; hinc sequi asserunt, ut Papa exemptionem privilegiativā desuper non concedat, cùm sibi non tribuatur potestas divino juri derogandi, vel dispensandi minusq; præscriptio intret cùm in hujusmodi impræscriptibilibus, ac publicis juribus, eatenus illa operativa sit, quatenus præsuperat implicitum Apostolicum privilegium quod ex immemorabilis virtute allegari potest, ideoque plus operari non potest fictio quàm veritas.

Contrarium autem verius, magisque receptum est, quotiam debentur quidem decimæ Deo, & Ecclesiæ in universum, sive in substantia, an autem uni, vel alteri Ecclesiæ debitæ sint, sive uno, vel altero modo, id jure divino statutum non est, ideòque iis omissis, bene potestas Papæ intrat, declarandi scilicet, vel supplendi.

Ideò etenim, ex oraculo divino Levitis in veteri Testamento decimè debebantur, quia terrarum, aliorumque temporalium bonorum, ac emolumentorum eos Deus incapaces esse præcepit, unde propterea decimas, tanquam subsidiarium remedium demandavit, ut isti spirituales operarii de hac mercede viverent, & ne bovi trituranti os clauderetur. Quando itaq; idem obtineatur effectus in alio æquipollenti fructuum, qui percipiantur ex terris, ac prædiis, vel emolumen-

lumentis, & oblationibus occasione ministrationis sacramentorum, aliorumque divinorum, ita æquipollenter à populo decimæ solvi dicuntur, meritoque exemptio ab Ecclesia vel à consuetudine concessa est per agnitionem veritatis, vel cessationem causæ potiùs quam per gratiosam, vel privilegiativam exemptionem.

20 In illis autem clericis sæcularibus, vel regularibus, à quibus nulla emolumentorum, vel oblationum solutio fiat, vel parochi recognitio habeatur, alia congruit ratio, cui exemptiva privilegia innixa sùt, quod scilicet quemadmodum in Veteri Testamento Levitæ Levitis decimas non præstabant, ita in novo clerici clericis præstare non debent.

21 Quamvis etenim in illis clericis id procedat, qui verè clericali ac Levitico jure, jus habeant decimarum, eodem scilicet, & coæquali jure parochiali, & ob animarum curam, non autem in patrimonialibus, ac illis, quæ diverso jure obtinentur, cùm in his clerici sæculares, vel regulares, aut monachi, à reliquo populo super decimarum solutione non differant, atque sæcularium jure habendi sint. r Adhuc tamen ea cessante ratione administrationis divinorum, quæ ex Apostolicis indultis regolares sibi ipsis præstant, non incongruit ut dispensativa obligationis cessatio accedat; Ac etiam quia ipsi quoque de genere ministrorum Dei, ac divinorum, censentur, ideòque non est tollere genus, sed mutare speciem, quòd Pontificiæ potestati non negatur, cùm divino præcepto id adversum non sit.

22 Ob excretum verò Regularium numerum, eorundemque nimiùm ampliatam capacitatem obtinendi, ac retinendi bona temporalia, unde propterea gravè resultat parochorum præjudicium, etiam Apostolica sedes, quæ circa initiæ nimium benignè se gessit, in Concil. etiam generalibus hujusmodi exemptionem moderata est, ex ea congrua ratione ne id quod æquitatis motivum habuit, iniquitatem redoleat, ideoque cautum est, hujusmodi exemptiva privilegia, catenus operativa esse, ac suffragari, quatenus expressam contineant intentionem Conciliorum generalium id prohibentium, sive quòd eorundem implicita mentio habeatur, ut in Papa concedente dignoscatur derogandi voluntas, cujus potiùs quæstio est, nulla vero potestatis. ſ

23 Sub ista moderatione autem non cadunt fructus hortorū qui pro ipsorum regularium proprio victu deserviant, in hac fructuum specie antiqua exemptione adhuc vigente. t

24 Ubi verò etiam pro venalibus valida exemptiva privilegia competant, iisdem sua manu, vel sumptu colentibus, non autem colonis, vel arrendatariis prosunt, quoties exemptio eorundem colonorum, non autem exemptorum utilitatem redoleat. u

25 Novalia, decimarum, ac primitiarum oneri indefinitè non subjacent, sive de clericis, sive de laicis agatur, dummodò verè novalia sint, ubi scilicet adeò sterilia, & inculta antiquitus bona essent, nullus, vel modicus exinde fructus perciperetur, ideòque nullum, vel modicum esset parochi præjudicium, ut exemptio concedatur, dum justitiæ potiùs quàm gratiæ fundamento innixa est, quia nempè hujusmodi novalia magnum supponunt præcedentem sumptum, ut ad illum statum bona redocantur. x

26 Quamvis etenim novalium nomine veniant illi fructus, qui de novo in regione, vel in fundo introducantur, ad hunc tamen effectum impropriè, ac abusivè, tales censendi sunt, atque loco antiquorum cedunt.

27 Super decimarum præscriptione frequentes audiuntur quæstiones cum ea distinctione decidendæ an de substantia, vel omnimodo jure agatur, potiùs de quota, vel de modo, aut de aliquibus, non autem omnibus fructuum speciebus, ubi etenim de substantiæ, vel generis præscriptione agitur, immemorabilis, vel centenaria vitiosum non habens initium, requiritur; ubi vero de quota, vel modo, quadragenaria sufficit, ita tamen, ut præscriptionis necessaria requisita accedant, illud præsertim possessionis, cujus vicem negatio cum subsecuta acquiescentia habet, cùm solum silentium, negligentiæ, vel facultati non petendi referendum veniat, ideoque præscriptionem non causet; Certam verà regulam non de facili subjecta materia patitur, cùm ex facti circumstantiis, & qualitate potius decisio pendeat. z

Per omnes autem personas, atque ex omnibus bonis decimas deberi absque personarum exceptione jam insinuatum est, ubi privilegium, vel præscriptio non accedat, ac etiam de omnibus fructibus, omnique opificio, & industria, quamvis in hac posteriori parte industrialium penè generalis consuetudo contrarium recepisse videatur. a 28

De pascuis autem, non in iis, sed in animalium depascentium fœtibus, vel fructibus decimæ solvi frequenter solent per animalium dominos, taverà tamen per dominos prædiorum solvi dicuntur, cùm pars pretii sit id, quod pascuorum conductor ita solvat. b 29

Quamvis autem aliqui inter decimas, & primitias differentiam statuant, nulla tamen revera dignoscitur; cùm eadem sit unius, ac alterius generis ratio, licèt quandoq; consuetudo præbeat, ut una Ecclesia primitias, altera verò decimas obtineat. 30

Super loco autem, in quo ea præstanda sit, an scilicet in horreo, vel ad domum decimatoris asportanda, consuetudo decidit, qua cessante, in horreo præstandas esse juris regula statuere videtur; Alia tamen expensarum deductione non facta, ubi de naturalibus fructibus agatur quamvis aliquam industriæ partem admixtam habeant, secus autem ubi de merè industrialibus, ut initio supra advertitur. d 31 32

Redecimam non deberi juris regula est, ex antiqua tamen consuetudine recipiens limitationem. 33

Non omne item Apostolicum privilegium hanc exemptionem operatur; seu illud, cujus tenor ostendat de spiritualibus intellectum esse, cùm ad temporales referri valeat. f. 34

q *disc.* 1. & 2. t *Eod. disc.* 1. & 2. ſ *disc.* 1. & 2. *cum seq.*
r *disc.* 4. u *disc.* 1. & 8. a *disc.* 4. y *disc.* 14. 15. u *dicto disc.* 14. & 15. *ac etiam disc.* 1. a *disc.* 18. b. *disc.* 8.
c *disc.* 13. d *disc.* 18. e *disc.* 17. & 18. f *disc.* 9.

IV.

De oblationibus, & Eleemosynis, aliisque canonicis portionibus, vel præstationibus.

Sub hac inspectione non cadit illa canonica portio, cui quartæ vocabulum vulgò tribuitur, quæ ve per parochum Episcopo ex decimis aliisque emolumentis debita est, cùm ista sub parochorum, ac parochialium sede cadat. g 35

Atque sub eadem parochorum sede cadunt illæ oblationes ac eleemosynæ, quæ ex populi pietate, vel devotione, sive occasione ministrationis sacramentorum, aliorumque divinorum fiant, in quibus regula parocho assistit, intra cujus fines ea devota imago existat, cui eleemosynæ præstentur, quoties ita consuetæ, ac exiguæ sint, ut fructuum, & emolumentorum nomen eis congruat, non autem si adeò notabiles ut Ecclesiæ constructionem, vel ornatum, seu dotationem potius quàm ipsum parochum a devotis oblatoribus contemplatam esse suadeat verisimilitudo, ut propterea Episcopi auctoritas, vel administratio intret. h 36

Super eleemosynarum autem distributione, certa non habetur statuta regula generalis cuicumque casui applicabilis, cum ex disponentium voluntate, vel ex regionis consuetudine, aliisque facti circumstantiis decisio pendeat, totumque prudenti, beneque regulato arbitrio executoris, vel distributoris remissum sit, benefactorum proximorum potiùs favore, quàm extraneorum interponendi, sive posita proportionabili paupertate, magis favore nobilium, quàm ignobilium, sive potiùs favore illorum, qui ex infortunio, alioque casu in paupertatem inciderunt, quàm qui ex vitio, vel culpa, cum aliis similibus pro facti qualitate pansandis. i 37

g *Agitur sub tit. de paroch. disc.* 25. *ac etiam hoc tit. disc.* 17. b *eod. tit. de paroch. disc.* 32. & *in annot. ad Conc. Trid.* & *hoc tit. disc.* 19.
i *hoc tit. disc.* 20.

Finis Partis III. Libri XIV.

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Decimiquarti Pars Quarta,

MISCELLANEUM ECCLESIASTICUM.

De Episcopis, & locorum Ordinariis, aliisque Prælatis, & Officialibus Ecclesiasticis.

Discursus generalis instructivus præsedentibus in Sac. Congregatione Episcoporum, divisus, ut infrà.

INDEX RUBRICARUM.

I.

De divisione generali Episcoporum, seu Ordinariorum, aliorumque Prælatorum, ac eorum Vicariorum, Officialium, & Ministrorum: Et de divisione Ecclesiarum, plurimumque generum vel specierum, à n. 1. ad 38.

II.

De controversiis inter Ordinarios, & Papam, ejusque Romanæ Curiæ Officiales, à num. 39. ad 57.

III.

De controversiis inter Ordinarios, & Legatos, vel Nuncios Apostolicos, aliosque Apostolicos Delegatos, & Commissarios, à n. 58. ad 71.

IV.

De controversiis inter Ordinarios suffraganeos, & Metropolitanos, à n. 72. ad 81.

V.

De controversiis inter Ordinarium loci, & alterum Ordinarium vicinum, sive inter plures Episcopos, vel Diœcesanos, à n. 82. ad 86.

VI.

De controversiis inter Ordinarium, & Prælatos inferiores, contendentes de jurisdictione activa, à num. 87. ad 102.

VII.

De controversiis inter Ordinarium, & Clericos, aliosque Ecclesiasticos exemptos contendentes de exemptione passiva; Et de controversiis inter Ordinarium, & Clericos non exemptos, aliosque subditos, & Diœcesanos etiam sæculares, & de eorum regimine, à n. 103. ad 129.

SUMMARIUM.

I.

1 *Occasio scribendi.*
2 *De quibus in hoc discursu agatur.*
3 *De Papa ut Papa, & Episcopo Ecclesiæ universalis.*
4 *Quòd Papa habeat territorium.*
5 *Ad Papam pertinet territoria dividere, vel unire, & Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas erigere.*
6 *De suprema ejus potestate.*
7 *An ipse ligetur aliqua lege.*
8 *Papa est etiam Rex.*
9 *Est Patriarcha Occidentis.*
10 *Est Episcopus Urbis, ejusque districtus.*
11 *De districtu Urbis, & num. 40.*
12 *De Collegio Cardinalium.*
13 *Quòd Cardinales præcedant Episcopos in officio, & in præeminentialibus, sed in ordine, & jurisdictione in totalis dicantur Prælati inferiores.*
14 *De Patriarchis.*
15 *De Primatibus.*
16 *De Legatis.*
17 *De Archiepiscopis, seu Metropolitanis.*
18 *De Episcopis.*
19 *De Prælatis inferioribus cum vero territorio separata, & nullius.*
20 *De aliis Prælatis inferioribus cum jurisdictione ordinaria, sine territorio separato infra alienam diœcesim.*
21 *De Prælatis localibus, putà primis dignitatibus Collegiata, & de superioribus Regularibus.*
22 *De Vicario generali, & capitulari.*
23 *De Episcopo habente Ecclesiam cum plena jurisdictione Episcopali in aliena diœcesi.*
24 *De Cardinalibus in eorum titulis.*
25 *De Parochis, vel Rectoribus Ecclesiarum Parochialium.*
26 *De Ecclesiis Parochialibus Urbis.*
27 *Una Ecclesia Cathedralis, vel Patriarchalis efformari potest à pluribus Ecclesiis materialibus.*
28 *De Ecclesiis Metropolitanis.*
29 *De Cathedralibus.*
30 *De Collegiatis.*
31 *De Parochialibus, earumque diversis speciebus.*
32 *De aliis Ecclesiis in genere earumque diversis speciebus.*
33 *De differentia inter Ecclesias, & Oratoria privata.*
34 *De differentia inter loca pia, & loca Ecclesiastica.*
35 *De unitate Ecclesiæ ejusque Prælati, vel Rectoris.*
36 *Quà tamen dentur duo Episcopi, vel Rectores unius Ecclesiæ.*
37 *Et de pluribus Clericis habentibus rectoriam unius Ecclesiæ.*
38 *De unione plurium Ecclesiarum penes eundem Episcopum, vel Rectorem, & de diversis speciebus unionis, diversisque effectibus.*

II.

39 *Vicarius Urbis qui exercet potestatem Papæ uti Episcopi particularis, habet cumulativam cum Ordinariis intra districtum.*
40 *De eodem districtu, de quo num. 11.*
41 *Quæ sit Provincia Papæ.*
42 *De Sacr. Congregatione visitationis Apostolicæ.*
43 *De præventione.*
44 *Quomodo sit regulanda comprehensio intra districtum.*
45 *De Mensura distantiæ pro comprehensione in districtu.*
46 *An, & quando de his cognoscat aliqua Sac. Congregatio Cardinalium.*
47 *Sac. Congregationes non se ingerunt in negotiis Urbis.*
48 *De distinctione specierum jurisdictionis, & potestatis Ordinariorum.*
49 *De collatione beneficiorum.*
50 *Quando Sacr. Congregationes cognoscant etiam de rebus beneficialibus.*
51 *Papa potest prævenire Ordinarium collatorem in provisione beneficiorum, & quando censeatur fecisse.*
52 *De cognitione causarum in prima instantia spectante ad Ordinarium loci.*
53 *In quibus stricta sit Ordinariorum potestas.*
54 *De restricta collatione ordinum.*
55 *Quando alteri committatur, ut ordines alieno subdito conferat, vel ejus causas cognoscat.*
56 *Aliquando Ordinario inhibetur, ne inconsulta Sac. Congregatione contra subditum procedat.*
57 *De aliis circa easdem restrictiones.*

III.

III.

58 *Quare cum Legatis; & Nunciis non cadant illæ controversiæ quæ cum Papa.*
59 *De facultatibus quæ conceduntur Legatis.*
60 *De Nunciis, eorumque potestate.*
61 *In quibus manus apponant.*
62 *De cognitione causarum in prima instantia, ut Legati, & Nuncii se non ingerant.*
63 *De eodem respectu Baronum, aliorumque Magistratuum etiam partibus consentientibus.*
64 *De causis spectantibus ad Legatos, & Nuncios privativè ad Ordinarios.*
65 *Præsertim de Nuncio Neapolis in aliquibus causis.*
66 *De eodem in causis Regularium.*
67 *De Conservatoribus privilegiorum.*
68 *An sint exempti ab Ordinario?*
69 *De exemptione subcollectorum Apostolicorum.*
70 *De eisdem, & in quibus exemptio non suffragatur.*
71 *An Nuncius, vel alter Apostolicus Commissarius se ingerat in concessione brachii super executione in aliena diœcesi?*

IV.

72 *Quare hodie modica sit authoritas Metropolitanorum.*
73 *An detur appellatio ab iis, quæ mandantur in visitatione?*
74 *De casibus in quibus Metropolitanus non potest inhibere.*
75 *De authoritate convocandi Concilium provinciale.*
76 *De ratione, ob quam in Italia causæ omisso medio per appellationem trahebantur ad Curiam.*
77 *De visitatione liminum.*
78 *De Authoritate Archiepiscopi cum suffraganeis, ejusque officialibus.*
79 & 80 *De causis ob quas Metropolitanorum potestas hodie modica est.*
81 *De juris metropolitici competentia.*

V.

82 *De controversiis super majori competentia juri inter plures Ordinarios.*
83 *De aliis controversiis super collatione ordinum absque usu pontificalium.*
84 *Quomodo istæ controversiæ decidendæ sint.*
85 *De quæstionibus finium inter diœceses, seu super majori vicinitate.*
86 *De quæstionibus super præcedentia.*

VI.

87 *De causa controversiarum inter Ordinarios, & Prælatos inferiores, & de distinctione inter exemptionem passivam, & jurisdictionem activam.*
88 *De eadem distinctione Prælatorum inferiorum, de quo supra, num. 19. & 20.*
89 *De juribus Prælatorum inferiorum Nullius cum territorio separato.*
90 *De eisdem, & quæ eis permittenda non sint, & quæ permittuntur.*
91 *De restrictionibus potestatis eorundem.*
92 *De probatione territorii separati veri cum qualitate Nullius.*
93 *Quare immemorabilis sit difficilis probationis.*
94 *De centenaria, & quando obstet quod constet de principio.*
95 *Quod immemorabilis possit probari per Scripturas.*
96 *De Prælatis inferioribus infrà diœcesim sine qualitate Nullius.*
97 *Quid super his innovaverit Concilium Tridentinum.*
98 *Quæ remaneant hodie eis Prælatis inferioribus.*
99 *De Prælatis nullius improprie, & per fictionem.*
100 *An Prælati inferiores, vel exempti teneantur accedere ad Synodum.*
101 *De Prælatis inferioribus regularibus intra propria septa.*
102 *De aliis habentibus plenam jurisdictionem in personis in aliena diœcesi.*

VII.

103 *De Ecclesiis sæcularibus exemptis.*
104 *In quibus adhuc Ordinario subjaceant.*
105 *Et in quibus sæcularium, & regularium exemptiones differant.*
106 *De aliis exemptionibus accidentalibus ratione officii.*
107 *De accidentali exemptione ob suspicionem Ordinarii.*
108 *Ordinarius habet pro se regulam cum omnibus clericis suæ diœcesis.*
109 *Episcopus, vel alter Prælatus recusatur in causa Ecclesiæ, vel Mensæ.*
110 *De competentia fori Episcopalis cum laicis in causis spiritualibus.*
111 *Episcopus potest in quacunque diœcesis parte residere, ibique tribunal habere, & subditos vocare.*
112 *In quibus temporibus teneatur residere in Cathedrali.*
113 *Quid ubi sunt plures diœceses unitæ.*
114 *De Vicario foraneo, seu locali, & quas causas cognoscat.*
115 *Quando sit locus dismembrationi diœcesis, & erectioni novæ Cathedralis.*
116 *Idem de parochiis dividendis, vel uniendis.*
117 *De modo exercendi curam, & administrandi sacramenta in parochia unita alicui Capitulo, vel Collegio.*
118 *De Visitatione diœcesis quomodo fieri debeat, & à quibus abstinendum.*
119 *Quomodo puniantur Episcopi malè gerentes.*
120 *De extorsionibus, quæ fieri solent.*
121 *De testamentis ad pias causas, vel pro anima, quæ per Episcopos fiant.*
122 *De gravaminibus, & extorsionibus in collatione Ordinum.*
123 *De iis qui ratione naturalitatis, vel ob certas qualitates Ecclesiarum servitio sunt adscribendi.*
124 *De abusu in ordinando multos clericos.*
125 *De ratione ob quam Sacr. Congregatio Episcoporum potestatem restringat.*
126 *De recursibus adversus denegationem collationis, ordinum, vel tonsuræ.*
127 *De opportunis provisionibus ut consulatur fraudibus cum Clericatu.*
128 *De aliis ad rem.*
129 *Præsertim de potestate Capituli, ejusque Vicarii, sede Episcopali vacante.*

D I S C. I.

Retenta eadem scribendi occasione supra insinuata *sub* 1
tit. de Regul. disc. 1. in principio; Quatenus pertinet ad
instructionem, sive aliqualem genericam notitiam eorum
quæ Episcoporum, seu Ordinariorum, aliorumque Prælatorum,
& clericorum sæcularium negotia concernunt.
Quamvis aliqui currentis, ac decursi sæculi scriptores, 2
cum consueta pugna, pro ingeniorum varietate, vel ex
motivo adulandi, potestati, aut personæ in cujus gratiam
scripserunt, vel quia eorum aliqui (absque proborum præjudicio)
catholicam Religionem extrinsecùs, ac in verbis
profitentes, re tamen, hæresis, vel schismatis vitio maculati
fuerunt, vel politicis propositionibus dediti, nullam
reverà profitendo Religionem, multa scripserint minus vera,
seu Pontificiæ potestati, atque Ecclesiæ, & fidei catholicæ
unitati præjudicialia, circa introductionem, ac potestatem
Episcoporum, ac divisionem diœcesum, seu territoriorum,
Ecclesiarumque Cathedralium, vel Metropoliticarum
introductionem, & usum; Attamen cùm de practica instructione
agatur eorum, quæ Romana Curia, præsertim verò
Sac. Congregationes servant; Idcircò neglectis iis, quæ ab
istis dicta sint, retentisque, vel præsuppositis opinionibus
ab eadem Curia receptis, ea practicabilia tantùm, quæ
memoria suggerat, insinuantur, præsertim verò, quæ practicè
pertractare mihi occasio præbuit, aliis generalibus
quæstionibus neglectis, utpotè ad rem non necessariis, &
quæ de facili apud modernos, Episcoporum, vel Cathedratici
juris materiam pertractantes, inspici possunt.
Generalis itaque Ecclesiasticorum Prælatorum distinctio
ea est; in primis, ut Papa consideratus tanquam Chri- 3
sti Vicarius, atque Catholicæ Fidei, & Ecclesiæ unicum
caput visibile, sit universalis Ecclesiæ Episcopus, ac Ordinarius
Ordinariorum, universum habens Orbem pro ejus
Diœcesi, cum territorio, seu jure territoriali, etiam in iis
temporalibus, quæ fidem, ac Religionem concernunt,
ut Sacr. Congreg. universalis Inquisitionis, temerariam,
imò hæreticorum declarando opinionem negantium in
Papa territorium, seu jus territoriale, eique tribuentium 4
solam jurisdictionem in personas Ecclesiasticas, nostra
ætate maturè decrevit circa annum 1665.
Ideòque solius Pontificiæ potestatis est, Diœceses, ac ter-
ritoria dividere, dismembrare, sive unire, atque Ecclesias 5
Ca-

Cathedrales, & Metropolitanas de novo erigere, vel erectas unire, aut supprimere, & Episcopos creare, quamvis eorum electio, vel nominatio, ex privilegiis Apostolicis, explicitis, vel illis implicitis, quæ in vim antiquæ immemorabilis consuetudinis, allegari possunt, ad alios pertineat, putà ad capitula, sive ad Regem, vel supremos Principes. *a*

6 Omniumque propterea Episcoporum, aliorumque Prælatorum subjectio, debita subordinatio, per eos qui Catholicam Fidem, ejusque unitatem, se non autem verbis tantùm profitentur, neganda non est, cum ita esset negare fidei, & Ecclesiæ unitatem, ejusque capitis individuam naturam, ac habitualem potestatem quamvis ab ejus exercitio, idem Papa; ut indulta per ipsam Apostolicam Sedem concessa servet, prudenter abstinere soleat; Voluntatis tamen, atque commendabilis prudentiæ effectus iste est, non autem potestatis defectus, cum per quæcumque quantumvis ampla privilegia, vel indulta, etiam per speciem contra-
7 ctus, vel concordatorum, in iis quæ juri Divino, claré non adversatur, ea potestas ligandi, & solvendi, quam Christus Petro tradidit, ligata non sit. *b* Quidquid sit an ejus personæ, non autem potestatis ligamen, quòd infert juramentum ab eo præstitum, ipsum detinere soleat, ac debeat, ita in ipsa persona, non autem in Pontificis dignitate, hujusmodi potestatis defectum impropriè, ac obliqua urgente, quod meum non est agere.

8 In eadem persona Papæ, triplex alia diversarum personarum formalium, pro respectuum diversitate, species concurrit; Una scilicet Principis Ditionis temporalis Ecclesiæ, quæ sub nomine Status Ecclesiastici meditari, & immediatè explicari solet, unde propterea apud Sacros Canones, Papa se ipsum appellat, Papam, & Regem; *c* Istaque persona extranea est à præsenti discursu, de ea verò agitur *libr. seq* occasione agendi de relatione, & praxi Curiæ Romanæ, & alibi pluries. *d*

9 Altera est persona contradistincta ab illa Papæ, quam idem sub seipso gerit Patriarchæ Occidentis, & de ista pariter ad rem non agitur, cùm ea rarò, vel unquam ad praxim reduci videatur; ejusque consideratio aliqua habetur in eadem relatione, & praxi Curiæ, occasione agendi de potestate Collegii Cardinalium, Sede Papali vacante. *e*

10 Et altera demùm est persona Episcopi, seu Ordinarii particularis Urbis, ejusque territorii, seu districtus, super quo cadit quæstio, quanti se protendat, an scilicet ad centum
11 milliaria, ut leges civiles disponunt, vel solùm ad quadraginta, ut per Urbis Statuta hodie præfinitum est. *f*

Post Papam, (non attento ordine tento per Chassaneum
12 in *Catalogo gloriæ mundi*, & alios) succedunt Cardinales, quos praxis docet, ut magnam incompatibiliter præeminentiam habeant supra Patriarchas, ac Primates, & Archiepiscopos.

Verùm id percutit potius honorifica, & præeminentia-
13 lia, sive illa jurisdictionalia, quæ à Papæ consortio pendent, non autem circa ordinem gradualem jurisdictionis, ac potestaria, cum in jurisdictionalibus, respectu suarum Ecclesiarum titularium, Cardinales, sub inferiorum Prælatorum ordine, seu sphæra comparativè ad Urbis Episcopum veniant, ut infrà. *g*

Itaque post Papam, secundus est locus Patriarcharum;
14 Verùm pariter de istorum potestate, nimiùm rarum est in praxi agere, quoniam licèt per Papam juridicè creentur Patriarchæ Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus; Attamen, cum Orbis partes quæ ad eos pertinent, sub infidelium jugo existant, atque Christiani qui ibi vivunt, schismatici pro majori parte sint, hinc proinde de facto, nulla istorum est potestas, vel ea modica, quæ per eorum Vicarios, ac Missionarios, cum aliquibus ibi catholicè viventibus exercetur, adeout jurisdictionalium controversiarum casus non dentur in his Sacris Congregationibus, solumque de aliquibus agi soleat in Sac. Congreg.

Quamvis autem post Patriarchas, tertium locum occu-
15 pent Primates; Attamen in Italia illorum usus non habetur, rarumque est in his Sacris Congregationibus, vel in Rota, aliisque Curiæ Tribunalibus, de istorum sententiis, ac gestis peragere.

Legatorum autem inspectio, sub hoc ordine non cadit,
16 cùm ipsi potiùs sub prima specie controversiarum cum Papa, eorumque Delegatis cadant, illorumque non est ordo, sed potiùs officium.

17 Succedunt igitur Archiepiscopi, quibus Metropolitanorum titulus in jure conceditur, istique duplicem gerunt personam; Unam scilicèt Episcoporum, seu Ordinariorum in eorum propria, & immediata Diœcesi; Et alteram Metropolitanorum, ac judicum appellationis, & recursuum ab Episcopis, aliisque Prælatis, & Judicibus ordinariis Ecclesiasticis existentibus intra provinciam; Quoties es Apostolico privilegio non sint exempti, atque Apostolica sedi immediatè subjecti.

Alter succedit ordo Episcoporum, qui cessante dicto 18
exemptionis privilegio, suffraganei dicuntur, istique in eorum diœcesibus Ordinarii sunt. *h*

Post Episcopos, succedunt illi Prælati, qui territorium 19
habent, verè, ac de facto separatum à quacumque diœcesi, intra cujus limites, oppida, & castra existunt, cum Clero, & populo sæculari ibi vivente, adeòut sit species diœcesis, quæ tamen talem titulum non habeat, eò quia Prælatus ordine, ac dignitate Episcopali careat, neque Ecclesia est Cathedralis, ideòque dicitur Nullius, sub sola denominatione Provinciæ Metropolitani, in qua hoc territorium situm sit; Isteque Prælatus, qui alicubi secularis, & alicubi regularis est, ad instar Episcopi, dicitur Ordinarius loci, universamque Episcopalem, tam ordinariam, quam delegatam habet jurisdictionem, adeòut aliud ei non desit, nisi exercitium, non autem habitus eorum, quæ sunt Ordinis Episcopalis, vel eorum quæ per Apostolicas Constitutiones specialiter viciniori Episcopo commissa sunt. *i*

Alia est species Prælatorum sæcularium, vel Regula- 20
rium, qui Ecclesiasticam Episcopalem, seu ordinariam jurisdictionem habent in aliquibus oppidis, vel castris, existentibus intra limites alicujus diœcesis, in Clerum, & populum sæcularem, ibi viventem, adeòut sint Prælati hanc jurisdictionem habentes, in alieno territorio, seu diœcesi, quamvis de illa, ratione exemptionis, non censeantur; Illique duplicis generis existunt, Alii etenim ex privilegio, vel præscriptione, universalem, ac indefinitam omnium causarum ordinariam jurisdictionem habent, alii verò ad certas causas, seu certos casus restrictam. *l*

Et demùm alii sunt inferiores Prælati, sæculares, vel re- 21
gulares, qui in aliena Diœcesi existentes, jurisdictionem habent in solas personas Ecclesiasticas propriæ Ecclesiæ, vel proprii Monasterii, vel etiam in seculares, eidem Ecclesiæ, vel Monasterio servientes; atque intra propria septa viventes, cum exemptione ab Ordinario loci, nullum tamen habent populum sæcularem subditum, ut generaliter sunt Abbates, & Priores, aliique superiores locales Monasteriorum, & Conventuum, aliarumque domorum Regularium, ac etiam aliquarum Ecclesiarum collegiatarum sæcularium principales Dignitates, quæ sub Decani, vel Præpositi, sive Archidiaconi, vel Archipresbyteri nomine explicari solent, jurisdictionem in Canonicos, & Clericos, aliisque servientes propriæ Ecclesiæ habentes; Illisque Prælatis ob aliquam majorem amplitudinem privilegiorum exemptionis, impropriè per quendam modum loquendi, titulus Nullius quandoque dari solet; Verè autem ille fictus, ac improprius est. *m*

Quamvis autem alii adhuc Ecclesiasticam jurisdictionem 22
exercentes, ut sunt Vicarii Generales, vel Capitulares, seu foranei, atque cathedralium, & collegiatarum Capitula sede vacante, vel impedita: Attamen non nativa, sed dativa, vel accidentalis est hæc jurisdictio, precaria, vel provisionalis, ideòque Prælaturæ nomen eis non congruit. *n*

Habetur etiam quædam tertia species Prælatorum, qui- 23
bus, quoad effectus, ac plenariam Episcopalem jurisdictionem, Ordinarii, ac nullius per veritatem nomen congruere posse videatur, sine tamen territorio, sed intra territorium alienum; Adinstar Prælatorum localium ultimi generis, sed absque illa subordinatione Ordinario loci, quam illi habent, & cum aliqua activa jurisdictione in personas, quamvis de clero, & populo sæculari sint, atque sparsim in territorio alterius Diœcesani vivant, ideòque dici potest quædam extraordinaria, tertia, seu mixta species, ut (ex. gr.) sunt Archiepiscopus Fesulanus in Civitate Florentiæ, Archiepiscopus Nazarenus in oppido Barolitano Tranen. Diœcesis, Protector Almæ Domus Lauretanæ, & similes si qui adsunt.

Ac etiam dici posse videntur in sensu antiquorum Cano- 24
nistarum Cardinales in eorum Ecclesiis Titularibus Urbis, quamvis ex Apostolicis decretis, respectu Cleri, & populi sæcularis, contrarium praxis docere videatur, ut jurisdictio sit Ordinarii, cujus personam repræsentat Vicarius Papæ considerati in ultima superius distincta persona Episcopi particularis Urbis. *p*

Adest quoque aliud inferiorum Prælatorum genus, qui 25
sint

etsi nullam jurisdictionem, ut præcedentes, in sacramen-
talibus tamen, ac diurnis aliquam habere dicuntur juris-
dictionem, ac prælaturam, ut sunt Parochi, seu Ecclesia-
rum Parochialium Rectores, qui duplicem constituunt spe-
ciem, habitualium scilicet, & actualium, quoniam fre-
quens praxis docet quod Ecclesiæ parochiales alicui Digni-
tati, vel Prælaturæ, seu Collegio, vel Monasterio unitæ
sunt, proprium habentes Vicarium, qui curam exerceat,
Primus autem habitualis est proprius Rector, & Prælatus,
alter verò minister; Atque post istos sunt simplicium be-
neficiorum Rectores. *q*

25 Cognito autem de pluribus, ac diversis generibus Præla-
torum, congrua etiam cognitio est, de pluribus, ac diversis
Ecclesiarum generibus, seu qualitatibus; Aliæ siquidem sunt
Patriarchales; quæ in Orbe catholico nostri communiter, di-
cuntur solùm quatuor Basilicæ Urbis, nempè Lateranensis,
Vaticana, Liberiana, seu Sanctæ Mariæ Majoris quibus in-
serviunt clerici sæculares, & illa Sancti Pauli extra muros,
cui inserviunt Regulares Ordinis S. Benedicti, seu Congre-
gationis Cassinen. Indecisa quæstione remanente, an sola
Lateranensis duplicem gerat figuram, Patriarchalis scilicet,
& cathedralis Papæ considerati tanquam Patriarchæ, &
tanquam Episcopi, non autem tanquam Papæ, cujus Ec-
clesia est universalis ex omnium fidelium universitate con-
stituta; Vel potiùs omnes quatuor Basilicæ materiales, quo-
dam sociativo jure, tanquam membra unius corporis for-
malis, æquè concurrant ad efformandam istam Ecclesiam
26 Patriarchalem, seu cathedralem, Receptum etenim est in ju-
re, ut quamvis Ecclesia cathedralis unica, & individua sit,
tanquam repræsentans personam sponsæ; Unicitas tamen
consistat in habitu, seu in formalitate, quo verò ad actum,
seu materialitatem non implicet, ut ex pluribus Ecclesiis
materialibus localiter distinctis, ea constituatur, seu effor-
metur, cum aliquo ordine præcedentiæ inter eas, eo mo-
do quo unum, ac idem capitulum individuum constitui-
tur a pluribus personis Canonicorum. *r*

27 Aliud Ecclesiarum genus est illarum quæ Metropoliti-
cam seu Primatialem prærogativam habent, tanquam
sponsæ Primatuum, seu Metropolitanorum, istæque eo-
dem modo, quo supra de earum Prælatis dictum est, du-
plicem speciem constituunt; Unam scilicet cathedralis
propriæ, ac immediatæ Diœcesis; in qua Archiepiscopus
consideratur tanquam Episcopus, seu Ordinarius primæ
instantiæ; Et alteram Metropolitanæ, seu capitis Provin-
ciæ, complexivæ plurium cathedralium, quarum est, Ar-
chiepiscopus autem est Judex & superior appellationum, vel
secundæ instantiæ.

28 Tertium est genus ecclesiarum cathedralium, quæ effor-
mant caput omnium aliarum Ecclesiarum Diœcesis. *s*

29 Quartum est Ecclesiarum Collegiatarum, quæ subdi-
stinguuntur in sæculares, & in regulares pro qualitate cle-
ricorum eis inservientium, atque sæculares subdistinguun-
tur in simplices, & insignes. *t*

Quintum est genus Ecclesiarum parochialium, quæ plu-
res in singulis respectivè locis habent species; Aliæ siqui-
dem sunt unicæ in loco, alias inferiores Ecclesias habentes
tanquam adjutrices, ac membra subordinata, Aliæ verò,
ubi earum plures in Civitate, seu loco existant, juxta regula-
rem, ac ordinariam naturam, inter se distinctos fines, di-
stinctumque populum habent, adeòut quilibet pastor suas
cognoscat oves, neque unum ovile cum altero confunda-
tur: Aliæ verò sine finium distinctione, proprias, ac di-
stinctas cognoscunt oves per solam distinctionem familia-
rum; Et aliæ neque hanc distinctionem habent, sed jure
cujusdam communionis universalis, quælibet pro ejus vi-
rili, seu quota possidet totum, quia nempè cujuslibet Pa-
rochus, in loco, ejusque universo populo promiscuè sa-
cramenta, aliaque divina ministret; Has autem secundam
& tertiam species, Sac. Conc. Trid. parum laudat, easque
ad primam reduci locorum Ordinariis injungit.

30 Inter istas verò, sive de una, sive de altera specie sint, ali-
quarum præeminentiarum ratione, dari solet diversa nuncu-
patio, seu qualitas, matris, & filiarum, quod scilicet una,
vel tanquam in loco antiquior, vel in primævo statu unica,
postmodum verò ex fidelium multitudine divisa, major, seu
matrix dicitur, aliæ verò sunt filiales; Omnes etenim in jure
parochiali sunt coæquales cum omnimoda independentia,
sed una earum adinstar Decani, seu primæ Dignitatis in ca-
31 pitulo, vel Collegio aliquam majorem habet prærogativam;
Ubi etenim aliæ Ecclesiæ ab una sint dependentes, cum om-
nimoda subordinatione, tunc quamvis pro communi usu
loquendi, matricis, ac filialium nomen, seu terminus quo-
que adhibeatur, impropria tamen locutio est, quoniam
severa unica est parochia, aliæ verò dicuntur inferiores Ec-
clesiæ adjutrices tanquam membra pro commodiori juris
parochialis, & curæ exercitio. *u*

Aliæ demùm inferiores Ecclesiæ, generaliter simplices, 32
ac subditæ dicuntur, cum ea distinctione, quod aliæ ha-
bent Beneficiatum, seu Rectorem, & aliæ non nisi ser-
vientes pro solo cultu ipsius Ecclesiæ, ejusque bonorum ad-
ministratione.

Ecclesiarum autem nomine veniunt solùm illæ, quæ 33
cum Ordinarii, vel alterius Ecclesiastici superioris legiti-
ma authoritate pro fidelium Congregatione, divinoque
cultu, ac divinorum Officiorum celebratione, publico om-
nium usui consecratæ, vel cum ea distinctione, quæ bene-
dictio vulgò dicitur, destinatæ sunt, cùm janua in via publi-
ca ut omnibus liber pateat aditus; Illæ siquidem mansiones,
quæ idem divino cultui, ac divinorum celebrationi, etiam
cum legitima superiorum authoritate destinatæ sunt, intra
tamen domorum sæcularium, vel etiam regularium septa,
adeòut non habeant januam in via publica, neque omnibus
liber pateat aditus, privata Oratoria potiùs, quam Eccle-
siæ dicuntur, notabilisque differentia inter unum, ac alte-
rum genus dignoscitur. *x*

Ultra Ecclesias, & Oratoria, adsunt quoque loca etiam 34
divinis, & orationibus, piisque operibus destinata, ac de-
servientia pro christiana, & Ecclesiastica pietate, illaque in
duas subdistinguuntur species, quoniam alia dicuntur loca
Ecclesiastica, alia verò pia tantùm; Ecclesiastica siquidem
sunt ea, quæ Ordinarii loci, seu alterius Ecclesiastici supe-
rioris authoritate formiter erecta sunt, seu non constito de
formali erectione pleraque habent signa, quæ locum Eccle-
siasticum constituunt; Pia verò sunt ea, quæ hanc erectio-
nem, vel signa non habent, pro facti qualitate, & circum-
stantiæ, ex quarum singulis id pendet, ideòque certam, ac
determinatam regulam generalem non recipit.

Magna verò differentia inter unam, & alteram speciem
dignoscitur, tam ratione exemptionis à foro, ac oneribus,
& legibus laicalibus, & respectivè à majori, vel minori Or-
dinarii loci, vel alterius Prælati superioritate, quàm ratione
prohibitionis alienationis, quæ de bonis Ecclesiasticis ha-
betur, non autem de illis laicalium locorum, quæ licèt ra-
tione operum, quæ exercent, piorum nomen, seu titulum
habeant, atque quandam Ecclesiasticam imaginem reti-
neant, seu figuram faciant, ut sunt (ex. gr.) infirmorum
hospitalia, mulierum conservatoria, sæcularium congre-
gationes, vel confraternitates, cum similibus. *y*

Quamvis autem Metropolitana, vel Cathedralis, aut re- 35
spectivè Parochialis Ecclesia unica sit, saltim formaliter ut
supra, unusque esse debeat Prælatus, vel Rector, ac pro-
pterea, uni prohibitum sit, plurium Ecclesiarum prælatu-
ram, vel rectoriam obtinere, ne detur in uno viro plurium
sponsarum, seu mulierum simultaneus concursus a jure da-
mnatus, vel detur monstrum plurium corporum sub uno ca-
pite; Et è converso prohibitum est, ut eadem Ecclesia plu-
ribus committatur Prælatis, vel Rectoribus, ne aliud de-
tur inconveniens pluralitatis virorum unius mulieris, sive
monstrum plurium capitum in uno corpore.

Adhuc tamen, utraque unitate habituali firma manen-
te, actualis exercitii divisio compatibilis est, quinimò ejus-
dem habitualis juxta dictam regulam incompatibilitatem
tollere potest Apostolica authoritas, cui omne id conces-
sum est, quod juri divino expressè, vel directè non adver-
setur, sed à juris positivi, seu Ecclesiastici, citra divini
violationem, seu contraventionem proveniat, ubi potis-
simùm justa causa id exigat. *z*

Ideòque duos ejusdem Cathedralis Episcopos quando- 36
que (licèt raiò) praxis docet, quia sic ritus diversitas exi-
gat, ob duplicis scilicet ritus Græci, & Latini usum, ideò-
que duplicem pro utroque ritu Episcoporum dare con-
gruat. *a*

Sive quod Ecclesia parochiali numerosum populum ha- 37
bente, cujus curam unus habere non valeat, ex Apostolica
concessione, vel ex antiqua consuetudine, ad scissuram evi-
tandam, pluries præficiantur clerici, cum coæquali jure, pe-
nes quos quoddam Collegium, seu unam intellectualem
personam repræsentantes, individuum jus rectoriæ resideat;
Aut quod unus habeat jus rectoriæ; Alii verò quoddam, fa-
mulatus, vel coadjutoriæ jus necessarium in titulum. *b*

Unionis quoque jure, praxis docet in uno Prælato, vel 38
Episcopo plurium Ecclesiarum, vel Metropoliticarum, seu
etiam Collegiatarum Ecclesiarum possessionem, ac admini-
strationem, Idque dupliciter contingere solet; Vel scilicet
acci-

accidentaliter in ea persona tantùm ex quadam particulari commendatione, ipsarum Ecclesiarum statu in nihilo immutato.

39 Vel ex perpetua unione, quæ triplex esse solet; Primò scilicet unitivè, adeò ut ambæ coæqualiter ad unam constituendam jure confusionis concurrant; Secundò accessoriè, vel subjectivè, quando una alteri ita uniatur, ut propriam naturam, ac essentiam amittat, fiatque pars, atque membrum ejus, cui facta est unio; Et tertiò æquè principaliter, jure coæquali, cujuslibet natura, vel statu non immutatis; Illaque posterior species in Cathedralibus præsertim in usu magis est, atque favorabilis reputatur, sicuti è converso secunda odiosa censetur; Ita etenim neutri notabile inferri non dicitur præjudicium, dum quælibet Ecclesiam suum retinet statum ad omnes effectus, de quibus infra in discursu, atque verè, & de facto inter se habentur pro duabus invicem distinctis, quamvis unum habeant Gubernatorem, qui quoad se dicitur unus, & idem, sed quoad eas habetur pro duplici homine diverso, seu discreto; Ideòque nimiùm refert unionis naturam, seu qualitatem inspicere ad magnam effectuum veritatem exindè resultantem. *c*

a *sub tit. de praem. disc. 1. 2. & 6. & sub tit. de jurisd. disc. 1.*
b *de concordatis an ligent potestatem Papa, sub tit. de Benefic. disc. 27.* c *Cap. cum inter, in fin. de elect. d. disc. 1. de praemin.* d *tit. de judic. in Relatione Curia in Rubrica de Papa, & pluries sub tit. de jurisd.*
e *loco proximè cit. in Rubrica de Collegio Cardinalium.*
f *de districtu Urbis dict. tit. de praem. disc. 1. & tit. de Regal. disc. 72. & 94 & sub tit. de jurisd. disc. 50. & 53.*
g *infrà, n. 24. & tit. de jurisd. disc. 34.* h *ibid.* i. *tit. de jurisd. disc. 1. & disc. 8.* l *ibidem proximè suprà.*
m *apud Rich. dec. 459. & tit. de jurisd. disc. 18.*
n *de jurisdictione Capituli sede Vacante ejusque Vicarii sede vacante in notis ad S. C. T. sess. 24. de reform. c...*
o *tit. de jurisd. disc. 29. & disc. 30.* p *eod. tit. de jurisd. disc. 34. 35.* q *de his sub tit. de Parochis & Parochiali.*
r *tit. de praem. disc. 2. cum duobus seqq.* s *De his tit. de praem. disc. 1. cum seq.* t *eod. tit. de praem. disc. 8. & seq.*
u *tit. de paroch. disc. 33. & seq.* x *tit. de Regul. disc. 33.*
y *tit. de jurisd. disc. 40. & seqq. ad 45. & in notis ad S. C. T. & tit. de Regular. disc. 50.* z *sub tit. de benef. & infrà ad S. C. T.* a *tit. de jurisd. disc. 20.*
b *tit. de paroch. disc. 3. cum plurib. seqq. & sub tit. de benef. & in notis ad S. C. T.*
c *de materia unionis dicto tit. de benef. pluries & d. tit. de praem. disc. 7. & in notis ad S. C. T.*

II.

De controversiis inter Ordinarium, & Papam ejusque Romanæ Curiæ Officiales.

POsita igitur supra dicta reduplicatione personarum Ecclesiasticarum in Papa, una scilicet Papæ tanquam Episcopi Ecclesiæ universalis, & altera ejusdem tanquam Episcopi particularis Urbis, (cum altera persona Principis temporalis ab hac inspectione omninò extranea sit;) Cum utraque persona, locorum Ordinarii, eas controversias habere solent, quas eidem Papæ placet per juris tramites a Sacris Congregationibus, vel a Rota, aliisque Tribunalibus pertractari, ac decidi.

Attenta siquidem magis restricta, minorique potestate Episcopi Urbis, quam Papa exercet per ejus Vicarium, (qui unus ex Cardinalibus esse solet) jurisdictionales controversiæ oriri solent cum Episcopis, aliisque locorum ordinariis intra Urbis districtum, qui hodie firmatus est intra ambitum quadraginta milliarium, intra quem, cum singulorum locorum Ordinariis respectivè, Vicarius ejusque Vicesgerens, aliique Officiales, cumulativam exerceant jurisdictionem, etiam in prima instantia, quæ Ordinario loci reservata est, adeò ut inter eos detur præventio, eodem modo, quo inter Magistratus sæculares contingit, nempe Senatorem & Gubernatorem Urbis. *d*

40 Quamvis etenim, ut supra insinuatur, ex testimonio legum civilium, antiquus Urbis districtus, seu territorium, ex antiquæ Romæ amplitudine magnaque, absque exemplo numerositate, ad centum milliarium ambitum protenderetur, istaque restrictio ad 40. recens videatur, utpotè determinata per moderna Statuta sub Gregorio XIII. cum antiquorum reformatione, aliisque additionibus, redacta ad illum, quem habemus currentem usum; Illaque juxta opinionem, in qua hodie Rota residere videtur, regulariter laicalia potiùs censeantur, ideòque super antiquo districtu, in spiritualibus attendenda non sint, cum diversi sint uni ac alii fines, neque ab eis arguere licitum sit; Attamen usus circa cognitionem causarum ita recepit; Antiquo ambitu in consideratione solum haberi solito, ut juxta antiquorum loquendi morem, suburbicarium spatium, vel territorium dicatur, in quo non detur Metropolitani usus, vel potestas, adeò ut aliquæ antiquæ concessiones, vel erectiones, quæ intra hoc spatium se protendunt, effectum non sortitæ supponantur. *e*

Hinc proindè aliqui hunc suburbicarium centum millia- 41
rium ambitum, sub nomine Provinciæ Papæ, ad differentiam brevioris districtus, explicare solent, sed malè, cùm istud vocabulum provinciæ Papæ, potiùs congruat Papæ, tanquam Papæ, respectu illorum Episcoporum, vel aliorum inferiorum Ordinariorum, qui a Metropolitanis exempti sint, atque sub immediata Papæ subjectione existant,
adeò ut iste, Metropolitani partes ita cum eis gerere videa- 42
tur, ideòque meritò illud provinciæ vocabulum adhiberet per quandam assimilationem, ac discretè a majori potestate, quæ universum modum ut supra complectitur. *f*

Idemque usus circa restrictionem ab breviorem ambitum quadraginta milliarium, non solum habetur à dicto Tribunali Ordinario Vicarii, quod est propriè Tribunal Episcopale, seu Ordinarii Urbis in iis, quæ ad loci Ordinarium pertinent, sed etiam habetur per Sacram Congregationem Apostolicæ visitationis adjacentium Episcoporum, seu locorum, cum hæc visitatio, isto privato diœcesano jure fieri dicatur, neque ultra se extendat; Ideòque, facti potiùs quam juris quæstiones esse solent, inter Tribunal Vicarii, & Episcopos, seu Ordinarios locorum, super præventione, an scilicet, & quando hæc legitimè secuta dicatur, de quo in ejus peculiari judiciorum sede habetur. *g* 43

Quæstiones cadunt super terminos, ex quo iste ambitus,
vel districtus veniat regulandus, an scilicet à situatione lo- 44
cis Ecclesiæ Cathedralis, vel potiùs ab illa singulorum locorum, in quibus casus contingant, cùm pleræque Cathedrales intra districtum sitæ sint, earum tamen diœceses ultrò se protendant; Et è converso, aliæ extra districtum existentes, se extendant ad loca intra illum situata; In puncto autem juris probabilius videtur, ut ipsius Cathedralis situatio attendi debeat, nisi receptus usus, (cui deferendum videtur,) contrarium doceat. *h*

Super modo autem faciendi mensuram distantiæ aliqua habentur in annotationibus rerum Regularium. *i* 45

De iis autem in Sacris Congregationibus agi non solet, 46 nisi quatenus in casibus particularibus, Papæ earum aliquam desuper consulere videatur, ut in casus contingentia praxis docuit super quadam controversia inter Metropolitanum, illiusque suffraganeum, qui licet in Metropolis erectione pro suffraganeo expressè assignatus esset, huic tamen Metropolitano juri subjectionem negabant ex defectu intentionis Papæ, eo quia intra hunc centum milliarium ambitum Ecclesia Cathedralis sita esset, cùm Sacræ Congregationi Concilii Tridentini, in qua pendet casus indecisus, id remissum fuerit. *l*

Regulariter enim facultates sacrarum Congregationum 47 non comprehendunt urbem, ac ea quæ sub Cardinalis Vicarii jurisdictione, ac administratione sunt. *m*

Attenta verò altera magis lata persona, seu potestate Pa- 48 pæ uti Papæ, Ordinariorumque jurisdictionem, seu potestatem in duplicem distinguendo speciem; Unam scilicet voluntariam, seu gratiosam, quæ consistit in provisione beneficiorum Ecclesiasticorum aliorumque officiorum; Et alteram contentiosam consistentem in judiciali cognitione causarum civilium, criminalium, & mixtarum.

Quatenus ad hanc primam speciem pertinet; Licèt regu- 49 la generalis Ordinario loci assistet, ut de jure ad ipsum pertineat collatio, seu provisio omnium beneficiorum, vel capellaniarum, seu officiorum intra suæ diœcesis, ac territorii fines existentium; Attamen vel per Apostolicas Constitutiones, vel per Cancellariæ regulas pleræque reservationes, vel affectiones inductæ sunt, per quas ista Ordinariorum potestas, nimiùm restricta est, penèque ad nihilum redacta; quoties indulta Apostolica, quæ Cardinalibus concedi solent, vel sedis Papalis vacatio, aliquam (etsi neque plenam) antiquæ potestatis restitutionem non causant; Licet etenim eædem reservationes, quatuor anni menses accipiant, sive alternativa concedi solita alios duos tribuat, Realium tamen, vel personalium, seu localium reservationum, vel affectionum usus, adeò frequens est, ut etiam in iis vacationibus,

nibus, quæ in his mensibus contingunt, rara sit hujus facul-
taria praxis; Id autem peculiarem materiam beneficiariam
percutit, neque hujusmodi quæstiones inter provisos à sede
Apostolica, & ab Ordinario in Sacris Congregationibus
tractari solent, cùm pro beneficiorum qualitate, seu valore
in forma judiciaria de eis tractetur in Rota, vel coram Præ-
latis, quibus id specialiter committatur. n

50 Quandoque tamen de validitate unionum, quas ad Con-
cilii Tridentini præscriptum locorum Ordinarii faciunt, ad
favorem seminarii, vel præbendarum Ecclesiæ Cathedralis,
seu alias, in ejusdem Concilii Congregatione peragi solet,
ideòque sedentibus in ea congruit, ut istam præsertim unio-
num materiam benè calleant. o

Ubi verò Apostolicis reservationibus, vel affectionibus
51 cessantibus, extra controversiam sit hæc Ordinarii potestas;
Adhuc tamen Papa tanquam Ordinarius Ordinariorum,
cum eis concurrere potest, eosque prævenire; Id autem,
licèt possit, non tamen facere solet, ideòque in dubio præ-
sumenda non est hæc voluntas, ad quam propterea, sive ac
etiam accedente, ad ipsum præventionis factam, quæstio-
nes restringuntur, quæ pariter in dictis Tribunalibus in for-
ma judiciaria tractari solent, non autem in Sac. Congrega-
tionibus, idque sub peculiari beneficiorum tractatione ca-
dit, ab hoc instituto extraneum. p

52 Super alia verò specie contentiosę jurisdictionis; Ex Sa-
crorum Canonum dispositione, vel intentione, clarius ve-
rò, magisque præcisè ex illa Sac. Concilii Trid. cognitio
causarum primæ instantiæ ad locorum Ordinarios pertinet,
omnibus illis usibus, vel privilegiis à Concilio sublatis, ex
quibus etiam in prima instantia in Curia Romana, vel co-
ram aliis Apostolicis delegatis causæ civiles, criminales,
vel mixtæ introduci solebant; Hodiè verò ex Conciliari de-
creto, illæ causæ, quæ de facto in Curia introducuntur
partibus non consentientibus, Ordinariis remittuntur; Ni-
si miserabilium personarum privilegium, quod fori electio-
nem concedit, aliter suadeat; Vel nisi de illis gravioribus
causis agatur, quarum cognitio etiam in prima instantia
Rotæ, vel alicujus Sac. Congregationis judicio digna re-
putetur; Super hoc certa regula generalis cuicumque ca-
sui applicabilis statui non potest, cum id ex Papæ arbitrio
pendeat, ejusque Gratiæ, vel justitiæ Signaturæ consilio
pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis decla-
ratur; Sed de his pariter in Sacris Congregationibus agi
non solet, cùm id ad utramque insinuatam Gratiæ, & Ju-
stitiæ Signaturam pertineat. q

Ordinariorum autem potestatem, in plerisque Sac. Con-
53 gregatio, præsertim Episcoporum, & Regularium, non
solùm generaliter coarctavit, putà in iis, quæ concernunt
Monasteria monialium, ac admissionem puellarum educa-
tionis gratia, ut in sua Regularium sede advertitur, ac etiam
generaliter fecit altera Sac. Congregatio Concilii, præser-
tim circa facultatem reducendi onera Missarum, sive facien-
di investimenta pecuniarum, quæ pro hujusmodi perpetuis
oneribus relictæ sint, circa formam in ejusdem Congrega-
tionis generalibus decretis præscriptam, sed etiam quando-
que in aliquibus casibus particularibus.

Potissimè restringendo potestaté impositionis manuum,
54 qua aliqui Ordinarii abuti solent, præsertim circa collatio-
nem primæ tonsuræ, quoniam Communitatibus laicorum
recurrentibus, Sacra Congregatio (commendabiliter qui-
dem, eoque commendabilius, quò frequentius id agretur)
inhibere soleat, ne inconsulta ipsa Congregatione tonsura
præsertim conferatur; Et è converso quandoque ejusdem,
aliorumve ordinum collatio eis demandari solet, quando
absque justa causa arctatis præsertim aliquo beneficio, seu
55 spectantibus præsentationem, vel nominationem ad benefi-
cium, vel capellaniam a majoribus fundatam, animosè id
denegetur, quod pariter certam non recipit regulam cui-
cumque casui applicabilem, cùm totum pendeat à pruden-
ti benèque regulato arbitrio pro facti qualitate, & singulo-
rum casuum circumstantiis.

Eodemque modo quandoque Ordinariis hęc Sacra Con-
56 gregatio demandare solet, ne ad carcerationem, aliosque
irretractabiles actus procedatur contra aliquos clericos,
aliosque subditos, quando ob recursus habitos, sive ex aliis
causis probabilis urgeat animositatis suspicio, ob quam ali-
quando omnimoda exemptio ab Ordinarii potestate, & ju-
risdictione per tandem Sac. Congregationem concedi so-
let, illam alicui viciniori delegando.

57 Pleraque autem alia circa hujusmodi restrictionem, vel
recursus contingunt, quæ vel memoria non suggerit, vel
facile non est ita recensere, cùm à casuum particularibus
circumstantiis totum pendere soleat, ac etiam pleraque in-
sinuantur in annotationibus ad Sac. Concil. Trident. de
quibus infrà.

d *de hoc districtu Urbis, dictaque jurisdictione supra, n. 12.*
e *locis proximè citatis, n. 11. præsert. disc. 1. de praem.*
f *Ibidem ut supra,* g *tit. de judic. in Relatione Curiæ Rubrica de Congregatione visitationis.*
h *tit. de jurisd. disc. 50.* i *sub tit. de Regular. disc. 31.*
l *dict. tit. de praem. disc. 1.* m *sub tit. de Regul. disc. 32. & sub tit. de fideic. disc. 155.* n *sub tit. de benef. plur.*
o *dicto tit. de benef. præsertim, disc. 43. & seqq. & in not. ad S.C.T.* p *eod. tit. de benef. disc. 23.*
q *sub tit. de judic. & sub tit. de jurisd. disc. 68. & 72. & in notis ad S.C.T. sess. 24. & de reform. cap. 20.*
s *In annot. ad S.C.T. hoc eod. lib. in fin. ac etiam tit. de judic. in relatione Curiæ.*

III.

De controversiis inter Ordinarios, & Legatos, seu Nuncios Apostolicos, aliosque Apostolicos Delegatos, & Commissarios.

Retenta eadem superius insinuata distinctione, inter du- 58
plicem speciem jurisdictionis, seu potestatis in Ordi-
nario, voluntarię, scilicet, & contentiosę; Quatenus per-
tinet ad primam, non cadunt inspectiones, quæ supra quo-
ad Papam insinuatæ sunt circa collationes beneficiorum,
vel officiorum, seu ordinum super potestate concurrendi
cum quolibet Ordinario, eumque præveniendi, cùm in so-
lius Pontificiæ potestatis sit, ex peculiari ratione quòd ubi-
que est Ordinarius major tanquam Episcopus totius Orbis;
Nisi idem Pontifex respectu alicujus regionis, vel provin-
ciæ, ejus Legato præsertim de latere, specialiter hanc facul-
tatem communicaverit, quod facti, ac voluntatis quæstio-
nem potiùs continet, atque ex facultatum tenore pendet,
nulla cadente quæstione potestatis.

Quamvis etenim Legatis extraordinariis, ac de latere, 59
qui ad magnos Principes, vel pro magnis negotiis ultrà
montes transmittuntur, amplæ facultates communicari so-
leant, tam circa concessionem Apostolicarum dispensatio-
num matrimonialium, sive super ætate, vel natalibus, aut
interstitiis pro assecutione ordinum, ac beneficiorum, cum
similibus; Attamen id tangit jus ipsius Papæ, neque Ordi-
narii interest, an beneficia reservata, vel affecta, quorum
collatio sibi interdicta est, mediatè, vel immediatè con-
ferantur.

Ut etiam habetur de aliquibus Nunciis apud Principes 60
qui Legati potestatem in pluribus habent, eum jure (licèt
magis coarctato,) aliquas concedendi dispensationes, ac
etiam conferendi beneficia reservata, vel affecta, quæ non
excedant valorum 24. ducatorum, neque sint Canonicatus
in Cathedrali, vel principales Dignitates in Collegiata, ut
super facultatibus præsertim Nuncii Hispaniarum frequen-
tes in Rota audiuntur quæstiones; Attamen pariter intrat
eadem ratio, de qua supra, ut id non tangat jus Ordinarii,
in iis quæ ad ejus pertinent collationem. f

Prout etiam, licèt Legatus, vel respectivè Nuncius, in 61
collatione ordinum quandoque manus apponat; Attamen
non ordinario jure, & per concursum, ut Papa facit, sed
potiùs juxtà facultates, vel respectivè stylos, id provenit jure
appellationis, vel recursus, quia nempè Ordinarios absque
justa causa deneget, eo modo quo supra de facultatibus Sac.
Congregationis Episcoporum insinuatum est, nisi in spe-
cialibus facultatibus Legati de Latere id contineatur.

Quo verò ad alteram contentiosę jurisdictionis speciem; 62
Præsupposito quòd agatur de causis, vel personis indifferen-
tibus, adeòut non intrent speciales facultates Legati, vel
Nuncii, seu Collectoris Apostolici, ut sunt præsertim
quòad personas respectu Cameræ Apostolicæ collectores,
ac subcollectores, aliique ministri, & respectu causarum
sunt illæ, quæ concernunt jura Cameræ, seu spoliorum,
vel illicitæ negotiationis, ad quarum instar, idem proce-
dere videtur ubi adsit Tribunal Fabricæ S. Petri, sive illud
inquisitionis, aut simile.

Quemadmodum regula generalis, tam de jure, quàm cla-
riùs ex Conc. Trid. assistit Ordinario, ut causæ omnes in pri-
ma instantia coram ipso cognosci debeant, ideoque etiam à
Papa seu ejus Romanę Curię Tribunalibus illę remittuntur,
quoties ex privilegio electionis fori Principis, vel ob causæ
gravitatem, limitatio non intret ut supra; Multò magis idem
di-

dicendum est in Legatis, vel Nunciis, qui juxta facultates, vel stylos respectivè, sunt quidem Judices appellationis, vel recursus, sed præter hanc viam in causia primæ instantiæ se non ingerunt, una partium diffentiente; Quinimò ut etiam utraque consentiente, ut in utrusque Signaturæ sensum quandoq; expertus sum, ad instantiam Ordinarii, vel ejus Promotoris fiscalis, causa adhuc remitti debeat ad partes.

63 Idque inter laicos quoque receptum est, ubi præsertim tum feudatariorum, seu Baronum, & Domicellorum vassallis, ac subditis agatur, quoniam non obstante utriusque partis consensu, à Tribunalibus Principis, vel alterius superioris Magistratus, cui cognitio in gradu appellationis, vel recursuum competat, adhuc Baroni petenti fit remissio; Sicuti è converso capeti potest per unam partium, quamvia Baro, vel respectivè Ordinarius juri suo cedat, atque consensum præstet, ut ibi causa cognoscatur.

64 Hinc proinde quæstiones inter Ordinarios, & Legatos, vel Nuncios, aliosque Apostolicos Commissarios, facti potiùs, quàm juris esse videntur, super verificatione scilicet illius qualitatis, in persona, vel causa, ob quam intrent facultates speciales Nuncii, vel Commissarii Apostolici privativè ad Ordinarium, juxta ea, quæ pro frequentiori contingentia superius exemplificata sunt; Sive ubi agatur de illis casibus, in quibus, vel ex facultatibus, vel ex consuetudine locum habeat cumulativa, & consequenter intret præventio.

65 Idque præsertim in Italia praxis docet in Nuncio, seu Collectore generali Regni Neapolitani, inter quem & Ordinarios locorum frequentes in hac Sac. Congreg. & in aliis, aut in utraque Signatura hujusmodi quæstiones audiuntur, quoniam causæ spoliorum, vel decimarum papalium, seu aliæ jus Cameræ percutientes, illæque subcollectorum, aliorumque officialium, & ministrorum privativè ad ipsum Nuncium, vel respectivè Apostolicum commissarium pertinent; In quibusdam verò aliis, Nuncius concurrit cum Ordinariis, & cumulativam habet, ut præsertim contingit in causis illicitæ negotiationis, aut in illis receptionis bannitorum, vel criminalibus, quę vulgò *campanæ* dicuntur, quorum cognitio per aliquas literas Apostolicas Nuncio quoque demandata est, ex causa fortè majoris potestatis, ac potentioris brachii in illis partibus, in quibus ob adeò exiguos Episcopatus in eo Regno, cum aliquo forsan abusu, adeò frequentes, ac fortè ultra quàm par est etiam onerato, Ordinariorum potestas debilis esse solet, non apta hujusmodi facinorosos homines coercere; Non tamen exinde resultat privativa, quam indebitè Nuncius prætendit, ac de facto quandoque practicat, & præsertim cum pauperibus, ac exiguis Ordinariis. a

66 Prout indebitè eandem prætendit privativam in causis Regularium, ex eo quòd per specialem commissionem, sive per generales facultates fit illorum, aliorumque exemptorum judex, & commissarius generalis in toto Regno, quia in iis casibus, in quibus Ordinarii potestas cum regularibus, aliisque exemptis non intrat, quia nempè cessantibus limitationibus locum habeat regula generalis exemptiva, nil ad Ordinarium pertinet inspicere an regularis, vel alter exemptus potius à Nuncio, quàm à proprio Prælato regulari, vel alio superiori puniatur; Secus autem ubi de his agatur casibus exceptis, in quibus ex ordinario, vel delegato jure intret Ordinarii jurisdictio etiam cùm exemptis, cum tunc in aliquibus casibus indifferentibus intret cumulativa, & consequenter locum habet præventio, in plerisque autem favore Ordinarii intrat prælativa, adeout præventio ei non obstet, ut (ex. gr.) in iis quæ concernunt curam animarum, vel administrationem sacramentorum, seu aliàs ipsius Ordinarii offensam, vel turbatam jurisdictionem, ut pluries ista Episcoporum, & Regularium, vel alicta Concilii Sac. Congreg. declaravit, occasione controversiarum cum Archiepiscopo Neapolitano, dum alii Ordinarii Civitatum, & locorum Regni frequentius hujusmodi quęstiones ob eorum exiguas vires assumere non audent. x

67 Cum Conservatoribus privilegiorum Regularium, quęstiones pariter Ordinarii locorum frequentes habere solent eò quia hujusmodi Conservatores opinantes penè omnimodam Apostolicam authoritatem habere, fimbrias nimium dilatare solent, atque præsertim validè faciles esse ad censuras comminandas, imò etiam de facto proferendas contra ipsos Ordinarios, vel eorum Vicarios, & officiales, sed malè; Quamvis etenim Apostolici delegati, vel commissarii sint; Eorum tamen potestas nimiùm coarctata est, quoniam posita etiam illorum valida deputatione cum requisitis a Gregorio XV. Constitutione præscriptis, adhuc tamen generaliter ad solos casus injurię ac violentię manifestæ eorum potestas restricta, aliquibus exceptis Religionibus speciale indultum habentibus, ut præsertim sunt Hierosolymitana Religio, & Societas Jesu, ut etiam sint Judices, in causis tamen passivis, non autem activis, juxta ejusdem Gregorianæ Constitutionis moderationem, ut in Regularium quoque sede, seu materia advertitur. y

68 Eorundem verò Conservatorum, seu Judicum Synodalium in Ecclesiastica dignitate constitutorum, qui vel ex dicta causa conservationis privilegiorum Regularium, vel ex particularium causarum delegatione, Apostolici Commissarii sunt, exceptio ab Ordinarii potestate exinde non resultat, nisi circa quæ ipsius commissionis, vel delegationis exercitium, vel executionem concernunt, in reliquis autem remanent subditi, ut antea. z

69 Exemptio autem subcollectorum particularium, seu localium sive sint ordinarii, sive extraordinarii, qui in magno numero cum aliquo forsan abusu, & scandalorum, aliorumque inconvenientium productione, deputari solent, quæstiones cum Ordinariis producere solet; Vel quia sub hujusmodi exemptionis clypeo in partibus non viventes sub oculis Nuncii, vel alterius Superioris, nimiùm scandalosam vitam ducere soleant; Istoque casu Ordinarii partes esse videntur, cum eis æquè, ac cum propriis clericis, & subditis benè invigilare, atque in casu criminum, & excessuum prævio processu, aliisque servatis de jure servandis ad limites justitiæ, pro qualitate causarum in carceribus detrudere, nomine tamen Nuncii, vel alterius Superioris illo certiorandi cum transmissione processus, ut quandoque Ego cùm essem Vicarius Capitularis generalis practicavi, atque optimam medicinam esse expertus sum.

70 Vel aliæ intrant quæstiones ratione malæ deputationis, contra easdem Apostolicas provisiones, ne in qualibet Diœcesi, nisi unus deputetur, qui non nisi in ea diœcesi, in qua deputatus est, exemptione patiatur, non autem ubi occasione originis, vel domicilii in figura viri privati vivat, vel moretur; Sive ut deputari non debeant, nisi personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, & quibus præsertim non incumbat cura animarum, & quatenus incumbat, ut exemptio in iis, quæ illam concernunt, suffragari non debeat. a Attamen quamvis hæc de jure disposita sint, nimiùm rarò de facto servantur, in illis præsertim diœcesibus, in quibus pauperes, ac modicæ authoritatis, & existimationis Episcopi adsint; Unde propterea ex isto malo Ecclesiasticorum exemplo, Baronum, aliorumque sæcularium Magistratuum oppressiones quoque resultant.

Atque adeò hujusmodi Subcollectorum exemptio per quoddam Decretum sub Urbano VIII. editum, dilata est, ut quamvis desinant esse tales, eorumque deputatio expiret, adhuc tamen, duret exemptio donec vivant, quod ita non modica producit inconvenientia, cum ita per circulum penè omnes potentiores clerici, malè vivendi licentiam affectantes, ab Ordinarii potestate se eximant. b

Ut autem his inconvenientibus occurreretur, longè post hanc instructionem, Sacra Congregatio Concilii, prævio maturo consilio de anno 1671. plures edidit declarationes, benè fundatas, maximumque commendabiles, quarum tamen executio per aliquas provisiones suspensa remanet. c

71 Prætendi quoque solet per dictum Nuncium, aliosve similes Apostolicos commissarios, ut in Civitate residentiæ, vel alibi, intra sibi commissam Provinciam, vel Regionem, sibi competat facultas concedendi brachium, seu executionem mandatorum aliorum Episcoporum, vel superiorum contra mandantium subditos, in personis, vel bonis, loci Ordinario neglecto, quasi quod hanc cumulativam recepta consuetudo concedat; Id autem probabili juris fundamento destitutum videtur, cum illud sit jus territoriale, quod debetur loci Ordinario tanquam Domino pro sua portione territorii, non autem huic Nuncio, legati jura non habenti, atque ad certum genus causarum solùm delegato, cum jurisdictione in personas, vel in causarum certo genere; Consuetudo autem diversum percutit casum, ubi nempè de exequendis mandatis Papæ, ejusque Tribunalium Curiæ Romanæ agatur, cùm Papa ubique potestatem habeat, totumque Mundum habeat pro diœcesi. d

Quò verò ad ea, quæ appellationes, vel recursus ad Legatos, vel Nuncios habentes jura Legati pertinent, aliquid occasione Metropolitani insinuatur Rubrica sequenti; Potissimè quia Sacræ Congregationes de his cognoscere non so-

solent, sed ea pertinent ad duam, vel alteram gratiæ, aut Justitiæ Signaturam.

t *tit. de benefic. disc. 26. 90. & 91.*
t *tit. de jurisd. disc. 51. & 53.*
u *tit. de jurisd. disc. 36. & hoc lib. tit. Miscellan. disc. 23.*
x *dicto tit. Miscellan. hoc eod. lib. disc.*
y *tit. de jurisd. disc. 49. & tit. de Regul. disc. 51. & 52.*
z *disc. 4. & disc. 29. de jurisd.*
a *adsunt decreta generalia Sac. Congregationis Concilii adita sub die ... 1671.* b *ibid.*
c *sunt dicta decreta generalia, de quibus lit. A proximè.*
d *hoc lib. dicto tit. Miscell. disc. 22.*

IV.

De controversiis inter Ordinarios, vel suffraganeos, & Metropolitanos.

72 QUamvis apud Sacros Canones, ac antiquiores Canonistas, Metropolitani in Suffraganeos magna sit authoritas; Hodiè tamen, præsertim in Italia, comparativè ad statum antiquum, ea satis modica esse videtur; Tum ob copiam Ecclesiarum, quæ ex Pontificiis privilegiis à Metropolitano exemptæ sunt, atque immediatè subjectæ Sedi Apostolicæ, ideòque, ut supra advertitur, esse dicuntur in provincia Papæ, qui per modum loquendi, seu comparativè, earum Metropolitanus est, easque modernus Ecclesiarum Italiæ relator recenset. a

73 Tum etiam, ob suspensivam appellationem, quam Sac. Conc. Trid. in plerisque sustulit, præsertim verò in iis, quæ in visitatione demandari solent; Licèt enim erronea sit opinio, quàm generaliter habere videntur Episcopi, aliique Ordinarii, ut omnia, quæ in visitatione demandantur, appellationem non admittant, cùm ex pluribus declarationibus Sacræ Congregationis ejusdem Concilii Tridentini interpretum, receptum sit, ut Conciliaria decreta loquantur de iis, quæ morum correctionem concernunt, sive alias ex delegata authoritate demandantur, non autem in iis, quæ fiunt ex authoritate ordinaria; Nihilominus id quoque notabiliter Metropolitani minuit potestatem. f

74 Magis verò ea diminuta fuit per ejusdem Concilii Tridentini decretum super penè antiquata Canonum dispositione, ut causæ in prima instantia coram locorum Ordinariis omninò cognosci debeant, pluribus improbatis prætextibus, ex quibus Metropolitani, aliique Superiores in eis manus apponebant; Magisque per decreta generalia initio currentis sæculi edita per Sac. Congregationem Episcoporum, per quæ Metropolitanorum facultas appellationes recipiendi, ac inhibendi nimiùm coarctata videtur, atque successivis temporibus per alias provisiones, plura adempta fuere, præsertim verò post erectionem Sac. Congreg. Immunitatis; Ex istius enim provisionibus Metropolitani manus ligatæ sunt in iis, quæ localis præsertim Ecclesiasticæ immunitatis violationem concernunt, cùm ad ipsam Sacr. Congregationem recursus habeatur. g

75 Prout authoritas convocandi Concilium provinciale, neque Synodum celebrandi, sublata quidem non est, sed ejus exercitium inhibitum S. Congregatione inconsulta, quod de facto illum producit effectum, ut hujusmodi Conciliorum usus in Italia nimiùm rarus dignoscatur, ac penè abolitus. h

76 Item quia, licèt per Sacros Canones, demandata sit gradualis, ne ordinaria appellatio, eaque prohibita sit per saltum, omisso medio; Nihilominus, quia receptum est ut hujusmodi prohibitio non comprehendat ipsum Papam, ejusque Officiales, ad id in Curia Romana deputatos, quodque ad eum, omisso medio appellari valeat; Hinc proinde ob facilitatem, & commoditatem, quam hæc Italiæ provincia pro aliis habet, eandem Romanam Curiam adeundi, absque necessitate transcendendi montes, vel maris navigationi se subjiciendi, cum adeò prompto Tabellariorum, & cursitantium usu, adeò ut frequenter commodius in Curia causas peragere judicetur, quàm coram Metropolitanis, idcircò frequentior hæc via per appellantes, ac recurrentes adhiberi, sive id in forma judiciaria per viam appellationis cor. A. C. vel Signatura justitiæ, aliisque Tribunalibus agatur, juxta ea quæ in relatione, ac praxi Curiæ recensentur; Sive frequentiùs per recursus ad Sac. Congregationes, istam præsertim Episcoporum, & Regularium.

77 Ac etiam, quia ea obligatione per Constitutiones Apostolicas, injuncta Italiæ Episcopis singulis trienniis Apostolorum limina visitandi, istaque occasione, statum Ecclesiæ, omnesque contingentias referendi Sacræ Congregationi Concilii, idcircò provisiones, vel oracula ab ea recipi solent, super quorum executione, Metropolitani impedimenta non præstant, adeò ut quamvis eadem vigeat authoritas per Sac. Canones, & per Concilia generalia Metropolitanis attributa, nedum in appellationum causis recipiendis, cum inhibendi facultate, sed etiam in potestate cùm 78
ipsismet suffraganeis eorumque Vicariis aliisque officialibus, cum magna tamen moderatione respectu personarum illorum suffraganeorum, qui Episcopali dignitate fulgeant, tam quoad personales distinctiones, quam quoad censuras; l Nihilominus (ut dictum est) ex tot restrictionibus, ac moderationibus, quas distinctè recensere memoria non suggerit, diligenter collectas per modernos, qui specialiter de Archiepiscopi authoritate agunt, comparativè ad antiquum statum penè ad nihilum redacta est. m

79 Meritò autem ita secutum est, ob Metropolitanorum nimiam frequentiam, quam Italia habet, exiguosque diœcesum, ac provinciarum fines, cum ita ob facilem, ac celerem aditum ad eos eorumq; potestatis facilem usum (qui in abusum frequenter transcendit,) Ordinariorum loci potestas penè annichilata erat, nimiùmque facile subditis reddebatur superiorem localem spernere, atque vivendi licentiam impunè ita assumere; Et quamvis ne annichilata sit potestas Ordinarii, quodammodo annichilata videatur illa Metropolitani, idque oppressionibus subditorum quandoque aditum aperiat; Ex duobus tamen malis, minus eligere prudenter visum est; Vel quia in plerisque eadem Metropolitani authoritas occurrere potest; Vel quia promptus, ac facilis est Romanæ Curiæ aditus.

80 Hinc sequitur, ut rarò in Sac. Congregationibus audiantur inter Metropolitanos, & suffraganeos quæstiones in iis, quæ voluntariam jurisdictionem, seu politicum regimen Ecclesiæ, aut morum correctionem, criminumque punitionem concernunt, cùm in causis contentiosis, quoties ille qui se gravatum credit, appellando Metropolitanum adeat, adversus istius provisiones, vel gesta, per appellatum, contentiosa Romanæ Curiæ Tribunalia, cum judiciario ordine adeuntur, dum Sac. Congregationes in hujusmodi contentiosis causis cum formali processu, ac tela judiciaria se ingerere non soleant, quamvis aliquando pro earum arbitrio, & causarum qualitate, istam cognitionem quoque assumant.

Super modo autem inhibendi, & an intret appellatio suspensiva, agitur sub tit. de judiciorum, neque de his ista Sac. Congregatio cognoscere solet.

81 Contentio quoque aliquando cadit (ut insinuatum est) super ipso jure Metropolitico, quod aliquis Episcopus neget, quia nempè exemptionem, ac immediatam Papæ subjectionem prætendat, quod in præeminentiarum sede insinuatur. n

e *tit. de praeminent. disc. 1.*
f *de decretis generalibus desuper edit. sub Clem. VIII. apud Quarant. in summa Bullar. verba Arch. authoritas.*
g *tit. de jurisd. disc. 49.* h *in annot. ad S. C. T.*
i *constitut. 15. Sixti V. & de privilegiis Episcopor. accedentium ad limina ne molestari possint, tit. de jur. d. dis. 89.*
l *tit. de jurisd. disc. 52.*
m *Ventriglia in tract. de Archiepiscopi authoritate.*
n *tit. de praem. disc. 1.*

V.

De controversiis inter Ordinarium loci, & alterum Ordinarium vicinum sive inter plures Episcopos vel Diœcesanos.

82 INter illos locorum Ordinarios, qui Episcopali, vel Archiepiscopali dignitate fulgeant, sive eadem æquè careant adeò ut ea non dignoscatur discretiva, quæ dignoscitur inter Episcopos, & Prælatos inferiores, quorum ordinaria potestas per quamdam improprietatem, seu assimilationem quasi Episcopalis dicitur, Aliæ vigere non solent controversiæ, nisi illæ, quæ in casibus particularibus, majorem, vel minorem competentiam concernunt, super illis causis, in quibus uterque competens dici valeat, vel talem se prætendat; Putà quia (de contentiosis causis civilibus agendo) Unus se prætendat magis competentem ratione originis, vel domicilii personæ, Alter autem ratione rei sitæ, sive ratione contractus, cum similibus.

Aut in criminalibus, pro frequentiori contingentia, quod unus se prætendat magis competentem ratione loci delicti, alter autem ratione originis, vel domicilii, potissimè verò ubi unus eorum causam prævenerit, an hoc non obstante, eam alteri remittere teneatur.

Ma-

Majores autem inter plures Episcopos, vel Ordinarios
83 quæstiones vigere videntur, huic Sacræ Congregationi congruæ, super exercitio voluntariæ jurisdictionis, & præsertim circa ordinum collationem, an scilicet, quando Ordinarius unius loci, ex causa beneficii, vel familiaritatis, aut alicujus domicilii in ejus diœcesi contracti, ordines conferre valeat clerico alienæ diœcesis; Sive qui nullam habens diœcesim liberi, & catholici commercii, an unius, vel alterius subditus effectus sit, contendatur, stante præsertim Sac. Concil. Trid. dispositione, quæ illam sacrorum Canonum severiùs innovat sub gravibus pœnis, ne unius loci Episcopus, vel Ordinarius in collatione ordinum, cum alterius diœcesani subdito, eo inconsulto se ingerat, seu in alio pontificalium usu. p

Super his autem, vel similibus quæstionibus, ex præ-
84 sertim, quæ aliquando super finibus territorialibus vigere solet, de facili, certa, & determinata regula generalis cuicunque casui applicabilis statui possit, cùm determinatio ex facti qualitate, an singulorum casuum particularibus circumstantiis pendeat super majori, vel respectivè minori competentia, aut super valida præventione; sive quando unius diœcesanus, ita alterius subditus effectus dicatus, ut ab eo ordines recipere valeat, cùm totum remissum sit, ac pendeat ex facti circumstantiis pro congrua dispositionis juris applicatione, juxta ea, quæ in meis casuum particularium annotationibus, præsertim in materia jurisdictionali habentur. r

Super finibus præsertim diœcesanis quæstiones inter vi-
85 cinos Episcopos haberi solent, occasione intermediantis alicujus separati territorii, quod *Nullius* per varitatem sit sub inferiori Prælato, unde propterea pleraque (ut infra,) viciniori Episcopo in eo territorio per Concilium Tridentinum, & Apostolicas Constitutiones, demandata sint, ac etiam per Sac. Congregationem pro casuum contingentiis demandari solent, quomodo scilicet major vicinitas debeat regulari, an ex diœcesum extremitate, vel potiùs ex ipsius Ecclesiæ Cathedralis, mensura facienda sit, istaque posterior pars probabilior videtur. r

Præcedentiæ quoque controversiæ inter eos, qui Episcopali, vel respectivè Archiepiscopali dignitate æquè ful-
86 geant, non quidem ubi coæqualis sit contendentium conditio, quia nempè ambo Episcopi actuales ejusdem provinciæ, sive ambo Archiepiscopi actuales, (cùm inter istos receptum sit, ut juxta capellæ Pontificiæ leges, vel ordinem, consecrationis tempus, seu antianitas attendatur) sed ubi unus in propria provincia sit, alter autem de aliena, sive (ut frequentiùs in Germania præsertim, aliisque partibus ultra montes disputari contingit) unus in propria provincia cum actuali diœcesi, ac jurisdictione, Episcopali tantùm dignitate præfulgens contendat cum altero, qui in majori Archiepiscopali dignitate sit constitutus, habituali tamen, non autem actuali, quia nempè in partibus infidelium, in ea Provincia moram trahens occasione peragendi munus Vicarii in spiritualibus Metropolitani, vel alicujus Episcopi; Idque varias habet opiniones, ac propterea, sive ex aliquibus distinctionibus, sive ex functionum qualitate, decisionem recipere videtur, ideòque non de facili certam, ac determinatam admittit regulam. t

Majores igitur quæstiones esse solent inter illos Ordinarios, qui Episcopali, vel Archiepiscopali dignitate fulgeant, & illos Ordinarios, qui hac dignitate carentes, inferiores Prælati dicuntur; Hæc autem inspectio cadit sub proxima sequenti Rubrica.

o *sub tit. de jurisdict. disc.* 37. p *In annot. ad S. C. T. & sub tit. de jurisd. disc.* 32. q *dicto disc.* 51. *&* 57. *& in aliis ibidem.* s *eod. tit. de jurisd. disc.* 50.
f *tit. de praeminent. disc.* 16. t *ibidem.*

VI.

De controversiis inter Ordinarium, & Prælatos inferiores contendentes de jurisdictione activa.

87 INvoluta antiquiori tempore videbatur hujusmodi controversiarum species; Sive ob aliquam terminorum, aut plurium specierum hujusmodi Prælatorum confusionem; Sive quia agendo de privilegiis exemptivis, quæ aliquibus Ecclesiis, vel Monasteriis, earumque Prælatis, seu Religionibus in universum per sedem Apostolicam amplissimè concessa sunt, confundebantur jurisdictiones, activa, & passiva.

Hodiè verò, ex pluribus S. Congregat. Concil. Trident. declarationibus, ac Rotæ Romanæ decisionibus, nostra præsertim ætate editis, ob distinctiones clariùs explicatas, quam prius factum sit, materia plana videtur; Siquidem, ut advertitur supra occasione exemptionis Regularium *sub tit. de Regul. disc.* t. Aliud est Ecclesiæ, vel Monasterii, ejusque Prælati, & clericorum sæcularium, vel regularium, aliorumque inservientium exemptio passiva, idest ne ipsi Ordinario subjaceant, unde ex consequenti resultet limitata in ipsis personis exemptis jurisdictio activa Prælati ejusdem Ecclesiæ, vel Monasterii, juxta praxim plurium Ecclesiarum collegiatarum sæcularium, ac generaliter omnium domorum regularium, in quibus, præsertim in Italia, non intret generalis jurisdictio Ordinarii, seu generalis cessatio exemptionis, ob Constitutiones Urbani VIII. & Innocent X. ratione modici numeri religiosorum; Aliud verò est jurisdictio activa ordinaria, seu quasi Episcopalis, quam hujusmodi Prælati inferiores exempti habere prætendunt cum Clero, & populo sæculari vivente intra aliquem ambitum, seu intra certum territorium, quod de ejusdem Ecclesiæ, vel Monasterii profani, seu temporali dominio sit; Ex hujusmodi etenim tam diversarum specierum confusione, ac etiam ex altera plurium diversarum specierum ipsorum Prælatorum, retroactis temporibus, nos resultarunt æquivoca, & jurgia, quæ neque omninò adhuc desierunt.

Cùm etenim per Apostolica privilegia exemptiva, aliquibus præsertim Religionibus, cum magna verborum amplitudine concessa, ut sunt præsertim illa, quæ (meritò quidem,) concessa fuerunt per Sedem Apostolicam amplissimæ Hierosolymitanæ Religioni, Priores, & Commendatarii in earum Commendis, & Prioratibus veri Ordinarii declarentur; cum vassallorum, & colonorum mentione, atque casus frequentes præbeat, ut ex Principum sæcularium pietate, ipsa Monasteria, & Commendæ, ac Prioratus, aliquod temporale dominium, oppidorum, castrorum, & vicinorum, seu pagorum habeant, cum jurisdictione in earum incolas, quibus præsertim in Italia vassallorum nomen, seu vocabulum congruit, ita ut ex distinguendo eos, qui sub immediata supremi Principis subjectione sint, ac eos, qui sub ejusdem Principis mediata, immediata verò Baronum, & domicellorum, aliorumque habentium utile, vel subalternum dominium locorum; Hinc proinde iste usus inolevit, ut Prælati, hujusmodi temporalis jurisdictionis occasione, spiritualem quoque, seu quasi Episcopalem sibi usurpaverint, cum privilegiorum clypeo; Ordinariis, vel eorum officialibus suæ jurisdictionis exercitium impediendo. u

Constituta igitur hac distinctione inter jurisdictionem 88
passivam, & activam, istaque posteriorem subdistinguendo inter illam activam, quæ sit in personis exemptis viventibus intra septa Monasteriorum, seu Commendarum, juxta requisita enunciata superius *d. tit. de Regul. 6. disc.* c. illamque ordinariam, & quasi Episcopalem jurisdictionem activam, quæ competat cum Clero, & populo sæculari, qui in Civitatibus, oppidis, & castris, seu villis, in privatis domibus vivat.

Quatenus ad hanc jurisdictionis speciem pertinet, privilegia exemptiva quantumvis ampla, quæ vel Religionibus in universum, vel Ecclesiis, & Monasteriis in particulari concessa sint, ea nullius sunt operationis, utpotè dictam diversam speciem percutientia; Dictæque activæ jurisdictioni competentia major, vel minor, cùm privativa, vel respectivè cumulativa, & subordinata Ordinarii jurisdictione, pendet ab alia distinctione plurium diversarum specierum hujusmodi inferiorum Prælatorum initio constitutæ inter illos inferiores, qui materiale territorium separatum verè habeant tanquam per speciem propriæ diœcesis, in qua Clerus, & populus sæcularis vivat, cum qualitate Nullius per veritatem, quia nempè illud territorium ab omni diœcesi abstractum sit, ac independens; Et illos Prælatos, qui existant intra fines alicujus diœcesis, jurisdictionem hanc prætendentes cum clero, & populo alicujus loci inhabitati intra alienam diœcesim existentis, adeout qualitas nullius, ac territorii separati per veritatem non accedat. x

Ubi enim de prima specie agitur, (ut supra initio insinuatum est;) Prælatus, ab Episcopo, non nisi in nomine, seu dignitate, ac Episcopalis ordinis exercitio differt; in reliquis enim omnibus verus loci Ordinarius est, à quocunque Episcopo, vel Diœcesano independens, cum ipse sit ibi Diœcesanus, non solùm quoad jurisdictionem Ecclesiasticam ordinariam, sed etiam quoad eam delegatam supra alios inferiores Prælatos, qui in diœcesi existant, de quo infra. 89

Atque licèt ea quæ sunt ordinis Episcopalis in exercitio non habeat, ut sunt collatio sacrorum ordinum, consecratio Ecclesiarum, & sacrorum vasorum, ac Olei sancti, & similia; Attamen facultatem impartiuntur cuicunque ordinem Episcopalem habenti, ut intra ejus diœcesim, vel territorium, vel alibi cum propriis subditis hanc potestatem exerceat.

Sub quæstione siquidem fuit illis primis temporibus post Trident. Concil. publicationem, an hujusmodi inferioribus Prælatis, qui sint *Nullius* per veritatem, competeret, necne facultas concedendi litteras dimissoriales ejus subditis pro ordinibus à quocunque catholico Antistite suscipiendis, quem ipse maluerit, unde propterea, donec articulus determinaretur, provisionaliter id alicui viciniori Episcopo per Sacram Congregationem Concilii commissum fuit; Attamen postea, favore plurium hujusmodi Prælatorum, resolutiones prodierunt, respectu verò aliquorum adhuc dictæ provisiones durant, quoniam modernus Congregationis sensus ab antiquo hoc diversus videtur (& commendabiliter quidem.) y

90 Laudabilius autem pro meo judicio videretur, ut hujusmodi inferiorum Prælatorum, cum tam ampla potestate, tam ordinaria, quàm delegata, omnimoda fieret suppressio, ut ita hujusmodi controversiis adeò frequentibus, atque tot inconvenientium productivis, cum unica lege generali occurreretur; Nimiùm etenim improbabile videtur, ut in Episcoporum provisionibus per Sac. Canones, & per Concilia generalia aliaque Apostolica decreta tot demandentur diligentiæ, in electione scilicet personæ, eaque secuta, in examine, ac in rigoroso processu, cum duplici discussione in Sac. Consistorio, & cum tot juramentis, ac promissionibus, quæ ab eis exiguntur occasione consecrationis, necnon cum obligatione accedendi singulo quoque triennio, ubi sint intra montes, vel singulo quinquennio ubi sint ultra, cum obligatione dandi relationem status Ecclesiæ, atque ita quodammodo reddendi pluries rationes suæ administrationis.

Prout etiam adeò Sac. Canones, & Concilia incumbunt super celeri Ecclesiarum vacantium provisione, & ne illæ diu Pastore viduatæ remaneant, neque diuturnam patiantur vacationem.

Et tamen, ut quilibet clericus sæcularis, vel regularis ad nutum, etiam quandoque Principis sæcularis deputari soleat, sive per alium Prælatum regularem absque eò quod Romanam Curiam videat, nullamque adimpleat solemnitatem, vel obligationem ex his, quæ in Episcoporum provisionibus adhibentur, habere debeat universam illam jurisdictionem, & potestatem, quam ipsi Episcopi habent, quo nil absurdius.

Istorum autem Prælatorum potestatem in aliquo restrin- 91 xerunt Apostolicæ Constitutiones, præsertim verò circa ea quæ Ecclesiasticam localem jurisdictionem concernunt, ut advertitur in *discursu seq.* super immunitate, cum speciali delegatione id committendo Episcopo viciniori, cui etiam quandoque in singula tempora pro Sacræ Congregationis Concilii, vel Episcoporum arbitrio, visitatio committi solet, aliaque specialiter demandantur, verum id non tollit inconveniens.

Majores autem quæstiones, quas desuper forus audiat, 92 pertentiunt hujus Prælaturæ verificationem cum dicta qualitate materialis territorii separati, ac nullius per naturalem veritatem, ea etenim posita dictæ consequentiæ de plano resultant, ac receptæ sunt; Facti autem, ac probationum potiùs, quàm juris ista quæstio videtur; Juris etenim regula est, quod cùm ex supra initio insinuatis juxta opinionem, quam tanquam probabiliorem Romana Curia sequitur, sub Dionysio primo, totus Mundus in diœceses sub Episcopis, vel Archiepiscopis divisus fuerit, hinc proinde ista qualitas nullius, ac territorii separati non præsumitur, sed per allegantem benè, & concludenter probanda est, talique probatione non facta, fundata remanet intentio illius Episcopi, seu diœcesani, à cujus diœcesi, vel territorio ille locus undique circumdatus fuerit.

Ubi verò hæc omnimoda circumdatio non accedat, quia nempè in angulo, seu extremitate sit, unde propterea plurium diœcesum confinantiam habeat, quandoque Rota hujusmodi inferiores Prælatos ab adjacentium Episcoporum jure, ac molestiis absolvendos esse censuit ex non jure actoris, ob quod juxta generalia juris axiomata, reo & possessori vincere sufficit, ob non probatam scilicet ab actore situationem loci intra suam diœcesim.

Minùs verò probabile id censendum videtur, quoniam alio Episcopo non comparente, seu non docto de alterius Episcopi jurisdictione, vel possessione ob resistentem præscriptionem acephalæ qualitatis, fundata videtur Episcopi agentis, & comparentis intentio, istaque opinio moderniori tempore magis recepta videtur, & meritò quidem.

Probatio autem hujusmodi territorii separati, ac Nullius per veritatem, quas tantùm species ex veriori, magisque recepta sententia restricta est; Primò nempè ad expressum, & clarum privilegium Apostolicum, non autem cujuslibet alterius Prælati, vel Principis, cùm solius Pontificiæ potestatis sit hujusmodi spiritualia territoria dividere, dismembrare, unire, vel applicare.

Altera verò species est, immemorabilis benè probatæ cum suis requisitis; Ea etenim data rectè dici potest adesse idem privilegium Apostolicum ex virtute, seu operatione immemorabilis, ut ejus vigore allegari possit quicunque titulus de mundo melior, absque justificationis necessitate.

In hac autem secunda specie verificanda nimia difficultas dignosci solet, quoniam cùm inter alia ejus requisita ea sint præcipua, ut non constet de initio, minùsque quod aliquod in contrarium unquam gestum, dictum, vel auditum sit, atque quadragenaria post pubertatem à testibus benè conclusa fuerit, deducto tempore litis.

Hinc frequentior praxis docet, ut requisita nunquam 93 benè justificentur, eò quia actus contrarii locorum Ordinarii accedant, quorum aliqui sufficiunt, imò in sensu rigoroso per Rotam recepto sufficit unicus actus, per quem in causa universali omne jus conservatur; Vel quia post Concil. Trid. publicationem occasione delegationis ab eo factæ, ut infrà, in locis existentibus sub inferioribus Prælatis, cùm circa ea initia ista distinctio *Nullius* proprii, & improprii adhuc adeò claré explicata non esset, ipsumque Concilium in verbis etiam illos *Nullius* subjicere videtur, hinc proinde exercitatæ fuerunt lites, & controversiæ, quarum tempore subducto, impossibile reddi solet habere testes talis ætatis, ut dictam quadragenariam pacificam de visu subducto utroque tempore litis, ac pupillaris ætatis, concludere valeant.

Vel quod, (ut frequentior contingentia me docuit,) inferiorum Prælatorum major antiqua simplicitas, ad se confovendum adversus ordinarios, sui titulos exhibuerit, sui facie infectos, nempè ex concessione Ordinariorum ad id potestatem non habentium; Vel quod exhibuerit pontificia privilegia amplissimè exemptiva, sed enunciantia, quod locus esset alicujus diœcesis, quod excludit territorium separatum. z

Super centenaria præscriptione pacifica, cadit quæstio, 94 quæ adhuc involuta, & obscura esse videtur, an immemorabili æquivaleat; Aliquibus simpliciter negantibus, eo quia ita initium contrarium dari videtur, Aliis verò opinantibus, ut centenaria de jure major sit, quàm immemorabilis; Atque aliqui Civilistæ, seu profani DD. qui de juribus regalibus profanis agunt, istos centenariæ, ac immemorabilis terminos confundunt, eos promiscuè adhibendo, seu pro synonymis capiendo.

Probabilior autem videtur distinctio, an centenariæ probatio affirmativa, benèque conclusa accedat, absque initii, seu tituli coarctatione, necne? Ubi etenim casus existat, (quæ tamen ut experientia docet, in hac præsertim speciali materia, rarò, vel nunquam ad praxim deducitur, ob statum rerum revolutionem à Concilio Tridentino secutam) & tunc probabilius videtur, ut ea immemorabili æquivaleat, eundemque operetur effectum, ex facultate, quæ à tali centenaria quoque resultat, allegandi absque justificationis onere quemcunque meliorem titulum, & sic Apostolicum privilegium super separatione.

Propositio etenim, ut initium contrarium id excludat, locum habere videtur, quando illa accedat coarctatio ad certum titulum, ut ita supponat initium, quod constet esse infactum, vel insufficiens; secus autem ubi ista coarctatio ex parte possessoris non accedat, quamvis ex parte actoris, seu aliàs doceatur de antiquo contrario statu, qui initium supponat, cum etiam in casu immemorabilis, initium supponere oporteat, ac præcedentem diversum statum sub aliqua diœcesi, stante superius insinuato jam recepto assumpto, quod usque à primitivæ Ecclesiæ calamitosis persecutionis temporibus *Dionysius primus* universum Mundum in vera diœceses sub Episcopis, & Archiepiscopis diviserit, ideoque de consequenti in omnibus, quæ hodie existant separata territoria cum vera qualitate *Nullius*, statum diversum, ac initium supponere oportet; Quare difficultas non juris, sed facti esse videtur super hujus ita non coarctatæ, nec interruptæ centenariæ justificatione. a

Item

95 Item quamvis respectu immemorabilis, de ejus regulari natura sit, ut per testes, non autem per scripturas probari debeat, quasi quòd posita scriptura, detur initium immemorabilis exclusivum, eique oppositum; Verius tamen est per scripturas quoque hanc justificationem fieri posse, quæ antiquiorem immemorabilem supponant possessionem, vel statum, cùm dicta conclusio procedat in illis scripturis, quæ dictam tituli, seu initii coarctionem importent, secus autem ubi vigeat, atque exclusa non sit dicta possibilitas allegandi Apostolicum privilegium, quòd propè lapsum sæculi, in quo pacifica possessio probetur, supervenire potuit compatibiliter cum antecedenti diverso statu diœcesano.

96 Ista verò probatione cessante, adeout, vel ex contraria explicita probatione, vel ex dicta juris præsumptione locus in diœcesi præsupponendus veniat, atque vera, & propria, seu naturalis territorii separatio exclusa remaneat, unde propterea ad exemptionem, sive ad præscriptionem ordinariæ jurisdictionis confugere oporteat, atque verificetur terminus Prælati inferioris in aliena diœcesi existentia, quamvis de illa dicendum non veniat; Et tunc seclusa Concilii Tridentini dispositione, atque juris communis terminis attentis, Constitutio Bonifacii VIII. hujusmodi controversiarum inter diœcesanos, ac inferiores Prælatos, regulatrix erat, ad effectum judicandi, an jurisdictio esset universalis, ac omnimoda Ordinarii privativa etiam super visitatione, illisque primariis actibus, qui diœcesanæ legis connaturales, ac primarii videntur, vel potiùs præscriptio inferioris Prælati ad certos casus, vel ad certas causas restricta sit, adeout non universalis, sed particularis censenda veniat. b

97 Istæ vero quæstiones, ad quas ante Concilii editionem hujusmodi controversiæ restringebantur, in desuetudinem penè abierunt, quoniam per idem Concilium, quibuscunque privilegiis, vel consuetudinibus, vel Constitutionibus non obstantibus, locorum Ordinariis ex Apostolicæ Sedis delegato jure, jurisdictio attributa est super cognitione causarum matrimonialium, & criminalium, ac super iis omnibus, quæ animarum curam, & sacramentorum administrationem concernunt; Et consequenter circa concursum in Parochialibus, approbationem cōfessariorum, & concionatorum, aliaque ab ipso concilio expressa, atque per subsecutas Apostolicas Constitutiones, vel generales provisiones Sacrar. Congregationum ampliata, præsertim circa concernentia clausuram Monasteriorum monialium, adeout Diœcesani, sive Ordinarii ista jurisdictione delegata contenti, frequentius de aliis soliciti esse non soleant, & meritò, quoniam in parvis præsertim locis in quibus de hujusmodi cōtroversiis agi contingit, prædictis causis exceptis, Ecclesiastica jurisdictio in illis præsertim tēporalibus ditionibus, in quibus cum laicis jurisdictionis exercitium in casibus mixtis non de facili permittitur, penè contemptibilis remanet. c

98 Adhuc tamen aliqui Diœcesani sola, ac delegata jurisdictione non contenti, ordinariam quoque inferioribus Prælatis negant; Super qua tamen regula generalis dari non potest, cum ex facti circumstantiis pendeat, an illa casuum particularium verificetur præscriptio, quam Sacri Canones in concursu Diœcesani in inferiori Prælato admittunt, cùm Concilium desuper circa ordinariam jurisdictionem nil innovaverit, solumque delegatam in certis casibus ut supra tribuerit.

99 Et quamvis aliqua Modernorum subtilitas, ob privilegiorum amplitudinem, etiam in iis locis, quæ intra alienam diœcesim sunt, quamdam intellectualem, per speciem metaphysicam, Nullius, ac territorii separati, qualitatem pōderet; per impropriatatem tamen id sequitur ad quamdam majorem, ac extraordinariam exemptionem denotandam, non tamen effectus veri territorii separati, ac Nullius id producit, neque præfatam delegatam jurisdictionem tollit.

100 Super necessitate accedendi ad synodum, sive super concursibus in Parochialibus ad Concilii Tridentini præscriptum habendis coram examinatoribus synodalibus, quæstiones cadere solent etiam in locis, quæ verè ac naturaliter de territorio separata sint, cum vera qualitate Nullius; Atque distinctio est, an ille inferior Prælatus, quamvis in omnibus ut supra locis verus Ordinarius censeatur, jus convocandi synodum habeat, illudque de facto exerceat necne, ut propria synodo existente coram examinatoribus in ea deputatis Parochialium concursus rectè expleri valeat, atque subditus proprios habentes diœcesanus ad ordinationes recipiendas accedere non teneatur; His autem cessantibus ad Episcopi viciniotis synodum, vel respectivè ad illā Metropolitani, juxta particularem observātiam accedere debeant istius loci clerici, quibus cura animarum, & sacramentorum administratio incumbit.

101 De alia vero inferiorum Prælatorum specie, qui jurisdictionem in personas intra propria septa habeant, habetur in alio Regularium discursu, ac in proximè sequenti Rubrica.

102 Datur tamen, (ut supra initio plures Prælatorum species distinguendo, advertitur) quædam singularis, & extraordinaria species Prælatorum, qui intra alienę diœcesis limites plenam Episcopalem habeant jurisdictionem, etiam ab illa per Concilium delegata Ordinario immunem, in personas certas de clero, & populo sæculari, quamvis in Ordinarii diœcesi, vel territorio vivant; Verùm ista est quædam extraordinaria, ac singularis prærogativa, quæ ex Apostolicis indultis, vel ex antiqua consuetudine ratione Episcopalis dignitatis, qua ipsi Prælati fulgeant, competit, ut (ex. gr.) sunt superius insinuati Episcopus Fesulanus in Civitate Florentiæ, Archiepiscopus Nazarenus in Diœcesi Tranen. & Protector Almæ Domus Lauretanæ, & similes. d

u tit. de jurisd. disc. 1. cum pluribus seqq. a ibid.
a eod. tit. de jurisd. disc. 16. z eod. tit. de jurisd. disc. 1. & seqq. a eod. tit. de jurisd. disc. 1. cum pluribus seqq.
b eod. disc. 1. de jurisd. cum seqq. & disc. 17.
c ibidem. d d. tit. de jurisd. disc. 20. & 33.

VII.

De controversiis inter Ordinarium, & Clericos, aliosque ecclesiasticos exemptos contendentes de exemptione passiva; Et de controversiis inter Ordinarium, & Clericos non exemptos, aliosque subditos, & diœcesanos, etiam seculares, & de eorum regimine.

103 DE Ordinariis potestate cum exemptis actum habetur *sub tit. de Regular. disc.* 1. qui est generalis discursus Regularium; Quamvis etenim quamplures dentur Ecclesiæ Collegiatæ sæculares, vel etiam non Collegiatæ, quarum clerici, aliique servientes ab Ordinario exempti sunt, subjecti proprio Prælato, qui in ea principalis Dignitas existat, seu alteri Ecclesiasticæ personæ, ut præsertim in magnis Civitatibus aliquorum nationales Ecclesiæ esse solent, quæ licèt collegiatæ non sint, aliquos tamen clericos manuales, vel conductitios perpetuò seu temporaliter eis adscriptos habent, ac etiam esse solent capellæ Principum supremorum, sive eorum Vicariorum, qui Principis vices gerant, ac figuram faciant, cum similibus.

104 Attamen eadem penè in omnibus, quæ ibi dicta sunt, procedere quoque videntur circa subjectionem, in iis, quæ animarum curam, & sacramentorum administrationem concernunt cum Clero, & populo de Ordinarii grege; Ac etiam circa obligationem accedendi ad publicas processiones, & festorum observantiam, aliaque similia, in quibus Concilium Tridentinum, & Apostolicæ Constitutiones, exemptos non exemptis exæquarunt, nisi specialia accedant privilegia Apostolica, quæ dicto Concilio, & Constitutionibus derogando, etiam in casibus exceptis, vel eorum aliquibus exemptionem tribuant, quod etiam in aliquibus regularibus, præsertim circa exemptionem ab obligatione accedendi ad publicas processiones praxis docebat.

105 Illud autem in sęcularibus peculiare videtur, ut in eis verificare non oporteat tria requisita Constitutionis Gregorii XIII. quæ in Monasteriorum, seu Domorum, & Ecclesiarum regularium servientibus, ac ministris non professis, & sęcularibus desiderantur, cùm pro locorum, seu Ecclesiarum diversa qualitate diversisque privilegiorum tenoribus, vel receptis minoribus, quamvis more reliqui cleri, & populi sæcularis in privatis domibus per Civitatem, seu locum sparsim vivant, adhuc tamen exemptionibus in casibus non exceptis potiantur; In reliquis autem, ubi speciale indultum, vel antiqua legitima consuetudo, cujus vigore implicitum indultum allegari valeat, seu ejusdem expliciti latior interpretatio sequatur, aliàs non suadeat, à casibus exceptis in Regularibus exemptis, ad sæculare etiam exemptos rectè arguere licet, ex rationis identitate.

106 Datur item in clericis sęcularibus, ac etiam in laicis (pro ditionum tamen, seu Principatuum diversis moribus, ac stylis) quædam accidentalis, seu occasionalis exemptio in aliquibus personis, alicujus muneris, vel servitii ratione, ut (ex. gr.) contingit in spoliorum, aliorumque jurium Cameræ Apostolicæ subcollectoribus, aliisque ministris, & in officialibus, ac ministris Tribunalis Inquisitionis, & in Commissariis Fabricę S. Petri, cum similibus supra in tertia ru-

brica enunciatis; Verùm circa istos, respectu casuum exceptorum, certa, & determinata statui non potest regula, cum ex tenore exemptionum, sive ex diversis diœcesium, ac regionum receptis consuetudinibus, vel stylis in magna parte id pendeat; Quamvis etenim, ut in proximè insinuata Rubrica advertitur, plures desuper habeantur valdè commendabiles, ac justæ provisiones, non semper tamen, vel non omnium respectivè praxis habetur; Ideòque in casuum contingentiis pro eorum qualitate, ac particularibus circumstantiis judicium efformare oportet, illud ex consimilibus casibus retroacto tempore secutis, eorumque determinationibus cum congrua tamen circumstantiarum combinatione, regulando.

107 Prout certam non recipit regulam illa accidentalis exemptio, quæ aliquibus personis, vel etiam Capitulis, & Universitatibus, seu populis, per Papam, sive per istam Congregationem, aliosve Superiores ratione inimicitiarum, seu litis pendentiæ, vel ex alia justa causa concedatur; Multoties etenim praxis docet, ut justa causa accedente, non solùm personæ particulares, vel etiam universus clerus, & populus alicujus loci ab Ordinarii jurisdictione eximatur, atque alteri viciniori provisionaliter subjiciatur, seu committatur; Id etenim pariter pendet ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, ex quibus regulandum est prudens Sacr. Congregationis arbitrium, nedum ex juris scripti regulis, sed etiam ex legibus prudentialibus, ideòque in singulis casibus pariter pro eorum speciali qualitate arbitrium regulandum est, aliquam recipiendo normam a retroactis similibus provisionibus, vel determinationibus, non autem ut quod in uno casu factum esse constet, in quocunque alio præcisè faciendum sit, attendendo Sac. Congregationis declarationes, vel determinationes in sola litera pro regula generali, ut quandoque erroneè fieri praxis docet.

108 Respectu verò non exemptorum, distinguendo controversias, quæ habeantur cum clericis, ac aliis personis indubitatè ecclesiasticis, quæ sub nomine cleri veniant, cum illis quæ habeantur cum sæcularibus venientibus sub nomine populi; Quatenùs ad primam speciem pertinet, extra controversiam, regula generalis Ordinario assistit super plena, & omnimoda jurisdictione in suæ diœcesis clericos, aliasque ecclesiasticas personas, alicujus exemptionis privilegio non munitas; *e* Nullæque, vel nimiùm raræ videntur hujus regulæ limitationes, illis exceptis, quæ ratione suspicionis, vel alterius justæ recusationis resultent. *f*

Ut præsertim pro frequentiori contingentia praxis docet
109 in illis causis, in quibus Ordinarius, vel alter Superior de proprio interesse agat, atque colligitans dici valeat; Idque, non solum ubi interesse privatum sit, sed etiamsi jus Mensæ, unde propterea causæ bonus, vel malus eventus aliquam ipsius Ordinarii utilitatem, vel respectivè damnum concernat; Quamvis etenim regula sit, ut Episcopus, vel alter Prælatus etiam in causa propriæ Mensæ competens existat, adeout non accedente recusatione validè procedat, neque exinde nullitas ex defectu jurisdictionis prætendi valeat; Attamen juxta magis communem, ac receptam opinionem, recusari potest, atque recusatus abstinere debet. *g*

Vel nisi ordo judicii ita exigat, quia nempe per appellationem causa ad Metropolitanum, vel alium appellationis Judicem legitimè devoluta sit.

Aut quod alter forus magis competens eamdem causam trahat, juxta superiùs insinuata in quinta Rubrica; Id autem non jurisdictionis, & potestatis habitualis, ac in genere, sed potiùs majoris, vel minoris competentiæ, seu ordinis judicii materiam percutit.

Respectu verò laicorum, impossibile est, certam statuere
110 regulam, cuicunque casui applicabilem, nisi ex causæ qualitate ita generaliter, ac ubique apud Catholicos Canonum præceptis obedientes pura privativa jurisdictio ecclesiastica intret, in causis merè spiritualibus, in quibus de ipsa spiritualitate principaliter agatur, ut præsertim pro frequentiori cõtingentia practicari potest in causis matrimonialibus, tam ubi de jam contracti matrimonii validitate agatur, quàm ubi de contrahendi libertate, seu forma; Aut etiam de tori formali separatione principalis quæstio sit, sive de similibus causis, quibus spiritualium nomen, & qualitas cõgruit; Quamvis in istis quoque pro diversis regionum, seu principatuum legibus, vel stylis, in iis, quæ meram temporalitatem concernunt, citrà post spiritualitatis cognitionem, sæcularis potestas manus saltem provisionales quandoque apponere soleat; Ideoque desuper certa regula pariter

statui non potest, cùm ex singulorum casuum quali- 111
tate, & circumstantiis, præsertim verò ex regionum, seu locorum legibus, vel moribus, in magna parte id pendeat, ac propterea integer locus veritati relinquitur.

In causis autem mixti fori, in quibus pro Regula generali jurisdictio etiam in laicos Ordinario, vel Diœcesano tribuitur, in aliquibus ditionibus ex Apostolicis indultis explicitis, seu veriùs implicitè ex antiqua consuetudine, vel præscriptione deductis, id non conceditur, ideoque certam regulam ubique non recipit.

Generaliter autem inter locorum Ordinarios, & subditos, sive Clerici, sive Laici sint, quæstiones esse solent, non super substantia jurisdictionis, ac superioritatis, sed super loco, ac modo, quia nempè aliqua diœcesis pars, sive aliquis locus prætendat, ut incolæ, vel subditi extrà proprios fines trahi non valeant, ibique per ipsummet Episcopum, vel Prælatum, vel per particularem Vicarium, seu Officialem judicari debeant; Sive quod Episcopus, vel Prælatus in certo loco, nempè in Civitate, ubi sita est Cathedralis, residentiam facere, ac Tribunal erectum habere debeat, impugnando potestatem trahendi subditos ad alium locum diœcesis.

In his autem Regula Generalis Episcopo, vel Ordinario Prælato assistit, ut in quacunque diœcesis parte residentiam facere, ac Tribunal erigere valeat, ibique subditos cognoscere, eorumque causas tractare. *h*

Licèt enim Episcopus pro majori parte anni regulariter
in Ecclesia Cathedrali residere debeat, ibique Tribunal ere- 112
ctum habere; Attamen hæc Regula operativa quidem est, ut subditi hanc Sac. Congregationem, seu illam Concilii, aliosque Superiores adire valeant, ut illum ad residendum cogant, quod diversimodè pro locorum qualitate, & commoditate, seu retroacta observantia, vel aliis justis causis accedentibus demandari solet; Ut plurimum tamen ad Concilii Trident. præscriptum demandando præcisam residentiam in Cathedrali in quibusdam anni temporibus, præsertim Adventus, & Quadragesimæ, ac in aliquibus majoribus solemnitatibus; *i* Non per hoc tamen subditis licitum redditur sibi ipsis jus dicere, atque Ordinarii convocationibus, & præceptis non parere, ex eo quòd in Cathedrali, seu in alio consueto loco non resideat, sed alibi Tribunal erectum habeat, dummodò tamen illud intrà diœcesim sit, secùs autem si extra. *k*

Idque non solùm, ubi unica sit Ecclesia, unicave diœ- 113
cesis, sed etiam ubi duæ, vel plures, perpetuò tamen Apostolica authoritate quamvis æquè principaliter unitæ, quoniam non per hoc duo, vel plura Tribunalia cum duobus, vel pluribus Vicariis Generalibus, aliisque officialibus habere tenetur; Licèt enim Ecclesiæ, ac diœceses æquè principaliter unitæ pro duabus omninò distinctis habeantur, atque earum quælibet proprios distinctos retineat fines, propriaque jura & privilegia, perindè ac si unio non adesset; Adhuc tamen, cùm Episcopi, vel Prælati persona unica sit, ac naturaliter individua, quoad eum, atque ad hunc effectum ambos, vel plures pro unica habentur, ut in qualibet unius, vel alterius diœcesis parte residere valeat, ac Tribunal erectum habere. *l*

Nisi Apostolicæ provisiones, vel antiqua consuetu- 114
do, quæ jus facultativum excludat, aliter statuant; Multò igitur minùs per ejusdem diœcesis loca particularia, vel partem aliquam, id prætendi potest.

Nisi agatur de causis brevioribus, quibus congruit, ut per localem Superiorem, cui Vicarii foranei nomen datur, in loco cognoscantur, cùm earum qualitas incommodum adeundi Tribunal non patiatur.

Ejusdem verò diœcesis, vel plurium simul unitarum amplitudo, vel qualitas, ex qua itineris asperitas, vel nimia incommoditas resultet, discretum arbitrium regulare debet super præfinitionem causarum breviorum, quarum uniformis regula, seu taxa imprudenter per aliquos Doctores, seu veriùs Collectores tribuitur, cùm ex locorum vicinitate, vel distantia, ac itineris facilitate, vel asperitate respectivè, aliisque circumstantiis id regulandum sit. *m*

Ex eadem diœcesis amplitudine, ac itineris asperitate ex
qua difficile redditur, nimiùmque incommodum Pasto- 115
ri oves statutis temporibus visitare, ac recognoscere, ipsisque ovibus Pastorem adire, resultare solent controversiæ inter Episcopum, & subditos super alicujus partis diœcesis dismembratione, novæque Cathedræ erectione, de quo tamen ad hanc Sac. Congregationem agere non pertinet, sed ad Concistorialem; Atque pariter certa, & determinata Regula generalis cuicunque casui applicabilis desuper sta-

tui

qui non potest, quoniam licèt hæc justa causa censeatur id agendi, plura tamen requisita ad id desiderantur, ea præsertim, ut antiquæ Ecclesiæ dignitas non vilescat, ac etiam novam convenientem quodque dignitatem sortiri, & conservare valeat, quod pro regionum moribus regulam recipit, cùm in una regione, præsertim in Italia, non dedeceat dioeceses exiguas esse, atque Ecclesias Cathedrales breves fines habere, in aliis autem regionibus, præsertim ultra montes, diversa sit praxis, adeo illi fines, qui in Italia magnam etiam metropoliticam provinciam constituunt, ubi vix exiguam faciant dioecesim Ecclesiæ suffraganeæ, ideoque ex facti qualitate arbitrium regulandum est. *m*

116 Cum eadem proportione, seu comparativè, Episcopi, aut Ordinarii arbitrium ad mentem sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, regulandum est circa uniones, vel respectivè novas erectiones, ac dismembrationes Parochiarum, cùm super his populorum, vel clericorum clamores adversus Episcopos, vel Ordinarios, in ista, magis verò in altera Concilii Congregatione, & quandoque etiam in Rota, aliisque Tribunalibus, audiri soleant, quia nempè in casu unionis plurium Ecclesiarum Parochialium, ille clerus, & populus, qui sit Ecclesiæ quodammodo inferioris, quæ propterea, sive de jure, sive de facto, sive de utroque simul, alterius, quæ majorem figuram faciat, subdita efficiatur, id ægrè ferre soleat.

Sive quod una parte populi, & cleri magis remota majusque incommodum sentiente novæ Parochiæ erectionem petente, altera pars ægrè ferat dismembrationem, utpotè diminutivam dignitatis Ecclesiæ, eodem modo quo capitulum Cathedralis, ac Civitas dismembrationem dioecesis ut supra ægrè ferendo, dismembrationi, novæque erectioni se opponere solet.

Id etenim pariter certam, ac determinatam regulam non recipit, sed Ordinarii prudentiæ, ac arbitrio remissum est, quod tamen liberum non est, sed à justa causa necessitatis populi comprobatum; Cùm etenim divisio, vel dismembratio hujusmodi speciem prohibitæ alienationis sapiat; Ideo circà ultra solemnitates à jure præscriptas, quæ in consensu Rectoris, & populi consistunt, justa quoque causa copulativè necessaria est, ubi scilicet commodè curæ, & administrationi sacramentorum aliàs consultum esse non possit, sive ubi ob populi scissuram, ut scandalis, & inconvenientibus occurratur ita providere oporteat, vel congruat, aut quod ob multitudinem populi, atque ob emolumentorum, ac proventuum exuberantiam, utraque Ecclesia in sua opportuna majestate remaneat, cum similibus circumstantiis justam causam redolentibus; Secus autem ubi sola territorii amplitudo, seu itineris asperitas in aliqua anni parte, vel alterius incommoditatis ratio urgeat, alia verò requisita non verificentur; Tunc etenim ad unius, vel plurium provisionalium, seu adjutricem Ecclesiarum destinationem, seu Vicariorum, ac adjutorum superadditionem juxta indigentiam, absque formalitate dismembrationis, novæque erectionis, deveniendum est.

Ea verò divisio Ecclesiarum Parochialium ex Conc. Trid. præscripto commendabilis potiùs est, atq; prohibitam alienationem non redolet, ideòque dicta requisita non desiderat, ubi scilicet divisio solùm exercitium curæ, solosve fines, vel populum percutiat, istarum Ecclesiarum jure, ac substantia non immutatis, quia nempè justa aliquarum regionum, præsertim Apuliæ antiquos mores, plures Ecclesiæ Parochiales sociativo quodam jure totum territorium possideant, omniq; populo absque finium distinctione sacramenta ministrent; Id etenim parùm commendabile est, cùm ita oves proprium, ac certum non agnoscant pastorem, ideòque populi, ac finium divisio laudabilis est, atque per Episcopum, seu Ordinarium loci, quando ratio scandali in contrarium non urgeat, facienda est. *o*

117 Ex eadem quoque ratione, ad ejusdem Concil. Trid. & Constitutionum Apostolicarum præscriptum, pluribus quoque Sac. Congregationis decretis ita præcipientibus, ubi totius populi, vel alicujus partis cura ratione unionis, vel antiquæ consuetudinis; Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ Capitulo, seu alteri Regularium, aut Sæcularium clericorum universitati incumbat, non laudatur, ut cura penès omnes Canonicos, vel clericos existat, ac promiscuè exerceatur, sed ut unus, vel plures certi vicarii deputentur, ex eadem ratione, ut oves proprium, ac certum agnoscant pastorem, isteque vicissim cognoscat sibi commissas oves, proco vero, ac proprio Parochiali jure, quod in promiscua, seu vicissitudinaria necessitate consistere dicitur, ut scilicet functiones præcisè Parochiales ille clericus populo ministrare, & è converso populus ab eo suscipere cogatur; Laudetur in aliis Canonicis, & Clericis illa sacramentorum, ac divinorum ministratione, quæ ex majori pietate, sive pro Parochi adjutorio fiat. *p*

Dioecesis visitatio quoque controversias inter Episcopum, vel Ordinarium, & Clerum, ac populum respectivè parere solet; Vel quia Ordinario eam negligente singulis annis facere ad Conc. Trid. præscriptum, illa petatur; Vel (& frequentiùs,) quia præter necessitatem eam Episcopus, vel Prælatus nimium frequentare studeat, ex sola ratione exigendi procurationem, cujus prohibitio quamvis enixè a Concil. Trid. facta sit, penè idealis, ac sine effectu de facto remanere videtur; Sive, ut occasione revidendi rationes administrationum hospitalium, & confraternitatum, aliorumque piorum locorum ad Concil. Trident. præscriptum, salarium, vel aliud emolumentum obtineatur, quamvis id quoque prohibitum sit; Aut quod bullarum, aliorumque titulorum, beneficiorum, & capellaniarum recognitio Cancellariæ lucrum producat, quamvis pariter sit prohibitum, sed prohibitio sine effectu remaneat; Vel demùm, quod ob indiscretas expensas victualium, & viaticorum, quas ex eodem Concilio exigere licet, neglecta moderatione ab eo demandata, Clerici, & Ecclesiæ, se pia loca graventur, unde propterea compositiones, ac extorsiones pati cogantur; Plerisque Prælatis hoc visitandi munus, industriæ, ac turpis lucri gratia, utinam non frequenter, exercentibus. 118

Quamvis etenim ab eodem Concilio singulis annis universæ dioecesis visitatio, ac peragratio quò magis per se ipsum fieri potest, vel saltem per vicarium, seu alium officialem demandetur, atque pluries per Sac. Congregationem Concilii, vel Episcoporum, declaratum fuerit Conciliare decretum non esse unicæ annalis visitationis arctativum, neque Episcopum, seu Prælatum prohiberi, quo minus justa causa exigente, pro ejus arbitrio pluries hanc peragrationem, ac visitationem facere valeat; Attamen è converso, visitationis onus singulis annis injunctum ita non est, ut præcisam inducat necessitatem, quoniam ubi præsertim de exiguis dioecesibus agatur, quæ quodammodo singulis diebus, vel mensibus ab Episcopo visitari videntur, nulla exigit necessitas hanc formalitatem visitationis pro dicto solo fine industriæ, ac lucri frequentes repetere, prædicto anni termino ita demonstrativè potiùs, quàm taxativè statuto; Ita tamen ut discretè atque pro pastoralis officii zelo opportunè exerceatur, ut scilicet morbosæ oves recognoscantur, & curentur, sive an eisdem ovibus per inferiores pastores, vel custodes divina pascua benè ministrentur, necne, atque abusuum introductio impediatur, non autem ex solo fine colligendi statutis temporibus à grege lanæ, ac lactis proventum, parùm in reliquis curando, an morbosæ, seu validæ sint oves, vel an bona, seu mala pascua habeant, quod utinam quandoque praxis non doceret; Adeout aliqui SS. PP. majora declamare soleant præjudicia, quæ per malos Ecclesiasticos, malosque pastores inferuntur, quàm ea, quæ ab infidelibus, vel hæreticis, cùm his faciliùs occursi possit. *q*

Licèt enim summa sit hujus Sacræ Congregationis Episcoporum, ac alterius Concilii ipsiusque Summi Pontificis, ac aliorum ejus ministrorum vigilantia, atque subditis recurrentibus opportunè provideri soleat, ipsis Episcopis, vel Prælatis strictè præcipiendo, ut ab his abstineant, atque indebitè exacta restituant, frequenter etiam jurisdictionem suspendendo, vel interdicendo cum Vicarii Apostolici deputatione, & quandoque ad Urbem evocando, imò in carcere qui dignitati sit congruus, in aliquo scilicet Urbis Monasterio, detrudendo, ac etiam ad alicujus depositionem procedendo, sive in pœnam, à majori, ac nobiliori Ecclesia, ad aliam inferiorem transferendo, (ut è converso in casu emerentiæ ejusdem translationis usus ad alios alliciendum fortè commendabilis esset;) Attamen ob distantiam locorum, vel ob subditorum infimam conditionem, aliosque majorum malorum timores, sive majores sumptus, quos desuper pati oportet, non de facili cum hac medicina malo occurri viderur, potissimè quia clamores, ac recursus frequentes indebitos, & calumniosos à malis potiùs, quàm à bonis adversùs zelantes Prælatos praxis quandoque docet; ideoque in Metropolitanarum præsertim Ecclesiarum provisionibus nimiùm accuratè procedendum videretur, in personis scilicet expertæ integritatis, ac peritiæ, ut ita hujusmodi inconvenientibus faciliùs, ac opportuniùs occurri posset. 119

Eadem inconvenientia, ac subditorum oppressiones, & præjudicia, frequens praxis docet, atque exinde clamore,

apud hanc Sacram Congregationem haberi solent, ob indebitam, ac excessivam exactionem illorum jurium Episcopalium, quæ intrà debitam moderationem a Sac. Canonibus, & Conciliis permissa sunt, ut præsertim sunt Cathedraticum, ac subsidium charitativum.

Sive extorsionibus, ac oppressionibus aditum præbere
121 solent ea, quæ pro debito officii benè administrati nimiùm pia, & commendabilia sunt, putà piorum legatorum, aliarumque piarum dispositionum executio per sacros Canones Episcopis, aliisque Prælatis commissa; Sive illa pro decedentibus ab intestato piarum dispositionum pro animæ suffragio suppletio, vel testatio, quæ ex aliquarum regionum, vel diœcesum consuetudine, ac bono, & laudabili instituto, Episcopo, vel alteri Prælato conceditur, cum indiscretè, atque ad proprium lucrum, & emolumentum non absque scandalo quandoque hæc facultas practicari soleat; Quamvis enim ob subditorum clamores, plures desuper Sac. Congregationis prodierint provisiones, tam circa debitam moderationem ad verisimilis defuncti voluntatis limites, ejusque virium, ac familiæ mensuram, quàm etiam ne quidquam ad Episcopi, suorumque utilitatem erogetur, adhuc tamen praxis de facto contrarium docet, ideòque sanctius esset, ut indefinitè id prohiberetur ad elidendam radicem, seu tollendam occasionem hujusmodi malorum. r

Ipsimet actus spirituales, ut præsertim est collatio ordinum, justos subditorum clamores, ac recursus parere solent;
122 Vel scilicet ipsorum clericorum ordines petentium, vel recipientium, Quia nempè arctatis, aut aliàs justè eos petentibus absque causa denegentur; Vel quia pro eorum collatione, sub nomine emolumentorum cancellarii pro justificatione legitimorum natalium, ac sufficientia patrimonii, aliorumque requisitorum, non modicæ fieri soleant extorsiones contra expressam prohibitionem S. C. T. s

Cùm Cathedralis, vel collegiatę, seu Parochialis Ecclesię Capitulis, vel Cleris, aut Rectoribus quæstiones oriri solent super ejusdem ordinati adscriptione illius Ecclesiæ servitio, cùm in plerisque partibus vigeant statuta, seu consuetudines, ut in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, seu Parochialibus non numeratis, ac receptitiis, omniū civium, qui juxta diversos loquendi usus præsertim Hispaniæ, naturales seu patrimoniales dici solent, non recipiantur nisi ii, qui certas habeant qualitates ab ipso capitulo, seu, collegio vel Congregatione examinandas, & approbādas, unde propterea prætenditur haberi, quod Episcopus, vel Prælatus clericare, seu alias ordinare non possit, nisi personas prius ita approbatas, & receptas; Id autem nullam habet subsistentiam quoad facultatem ordinandi, ac etiam ordinatos Ecclesiæ servitio adscribendi pro implemento requisitorum Concil. Trid. in clericis primæ tonsuræ, cum dictæ consuetudines, vel statuta rectè compatibilia remaneant, ad effectum scilicet receptionis, seu adscriptionis pro participatione massæ communis, ac pro aliis prærogativis, quibus potiuntur illi, qui de Collegio, vel de Congregatione sunt, cum id ordinandi potestatem coarctare non debeat. t

123 Majores autem clamores super ista materia collationis ordinum sunt illi Communitatum laicalium, quæ nimium indiscrete ita per Episcopos, aliosque Prælatos gravari solent, cum facili manuum impositione, seu concessione primæ tonsuræ, quæ frequentius pro fraudandis publicis oneribus, eorumque franchitiis, at etiam pro effugiendo forum laicalem, ut ita major vivendi licentia habeantur, quam pro Dei servitio, ac vitæ spiritualis desiderio, accipi solet, ut etiam advertitur in disc. seq. pro Congregatione Immunitatis, idcòque valdè commendabiliter, (ut supra insinuatum est,) hæc Sac. Congregatio inhibere solet aliquibus Episcopis, aliisque Prælatis locorum, in quibus iste dignoscatur abusus, ne primam tonsuram conferant, ipsa Sac. Congregatione inconsulta.

De his etenim, vel similibus provisionibus, indebitè con-
125 queruntur Episcopi, & Ordinarii locorum, sive ignarum vulgus obloquitur, quasi quod ita paulatim sit Episcoporum potestatem annichilare, quoniam de se ipsis potiùs cōqueri debent, quod eorum potestate abutantur, neque advertant ad ea, de quibus ipsos benè admonet Cardinalis Bellarminus in ejus opusculo super impositione manuum, cui titulus est, *admonitio ad nepotem* Episcopum Theanensem, idcòque in aliquibus partibus commendabilius videretur, ut Sac. Congregatio facilius, ac frequentius istas daret monitiones, vel inhibitiones.

126 In casu autem converso, ad eamdem Sac. Congregationem, haberi solent recursus per eos, qui clericalem ordinem suscipere cupiunt; Episcopi autem negant, quoniam ut dictum est; Aut agitur de aliis ordinibus majoribus, ad quos promoveri petant illi, qui jam in statu clericali sint, & tunc, ubi prævia Episcopi informatione (pro inconcusso stylo semper expectanda) constet, quod nulla adsit justa denegationis causa, Sac. Congreg. quandoque id præcipere solet, præsertim ubi agatur de arctatis: Ubi verò agitur de merè sæcularibus, qui primam tonsuram petant, tunc etiamsi nulla assignetur denegandi causa specialis, adhuc reputatur justa, & sufficiens prædicta ratio generalis, ut parcè in hoc procedendum sit, ob Communitatum præjudicia, & Magistratuum laicalium querelas, ac etiam ob scandala, & præjudicia totius ordinis clericalis, quæ ex clericorum numero oriuntur, cùm non videatur, quæ ita de facili clericandi necessitas subsit in pueris via ætatem annorū septem attingentibus, de quorum moribus, & animo, an scilicet vitam clericalem assumpturi sint necne, incerti sumus; Ideòque sancta res esset, si desuper fieret ea generalis provisio, quæ facta est super introductione puellarum sæcularium in Monasteriis monialium educationis gratia; Nisi particulares facti circumstantiæ probarent, quod injusta, & animosa esset denegatio, vel illius scilicet, qui in provecta ætate ad sacerdotium habili, verè pro ejusdem sacerdotii desiderio, ac Dei spiritu, id petat, vel ubi secuta sit, seu immineat vacatio alicujus beneficii, vel capellaniæ de jurepatronatus ejus majorum, vel conjunctorum, unde propterea denegatio sequi posset ex malignitate, seu ex affectatione aspirantium ad idem beneficium, seu capellaniam. u

Hinc propterea, pro ea experientia, quam penè in adole- 127
scentia, ante accessum ad Curiam, mihi dedit regimen diœcesis propriæ patriæ, per quatuor, vel quinque annos in munere prius Vicarii Capitularis, & deinde Generalis, ac etiam prius in aliquibus muneribus laicalibus, quorum occasione agnovi magna Communitatum præjudicia, ad tria cogitabam, in quibus opportunæ provisiones essent congruæ; Primò nempè, quod illi clerici in minoribus qui ad ætatem sacerdotio habilem pervenerunt, atque idonei absque justa causa negligunt, illum, aliosque sacros ordines suscipere, vel quod id explere nō possint ob illiteratutam, seu aliud impedimētum, vel habitu, & tonsura clericali priventur, ac laici reputentur, vel saltem reducantur ad statum clericorum cōjugatorum, qui, ut (advertitur in alio discursu Immunitatis) Communitatibus non sunt adeò graves; Imò forsan laudabilius esset generaliter clericis in minoribus denegare exemptionem onerum laicalium, eodem modo quo conjugatis denegatur; Itaq; esset optima medicina, non solum pro evitandis fraudibus, ac præjudiciis Communitatum, sed etiam pro evitandis tot scandalis, & inconvenientibus, cum præjudicio totius status, vel ordinis clericalis, quæ in dies experimur ob copiam clericorum in minoribus.

Secundò, ut tam pro consolatione parentum, qui cupiunt filios dirigere per viam Ecclesiasticam, quam etiam pro servitio Ecclesiarum in Divinis, pueris concederetur solum licentia assumendi habitum clericalem, cujus ratione aliqua tantùm concederentur privilegia, quibus potiri solent illæ domus, in quibus aliquis clericus adsit, puta circa hospitationes militum, sive respectu ipsorum, qui habitum deferunt, & Ecclesiæ inserviunt circa munera sordida, & merè personalia, atque ita occasione servitii Ecclesię eorum fiat experimentum, neque tonsura conferatur, nisi postquam ita benè probati sacrorum ordinum susceptioni proximi sint; Atque si Deus ad hoc munus Episcopale me vocasset, (quod tamen secutum non esse eidem gratias ago,) ita utique practicassem.

Et tertiò, ut ad populi proportionem certus numerus præfigeretur, cum pro Italiæ calamitatibus, istę provisiones necessariæ videantur, dum in nimium excessum iste abusus crevisse videtur; Super his tamen totum superiorum judicio, ac prudentiæ cum veritatis integro loco relinquerunt.

De plerisque aliis, tam inter Episcopos, & clericos, aliosque subditos, quam cum Capitulis, & Communitatibus, sive inter ipsamet corpora, seu personas, in ista Congregatione Episcoporum, vel in altera Concilii frequenter agi solet, & præsertim circa applicationem pœnarum, & mulctarum, sive circa deputationem Vicarii Generalis, ut esse 128
debeat Doctor, ac non diœcesanus, frequentiùs verò cùm Communitatibus laicalibus circa electionem concionatoris, ejusque mercedem, vel alimenta; Sive circa visitationes, ac administrationes, & rationum redditiones hospitalium, aliorumque piorum locorum laicalium.

Frequentes item sunt quęstiones circa ea, quę concernunt potestatem Capituli, & administrationem Ecclesiæ sede vacante, vel plena, & impedita, de quibus actum est sub sede

retum

terum Capitularium. x Et de aliis, quæ in hoc discursu omissa sunt, vel incidenter habentur in *disc. seq.* negotiorum
129 Sac. Congregationis Immunitatis, vel magis in altera Sac. Congreg. Concilii, occasione agendi de ejusdem Concilii decretis super rebus forensibus, ac practicabilibus, ubi plura ex iis, quæ in isto, ac prædictis aliis discursibus continentur, repetere, vel saltem remissivè insinuare oportet. z

e de ista regula, d. disc. 1. de jurisd. cum ibi allegatis.
f eod. tit. de jurisd. disc. 46. & seq. & sub tit. de judiciis.
g ibid. h *tit. de jurisd. disc...... cum duobus seq.*
i dicto tit. de jurisd. disc. 24.
l locis proximè citat. disc. 23. & 24. de jurisd. & tit. de præminent. disc. 7. m *dicto disc. 22. de jurisd.*
n *tit. de præminent. disc. 6.* o *tit. de Paroch. disc. 33. cum seqq. & in annot. ad S.C.T.* p *dicto tit. de Paroch. pluries, & tit. de benef. disc. 55.* q *in annotat. ad S.C.T.*
r *tit. de testament. disc. 24.*
f *in annotat. ad S.C.T.* t *tit. de Canonic. & Capitul. disc. 18. cum pluribus seqq.* u *hoc eod. lib. tit. Miscell. disc. 25.* x *sub tit. de Canon. & Capitul. disc. 24 cum duobus seqq. & in annot. ad S.C.T. sess. 24. de reform. cap. 16.* z *in annot. ad S.C.T.*

ANNOT. AD DISC. I. & II.

PRæfati discursus utpotè generales, & instructivi nulla indigent suppletione, plutaque postmodùm præsertim quoad concernentia immunitatem addita fuerunt in summa, sive compendio, quod *in hoc tit.* impressum est, ac etiam *in discursibus proximè insinuandis*.

DISCURSUS GENERALIS

Instructivus super iis, quæ triplicem, localem, personalem, & realem immunitatem respicientia, tractari solent in Sacra Congregatione Immunitatis, divisus ut infra.

I.

De Immunitate Ecclesiarum, aliorumque ecclesiasticorum, seu piorum locorum, ut ad ea confugientes tuti sint, *à num. 1. ad 18.*

II.

De immunitate personali clericorum, aliarumque personarum ecclesiasticarum, seu quæ pro ecclesiasticis haberi debent pro exemptione fori laicalis, *à num. 18. ad 29.*

III.

De eadem immunitate personali pro exemptione à legibus, & statutis laicalibus, aliisque edictis, vel provisionibus, *à num. 29. ad 36.*

IV.

De exemptione reali clericorum, & personarum Ecclesiasticarum, ac aliarum, quæ pro talibus haberi debeant, à gabellis, & tributis, seu contributionibus, aliisque laicalibus oneribus, *à num. 36. ad finem.*

SUMMARIUM.

I.

1 *DE erectione Sacræ Congregationis Immunitatis.*
2 *De quæstionibus in ea disputari solitis.*
3 *Immunitas Ecclesiarum supponitur absoluta.*
4 *Quid disponat Constitutio Greg. XIV.*
5 *De provisionibus quæ capi solent ut occurratur in casibus exceptis.*
6 *De casibus exceptis quomodo debeant verificari.*
7 *Præsertim de casu excepto ob delictum in Ecclesia patratum.*
8 *De proditione.*
9 *Quomodo in materia procedi debeat, an benignè, vel rigorosè.*
10 *Quod inconvenientia quandoque oriantur, quia Prælati non benè se gerant.*
11 *De eodem ut rigorosè procedi debeat contra delinquentes.*
12 *De praxi Gregorianæ Constitutionis in casibus exceptis.*
13 *Ad Episcopum pertinet agere de immunitate, & cognoscere casus exceptos, etiam in locis exemptis, imò Nullius.*
14 *Ideòque malè Regulares exempti in hoc Episcopo se opponunt.*
15 *Quæ sint loca immunia.*
16 *De prudentibus provisionibus Sac. Congregationis super demolitione Ecclesiarum, & aliis.*
17 *An sit standum processui judicis laici?*

II.

18 & 19 *Quomodo decidantur causæ remissionis clericorum ad forum ecclesiasticum.*
20 *De probatione clericatus ejusque requisitis.*
21 *De Clericis conjugatis.*
22 *De salvaticis.*
23 *De Clericis græcis, seu orientalibus.*
24 *De Regularibus, & præsertim novitiis, & oblatis.*
25 *Quid de mulieribus viventibus more monialium.*
26 *De professoribus militiarum.*
27 *De confraternitatibus laicorum.*
28 *Quando bona Ecclesiasticorum subjaceant foro laicali in causis civilibus in dicto foro introductis, seu alias.*

III.

29 *Paria sunt forum sortiri, & legibus ligari, ideoque exempti à foro laicali, sunt exempti à statutis.*
30 *Quid ubi leges respiciant bonum publicum.*
31 *De eodem, & quomodo in hoc Prælati se gerere debeant.*
32 *Quare contentiones cum sæcularibus, in hoc habeantur?*
33 *De statutis laicalibus attendendis in successionibus, vel contractibus cum Ecclesiasticis.*
34 *Quid ubi ipsi clerici legibus laicalibus uti velint.*
35 *Litigante clerico quale jus attendi debeat.*

IV.

36 *De exemptione clericorum in eorum bonis à gabellis, & oneribus laicalibus.*
37 *Ut ea non competat clerico mercatori, & quæ sit mercatura.*
38 *De limitibus regulæ, de qua num. 36.*
39 *De quibus in præsenti agatur.*
40 *De bonis emptis, & donatis à laicis.*
41 *An consuetudini in hoc sit deferendum.*
42 *An clerici teneantur ad contributionem pro expensis publicis ad eorum etiam utilitatem, vel necessitatem?*
43 *De requisitis pro ista contributione.*
44 *Neque volentes clerici possent oneribus laicalibus se subjicere.*
45 *De dictis requisitis, & quæ per superiores suppleantur.*
46 *An & quando exemptio Ecclesiasticorum communicetur laicis colonis, vel emptoribus bonorum?*
47 *Quæ regula tenenda sit in Ecclesiasticorum immunitate reali.*
48 *De mercatura clericis prohibita.*
49 *De modo immunitatis in victualibus.*
50 *In quibus Episcopi invigilare debeant.*
51 *De ratione ob quam circumspectè in exemptione clericorum est procedendum.*
52 *De donationibus in fraudem.*
53 *De aliis personis quæ pro Ecclesiasticis habendæ sint.*
54 *De clericis conjugatis.*
55 *De provisione ut occurratur fraudibus, & tamen immunitati non præjudicetur.*
56 *Nulla jurisdictio potestati laicali desuper tribuenda est.*
57 *De materia remissivè.*
58 *De ratione ob quam in materia immunitatis præsertim realis pro laicis potiùs contra Ecclesiasticos concludi videatur.*

DISC. II.

EX eadem scribendi occasione, de qua supra *tit. de Regular. disc. 1.* pro summaria, & aliqua generica cognitione, seu instructione illorum negotiorum, de quibus tractari contingit in Sac. Congregatione ecclesiasticæ Immunitatis de novo erectæ per Urbanum VIII. & quæ prius (forsan cum majori ipsius immunitatis servitio,) non ita clamorosè, sed magis insensibiliter tractabantur per Sac. Congregationem Episcoporum, Regularium negotiis præpositam. 1

Neglectis inutilibus quæstionibus generalibus, super quibus inter Canonistas, & Morales ex una, & Civilistas, seu Laicos ex altera, adeò certari solet, atque vel ad ingenii ostentationem, vel ad æmulationem, seu veriùs ad adulationem, propriamque ambitionem, ita benè merendi, atque gradus, ac dignitatis assequendi potius quàm pro verita- 2

si, ac justitiæ zelo, pleraque exorbitantia hinc inde assumuntur, ac sustinentur, unde propterea potiùs resultant præjudicia illiusmet potestatis, quàm hujusmodi factionarii scriptores indiscretè tueri student; An scilicet Ecclesiarum, aliorumque sacrorum, vel immunium locorum immunitas pro asylo delinquentium, qui ad ea confugiant, sive in eis morentur, sit de jure Divino, vel potiùs positivo, ex quo resultat quantum desuper se extendere valeat Pontificia potestas, sive illa Episcoporum, aliorumque Prælatorum? Ac etiam qualis desuper potestas Principibus, aliisque Magistratibus sæcularibus competat? Sive an Ecclesiæ, aliaque sacra, & ecclesiastica loca, hanc immunitatem habeant in sola ratione privilegii, vel reverentiæ, vel potiùs in ratione territoriali, & sic an dicantur esse, in, vel de territorio Principis sæcularis, vel potiùs redoleant quamdam speciem territorii separati, cum similibus? Super his etenim integer locus veritati relinquitur, totum remittendo judicio S.M. Ecclesiæ, cùm non ad materiæ formalem tractationem, sed pro insinuato fine alicujus instructionis, ac talis qualis genericæ cognitionis eorum, de quibus in praxi magis frequenter agi contingit, sequentia compendiosè insinuentur.

3 Præsupposita itaque tanquam indubitabili, ac absoluta Ecclesiarum, aliorumq; sacrorum locorum immunitate in genere, ut ad ea confugientes tuti sint, sive ex crimine, sive ex ære alieno, licèt sub Judicis potestate aliàs essent; Quamvis apud antiquiores, super Canonum, aliorumque Apostolicorum intelligentia, vel praxi, plures, cum nimia opinionum diversitate, disputentur quæstiones, super casibus, in quibus confugientes ad Ecclesiam, ejus immunitate indigni censendi essent; Sive in casibus etiam non exceptis, super modo confugiendi; Aut in casibus exceptis, super modo seu facultate extrahendi, sive probandi quod confugiens alicujus casus exceptuati reus esset. *a*

4 Omnes tamen hujusmodi quæstiones hodiè sublatæ videntur per Constitutionem Greg. XIV. in hac materia editam, per quam certi casus in ea expressi exceptuati sunt. *b*

5 Unde propterea juxta magis probabilem, atque à Sacra Congregatione receptam opinionem, in reliquis omnibus, per hujusmodi exceptiones, constituta dicitur regula generalis pro immunitatis competentia, quamvis aliàs crimina enormia sint, seu aliàs scandalosa, & Reipublicæ præjudicialia; Sive quod iste asylus aditum præbeat delinquendi facinorosis hominibus, cum similibus ponderationibus, quæ ante dictam Constitutionem per DD. fieri solebant, cum ad hujusmodi, ac similes quæstiones dirimendas, præfata Constitutio prodierit; Undè propterea in præmissis, vel similibus inconvenientibus, juxta opinionem à dicta Sacr. Congregatione receptam, non cessat quidem immunitas, sed opportunæ provisiones pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, ab eadem Sac. Congregatione, ex oraculo etiam Papæ, capi solent, puta generaliter demandando locorum Ordinariis, ac respectivè regularium, seu aliàs exemptarum Ecclesiarum, & domorum Prælatis, ne facinorosos, ac diffamatos homines ibi recipiant, sivè ibi se consuevere permittant.

6 Ac etiam in aliquibus casibus particularibus, ob criminum enormitatem, sive ut futuris scandalis occurratur, permittendo extractionem, atque confugientis detrusionem in temporali, vel perpetuo carcere, sive etiam in triremibus; Ita tamen ut ecclesiasticæ immunitatis præsidium, illum operetur confugientibus proficuum effectum, quod à pœna ordinaria eos præservet, cùm istius praxis permitti non soleat, imò expressè inhiberi; Quamvis etenim sub Clemente Octavo in quodam gravi casu, etiam ad effectum pœnæ ordinariæ jam sententiæ, extractio secuta fuerit, atque immunitati derogatum sit, istudque exemplum per secularium Magistratuum ora, sive per illa Scribentium contra immunitatem favore laicalis potestatis, frequenter volitare soleat, non tamen de facili ejus praxis permittitur, nisi quando fortè tales essent alicujus casus circumstantiæ, ut idem concedendum esset; Ideòque nulla desuper certa generalis regula statui potest, cùm in singulis casibus pro eorum qualitate arbitrium interponendum sit, & consequenter erroneum est cum aliquibus determinationibus particularibus generaliter in omni alio, qui similis videatur, procedere. *c*

7 Hinc propterea, facti potiùs, quàm juris videntur hodiè penè omnes quæstiones in hac materia localis immunitatis cadentes; an scilicet, & quando verificari dicantur casus exceptuati per hanc modernam Apostolicam legem, cum qua proceditur, quando scilicet crimen sapiat veram proditionem, seu verum assassinium, aliudve crimen exceptum, cùm in hoc ecclesiastici scriptores, Canonistæ, & Morales, indiscretè magis fortasse, quàm par est, hanc immunitatem zelantes, ejusque favorem nimiùm ampliantes, adeò subtiliter casuum exceptorum verificationem desiderant, ut ferè nunquam eorum verificatio, juxta ipsorum sensum detur; Id autem videtur parum probabile, cùm pro meo sensu, Reipublicæ intersit favore publicæ quietis, publicique boni, benignè potiùs agere, atque opiniones rigorosas contra confugientes potiùs amplectendas congruum videtur.

Præsertim circa illum casum exceptum delinquentium in Ecclesia, vel sub ejus clypeo, ita restringere studuerunt, ut penè annichilatus remaneat, quia nempè Constitutio, loquendo de Ecclesia, intelligenda non veniat de illis criminibus, quæ in scholis illius, in portico, atrio, vel in sacristia, vel in campanili, aliisque adjacentibus membris, vel officinis sequantur, quasi quod lex præcisè, ac in literam, in vera, & propria significatione Ecclesiæ, de qua loquitur, intelligenda sit, cùm in ea, non autem in aliis partibus crimen, quod patratur, sacrilegii qualitatem sapiat; Id autem parum probabile videtur, cùm lex non verbis, sed rebus imposita sit, ideòque non verborum formalitas attendi debet, sed substantia veritatis, vel finis & effectus, ob quem legis provisio emanavit; Cùm etenim eadem immunitas, quæ Ecclesiæ competit, hujusmodi adjacentibus membris, vel officinis quoque concedatur, hinc proinde idem est effectus, eademque intrat ratio, quæ non a sacrilegio provenit, sed ab ipsius immunitatis abusu, & ne illa delinquendi occasionem præbeat, seu facilem aditum aperiat; Ideòque iste finis, vel effectus principaliter spectandus videtur, indagando potiùs substantiam voluntatis legislatoris, quam formalitates, seu grammaticales significationes verborum legis. *d* 8

Idemque circa aliorum criminum exceptuatorum verificationem, vel circumstantias, & præsertim ubi agatur de proditione, assassinio, quorum qualitas difficilis est probationis, quoniam ubi præsertim hujusmodi criminum frequentia in regione dignoscatur, unde propterea Reipublicæ, seu publicæ quietis intersit rigorosè cum eis procedere, ut nedum jam patrata scelera puniantur, sed futuris occurratur, ita facinorosos homines coercendo, dum se vident hoc prævio ecclesiasticæ immunitatis præsidio privatos, largè contra delinquentes potiùs in dubio procedendum videtur, non autem amplectendus ecclesiasticorum, præsertim Moralium zelus, ut in dubio pro immunitate respondendũ sit, quoniam in concursu boni publici, & privati, primum est præferendum, atque in dubio pro eo respondendum; Dicta enim benigna interpretatio, ipsam immunitatem non lædit, ut aliqui zelatores credunt, cùm ipsius substantia, seu competentia in genere in nulla quæstione sit, sed quæstio in hujusmodi casibus exceptis favorem privati criminosi potius percutiat, quod ipsorum sacrorum Canonum intentioni, quinimò expressæ dispositioni adversatur. *e* 9

Mordicus igitur, atque cum eo majori, quo fieri potest, zelo per Ecclesiasticos Prælatos ipsa immunitas, in genere tuenda est, & ne laicali potestati concedatur illam spernere, sibique jus dicere, atque cum propria authoritate delinquentes extrahere, ac punire; Sed quando ad ejusdem Constitutionis Gregorianæ præscriptum, ipsa laicalis potestas reverenter (ut decet,) agendo, ab ecclesiastico Superiore, ad quem pertinet, extrahendi licentiam petit ratione criminis excepti, istaque immunitate indigni, tunc, circumspectè ipsi ecclesiastici superiores in hoc procedere debent, non autem criminosos confovere, atque illorum privatum favorem publico bono præferre; Si enim ita Prælati, aliique Ecclesiastici Judices discretè, (ut par est) se gererent, secularium Magistratuum querelæ non audirentur; Ideoque non lex, sed mala observantia legis tot producere solet inconvenientia ipsimet immunitati præjudicialia, adeout loco defensionis, potius læsio, ac præjudicium ipsius immunitatis ita resultare soleat; Talisque est Sacræ Congregationis sensus, sed punctus est in inferiorum Prælatorum, seu Judicum Ecclesiasticorum abusu, severè quandoque puniendo. 10

f. Ut enim fere per lustrum me docuit exercitium hujusmodi Ecclesiasticorum munerum ante accessum ad Curiam, deindeque etiam ipsius Curiæ diuturna praxis, in illis diœcesibus, in quibus Episcopi, eorumque officiales, & ministri illum rectum habent justitiæ zelum, quem habere debent, ut laicis in justitiæ administratione exemplar sint, nullæ audiuntur laicalium Magistratuum querelæ, nullaque sequuntur inconvenientia, quoniam cum finis sit Reipublicæ quies, severè puniendo crimina, non solùm pro ejus, quod jam secutum est, punitione, sed magis, ut id

alios

alios in futurum terreat, atque à criminibus avertat, dummodo idem sequatur effectus, nil refert, an per unam, vel per alteram manum, seu potestatem id fiat; Ideòque partes
11 sedentis in hac Sacra Congregatione Immunitatis, rigorosæ potiùs, quàm benignæ contra delinquentes esse debent, ne aliàs serpentes, aliaque venenata animalia humano generi, aliisque pacificis, & proficuis animalibus inimica, & præjudicialia, confoveantur, ac alantur; Pro casuum tamen qualitate, & circumstantiis, adeò ut ecclesiasticæ immunitatis substantia, vel reverentia non lædatur; Ideòque certa regula generalis cuicunque casui applicabilis desuper statui non potest, sed prudens benèque regulatum arbitrium pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis adhibendum est.

12 Super modo autem, seu praxi, in casibus exceptis; Ante dictam Constitutionem Gregorii, magna pariter erat Doctorum dissensio per eandem constitutionem sopita, ut scilicet laicalis potestas sibi ipsi in hoc jus dicere non valeat, sed ad Episcopum judicare pertineat, capta interim provisione super assecuratione personæ delinquentis, vel in carceribus ipsius Episcopi, quatenus eos tutos habeat, vel in ipsamet Ecclesia, sub custodibus, quos Magistratus sæcularis apponat, sive in ipsismet, utpotè magis tutis carceribus sæcularibus, precario tamen nomine Episcopi, tanquam si essent carceres proprii, juxta facti qualitatem, ad singulorum casuum particulares circumstantias, ex quibus discretè, ac prudenter, Episcopi arbitrium regulari debet, atque, ubi dubitationi sit locus, desuper consuli solet ista S. Congregatio, quæ cum majori prudentia, & maturitate, provisiones demandare solet, discretas quidem, atque justitiæ administrationi, contra delinquentes, potiùs favorabiles, quoties congrua teneatur via, ut laicalis potestas in hoc sibi ipsi propriaque authoritate jus non dicat; Ubi etenim, istud inconveniens cesset, adeò ut ecclesiasticum judicium non contemnatur, sanctius, & commendabilius videtur, ut in dubio, quo magis fieri potest, contra delinquentes arbitrium interponi debeat.

Adeòque Episcopo id commissum est, ut non solùm ista
13 sit ejus privativa jurisdictio in Ecclesiis, vel locis quantumvis amplè exemptis existentibus intra limites suæ diœcesis, quamvis inferior Prælatus ordinariam jurisdictionem ibi quoque habeat; Sed etiam in aliis locis, quæ sint verè Nullius; cum vera, & actuali separatione territorii, adeò ut inferior Prælatus plenam quasi Episcopalem habeat jurisdictionem non solum ordinariam, sed etiam delegatam, juxta species distinctas *disc. præced.* super negotiis Episcoporum, & Prælatorum, quoniam adhuc hujusmodi causarum cognitio delegata est Episcopo viciniori.

Hinc proinde fabulosa est prætensio, quam pro communi
14 vitio habent regulares exempti, & præsertim milites, aliique professores Religionis Sancti Joannis Hierosolymitani, ut ad eos pertineat propriarum Ecclesiarum, vel Commendatarum, seu Domorum immunitatem tueri, atque Episcopi provisionibus, & præceptis non parere sub exemptionis prætextu, quoniam commendabiliter quidem, quoties id citra scandalum practicari potest, ipsam immunitatem tueri possunt, ac debent, donec Episcopus consulatur, sed ubi iste consultus provisiones adhibeat, ad eos non pertinet ulterior cognitio, neque aliæ ipsorum partes remanent.

Non solum autem super casibus exceptis quæstiones ca-
15 dunt, sed etiam super qualitate loci, ad quem delinquens confugerit, an scilicet sit immunis, necne, quoties non agatur de Ecclesia, vel loco indubitatè ecclesiastico, unde propterea super hujusmodi qualitate probabilius dubitandi ratio cadat, ut sunt (ex.gr.) Domus Episcopi, vel Cardinalis, seu alterius Prælati; Ac etiam domus canonicales, seu clericorum, vel religiosorum; Sive sunt cœmeteria, aliæque officinæ ab Ecclesia separatæ, aut sunt atria, & ambitus, vel privata oratoria, sive Ecclesiæ ita dirutæ, & collapsæ, ut profanatæ prætendantur, cum similibus, quorum singulis pro facti speciali qualitate, atque singulorum casuum particularibus circumstantiis decisio innitatur; Ideòque in isto pro generali materiæ instructione compendioso discursu; penè impossibile, sive incongruum videtur omnia distinguere, ac recensere, cùm totum reverà pendeat ex singulorum casuum qualitate, ac potissimùm ex observantia.

16 Retenta tamen pro meo sensu eadem insinuata regula, ut in dubio pro immunitatis exclusione, & pro publico favore respondendum sit, dum praxis docet, quod hæc eadem Sac. Congregatio prudenter mãdavit plures demoliri Ecclesias, sive novas construi inhibuit in locis campestribus, vel alias delinquentium, ac facinorosorum hominum receptuationi expositas, pluresque dedit optimas provisiones, præsertim circa illos regulares exemptos, qui per quamdam anachoreticæ vitæ speciem, extra Civitates, & oppida seu aliàs extra sæcularium habitationem, Ecclesias, & domos, seu Cõventus, & Monasteria habent, ut ab hujusmodi receptuationibus abstineant; Optimaque esset ista medicina quando super hujusmodi provisionum observantia, cum debita charitate, & applicatione justitiæ, Episcopi magis invigilarent, superiores locales quandoque contravenientes severè puniendo, dum in hac materia, etiam cum exemptis ex Gregoriana constitutione jurisdictionem, ac potestatem habent.

Majores autem sæcularium Magistratuum querelæ esse 17
solent super probatione criminum, quæ prætenduntur exceptuata, ut scilicet Episcopus deferre debeat processui desuper eos formato, nō autem ut ipse processum ex integro formare valeat, atque super hoc magna inter laicos, & ecclesiasticos DD. scissura dignoscitur; Quamvis autem apud ecclesiasticos magis recepta sit opinio, ut processui Judicis sæcularis, Episcopus deferre non teneatur, non improbabiles tamen sæcularium querelæ in hoc proposito videntur, quoniam stante præsertim in Italia adeò exiguarum, ac pauperum diœcesum frequentia, unde propterea Ecclesiarum regimen non semper integris, & qualificatis viris commissum est, hinc frequens praxis docet, quod sub prætextu formandi hunc novum processum informativum, ita student delinquentes seu eorum defensores fabricare processum defensivum, atque illum à Curia sæculari jam fabricatum destruere, ideòque circumspectè pro facti qualitate, præsertim verò illa judicum, seu Tribunalium laicalium, ac propterea certa, & determinata regula desuper dari non potest, sed ex singulorum casuum circumstantiis decisio pendet.

Ad plures autem annos post hunc discursum editum, aliquæ prodierunt ab eadem Sacra Congregatione provisiones ex oraculo Papæ approbatæ adhuc tamen non publicatæ, quibus secuta publicatione deferendum erit.

a *de his agunt nimium frequenter atque in copioso numero moderni Canonistæ, & morales pro immunitatis ampliatione, & laici pro restrictione earum; quæ authoritatis notoria sunt etiam non professoribus.* b *in Bullar. inter illas dicti Pontificis constitutiones.* c *de his infrà, disc. 10. cum pluribus seqq.*

II.

De immunitate personali clericorum, aliarumque personarum ecclesiasticarum, seu quæ pro ecclesiasticis haberi debent, pro exemptione à foro laicali.

Non sunt adeò frequentes in hac Sacra Congregatione
controversiæ, quæ hanc speciem immunitatis percu- 18
tiant; quoniam ubi de illis personis agatur, de quarum clericali, seu ecclesiastica qualitate non dubitetur, ut sunt clerici sæculares in sacris, vel etiam in minoribus, aliquod ecclesiasticum beneficium habentes, sive in quibus certa sit verificatio requisitorum Concilii Tridentini, rarò datur casus, ut sæcularis potestas desuper manus apponat, sive quod apponendo remissionem ad suos ecclesiasticos Judices deneget atque de his frequentiùs agi solet coram ipsismet locorum Ordinariis, absque necessitate consulendi hanc S. Congregationem, quæ solum desuper consuli solet, quando de gravioribus agatur negotiis, in quibus supremi, vel majores Magistratus sæculares manus apponant, ex causa status, vel ex alia publica, & gravi causa; Istoque casu cum regulis prudentialibus, atque in forma extrajudiciali potiùs, quàm
cum legalibus propositionibus, & cum forma judiciali com- 19
mendabiliter procedi solet, ita sine strepitu obtinendo id quod concedendum est; Sive quandoque pro locorum moribus, vel rerum contingentiis, ad majora inconvenientia evitanda, aliquid dissimulando, ac rescribendo, ut quilibet propriæ consulat conscientiæ; Unde propterea verum est, ut istæ ac etiam aliæ præcedentem localis immunitatis speciem concernentes, per tramites juris formiter disputentur, atque classicorum Advocatorum opera adhibeatur, cum hujusmodi negotio, illis potiùs congrua sint, quibus Negotia gerentium, seu vulgò Agentium, titulus congruit, juxta illas diversorum Curialium species, quæ in Romanæ Curiæ relatione, ac praxi ennunciantur. F. Ideoque non mirum, si non adeò distincta desuper admonitio, seu instructio dati potest, cùm sint materiæ potiùs extra sphæram.

Majores autem quæstiones, quæ iis præsertim, occasione 20
causarum criminalium contingentibus, super ipsarum personarum exemptione, sive immunitate, cadere videntur

super

super facto potius, quàm super Jure, nempe super probatione clericatus, vel ea etiam in minoribus justificatio, super requisitis à Sac. Concilio Tridentino præscriptis, & coram quo hæc justificatio facienda sit; Quia verò de his agitur in alio discursu instructivo eorum, quæ in foro magis practicabilia disputari contingit super interpretatione Sac. Conc. Tridentini; Idcircò, ne eorundem superflua repetitio fiat, ea, quæ ibi habentur, ad rem congruunt. *g*

21 Super clericis conjugatis, quatenus requisitorum Concilii concursus accedat, disputari quoque solet, ad quas causarum species hæc immunitas, seu fori exemptio extendatur, atque attenta sacrorum Canonum dispositione, planum est ad criminales tantùm restringi.

Apud modernos autem post Tridentini Concilii editionem, quæstio exorta est, an per idem Concilium, antiquorum Canonum dispositio in hoc ampliata sit, ut in civilibus quoque idem procedat, idque varias habet opiniones cum eo distinctionis fœdere conciliari solitas, ut locorum consuetudini, seu receptæ observantiæ deferendum sit, ut in eodem proximè insinuato discursu super iis, quæ ad ejusdem Sacri Concilii materias pertinet, insinuatur.

22 Ibique etiam de illis Ecclesiarum servientibus, qui clerici salvatici vulgò pro aliquarum regionum moribus nuncupantur; Et hæc quoad clericos sæculares juxta frequentiorem usum, juxta ritum latinum cælibes.

23 Ubi verò contingat, ut in pluribus Italiæ partibus praxis docet, clericos orientales, seu ritus græci adesse, ab Ecclesia Latina toleratos, (quatenus schismatis labe infecti non sint) super uxorum, ac filiorum exemptione quæstio cadit, quæ pariter varias habet opiniones cum eodem distinctionis fœdere, ut plurimum conciliari solitas, quòd scilicet observantiæ, ac stylis deferendum sit.

24 Quo verò ad clerum regularem; Ubi de iis agatur, qui prævio anno probationis, solemniter professi sint in aliqua probata Religione, nulla cadit quæstio, cùm extra controversiam sit eorum immunitas a foro laicali, dum verè personæ ecclesiasticæ esse dicuntur.

Quæstione solum cadente in novitiis, in quibus idem pariter magis receptum videtur; Quamvis etenim in eis non verificentur effectus illius mortis civilis, quam solemnis professio in Religione inducit, adeòut sæcularium jure censeantur, pro ecclesiasticis personis tamen ad hunc effectum ex magis vera, & recepta opinione habentur.

Majori difficultate cadente in iis, quibus neque professorum, neque novitiorum qualitas detur, sed in habitu, ac vita aliquod, in toto, vel in parte regulare institutum sequantur, ut sunt Monasteriorum, aliarumque regularium domorum illi servientes, qui vulgò *oblati* dicuntur, sive illi qui in aliquo a sæcularibus diverso habitu, ac vitæ instituto, qui ad regularium instar, extra omnem tamen Religionem, anachoreticã vitam apud aliquam Ecclesiam, vel pium locum ducunt, Atque super his, observantiæ pariter deferendum videtur pro locorũ legibus ac receptis moribus, nec nõ pro causarum, seu negotiorum qualitate, pro qua utriusque fori subjectionem pati solet, ac propterea rectè regula generalis cuicũque casui applicabilis non de facili statui potest.

25 Idemque in illis mulieribus, quæ verè moniales non sint, sed ad monialium instar, vel collegialiter in aliquo conservatorio, seu domo, vel singulariter in propriis domibus cum aliquo monastico habitu, & sub aliquo regulari instituto vivant. *h*

26 In professoribus Militiarum, quæ sub aliquo pio instituto cum Apostolica authoritate erectæ sint, eadem fori quæstio cadere solet, pariter cum eadem observantiæ distinctione probabilius decidenda, quoties de illis Militiis agatur, in quibus formalis, ac solemnis professio regularis cum formali trium votorum emissione non sequatur, ut pariter in eodem regularium discursu advertitur, ac etiam in eo qui aliqua Concilii Tridentini decreta expendit; *i* Ubi de aliis personarum speciebus, præsertim verò de illis personis, quæ verè ecclesiasticæ non sunt, sed aliquod ecclesiasticum, vel pium corpus, vel universitatem constituunt, ut sunt illi, qui adscripti sunt piis confraternitatibus, aliisque ab Ecclesia probatis congregationibus, seu locis, in quibus ecclesiastica, vel pia opera exerceantur. *l*

27 In causis verò civilibus, vel mixtis in quibus laicalis fori exemptio, vel respectivè competentia, non personam, sed bona tantum concernat; Quamvis certa regula sit, ut eadem exemptio, quæ clericorum, ac aliorum ecclesiasticorum personis competit, eorum quoque bonis etiam patrimonialibus, vel alias ex profana, seu temporali causa quæsitis concedatur, ne pro eis, ubi reus est, ad laicalem forum trahi valeant; Attamen in plerisq; casibus, vel ex dispositione juris, vel etiam ex aliquarum regionum, seu Tribunalium stylis, ea limitationem recipit; Ubi scilicet tanquam actor voluntarius pro ejus interesse invitetur ad comparendũ in judicio universali, vel particulari, quòd coram Judice laico pẽdeat; Sive ubi ab eodem laico bona habuerit sub hac lege, & conditione ut ad ejus nutum restituere debeat; Aut ubi judicio jam introducto, ac pendente, immutatio status sequatur, in ipsomet principali, qui laicus medio tempore clericus fiat, seu quod laico moriente, lite pendente clericus succedat; Sive quia bona, quæ in lite sunt, in ejus fraudem à laico alienentur in clericum, cum similibus, in quibus licèt generaliter eadem vigeat regula, ut non nisi ecclesiastici Judicis authoritate etiam super ipsis bonis molestari valeãt; attamen ex aliquibus consuetudinibus, vel stylis Tribunalium; Vel quia ob eorum antiquitatem Apostolicum privilegium præsumendum sit, illudque allegare liceat, Vel quia 28
ex prudentialibus regulis ad majora inconvenientia evitanda hunc abusum tolerare, vel dissimulare congruat, in ipsismet bonis, si jam coram laico præventa fuerint in statu habili, absque aliqua tamen molestia in persona, aliisque bonis propriis, quandoque praxis dictæ regulæ limitationem docet, juxta plures distinctiones, de quibus in meis adnotationibus sub jurisdictionali materia habetur, ideòque certa regula generalis desuper statui non potest. *m*

f lib. 15. de judiciis in relatione, & praxi in rubrica de Advocatis & Procuratoribus. g in annotationibus ad S.C.T. in fine, hoc tit. h tit. de Regul. disc. 1. & 50. & tit. de jurisd. disc. 45. i tit. de Regular. disc. 1. & de jurisd. disc. 92. & in annot. ad S. C. T. l de his confraternitatibus, tit. de jurisd. disc. 42. & seq. & 60. m tit. de jurisd. disc. 94.

III.

De eadem immunitate personali pro exemptione à legibus, ac statutis laicalibus, aliisque edictis, vel provisionibus.

JUris verum, ac receptum principium est, ut paria sint forum sortiri, ac legibus ligari, ideòque ab exemptio- 29
ne, vel immunitate fori, ad illam legum rectè arguere licet, ut clerici, aliæque personæ ecclesiasticæ laicali foro non subjectæ, neque laicalium legum, & statutorum subjectionem sentiant, ubi de municipalibus, seu particularibus legibus agatur. *n*

Quãvis etenim plurium sententia sit, ut ubi leges pro pu-
blico bono editæ sint illi innixæ naturali rationi, quæ absq; 30
personarum distinctione omnes afficere debet, exemptos quoque complectatur; Regulariter tamen ex juris Canonici receptis principiis id non procedit, licèt in aliquibus regionibus, sive ex privilegio Apostolico implicito, vel explicito, sive ex eisdem regulis prudentialibus, ex quibus ut supra advertitur, etiam fori subjectionem tolerare, vel dissimulare quandoque congruit, hæc regula limitationem de facto pati solet, ideòque certa, ac determinata norma pro quocunque casu, & quocunque loco pariter non habetur.

Hinc proindè ecclesiasticorum Prælatorum, ac Judicum
prudentia desuper occurrere debet, ut in iis scilicet, quæ pu- 31
blicum bonum, publicamque utilitatem concernant, atque divini, vel naturalis juris rationem habeant, clerici aliique ecclesiastici, easdem leges servare debeant, non quidem in ratione arctativa, seu directiva, quæ ex ipsa laicali potestate resultet, sed ex eorundem ecclesiasticorum Superiorum consimilibus legibus, & provisionibus, vel ex ea vi directiva, quæ non ipsa lex positiva, sed ejus ratio à jure divino, vel naturali derivata, eos quoque obliget, ut scilicet, (ut par est,) sæcularibus potiùs exemplar sint, eosque ad observantiam eorum, quæ bonum primatiò respiciunt, potiùs invitent, atque ædificationem, non autem scandalum tribuant; Nulla tamen desuper statuta regula, seu forma super hujus moniti praxi, cùm ex insinuatis prudentialibus regulis, pro locorum, seu regionum moribus, ac stylis, circumspectè procedendum sit, dictas prudentiales regulas quandoque adhibendo, atque Canonum rigorem quandoque relaxando, ut locorum, & casuum qualitas exigit. *o*

Benè verùm quòd ubi clerici, & Ecclesiastici benè vivunt, 32
eo modo quo vivere debent, ut sæcularibus, in Christianis præceptis bonisque moribus naturalibus, exemplar sint, atque ædificationem præbeant, quodque Episcopi, aliique Prælati eorũ partes benè expleant, tunc nimium rari sunt casus

in

in quibus hujusmodi audiantur quęstiones, vel resultent in. convenientia ecclesiasticæ immunitati præjudicialia, quæ pro frequentiori contingentia resultare solent, ex ejusdem immunitatis abusu, vel nimium indiscreto, ac excessivo usu; Ideoque ecclesiasticorū Prę:atorum ac Superiorum partes in præservativa magis quàm in curativa ratione haberi debent, ut scilicet Ecclesiastici benè vivant, atq; ch tistianę, & naturalia legis pręcepta observent; Non tamen commendandi videntur laici, qui eorum potestatem cum exemptis exercere satagunt; Verùm super his (ut præmissum est) nulla statuitur regula, vel determinatio, sed solum pro aliqua generica materię cognitione, vel instructione id insinuatur in sola ratio discursiva, relinquendo locum veritati, dum pro singulis loci, vel casibus ex particularibus contingentiis, vel circumstantiis, non solùm juridicè, sed etiam cum prudentiæ, se congruentiæ legibus procedere hæc Sacra Congregatio prudentissimè solet.

33 In causis verò privatis contentiosis civilibus, quæ inter privatos, coram ordinariis Judicibus potiùs, quàm in Sacra Congregatione peraguntur, frequenter de hac exemptione Ecclesiasticorum à laicalibus legibus agi contingit, potissimum verò super intestatis successionibus ob frequentiam legum, & statutorum, præsertim in Italia super fœminarum, vel cognatorum exclusione favore masculorum, vel agnatorum, an clericos sæculares, vel regulares, seu moniales afficiant. *y*

Sive an etiam inter laicos, clerici defuncti successivo, juxta laicalia statuta, vel potiùs secundùm ordinem juris communis regulari debeat. *z*

Aut in contractibus, qui per laicos statuto subditos cum clericis, aliisque ecclesiasticis fiunt an solemnitates à statutis ac legibus laicalibus præscriptæ servari debeant. *a*

34 Vel an ipsimet clerici, & exempti eisdem legibus laicalibus ad eorum favorem in privilegiativa ratione uti valeant, cum similibus quæstionibus, de quibus occasione particularium forensium quæstionum in meis annotationibus juxta suas respectivè materias actum habetur. *b*

35 Ut etenim tam circa Statuta, & leges particulares, quàm etiam circa ipsum Jus commune civile, sub judiciali materia habentur plures distinctiones, an, & quandu clericus qui cum laico in foro laicali litem habeat, tam circa ordinatoria, quàm etiam circa decisoria, laicales leges servare teneatur, eisque affectus maneat; *c* Ideoque non de facili certa regula generalis cuicumque casui applicabilis desuper statui potest, cum ex plerisque distinctionibus, & circumstantiis, diversisque locorum moribus, vel stylis id pendeat, potissimè verò quia in contentiosis, ac ordinariis Tribunalibus in forma judiciaria, qua in hac Sacra Congregatione de his agi solet, ideoque in casus occurrentia in suis sedibus, vel materiis, pro quæstionum qualitate, de his videndum est ita hæc pro quodam generali, ac superficiali gustu ad aliqualem instructionem insinuanda.

n tit. de dote, disc. 22. & 143. & tit. de success. ab intest. disc. 5. cum duobus seqq. o super his aliqua insinuantur locis proxime citatis, & de jurisd. disc. 45. 59. 64. & seqq. & 94. y dicto titul. de success. ab intestat. disc. 5. cum duobus seqq. z ibidem, & de test. disc. 25. a de dote, disc. 22 & 143. & de alien. & contract. prohib. in supplemento, b d. tit. de dote disc. 22. & 143. c sub tit. de judiciis.

IV.

De exemptione reali clericorum, & personarum ecclesiasticarum, ac aliarum, quæ pro talibus haberi debeant, à gabellis, & tributis, aliisque contributionibus, aliisque laicalibus oneribus.

36 EOdem modo, quo superius initio, occasione immunitatis localis, insinuatur, in ista immunitate reali, inter utriusque fori, seu potestatis professores, ac sequaces, plures habentur quæstiones super istius immunitatis origine, ac subsistentia, illorum bonorum respectu, quæ ecclesiastica non sint, neque Ecclesiæ, vel clericatus ratione ab eis possideantur, sed patrimonialia sint, seu aliàs ex temporali seu profano titulo obveniant; Potissimè verò, in clericis qui in minoribus constituti sint, quibus pro diversis locorum moribus, vel legibus, nedum respectu hujusmodi bonorum temporalium exemptio negatur, sed etiam in iis, quæ personam quoque concernunt, atque pro ejus usu necessaria, vel opportuna sunt, ut in iis gabellis, aliisque oneribus contingit, quæ victualia, vel similia humano usui necessaria, vel opportuna percutiunt.

Quidquid autem sit de his, ac similibus quæstionibus, quarum distincta discussio formalem exigit tractationem; Quatenus ad ea, quæ frequentiorem praxim, Italiæ præsertim, concernunt, atque in hac Sacra Congregatione peragi contingit; Sive ex Divino, sive ex Canonico jure expresso, aut ex magis recepto DD. sensu, id manet; Pro generali regula receptum est, ut clericis, sive in sacris, sive in minoribus ordinibus, solaque prima tonsura constituti sint, qui debita habeant requisita, quæ pro alia immunitate à foro, ac legibus laicalibus desiderantur, neque conjugati sint, indefinitè immunitas à gabellis, & collectis, aliisque laicalibus oneribus competat, etiam pro eorum bonis patrimonialibus, seu aliàs ex industria, vel fortunæ beneficio, aliave temporali causa obvenerint, & acquisita sint. *d*

37 Quoties tamen de iis non agatur, quæ mercaturam, seu negotiationem concernant, cum clerico negotiatori, sive in sacris, sive in minoribus constituto, immunitas denegetur, atque sæcularis juri in ipsis mercibus, ac bonis habeatur; Cùm ecclesiastica tamen, non autem propria laicali potestate, juxta juris regulam generalem pro locorum stylis, vel moribus limitata solitam ad hujusmodi onerum solutionem adstringendus. *e*

38 Hinc proindè, facti potiùs, quàm juris desuper quæstiones cadunt, super ipsius mercaturæ qualitate, vel verificatione, à proprio ecclesiastico superiore determinanda, ne alias sub hoc prætextu, pro bonis patrimonialibus, seu aliàs sub regula exemptiva cadentibus, ad onerum laicalium solutionem astringi contingant, cùm plerique dentur casus, in quibus clerici emant bona, eaque posteà vendunt, & tamen non sit mercatura. *f*

39 Quamvis autem ista sit regula generalis ubique in dubio tenenda: Plures tamen ea recipit limitationes, vel modificationes, quas non facile est determinatè recensere, cùm pro variis regionum, seu ditionum, explicitis Apostolicis decretis, & concessionibus, sive illis implicitis, quæ ex contenta, vel immemorabili, legitima, & pacifica consuetudine resultant; Aut ex illa observantia, cui in ambiguis quæstionibus interpretativæ nomen, ac operatio congruit; Aut quia dissimulare prudens consilium reputetur, nimis varia sit praxis; Potissimùm verò (ut insinuatum est) respectu clericorum in minoribus, seu respectu bonorum, quæ ea verè temporali, seu profana causa obtinentur; Aut in iis, quæ sine iis operibus, quæ implicitè, seu insensibiliter pro victu, ac vestitu in magis alterata victualium, seu mercium pretio supportari passis docet; In his, etenim, ac similibus pro diversis locorum receptis moribus, aliisve particularibus circumstantiis, variæ dignoscuntur limitationes pro singulorum casuum qualitate, quandoque reprobari, quandoque verò approbari, seu frequentiùs dissimulari, ac tolerari solent, ideòque firma, & generalis regula, à limitationibus immunis cuicumque loco vel casui applicabilis, non de facili statui posse videtur. *g*

Illæ autem frequentiores quæstiones, in ista materia cadentes, ita summatim recensentur quas memoria suggerit, in aliis verò minus frequentibus, in casuum contingentiis, illi, qui formales hujus materiæ tractationes ediderunt consuli poterunt.

40 Major itaque, ac frequentior ea est quæstio, quæ perentiat bona, collectis, ac tributis laicalibus jam obnoxia, quæ à laicis, ex titulo donationis, seu venditionis, aut successionis, seu alias, in clericos, vel Ecclesias obvenerint, an scilicet cum suo jam infixo onere transeant; Et quamvis inter ecclesiasticos, & sæculares Scriptores, magna desuper cum nimia opinionum varietate collectatio dignoscatur; Hodie tamen per hanc Sac. Congregationem recepta est distinctio, quam ex probabiliori magisque communi DD. sensu Rota pluries firmavit, super triplici scilicet, personalium, mixtorum, ac merè realium onerum specie, ut hæc ultima tantùm ipsa bona afficiat, eaque sequatur penes clericos, vel alios exemptos, non autem aliæ duæ priores, unde propterea, facti potiùs, quàm juris hodie quæstio remanet per ecclesiasticos judices pariter decidenda, super verificatione scilicet hujus veræ realitatis, ad cujus effectum ea desiderantur requisita, ut onus sit perpetuum, ac fixum, & invariabile absque eo quod constet de initio quod à personali potius causa in jurisdictionali authoritate potiùs obveniet juxta distinctiones, ac declarationes, quæ magis distinctè in meis adnotationibus super vectigalium, seu Regalium materia habentur, cùm non de facili ita summatim, ac compendiosè explicari valeant. *h*

In

41 In ista verò præsertim quæstione, aliisque similibus, observantiæ nimiùm deferendum videtur, quoties de ejus vitiosa causa non constet; Quamvis etenim ex magis communi Canonistarum, ac Moralium sensu, per hanc Sacr. Congregationem recepto, in hac materia non admittatur præscriptio; Attamen ubi immemorabilis, vel centenaria accedat observantia, de cujus initio vitioso non constet, nimium operativa videtur pro illa facultate, quæ possessori tribuitur allegandi indultum Apostolicum, vel quemcunque alium titulum de mundo meliorem: Ubi verò ista facultas non intret, quia nempè minoris temporis observantia sit, vel quod immemorabilis, aut centenariæ requisita non benè conclusa remaneant, adhuc tamen, ubi de isto, vel consimili dubio casu agatur, eadem observantia, non in ratione præscriptiva, vel in altera interpretativa, nimiùm attendenda videtur.

42 Altera est magis involuta quæstio, de qua frequenter in hac materia disputari contingit, ubi scilicet de iis oneribus agatur, quæ imposita sint pro illis publicis expensis, vel contingentiis, quæ clericorum, & ecclesiasticorum promiscuam causam, seu communem utilitatem, vel commoditatem, aliamve provisionem concernant ut (ex. gr.) sunt illæ, quæ fiant pro stipendio medicorum, & chirurgorum, ac similium, sive pro refectione mœnium Civitatis pro custodia à communibus inimicis, seu alias à malefactoribus, publicam quietem turbantibus, aut pro refectione pontium, & viarum, sive pro aggerum constructione, vel refectione pro inundationibus evitandis, aut pro inundationum exsiccationibus, vel pro custodia territorii de tempore pestis, cum similibus.

In hoc autem distinctio est, inter illa opera quæ principaliter sint publica, quamvis accessoriè, ac secundario, seu spectato effectu, in privatorum utilitatem tendant, ut sunt præmissi, vel similes casus, qui omnes tangant in universum; Et illa, quæ principaliter respiciant utilitatem, vel commoditatem privatam aliquorum tantùm jure singulari, quamvis accessoriè, vel consecutivè ad omnium utilitatem, vel commoditatem tendant, ut sunt illi aggeres, vel expurgationes, quæ fiant pro impedienda inundatione in aliqua parte territorii ad utilitatem, vel præservandum à damno aliqua prædia, quæ sint in illa parte, seu Contrata: Sive sunt refectiones viarum, quæ de jure dicuntur vicinales, idest principaliter deservientes pro usu, & commoditate aliquorum prædiorum, quamvis alii, qui prædia non habent, earundem viarum usum, & commoditatem habeant; Aut sunt provisiones super extirpatione locustarum, vel super impedienda earum irruentia, sive super custodia vinearum, vel satorum ne damnificentur, cùm similibus, quoniam licèt ex hujusmodi provisionibus resultet publica utilitas omnium civium, & incolarum in universum ratione annonæ, seu majoris abundantiæ, vel ratione majoris salubritatis aeris, &c. Attamen id principaliter percutit utilitatem dominorum prædiorum.

In hac secunda specie, quod scilicet agatur de provisionibus, quæ privatam utilitatem, vel commoditatem principaliter percutiant, adeòut ipsi prædiorum domini eos non præsupponendo fatuos, vel perditos, sed diligentes patresfamilias, cogerentur singuli pro suis respectivè bonis easdem expensas facere, expediat autem, imò frequentiùs necessarium sit, ut illæ fiant in universum, seu publico jure, cum unica directione alicujus Magistratus, vel alterius officialis ad id deputati, ut uniforme sit opus, cujus defectus in parte, totum vitiaret, vel inutile redderet, præsertim sunt refectiones, vel constructiones aggerum, vel expurgationes alveorum, aut provisiones super locustis, cum similibus, unde proptereà expensæ desuper faciendæ de natura rei patiandæ sint per collectam, seu contributionem faciendam per dominos prædiorum pro virili seu æs, & libram; Et tunc ecclesiastica immunitas non intrat, neque clerici aliæque personæ Ecclesiasticæ, sive ipsamet Ecclesia exemptionem aliquam habent, quoniam aliud non est exemptio seu immunitas ecclesiastica, nisi remanere, seu continuare in ea libera suorum bonorum fruitione, quam natura concedit, atque non pati illam diminutionem, quam producit illud accidentale onus, quod resultat à contributione, vel gabella imposita per potestatem sæcularem, non autem facere lucrum de alieno, ita se eximendo ab illis expensis, quas tanquam per speciem culturæ, seu majoris utilitatis facere oporteret singulariter, & tamen inutiliter, nisi alii vicini facerent, ideòque attendendum non est, quòd aliquis privatus ex ejus industria, vel majori diligentia, seu beneficio, quod resultat à sui prædii situatione, posset eas evitare, aut minores reddere, quoniam ubi subjecta materia exigat, ut jure universo fiant eo quia opus debet esse uniforme, quodque defectus in parte, vitiaret in toto, tunc publica utilitas plurium, sive universitatis illius Contratæ, quæ consecutivam habet omnium utilitatem, præferri debet alicui privatæ utilitati, vel majori commoditati, Solumque privilegium Ecclesiasticorum est, ut non laicali authoritate, sed ex illa loci superioris ecclesiastici ad id cogi debeant; Tum ex eo ut non detur inconveniens, quod laicus jurisdictionem exerceat cum ecclesiasticis; Tum etiam ne ita sub hoc prætextu indirectè graventur ecclesiastici ad alia onera laicalia publica, seu communitativa, ita pro hujusmodi expensis imponendo collectas, vel contributiones excessivas, ut id quod exuberat, in alias publicas necessitates, vel commoditates erogetur, ut quandoque ego expertus sum, ideòque vel cum authoritate Superioris ecclesiastici, vel concorditer cum interventu deputatorum Cleri, vel ecclesiasticorum id faciendum est, ut justa, & proportionata sit repartitio; Et in summa ut id principaliter sequatur in ratione œconomica potiùs quàm in ratione authoritativa, seu jurisdictionali, quamvis aliquorum Magistratuum, seu publicorum officialium authoritas, ea necessitate, vel pro majori opportunitate requiratur, vel adhibenda sit.

Ubi verò de prima superiùs distincta specie agatur, illorum scilicet onerum, quæ principaliter respiciant publicam utilitatem, vel commoditatem omnium civium, & incolarum in universum, unde proptereà de consequenti resultet utilitas privata singulorum juxta superius exemplificatos casus, vel similes, Et tunc, licèt non modica dignoscatur opinionum diversitas, quæ generaliter in omnibus, magis autem, ac particulariter in ista materia immunitatis ecclesiasticæ dignoscitur; Attamen in magis recepto Moralium, & Canonistarum sensu, quem Sacra Congregatio sequitur, regula est ut clerici, & ecclesiastici ab eis exempti sint, quoniam ipsi, è converso alia supportant orationum, vigiliarum, jejuniorum, aliarumque asperitatum onera, quæ omnium publica necessitate, authoritate fieri debent, ad obtinendam Dei protectionem; Ideòque omnes ex æqualiter in idem contribuere, ac onera supportare dicuntur, diverso tamen jure, seu modo, quod scilicet laici circa temporalia, & ecclesiastici circa divina. *l*

43 Quamvis, aut talis sit regula generalis, adhuc tamen limitationem pro locorum motibus, vel casuum qualitate pati solet; Vel quia in contrarium adsit Apostolica provisio explicita, sive illa implicita, quæ in vim centenariæ, vel immemorabilis consuetudinis, de cujus infectu, ac vitioso initio non constet, allegari potest.

Vel quando sæcularium vires non supetant, unde proptereà ecclesiasticorum contributio congrua, vel necessaria reputetur; Ad istum tamen effectum receptum est, ut plura requisita copulativè concurrere debeant; Primò nempè Apostolica authoritas, Secundò consensus Ordinarii loci; Tertiò consensus cleri, seu universitatis ecclesiasticorum: Quartò ut cum ecclesiastici superioris authoritate, non autem cum laicali collecta, vel contributionis exactio ab eis fiat; Et quintò demum ut verificetur casus subsidii, quia nempè laicorum vires, utpotè ab aliis publicis oneribus, & gabellis, gravatæ, vel debilitatæ, ad id non suppetant, ad quod dignoscendum Ordinarii loci consensus, & authoritas ita desideranda venit, atque ut ita justa, beneque regulata, seu proportionata fiat collecta, seu contributio, ne ut supra in alia specie insinuatum est, sub hoc prætextu aliis oneribus laicalibus, in quibus eadem non urget ratio, clerici, & Ecclesiastici compellantur. *m*

44 Omnia hæc requisita copulativè necessaria sunt quamvis ipsi ecclesiastici velint hæc onera supportare, atque collectis se subjicere, cùm neque volentes in hac forma collectarum, vel contributionum, vel gabellarum id facere valeant (quamvis singuli ex privata pietate ac liberalitate per speciem eleemosynæ, vel elargitionis, id agere prohibiti non videantur; Quamvis etiam super hoc ecclesiastici Prælati, ac superiores invigilare debeant, ne ita paulatim abusus inducantur; Ac etiam quia ut quandoque expertus sum, quamvis in verbis & apparenter voluntariè, atque ex motivo charitatis id fieri dicatur, attamen ex indirecta, seu interpretativa quadam vi id sequi solet.

45 Duo autem requisita, consensus scilicet Ordinarii loci, & ipsius cleri, per summum Pontificem quandoque suppleri solent, ubi nempè minus indebitè tales consensus denegentur; Et quandoque etiam Pontifex, extrajudicialibus informationibus contentus, eximit ab onere speciali justificationis subsidii pro facti qualitate, ideòque desuper certa, &

deter-

determinata regula dari non potest cuicunque casui applicabilis, cum ex singulorum casuum circumstantiis, prudentiæ, vel æquitatis regulis potiùs attentis, desuper per Sedem Apostolicam directè, vel per organum hujus Sacræ Congregationis, provisiones demandari soleant, ubi potissimùm pro defensione ab infidelibus, vel ab hæreticis expensas facere oporteat. *n*

46. Nimiùm quoque involuta, & controversa est inter ecclesiasticos, & laicos alia quæstio, super immunitate, vel exemptione laicorum, ratione connexionis cum clericis, & ecclesiasticis, quia nempè sint eorum coloni, vel servientes, & ministri, sive fructuum, aliorumque bonorum emptores, vel conductores, an scilicet illa immunitas, quam ipsi ecclesiastici in eorum bonis habent, communicetur laicis colonis, vel eorundem bonorum emptoribus, aut conductoribus.

In hoc autem penè impossibile est certam tradere regulam generalem ita compendiosè explicabilem, quæ quibuscunque casibus, ac locis, & personis applicari valeat; Tum quia varii sunt regionum, seu ditionum styli ac mores, quos vel ob implicitam Apostolicam provisionem ex antiquitatis operatione allegabilem, vel ob regulas prudentiales, tolerare, seu dissimulare congruit; Tum etiam quia pro tot dissidentibus opinionibus conciliandis, æquivocisque tollendis plures adhibere oportet distinctiones seu diversas considerare circumstantias pro singulorum casuum qualitate, ideoque ad meas adnotationes in hac materia vectigalium, & gabellarum sub altera magis generali Regalium aliqualiter insinuata recurrendum erit. *o*

47 Ea solùm generalis regula, pro meo sensu, constituenda, atque à sedentibus in hac S. Congregatione, aliisque Prælatis, ac superioribus ecclesiasticis habenda, ut hæc immunitas in sola ratione exemptionis passivæ consideretur, atque custodiatur, non autem in ratione activa. Idest quod ecclesiastici præserventur ab accidentalibus laicalibus oneribus, adeòut naturalem obtineant libertatem super eorum bonorum fruitione, & contractatione, absque diminutione illius naturalis, ac intrinseci pretii, quod ipsa bona eorumque fructus habent, perinde ac si onera non adessent, unde propterea per ea seu eorum ratione, jacturam, vel damnum in re sua sentire, vel pati non cogantur: Non autem in ratione activa, idest ut lucrum facere debeant de illis oneribus, quæ per laicos solvuntur, sibique applicare illud pretium extrinsecum, seu intrinseci, & naturalis pretii augmentum, quod ipsa onera causant ita ad lucrum, ad industriam hanc immunitatem convertendo, atque ita illam colendo avaritiam quam sacri canones ex divinis præceptis in clericis magis, quàm in sæcularibus detestantur; Si etenim clericis prohibent canones illam indifferentem mercaturam, quæ pro humana industria, licitè, ac sine aliqua peccati labe exerceri potest, & quæ potiùs Reipublicæ pro humano commercio, ac vita civili, utilis, imò necessaria est, absque eo quod jus tertii lædatur, quoties candidè, ac sincerè exerceatur; Idque non in sola ratione divinorum, à quibus hæc sæcularia negotia avertere

48 solent, cùm in clericis sæcularibus etiam ratione beneficii residentialis alicujus Ecclesiæ servitio addictis, juxta brevium horarum tali servitio applicationem compatibiliter, ac benè utrique vacari valeat, ac etiam quia hodie major forsan clericorum numerus est eorum, qui, sive ex devotione, sive ex principali motivo standandi forum, & onera laicalia, clericalem statum assumunt absque aliquo beneficio residentiali, vel Ecclesiæ servitio, ideòque istis mercatura permitti deberet; Sed negatur ex alia ratione tollendi avaritiæ occasionem, vel radicem, adeòut si de facto illam exerceant in iis, quæ ipsam mercaturam concernunt, nulla potiantur immunitate, sed pro laicis habendi veniant; Igitur multò magis ista mercatura, seu avaritiæ cultura prohibenda est, ne sub clypeo ecclesiasticæ immunitatis hoc vitium exerceatur; Ac etiam quia est locupletari de alieno, atque id quod per laicos solvitur, ut publicis oneribus erogetur, ad privatam utilitatem, ac locupletationem applicetur, adeòut illud crimen verificari quandoque videatur, cujus definitio est; ut rei alienæ invito domino contrectationem contineat: Itaque cum omni majori zelo invigilandum est, ut in ejus ratione passiva, immunitas custodiatur, ac servetur: non autem ut dictam activam industriam, ac mercaturam producat, præservando quidem ecclesiasticos ne damnificentur in suo, non autem, ut lucrum faciant de alieno. *p*

Eademque generalis regula pro casuum, ac locorum con-

49 tingentiis, & opportunitate practicanda, rectè quoque intrat, ac statuenda videtur super modo obtinendi immunitatem, seu franchitiam, præsertim super victualibus aliisque usualibus rebus ad victum, & vestitum, aliumque humanum usum necessariis, vel opportunis, ut scilicet pro iis tantùm immunitatem obtineant, quæ necessaria sint, ex morali tamen, seu congrua, non autem physica, vel naturali necessitate pro eorum persona eaque familia, quæ pro qualitate personarum, servitio necessaria est, sive ex canonum præcepto ab ipsis clericis alimenta recipere debeat, non autem ut conjunctis, vel familiaribus laicis immunitatem communicent, publicave onera fraudent; Sive (quod longè detestabilius est) ad avaritiam, ac lucrum de alieno, quod furti speciem redolere videtur, immunitatem convertant, illam scilicet laicis vendendo, ut aliquorum regionum praxis docet. *q*

Super his autem, ac similibus fraudibus, hæc Sacra Congregatio, nec non Episcopi, aliique Prælati, ac superiores ecclesiastici nimiùm vigilare debent, ut ita Evangelicum oraculum servetur, tradendi quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, atque ut dictum est, ecclesiastici præserventur in suo, non autem ut ita capiant alienum; Si enim tam super his, quàm super eorundem ecclesiasticorum vita, & motibus invigilaretur, ac etiam ne localis immunitatis mercaturam quoque faciant cum delinquentibus & malefactoribus, utique, vel nullæ, vel nimiùm raræ essent cum laicis, ecclesiasticæ immunitatis, vel jurisdictionis controversiæ. 50

Illa quoque accedente ratione nimiùm præ oculis habenda, non quidem pro ipsius immunitatis substantia, vel denegatione in genere, sed pro discreto ejus usu, ut accuratiùs Episcopis discretus injungatur usus impositionis manuum, siquidem iis primis temporibus, in quibus Sacri canones prodierunt, rarus erat usus clericorum ad solos limites necessitatis, vel opportunitatis divini cultus, ac servitii, dum illi, qui huic cœlesti militiæ adscribebantur, ex hoc solo motivo pro Christo militandi, id agebant, ideòque populis levamen, potiùs ac exemplare erant, cujus contrarium nimia copia hodie producit, unde propterea rectè congruit ea ratio, quæ in materia decimarum ponderari solet super exemptione Regularium, quòd scilicet primævis temporibus rarus erat eorum usus, atque in statu paupertatis, ideoque congruenter parochi à decimarum solutione per quamdam speciem charitatis, ac pietatis eos eximebant, secus autem hodiernis temporibus post excretum eorum numerum excretasque divitias; Non quidem ut id laicali potestati licentiam tribuere debeat violandi immunitatem, atque ecclesiasticos laicalibus oneribus supponendi, sed ut ecclesiastici superiores debeant in ejusdem Immunitatis discreto usu invigilare ad fraudes vitandas. 51

Potissimè verò ea fraus frequenter committi solet, ut parentes aliique conjuncti, pueris vix infantia expleta, prima tonsura affectatè initiatis, sub prætextu constituendi dotem, seu peculium, ad cujus titulum ad sacros ordines promovendi sint, omninò inverisimiles faciunt bonorum donationes ut illas à laicalibus oneribus eximat, ita occultè & cautelate fraudem tegendo, ut ea improbabilis reddantur; Ideòque recti ac zelantes Prælati, ea sola probatione contenti, quæ ab inverisimilitudine, sive à regionis moribus resultet, pro hujusmodi bonis, immunitatem denegant usque quo donatarius sacros ordines assumat, atque ille impleatur finis, ad quem actus ordinatus est, idque etiam discretè ad solos limites necessitatis, vel congruentiæ pro loci moribus, vel personarum qualitate, adeòut Sacri Concilii Tridentini dispositioni, vel intentioni satisfactum sit, cùm excessus eandem habeat fraudis rationem nimiumque probabilem læsionem. *r* 52

Ultra clericos sæculares, vel regulares cælibes, sive illos conjugatos, qui græco ritu vivant, in quibus quoad immunitatem in genere, vel substantia, nulla quæstio cadit, sed ea tantùm ut supra est super usu, vel modo; pleræque aliæ habentur personæ occasione alterius immunitatis personalis superius insinuatæ, de quibus quæstio est, an ad hunc effectum ecclesiasticæ dicendæ sint, vel pro ecclesiasticis habendæ, ut sunt præsertim aliquarum Ecclesiarum, seu piarum Militiarum professores, sive aliquarum Religionum, vel Monasteriorum oblati, aut aliàs regularium more sub aliquo pio, ac laudabili instituto viventes; Super his autem, ac similibus, certa regula pariter statui non potest, cùm locorum, ac ditionum antiquis, & receptis moribus potiùs deferendum videatur; Ista etenim consuetudo non destructiva, seu innovativa ejus quod à jure expressè statutum sit, sed potiùs interpretativa ejus quod sit in jure dubium, dicenda venit. 53

Idem,

Idemque in illis qui licet clericali charactere insigniti sint, in conjugali tamen statu vivunt; Istis etenim, sive
54 Latinum, sive græcum ritum profiteantur, quoties in minoribus adhuc existant, regula est, ut exceptis merè personalibus, ac sordidis muneribus, aliam non obtineant exemptionem, vel immunitatem, nisi eam, quam legitima consuetudo tribuat, cùm tunc ea servanda sit. *f*
55 Ad tollendas autem fraudes, quæ in victualium præsertim, aliarumque usualium rerum contractatione de facili committi solent, ac possunt, absque eo quod illis occurri valeat; In magnis præsertim Civitatibus, vel emporiis, aliisve locis, quibus eadem congruat ratio, mos inolevit, à Canonistis, &. Moralibus, ipsaque Apostolica sede laudatus, ut omnes indefinitè gabellas, & onera solvant etiam Ecclesiastici, quibus in fine anni, vel mensis, seu alias juxta locorum mores, à gabellarum exactoribus in pecunia reficiatur id, quod gabellæ importent juxta quandam uniformem verisimilem taxam juxta locorum mores, quibus in hoc deferendum est. *e* Ita tamen ut laicali potestati jurisdictionis exercitium non detur, quoties ab ecclesiasticorum personis, vel etiam bonis aliis extra ea de quorum solutione occasione introductionis, vel exactionis, seu alte-
56 rius contractationis gabellis, ac oneribus agatur minusque pro effectibus pœnarum, quæ per laicorum leges, & edita impositæ sint pro fraudibus, vel contraventionibus.
57 Et hæc, ita summatim pro aliqua tali quali generica, ac superficiali materiæ notitia suggerit memoria, cui pro humana imbecillitate impossibile est omnia recensere, ideoque super iis minùs frequentibus casibus, de quibus agi contingat, ad eos frequentes tractatores, vel collectores recursus habendus erit.

Scandalum autem præbere non debet, quod juxta plures
58 casus, de quibus in particularibus adnotationibus agi contingit de materia immunitatis, præsertim realis, laicorum partes frequentiùs teneantur. a Congrua etenim ratio assignatur *libro seq. in relatione & praxi Curiæ occasione agendè de hac S. Congregatione Immunitatis.*

d *de his sub tit. de Regal. disc.* 50. *&* 51. e *Eod. tit. de regal. disc.* 70. *&* 131. f *eod. tit. de regal. disc.* 53. *&* 99. *& tit. de regular. disc.* 60. g *tit. de regal. disc.* 55. *cum seqq. ad* 58 *& hoc tit. disc.....* h *d. disc.* 50. *&* 51. *de regal* i *ibidem, & in ibi allegato Alben. coram Merleno.* l *de ista materia, d. disc.* 58. *&* 59. *de regal & hoc tit. disc. sequenti cum aliis seq.*
m *disc. proximo & seq.* n *ibidem.* o *d. tit. de regal disc.* 50. *cum pluribus seqq.* p *d. disc.* 50. *& seq. de Reg. & disc.* 5 *& seq. hoc tit.* q *ibid.* r *in ann. ad S.C.T.*
s *tit. de regal. disc.* 60. t *eod. tit. de regal. disc.* 58. *& hoc tit. disc.* 5. *& seqq* u *infra, hoc tit. disc.* 5. *& seq. & tit. de regal. disc.* 50. *cum plur. seqq. & alibi eodem tit. de regal.*

MELPHICTEN. CONTRIBUTIONIS PRO CIVITATE.

Responsum pro veritate.

An Clerici, & Ecclesiastici contribuere debeant in expensis in constructione mœnium, & arcium pro defensione civitatis ab infidelibus?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Certa est exemptio ecclesiasticorum à muneribus, & contributionibus laicorum.*
3 *De requisitis, ut teneantur in expensis publicis mœnium, & arcium.*
4 *Quomodo ista materia decidi debeat.*
5 *Respondetur contra ecclesiasticos, & de ratione.*
6 *Si consensus ab Episcopo, & clero denegetur, potest suppleri à superiore.*
7 *De eodem, de quo n. 4. & qui stylus per Sedem Apostolicam teneatur.*
8 *De gravi onere gabella molitura frumenti, seu farina in aliquibus locis particularibus Regni Neapolitani.*
9 *Quod exinde franchitia ecclesiasticorum tendant ad lucrum, ac redditum.*
10 *Ubi agitur de munitionibus adversus infideles, vel hæreticos majus est periculum, & interesse Ecclesiasticorum.*
11 *Dantur exempla contributionis Ecclesiasticorum.*

DISC. III.

Ob angustiam situs, & excrescentiam populi Civitatis 1
Melphicti, quæ ad litus maris Adriatici in Apulia, sita est, necessitas dedit, ut in parte adjacenti extra mœnia, à sæculo circiter, multa, & forsan magis conspicua constructa fuerint privata ædificia, pluresque Ecclesiæ, & qualificati Conventus Regularium, S. Dominici, Minorum observantium, Minorum Conventualium, Capuccinorum, & Societatis Jesu, ideoque (ut vulgò dicitur) constructus fuit burgus, qui Civitati penè æqualis videtur, adeout opus fuerit, pro cura animarum, & administratione sacramentorum, erigere, seu destinare Ecclesiam adjutricem cum Vicario particulari, ut habetur *sub tit. de paroch. disc.* 18.

Cùm autem, ob occupationem Insulæ Cretensis factæ per Imperium Turcarum, istorum incursus nimiùm probabilis timor haberetur, in cujus casu, tam laici quàm ecclesiastici in dicto burgo viventes, ipsæque Ecclesiæ, absque aliquo defensionis præsidio, facili subjacent excidio; Et quod magis est, ista ædificia, ipsimet Civitati adimunt defensionem, unde propterea ipsa Civitas pariformiter eidem subjacet evidenti periculo, eorumque demolitio non esset practicabilis, ideoque præcisè necessarium judicaretur, quam primùm, omni qua fieri potest celeritate, dictum burgum, muris, ac turribus, aliisque munitionibus recingere: Nullatenus autem per Communitatem, publico ære, id explicari posset: unde propterea oportebat id agere, cum civium, & incolarum contributione; ista verò pro moribus regionis, atque stantibus gravibus gabellis, quibus ut infra, ille populus premitur, non esset practicabilis, nisi mediante nova impositione super oleo, quod in eo territorio in magna quantitate colligitur.

Hinc proinde, ea parte Civitatis, pro veritate consultus fui, an in ista contributione concurrere deberent Ecclesiæ, & personæ ecclesiasticæ utriusque Cleri, sæcularis, & regularis, quæ valdè notabilem olivetorum partem possident, & consequenter magnam colligunt olei quantitatem, adeout à Sanctissimo, vel à S. Congregatione immunitatis, servatis iis, quæ in his contingentiis servari solent; id decernendum fore spectari posset.

Respondi, quod negativam primo aspectu suadere vide- 2
batur generalis regula exemptiva à publicis oneribus, quæ Ecclesiis, & Ecclesiasticis assistit, & super qua multa elaboratè colliguntur per Rotam *in Barchinon. exemptionis* 13. *Junii* 1646. *coram Corrado impress. dec.* 412. *part.* 9. *recent.* Eandemque regulam, ego præsertim apud Ecclesiasticos, & in eorum Tribunalibus suppono absolutam *in tit. de Regalibus disc.* 58. *n.* 4. ubi fatuitatem dico (ut revera est,) authoritates desuper desiderare, vel cumulare.

Et quamvis ubi agitur de oneribus respicientibus expen-
sas concernentes ea, quæ tam laicis, quam Ecclesiasticis, 3
sive, tam Clero, quàm populo sunt communia, ut in specie sunt constructiones, vel refectiones mœnium, ac turrium, vel arcium, & similia opera, ista regula limitationem recipiat; Attamen id eatenus procedit, quatenus copulativè verificentur sex requisita posita per Abb. *in celebri cons* 3. *par.* 1. quod omnium ecclesiasticorum judicio reputatur in materia magistrale, ex iis quæ cæteris relatis habentur apud Fagn. *in cap. non minus, de immun. Eccles. num.* 23. *& seqq.* & habetur *dict. disc.* 58. *de Regalibus, num.* 12. Primò nempè assensus Pontificis; Secundò ille Episcopi, & Cleri: Tertiò justa causa publicæ necessitatis; Quartò quod ista promiscuè respiciat tam laicos, quàm ecclesiasticos: Quintò ut absque mixtura laicalis potestatis, id fiat cum authoritate superioris ecclesiastici, Et sextò, ut ita exigat subsidii ratio, quia nempè sæcularium vires non supportant, ideoque si per laicorum contributionem id explicari potest, non debent ecclesiastici tali oneri esse subjecti, quamvis ipsi de commodo munitionem quoque participent, cum ipsi alia supportent onera spiritualia ad eundem finem defensionis ab hostibus cooperantia, ad implorandam divinam protectionem, ut advertitur *d. disc.* 58. *n.* 13.

Verùm pluries desuper consultus, dicere consuevi (ut 4
etiam advertitur *d. disc.* 58. *eod. n.* 13.) quod ista, facti potiùs quàm juris quæstio dicenda est, certam proinde non recipiens regulam generalem, cuicunque casui applicabilem, cùm verè decisio ex singulorum casuum qualitate, ac particularibus circumstantiis pendeat. Ideoque aliquando pro ecclesiasticis, & quandoque pro laicis respondi, quia sic unius, vel respectivè alterius diversa qualitas exigebat.

In hac verò facti specie, rectè informatus de statu omnium 5
Civi-

Civitatum & locorum Regni (qui fortè ob adeò longas, & continuas bellorum calamitates uniformis est per universam Europam,) Et in specie attento statu hujus Civitatis,
5 contra Ecclesiasticos respondendum esse censui, adeout eis, etiam renuentibus, ab eodem Sanctissimo, vel à S. Congregatione immunitatis id demandari debere, nimium probabiliter sperandum esset.

6 Hujusmodi etenim quæstiones restringuntur ad ultimum requisitum subsidii, quoniam primum est supponendum (cùm Pontifice denegante inanis remaneat inspectio:) Alterum consensus Episcopi, & cleri, dici videri omninò probabile, quod nullatenus ille denegandus erit, cùm esset nimium irrationalis denegatio ut infra; Et in omnem eventum mereretur ab eisdem superioribus suppleri ex considerationibus, de quibus *d. disc. 58. n. 14.* Tertium, & quartum erant incontrovertibilia, ex præmissa facti serie, atque quintum supponebatur, ac admittebatur.

7 Meritò igitur dixi, quod ista est quæstio potiùs facti, quàm juris, utpotè decisionem expectans à facti qualitate, inspectis nempè, cleri, & populi sæcularis divitiis, vel respectivè paupertate, aliisque circumstantiis, ideoque (ut dictum est,) stultitiæ species esse videtur cum generalitatibus procedere, sive certum desuper dare judicium, cum id pendeat à futuris informationibus faciendis per aliquem Episcopum viciniorem à Sanctissimo, vel à S. Congregatione deputandum, & sine quibus informationibus difficile ac rarum est determinationem obtinere, nisi Episcopi, & utriusque sæcularis, & regularis cleri pietas, & circumspectio, ad hoc inanes, ac omnibus præjudiciales sumptus, & labores vitandos, veritatem agnosceret, dum id notorium, & incontrovertibile videbatur eisdem ecclesiasticis optimè cognitum.

Siquidem æs publicum Communitatis absque dubio totum absorptum est ab antiquis oneribus fiscalibus, aliisque communitativis ordinariis, & extraordinariis, atque neque sufficere supponebatur, ut revera est in toto eo Regno generaliter notorium.

8 Cives autem laici magnis oppressi sunt gravaminibus gabellarum, & præsertim, quòd pro molitura frumenti solvitur gabella carolenorum septem cum dimidio pro quolibet tumulo, adeout importet scuta tria, & ultra monetæ Romanæ pro quolibet rubro, quod absque dubio per Sanctissimum, ac S. Congregationem immunitatis, universamque Curiam Romanam reputaretur onus maximum, ac penè intolerabile, dum in Urbe & Statu Ecclesiastico solvitur gabella moliture ad rationem juliorum trium pro quolibet rubro, quæ importat grana septem circiter pro tumulo, & tamen reputatur onus grave, magnosque habet conquestus.

9 Clerus quia non solum ab isto gravissimo onere exempti sunt ecclesiastici, seu ejusdem oneris exorbitantia (cum aliquo forsan abusu, cui consuli deberet) tendit ad lucrum, & industriam ecclesiasticorum, quoniam ex antiquorum pietate de tempore quo longè minores erant gabellæ, longeq; minor, ac satis modicus erat numerus ecclesiasticorum, facta fuit quædam pinguis rasa panis, forsan in duplo, & ultra indigentiam, ideoque ecclesiastici ex crescentem franchitiam ad lucrum, & industriam vendunt, ut advertitur eodem *tit. de Regal. disc. 54* ubi in specie agitur de ista gabella farinæ, seu molituræ, & habetur etiam infra *in Bisuntina, disc. 5.* Aliaque ferunt onera aliarum gravium gabellarum carnium, piscium, vini aliorumque victualium ac rerum; Et quod magis id reddere videtur indubitatum, supportant etiam antiquum onus gabellæ super eodem loco in decima sexta parte circiter pretii; Ab istis autem omnibus ecclesiastici sunt exempti, adeout quælibet etiam modica novi oneris additio in laicis, ad terminos intolerabilitatis deveniret; In ecclesiasticis autem (qui ab omnibus aliis oneribus exempti sunt) esset onus valdè exiguum, ac penè insensibile; Potissimè dum idem populus sæcularis alia quoque supportat onera cum ipsismet ecclesiasticis, occasione administrationis sacramentorum, aliorumque divinorum, ac funerum, *ut d. disc. 18. de paroch.*

10 Illud potissimè considerando, quod hujusmodi munitiones necessariæ reputantur, non quidem pro bello inter Principes catholicos, adeout ecclesiastici dicere valeant, quod munitiones, potiùs concernant utilitatem, ac beneficium Principis laici regnantis, quàm utilitatem, ac necessitatem populorum, & præsertim ecclesiasticorum, quorum jura, ita ab uno, ac ab altero catholico Principe conservari sperentur; Sed agitur ad effectum se tuendi ab oppressione, ac dominatione Infidelium, quorum dominatio longè magis lædit, ac destruit Ecclesias, & ecclesiasticos, quàm sæculares.

Istaque ratio generalis, fortiùs viget in specie in casu de quo agitur, quoniam fortè major, ac nobilior pars ædificiorum existentium extra mœnia in hoc burgo consistit in Ecclesiis, & conventibus; Atque (ut dictum est) Imperium Turcarum, non aufert bona laicis, quos relinquit in suo statu, sed bene aufert bona, & immunitates ecclesiasticis, atque destruit Ecclesias, & Conventus religiosorum; Et consequenter potiùs per ecclesiasticos, quam per sæculares istud opus explicandum videtur; Ideoque maxima differentia est inter casum, in quo ob bellum inter Principem loci, ac alterum Principem catholicum, munitiones facere oportet, & istum casum, in quo id fiat pro se defendendo ab incursionibus infidelium, vel hereticorum, cùm isti magis ac principaliter lædant ac destruant Ecclesias, & ecclesiasticos.

Atque inter quamplura exempla, quæ adhibendo aliquas diligentias inveniri posse dixi pro Civitatibus, & locis, in quibus consimiles Turcarum, vel hæreticorum incursiones vel oppressiones timerentur, deducebam illud, de quo *in Melevitana disc. seq.* & in aliis ibi relatis, cùm ibi deducta nimium ad rem faciant. 11

ANNOT. AD DISC. III. & seqq.

Agitur in his discursibus de contributione, ac respectivè exemptione Ecclesiasticorum, de qua habetur *in hoc tit. disc. 43.* in quo agitur de eademmet franchitia, de qua *supra disc. 5.* ac etiam *disc. 47. & seqq.* in quibus habetur de franchitiis, & exemptionibus Clericorum Cameræ, aliorumque Cameralium, cum aliis *sub tit. de Regal. disc. 30. & seqq & in eorumdem Adnot.*

MELEVITANA COLLECTÆ PRO CLERO,

CUM M. MAGISRO, VEL S. RELIGIONE HIEROSOLYMITANA.

Casus disputatus in S. Congregatione Immunitatis; resolutus, ut supra.

De eadem materia contributionis clericorum, & Ecclesiasticorum in expensis, pro mœnis, & fortificationibus, adversus incursiones Infidelium: Et de modo quo ista contributio facienda sit: Et incidenter de modo præstandi consensum per ecclesiasticos in hujusmodi contributionibus. Ac etiam de materia monetæ reprobæ, seu inferioris valoris, quam Princeps cudat, qualis effectus exinde resultet.

S U M M A R I U M.

1 *De concessione Insulæ Melevitanæ Religioni Hierosolymitanæ.*
2 *De pluralitate personarum concurrentium in M. Magistro dictæ Religionis.*
3 *De eadem circa appellatione ad Curiam Romanam.*
4 *Casus controversiæ, seu facti series.*
5 *De mutatione monetæ in dicta Insula.*
6 *Resolutio, seu status causæ.*
7 *Quando ecclesiastici teneantur contribuere in expensis respicientibus publicam communem utilitatem.*
8 *De eodem, & quando requisita desiderentur necne.*
9 *De potestate, & consuetudine Papæ subjiciendi ecclesiasticos oneribus laicalibus.*
10 *De materia subreptionis, vel defectus intentionis.*
11 *Motiva ex quibus creditur bonum jus ecclesiasticorum.*
12 *Quomodo Princeps debeat facere monetam.*
13 *Et quomodo concedatur cudere monetam cum aliqua mixtura.*
14 *Quando liceat cudere monetam minoris valoris.*
15 *De effectibus qui resultant à moneta mala.*
16 *De materia monetæ.*
17 *Quod facere monetam inferiorem sit species gabellæ.*
18 *De gabella resultante à jure privativo in sale, & aliis victualibus.*
19 *De applicatione ad casum circa implicitam exactionem cum moneta inferiori.*
20 *Quomodo fieri debeant collectæ, vel contributiones.*
21 *Merces, & pecunia quare potiùs subjaceant collectis.*
22 *Quomodo consensus ecclesiasticorum præstari debeat.*
23 *An, & quomodo major pars præjudicet minori.*
24 *De modo votandi in actibus communitativis.*
25 *De eodem.*

DISC.

DISC. IV.

1 CUm occupata per Turcas Insula Rhodi, Sac. Religio Hierusolymitana sedem suam non haberet; Carolus quintus, possessor Regni Siciliæ ultra pharum annexi coronæ Aragoniæ, juxta illam annexionem quæ recensetur, *sub tit. de feudis, disc.30. & sub tit. de praemin disc.29. & tit. de Regal. disc.127.* Insulam Melevitanam, quæ erat membrum dicti Regni, in feudum Regale seu dignitatis, redolens jus Principatus, dictæ Religioni ejusque M. Magistro concessit ut de hujusmodi cōcessione latiùs habetur *sub tit. de jurisd. disc.69* Unde propterea, juxta illam plurium personarum formalium reduplicationem in una persona materiali, quæ occasione agendi de Papa, pluries enunciata fuit & præsertim
2 tim *hoc eodem tit. disc.1. & sub tit. de Regal. disc.32.* ac etiam *sub tit. de praemin. disc.* 1. & in relatione curiæ *sub tit. de judic.* Prædictus M. Magister, duplicem gerit personam; Unam scilicet supremi Prælati, seu Generalis hujus militaris Religionis per universum Orbem catholicum; Et alteram Principis laici dictæ Insulæ, dominium, ac jurisdictionem habentis cum populo, non autem cum clero, qui suum habet Episcopum, juxta illam prælaturam, seu Magisterium quod ex Apostolica concessione plurium militiarum ecclesiasticarum habet Rex Catholicus in Hispania, aliique Principes habent in Italia, & in aliis Orbis Catholici partibus, ex deductis *sub tit. de jurisd. disc.92.*

Unde propterea, *d. disc. 69. sub tit. de jurisd* ac etiam
3 plurica *sub tit. de judic.* ista personarum discretio in M. Magistro consideratur in ordine ad appellationes, vel recursus ad Papam, vel ad Romanam Curiam, sive in ordine ad electionem fori Principis ex privilegio contento *in l. unic. C. quando Imper. inter. pupill. & vid. &c.*

Cum itaque hæc Insula, tam ratione proximitatis do-
4 minio Turcarum, quàm ob residentiam hujus Religionis, cujus institutum est, adversus infideles militare, continuum, nimiumque probabilem timorem habeat potentiæ dicti Imperii, idcirò super munitionibus, seu fortificationibus potissimùm, prudenter invigilare solet, atque cùm aliquæ jam cæptæ fortificationes, quæ valde opportunæ reputabantur, per ipsam perfici non possent cum ejus facultatibus tunc nimium extenuatis, minusque cum sæcularium tantùm collecta, seu contributione; Hinc proinde, de anno 1645. ab Innocentio X. in forma commissaria illi Inquisitori, concessa fuit facultas dicto M. Magistro, ac Religioni imponendi gabellam super frugibus, aliisque comestibilibus, cui etiam ecclesiastici utriusque cleri, sæcularis, & regularis, subjacere deberent, pro conflanda summa scutorum centum mille in dictam causam præcisè erogandorum, & non aliàs.

Atque circa idem tempus, ut ejusdem Religionis indigentiis occurreretur, per quamdam speciem insensibilis col-
5 lectæ idem, vel alter M. Magister, quandam æream monetam cudi jussit, cui per ejus edictum, longè majorem dedit valorem, quàm materiæ intrinsecus valor importasset, explicando in eadem, quod valor non esset in ære sed in fide, & de qua monetæ specie fit mentio *sub tit. de Regal. disc.126. & sub tit. de benef. disc. 88.*

Cùmque dicta Apostolica concessio executioni tunc de-
6 mandata non esset, atque ob eamdem causam enunciatam *disc praecedenti*, dictæ potentiæ Turcarum rationabiliter major crevisset timor, unde propterea omninò opportunum crederetur dictas munitiones perficere; Idcirco de mense Decembris 1671. à dicto M. Magistro, ac Religione, sub narrativa quod dicta concessio Innocentii effectum sortita non esset, quodque in frugibus, ac victualibus nimium incommodum esset eam practicare, magis autem commodum per viam collectæ per æs, & libram super bonis stabilibus, idcirò à Clemente X. litteræ eidem Inquisitori directæ, obtentæ fuerunt, pro effectuatione dictæ concessionis, immutato dicto modo illam practicandi; Atque à dicto inquisitore sententia super executione prodiit; Adversùs quam, aliquibus ecclesiasticis recurrentibus ad Pontificem, remissoque negotio juxta stylum S. Congregationi Immunitatis, post discussam causam nulla prodiit resolutio, sed ex aliquibus, prudentialibus potiùs, quàm legalibus motivis, rescriptum fuit auditi oraculum Sanctissimi quod adhuc non est prolatum, quod sciam, sive quod successori Inquisitori injunctum sit, ut denuò Partes audiat.

Quidquid autem sit de præfatis motivis prudentialibus,
7 de quibus privati viri forenses partes non sunt agere, vel judicare, cum à facto potiùs quàm à jure pendeat eorum judicium; Quatenus pertinet ad ea quæ juris sunt; Quamvis alii pro ecclesiasticis recurrentibus quoque Scribentes ingeniosè, ac elaboratè nimiùm se diffunderent (eleganti quidem, & commendabili stylo,) super clericorum, aliorumque ecclesiasticorum exemptione à laicalibus collectis, & contributionibus, etiam iis, quæ pro mœniis, & arcibus aliisque munitionibus fiunt, ex causa publica, quæ ipsos ecclesiasticos quoque tangat, quoties cumulativè non verificentur ea requisita, quæ ex recepto magistrali consilio Abbatis recensentur *disc. praecedenti*,

Ac etiam in facto convincenter ostenderent, non verificari præcipuum requisitum subsidii, ob immutatum rerum statum, quodque de præsenti, & Religionis assis longè major esset, quàm de tempore dictæ primæ concessionis, potissimè ob jam dissolutum æs alienum, quo tunc premebatur, aliaque plura in facto deducerentur nimium relevantia.

Attamen ego, qui pariter pro eisdem ecclesiasticis scribe- 8
bam, eram in sensu quod ista fundamenta, & præsertim illud deficientium requisitorum non multum tuta essent; Prima siquidem inspectio super dictorum requisitorum verificatione, percutit casum, in quo res adhuc sit in fieri, ad effectum scilicet inspiciendi, an ecclesiasticorum contributio demandanda sit, necne, atque ab Ordinario, & respectivè à Sede Apostolica præstari debeat consensus, ac suppleri ille, quem indebitè ipsi ecclesiastici denegarent; Ista verò inspectio cessat, quando res est jam in facto esse, quia nempè per Sedem Apostolicam, dispositivè, ac præceptivè ita concessum sit, hujusmodi requisitis non desideratis, cùm de potestate subjiciendi etiam ecclesiasticos laicalibus oneribus ex causis eidem Sedi bene visis, dubitandum non veniat ex rationibus, & fundamentis latiùs deductis, *sub tit. de Re-*
gal. disc 55. & seq. occasione agendi de stylo ejusdem Sedis 9
in Statu Ecclesiastico, subjiciendi gabellis, aliisque oneribus, etiam ecclesiasticos, idque concedendi quandoque aliquibus Principibus, ut præsertim, in Hispania contingit in illis subsidiis, quæ diversa habent vocabula.

Solumque in puncto juris dicebam, quod intrare pos-
set defectus intentionis, seu vitium subreptionis, vel ob- 10
reptionis, quod scilicet Pontifex, qui moderno tempore posteriorem gratiam concessit, præsupposuit, ut idem esset status rerum, qualis erat de tempore primæ concessionis cujus executionem demandavit, solum immutato modo, dum de præsenti docebatur in facto, quod non sufficeret narrata causa insufficientiæ virium Religionis, quæ tunc subsistebat.

Verum de isto fundamento pariter advertebam nimiùm dubitandum esse, quoniam hæc inspectio subreptionis, vel defectus intentionis cadit coram judice quando incertum sit, qualis fuerit Principis intentio; & quo casu, ut plures insinuatur, verius est, ut tanquam in quæstione voluntatis, ideoque potiùs facti, quam juris, certa regula generalis desuper statui non valeat, cùm decisio pendeat à singulorum casuum particularibus circumstantiis, potissimùm verò à verisimilitudine, vel inverisimilitudine, ideoque dicitur materia arbitraria ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Gregor. & Adden. *dec.*150. & frequenter, cum sint principia hodie quotidiana nimiumque vulgata; Et consequenter ubi Princeps sit præsens, illeque aditus, pro suæ voluntatis declaratione, dicat qualis ea fuerit, tunc omnis quæstio cessat juxta casum, de quo *sub tit. de Regul. d. disc.* 32.

Ex duobus tamen fundamentis, (etiam cum aliquo sen- 11
su veritatis) dicebam quod ecclesiasticorum gravamen adesset, ideoque ista gratia effectum sortiri non deberet; Primò nempè circa substantiam, ex eo quod dicta prima concessio Innocentii effectum jam sortita esset, atque ecclesiastici ab hoc Principe sæculari, istam collectam, longeque majorem jam passi essent, quodque culposè idem Princeps contra ejusdem concessionis formam id quod exinde retraxit, in alias causas, non autem in eam, quæ per Papam demandata fuit, erogasset; Ideoque id ipsis ecclesiasticis præjudicare non deberet, cùm ita citra Pontificis voluntatem duplicem paterentur collectam; Et secundò, quod ubi etiam gratia effectum sortiri deberet, adhuc tamen gravamen adesset circa modum, quodque propterea in omnem eventum locus esset reformationi, seu diversi modi præfinitionis; Atque præsertim ex hoc secundo fundamento elata videbatur justitia recurrentium.

Quatenus igitur pertinet ad primum fundamentum super implemento, seu effectu gratiæ; quodque jam ecclesiastici istam collectam exuberanter passi essent, defectus autem ex parte Religionis consisteret in mala applicatione ejus quod exinde retractum fuit.

Di-

12 Dicebam quod de jure, Princeps, vel alter qui habeat facultatem cudendi monetam, tenetur in utroque foro, eam facere de bona materia, seu liga, adeout habeat naturalem, ac intrinsecum materiæ valorem, in quo sit ubique expendibilis, etiam extra ipsius cusoris Principatum, vel ditionem, ideoque ubique apta sit commercio, quia nempè (ex. gr.) si valor intrinsecus argenti in massa est scutorum decem, ita decem, ita debeat ad monetam reduci, quod ille numerus monetarum, qui juxta ordinationem cusoris, importat summam scutorum decem, contineat eandem libram argenti, & sic respectivè in moneta auri, vel æris habita proportione.

13 Solumque permittitur de communi usu quædam mixtura inferioris materiæ, quæ vulgò liga dicitur, pro reintegratione personarum, quæ in ipsa cusione sunt necessariæ, adeout Princeps, vel alter superior, qui hoc regale jus cusionis monetarum habeat, partes administratoris pro populo, & communi usu, vel commercio facere dicatur, ita cum eodem populo, & commercio, ac etiam cùm non subditis qui in regione commercium habeant, faciendo quendam contractum, vel quasi commutationis, ad limites justitiæ commutativæ, ex iis quæ firmant Andr. de Barulo, Jo. de Platea, & alii *in l. 1. C. de veter. numismat. post l. 10.* noster eruditissimus Regnicola Borrel. *in tract. de præstant. Regis Catholici, cap. 12. n. 28. & seqq.* Lotther. *de benefic. lib. 1. q. 39. ex n. 189. & dicto disc. 126. de Regal.*

14 Et licèt quandoque, ex causa publicæ necessitatis, eidem Principi, vel alteri superiori hoc jus regale habenti, ubi aliàs occurri non valeat, concedatur ut monetam inferioris materiæ cudat, eique majorem extrinsecum, seu accidentalem valorem cum ejus authoritate tribuat; Attamen id solum conceditur provisionaliter, cum obligatione supplendi verum valorem, tanquam per speciem consignationis signi, seu schedulæ consistentis in illa moneta inferiori, cessata necessitate, & cum quodam implicito mutuo, seu per speciem venditionis, victualium, & mercium, aliorumque rerum in commercio existentium habita fide de pretio, ut apud allegatos, & advertitur *d. disc. 126. de Regal.*

15 Siquidem aliàs est fallere publicam fidem, recipiendo bona (ex. gr.) valoris decem, & dando pro eis monetam quæ idealiter, ac fictè constituat decem, sed in effectu non importet nisi quinque, vel quatuor &c. pro quibus tantum in commercio humano extra illam ditionem expendibilis est vel etiam in eadem cum exteris negotiatoribus, ac introductoribus mercium, & victualium, non recipiètibus nisi monetam habentem justum valorem naturalem, seu intrinsecum ubique expendibilem, quà ita emere oportet cum longè majori quantitate monetæ inferioris, cujus valor natura-

16 lis ac intrinsecus monetæ bonæ æquivaleat, juxta ea quæ in proposito emptionis scutorum auri stamparum pro usu cambiorum, vel pro expeditionibus Datariæ, aut pro solutionibus pensionum aliorumque debitorum in scutis auri, vel in certa specie monetæ argenti habentur *sub dict. tit. de Regal. disc. 126. & seqq. & tit. de benef. disc. 88. & 89. & tit. de pension. disc. 14. & seqq. & t. de credito, disc. 140.* ac alibi pluries.

17 Quando itaque id sequitur, atque de facto, quia nempè non verificetur casus cessantis necessitatis, vel superventæ commoditatis Principis faciendi hanc reintegrationem, ac restituendi istud implicitum mutuum contractum cum populo, qui ita de facto damnificatus remaneat; Et tunc, spectato effectu, ista cusio monetæ inferioris, cum obligatione illam recipiendi, & contractandi pro majori valore, quàm verè importaret verè, ac propriè importat quandam implicitam gabellam, seu collectam personalem, quam Princeps, mediante hoc necessario usu monetæ, subditis, ac populo exigit; Adinstar illius gabellæ, vel collectæ, quam ita insensibiliter Princeps, aliique dominátes exigunt mediante jure privativo, quod exercent in venditione, seu contractatione victualium aliarumque rerum, quæ humano usui necessariæ

18 sunt, juxta frequenter insinuata *sub d. tit. de Regal.* occasione agendi de hac generali, ac frequentiori praxi in sale, cujus valor intrinsecus ratione solius materiæ valdè modicus est, & tamen ob illam necessitatem, quam producit jus privativum, est longè major, ideoque in illo excessu valoris extrinseci, seu accidètalis inesse dicitur implicita gabella personalis, quæ à subditis exigitur, quod etiam in pane venali aliisque victualibus, vel usualibus practicatur habetur *d. tit. de Regal.* ac etiam *infra in duobus discursibus proximè seqq.*

19 Applicando itaque ad rem; Cùm M. Magister, seu Religio, in hac Insula, respectu cleri, & populi, aliam non gerat personam, nisi illam Principis sæcularis, vel feudatarii ut supra; Atque cum hac illicita introductione monetæ, necessitatem induxerit in utroque clero sæculari, & regulari; aliisque ecclesiasticis exemptis, patiendi hanc jacturam in venditione alia vel contractatione fructuum eorum bonorum etiam ecclesiasticorum, præsertim ob necessitatem exigendi à laicis debitoribus reddentibus, in ea specie monetæ annuas præstationes, in quibus, vel ex causa censuum impositorum ad formam *Bullæ Nicolai V.* (qui proptereà in utraque Insula Siciliæ, & Melitæ bullales vulgò dicuntur) vel ex causa canonum, & livellorum, sive annorum legatorum promissis, & anniversariis, in quibus major pars reddituum ecclesiasticorum consistere videtur; Ita de consequenti unum de duobus resultat; Vel scilicet quod ita Princeps ex dicto implicito mutuo remaneat debitor ecclesiasticorum in reintegratione ejus quod interest; Vel quod ita ab Ecclesiasticis, gabellam, seu collectà in prima Innocentii concessione contentam exuberantèr exegerit, unde proptereà gratia effectum, seu implementum sortita sit; Et consequenter quidquid sit quoad laicos proprios subditos; Attamèquoad ecclesiasticos quos collectare non potuit, nisi ad limites dictæ concessionis, jam collecta sequuta fuit, non tamen erogata in illum usum à Papa demandatum, ideoque idem usus de proprio tamquam per speciem restitutionis debiti, suppleri debet, cum certum sit, quod dicta moneta non afficit non subditos, ut advertitur *dicto disc. 126. de Regal.* ubi allegatur Lotther. *de benefic.* & alii id in specie firmantes.

Et quamvis in contrarium duæ urgere videantur considerationes, Primò nempè, ut id nil præjudicet ecclesiasticis, dum illam inferiorem monetam, quam ita ab eorum debitoribus, & reddentibus, vel ab emptoribus fructuum obtinent pro eodem valore impendunt, perindè ac si esset bonæ materiæ; Et secundò fortius ob communem usum aliorum Principatuum, quoniam in eis ad Principem sæcularem pertinet cudere monetam, quæ inter omnes est in usu, neque jus conceditur ecclesiasticis illam reprobare, seu aliam cudere monetam, quoniam ita esset Reipublicæ regimen intervertere.

Attamen istæ considerationes, quæ in effectu sonant in idem, atque una inest alteri, non videntur ad hanc facti speciem applicabiles ex ejus particularibus facti circumstantiis, Tum quia agitur de parva Insula; quæ de necessariis provisa non est, ideoque oportet se providere de rebus ad victum præsertim, ac aliis ad humanum usum necessariis in aliis regionibus, in quibus moneta non est expendibilis, quod non de facili cadit in Regnis, & provinciis, aliisque magnis Principatibus; Tum etiam quia, Aliud est ut ecclesiastici agendo, jus non habeant refectionis damni quod ex mala moneta sentiunt contra Principem cusorem, atque ad hunc effectum dicta consideratio communis usus magna est; Aliud verò, ut excipiendo, seu replicando dicere valeant eidem Principi, vel Rectori petenti ab eis subsidium pro causis promiscuæ utilitatis, vel necessitatis, ut in istas causas, vel expensas eroget id, quod percipit emolumenti ex mala qualitate monetæ, dum ita in effectu ipsi ecclesiastici contribuunt; Ideoque aliud est actio, aliud verò exceptio.

Hinc nulla videbatur subesse necessitas assumendi secundam inspectionem, super modo exigendi istam collectam, seu contributionem quoniam sublato principali, de consequenti cessat accessorium, atque inane opus est agere de modo solvendi illud debitum, quod nullatenus est sub obligatione.

Verùm ubi de hoc secundo puncto agendum esset; Adhuc advertebam quod clarum adesset ecclesiasticorum, imò etiam sæcularium gravamen imponendi istam collectam per æs, & libras super bonis stabilibus in Insula existentibus, quamvis etiam bona ipsius Religionis eidem contributioni subjicerent; Quoniam illæ expensæ, quæ omnes tangunt, ab omnibus pariformiter ferri debent, ut ita, a maximo usque ad minimum, cum debita proportione, sarcina feratur ad textum *in l. 1. C. de quibus muner, l. 10. cum Concordan. pluries deductis ad materiam collectarum, d. tit. de Regal. præsertim disc. 102. & in aliis ibi proximis.* 20

Cùm itaque in hac Insula multi adsint mercatores, & negotiantes possessores notabilis assis consistentis in pecunia, & mercibus, ac pretiosa suppellectili, Idemque magis, verificetur in ipsius Religionis militibus, & capellanis, ac servientibus juxta illam trium ordinum distinctionem, quæ recensetur, *dec. 15. part. 11. rec.* & sæpiùs, *& sub tit. de Regal. disc. 61.* Potissimè verò in possessoribus pinguium Prioratuum, & Commendarum, aliarumque dignitatum existentium in diversis catholici Orbis partibus; Hinc proindè injustus remanet hujus collectæ, vel contributionis modus, dùm isti ditiores, qui bona stabilia in ipsa Insula non possident, ita exem-

exempri remanent; Et tamen ducto eodem argumento, de
quo *disc.prec.*isti, qui exemptionem ita obtinent, in muni-
tionibus magis interessati sunt, ideoque ad majorem contri-
butionem teneri deberent, quoniam ubi infidelium occupa-
21 tio, vel incursio sequeretur, eorum majus esset damnum pos-
sidentium pecunias, ac merces & pretiosam supellectilem,
dum hæc subjacent hostium, ac militum deprædationi, cum
non subjacent bona stabilia, Ac etiam quia ista, vel expressè
ac directè, vel indirectè, ac insensibiliter ratione culturæ,
seu venditionis fructuum aliis oneribus subjacent.
22 Objiciebatur de consensu penè totius utriusque cleri præ-
stiti cum singulorum subscriptionibus in quibusdam foliis,
quodque propterea exaudiri non deberent alii recurrentes
ipsius cleri satis modicam partem constituentes; Verùm
istud erat debile refugium ex tribus distinctis fundamentis,
quorum quodlibet solidum esse dicebam; Primò nempe
23 quod neque volentes possunt ecclesiastici se subjicere laica-
libus oneribus, quando copulativè non concurrant alia re-
quisita, de quibus, *disc. prec.* Et consequenter iste consen-
sus, quamvis solemniter, ac legitimè præstitus esset, non
veniebat attendendus; Secundò ex vero principio, quod
in iis quæ tangunt interesse singulorum, major pars mino-
ri non præjudicat.

Et tertiò fortiùs ex alia vera conclusione pluries insinu-
ta præsertim *sub tit. de Canon. & Capit.* ac etiam *sub tit. de
jure patr.* & alibi, quod scilicet in actibus communitatis,
seu collegialibus non attenduntur vota singularia, sed ea
præstari debent collegialiter more universitatis.
24 Quinimò frequentiùs praxis laudabiliter introduxit, ut
tam in actibus capitularibus, seu conventualibus ex decre-
tis, seu declarationibus Sac. Congregationis Episcoporum,
& regularium, quam etiam in actibus communitativis, qui
fiant per Communitates laicales Status ecclesiastici ex pro-
visionibus S. Consultæ, & alibi, ex mandato proprii Princi-
pis, vel supremi Magistratus, adhiberi debeat ista forma per
vota secreta, quamvis de jure ista necessitas non adsit ad li-
bertatem conservandam; Quod etiam in collegiis, vel piis
confraternitatibus, aliisq; adunantiis generaliter introdu-
ctum est; Potissimè verò ubi agitur de negotiis concernen-
tibus interesse ejus qui ibi loci Princeps, vel Dominus, qui
etiam ecclesiasticis, & exemptis, quandam vim inferre di-
citur, cum molestiis, quas conjunctis inferre potest.
25 Atque in idem ex parte ecclesiasticorum pleraque alia de-
ducebantur fundamenta, de quibus tamen utpotè consi-
stentibus in nudo facto, pro commendabili Curiæ stylo,
ad Advocatos agere non pertinet.

BITUNTINA GABELLÆ FARINÆ

PRO CIVITATE CUM CLERO.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Immunitatis, & pendet.

De exemptione ecclesiasticorum a gabella farinæ, seu panis, quomodo eis debita sit, ad tollendas fraudes; Et de antiquis transactionibus, vel conventionibus in hac materia, an debeant servari? Et incidenter de gabellis, & oneribus Regni Neapolitani, & taxa franchitiarum.

S U M M A R I U M.

1 *DE Regalibus quæ obtinet Rex in Regno Neapolitano.*
2 *Et de contributionibus, & collectis, quæ eidem Regi solvuntur.*
3 *Quomodo Communitates vivant, & gabellas imponant.*
4 *De gabella farinæ, seu molitura.*
5 6 7 & 8 *Quomodo præstetur exemptio Ecclesiasticorum aliorumque exemptorum.*
9 *Facti series.*
10 *Status causæ.*
11 *Exemptio ecclesiasticorum indubitata.*
12 *Transactio extinguit omnia jura solumque pro ejus observantia agitur.*
13 *Non possunt primæva jura exerceri, nisi illa prius de medio tollatur, itaque excusat à contumacia, & censuris.*
14 *Sententia sine actis non probat.*
15 *Quid ubi sit sententia antiqua.*
16 *Quomodo dicatur deficere observantia.*
17 *Mora non datur in illiquidis.*
18 *Exemptio debetur ecclesiasticis pro usu, non autem ad lucrum, & fraudem.*
19 *Clericus mercator non est exemptus ab oneribus, & gabellis.*
20 *Exemptio ecclesiasticorum in cujus damnum redundet.*
21 *Sacra Congregationes non cognoscunt causas judiciales.*
22 *Super quibus erant quæstiones inter partes.*
23 *De requisito transactionis ut aliquod detur, & remittatur hinc inde.*
24 *De eadem de quo n. 19.*
25 *An ecclesiastici teneantur ad contributiones, & onera pro expensis ad promiscuam utilitatem, & necessitatem.*
26 *An teneantur ad onera pro bonis ad eos obventis à laicis?*
27 *Quod ista non sint amplius quæstiones juris, sed facti.*
28 *Ad regulandam transactionem debent attendi opiniones, quæ tunc tenebantur.*
29 *De conclusione ut actus regulari debeat de tempore quo fiat, & de limitatione ubi tractu temporis reducatur ad injustitiam.*
30 *Per quadragenariam junctam cum titulo bonæ fidei putativo præscribuntur etiam imprescriptibilia.*
31 *De distinctione inter præscriptionem decimandi in genere, vel modum, seu quotam.*
32 *De eadem distinctione in materia immunitatis ecclesiasticæ quando sit præscriptibilis nec ne.*
33 *De potestate Papæ subjiciendi ecclesiasticos oneribus laicalibus.*
34 35 *De eodem ubi de certa re, vel taxa, seu modo.*
36 *De eodem de quo n. 18. & quanta debeat esse franchitia ecclesiasticorum.*
37 *De inconvenientibus resultantibus à taxa generali uniformi.*
38 *De eadem taxa, & quod concordia, vel consuetudo debeat servari.*
39 *Quanta sit taxa proportionata usui personæ.*
40 *De rationibus ob quas antiqua taxa debent potius minui, & quod intret ratio cap. suggestum, de decimis.*
41 *Damnatur magnus numerus Clericorum.*
42 *In quorum damnum id tendat.*
43 *De modo consulendi fraudibus quæ resultant ab his franchitiis.*
44 *De fraudibus quæ fiant per Clericos.*
45 *Non potest introduci panis vel farina in præjudicium habentis gabellam, vel jus molituræ.*
46 *Immunes à gabellis possunt cogi ad denunciandum.*
47 *Quomodo deberet provideri.*
48 *Quid concludatur in causa.*

D I S C. V.

REgni Neapolitani Rex, pro publicis oneribus suppor- 1
tandis, atque (ut Justitiæ dicunt) pro Reipublicæ do-
te, quam Princeps, tanquam ejus maritus obtinet pro sup-
portatione onerum matrimonii politici, ultra illa emolu-
menta, quæ reportat ex juris regalibus recensitis in sua ma-
teria *sub tit. de Regal.* quibus, ratione juris privativi aliquæ
etiam gabellæ, seu collectæ, implicitè insunt; Ut (ex. gr.)
sunt salinæ cum salariis, idest cum jure privativo vendendi
salem, Dohanæ, quæ in jure vectigalia, seu portoriæ,
aut teloniæ dicuntur; Aliæ dohanæ animalium, seu publi-
corum pascuorum; Fodinæ, seu mineralia; Tractæ, seu
extractiones; Pischeriæ; & alia similia in præfata rega-
lium sede insinuata, quæ Regis præcipua sunt, eique non
competunt Baronibus, nisi ex aliquo speciali privilegio,
vel ex immemorabili, cujus vigore privilegium allegari
valeat, ex ibi deductis.
Obtinet quoque, partim in ratione antiquarum concor- 2
diarum, & partim ratione donativorum, quæ in tempora
per Regnum ipsi Regi fieri solent, contributiones, vel col-
lectas, quæ singulis annis, uniformes, tanquam per speciem
census, vel annuæ præstationis solvuntur pro numero domo-
rum fumantium, sive (ut vulgò dicitur) focularioru, ad
rationem scilicet tot ducatorum, seu carolenorum pro quoli-
bet foculari; Undè propterea mos est in tempora facienai

ani-

animarum, seu focularium descriptionem, ob singulorum locorum eacrescentiam, vel decrescentiam respectivè, ut ita in qualibet Civitate, vel oppido, seu loco habitato, statuto focularium numero, statuatur taxa uniformis ejus, quod illius Civitatis, Oppidi, aut loci communitas singulis annis Regiæ Curiæ, vel ejus assignatariis; sub nomine fiscalium statutis temporibus (quæ ibi tannæ dicuntur,) solvere debeat.

3 Pro solutione autem istius, aliorumque onerum (quæ ad differentiam fiscalium, seu cameralium, communitativa dicuntur) ut ex. gr. sunt stipendia medicorum, & chyrurgorum, & magistrorum scholæ; ac etiam horologiorum, ac fontium, & aquæductuum, nec non murorum, seu mœnium ac viarum, & pontium expensæ, nec non hospitationes, vel transitus militum, & publicorum magistratuum, cum similibus; Mos est, quod qualibet universitas, seu communitas (cum licentia tamen Regia vel illorum Magistratuum; ad quos pertinet, & non aliàs) sibi, suisque subditis, gabellas, & collectas dictorum onerum supportationi proportionatas diversimodè imponit, juxta regionum diversos mores, vel diversas qualitates, unde propterea gabellæ, vel collectæ non sunt uniformes, cùm in plerisque Civitatibus, & locis (& forsan pro majori parte,) experientia docente quod, collecta realis pro modo facultatum, quæ per æs, & libram dicitur, sive personalis, quæ in jure capitatio dicitur, vulgò *la testa* non est de facili practicabilis, & opportuna, vivitur per gabellas impositas super usu victualium, vel super introductione fructuum. In aliis autem vivitur cum dictis collectis personalibus, vel realibus respectivè, & in aliis mixtim cum his omnibus, prout regionum, seu locorum diversa qualitas præbet.

4 In Apulia verò præsertim, major Communitatum nervus, pro frequentiori usu consistit in gabella, quæ molituræ tritici, seu farinæ vulgò dicitur, quod scilicet volentes pro usu panis qui penè in toto Regno (paucis locis montuosis Aprutii exceptis,) de alia specie in usu non est, nisi de puro, & bono tritico, istud molere, atque ad farinæ usum reducere, tenentur solvere Communitati quandam summam pro ea mensura, quæ ibi tumulus dicitur, sub nomine modi explicati solitus, qui importat quintam circiter partem illius mensuræ, quæ in Urbe sub nomine rubii, in usu est; Atque facta quadam peræquatione illius sortis, ac soliditatis tritici, quem regio producit, æstimatur in pondere rotulorum quinquaginta farinæ pro quolibet tumulo, qui important libras centum viginti quinque circiter juxta pondus libræ Romanæ; Diversusque est stylus exactionis hujus gabellæ quoniam in plerisque locis illa exigitur ad rationem mensuræ, in aliis autem ad rationem ponderis; Et de qua gabella in aliis hujusmodi provinciæ locis agitur *sub tit. de Regal. disc. 54. & 155.*

5 Quia verò ab hujusmodi gabella exempti sunt ecclesiastici utriusque cleri sæcularis, & regularis, ac etiam plures laici, putà milites, & aliqui regii officiales, ac etiam illi patres qui ob numerum duodecim filiorū onusti dicuntur, & similes; Idcircò ne ex hujusmodi exemptionibus fraudes resultarent, quia nempè moleretur triticum ultra ipsorum exemptorum usum, pro usu non exemptorum, qui in eisdem domibus vivunt, ut præsertim sunt conjuncti, mos inolevit, quod ecclesiasticis, aliisque exemptis, pro gabellæ administratores, vel conductores singulis mensibus, gratis traditur illud idem singulum, seu illa parva gabella, quæ omnibus non exemptis tradi solet pro signo gabellæ jam solutæ, ut ita in molitura tritici, vel in panis coctione, aliove usu impedimentum non habeatur.

6 Sed quoniam, non omnibus ecclesiasticis aliisque exemptis, suppetit commoditas conficiendi panem propriæ domi unde propterea emere coguntur panem venalem, cujus pretium ex pluries insinuatis *dict. tit. de Regal.* præsertim *disc. 61.* est mixtum, partim scilicet intrinsecum, & naturale pro valore tritici, ac pro expensis moliturae, cocturæ, & compositionis, partim verò intrinsecum, & accidentale ratione gabellæ; Idcircò mos pariter inolevit insinuatus etiam *sub tit. de Regal. disc. 54.* quod ecclesiasticis permittitur facultas vendendi, seu gratis concedendi conjunctis, vel cautanciis dicta signa, seu parvas pagellas, ut ita se reintegrent de illa gabella, quam solvunt occasione emendi panem venalem.

7 Talisque est mos penè generalis totius Regni in illis partibus, in quibus ista gabella sit in usu, præterquam in Civitate Neapolis, in qua, ob illius populi nimiam multitudinem, iste usus est impracticabilis absque magnis fraudibus, etiam quæ mos inolevit, à Sede Apostolica in magnis Civitatibus

vel in publicis emporiis approbari solitus, ut patet ex decisionibus, & authoritatibus pluries insinuatis, *d. tit. de Reg.* præsertim *disc. 58.* quod scilicet, tam respectu istius gabellæ panis, quàm etiam vini, & carnium, aliorumque victualium, vel mercium, omnes etiam ecclesiastici exempti, indefinitè eo modo quo sæculares non exempti, gabellam solvunt, seu victualia in gabella emunt, deindè verò in fine anni, vel in aliis statutis temporibus, per gabellarium, vel alium ad id deputatum, eis in pecunia solvitur id quod gabella importare potest.

Super taxa verò dictæ franchitiæ quantitatis panis, vel tritici, ac vini aliorumque victualium, uniformiter ecclesiasticis præstandæ, diversus etiam est regionum, seu locorum stylus; Quamvis enim Tribunal Regiæ Cameræ, antiquo tempore de anno scilicèt 1541. quandam fecerit taxam generalem pro toto Regno, ad rationem cujusdam numeri unciarum carnium aliorumque victualium, ac etiam cujusdā mensuræ vini, vel olei singulis diebus pro qualibet persona, ejusque famulo, vel famula, atque respectu istius gabellæ ad rationem tumulorum viginti quinque quolibet anno, cum præsupposito quod teneatur famulus, vel duodecim cum dimidio cessante dicto præsupposito; Dictaque taxa moderno tempore, de anno 1649. cum aliqua (rationabili quidem) modatatione fuerit innovata, præsertim respectu hujus gabellæ ad rationem unius rotulis panis pro qualibet persona singulis diebus, ut patet ex utraque taxa registrata inter decreta Regiæ Cameræ post decisiones Revertere *tom. 2. decreto 637. fol. 941.* 8

9 Adhuc tamen, diversus est mos locorum, quod alicubi illa est major, alicubi verò minor, pro dignitate, vel qualitate personarum, ut insinuatur etiam *d. disc. 54. & 155. de Regal.* in quibus de eadem gabella agitur.

Ista igitur sic stante generica hujus gabellæ notitia, quæ pro istius, vel similium controversiarum opportuna decisione, congrua, imò necessaria videtur; Cùm inter communitatem Civitatis Bitontinæ in Apulia, in ea provincia, quæ juxta modernam illius Regni divisionem, Iapigiæ, seu Terra Barii dicitur, & capitulum Cathedralis, universumque clerum sæcularem, antiquo tempore exortæ essent controversiæ, super exemptione à gabellis, quæ tunc aderant, de anno 1459. 10
ad quandam concordiam deventum est; Verùm immutato rerum statu, atque imposita de novo, vel nimiùm adaucta ista gabella farinæ seu molituræ publicataque dicta taxa generali anno 1541. novæ exortæ fuerunt controversiæ; Cumque esset ejusdem civitatis Præsul insignis Concionator Cornelius Musus Placentinus, Ordinis Minorum Conventualium, de cujus conjunctis, ista occasione in hac Provincia incolatum habentibus, habetur mentio *sub tit. de fideic. disc. 149.* hinc ipsius opera & mediatione, de anno 1556. ad novam deventum est concordiam à Pio IV. de ann. 1562. in aliquibus partibus, & præsertim circa franchitiam gabellarum panis, & vini inserto tenore capitulorum in forma specifica approbatam, per quam, cum pluribus distinctis capitulis, statutus fuit modus exemptionis cleri secularis ab omnibus gabellis, ac oneribus respectivè, cum conventione præsertim, ut exempti quoque essent ab illis expensis, & oneribus, quæ promiscuam utilitatem, & commoditatem ecclesiasticorū, & sæcularium concernunt, ut sunt stipendia medici, & chirurghi, ac refectiones mœnium, & viarum, & similia; In specie verò hujus gabellæ farinæ, seu molituræ, cum debita proportione status personarum, conventum est ut franchitia Dignitatum Cathedralis singulis mensibus esse deberet ad rationem rotulorum centum farinæ pro quolibet, illa verò Canonicorum, aliorumque in presbyterali ordine existentium, ad rationem rotulorum quinquaginta; Existentium autem in aliis diaconatus, vel subdiaconatus ordinibus sacris, ad rationem rotulorum triginta septem cum dimidio, omniumque aliorum clericorum in minoribus ad rationem rotulorum viginti quinque, qui pro sustentatione cujuslibet personæ absque dubio sufficiunt, ac exuberant, dum Regularibus, qui collegiali more in claustris vivunt, ac patribus onustis, aliisque exemptis ad istius ultimæ taxæ rationem, imò ad minorem franchitia datur ad rationem scilicet tumulorum viginti duo cum dimidio pro qualibet persona.

Pacticam, saltim in judicio, habuit observantiam ista concordia usque ad ann. 1631. in qua aliqui ecclesiastici, illam reputantes præjudicialem, quòdque tanquam persona- 11
lis, non deberet afficere successores, Apostolicam obtinuerunt commissionem directam ejusdem civitatis Episcopo, à quo de anno 1642. prodiit sententia super dictæ concordiæ infirmatione, seu personalitate, ita ut in ejus executionem de

de anno 1640. aliquæ relaxatæ fuerunt censuræ; Verùm id nullum produxit effectum, ideoque in eadem observantia continuatum fuit usque ad annum 1671. quando Episcopus ob majorum franchitiarum denegationem, communitatis Magistratum excommunicavit, ipsamque Civitatem deinde ecclesiastico interdicto supposuit; Unde propterea post aliquam contumaciam, ex quodam imprudenti consilio, apud S. Congreg. Immunitatis contractam, habito ad eam recursu, assumptaque desuper disputatione, vel petitione ecclesiasticorum dilata resolutione cum suspensione censurarum, deputata fuit per Papam Congregatio particularis aliquorum Cardinalium, & Prælatorum, coram qua adhuc pendet indecisa.

11 In disputationibus itaque desuper habitis, ac respectivè præparatis; quamvis scribentes pro ecclesiasticis, cum adeò frequenter damnata, & declarata inutili chartarum repletione, quæ hodiè omnibus Juris professoribus, (nescitur ex quo spiritu, vel ratione) connaturalis effecta est, super notoriis, ac indubitatis regulis, ac propositionibus, de plano præsupponendis, insisterent super clericorum, aliorumque ecclesiasticorum immunitate à gabellis, & collectis aliisque laicalibus oneribus, quodque neque volentes absque Apostolica authoritate aliisque requisitis enunciatis in duobus discursibus proximè præcedentibus, possent se subjicere, ideoque multò minùs eorum successores non consentientes obligare.

Attamen revera iste erat labor inanis, continens (ut dictum est) superfluam chartarum repletionem, quoniam ego scribens pro Civitate, hujusmodi regulas, seu propositiones non impugnabam, imò expressè admittebam, nullaque erat quæstio super ipsa exemptione in genere, vel substantia, sed solum punctus erat super modo, vel majori, seu minori taxa, seu quantitate.

In hoc autem duas efformabam inspectiones; Unam scilicet ordinis de præterito malè tenti, atque in futuro tenendi; Et alteram justitiæ, seu meritorum, ad effectum inspiciendi, an dicta transactio esset valida, & successorum obligatoria necne, & quomodo ista franchitia danda esset?

12 Quatenus itaque pertinet ad primum, dicebam quod transactionis natura est, ut tanquam res judicata (cujus vim habet) extinguat omnia jura, omnesque actiones, adeout alia non suppetat actio, nisi illa pro ipsius transactionis executione, & observantia *cap. 1. de transact. cum concord.* per Greg. & Adden. *decis.* 216. *n.* 2. *&* 286. *n.* 6. Buratt. *decis.* 464. *n.* 7. *& sub tit. de altern. & conv. dec.* 50. *n.* 26.

13 Quando verò una transigentium illam impugnare velit, atque regredi ad priora jura per eam dimissa, tunc opus est ut priùs illam de medio tollat per tres conformes, vel per rem judicatam, ut ita annichilata transactione priores actiones primævaque jura reviviscant, atque exerceri possint juxta receptam *dec.* 550. Cavaler. *p.* 4. *dec.* 86. *n.* 9. *p.* 6. *rec.* & frequenter, ut pluries habetur in omni ferè materia & præsertim *sub tit. de judiciis*, occasione agendi de judicio immissionis, vel alio possessorio, aut executivo, ubi adsit transactio, quæ invalida prætendatur, multò magis ad effectum excusandi à censuris, quoniam istæ non dantur sine contumacia, à qua concordia excusat, etiam si postea declaretur nulla, ut benè apud Dunozett. Senior *dec.* 34. *n.* 6. *recen. dec.* 585. *n.* 6. *p.* 1. *rec.* & apud Royas *dec.* 364. *n.* 14. *& seqq. & per tot. ubi Concordantes*.

14 Neque dici poterat quod id jam secutum esset per dictam sententiam de anno 1642. transactam (ut prætendebatur) in judicatum, quoniam nisi exhiberentur acta, ex quibus ejus validitas, ac justitia justificarentur, sola sententia nihil probat, neque attendenda est, ex deductis per Greg. & Add. *dec.* 1. *&* 209. Buratt. & Add. *dec.* 76. 94. *&* 813. & passim, cùm sit principium nimium vulgare, ac receptum *ut sub tit. de judiciis*.

15 Et quamvis illud limitari soleat, quando agatur de sententia antiqua; Nihilominus ad hujus limitationis effectum, duo copulativè desiderantur; Primò nempe lapsus temporis 30. annorum, sine quibus non datur antiquitas; Et secundò copulativè, ut concurrat observantia per totum tempus supradictum, & non aliàs, ut patet ex proximè allegatis, & habetur in sua sede *sub dicto titul. de judiciis*.

16 Utrumque autem cessabat, cùm inter sententiam, & litem non adesset hoc intervallum 30. annorum completorum & quod magis est, nulla aderat executio, quæ potiùs fuit semper in contrarium, unde propterea quamvis de stricto jure prætendi non posset illa desertio litis, quæ de jure canonico, ac in foro ecclesiastico, in quo instantia nunquam perit, intrare solet, cum ad hunc effectum copulativè desiderentur malum jus, & idem continuatum spatium tricennale; quod non aderat ex pluribus præsertim tentativis medio tempore factis per ecclesiasticos, quamvis absque effectu; Attamen saltim aliqua præsumptio, seu vehemens adminiculum exinde resultare videbatur cognitionis mali juris, cum aliàs verisimile non sit quod tandiu executio dictæ jam obtentæ sententiæ favorabilis neglecta fuisset, ideoque magis necessariam dicebam dictam trasportationem actorum, ex quibus, pro stylo, seu experientia frequentiori, probabiliter, tam nullitas, quam injustitia sententiæ convinci solet, quibus accedentibus agi non poterat de re judicata, ex pariter absoluto, & quotidiano principio, quod sententia nulla, vel injusta nunquam transit in judicatum; Atque ita eventus docuit, quoniam exhibitis actis post hæc scripta, de pluribus nullitatibus sententiam laborare constitit.

Præterea, ubi etiam eadem res judicata supponenda veniret, adeout transactionis remedio sublato, jus ecclesiasticorum integrum remaneret; adhuc tamè hujusmodi censuræ sostineri non poterant, utpote promulgatæ ex prætextu violatæ ecclesiasticæ immunitatis, vel contumaciæ in denegando debitam exemptionem, seu franchitiam, ab ista gabella laicali, dum juxta præmissam facti seriem, seu concordiæ tenorem, dicta franchitia, juxta diversos ecclesiasticorum ordines non negabatur, ac de facto semper præstita fuit, ac præstatur, ideoque nulla erat quæstio franchitiæ in genere, vel in substantia, sed super majori, vel minori quantitate; Cùmque nullibi per sacros canones, vel per Apostolica decreta, ista præcisa quantitas liquidata, seu præscripta habeatur; Hinc proinde dicebam, quod omninò præcedere deberet ea judicio ejusdem S. Congregationis vel alterius judicis competentis dicta liquidatio, qua non 17
secuta debitor dici non potest in mora, vel contumacia; neque ad aliquam executionem deveniri potest, cùm ignoret quid debeat, *cap. non est in mora, de reg. jur. in* 6. *l. vinum ff. si cert. pet.* Greg. & Adden. *dec.* 124. *& in eadem sede judic. sub tit. de judiciis*, & alibi pluries.

Ideoque ex his certum remanebat quod promulgatæ censuræ non sustinerentur, neque aliis de novo locus esse poterat, donec utrumque ex præmissis præcederet; Primò scilicet irritatio dictæ transactionis, & secundò liquidatio.

Utrumque autem dicebam fieri debere in Rota, vel in 18
alio Tribunali judiciario, servatis servandis cum processu, ac probationibus hincinde, super loci consuetudine, ac etiam super ecclesiasticorum statu, ac indigentia, ad effectum faciendi dictam taxam usui proprio proportionatam, ad cujus limites tantùm, indubitatum est, quod exemptio ecclesiasticis debetur, non autem in excessu, ad fraudem, seu lucrum, quoniam ut pluries in ista materia gabellarum, & vectigalium advertitur in dicta sua sede *sub titul. de Regal.* præsertim *d. disc.* 53. *&* 54. *& disc.* 61. & alibi, ecclesiasticis debetur solùm exemptio passiva, ne scilicet cogantur occasione usus victualium, quæ ipsis eorumque necessariæ familiæ congrua sunt, solvere gabellas laicales, adeout quoad eos res reducatur ad statum antiquum, ac naturalem, ante gabellarum impositionem, perinde ac si illæ non essent in rerum natura, non autem in ratione activa, ad lucrum; & locupletationem, de quibus revera erat quæstio, quod scilicet obtineretur franchitia in excessu, ad effectum vendendi, cùm ita esset exercere juris regale Principis, atque in privatam utilitatem erogare id, quod Principi pro oneribus publicis debitum est.

Id autem à sacris canonibus, non solùm non percipitur, 19
sed potiùs damnatur, quoniam si clerico negotiatori denegatur hæc immunitas in iis, quæ mercaturam, seu negotiationem concernunt, adeout pro laico habeatur ad textum *cap. quamquam, de censib. in* 6. *& Clementina præsenti, eod. tit. cum concordantibus*, per Bellet. *disquis. cleric. tit. de cler. exempt. à* n. §. 4. *n.* 1. & habetur pluries *dict. tit. de Regal.* præsertim *d. disc.* 53. *&* 70. Multò minùs permittendum est istud lucrum, quod importat formalem locupletationem cum aliena jactura, quod nedum per sacros canones, sed etiam per Jus divinum, & naturale etiam sæcularibus absque dubio prohibitum est, multò magis clericis, & ecclesiasticis, qui justitiam magis colere tenentur, atque laicorum exemplar esse.

Fortiùs autem, quoniam, juxta præmissam facti seriem 20
(quam proinde ita distinctè recensere congruum videbatur) istud illicitum lucrum ecclesiasticorum, non redunda-

ret

ret in damnum Principis sæcularis, cujus ea inde minor efficeretur emolumentorum gabellarum (quo etiam casu implicitè, seu indirectè redundaret in damnum, ac jacturam aliorum civium sæcularium) dum ubi cùm franchitiis, vel fraudibus gabellarum aliorumque vectigalium emolumenta diminutionem patiuntur, adeout ea non sufficiant ad onera, quæ ex illis supportanda sunt, novæ gabellæ, vel contributiones imponunt, quod tendit in idem; Sed magis proximè, ac directè, id rendit in damnum, ac jacturam aliorum sæcularium; quoniam contributio, Regi solvenda est uniformis ut supra, adeout nil interit, an franchitiæ ecclesiasticorum sint majores, vel minores, sed principale interesse est aliorum civium non exemptorum, quorum onus augetur, unde propterea est magis directè locupletari cum aliena jactura, quod redolet speciem furti veri, ac positivi.

21 Cum itaque ista taxa, seu liquidatio eum probationibus, ac formali processu facienda esset; Hinc propterea dicebam, quod causa remitti debebat Judicibus, ac Tribunalibus ordinariis, pertractanda in forma judiciaria, & contentiosa, quoniam ut patet ex constitutione 75. Sixti V. Sive ex ejus declarationibus, & advertitur *sub tit. de judic.* in relatione, & praxi Curiæ agendo de Sacris Congregationibus Cardinalium istarum institutum est cognoscendi summariè, ac in forma extrajudicali more Principis, ne ecclesiastica immunitas de facto violetur, ita locorum Ordinariis assistendo, non autem assumendo formales partes Judicis cum processu judiciario; Ideoque istius præsertim Congregationis stylus est quando punctus est dubius, ac formalem judiciariam discussionem exigit, causam remittere Rotæ, vel alteri Judici ordinario, ut in species patet ex pluribus casibus recensitis *d. tit. de Regal.* & præsertim *disc. 50. & 51.* 54. 58. & in aliis pluries.

22 Verùm, ubi, sive in ipsa Sacra Congregatione, sive in Rota, aliovè Tribunali, de hoc agendum esset; Quatenus pertinet ad secundam inspectionem, super validitate, ac observantia dictæ concordiæ; Dicebam quod eo tempore de multis erat quæstio inter Civitatem, & clerum; Primò nempè super quantitate, seu modo franchitiæ istius gabellæ farinæ, seu molituræ; Secundò super franchitiis aliarum gabellarum super vino, aliisque victualibus; Tertiò super contributione ecclesiasticorum in expensis publicis promiscuam utilitatem, vel commoditatem concernentibus, nempè medicorum, chirurgorum, refectionis mœnium, ac viarum &c. Quartò super bonis stabilibus, quæ ex titulo emptionis, vel donationis, aut successionis obvenirent à laicis, penes quos ea erant Publicis oneribus affecta; Et quintò super gabellis debitis pro industriis, & negotiationibus, & super aliis.

23 Super omnibus itaque concordatum fuit, atque in plerisque, præsertim à tertia, quarta, & quinta specie, generaliter ecclesiastici fuerunt exempti, atque super prima statutum fuit id quod supra in facti serie dictum est, & in altera vini id quod habetur *disc. seq.* & de aliis non est controversia. Unde propterea quando etiam ista taxa dici posset minor ea, quod de jure debitum esset, adhuc tamen, id quod per ecclesiasticos in hoc dimissum fuit, compensatum remanet cum eo quod Civitas eis dimisit, pro aliis ut supra, in quibus, vel clarum, vel respectivè probabile jus fovebat; Ideoque verificatur vera, & propria natura transactionis, in aliqua reciproca dimissione hincinde, in qua consistit essentiale requisitum transactionis, quæ alias leonina

24 & invalida dicitur *l. 1. ff. de transact. l. transactio, C. eodem cum Concord.* apud Castill. *dec. 279 n. 1. & dict. tit. de alien. & contract. disc. 50. n. 6.*

25 Siquidem ex supra deductis *n. 19.* certa est obligatio ecclesiasticorum solvendi gabellas pro industriis, & negotiationibus; Et quoad contributiones pro expensis concernentibus promiscuam ecclesiasticorum, & sæcularium necessitatem, vel utilitatem, aut commoditatem, non est expressè determinatum in jure, sed sub magna quæstione, habente Doctores hincinde, ut patet ex relatis per Fagnan. *in capit. non minus de immun. eccl. n. 23. & seqq.* cum aliis insinuatis supra, *disc. 2. n. 42. & sub tit. de Regal. disc. 58.*

26 Prout, sub magna quæstione est alia species onerum pro bonis, quæ in eos obvenerunt à laicis, ut patet ex plenè relatis per Merlin. *dec. 902. repetit. dec. 339. p. 6. rec.* & alibi pluries, *ac eodem tit. de Regal. disc. 51.*

27 Et quamvis hodie in Tribunalibus ecclesiasticis, & præsertim in ista S. Congregatione Immunitatis, ac etiam in Rota, ambæ istæ quæstiones in puncto juris videbantur sopitæ cum distinctionibus, de quibus in locis citatis habetur, adeout non videantur ampliùs quæstiones juris, sed potiùs facti, & applicationis, quando scilicet de una, vel de altera distinctionis parte, seu circumstantia agatur; Attamen dicebam quod ad duo advertendum esset pro dicta reciproca dimissione, seu recompensa transactionem justificante; Primò nempè quod indubitata est possibilitas verificationis distinctionum, vel respectivè requisitorum in aliquibus casibus, in quibus Ecclesiastici ad hæc onera tenerentur, à quibus generaliter, ac indefinitè exempti fuerunt, & consequenter quod hæc exemptio esset pretio æstimabilis.

Et secundò fortiùs, quod licèt hodiernis temporibus ob magis communem sensum Modernorum, & præsertim Moralium, quorum adeo magna copia hoc sæculo irrepsit, ecclesiasticam immunitatem nimium zelantium; Ac etiam ob modernas decisiones Rotæ, vel declarationes istius, aliarumque Sac. Congreg. pariter hoc sæculo editas, vel etiam antea, sed post Conc. Tridentini editionem, & publicationem, opinio ecclesiasticis favorabilis aliquem majorem progressum habuerit; Attamen pro transactione regulanda, ejusque justitia, seu læsione respectivè, inspiciendum est tempus, in quo ea inita fuit, quando nullis adhuc extantibus 28 Congregationib. proinde ignota in illis partibus (exceptis dispensationibus matrimonialibus, & quibusdam similibus solius Pontificiæ potestatis) erat Curia Romana, præsertim in judicialibus, & contentiosis, majoremque praxim habebat in utraque quæstione altera opinio, quæ etiam hodie apud sæculares, ac in eorum Tribunalibus majorem habet plausum. Ac propterea intrat recepta, & in foro quotidiana conclusio, quod ad regulandam transactionem ejusque justitiam, seu læsionem respectivè inspiciendum est tempus, in quo illa prodiit, & quæ opiniones tunc tenerentur, non autem tempus præsens, in quo cum diversis opinionibus procedatur, ut in specie apud Otthobon. *dec. 25. n. 11. cum plurib. seqq.*

Et est receptissima propositio generalis, de qua pluries in 29 omni ferè materia; præsertim in illa alienationis bonorum ecclesiæ adeò in jure privilegiata, quod utilitas, vel respectivè læsio contractus attendi debet de illius tempore, neglecto subsecuto eventu, qui sicuti fuit malus, ita potuit esse bonus; & è contra, ut pluries habetur in omni ferè materia præsertim *sub tit. de alien. & contr. disc. 1.* & in aliis ad materiam alienationis bonorum Ecclesiæ.

Itaque vera, & recepta propositio, aliam non recipit limitationem, nisi eam de qua agitur *sub tit. de decim. disc. 7.* & alibi quando scilicet agatur de rebus habentibus tractum successivum, in quibus lapsus temporis, vel immutatio status rerum, magnam causasset mutationem, adeout contractus, qui de eo tempore quo initus fuit, justus erat, hodie valdè injustus, & læsivus esset, non quidem cum levi, & ordinaria læsione, sed cum magna, & enormissima, adeout redoleret speciem iniquitatis ex ibi deductis; Id autem in hac facti specie potius verificabile videtur ex hac parte Civitatis ob adeo excretum numerum Ecclesiasticorum, ut infra.

Præterea, ubi etiam, circumscripta ista compensatione, seu mutua remissione, adæquationem absque dubio producente, ista concordia de per se consideranda esset, independenter à superdictis aliis circumstantiis, super sola taxa hujus gabellæ farinæ, vel panis; Adhuc dicebam (etiam in sensu veritatis) quod sustineri deberet, ejusque observantia demandari, tam ratione ejus intrinsecæ justitiæ, quam etiam ratione adeò diuturnæ observantiæ pacificæ annorum septuaginta quinque ab anno scillicet 1556. quo inita fuit, usque ad annum 1631. in quo ejus judicialis impugnatio initium habuit, qua tamen non obstante continuavit per alios annos quadraginta, adeout transierit etiam in longam consuetudinem ultra sæculum.

Quoniam ubi consuetudo, vel possessio munita est cum 30 titulo saltem bonæ fidei putativo eaque est quadragenaria, & multò magis longè major, ac penè centenaria, tunc habet vim centenariæ, atque operatur etiam in iis, quæ regulariter de jure sunt impræscriptibilia, ut in omni ferè materia sæpiùs advertitur, & præsertim *sub tit. de jurisd. & sub altero de decim.* ac etiam *sub altero de Regal.* cum sit conclusio receptissima.

Clariùs verò ac extra omne dubium, ubi non agatur de 31 præscribendo jus in genere, vel in totum, sive in substantia, sed solùm in quota, vel in modo, juxta veram passimque receptam distinctionem, pluries insinuatam præsertim *sub tit. de decimis*, & alibi, quod scilicet aliud est jus præscribendi solutionem decimarum in genere, vel in substantia, ad quem effectum requiritur immemorabilis, vel saltem centenaria, sine certo initio ultimo, unde propterea

præterea ejus vigore allegari possit privilegium Apostolicum & quicumque titulus de mundo melior; Aliud verò, ubi agitur de præscriptione quotæ, vel modi, cùm tunc sufficiat præscriptio ordinaria.

32 Ita pariter in hac materia immunitatis Ecclesiasticæ, ipsa immunitas in genere utpote de jure Divino, est impræscriptibilis ob malam fidem, in qua laici illam violantes, semper esse dicuntur, cùm Sedes Apostolica non soleat concedere hæc privilegia in genere, & pro omnibus casibus, vel oneribus, ideoque allegabilis non est titulus concessionis Apostolicæ omninò inverisimilis & insolitæ; quoniam fictio nunquam superare potest veritatem, ac intrare in iis, quæ per veritatem esse non solent, nec possunt, ut in proposito beneplaciti Apostolici præsumpti advertitur, *sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc. 1. & tit. de dote, disc.* 143. & alibi pluries; Potissimè verò stante continuata innovatione, seu publicatione Bullæ cœnæ Domini singulis annis, cùm ita interrumpatur, seu impediatur omnis præscriptio.

33 Secus autem ubi non agatur de generica, & indefinita privatione ecclesiasticæ immunitatis, ac subjectione ecclesiasticorum oneribus laicalibus, sed de quibusdam oneribus specialibus, & particularibus, quibus ex aliqua justa causa congruum videatur, omnes etiam ecclesiasticos supponere, de quibus *in duobus discursibus proximè præcedentibus*, ac etiam *d. tit. de Regal. disc.* 55. & 56. etiamsi de omnimoda subjectione agatur respectu alicujus, vel aliquarum gabellarum particularium, sive respectu alicujus ordinis ecclesiasticorum, Puta ex. gr. (& quidem fortè commendabiliter) quod clerici in minoribus tantùm, exæquarentur clericis conjugatis, nullaque immunitate reali potiri deberent.

34 Multò igitur magis, & absque dubio, ubi non agatur de omnimoda subjectione alicui gabellæ, vel collectæ, sed agatur de quota, vel taxa, seu modo, cum tunc sit indubitatum, quoniam, ut supra dictum est, omnes concordant, atque praxis notoria docet, ut in magnis Civitatibus, aliisque publicis emporiis, rectè inducatur, quod omnes, et-

35 iam ecclesiastici indefinitè more reliqui populi sæcularis, merces, & victualia, aliaque bona gabellata emant, seu alias gabellas solvant, deindeque in fine anni, vel in aliis statutis temporibus, eis reficiatur in pecunia id, quod onus gabellarum verisimiliter pro usu proprio importare potest; Atque sancta res esset, si generaliter, ac ubique id induceretur (ex. gr.) observando idem in toto Regno Neapolitano, quod in ipsa majori, seu Regia Civitate servatur.

36 Clariùs verò, ubi taxa, seu quota sit honesta, adeout etiam de rigore justitiæ, plus prætendi non valeat, in præsenti verificari videtur; Siquidem (ut supra advertitur,) nullibi per sacros Canones, vel Apostolica decreta statutum est, quanta esse debeat ista franchitia clericorum, vel ecclesiasticorum, cùm solum statuerint in genere sit, ut persona clerici pro se ipso, illoque necessario famulatu, quem suo sumptu alere tenetur, cogi non debeat solvere bona gabellis laicalibus affecta, ita ex gabellarum causa cariori pretio, adeout ipse ecclesiasticus conservari debeat in eo statu libertatis, in quo humanum genus vivebat priusquam gabellarum usus introduceretur.

Ex hoc stante, cadere non potest certa, & uniformis taxa, quæ omnibus congruat, quoniam non omnium eadem est conditio, dum aliqui ecclesiastici sunt nobiles, ac divites, qui pro sui status qualitate premuntur necessitate habendi majorem famulatum; Aliqui verò, de ordine populari, seu plebejo nullum habent famulatum, sed onus alimentatorum ad eorum personam restringitur.

Sed quoniam iste modus quodammodo impracticabilis esset, atque in singulis personis quotidie inexplicabiles lites produceret respectu illorum famulorum, vel conjunctorum sæcularium, pro quibus etiam hæc franchitia danda esset ratione necessitatis, quæ clerico incumbit eis alimenta suppeditandi; Hinc proinde, ut advertitur etiam *dict. disc. 54. de Regal.* ab antiquo tempore, in toto Regno generalis inolevit consuetudo, vel taxa prædicta Regiæ Cameræ, ut sine exceptione personarum, ac sine distinctione nobilium, vel ignobilium, seu tenentium, vel non tenentium famulos, aut habentium, vel non habentium conjunctos ab eis alendos, pro diversis locorum moribus, quædam uniformis, in singulis diebus, vel hebdomadis, aut mensibus adesset taxa regulanda ex ordinibus, seu gradibus, in quibus clerici essent, ut scilicet, major franchitia daretur personis constitutis in dignitate ecclesiastica, media constitutis in presbyteratu, minor constitutis in aliis ordinibus sacris, & minima clericis in minoribus, in quibus, (ut dictum est,) in aliquibus Europæ partibus, magis ab Ecclesia toleratur consuetudo, ut ad instar eorum, quæ per canones disponuntur in clericis conjugatis, qui etiam veri clerici, & personæ ecclesiasticæ sunt, hac reali immunitate non potiantur; Et ad instar illius taxæ uniformis, quæ per constitutiones synodales, vel singularium diœcesum diversas consuetudines, habetur in patrimonio, ad cujus titulum clerici in sacris, ad præscriptum Sac. Concil. Tridentini, ordinari debent, quoniam considerantur tanquam clerici, non curata qualitate personarum, ex regula quod apud Deum non est exceptio personarum, ut advertitur *sub tit. de alien. & contr. prohib. disc.* 38. cum similibus.

Et quamvis exinde inconveniens resultare dicatur quod ille clericus, qui majori familia sit onustus, ita pro ea cogatur ferre onus gabellarum laicalium; Attamen non est ita considerabile; Tum quia naturaliter ac de facto illæ personæ, quæ ab ipso, ex charitate, vel congruentia sustentantur, sunt personæ sæculares, ideoque directè ecclesiastica immunitas non violatur. 37

Tum etiam ob considerationem de qua *dict. disc. 54. de Regal.* quod scilicet ista utilitas, quam Communitas, vel Princeps sentit à gabella solvenda ab iis, qui majorem familiam habent, compensata remanet ab illo damno, quod idem Princeps, vel Communitas sentit, dando illis clericis qui nullam habent familiam necessariam, franchitiam excessivam vendibilem, seu aliàs communicabilem laicis, adeo ut facta peræquatione, majus detegatur gabellarii damnum, quam lucrum, nimiumque interesset Principis vel Communitatis, quando id commodè practicabile esset; ut singulis franchitia daretur ad præcisos limites necessitatis, vel usus, cùm major sit numerus clericorum pauperum, ac ordinis popularis, quam divitum, & nobilium in illis partibus; Unde propterea in hac parte clerus sæcularis quandam speciem universitatis constituere videtur; Sive ipse gabellarius in effectu dat integram franchitiam, imò majorem, quæ singulis respectivè debita esset, inæqualitas autem est super modo dividendi inter seipsos, de quo ipsi, videant, an uni major, vel alteri minor portio debita sit.

Super ista verò taxa, nulla lex scripta habetur, nisi ea, quam antiquitus fecit Regia Camera ut supra; Et in qua totum erat Ecclesiasticorum fundamentum, quod tamen cessabat, cum eadem Regia Camera moderno tempore dictam fecerit reformationem, quæ concordat cum ista conventionali; In plerisque autem Civitatibus, & locis est diversa, ubi scilic. major & ubi minor prout antiquus usus introduxit; Et consequenter, ubi etiam, seclusis aliis considerationibus, de quibus supra, ista taxa conventionalis sola, & de per se attendenda esset, adhuc nulla subest ratio, ob quam concordia adeò bona fide facta, cum opera, & mediatione Episcopi adeò qualificati, atque per Sedem Apostolicam in specie approbata, & tam diu per integrum sæculum observata, non debeat effectum sortiri, dum potiùs id quod conceditus, necessarium, vel congruum usum exuberat; 38

Siquidem certum est, quod taxa minor clericorum rotulorum viginti quinque in farina, qui important circiter rotulos triginta septem, sive libras centum decem in pane, superat usum personæ, cum ferè nemo civilis tantam panis quantitatem consumat, dum major consumptio solùm verificabilis videtur in illis rusticis laboratoribus, qui cum solo pane, & aqua calida salita vitam ducunt; Ita etiam comprobante ejusdem Civitatis individua observantia, dum religiosis claustralibus, qui tamen usum habent (in Clericis sæcularibus non multum frequentem) notabilem fragmentorum panis quantitatem singulis diebus distribuendi pauperibus, datur ad dictam infimam rationem rotulorum viginti duo cum dimidio pro qualibet persona, Idemque servatur cum militibus, vel regiis officialibus; ac patribus onustis, aliisque privilegiatis, & exemptis. Multò magis dum in clericis sæcularibus concurrunt dictæ aliæ circumstantiæ compensativæ. 39

Præterea, ubi etiam in ista taxa considerari posset aliqua diminutio præjudicialis; Adhuc tamen advertebam, quod ex mutatione status rerum, illa crescere non deberet, sed potiùs diminutionem pati, ob adeò notabiliter, ac indiscretè adauctum numerum clericorum, in sacris, & in minoribus; Unde propterea rectè adaptari dicebam ea quæ ex dispositione, vel ratione textus *in cap. suggestum de decim.* habetur *sub tit. de decim. discurs.* 2. & in aliis, quod scilicet antiqua pietas laicorum patiebatur libenter in clericis exuberantem usum franchitiarum, ex tribus rationibus 40

tunc

tunc copulativè vigentibus, quarum aliquæ ponderantur etiam *d. disc.* 58. *de Regal.* & quæ omnes hodie cessant; Primò nempè quod antiquitus laici erant longe ditiores longeque minùs gravati publicis oneribus,quæ hodie ob bella, aliasque calamitates,penè ad intolerabilitatem devenerunt; E converso autem clerici erant pauperes minusque provisi de bonis temporalibus; Secundò quia etiam clerici privati in consuetudine habebant, practicare id, quod eis per sacros canones in jungitur, circa eleemosynas ac pauperum alimoniam, de eo quod eorum proprium moderatum usum excedebat, quod hodiè parum practicatur.

41 Et tertiò fortiùs, magisque considerandum, circa numerum, quod antiquitus ille exiguus erat, ut benè comprobat *Cardinalis Bellarminus* in ejus opusculo de manuum impositione, quotidie ab Episcopis præ manibus habendo, quod intitulatur *Admonitio ad nepotem*; Hodie verò numerus clericorum crevit, non solùm in excessum, sed in magnum abusum, atque major pars vitam clericalem suscipere videtur, potiùs pro effugiendis publicis oneribus ejusque fraudandis, quam pro motivo vitæ spiritualis, ac serviendi Deo; Atque præsertim hic abusus dignoscitur in ista Civitate, quoniam ea in totum constituta supponitur ex animabus circiter decem mille, computatis omnibus tam laicis quàm ecclesiasticis utriusque cleri, ac etiam computatis rusticis qui pro miserabili illarum regionum aliàs felicium, conditione, ob incursiones bannitorum, vel pyratarum, in Civitatibus, & intra mœnia quoque vivere coguntur, etiam mulieribus, & pueris computatis; Et tamen adsunt centum sexaginta religiosi viri, qui pro isto populo sufficerent, ac abundarent pro Divinorum ministratione; Nec non adsunt quatuorcentum circiter clerici in sacris, & in minoribus, de clero sæculari, adeout, detractis pauperibus rusticis & artificibus,qui ex quotidiano labore victum in misera statu sibi comparare coguntur, & qui verè non dicuntur constituere Civitatem, major sit numerus ecclesiasticorum utriusque cleri, quàm sit ille nobilium, vel civium sæcularium, qui verè Civitatem constituunt, quo nil absurdius; Et consequenter benè congruunt termini *d. text.* in *cap. suggestum*. Atque sicuti ista ratio consideratur in solutione decimarum favore clericorum sæcularium contra regulares, ita ex identitate, considerabilis videtur favore sæcularium contra clericos sæculares.

42 Potissimè verò ea duplici consideratione; Primò nempè quia majus, vel minùs præjudiciam quod ab hujusmodi franchitiis resultat, non tendit in damnum Principis sæcularis, sed in damnum, ac perniciem illorum miserabilium sæcularium, qui ex diurno labore vivunt, cùm ita eos magis gravare oporteat pro suppletione onerum, quæ sunt fixa, & uniformia, ut suprà; Et secundò quod reverà non agitur de exemptione passiva, sed principaliter de jure activo exigendi illum excessum ad vendendum, & sic ad purum lucrum, & locupletationem, ita verè se impinguando cum sanguine pauperum, quod utique est de directo contra sensum sacrorum Canonum, & Conciliorum; ideoque rectè verificatur superiùs insinuata conclusio quod res initio justa, sancta, & rationabilis, hodiè redacta est ad manifestam iniquitatem, ob dictum abusum damnatum a Sacr. Congreg. Episcoporum & Regularium, quæ aliquando inhibere solet hujusmodi pessimis Episcopis usum istius potestatis ipsa inconsulta, ideoque gravamen non est in immunitate omninò servanda, sed in abusu numeri excessivi clericorum absque necessitate, vel utilitate Ecclesiæ.

43 Theoricè, sive in ratiocinativo discursu, vel in arithmetica demonstratione his fraudibus, & inconvenientibus consultum esse posset, supprimendo istas gabellas, atque vivendo per collectas personales, & reales, cùm regulæ arithmeticæ ad evidentiam doceant, quod sic quilibet paterfamilias solveret medietatem ejus, quod pro numero personarum solvit in gabellis occasione usus victualium, Communitas longè majus emolumentum retraheret; Verùm cùm plures communitates, etiam de tempore quo ego eram in illis partibus, id practicare voluissent, experientia docuit quod practica non respondet theoricæ, quodque mores regionis non patiuntur hunc modum collectarum, ob inconvenientia in exactione.

44 Augentur inconvenientia, quod multi Ecclesiastici parum timoratæ conscientiæ vedunt integram franchitiam, deindeque assecurati à pœnis, ac molestiis personalibus gabellariorum, introducunt ab extra panem, vel farinam,
45 quod utique est prohibitũ, ut in specie prohibitionis introducendi panem, vel farinam in præjudicium ejus qui habet jus molituræ, habetur per Rotam *d. dec.* 349. *p.* 9. *rec.*

Card. de Luca, Lib. XIV.

& advertitur *d. tit. de Regal. disc.* 145. & 155. & sepiùs; Et licèt etiam exempti cogi possint ad denunciandum gabellario id quod introducunt, quamvis de eo ad aliquam gabellam non teneantur, ut aliis relatis habetur *d. de Reg.* 46
disc. 57. Attamen ubi non subest timor pœnarum, & molestiarum personalium de facto, istæ legales provisiones, parum vel nihil prosunt; Ideoque sanctius videretur, ut demandaretur per totum illud Regnum eadem observantia superius insinuata, quæ viget in Regia, seu majori Civitate Neapolis.

48 Cùm autem ex parte Ecclesiasticorum totum fundamentum ad probandam læsionem constitueretur in dicta antiqua taxa generali Regiæ Cameræ; Hinc plura replicabam, ex quibus mihi videbatur quod casus esset dubitatione indignus; Primò nempè quod cùm major pars Canonicorum & Presbyterorum ordinis plebei non haberet famulum, ita concordia dabat idem quod taxa, & plus.

48 Secundò quod dicta taxa dederat causam novæ controversiæ, super qua prodiit concordia, ideoque est petere principium; Tertiò quia si quid diminutum esset, compensatum remanebat ab aliis ut supra; Et quartò clariùs ob dictæ antiquæ taxæ modernam moderationem, & nimium quidem rationabiliter, ob excretum numerum clericorum, atque ob excreta onera publica, ut supra, ideoque factum ejusdem Regiæ Cameræ non potest impugnari, sed vel in totum approbari, vel in totum reprobari.

Ac demum concludebam quod tria erant media hujusmodi franchitiarum; Unum scilicet de jure ad solos limites usus; Et alterum concordiæ, atque alterum taxæ Regiæ ita moderatæ, & ex his optio Ecclesiasticis dabatur, sed punctus quæstionis non erat super exemptione, sed super lucro & ditatione illicita.

EADEM BITUNTINA GABELLÆ VINI INTER EASDEM PARTES.

Casus disputatus in eadem Sacra Congregatione Immunitatis ubi pendet.

De gabella vini quod vendatur ad minutum, an debeatur per Ecclesiasticos pro vino, quod colligunt in prædiis patrimonialibus, vel Ecclesiarum, & quomodo?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Quando vinum novum bibi debeat.*
3 *Status causæ.*
4 *Clerici potest vendere vinum ad minutum.*
5 *Quando non dicatur mercatura revendere id quod emitur.*
6 *Declaratur id, de quo n.4.*
7 *De errore pragmaticorum circa malam intelligentiam doctrinarum.*
8 *Quid dicant Canonistæ antiqui super dicta conclusione, de qua n. 4.*
9 *Sed non inde infertur ad exemptionem à gabella.*
10 *In quo consistat immunitas Ecclesiasticorum, ut præserventur à damno, sed non faciant lucrum.*
11 *Quæ species gabellæ sit illa, quæ imponatur super victualibus.*
12 *De duplici victualium pretio ratione gabellæ.*
13 *A qua specie gabellæ Ecclesiastici sint exempti.*
14 *Declaratur assumptum quod res tanti valet quanti venditur.*
15 *Quare diversum sit pretium venditionis minutæ.*
16 *Quando dicatur lædi immunitas Ecclesiastica prohibendo venditionem ad minutum clericis.*
17 *An Ecclesiasticis liceat aperire furnos pro eorum frumento excitando?*
18 *An, & quando Ecclesiastici debeant contribuere in expensis respicientibus publicam annonam, & similia?*
19 *Quid in solutione portus literarum, vel nivis cum similibus.*
20 *De franchitia gabellæ farinæ, aliorumque victualium an debeantur clericis absentibus?*

D I S C. VI.

REtenta facti serie, de qua *disc. præcedenti*; In eadem ibi enunciata concordia, agendo de gabella vini taxata fuit pariter certa quantitas, pro qua clerici esse deberent 1

exempti, juxta eandem porportionem, de qua in gabella farinæ, umque in hac Civitate duplex gabellæ species adesset super vino; Una scilicet quando illud vendatur in notabili quantitate, ut vulgò dicitur *all'ingrosso*, ad rationem unius, vel medii solidi pro qualibet amphora, quæ ibi vulgò *quartara* nunc apatur, & altera quando venditur ad minutum; istaque sit quotitativa, idest in quarta parte pretii, quod juxta tempora, ad instar omnium aliorum victualium, est varium, quia nempè, vilius, vel carius, prout major, vel minor copia, sive tempus recollectæ, proximum, vel remotum suadet, cum ea differentia, quæ naturaliter ubique
2 viget in pretio inter vinum novum, & vetus; de quo agitur etiam in corpore juris civilis quando pupillo per tutorem, vel respectivè militibus per annonarios dari debeat vinum novum, vel respectivè vetus, *ad text. in l. Jubemus, C. de erogat. militar. annona, lib. 12.* super quo plura colligunt Capoblanch. *sign. 5. add. ad dec. 28. n. 25. p. 3. rec.*

Observantia binc dedit, quod quando clerici sæculares, vel regulares, vendunt vinum in eorum vineis recollectum in notabili quantitate, sive *all'ingrosso*, exempti sunt à dicta gabella, quæ per laicos venditores solvitur pro qualibet amphora incerta, & determinata quantitate, sive pretium sit majus, sive minus; Ubi verò illud venditur ad minutum, tunc eorum tabernarius, vel minister, ex pretio quod terrahit, tresas quatuor partibus præstat domino vini, quartam autem solvit gabellario; Atque ubi exempti non comprehensi in concordia, qui vineas non habeant, sive habeant sed pro majori commoditate, aut industria vinum proprium vendere velint ad minutum, pro eorum autem usu emere ab aliis ad minutum, vel *all'ingrosso*, tunc pro quantitate juxta Regiam taxam eorum usui proportionatam, nullam solvunt gabellam, sed tantùm pretium intrinsecum & naturale vini, quod scilicet, si illud vendatur ad rationem quatuor quadrantium pro qualibet ampulla, seu parva amphora, vulgò *Carafa* clericus solvit tantùm tres, dum in clericis sæcularibus consultum est per concordiam emendo vinum, *all'ingrosso*.

3 Occasione autem controversiæ excitatæ inter Ecclesiasticos, & Civitatem super gabella farinæ, de qua *disc. præced.* excitarunt etiam idem Ecclesiastici in novatores hanc prætensionem exemptionis ab ista gabella vini, quod vendatur ad minutum, recollectum in eorum patrimonialibus, vel in Ecclesiarum vineis; Et introducta pariter causa in eadem Sac. Congregatione Immunitatis, causa reperitur in eo statu qui enunciatur, *d. disc. præced.* super alio puncto gabellæ panis, vel farinæ.

4 In disputationibus itaque desuper habitis, Scribentes pro ecclesiasticis deducebant easdem authoritates modernorum Canonistarum, & Moralium, quæ in hoc præciso puncto habentur relatæ per del Bene *in tract. de immunit. ecclesiast. c. 5. dubit. 7. sect. 16. & sect. 12. cum seqq & sub tit. de Regal. disc. 52.* per quos concorditer firmatur, atque pluries per hanc Sacram Congregationem decisum refertur, quod clericis licitum est vendere eorum vinum ad minutum quoties non agatur de vino empto ad mercaturam, seu negotiationem, sed de illo quod colligatur in propriis vineis patrimonialibus, vel Ecclesiarum, sive etiam de illo, quod emptum fuerit principaliter ad usum, deinde autem vendere congruat, adeout in esse non dicatur mercatura, sed potius proveniat ab alia casu contingentia juxta ponderationes, de quibus generaliter *sub tit. de Regal. disc. 60.* & in specie vini
5 habetur *sub tit. de legatis, disc. 21.* occasione agendi, an, & quando vinum quod domi testatoris reperitur, veniat, necne sub legato mobilium, sub quo non veniant ea, quæ mercimonii causa ibi retineantur; Et consequenter dicebant; quod casus esset planus, quodque dictæ observantiæ potius congrueret nomen abusus.

6 Contrarium scribens pro Civitate eum eodem sensu veritatis, quem semper in hac materia habui in pluribus similibus controversiis explicato, & præsertim *d. disc. 51. de Regal.* dicebam esse probabilius.

7 Reassumendo siquidem ea, quæ loco citato pariter deducta habentur; Dicebam in primis advertendum esse ad æquivocum, quod pro meo judicio nimis clarum est, & cum quo moderni canonistæ, & Morales in hac materia procedunt, super intelligentia scilicet antiquorum Canonistarum, qui benè loquuntur, sed malè intelliguntur, seu applicantur, confundendo unum casum cum altero, quod in universa penè legali facultate contingit, ob perpetuò damnandam, ac declamandam introductionem ineptissimi pragmatici usus, procedendi cum authoritatibus in sola litera, seu cum verborum formalitate, non distinguendo casus, neque examinando finem, ad quem graves antiqui Doctores loquantur, ideoque tot produxit, atque indies producit æquivoca, & confusiones.

Antiqui siquidem Canonistæ, & præsertim Jo: Andreas, 8
Geminian. & Franch. *in cap. unic. de vita & honest. cleric. in 6.* Aliique relati *dict. disc. 52. de Regal.* ex quorum authoritate moderni hoc assumptum probari supponunt, non loquuntur ad hunc effectum solutionis gabellæ (forsan tunc ignotæ,) sed disputant istam quæstionem ad diversum effectum an scilicet actus esset licitus, vel illicitus clericis, vel quia redoleret mercaturam eis prohibitam, vel quia hæc venditio vini ad minutum præseferat quoddam mechanicum ac sordidum, & vile exercitium tabernarii, quod clericis absque dubio incongruum, ac illicitum est; Tum quia per illud dignitas clericalis vilescit; Tum etiam quia in hujusmodi cauponis, vel tabernis, ob illam nimiam maleque regulatam lætitiam, & quandoque ebrietatem, quam immoderatus vini usus causare solet, verba obscœna, & scandalosa, ac etiam quandoque facta illicita, & ebrietati connaturalia, resultant, quod utique clericis illicitum, ac indecorum est, cum totius ordinis clericalis præjudicio; Sed quoniam hæc prohibitio vendendi ad minutum in cauponis vel tabernis, seu etiam in propriis cellis vinariis, nimiùm præjudicialis esset clericis ita patientibus quandam prohibitionem vendendi fructus suorum bonorum, qui aliàs non adeò commodè vendi possent, adeout clericorum conditio ita deterior efficeretur quàm sit illa laicorum; Ideircò benè (rejectis dubitandi rationibus,) concluditur, ut id fieri valeat, dummodo sequatur compatibilitas cùm decore status clericalis, idest quod hæc venditio non fiat per se ipsos, sed per famulos, vel alios hoc ministerium exercere solitos, Et hoc est quod antiqui Canonistæ dicunt, (& benè.)

Non videtur autem quomodo Moderni exinde inferant 9
ad exemptionem ab ista gabella, quam revera solvunt laici emptores, cùm id nullum, nec juris, nec facti fundamentum habere videatur, quoties gabella sit talis, quod nullum præstet impedimentum libertati vendendi, minusque causet diminutionem pretii intrinseci, & naturalis, quod clericus integrum obtinet.

Pro regulatione igitur istius articuli, dicebam idem quod 10
habetur *d. disc. 52.* ac etiam latius *disc. 53. de Regalibus*, occasione agendi de alio articulo communicationis immunitatis, vel exemptionis clericorum laicis colonis, vel emptoribus, seu conductoribus eorum bonorum, ac etiam insinuatur *disc. præced.* quod scilicet, clericis, aliisque ecclesiasticis, debita quidem sit atque inconcussè, & religiose servanda immunitas à gabellis, & oneribus laicalibus in ratione passiva, idest, ne ipsi directè, vel indirectè illa solvere cogantur, vel quod occasione eorum solutionis, quæ a laicis emptoribus, vel conductoribus fieri deberet, diminutionem patiatur intrinsecum, ac naturale pretium suorum bonorum, adeout exinde detrimentum sentiant, sed conserventur in primævo statu naturali libertatis, perinde ac si non adessent gabellæ aliaque onera, quæ quoad eos, utpotè jurisdictione, & potestate impositoris laici exemptos, habenda sint pro non extantibus in rerum natura, atque usque ad hos limites rectè procedit, eaque religiosè servari debet; Secus autem in ratione activa, ut scilicet sub prætextu immunitatis, licitum reddatur clericis vendere eorum bona, & victualia, ultra pretium naturale, & intrinsecum, pro illo majori, seu cariori quod producit gabella solvenda per laicos ementes vinum, aliaque victualia ad minutum, quoniam tunc non esset obtinere exemptionem à solutione onerum laicalium, sed ista activè exigere à laicis, atque sibi ipsis ad privatam utilitatem applicare.

Ut etiam pleniùs advertitur *in dict. tit. de Regalibus in* 11
allegatis disc. 52. & 53. & in disc. 61. ac etiam in aliis pluribus, in quibus agitur de sale, & salinis, & de dohanis mercium; Istæ gabellæ, quæ imponuntur super victualibus, vel super mercibus, & aliis, quæ ad victum, & vestitum, aliumque humanum usum deserviunt, quamvis apparenter, super ipsis rebus impositæ videantur, revera tamen sunt merè personales, quas Princeps, vel Respublica ab ejus subditis magis commodè, ac insensibiliter exigit occasione usus hujusmodi rerum, quæ humano usui deserviunt; Ideoque victualium, vel mercium aliarumque usualium rerum duplex est pretium, unum scilicet intrinsecum, & naturale; quod consistit in ipsa materia, seu merce; Alterum verò extrinsecum, seu accidentale proveniens a gabella, vel ab alio onere, eo modo quo præsertim praxis uni-

universalis penè totius Orbis docet in fala, ut latiùs loco supracitato advertitur.

13 Itaque discretio in individuo comprobata remanet in hac Civitate, quoniam (ex. gr.) salma vini quando venditur, ut dictum est, *all' ingrosso*, ex communi contractatione, in scutis tribus, quibus ipsa materia de per se considerata communi æstimatione, & usu valet; Quando verò ad minutum importat scuta quatuor, & ultra, quoniam illud augumentum in quarta parte pluris, directè ac immediatè provenit à gabella.

Ex prima verò specie pretii intrinseci, & naturalis scutorum trium, laicus venditor patitur diminutionem pro illa gabella uniformi, quam ad rationem unius solidi pro amphora solvere tenetur; Istamque diminutionem pati non debent clerici venditores, qui integrum pretium prædictum intrinsecum obtinebunt, adeòut bona propria, ratione gabellæ, nullam patiantur diminutionem; Et è conversò iidem clerici, quando (citra fraudem ad proprium usum) emunt vinum, ad formam concordiæ à laicis, adhuc illum non solvunt nisi ad dictam rationem pretii intrinseci, & naturalis, quod venditori præstatur, cum venditoris ac domini nil intersit, an aliud majus pretium intrinsecum ab emptore solvatur, necnè.

Igitur clarum, ac absolutum videtur, ut clericus venditor vini, ad limites justitiæ commutativæ, aliud prætendere non possit nisi justum, ac naturale pretium rei suæ, non autem illud plus quod non est suum, sed alienum, unde propterea esset manifesta læsio justitiæ commutativæ, atque locupletatio de re aliena, quod utique ab omni divino, naturali, canonico, & civili jure damnatum est.

Siquidem, ut *d. disc. 52. & 61.* advertitur, frumentum in communi usu & contractatione est (ex. gr.) ad rationem scuti unius pro quolibet rumulo, sive scutorum quinque pro quolibet rubro, & tamen panis venialis in plateas, ad rationem unius solidi pro quolibet panis importat scuta duo pro rumulo, vel decem pro rubro, idque provenit ratione gabellæ, ideòque clericus, quando est emptor panis pro usu proprio, rectè prætendere potest illum solvere in solo pretio naturali ad rationem scuti unius pro rumulo, & bene dicit, unde propterea ei datur franchitia, de qua *d. disc. præced.* sed è conversò, quando sit venditor, non poterit prætendere velle reducere suum frumentum ad panem venalem, illumque ad proprium commodum vendere pro eo majori alterato pretio, quoniam (ut dictum est) esset mera mercatura illicita, imò pejus, quoniam esset locupletatio de alieno, obtinendo illud majus pretium, quod non est suum; Atque aliàs si possideret aliquam salinam, cujus fructus naturalis (ex. gr.) importet scutum unum pro sacco, dandum esset, quod posse vendere salem ad minutum pro pretio currenti, quod sit scutorum decem, ut docebat praxis Status Ecclesiastici quando aderant augmenta pretii salis ex illis tractatis, *sub tit. de Regal.* & tamen utroque casu inconcussa praxis docet contrarium, ergo idem in isto casu dicendum est, cùm nulla vigeat differentiæ ratio.

Sufficere itaque debet exemptio, ut obtineat integrum pretium rei suæ, quodque illud per onem laicalia diminutionem aliquam non patitur, non autem ut ita lucrum de alieno faciat, ita practicando oraculum evangelicum *tolle quod tuum est, &c.*

14 Neque probabilitatem aliquam habet assumptum quod res tanti valet, quanti vendi potest, quodque clericus, vendendo rem suam quanti communiter venditur in platea, nemini facit injuriam, sed utitur jure suo; Quoniam revera commune pretium est illud minus naturale, & quanti revera res venderetur, si gabella non adesset; illud verò plus est gabella merè personalis, quàm illa occasione Princeps exigit; Atque aliàs resultaret quod quando clericus emit, emeret in solo pretio naturali intrinseco, recusando solvere illud majus utpotè non pretium, sed gabellam; & quod quando vendit, asset pretium, contra regulam *secundum naturam, &c.*

15 Quamvis enim diversum sit rerum pretium in venditionibus minutis ab eo quod est in venditionibus grossis, ut advertitur pluries, *d. tit. de Regal.* præsertim *disc. 117. & alibi*; Attamen ista differentia provenit solùm à ratione majori impensæ, & incommodi, ac etiam periculi, juxta ibi contentas ponderationes, sed non ultra, atque ad limites hujusmodi impensarum, vel alterius damni est pretium intrinsecum, quod totum esse debet venditoris exempti, absque eo quod diminutionem aliquam patiatur ratione gabellæ, non autem percipere poterit illud plus quod à gabella directè, ac immediatè provenit.

Cumque desuper habeamus expressum oraculum Pontificium quod ita præcisè hanc rationem assignat, illudque ad verbum registratum est, *d. disc. 52. de Regal.* Hinc proindè meus intellectus non percipit quomodo, neglecto oraculo Pontificio, in hoc attendere debeamus aliquas affectatas considerationes eorum, qui opinantes ecclesiasticam immunitatem tueri & ampliare, revera illam lædunt, eique magna inferunt præjudicia, ut toties experientia docuit.

Tunc autem immunitatis, seu libertatis ecclesiasticæ præjudicium dignosceretur, quando Magistratus sæcularis prohibere vellet clericis, & ecclesiasticis, nè eorú vinum, aliosque fructus vendere possent ad minutum in taberna, vel cella vinariis, neque in eis retinere possent panem, aliaque victualia, gratia facilioris venditionis vini, cum similibus, adeout clericorum conditio fieret deterior quam illa laicorum; Quando tamen jus privativum non esset munitum consuetudine immemorabili, ex cujus consueta operatione allegari potest etiam privilegium Apostolicum; Et sic esset species servitutis, vel restrictio naturalis libertatis, & tunc benè procedunt declarationes, quæ desuper habentur; Sed quando ipsi obtinent totum id, quod suum est, neque in aliquo impediti, vel damnificati remanent, tunc justum non est, ut dictum turpe lucrum de alieno assequantur, quoniam ita esset dare mercaturam positivam, imò pejus, cùm id redoleat speciem furti, sive usurpationem juris regalis imponendi gabellas, & collectas populo ad privatam utilitatem, & locupletationem, quod neque ipsimet Principi conceditur, cùm istud jus Princeps exerceat tanquam Reipublicæ maritus, ac subditorum pater, & legitimus administrator, ut pro eorundem defensione, & conservatione cum hujusmodi gabellis, & contributionibus onera matrimonii politici supportet, quando exigat necessitas, atque ad istius limites; Ergo melioris essent conditionis clerici, quàm ipsimet Principes in hoc jure activo. 16

Hinc proinde in pluribus controversiis (me frequentiùs in eis scribente) habitis nostra ætate inter Episcopos, vel Cardinales commendatarios Monasteriorum, & Ecclesiarum, & Communitates locorum tam in ista S. Congregatione, quam in illa Boni Regiminis, super facultate ecclesiastica concedenda aperiendi furnos pro explanatione frumenti, quod aliàs in annis uberibus non de facili pro justo pretio vendi potest; Cùm se opponerent Communitates ratione notabilis præjudicii, eo quia panis venalis, seu coctura in furno habet aliquod majus pretium extrinsecum tanquam per speciem gabellæ; Idcircò una, vel altera Congregatio decernere consuevit, quod si Communitas non vult pati talem aperturam furni sibi præjudicialem, emat, ejus furnariis, aut Annonariis mandet, ut pro isto, & currenti precio intrinseco, & naturali emant frumentum Episcopi, vel ecclesiasticorum, sin minus patiatur furni aperturam, ita consulendo indemnitati ecclesiasticorum, nè impediantur vendere eorum bona pro justo, & currenti pretio intrinseco, & naturali, non autem, ut immunitas ecclesiastica deservire valeat pro scuto, vel pallio mercaturæ, ac fraudis, applicandi sibi ipsis ad purum lucrum illud augmentum extrinsecum, quod resultat à gabella. 17

18 Quare in ea quæstione, quæ inter ecclesiasticos, & sæculares disputari solet, an ecclesiastici teneantur contribuere in illis expensis, quæ pro publica annona fiunt; Erroneum pro meo sensu semper censui istam quæstionem ita examinare genericè, ac in abstracto, ut plerique faciunt, ex relatis per Fagnan. *in c. non minus, de immun. eccles.* ubi Concordantes, quoniam verius videtur, ut ea tractari debeat in concreto, cum distinctione casuum, seu effectuum.

Siquidem, ut ad hanc materiam annonæ advertitur pluries *d. tit. de Regal.* præsertim *disc. 44. & 45.* ac etiam *disc. 57. & 59. & 125.* triplici modo super ea provisiones accipiuntur; Primò nempè ut Princeps tanquam subditorum pater, eis tempore penuriæ subveniat cum gratuita distributione panis de proprio, & tunc, si ad hunc effectum, collectam, vel contributionem imponat, ecclesiastici non teneantur; Secundò in universum, adeout provisiones principaliter respiciant publicum bonum quod secundariò cedat in utilitatem privata, putà demandando exsiccationes; vel purgationes agrorum, ut ita regio fertilior fiat, atque ita frumenti, aliarumque frugum major copia habeatur, & tunc pariter ecclesiastici non teneantur ad collectas, & contributiones pro his expensis, quamvis istæ secundariò, & consecutivè tendant in eorum utilitatem; Tertiò demum ubi utilitas est principaliter privata, ut singulorum agrorú exsiccatio, vel expurgatio sequatur, faciendo id quod ipsi singulariter more diligentis patris familias facere deberent, Sive ut ita singuli habeant

pa-

panem venalem pro minori pretio, ita illud plus supplendo cum aliqua contributione, pro emptione frumenti juxtà casus, de quibus *d. tit. de Regal. disc.44.* Et tunc non videtur subesse ratio cur ipsi contribuere non debeant pro rata privatæ utilitatis, ut etiam occasione exsiccationis, vel expurgationis proprium agrorum, aut occasione introductionis aquæ in Civitatem, vel custodiæ vinearum, seu refectionis viarum, & aquæductuum, cum similibus, distinguendo habetur *d. tit. de Regal. disc. 58. & 59.*

19 Et in summa, ut clerici, & Ecclesiastici præserventur à damno, atque contendatur de immunitate pro exemptione passiva, ut ita conserventur in priori statu libertatis naturalis, quando gabellarum, & contributionum laicalium usus non adeat, non autem, ut ipsi faciant lucrum de alieno; Ad instar eorum, quæ habemus in privilegiis, quæ in jure conceduntur Ecclesiis, & pupillis, vel minoribus, & mulieribus, ut nō circumveniantur, non autem, ut circumveniant, quodque præserventur à damno in suo, non autem ut faciant lucrum de alieno, atque ad hunc punctum, seu ad hanc distinctionem tota hæc materia restringi videtur.

Undè propterea *in eodem tit. de Regal. disc. 46.* habetur, quod licèt officium cursoris, vel magistri postarum sit de Regalibus Principis laici, illudq; soleat concedi in appaltum more gabellarum, aliorumque vectigalium; Non tamen exinde resultat, ut ecclesiastici non subjecti vectigalibus, aliisque oneribus laicalibus debeant obtinere literas francas, quoniam id quod solvitur, est pro expensis portus ex ibi deductis; Ubi etiam ex eadem ratione habetur de appaltu nivis cū similibus, quoniam revera non inest illa gabella implicita, quę in aliis juribus privativis inesse dicitur; Ubi etenim adesset, tunc in eo excessu, qui ultra expensas solveretur jure implicitæ gabellæ, possent Ecclesiastici prætendere exemptionem, quæ propterea non practicatur.

20 Facilia verò sunt æquivoca, quæ in hac materia incidi solent, ob non bene cognitam hujusmodi gabellarum naturam, ut de æquivoco circa franchitiam gabellæ farinæ, aliorumque victualium dandam clericis absentibus advertitur, *d. disc. 32. de Regal.* ubi declaratur.

BOJAN. DECIMÆ

PRO BARONE CASTRI PETRUSII

CUM EPISCOPO, ET ECCLESIASTICIS.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Immunitatis, resolutus ut infrà.

An, & quando clerici, sive ecclesiastici teneantur ad decimas, aliaque onera laicalia, quæ ratione bonorum, solvantur Baroni, vel Domino temporali loci? Et quid ubi iste sit etiam Episcopus, qui habeat utranque potestatem?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De punctu onerum realium.*
3 *De abusu circa confusionem casuum.*
4 *De casu onerum in ratione jurisdictionis Baronalis, de quorum initio constet.*
5 *Quid ubi non constet de initio?*
6 *De casu controversia quod Baro sit dominus territorii jure privato.*
7 *[illegible]uale dominium tunc habeant particulares.*
8 *De decimis temporalibus.*
9 *In quo consistat immunitas Ecclesiasticorum.*
10 *Dantur exempla dominii, de quo n. 6.*
11 *Quando ecclesiastici cogantur ad solvendas responsiones domino territorii.*
12 *De duplici persona diversis respectibus in Barone.*
13 *Quando intret quæstio, de qua n. 2.*
14 *De probatione dominii.*
15 *Observantia est deferendum.*
16 *De concinsione quod Episcopus præsumitur informatus de negotiis suæ diœcesis.*
18 *De alio casu in quo onus sit personale.*
18 *Episcopus consideratus ut Baro, non est Episcopus.*
19 *De differentia inter observantiam præscriptivam, & interpretativam.*
20 *De exitu hujus causæ.*

D I S C. VII.

CUm Baro castri Petrusii, ab antiquissimo tempore esset in possessione exigēdi ab omnibus, etiam ecclesiasticis colētibus illud territorium, annuam responsionem in quota fructuum, qui percipiuntur, tanquam per speciem decimę (cujus vocabulum quoque adhibetur) Episcopus autem post decennium, & ultra, quo illam Ecclesiam regerat, ob aliquas controversias ex causis privatis exortas inter ipsum, & dictum Baronem, ex motivo defensionis ecclesiasticæ immunitatis, quę ita lęderetur, per exactionem oneris per laicum, laicali authoritate, quę fiat à clericis, & ecclesiasticis, monitorium transmisisset cum comminatione censurarū cōtentarum in Bulla Cęne pro restitutione exacti, ac abstātione in futurum; Hinc propterea Baro habuit recursum ad S. Congr. qua juxtà stylum rescribente Episcopo pro informatione, quodque interim suspenderet quemcunque processum ad ulteriora, relatio, seù informatio ab Episcopo data tanquam per speciem informationis in jure continebat illas generalitates, quæ in hac materia decantari solent, transcriptus ex *dec. 902.* Merlin. *repertis dec. 339. p. 6. rec.* & apud plures hanc 2 materiam ecclesiasticæ immunitatis tractantes, ac etiam apud Celsum *dec. 259. & 332.* super requisitis necessariis ad hoc ut onera laicalia transeant cū ipsis bonis à laicis in ecclesiasticos, ut scilicet sint perpetua, & fixa, & uniformia, sive invariabilia tāquam per speciem census, vel canonis, aut alterius similis responsionis, insistendo in talium requisitorum non verificatione, quodque propterea instaret ecclesiasticorum immunitas, cui non docto de limitatione, assistit regula generalis latissimè, atq; ad nimiam satietatem comprobata *in dec. 412. p. 9. rec.* ad quam hodie omnes ecclesiastici recurrunt, ubi etiam elaboratus Rubeus decisionum Rotæ collector, in adnotationibus multa cumulat.

Scribens ego pro Barone, reassumendo in hac materia ea, quæ insinuata habentur *sub tit. de Regal. disc. 30. & 31.* & in 3 altis; Ac etiam quæ in Tribunali A. C. pluries dicere consuevi in plerisq; causis, tam pro ecclesiasticis, quàm contra, prout requirentium opportunitate (juxta stylum Advocatorum) præsertim in Chassanen. enunciata *sub tit. de decim. disc. 8. & in Bisinianen. seu ratici* de qua agitur *sub tit. de alien. & contract. disc. 18.* & in aliis; Dicebam idem, quod frequens mea est dicendi consuetudo, atque in omni forensi quæstione, modernus abusus repetere cogit; quod scilicet, quamvis apud antiquiores multę vigerent involutę quæstiones, præsertim in ista materia; Attamen illę videntur hodiè explanatæ cum tot decisionibus Rotę, & declarationibus S. Congregationis, adeout juris theoricæ generales in abstracto videantur claræ, ac extra controversiam, tam super regulis, quàm super limitationibus respectivè, omnesque propterea quæstiones remaneant potiùs facti, & applicationis, pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, Ideoq; merito (citra superfluæ repetitionis vitium) damnari, atq; inculcari meretur abusus procedendi cum solis generalitatibus, applicando generaliter cuicunque casui, decisiones, ac declarationes, quæ in aliquibus particularibus controversiis prodierint, cùm revera procedendum sit cum plurium casuum distinctione, & præsertim (quatenus ad hanc speciem strictè pertinet omissis aliis magis remotis) tres casus distinguendi sunt.

Primus est ubi de causa seu initio exactionis laicalis constat, qualis est ille casus, de quo agitur *in Hudruntina onerū, d. disc. 30. de Regal.* in quo prodierunt *dictæ dec. 259. & 332.* 4 Celsi, quod scilicet ex concordia inter vassallos, & Baronem pro compositione aliarum controversiarum, Baroni assignata fuerit decima, vel alia annua præstatio fructuum, qui colligantur in territorio; Et tunc intrat inspectio an ista conventio importet necne onus verè reale cum dictis requisitis, adeout afficiat ipsa bona, quę cū onere transeant ad ecclesiasticos, in quos jure successionis, aut legati, sive emptionis, & venditionis transeant, ex deductis *d. disc. 30.* Ideoque istum casum percutientia, extranea sunt ab illo controversiæ.

Alter casus est, ubi de hoc initio non constet, sed exactio 5 proveniat ex antiqua possessione, vel consuetudine, adeout incertus sit ejus titulus, qui æquivocus remaneat, utpotè referibilis ad dominium directum territorii juxta casum sequentem, sed etiam referibilis ad titulum collectæ, & recognitionis dominii in sola ratione jurisdictionali, juxta casū præcedentem, vel similem, ac etiam referibilis ad decimas spirituales, quę in plerisq; partibus per laicos possideantur, juxta ea, quę habentur in dicta sua materia *sub tit. de decim. disc. 8.* ac etiam quæ habentur in Mediolanen. *d. tit. de Regal.*

gal. disc. 51. Et pariter omnia ibi deducta, quæ istum casum percutiunt, extranea remanent.

6 Tertius casus est noster, ubi scilicet Baro, vel Dominus temporalis loci, non sit dominus in solo jure baronię, sive in solo dominio jurisdictionali, ac territoriali, sumpto pro jure terrendi, sed sit dominus totius territorii jure privati dominii, adeout particulares cives, & incolę, ac alii, qui prędia in ea possideant, non habeant dominium pleno jure, sed potius utile, vel subalternum, restrictum ad solam fruitionem, seu, quandoque ad unam speciem fructuum industrialium tantum, non autem naturalium; juxtà ea quæ ponderantur *d. disc.* 50. *& seq. de Regal.* ac etiam *in Amerina sub tit. de serv. disc.* 36. cum similibus.

7 Et tunc particulares agrorum, ac prædiorum domini, & possessores, videntur potiùs habere quoddam jus coloniæ perpetuæ undè propterea teneantur Baroni, non quia sit Baro, & magistratus sęcularis sed quia sit dominus directus bonorum solvere recognitionem tanq. speciem portionis dominicalis in certa quota, quę in Regno Neapolitano aliisque partibus decima dici solet pro quodam communi usu, non tamen ad istam quotam restricta est, cùm varia sit pro locorum moribus, & qualitate; Et de quo vocabulo habetur in hoc proposito apud Ann. *allegat.* 94. Franch. *dec.* 103. 117. *&* 114. Capobl. *de Bar. to.* 2. *c.* 78. Rovit. *dec.* 97. de Marin. *resol.* 213. *lib.* 1. cum aliis, de quib. *disc.* 50. *sub tit. de Reg. disc.* 36. *de servit. & d. disc.* 8. ac etiam *disc.* 6. *&* 7. *de decim.*

8 Hoc autem posito, non intrant termini immunitatis ecclesiasticæ, seu exemptionis clericorum à foro, & oneribus laicalibus, circa obligationem solvendi, quoniam, ut pluries in præcedentibus insinuatur, immunitas in eo consistit, ut quis non gravetur de proprio, neque rerum suarum diminutionem pati cogatur, ratione onerum laicalium, sed conservetur in primævo statu naturalis libertatis, non autem ut liceat usurpare aliena.

9 Ad quod comprobandum, dabam practicum exemplum plurium castrorum; & locorum existentium infra districtū Urbis, de quibus *d. disc.* 36. *de servit. & disc.* 35. *&* 39. *& in aliis, eodem tit. & disc.* 72. *de feudis*, quod scilicet cùm Dominus temporalis habeat dominium totius territorii in prædicta ratione dominii privati, multęque Ecclesię ac Religiones, & personæ, etiam sæculares, imò in Episcopali, vel Cardinalitia dignitate constitutæ, in hujusmodi territoriis possideant vineas, aliaque prędia, indubitanter solvunt hujusmodi responsiones in aliqua quota majori, vel minori, tanquam per speciem portionis dominicalis, quam colonus domino solvere tenetur, vel per speciem canonis, aut livelli solvendi domino per emphyteutam, seu livellarium assumptio status clericalis non excusat.

10 Solumque illa qualitas operativa remanet, circa exemptionem fori, quod scilicet non possit Dominus temporalis cū propria authoritate baronali, seu jurisdictionali clericū non solventem, cogere in persona, vel bonis per actus tales, qui jurisdictionis exercitium importet, cum executionum judicialem petere debeat à Judice ecclesiastico, ad quem, ubi ipsa obligatio solvendi ponatur in quæstione, pertinet judicare, & quæstionem decidere; Secus autem, ubi agatur de illa manuum injectione, quam pro communi praxi habent domini directi, eorumque ministri de facto, ac propria authoritate, ex pacto, vel ex cōsuetudine in ipsismet fructibus bonorum, de eorum directo dominio, in ratione meræ privatæ, & eo modo, quo cuilibet privato id competere potest, præscindendo à qualitate baronali, seu jurisdictionali cùm hæc duo jura sint inter se distincta, ut pluries advertitur *sub tit. de feud.* quod scilicet unus potest esse Baro, & Dominus territorii etiam jure feudi, sed sine jurisdictione, quæ sit penès alterum, vel penès eundem ex titulis diversis, habitis etiam è diversis personis.

11 Hinc proinde, extranea remanebat à casu controversiæ dicta quęstio, super qualitate onerum, an essent verè realia vel potius personalia, seu mixta, quoniam ea procedit, retento themate, seu præsupposito, quod agatur de oneribus laicalibus debitis Baroni, vel Domino temporali in sola ratione Baronali, seu jurisdictionali, seu jure recognitionis dominii, publici, non autem ratione dominii privati, quod particulares habeant pleno jure in prædiis in eo territorio existentibus, adeòut idem Baro, vel feudatarius considerandus veniat reduplicativè, possidens etiam intra ipsum feudum bona, & prædia jure privato juxta pluries insinuata *d. tit. de feud. præsertim, disc.* 2.

12 Ac propterea totus punctus erat potiùs facti, & applicationis quam juris, nempè super justificatione istius dominii privati, quæ tamen ex facti circumstantiis sufficienter adesse videbatur, præsertim ex eo, quòd in specie pro hujusmodi decima solvi consuevit relevium, tanquam de redditibus, & fructibus, de quo relevio habetur, *sub tit. de feud. disc.* 28.

Et licèt ista species probationis esset æquivoca, quoniam, ubi etiam ista decima debita esset in sola ratione baronali, seu jurisdictionali, tanquam onus laicale, in recognitionem dominii publici, adhuc tamen debitum esset relevium, eo modo quo debetur de emolumentis Cancellariæ, & proventuum criminalium, qui competunt in sola ratione jurisdictionis.

Attamen pleraque alia aderant adminicula, ex quibus, 13
præsertim in antiquis, non dubitatur, quin dominium directum probetur, potissimè incidenter ad hujusmodi effectus, pro quibus facilior probatio admittitur, quàm ubi agatur principaliter ad effectum devolutionis juxtà distinctionem, de qua pluries *sub tit. de emphyt.*

Inter alia verò adminicula, illud advertebam esse nimium 14
considerabile, quod resultat ab adeò antiqua observantia, cum verisimili scientia, & tolerantia Episcoporum, in quibus non præsumitur ignorantia illorum actuum, qui non unicè momento temporis, sed publicè, singulis annis, cum eorum multiplicitate, per diuturnum tempus, fiant, quoniam cùm Episcopus teneatur ad præscriptum S. Conc. Tridentini singulis annis diœcesim peragrari, ac visitare, idcircò præsumitur informatus de omnibus, quæ in ea contingant, ut apud Mantic. *dec.* 158. Buratt. *& add. dec.* 22. *&* 635. & frequenter; Potissimè verò in hujusmodi pravis diœcesibus, ac respectivè parvis locis, in quibus quidquid fiat, notorii speciem apud omnes habet; Unde propterea in- 15
trare non possunt illæ cōsiderationes, de quibus habetur pręsertim *sub tit. de praemin. disc.* 6. quando scilicet ob magnam amplitudinem diœcesis, & qualitatem Prælati, datur casus, quod rarò Episcopus personaliter diœcesim visitet; Et quando etiam id aliquando agat, attamen ob brevem moram, quam in singulis locis faciat, non possit verisimiliter de omnibus informationem habere; Ideoque ista conclusio, de verisimili informatione, vel scientia Episcopi, discretè pro facti qualitate ac singulorū casuum circumstantiis intelligenda venit, non autem attendenda, cum consueta generalitatum ineptia.

Nimium autem stringere videbatur illud adminiculum, 16
quod in hoc territorio possideret quamplura bona insigne Monasterium Cassinense, quod in illis partibus considerabilem habet potentiam etiam tēporalem, ac diligentissimos habet ministros, nimium & quandoque in excessu invigilantes super conservatione privilegiorum ac immunitatis, & tamen semper solvere consueverunt decimam.

Posito autem isto dominio, etiam privato totius territorii, 17
ex quo hujus præstationis competentia resultat, illud producere solet aliud onus, quod revera est merè personale, & jurisdictionale, ratione vassallagii, seu veriùs concussionis potentialis quod scilicet ob illam propositionem, quę habetur pluries insinuata, præsertim *sub tit. de Regal. disc.* 144. *&* 145. *& sub tit. de servit. d. disc.* 36. *& de feud. disc.* 3. ut non possint vassalli deserere culturam bonorum Domini in proprio territorio, & accedere ad colendum territoria aliena, ita inolevit usus in aliquibus locis, quod vassalli volentes colere agros extra territorium, solvunt Baroni terragium, seu responsionem quandam, quæ vulgò dicitur extra territorium, ut præsertim contingit in casu, de quo in supra insinuata Bisinianen. quod Episcopus tanquam Baro Castri sanctæ Sophiæ, illud exigit ab Albanensibus illius castri incolis, ideòque prætendit etiam illud exigere à clericis, & ecclesiasticis, quod tamen ego scribens pro ecclesiasticis coram A.C. (etiam in sensu veritatis) dicebam minus probabile, quodque id de directo esset contra ecclesiasticam immunitatem, dum istud est onus merè personale ratione vassallagii, quinimò, aliquando injustum, & in ratione concussiva, seu potentiali, adeòut etiam per Regios magistratus, & officiales id soleat prohiberi.

Et quamvis replicaretur quod nulla adesset ecclesiasticæ 18
immunitatis violatio, cùm non à Barone domino loco, sed ab Episcopo ista exactio fieret; Attamen erat fragile fundamentū, quoniam Episcopus possidebat illud castrum ex largitione Regum, seu antiquorum potentium Principum Bisinianī, ideòque in hac parte gerebat personam Baronis laici, non autem Episcopi; Ad instar eorum quæ habentur *sub tit. de judic.* & alibi occasione Constitutionis Ægidianæ, ac etiam *sub tit. de dote, disc.* 42. *&* 143. de Papa considerato tanquam Principe temporali Status Ecclesiastici, quod ejus leges, & provisiones non ligant Ecclesias & ecclesiasticos nisi ubi commiscendo etiam potestatem Papalem, ita velit ac dis-

disponat, quod tamen in Episcopo verificabile non est, cùm non habeat potestatem statuendi contra jus, ac subditis collectas, & onera imponendi, *ut d. disc. 18. de alien. & contract.*

19 Circa dictam probationem dominii deductam ex observantia, insistebatur ex parte præfati Episcopi Bojanen. quod in materia ecclesiasticæ immunitatis non datur consuetudo vel præscriptio, cum illa potiùs corruptela reputetur, stante potissimùm continua interruptione, quæ singulis annis sequitur ex publicatione Bullæ Cœnæ; Dicebam tamen quod assumptum est verum, sed fallacia clara erat in applicatione, quoniam Aliud est considerare observantiam in ratione præscriptiva, & ad hunc effectum benè dicitur; Aliud verò in ratione interpretativa, seu probativa, vel adminiculativa, & ad hunc effectum dicta propositio prorsus incongrua, & extranea est, quoniam non est ratione possessionis & observantiæ aliquod jus quærere, sed solum per illam comprobare illud jus, vel dominium, quod ex alio legitimo titulo competat, juxtà pluries insinuatam distinctionem in foro quotidianam inter observantiam præscriptivam, & interpretativam.

20 Desuper autem nulla prodiit resolutio, quoniam cùm Episcopus judicialiter processisset, eidem remissa fuit causa prout de jure terminanda ad præscriptum *S. C. T. sess. 24. de reform. cap. 20.* ut causæ in prima instantia coram locorum Ordinariis terminari debeant, atque in hoc statu causa (quod sciam) in partibus pendet.

PARMEN. PRÆDII
PRO HORATIO VIOLA
CUM ALEXANDRO, ET HORATIO DE VILLANIS.

Responsum ad causam extra Curiam.

De exemptione clericorum, & personarum ecclesiasticarum, à Statutis, & legibus laicalibus, an operativa sit ad effectum sustinendi contractus, qui contra ejusdem legis formam, initus sit per laicum ipsi legi subditum, favore clerici, vel alterius personæ exemptæ a potestate statuentis?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Quod solemnitates in contractibus mulierum, vel minorum non requirantur, quando fiant jure universitatis.*
3 *Quod sit procedendum cum distinctione casuum.*
4 *Clerici, & ecclesiastici sunt exempti à legibus laicorum, ac paria sunt forum sortiri, ac legibus ligari.*
5 *Quare leges civiles, & feudales ligant clericos.*
6 *An, & quando leges laicales edita ad publicum commune bonum, ligent ecclesiasticos?*
7 *An clericus ligans in foro laicali ligetur legibus, & stylis laicorum?*
8 *An ex pacto Clericus ligetur ritu M. C. V. Neapolis, vel simili.*
9 *An ubi Clerici haberi debeant jure laici, subjaceant legibus laicalibus, puta in mercibus, vel in pascuis?*
10 *An, & quando clericus allegat legem laicalem contra laicum in ratione activa, & privilegiativa?*
11 *Quid in materia juris congrui, vel alterius retractus.*
12 *An Statuta, & leges laicales intrent in contractu facto per laicum cum clerico, vel cum ecclesia?*
13 *Quid ubi clericus sit reus, atque agatur de retractione actus jam effectuati.*
14 *De eodem, ac de proprio sensu.*
15 *Et de distinctione super eodem.*
16 *Datur simile in materia juramenti.*
17 *De alia ponderatione in idem, de quo suprà, n. 2.*

D I S C. VIII.

1 INstituto per Octavium, hærede altero Octavio filio cum substitutione in casu obitus absque filiis ad favorem antiquioris de familia, factoque casu mortis instituti absque prole, instituto hærede Oratorio Steccatæ nuncupato, prætensionem excitavit Zenobia testatoris filia, & respectivè ultimi defuncti soror, inter cujus postea defunctæ quatuor filios, & Oratorium secuta est concordia, per quam prædium in quo fideicommissaria hæreditas consistebat, pro medietate Oratorio adjudicatum fuit, & pro alia medietate dictis quatuor Zenobiæ filiis, quorum duorum defunctorum portiones obtinuit Alexander pater, qui, ac Isabella filia, necnon Alexander, & Octavius filii Innocentiæ alterius filiæ, conjunctim cum dicti Oratorii Administratoribus, prædium concesserunt in livellum Horatio, cum pacto francandi, quod præsertim cum dicta Isabella practicatum fuit; Eaque post plurium annorum decursum defuncta, Alexander, & Horatius filii, prætendentes dictæ concessionis invaliditatem ob non servatam formam decreti Ducalis, super alienationibus, & contractibus mulierum, judicium in Curia Episcopali contra Horatium concessionarium clericum instituerunt, pro vendicatione octavæ partis dicti prædii, quæ sub eorum matris portione cadit; Quare desuper ex parte Horatii Rei conventi, ad causæ tamen opportunitatem, requisitum fuit, ut motivis docti, ac ingeniosi Judicis responderetur, illaque duas habebant partes; Unam scilicet, an generaliter, secluso clericatu concessionarii, intrat, necne dictum decretum Ducale, adeòut omissio ejus formæ, stante decreto irritanti, nullitatem ab actoribus prætensam causaret? Et secundò quatenus decretum intraret, an illud attendi deberet, stante quod concessionarius erat clericus illi non subjectus?

Prima pars videbatur potiùs facti quàm juris, super circumstantiis scilicet, ex quibus prætendebatur, ut non verificaretur ejus casus, juxtà ponderationes in hujusmodi Statutis, vel legibus pluries habitas in sua sede *sub tit. de alien. & contract. prohib.* Et præsertim ponderabam, ut illud non intraret in casu præsentis quæstionis, ob clarè cessantem ejus rationem, cùm loquatur de alienationibus, quæ fiant per mulieres, quæ seductionibus, ac fraudibus subjectæ sunt, & sic in contractibus, qui per ipsas fierent jure singulari, unde propterea dicta ratio sit verificabilis; Secus autem in hac facti specie, quod ipsa mulier intervenerat in contractu, quodam jure collegiativo, seu communicativo, super alienatione totius prædii pro octava portione, intervenientibus pro aliis septem pluribus viris prudentissimis, nempè pro quatuor portionibus aliquibus qualificatis Administratoribus dicti Oratorii, & pro aliis duabus, ejusdem mulieris patre, necnon duobus ex sorore defuncta nepotibus pro altera portione, unde propterea non videbatur casus cadens sub hoc Statuto, ob illius cessantem rationem. 2

Ad id ponderando ea, quæ habemus ad materiam textus *in l. unica, C. quand. Imper. inter pupillos, & viduas, &c.* super privilegio electionis, & variationis fori, concesso personis miserabilibus, ut non competat Communitatibus, vel corporibus universalibus, quamvis inter personas illa constituentes, admixtæ essent miserabiles, ob cessantem rationem facilis oppressionis, vel non defensionis, stante existentia aliorum, ut latiùs in sua sede *sub d. tit. de alien. & contr. prohibit. in supplemento in hac eadem causa.* 3

Quatenus autem pertinet ad alteram inspectionem, cùm tam in motivis, quàm etiam in responsis editis pro actoribus doctè quidem, ac elaboratè, penè ex integro reassumpta esset tractatio materiæ, seu quæstionis, an scilicet, & quando possit subditus contrahere cum non subdito, spreta lege sui superioris, & sic an defectus formæ præscriptæ per Statutum laicale, afficiat clericos Statuto non subditos, qui contrahant cum laico subdito; Atq; desuper plures cumularentur authoritates percutientes diversos terminos, vel casus; Hinc proinde, inhærendo pluries insinuato stylo, qui pro meo sensu, hodie in omnibus fori quæstionibus, nedum opportunus, sed præcisè necessarius videtur, ad æquivoca, tollenda, & pro congrua applicatione authoritatum, procedendi scilicet per diversorum casuum distinctionem, atque ita segregando authoritates extraneas ab illis, qui ad rem non faciant veritatem, dignoscere, & quæ authoritates verè ad causam faciant inspicere. 4

Constituebam in primis hodie absolutam, ac de plano præsupponendam propositionem pluries in omni ferè materia insinuatam, & præsertim *sub t. de successión. ab intestato*, (ubi est major sedes Statutorum, ac jurium municipalium) ac etiam *sub t. de dote, disc. 22. & 143. & alibi.* quod scilicet paria sint forum sortiri, ac legibus ligari, quodque propterea, quemadmodum clerici aliæque personæ ecclesiasticæ, laicali foro non subjacent, ita laicalibus legibus non ligentur, dum catenus ligatur legibus civilibus, quatenus sacri canones earum observantiam demandent in casibus, in quibus eis non adversentur, legibus verò feudalibus ligantur potius in ratione pacti, seu conditionis adjectæ in investitura feudali, ex ponderatis *sub t. de feud. disc. 54.* Dictaque certa propositione ita statuta, cum ejus generalitas nimium vaga sit, idcircò ad diversorum casuum distinctionem descendendo; 5

Pri-

6 Primus casus est ubi sine mixtura laici, qui legi laicali subditus est præcisè, ac directè agatur de passiva, & coactiva subjectione clericorum, & ecclesiasticorum legibus, ac Statutis laicalibus; Et tunc apud omnes, tam Civilistas, quàm Canonistas recepta est dicta regula negativa extra controversiam, quæ tamen inter eos non modica est in iis legibus, quæ concernunt bonum publicum commune, tam laicis, quàm clericis, unde propterea leges fundatæ sint in ratione naturali, quæ omnes uniformiter efficiat; Plerisque clericorum comprehensionem prætendentibus sub hujusmodi legibus, vel edictis, ex plene relatis per Menoch. *cons.* 800. Franc. & add. *dec.* 9. Carol. de Grass. *de eff. cler. eff.* 1. n. 166. *& seqq.*

7 Aliis verò id firmiter negantibus, atque sustinentibus, quod ratio naturalis, vel illa publici boni, afficiat quidem etiam clericos ex vi directiva, ut contraveniendo peccent, atque malè faciant, undè propterea ab eorum superioribus ecclesiasticis, punibiles, ac reprehendibiles dici mereantur, non autem ex vi coactiva ipsius legis laicalis, quodq; earum pœnis subjacere debeant, ex iis quæ aliis relatis habentur plenè deducta apud Sperell. *dec.* 10. *cum pluribus seq. ubi alii, & per modern. Cortiad. in dec. Aragon.* ubi cum inexplicabili labore integra folia cum authoritatibus etiam super notoriis incidentibus replere studet, res quidem pro meo sensu irrisione digna,

8 Verùm ista quæstio extranea erat à casu controversiæ, & consequenter omnes authoritates, quæ hujusmodi generalitatem percutiant, segregandæ erant ac ponendæ ad partes, cùm ageretur de Statuto emanato super contractibus faciẽdis per mulieres sæculares in materia merè privata.

Alter casus est ubi agatur de subjectione legum laicalium, quam clerici & ecclesiastici pati debeant, necne quando tanquam actores, vel rei voluntarii, aut ratione reconventionis, seu præventionis causæ ante superventum statum clericalem, sive juxtà alios casus, de quibus *sub tit. de jurisdict. disc.* 94. litigant in foro laicali, an scilicet, & quando laicalibus legibus, vel stylis subjaceant; Idque varias habet distinctiones, habet illam præsertim inter ordinatoria, & decisoria; Et alteram inter actorem, & reum, ex iis quæ aliis relatis habentur *sub tit. de judiciis*, occasione agendi quod, seu quale jus attendi debeat; Sed pariter omnes authoritates, quæ istum casum percutiunt, extraneæ sunt ab illo præsentis controversiæ.

Tertius casus est illius subjectionis quam clericus de lege, vel de stylo laicali voluntariè patiatur in vim conventionis, quia nempè paciscatur, ut pro observantia contractus, conveniri valeat ad formam Statuti laicalis juxtà casum, de quo habetur actum *sub tit. de credito, disc.* 116. super pactis, quæ in instrumentis, in Regno Neapolitano adjici solent, ut pro contractus observantia, possint instrumenta incusari, & liquidari ad formam Ritus illius Magnæ Curiæ Vicariæ, an scilicet lex laicalis obliget clericum, non in ratione legis, sed in ratione pacti tanquam edinstat, juxta *cons.* 33. Abb. *lib.* 2. & tunc intrant ea quæ habentur deducta *d. disc.* 116. *de credito*, Sed pariter iste casus extraneus est, ideoque authoritates illum percutientes, quarum aliquæ desuper cumulabantur, & præsertim *dec.* 348. *p.* 9. *rec. repetit. dec.* 180. post Zacch. *de oblig.* reponi merebantur ad partes,

9 Quartus est ille casus, in quo clericus, jure laici habendus venit, etiam ex sensu sacrorum Canonum, ut præsertim contingit in clerico negotiatore, qui pro bonis ad mercaturam, seu negotiationem pertinentibus, non gaudet immunitate reali, sed more laici subjacet gabellis, aliisq; oneribus laicalibus, *ex deductis sub t. de Regal. disc.* 53. *& supr. disc.* 3. Aut ubi agatur de illis pascuis, in quibus clericus non alio jure depascere valeat nisi civico, & quantum illius Civitatis, vel loci leges concedant, juxtà ea quæ ad hanc materiam juris pascendi habentur pluries *sub t. de servit. & sub t. de jurisd. disc.* 66 & tunc intrat quæstio, an clerici subjaceant legibus laicalibus super solutione fidæ, & diffidæ, & super aliis, sed quidquid sit de his, pariter casus est extraneus, ideoque extraneæ remanent authoritates, quæ illum percutiant.

10 Quintus est casus, in quo ipsemet clericus, vel exemptus, alleget ad sui favorem tanquàm per speciem privilegii, ac exemptionis à damno, vel prejudicio, legem laicalem annullativam actus ob certam solemnitatem non servatam juxtà casum disputatum *sub tit. de dote, disc.* 22. ac etiam actum est *eod. tit. de dote, disc.* 143. cum similibus; Et tunc, quando ipse de tempore quo contrahit, seu aliàs disponit, declarat etiam implicitè, seu adminiculativè gaudere velle contrahendi, ac disponendi libertate naturali, quæ ad limites juris communis ei competat, nolleq; subjacere restrictionibus à Statuto resultantibus, & rectè id facere potest, cùm cogendus non venirit illi subjacere; Secùs autem hujusmodi declaratione non accedente, ipsoque declarante potiùs habuisse in animo utendi beneficio Statuti, ex vera, & recepta conclusione quod, licet clericus non subjaceat legi laicali in ratione coactiva, benè tamen voluntariè illa uti potest in ratione favorabili, & privilegiativa, cùm clericatus non tollat prærogativas naturales, eaq; beneficia, quæ cuilibet civi competunt, neque clericus inferioris conditionis esse debet quocumque sæculari; Ac etiam ratione inæqualitatis, vel claudicationis, quam in sui præjudicium pati cogeretur, quod scilicet si ipse cum laico contraxisset sine tali forma, vel solemnitate, atque pro contractus observantia agere vellet coram Judice laico, iste non cogeret suum subditum objicientem de nullitate actus ob legem sui superioris non servatam, ut infrà in ultimo casu; Igitur è converso non debet ipse subjacere contractioni ob æqualitatem inter partes servandam, ut latiùs *disc.* 22. *&* 143. *de dote*, occasione agendi de clerico qui dotem constituit ultra taxam à Statuto Patriæ præscriptam; Quidquid sit in eo casu, in quo contrariæ prodierunt decisiones ob quasdam circumstantias particulares ibi ponderatas.

11 Septimus est casus, quando pariter clericus à lege laicali exemptus, illam pro se allegat in ratione privilegiativa, illudq; jus vult exercere contra laicum, quod ex naturali qualitate, præscindendo à clericatu, sibi competat, sed è converso laicus contra quem illud jus exercere velit, objiciat de eadem claudicatione, quod scilicet ipse idem jus contra clericum invitum exercere non posset; Ut (ex. gr.) est in jure retrahendi, quod ex lege municipali loci competat ratione viciniatis, vel sanguinis, aut consortii vel inquilinatus &c. quoniam contra clericum tali legi non subditum, hoc jus non est exercibile, ex iis, quæ habentur in sua materia, *sub t. de serv. disc.* 71. An scilicèt e converso clericus vicinus, vel consors, &c. hunc retractum exercere valeat contra laicum, ius utendo lege laicali favorabiliter, ac in ratione privilegiativa, Cùmq; isto casu ipse tanquam actor laicum cogere teneatur in ejus foro laicali *ad text. in c. si clericus laicum, de for. compet.* idcircò non de facili per laicum Judicem sibi audientia conceditur, ex firmatis apud French. *& Add. dec.* 285. & conferunt quæ habentur *sub tit. de judic.* ad materiam *Ægidiana*, ut neque prosit clericis ex dicta ratione æqualitatis, sed pariter ista quæstio extranea est à casu.

12 Octavus demũ (omissis aliis si qui fortè sint) est casus præcisus hujus controversiæ, quando scilicet laicus, contra formam Statuti, seu legis sui superioris, se obliget, vel aliter disponat favore clerici, vel Ecclesiæ, deinde verò, eadem lege fretus, actus nullitatem alleget, agendo, vel excipiendo; Et tunc, licèt non desint volentes, ut id fieri non valeat ex ratione exemptionis Ecclesiæ, vel clerici, cujus favore in cõtractu dispositum sit, ex deductis per Beller. *disq. cleric. p.* 1. *t. de exempt. cler. à stat.* §. 5. *n.* 43. cum aliis relatis per Carol. de Grass. *de effect. cler. effect.* 2. *n.* 354. & insinuatur *sub tit. de dote* in allegatis *disc.* 22. *&* 143. *ac etiam eod. tit. disc.* 103. Nihilominus altera opinio, etiam in puncto juris pro meo sensu probabilior videtur, eamque sine dubio tenent Tribunalia laicalia, ex regula quod subditus non potest contrahere cum non subdito, spreta lege sui superioris, juxtà theoricam Bart. *in l. cunctos populos, C. de summ. Trinit. n.* 32. quem sequuntur alii relati per Surd. *cons.* 2. *n.* 41. *& seqq.* & Carol. de Grass. *d. effect.* 2. *n.* 355. *& seqq.* ac habetur locis citatis, atque admissum fuit per Rotam in casu de quo agitur, *sub tit. de alienat. & contractib. disc.* 32. ubi de quæstione an valeat contractus sine solemnitatibus statutariis initus cum Ecclesia.

Illa etenim adhibetur distinctio, an factus sit cum Ecclesia uti Ecclesia, ex motivo pietatis, ac religionis, vel potius, cum eadem, ex jure privato, vel ex causa correspectiva, & profana, ut primo casu non intrent solemnitates, atque sine eis actus valeat, secus autem in altero, ex ibi deductis, quoniã dicto casu lex nullam facit operationem cum non subdito, sed illam totam facit cum proprio subdito, illum inhabilitando ad aliàs contrahendum cum quocũque, talis qualis ille sit; Neque ecclesiæ libertati præjudicium dignosci videtur, cùm clericus, vel ecclesia non consideretur in ratione ecclesiastica, sed in ratione merè privata, & profana: Atq; tunc dictum præjudicium esset considerabile, quando lex
laicalis inhabilitaret subditum ad piè disponendum favore 13
Ecclesiæ uti Ecclesiæ, sive clerici uti clerici, adeout cum non subdito potiùs quàm cum subdito suam faceret operationem; Aliàs etenim si indefinitè dictum assumptum procederet, quod scilicet exemptio alterius contrahentis à jurisdictione & potestate statuentis, sufficeret ad validitatem actus quodque

quæ talis lex attendi non deberet, sequeretur quod idem dicendum esset, non solùm in clericis, sed etiam in forensibus, & quibuscunque aliis, qui statuentis subjectionem non sentiunt quod utique non procedit, quoniam laicus excipiendo munitur lege proprii superioris qui potestatem aliter disponendi, vel contrahendi sibi ademit.

13 Ponderabam tamen, quod præmissa rectè procedant, ac etiam pro meo sensu in praxi recipienda sint, quando laicus cum clypeo propriæ legis de hoc excipit, atque se tuetur coram proprio Judice sæculari profitente servare leges sui fori; Secùs autem ubi è converso (ut in præsenti casu) contractu jam effectum sortito, laicus tanquam actor, pulset clericum reum cor. suo Judice ecclesiastico, pro retractatione actus; Tunc etenim videtur quod recipienda veniat prima opinio, quam aliqui Canonistæ superiùs citati tenent pro actus validitate, quoniam ita esset cogere clericum ad patiendum jacturam, seu amissionem juris jam quæsiti & possessi in vim legis laicalis, quæ cum ipso directè operationem faceret, illum privando (ut dictum est) jure quæsito, ac possesso.

14 Ista deducebam scribendo more Advocati, seu Consulentis, ad causæ opportunitatem, absq; eo quod cum diligentiis tunc adhibitis, casus præbuerit invenire authoritates descendentes in specie ad hanc distinctionem; Adhoc tamen indeterminatus remansi super efformatione proprii judicii ad veritatem, quoniam licèt nimium urgere videatur dicta ponderatio, quod ita operatio legis laicalis fieret cum clerico exempto, cum quo ejus vigore actio exerceretur; Attamen in contrarium ponderabam, quod vendicatio rei suæ malè alienatæ, quam laicus agendo faciat contra clericum possessorem, non proveniat directè ac immediatè à lege laicali, quæ cum ipso suam exerceat potestatem, sed potius proveniat consecutivè, & ex dispositione juris communis, imò etiam divini, vel naturalis, ut scilicet dominus vendicet rem suam à non domino, sine legitimo titulo illam detinente, dum posita inhabilitatione personæ, quæ alienationem fecit, ob istius infectionem, actus habendus est pro infecto, ideoque dominium rei à priori domino nunquam abdicatum fuit, neque in alterum translatum; Et consequenter dominus vindicat à non domino rem suam, jure primævi dominii, non autem novæ privationis, vel novæ operationis, quam ista lex faciat.

15 Hinc proinde præmissa, quæ ita hincinde urgent, me ancipitem, ac indeterminatum reliquerunt, neque alia huc usque supperiit occasio maturius hunc punctum examinandi, seu videndi, ab aliis examinatum.

16 In hac tamen facti specie, ob ejus particulares circumstantias, pro hac parte clerici rei conventi judicari debere credebam propter bonam fidem, ac sinceritatem actus, adeout pro meo sensu non versaremur in casu dicti decreti, ejusque ratio non intraret ut supra, quodque propterea generaliter procedendum videatur cum bonæ, vel respectivè malæ fidei distinctione; Si etenim ex facti circumstantiis constet de sinceritate actus, quodque revera clericus in bona fide versatus est, ideoque onerosam causam foveat, unde propterea contendat de vitando damnum, quod scrupulosus rigor legis laicalis sibi inferret, adeout spectato effectu naturali, ipse potiùs circumventus remaneret, Alter verò contrahens laicus in lucro, ex pretio, vel recompensa habita, quamvis ad formam legis non benè in ejus utilitatem versat, & tunc favore clerici potiùs respondendum esset; Secùs autem è converso quando legis ratio intraret, ipseque clericus esset circumventor, atque de lucro contenderet.

Ad id autem comprobandum ponderabam ea quæ habemus in materia indirectæ enervationis juramenti, quæ legi laicali tribuitur, adimendo fidem scripturæ, seu præsumendo actum dolo, vel metu extortum, quoniam est simplex præsumptio admittenda, quatenus contrariæ veritatis, vel sinceritatis certa probatione accedat, cùm tunc juramentum suam faciat operationem, dum aliàs enervatio proveniret à sola vi legis laicalis, non autem consecutivè à præsumptiva probatione per ipsam inducta in proprio subdito quod non licet, *ut d. disc. 143. de dote, & alibi*; Sic à pari; Adhuc tamen sub maturiori judicio id relinquo, quamvis distinctio nimiùm probabilis videatur; Incertumque est quid in ista causa secutum sit.

17 Item pro validitate actus, quodque non versaremur in casu decreti Ducalis in comprobationem eorum, quæ habentur supra, *n. 2.* circa actum collegiativum, ponderabam quod cum juxta præmissa, præfatum Oratorium tanquam locus ecclesiasticus non subjaceret dicto decreto, unde proptereà opus non erat adhibere solemnitates, ita dicendus veniret casus mixtus, ac de consequenti intrarent ea, quæ habentur *sub t. de success. ab intest.* in materia cessantis operationis Statuti in casu mixto, seu omissu ob mixturam personæ in Statuto non comprehensæ, seu illi non subjectæ, potissimè verò ubi hæc mixtura non sit affectata, & cum mala fide ad faciendam fraudem Statuto (quo casu dubitarem) sed sincerè, ac bona fide; Magis tamen solidum erat dictum motivum actus collegiativi.

LICIEN. IMMUNITATIS
PRO FRANCISCO BOZZICORSO
CUM FISCO,

Casus disputatus in S. Congregatione Immunitatis, resolutus pro Francisco.

Qualis dicatur proditio, quam Gregoriana constitutio recenset inter casus exceptuatos, eique immunitatem ecclesiasticam denegat?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De ratione, ob quam Advocati Curiæ Romanæ non soleant tractare hanc materiam.*
3 *An requiratur probatio concludens delicti exceptuati?*
4 *De puncto an attendi debeat processus Curiæ sæcularis?*
5 *De pluribus significationibus proditionis.*
6 *De variis opinionibus super puncto, quando dicatur vera proditio ad hunc effectum.*
7 *Quando placeat posterior opinio super rigorosa proditionis significatione.*
8 *De applicatione ad casum controversiæ.*
9 *Proditionem excusat verisimilis possibilitas rixæ.*
10 *De aliis circumstantiis proditionem excludentibus.*

DISC. IX.

Postquam Franciscus, plurium annorum spatio, negotia, & bona quorumdam nobilium Januensium sub nomine Agentis administraverat, atque alter forensis, religiosus claustralis ejus loco suffectus fuerat, qui ad hunc effectum ad eam Civitatem transmissus erat cum particulari commissione, ut à prædecessore reciperet rationum redditionem; Cum ista occasione, calculandi partis dati, & accepti, easque benè dispungendi, successor in munere solitus esset frequentare domum prædecessoris, ad quam plurium aliorum frequens erat accessus, dum erat jurisperitus, atque munus Advocati exercebat, dictus novus administrator non reperiretur, neque ampliùs visus esset postquam quadam die domum prædictam ingressus fuerat; Hinc sparsus fuit rumor quod ab eodem occisus fuisset in propria domo; unde propterea Franciscus præmonitus de ejus destinata carceratione confugit ad ecclesiam, à qua per Curiam sæcularem extractus fuit, atque post secuta aliqua acta coram Ordinario, pro reintegratione immunitatis, ea delata ad Sac. Congregationem, per fiscum, eique adhærentes prætendebatur, quod ageretur de homicidio proditorio excepturato à Constitutione Gregoriana. 1

Quare ab amico requisitus fui, ut aliquam præstarem assistentiam causæ defensori, ac proptereà (præter stylum) desuper scripsi super solo puncto proditionis, cùm alia puncta super non benè legitimato processu, ac super alio defectu corporis delicti, consisterent potiùs in facto, quam in puncto juris, & quoad ea quæ juris sunt, respiciebant materiam criminalem, à qua, pro Curiæ frequentiori stylo, qualificati Advocati ob magnam civilium, & ecclesiasticorum negotiorum molem nimium occupati, abstinere solent, adeut videantur quodammodo professiones distinctæ; Itaque præsertim negotia ecclesiasticæ immunitatis, pro frequentiori contingentia pertractari solent ab illis exterorum negotiorum gestoribus, qui discretivè ad Advocatos & causarum Patronos sub Agentium vocabulo explicantur, utpotè Episcoporum, & Gubernatorum negotia pertractantes, ideoque non mirum si materia adeò in Curia frequens, tardò a me tractata fuit. 2

Insinuando itaque solùm super secundo puncto non concludentis probationis delicti, ac non legitimationis processus, quæ habentur benè deducta apud Vermigliol. *consil. crim.* 99. ultra alios deductos per causæ defensorem, ex congregatione per eumdem Vermigliol. assignata, quod idem sit declarare crimen qualificatum, ut indignum sit ecclesiastica immunitate, ac Reum pœna ordinaria dignum declarare, cùm fortè non detur casus, ut remissus Curiæ sæculari, tanquam reus criminis à dicta Constitutione exceptuati, à pœna ordinaria immunis remaneat, quodque propterea, ubi 3

agi-

agitur de probatione per indicia, ista esse debeant omninò indubitata, non autem ex genere illorum, quæ apud Criminalistas, ad condemnationem ad pœnam ordinariam sufficientia non reputantur; Super quo tamen nullum maturū judicium efformavi, cum solùm inciderer ultra deducta per causæ defensorem, insinuarem dictam authoritatem Verm.

4 Quatenus pertinet ad primum punctum proditionis, super quo strictè requisitus fui, & ex cujus discussione pendebat facilior causæ resolutio, quoniam posito quod non constaret de qualitate proditionis, inanis labor erat aliam assumere inspectionem super legitimatione processus, & an standum esset, necne processui Curiæ sæcularis, super quo puncto adeò inter se pugnant ecclesiastici, & sæculares, ex iis, quæ super utraq; opinione habentur deducta per Farinc. *in append. de Immun. c.* 22. *ex n.* 367. Carlin. *contr.* 10. *ex n.* 44. del Bene *de Immun. tom.* 2. *c.* 16. *dub.* 43. *sect.* 1. cum aliis per modernum collectorem Pigoarell. *cons.* 127. *per tot.* apud quos Concordantes; Sive an concludens adesset ipsius delicti probatio, cùm nil referat illud esse concludenter probatum, si non sit de exceptuatis.

5 In hoc autem dicebam quod omissa evagatoria explicatione, vel significatione hujus vocabuli proditionis, seu proditoris, super qua Criminalistæ nimium se diffundere solent, adeout, duodecim, vel tresdecim significationes ei tribuantur, ex iis, quæ, aliis relatis habentur apud Gigant. *de crim. læs. majest. in rubric. de proditor. qu.* 1. & Farinac. *q.* 18. *n.* 79. *& apud alios*.

Quatenus pertinet ad punctum præcisum illius proditionis, de qua Gregoriana Constitutio loquitur, duæ desuper habentur opiniones; Una est de qua apud Gambacurt. *de immunit. lib.* 3. *p.* 4. *n.* 28. Mar. Ital. *eod. tract. lib.* 1. *c.* 5. §. 4. *n.* 1. *& seqq.* Farinac. *d. q.* 18. *n.* 75. & alii relati per Bene *de immun. c.* 16. *dubit.* 20. *sect.* 5. ut scilicet ex sensu Afflict. Covarruv. Petri Blanc. & aliorum, proditor dicatur omnis qui sine diffidatione, atque, ut vulgò dicitur, de facie ad faciem, sed per insidias aliquem occidat, quamvis ejus inimicus, vel odiosus declaratus esset, undè propterea in sensu allegatorum, ac aliorum ejusdem opinionis sequacium, proditor reputatur ille, qui inimicum cum sclopo a tergo feriat, seu quod aliud ostendat in ore, & aliud habeat in corde.

6 Altera verò est opinio, quam magis communiter alii sequuntur, atque revera magis recepta etiam apud DD. seculares, præsertim Franch. *decis.* 716. Rovit. *super pragmat.* 2. *de oblationib. n.* 56. *& seq.* cum aliis per Gіurb. *cons* 60. Vermigliol. *cons.* 94. *&* 99 Spetell. *dec.* 23. *n.* 6. *cum seqq.* Farinac. qui seipsum retractat *in appendic. de immunit. ecclesiastic. n.* 143. *& cons.* 76. *n.* 8. *& cons.* 168. *n.* 70. *in addit.* & Bene *de immun. ubi suprà*, ut scilicet vera & propria proditio, de qua ista Constitutio loquitur, dicatur illa, quando nulla præcedente inimicitia, vel malevolentia, sub pallio, & figura amicitiæ, atque occasione actuum inter amicos convenientium, homicidium patratū sit, adeout proditus præcavere non potuerit, putà occidendo socium itineris, vel commensalem, aut alium, qui sub figura amicitiæ ad conversandum cum occisore allectus fuerit, juxtà opinionem Bart. *in l. respiciendum*, §. *delinquens*, *ff. de pœnis*.

7 Et quamvis ex genio, vel desiderio publicæ quietis ad compescendum delicta, ego sim cupidus majoris restrictionis hujus materiæ contra delinquentes, ut exceptis illis delictis, quæ in rixa, vel ex justo dolore, vel ex magnæ injuriæ vindicta patrata sint, & quæ vulgò commiseratione digna dicantur, immunitas denegari deberet (ex judicio tamen Apostolicæ Sedis, & non aliàs); Attamen citra in sensu veritatis, dicebam quod verior, ac omnino tenenda esset ista posterior opinio, non solum ob majorem authoritatum assistentiam, sed etiam quia, in majoribus præsertim Civitatibus, & inter nobiles, inter quos practicabilis non est ille incivilis usus plebejorum se non salutandi frequenter receptas injurias dissimulare oportet, ac etiam justas, ac emeritas vindictas, opportunæ occasioni reservare, ita practicando id quod alterius opinionis sequaces dicunt, ut proditionem importet habere aliud in ore, & aliud in corde, dum potiùs oportet, etiam graves injurias justa ultione dignas studiosè dissimulare, ne superiores desuper manus apponant, atque ad publicam fidem obligent; Ideoque punctus est in eo, an color amicitiæ fuerit causa proditionis, adeout proditio imputari non valeat, cur non præcaverit, juxtà exemplum Judæ, qui reputatur proditorum pater, & magister, quod cùm esset discipulus, & continuus commensalis, cum osculo, quod est signum amicitiæ, & benevolentiæ, Dominum, & Magistrum prodiderit, ut præsertim benè advertit Vermigliol. *d. cons.* 94. *&* 99.

Applicando autem ad rem; Attento etiam processu informativo, cui fiscus, & adhærentes innitebantur, constabat, quod ille, qui supponebatur occisor, non invitaverat occisum, ut ad ejus domum accederet, sed quod occisus illam, etiam molestè, & indiscretè ipso occisore egrè ferente, frequentare solebat, ut solicitaret redditionem rationum & reliquatus restitutionem, eo modo quo diligentes creditores, debitorum domos frequentare solent, Ac etiam constabat quod occasione dispunctionis partitarum (ut frequenter pene in omnibus casibus contingit) rixari, seu altercari soliti essent, ideoque non solùm possibile, sed probabile erat, ob facti circumstantias; quod illius altercationis calore, adeò iracundia exarcerit, quod læthaliter altercantem percusserit, ut in longè fortiori casu, quod occisor sub solo colore amicitiæ occisum in domo invitasset, ut huic imputari deberet cur se fiderit invitanti, de quo ex jam secutis suspicionem gravem habere poterat, ac debebat, ponderatur apud Vermigl. ubi suprà; Multò itaque magis in hac facti specie quod occisor non invitabat, sed potiùs ægrè ferebat, cùm accessus esset odibilis, & molestus; Et quod magis est, ipsa causa accessus, secum trahebat altercationes, ac alicujus indignationis incitamenta.

9 Ponderando etiam nimium qualitatem domus, vel aulæ, in qua occisi frequentia, seu conversatio cum occisore esse solebat, & ex cujus ingressu ultima die, ex qua amplius visus non fuit, deduci prætendebantur homicidii indicia indubitata; Quod scilicet erat mansio inferior in primo domus ingressu, in qua pro illarum partium stylo, ille professor bibliotecam tenebat, atque clientes audiebat, & sic in mansione publica, ad quam alii confluebant; Et quod magis est, constabat, quod in alia adjacenti aula, recreationis gratia, alii nobiles eundem professoris amici morari, ac ludere solebant; Cùm etenim ageretur de viro extero ac religioso, nimium facilis oppressionis à viro nobili, 10 qui in propria patria, famulorum, aliorumque clientum adhærentiam habebat, utique si præmeditatus animus hujus homicidii habitus esset, nulla suberat necessitas tenendi hunc modum, cùm facilius, magisque occultè id practicari potuisset in aliis locis, in quibus occisus practicare solebat. Istudque magnum dicebam esse argumentum proditionis exclusivum, atque ita pro immunitatis competentia prodiit resolutio.

ANNOT. AD DISC. IX. cum seqq.

DE Immunitate locali, & de casibus à Gregoriana Constitutione exceptuatis, de quibus, in his discursibus, nulla postmodum adfuit occasio disputandi; Solumque videri poterunt ea, quæ de novo reassumpta fuerunt in Summa, sive Compendio *in fine præsentis tituli*, ac etiam *suprà disc.* 1.

NULLIUS, SEU PARMEN.

PRO FRANCISCO BRACCELLO, ET ALIIS CUM FISCO

Casus disputatus in S. Congregatione Immunitatis, resolutus pro Immunitate.

An, & quando dicatur commissum delictum in Ecclesia, ad effectum, ut dicatur casus exceptuatus à Gregoriana Constitutione?

SUMMARIUM.

1 *FActi series cum resolutione, ac punctis controversis.*
2 *De conclusione, an & quando homicidium cum sclopo à tergo sit proditorium?*
3 *Quod homicidium commissum in loco immuni extra Ecclesiam, vel cœmeterium non sit exceptuatum.*
4 *Quando intret dicta exceptuatio etiamsi sit delictum in Ecclesia.*
5 *De ratione cui innixa est ista exceptuatio.*
6 *De eadem conclusione, de qua n.* 3.
7 *Contrarium creditur verius, ut exceptuatio procedat in quocumque loco immuni.*
8 *Quomodo procedendum sit in interpretatione legum.*
9 *De eadem de qua n.* 3. *&* 6.
10 *Quomodo in hac materia immunitatis procedendum sit.*

DISC. X.

ORta rixa in platea Guastallæ, nullius diœcesis, occasione percussionis cujusdam pueri, inter Dominicum, & Thomam, supervenit Franciscus Dominici hospes, ab ejus

fa-

famulis associatus, ut illi opem ferret, ac assisteret, unde propterea Thomas, ne à multitudine opprimeretur, confugere curavit ad ibi vicinam Ecclesiam, in cujus atrio propè cœmeterium, Franciscus, qui eum insequebatur, breviori sclopo emisso, eum occidit, cùmque tam ipse Franciscus quàm ejus famuli, ac etiam Dominicus in eadem Ecclesia se recepeiint, atque ab ea per Curiam sæcularem extracti fuerint ex eo, quòd ageretur de casu exceptuato à Constitutione Gregoriana; Hinc introducta fuit ad ejusdem Constitutionis præscriptum causa coram Episcopo Parmen. viciniore; Verùm processu adhuc pendente, ex parte Curiæ sæcularis, ac Partis offensæ, curatum fuerit trassumi causam per S. Congregationem Immunitatis, atque ad instantiam Magnatis, qui partes Oratoris cujusdam Principis, seu Reipublicæ in Curia gerendo, ob aliquam conspicuam dicti Francisci qualitatem ei assistebat, quasi coactus scripsi ad consovendum ea quę deducebantur per alios causæ defensores; Atque pro immunitatis competentia resolutum fuit.

2 Duo itaq; erant fundamenta scribentium pro fisco, & adhærentibus; Primò nempè, quod ageretur de homicidio commisso cum sclopo à tergo, unde propterea dici mereretur proditorium juxtà unam opinionem relatam *disc. præd.* Et secundò quod esset delictum commissum in Ecclesia, vel cœmeterio, ideoque ab eadem Constitutione exceptuatum, ac immunitate indignum.

Primum fundamentum, verè levissimum, nullaque consideratione dignum esse dicebam; Tum quia magis communis, & recepta, ac omninò verior est altera opinio ea insinuatis eodem *disc. præced.* quæ scribendo in ista causa, quoque deducebam; Tum clariùs, quia, ubi etiam prima opinio tenenda esset, adhoc ejus applicatio cessabat; Procedit enim quando ex insidiis sclopum quis contra inimicum emittat, qui illum non videat, neque se defendere, ac præcavere valeat, putà quia ex muro, vel sepe, seu aliàs hæc emissio clandestina fiat; Secus autem si inimicis simul certantibus, uno eorum fugam arripiente, ac altero insequente vulnus à tergo sequatur, quoniam id provenit à casu, ac de natura rei, non autem ex insidiis, unde propterea, quando etiam recipienda esset prior opinio, adhuc sine dubio cessabat ejus applicatio ad casum.

3 Tota igitur disputatio fuit super altero fundamento, quod duas habebat partes, seu inspectiones; unam scilicet nudi facti, ac probationis, super identitate loci, in quo homicidium patratum erat, an scilicet potiùs in atrio, quàm in cœmeterio; Hujusque inspectionis ratio erat opinio, quam tenent plures DD. præsertim ecclesiastici, qui post dictæ Bullæ editionem scripserunt, quod scilicet, cùm ea loquatur de homicidio commisso in Ecclesia, vel cœmeterio; Tum ob dictionem *in*, quæ intrinsecitatem denotat; Tum etiam ex generali axiomate ut in odiosis; & restrictivis stricta interpretatio fieri debeat, locum non habeat ubi homicidium sequeretur in atrio, vel in scalis, sive in campanili, aut in ibi adjacenti conventu, vel domo, cui eadem immunitas competeret.

Et altera erat inspectio juris, an scilicet, posito etiam, quod casus secutus esset in cœmeterio, juxtà prætensionem scribentium pro fisco, dicendus veniret casus exceptuatus, necne?

4 Prima inspectio (ut dictum est) consistebat in nudo facto, de quo, pro Curiæ stylo, advocati parum agere solent, super dicto scilicet testium, & an deferendum esset, necne iis, qui cum aliqua affectatione conabantur concludere quod casus secutus esset in cœmeterio; Aliis id excludentibus, atque concludentibus quod secutus esset in atrio, propè unam ex portis ecclesiæ, unde propterea partes Juristæ erant in comprobando de jure ut testibus patientibus exceptiones, quæ in facto per causæ Patronum supponebantur, fides adhibenda non esset; Ac etiam in probando de jure dictum assumptum, quod scilicet Constitutione loquente de Ecclesia, & cœmeterio, locum habere non deberet in delicto, quod in aliis partibus, vel officinis secutum esset.

5 In hoc autem (reflectendo etiam ad solam veritatem) credebam quod immunitati locus esset, & non ageretur de casu exceptuato, quamvis admitteretur oppositorū assumptum, quod delictum secutum esset in cœmeterio, quinimò etiam in ipsamet Ecclesia, ex eo fundamento, quod non appensatè, ac præmeditato animo, sed casualiter, atque in rixa in eo calore certaminis id secutum esset; Potissimè, dum ille, qui homicidium patravit, dici non poterat auctor rixæ, unde propterea dici posset quod illam præmeditatè affectasset, juxtà ponderationes, quas Criminalistæ facere solent, dum ipse accurrit, ut openi ferret amico, vel hospiti; Exclusa etenim præmeditatione, certum est, quod exceptuatio non fortat, juxtà veriorem, magisque receptam opinionem, de qua plenè Farinac. *in appendic. de immun. eccles. n.238. & 240.* Chartar. *dec.74. num. 12.* Sperell. *dec.59. n.36.* Vermigliol. *cons.* 103. qui agit de casu relato per Dian. *de immunit. p.6. tract. 1. resolut. 7.* atque sæpiùs decisum fuit per hanc Sacr. Congregationem, unde propterea videtur indubitatum; Et meritò quoniam cessat ratio, cui hæc exceptuatio innixa est, quæ duplex consideratur. Primò nempè deducta ex textu *in cap. fin. de homicid. in 6.* quod in eo loco delictum secutum præsumatur ob fiduciam immunitatis; Et secundò, ob injuriam, quæ ipsi Ecclesiæ inferri dicitur, ex axiomate quod non debet juvari quis præsidio ejus, quem contemnit: Istudq; motivum videbatur omninò solidum, absq; necessitate assumendi alterum majoris inspectionis, tam facti, quàm juris super identitate loci.

Quatenus verò ad dictum alterum fundamentum pertinet; Quamvis scribendo more Advocati, deducerem dictum assumptum, quod scilicet, cùm Bulla loquatur de homicidio patrato in ipsa Ecclesia, vel cœmeterio, locum habere non debeat, ubi sequatur in aliis partibus adjacentibus juxtà ea, quæ aliis relatis firmant Sperell. *dec.60. & 61.* Dian. *d. p. 6. tract. 1. resolut. 7. de* Marin. *res.* 170. *num.* 15. *& 13. lib. 1.* Bene *de immunit. tom. 2. capit. 16. dub. 19. sect. 6.* cum alii per modernum collectorem Pignatell. *consult. 169. per tot.* 6

Nihilominus, relinquendo locum veritati, atque meum judicium subjiciendo illi S. Congregationi, pro meo sensu, id minus probabile videbatur, ex adeò frequenti in omni materia insinuata verissima propositione, quę ante omnia à judicantibus præ oculis habenda est, quod scilicet, ubi agitur de quæstionibus voluntatis, seu interpretationis, tunc non cortex, & formula verborum, more grammaticali, sed substantia veritatis, ac verisimilis voluntatis attendi debet spectato fine, seu effectu, aut ratione, ob quam dispositio prodierit, sive illa sit hominis, sive legis, cum etiam super legislatoris vel statuentis voluntate desumenda, vel interpretanda procedatur cum eisdem regulis, cum quibus proceditur in interpretandis testamentis, aliisque privatorum dispositionibus; Quinimò, ubi agitur de interpretatione legum, multò magis dicta propositio intrat, ac attendi debet, quoniam frequenter reperiunt homines parum rationabiles, qui, vel ex imperfectione prudentiæ, aut ex aliqua indignatione, seu passione privata parùm rationabiles faciunt dispositiones, ut pluries advertitur, præsertim *sub t. de fideicommiss.* & præcipuè *disc.* 30. Id autem dicendum non est in legibus in genere, quæ per viros sapientes, ac prudentes, maturè ordinantur, ex bonis, ac rationabilibus motivis directis ad publicum bonum, publicamque quietem; Multò verò magis ubi agitur de lege Pontificia, in materia merè spirituali, ac tanti ponderis. 7

Attenta itaque dicta dupl*ici* ratione, de qua supra, illa æquè convenit Ecclesiæ, & cęmeterio, ac aliis adjacentibus partibus, quibus congruat idē privilegium immunitatis, & consequenter nulla subesse videtur congrua ratio differentiæ, ut in eodem genere locorum immunium, id potiùs in una specie, quàm in altera dicendum sit. Ac propterea, pro meo judicio, omninò veriùs videtur, quod ista restrictio, probabili rationis fundamento careat, quodq; Ecclesia & cęmeterium ita stent, potiùs demonstrativè, non autem taxativè. 8

Ad id ponderando quod apud sacros Canones de ecclesiastica immunitate loquentes, Ecclesiarum, & cœmeteriorum mentio solùm habetur, immunitas autem sacristiæ, atrii, scalarum, campanilis, Palatii Episcopalis vel adjacentis domus habitationis clericorum sęcularium, vel regularium provenit ex interpretatione DD. se fundantium in ratione, quod hæc implicitè veniunt sub nomine Ecclesiæ tanquam ejus partes, & membra; Et consequenter, cùm istę partes, vel officinę non gaudeant immunitate de per se independenter ab Ecclesia, sed accessoriè, & consecutivè, tanquam partes, ac membra, seu appendicia; Hinc proindè Pontifex, papali more, vel stylo locutus est, eo modo quo Canones antiqui locuti sunt, ita sub nomine Ecclesiarum explicando omnes earum partes accessorias, & appendicias, dum sufficit, ut quis appensatè delinquat in loco immuni, ut ita committere dicatur in ipsam immunitatem in genere, sive in ipsam legem, quæ immunitatem concessit. 9

Ut enim alibi insinuatur, commendabilis quidē nimium est ecclesiasticorum zelus, ecclesiasticam immunitatem nervosè tuendi, in iis casibus, quibus congruunt rationes, ob quas immunitas concessa est, non autem commendabiles videntur illæ indiscretæ criticationes, quæ ad aliud non serviunt, 10

viunt, nisi ad confovendum facinorosos homines, eosque ad crimina alliciendum cum publicæ quietis interversione contra sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum mentem, ac rationem; Ac propterea firma remanente inconcussa observantia sacrorum Canonum, & constitutionum Apostolicarum, in illis casibus, in quibus ita expressè disponunt, in aliis tamen casibus ambiguis, ac interpretatione indigentibus, (pro meo tamen sensu, vel genio, me subjiciendo semper judicio Ecclesiæ, ac S. Congregat.) cuperem, ut interpretatio fieri deberet pro exclusione Immunitatis contra delinquentes; potissimè verò ob adeò excretum Ecclesiarum ac domorum regularium numerum, nimiamque frequentiam, ac vicinitatem, in Civitatibus, & locis habitatis, adeòut non detur ferè crimen, cui non congruat ratio, vel dispositio textus *in dicto cap. final. de homic. in 6.* quod scilicet proximus, ac promptus asylus allicit ad delinquendum, ideoque congrueta videntur ea, quæ ex dispositione, vel ratione textus *in cap. suggestum de decim.* advertuntur ad materiam immunitatis realis clericorum *supra, disc. 5.* Sive congruit ratio *dicti text. in c. fin. de homicid. in 6.*

LUCANA IMMUNITATIS
AD PETITIONEM FISCI REIPUBLICÆ.

Responsum pro veritate.

Quinam dicantur latrones exceptuati per eamdem Gregorianam Constitutionem? Et de aliis circumstantiis immunitate privantibus; Et de provisionibus, quæ per Sedem Apostolicam, vel per Sacr. Congregationem capi solent super aliqua pœna extraordinaria facinorosorum hominum, qui ad Ecclesias confugiunt.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An ultra casus exceptuatos soleat dispensari super immunitate, & quomodo?*
3 *De eodem, & quæ circumstantiæ attendi debent.*
4 *De casibus, qui prætendebantur exceptuati in casu &c.*
5 *An & quando condemnatus ad triremes gaudeat immunitate Ecclesiastica?*
6 *Quis dicatur latro famosus à constitutione exceptuatus.*
7 *Furtum in Ecclesia non est de exceptuatis.*
8 *An & quando interet competentia ratione contrectatis.*
9 *Quid practicetur in bonis furatis repertis in loco immuni.*
10 *De delinquente prope ecclesiam sub spe immunitatis.*

D I S C. XI.

1 FUgiens Franciscus è carceribus, in quibus pro aliquibus furtis, per sententiam ad triremes condemnatus fuerat, pleraq; alia in illius Civitatis privatis domibus furta commisit, unũ præsertim notabile, aliqua violẽtia famulo in ea domo existenti illata, atque in Ecclesia se recipiens, ibi cum aliquibus ex bonis furatis, & cum armis sub pœna capitali prohibitis, carceratus fuit; Cùmque ad formam Gregorianæ Constitutionis, coram Ordinario penderet processus, an ista crimina essent necne de exceptuatis, adeout ecclesiastica immunitate indigna declarãda essent, ex parte illius Reipublicæ Magistratus, ad quem pertinet, per familiares epistolas mei nimium benevoli docti Jurisconsulti, qui per aliquod tempus in meo studio versatus fuerat, pro veritate cõsultus, an attenta praxi Sacr. Congregationis Immunitatis, dicta prætensio subsisteret, & quatenus non, an sperari posset, ut ipsa Republica supplicante Pontificem, practicari posset id, quod in celebri casu *Panormitano*, (qui in ore sæcularium est quotidianus) sub Clemente Octavo practicatum fuit, ut iste reus Curiæ traderetur, pœna ordinaria condemnandus, tamquã vir facinorosus à quo si in libertate poneretur, publica quies majorem perturbationem verisimiliter timebat.

2 Quatenus pertinet ad hoc ultimum quæsitum; Respondi quod pro Curiæ praxi, videbatur opus desperatum, quoniam quidquid sit de dicto casu, in quo ejus nimium aggravantes circumstantiæ ob criminis acerbitatem, aliæque illorum temporum contingentiæ illum doctum, ac prudentem Pontificem movere potuerunt, & quando adhuc erecta non erat Sac. Congregatio Immunitatis, quæ natales habuit sub Urbano Octavo: Adhuc tamen certum est, quod ille casus remanet singularis, dum ista S. Congregatio, ex cujus consultatione Pontifex quandoque in casibus particularibus, immunitati dispensare solet, permittendo extractionem cum punitione delinquentium, aliquando ex magna causa, præsertim ea illa, ut occurratur futuris malis, & inconvenientibus, quæ in aliquo facinoroso homine probabiliter timeantur, si in libertate reponeretur, id solùm permittere solet pro pœna extraordinaria, puta condemnationis ad triremes, vel detrusionis in aliqua arce, numquam verò pro pœna ordinaria.

Atq; ubi ageretur de Principatu habente magnũ territorium, adhuc in isto casu probabiliter huic provisioni locus non esset, cùm non ageretur de criminibus atrocibus, & scandalosis, quæ respicerent publicam quietem, sed potiùs de furtis, privatis & occultis, quæ licèt ex eo quòd essent notabilia, & reiterata, essent pœna ordinaria digna, non tamen dici merebantur crimina atrocia, & publica, tendentia ad perturbationem publicæ quietis, atque gravia scandala producentia; Verùm ob qualitatem hujus Principatus, beneque regulatum hujus Reipublicæ regimen, ut in eo statu summa quies habeatur, ideòque super delinquentium extirpatione nimium diligenter invigiletur, idcircò probabiliter credebam, quod petitis annuendum esset; Quamvis in hujusmodi rebus arbitrariis à mera voluntate, ac arbitrio Principis pendentibus, certum judicium efformari non valeat. 3

Quatenus verò pertinet ad ea, quæ in puncto juris consistebant, an scilicet de justitia prætendi posset, quod iste criminosus, ex ejusdem Gregorianæ Constitutionis præscripto, ecclesiastica immunitate indignus reputandus esset; Ex plusibus prætendebat ille fiscalis, quod immunitas non competeret; Primò nempe, quia jam erat condemnatus ad triremes; Secundò ex eo quòd dici posset latro famosus ab eadem Constitutione exceptuatus ob pluralitatem, & gravitatem furtorum, quorum unum cum aliqua violentia, armata manu commissum fuerat. Tertiò quod in hac eadem Ecclesia, ad quam confugerat, dupliciter deliquisset, asportando secum bona furata, & consequenter, quod adesset delictum contrectationis, ac etiam retinendo arma prohibita sub pœna capitali; Et quartò dum ultimum furtum quod erat aliis gravius, tales habebat circumstantias, ut ex eis vehemens resultaret præsumptio quod commissum esset propè Ecclesiam sub ejus immunitatis præsidio. 4

In omnibus autem, contra fisci prætensionem respondendum esse censui, cùm reverà nullus adesset casus exceptuatus: Quatenus enim pertinet ad primum, quidquid sit de casu in quo reus jam sit constitutus (per quemdam modum loquendi) in statu servi pœnæ, quia nempè jam transmissus fuisset ad triremes, è quibus aufugisset, de quo agitur apud Sanfelic. *dec.* 27. ubi allegantur Giurba, de Marin. & alii; Et quo etiam casu, apud ecclesiasticos, magis recepta est opinio immunitati favorabilis, quam Sacra Congregatio sequi videtur, ex relatis per Bene *de immunit. cap. 16. dubitat.* 10. *sect. 8. & 9.* Attamen ista quæstio non intrabat, dum versabamur in casu longè minus dubitabili, quem omninò planum videri dixi, ex regula generali, quam habemus tam in criminalibus, quàm in civilibus, quod sola sententia sine executione non firmat statum facti, dum præsertim in criminalibus ille qui condemnatus est, atque adhuc permanet in carceribus, reputatur simplex carceratus, potiùs, quàm triremium servus vulgò Galeotto, quoniam est in implicito statu libertatis, & non cõtrahendi illam maculam, vel quia à carceribus fugere possit (ut secutum fuit), vel quia in gradu appellationis, vel recursus melius defensus, dictæ condemnationis revocationem obtinere valeat, & consequenter dixi quod non esset prætensio deducibilis ad praxim. 5

Minus subsistere dixi alterum caput famosi latronis, cùm latro apud Criminalistas, non dicatur ille, qui in domibus privatis, vel in aliis locis, occultè furetur, cùm iste dicatur solùm fur; Sed latro dicitur ille, qui cum formali violentia, publicè in via rapinas committit studiosè, ab initio opprimendo eos, à quibus pecunias, aliaque bona vult rapere, non autem si volens tanquam fur clam & occultè bona furari, incedat armatus, principaliter ad suam defensionem & ne captus in fragranti detineatur, unde propterea incidenter, seu causaliter cum armis aliquam vim inferat, cùm non hoc dici possit formalis rapina, seu formale latrocinium. 6

Et clariùs quoniam Gregoriana Constitutio non excipit quoscumque latrones, sed solùm illos, qui publici, & famosi sint, publicarum viarum grassatores, qui ob Principis contemptum, ac Reipublicæ turbationem, cum impedimento libertatis commercii humani, rebelles, ac diffidati dici merentur, publicique hostes, quibus propterea omnino irrationabile, ac inhumanum esset, istud præsidium concedere, ex deductis per Cherat. *dec. 9.* & alios relatos per Bene *dicto cap. 16. dubit. 13. & 14.* apud quem Concordantes, &

consequenter cùm ageretur de simplicibus furtis, casus videbatur planus.

7 Si enim etiam ex furto commisso in ipsa Ecclesia, quod Sacrilegium admixtum habet, magis communiter receptum est, atque Sacr. Congregatio servat, ut non resultet immunitatis privatio, neque dicatur casus exceptuatus, ex collectis per Bene *dicto cap.16. dubit. 26. sect.8.* ubi Concordantes; Multò magis agitur de furtis in domibus privatis absque dicta mixtura sacrilegii.

8 Planam quoque dixi negativam super tertio puncto contrectationis, quoniam ista est valde involuta quæstio apud Criminalistas quoad fori competentiam, an scilicet ille, qui furtum in uno territorio commisit, confugiens in aliud territorium, cujus magistratus nullam cum ejus persona competentiam habeat, nec ratione originis, nec ratione domicilii, seu loci delicti, prætendere valeat competentiam ratione delicti, quod resultat ex causa contrectationis rei furatæ in loco, atque desuper variæ habentur opiniones diversique sunt styli, quibus est deferendum ex iis quæ aliis relatis habentur apud Clar. §.*fin* q.38. Farinac. *q. 7. n.7.* Franch. & Add. *dec.681.* Caball. *resol.163.* Rovit. *pragm. 1. ubi de delicto &c. n 35.*

9 Non autem ad istum effectum, quoniam si (ut supra) pro furto commisso in ipsamet Ecclesia de directo offensa cum mixtura sacrilegii, non intrat privatio immunitatis, quæ demandata est in casu illius injuriæ, quæ Ecclesiæ fiat, in ea homicidium appensatè perpetrando, ex deductis *disc. præcedenti*; Multò minus in isto casu simplicis contrectationis bonorum, seu delationis eorum, quæ connaturalis, & quodammodo necessaria est confugientibus ad Ecclesiam ut tam à familia Curiæ, quàm ab inimicis se tueri possit, Solumque justè ac rationabiliter conceditur, ut bona furti etiam in Ecclesia auferantur, ad effectum, ut propriis dominis restituantur.

10 Prout omninò planam dixi negativam super ultimo puncto, Tum quia nimium difficile videtur in crimine furti justificare istam circumstantiam; Tum etiam quia textus *in c. fin. de homicid. in 6.* loquitur de homicidio, non autem de furto, vel alio simili delicto; Si enim ut supra, etiam pro furto in ipsamet Ecclesia patrato, immunitas non cessat, multò minus in præsenti; Incertum autem est quid secutum sit, forsan cū aliis temperamentis illa prudentissima, beneq; recta Respublica, formidatis inconvenientibus consuluit.

URBEVETANA CENSURARUM PRO MINISTRIS CURIÆ SÆCULARIS.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Immunitatis, & resolutus ut infra.

An domus canonicales, vel domus Prælati, seu aliorum Ecclesiæ ministrorum, gaudeant ecclesiastica immunitate? Et quid ubi illas inhabitent personæ sæculares.

S U M M A R I U M.

1 *FAlti series.*
2 *De incursu censurarum ob violationem etiam si pareatur in reintegratione, & quomodo absolutio concedi debeat.*
3 *Resolutio casus.*
4 *Quod censura non incurrantur sine dolo, & temeritate.*
5 *Aliud est agere an locus sit immunis ad effectum restitutionis, & aliud ad effectum incursus censurarum.*
6 *De immunitate domorū Cardinalium vel Episcoporum.*
7 *De exemptione familiarum Cardinalium.*
8 *Quando ministri laici excusentur ob carcerationem Clerici, vel persona ecclesiastica.*
9 *De casu in quo ob perseverantem inobedientiam non admittatur excusatio.*
10 *Declarationes S. Congregationis, ac Rota decisiones præsupponuntur, & non sunt revocanda incidenter.*
11 *In dubio præsumptio est pro facto Judicum, & Tribunalium.*
12 *Quod domibus canonicalibus, vel clericalibus quæ habitantur à laicis, non debeat competere immunitas.*
13 *De eodem privilegio* in l. si quis sepulchrum.
14 *De eodem circa immunitatem domorum adjacentium Ecclesiæ.*
15 *Immunitas rectè competit ubi ipsi Clerici, & Religiosi ibi vivant, & de ratione.*
16 *Solet S. Congregatio prohibere Religiosis receptationem delinquentium.*
17 *De abolita immunitate spatii propè ecclesias.*
18 *Quomodo immunitas tuenda sit.*

D I S C. XII.

SEcuta per familiam sæcularem Gubernatoris Urbis veteris carceratione aliquorum delinquentium morantium in quibusdā domunculis existentibus in atrio Ecclesiæ Cathedralis, quæ domos canonicales dicuntur, ab ipsis tamen Canonicis inhabitari non solitę, sed locari vilibus personis sęcularibus, & fortè (ut supponebatur) etiam inhonestis mulieribus; Cùm Episcopus demandasset Ecclesię reintegrationem cum carceratorum restitutione, ex eo quod per S. Cong. Immunitatis, alia occasione, istæ domus, tāquam canonicales, ac existētes in atrio ipsius Ecclesię cathedralis, declaratę fuerint de mēbris, & appenditiis ipsius Ecclesiæ, Curia prædicta, re integra, & intra præfinitum terminum paruit, cum carceratorum restitutione in loco; Verū hoc non obstante, prætendebat Episcopus ad censuras procedere, non quidem contumaciales, ob non paritionem, sed ob jam incursas à lege inflictas ob ipsius immunitatis violationem, dum reintegratio præbere quidem debet motivum concedendi absolutionem ob cessantem contumaciam, sed non abluit maculam jam contractam, cum absolutione abluendam. 1

Quinimo aliquando, etiam absolutio concedi non solet, nisi cum difficultate, ac imposita aliqua pœna etiam pecuniaria (piis tamen usibus fideliter applicanda) pro satisfactione Ecclesiæ, ad aliorum terrorem, & coercitionem in futurum, ut quandoque egomet, dum essem Vicarius Capitularis, & Generalis practicavi, quoties extractio esset temeraria, & scandalosa. 2

Quare dicta familia recurrente ad S. Congregationem immunitatis, assumptaque desuper formali disputatione, potius forsan ob alias dissensiones inter Episcopum, & Gubernatorem, ut frequenter contingit, prodiit consuetum 3 prudens rescriptum, quod stante jam secuta prompta paritione in termino, illi, qui prætendebantur censurati, eorum conscientiæ consulerent, quod ex hac parte victoriam importavit, cùm punctus quæstionis esset, an dicta familia teneretur recipere ab Episcopo publicam absolutionem in forma consueta.

In disputatione desuper itaque habita, non fuit opus formiter agere de istarum domorum immunitate, dum Gubernator, audito quod S. Congregatio, alia occasione declarasset eas immunes, re integra, intra terminum monitorii ut supra, mandavit carceratos restitui; Sed solùm agebatur an adesset, necne incursus censurarum legis, ratione actus violationis? In hoc autem (etiam cum sensu veritatis) dicebam 4 probabiliorem videri negativam, quoniam cùm excommunicatio sit gravissima pœna ordinaria omnium major, quæ apud Deum, ac in foro spirituali major censenda est, quàm pœna ordinaria corporalis, cùm ista occidat corpus fragile, & caducum, quod jam moriturum est, adeout importet solum aliquam temporis accelerationem, illa verò occidat animam immortalem, eam subjiciendo perpetuis cruciatibus, ac privationi æternæ vitæ beatæ; Hinc inde consequenti danda non est sine temeritate, & peccato, à quibus quælibet causa probabilis excusat, ex iis quæ aliis relatis habentur generaliter apud *Save. de censur. lib. 1. c.18.* & in his terminis immunitatis Farinacc. *in appendice de immunitate, n. 328.* ubi solùm (& bene) reprobat Decianum, & sequaces volentes, ut etiam causa injusta excuset.

Et sic, aliud est agere, an locus sit immunis, ad effectum 5 ut Judex sæcularis de hoc præmonitus, carceratum restituere debeat, sive retractare ea, quæ ibi gesta essent, vel abstinere ab actis, quæ in loco immuni geri non possunt; Aliud verò agere de incursu ob violationem, ut ita distinguendo advertitur *sub tit. de jurisdict. in Albanen. disc.70.* occasione agendi de excusatione censurarum, quarum incursus 6 prætendebatur à Cardinali Episcopo ob recognitionem corporis delicti, & examen testium, aliaque acta in quadam domo, quæ prætendebatur immunis tamquam Cardinalitia, ubi incidenter agitur de domo Episcopi, vel al- 7 terius Prælati; Ac etiam habetur in *Maceraten. eod. tit. de jurisd. disc. 67.* occasione agendi de consimili excusatione censurarum ob citationem verbalem, vel realem ejus, qui tanquam familiaris Cardinalis esset exemptus, ibique insinuantur ea, quæ habentur de carceratione Clerici, qui ex justa credulitate reputabatur laicus.

Atque in idem conferunt quę habentur *in Matheran. eodem tit. de jurisdict. disc.65* ubi de excusatione Tribunalis 8 ejusque ministrorum, ob carcerationem equitis Hierosolymita-

mitani de mandato Proregis Regni (qui tunc erat Cardinalis de Aragonia (asserentis ita demandare de consensu Prælati, vel alterius superioris ejusdem Religionis cum similibus, quoniam; Aliud est nullitas actus; Aliud verò incursus censurarum, aliarumque pœnarum, ut advertitur *sub tit. de alienat. & contract. disc.* 1. & in aliis in proposito alienationis bonorum Ecclesiæ, ac etiam *sub tit. de fideicomm disc.* 154 *& plurib. seqq.* occasione agendi de caducitate ratione alienationis, vel alterius contraventionis, cum similibus.

9 Quando etenim contraveniens, monitus, atque certificatus, adhuc perseverat in actu importante contraventionem, tunc non solum contra eum procedi potest ad censuras contumaciales ob non paritionem, sed etiam ad declarationem censurarum legis, ex ea congrua ratione, quod ita inducitur præsumptio temeritatis, ac mali animi ab initio, sive quod ratificatio æquipollet mandato; ac habet vim illicitè gesti ab initio; sive inducit præsumptam probationem, quod etiam si scivisset, adhuc deliquisset, ut advertitur alibi; Secus autem ubi præmonitus illicò pareat, cum tunc è converso præsumptio sit diversa.

10 Stante autem declaratione alias facta, quòd istæ domus canonicales, ac existentes in atrio Ecclesiæ cathedralis, gauderent eadem immunitate, incongruum erat assumere principaliter hanc disputationem, quoniam si etiam in Rotæ decisionibus, multo magis in declarationibus Sacræ Congregationis habemus receptum stylum, quod sunt præsupponendæ, atque non debent circumscribi; Potissimè quia, ad effectum impugnationis, oportuisset recognoscere illius casus acta & circumstantias, ut dignosceretur, an id maturè secutum sit.

11 In hoc autem, quidquid esset de dicta resolutione, atque relinquendo locum veritati, ac subjiciendo, ut decet, proprium judicium illi S. Congregationi, pro quo in dubio stat præsumptio, quoniam si generalem propositionem habemus in quolibet Judice, ut pro eo, cujusque gestis stet præsumptio, multò magis in adeò supremo, & qualificato Senatu.

12 Ad effectum excusationis prædictæ, quodque familia secularis, justam habuerit credulitatem, ut ille locus non esset immunis, sed profanus, deducebam easdem ponderationes, & authoritates, quæ habentur deductæ *dict. disc.* 70, *de jurisd.* quod scilicet dum in domibus destinatis habitationi Canonicorum, & Clericorum, non habitabant ipsi Canonici, vel Clerici, sed personæ seculares imò (ut supponebatur) etiam inhonestæ mulieres, incongrum videbatur, ut hujusmodi domus haberi deberent tamquam immunes, quoniam ita esset inducere, quod delinquentes, etiam cum uxore & familia, aliquam hujusmodi domorum conducendo, sive (quod magis) apud meretricem conversando, ita vivere possent, cum occasione denuò delinquendi; adeout Ecclesia deserviret pro commoditate, ac fomento facinorosorum hominum, contra dispositionem, ac rationem ipsorum sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum; Multò verò magis ubi subsisteret facti præsuppositum, quod istæ domus haberent januas in via publica, adeout non urgeret illa ratio, quæ urgere solet, ista circumstantia cessante, quod scilicet immunitas resultet accessoriè, & consecutivè ob prohibitionem egressus per atrium Ecclesiæ, ut in specie ponderatur apud Apont. *dec.* 35 Sant. *dec* 136. Peregrin. *de immunit. cap.* 4. *n.* 27. Quamvis etenim Canonistæ, & Morales, ecclesiasticæ immunitatis Zelatores dicant, quod istis tanquam Doctoribus, ac Magistratibus sæcularibus, in hac materia non multum deferendum sit, atque quandoque in hoc penè dicant. Attamen quatenus pertinet ad hunc punctum præcisum, dicebam occasione istius causæ, quod esset distinctio nimium rationabilis.

Ad cujus comprobationem conferre observabam ea, quæ 13 in his specialibus terminis domorum canonicalium, seu aliorum clericorum, in quibus ipsi Canonici, vel Clerici non vivant, habentur *in Cracovien. sub tit. de servit. disc.* 83 occasione agendi de privilegio, seu materia textus *in l. si quis sepulchrum, ff. de relig. & sumptib. funer.* quod scilicet attendi non debeat antiqua habitatio, quæ in desuetudinem abierit, sed observantia actualis, ob quam potissimum diuturnam, ita inducta videtur hujusmodi locorum profanatio, quodque effectæ sint domus laicales.

Hinc (ut dictum est) integrum locum veritati relinquen- 14 do, nilque desuper firmando, magnus abusus pro meo judicio videtur substinere immunitatem hujusmodi adjacentium domorum, quæ conductitiæ effectæ sunt, ac merè profanæ pro habitatione sæcularium; etiam mulierum inhonestarum, cum quibus, delinquentes, ac facinorosi homines, eorum malam vitam gaudenter ducant, ita allecti ad nova crimina perpetranda pro parandis pecuniis, aliisque bonis, cum quibus in eadem vita perseverare valeant, quo nil absurdius.

Ubi enim agitur de illis domibus Ecclesiæ adjacentibus 15 verè canonicalibus, vel clericalibus, seu Episcopalibus, in quibus ipsi Clerici, vel Prælati, claustrali, vel collegiativo more vivant, tunc, saltem regulariter, vel ex juris præsumptione, cessare videtur dictum inconveniens, eò quia laici ibi viventes sub obedientia, & disciplina superioris ecclesiastici, quandam speciem vitæ ecclesiasticæ ducere dicuntur, ut in proposito laicorum obtinere debentium easdem exemptiones, quas obtinent Regulares, ubi vivant intra septa sub eorum obedientia habetur *sub dict. tit. de jurisdict. disc.* 4 ac pluries insinuatur *hoc eod. tit. & in adnot. ad Sacrum Concilium Tridentinum*; Et tamen eadem S. Congregatio solet strictè inhibere Regularibus, ne hujusmodi facinoro- 16 sos homines in eorum Conventibus, vel domibus recipiant, ibique diu morari permittant, neque eis præbeant commoditates, tùm ita sit confovere non solùm in delictis jam patratis, sed etiam in causa delinquendi in futurum.

17 Ac etiam ob hujusmodi inconvenientia, & ob Ecclesiarum frequentiam meritò ecclesia toleravit consuetudinem, ob quam ab aula recessit illa immunitas, quæ ex dispositione sacrorum Canonum concedebatur intra quoddam spatium propè Ecclesias; Quinimò, ut alibi insinuatur eadem Sacra Congregatio demandare solet demolitionem ipsarummet Ecclesiarum, quæ in tali loco existant, ut pro delinquentium asylo deserviant.

18 Ut enim alibi supra advertitur, zelanter quidem, ac nervosè, immunitas tuenda est in iis casibus, in quibus competat, & quando congruat ratio, cui antiquorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum dispositio innixa est, non autem, cum indiscreto irrationabili zelo, illam convertere in abusum de directo contra eorumdem Canonum, & Constitutionum sensum, ac rationem, Atque reverà S. Congregatio hunc habet sensum, nimiumque discretè se gerit, quoties debita teneatur via ad illam recurrendi, cum aliquando rigores rationabiliter adhiberi soleant ad compescendam licentiam laicorum, qui sub his prætextibus sibi ipsis jus dicere volunt, atque se facere judices in materia, in qua nullam habent competentiam, ideoque totum malum provenit ab utroque extremo vitioso inferiorum Magistratuum utriusque fori.

MESSANEN. CENSURARUM, SIVE IMMUNITATIS

PRO CURIA ARCHIEPISCOPALI,

CUM OFFICIALIBUS PRIORATUS RELIGIONIS HIEROSOLYMITANÆ.

Casus disputatus in S. Congregatione Immunitatis, sopitus cum concordi temperamento.

An inferior Prælatus Ecclesiæ exemptæ, in qua actualem jurisdictionem habeat, se ingerere valeat in causis concernentibus immunitatem ejusdem Ecclesiæ, vel aliarum sibi subjectarum, atque censuras proferre sine consensu Ordinarii loci? Et è converso, an, & quando Ordinarius proferre possit censuras contra exemptos, ubi præsertim isti habent speciale indultum, ut ab Ordinariis locorum censurari non possint?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Resolutio causa.*
3 *De casu simili, & de pretensione Regularium defendendi immunitatem suarum ecclesiarum.*
4 *De attentatis lite pendente.*
5 *Quid agendum, si dubitetur an locus sit sacer?*
6 *De suppletione negligentia Ordinarii.*
7 *Amisit facultatem faciendi propria authoritate qui adit judicem.*
8 *Licentia denegata à Superiore, non potest concedi per inferiorem.*
9 *De privilegiis Religionis Hierosolymitana circa exemptionem ab Ordinario.*

10 *De distinctione inter exemptionem passivam, & jurisdictionem activam.*
11 *Quando laici servientes dictæ Religioni gaudeant exemptione.*
12 *Declaratur in quibus exemptio locum habeat, & in quibus non.*
13 *Ad quid Prælati inferiores retineant tribunal.*
14 *Quid in castris, & locis habitatis, in quibus habeatur jurisdictio cum populo.*
15 *De distinctione Prælaturum Nullius cum territorio separato, & exempturum intra diœcesim.*
16 *Defensio immunitatis Ecclesiasticæ commissa est Episcopis tantùm, etiam in locis Nullius.*
17 *Quod Ordinarius procedat ad censuras contra exemptos.*
18 *Item contra non subditos.*
19 *Declaratur conclusio, de qua, n. 17.*
20 *Et alia, de qua, n. 18.*
21 *De eisdem conclusionibus, seu earum limitationibus quando procedant.*
22 *De ratione, ob quam licet denunciare excommunicatum etiam exemptum, vel non subditum.*
23 *Quomodo inferiores Prælati, & præsertim Regulares possint non subditos denunciare excommunicatos.*

DISC. XIII.

1 CArcerato per Curiam secolarem hujus Civitatis Messanensis de anno 1669. Augustino capitaliter bannito, in platea, seu plano ante Ecclesiam prioralem S. Joannis Hierosolymitani, ejusdem prioratus Procurator (cui pro illius regiminis usu promotoris fiscalis titulus vulgò tribuitur) instetit apud Archiepiscopum pro Ecclesiasticæ immunitatis ita violatæ defensione, ac prolatione censurarum contra violatorem; Cùmque transmisso monitorio, officiales sæculares, ad se excusandum, allegasset, quod ille locus esset profanus, eique nulla ecclesiastica immunitas competeret, atque ad Gregorianæ Constitutionis præscriptum, remisissent carceratum, interim custodiendum in carceribus ipsius Archiepiscopi, qui mandavit desuper Partibus auditis, ac servatis servandis effurmari processum; Hinc Vicarius dicti prioratus post hæc ad censurarũ prolationẽ, ob ecclesiasticæ immunitatis violationem contra carcerãtes processit, cum affixione cedulonum in locis publicis, unde propterea Archiepiscopus credens ita ejus jurisdictionem turbatam, atque usurpatam emendavit cedulones removeri, dictas censuras invalidas declarando, ac etiam formando processum contra dictum Vicarium, aliosque officiales prioratus, ut illos de his attentatis puniret, ejque propterea recurrentibus ad S. Congregationem Immunitatis, atque exposito facto, eo modo quo ipsorum opportunitas exigebat, reportarunt rescriptum *censuras sustinere*; Verùm comparentibus in eadem S. Congr. Agentibus, pro Archiepiscopo, atque exposita præmissa facti serie, rescriptum fuit (juxta stylum,) ut suspensis censuris, transmitteretur processus, præsertim super qualitate loci, an esset sacer, vel profanus, neque causa ulteriorem pro-
2 gressum habuit, cum ob secutam mortem carcerati in carceribus, cessaverit occasio quæstionis cum Curia sæculari, atque ea quibusdam prudentialibus motivis, cum quodam honesto temperamento, alia controversia inter Curiam Archiepiscopalem, & officiales Prioratus, finem habuit.

In dispositione igitur habita in Sacra Congregatione,
3 quando istud secundum rescriptum prodiit; Ego scripsi pro Archiepiscopo, ejusque Tribunali, pro quo etiam super consimili controversia cum eisdem officialibus prioratus in eadem S. Congregatione scripseram usque ab anno 1653. ut patet ex deductis in alia Messanen. *sub tit. de jurisd. disc. 29.* quoniam ubique Regulares exempti, præsertim verò, ac omnium magis, Milites, aliique ministri hujus insignis Hierosolymitanæ Religionis hanc erroneam retinent opinionem, seu prætensionem, ut defensio immunitatis suarum Ecclesiarum eis incumbat, quodque Ordinarius tanquam in Ecclesia exempta se ingerere non possit.

Pro clariori autem magisque methodica resolutione, duas efformabam inspectiones; unam scilicet specialem in casu præciso controversiæ ob ejus particulares circumstantias; Et alteram generalem, pro quibuscumque casibus, qui in futurum contingere possent.

Quatenus ad primam inspectionem pertinet; Dicebam (etiam cum sensu veritatis) quod casus esset omnino planus, omnique disputatione indignus, quoniam ubi etiam generaliter, ac in abstracto aliquam subsistentiam haberet prætensio officialium hujus prioratus, quod prior, vel ejus Vicarius tamquam in eo loco Ordinarius, procedere possit ad censuras contra violatores immunitatis propriæ Ecclesiæ; Adhuc tamen iste actus remanebat absque dubio attentatus, juxta vulgarem, & quotidianam propositionem, quã in hac materia attentatorum habemus sæpius deductam in 4
sua sede *sub tit. de judic.* quod scilicet introducta causa corã uno Judice competente, eaque pendente, attentata dicuntur omnia ea, quæ coram alio Judice in forma judiciaria, fiant etiam quando agatur de cõtinuatione propriæ antiquæ possessionis quoniam vulgaris regula, quod qui continuat, non attentat, procedit ubi jure suo ac privato cõtinuatio sequatur, secus autem ubi ex authoritate alterius Judicis in forma judiciaria, ut in dicta judiciorum sede pluties advertitur; Multò magis ubi hæc ratio continuationis non vigeat; Et consequenter cùm Procurator ejusdem prioratus causam introduxisset coram Ordinario corã quo ad prædictos actus processum est: utique non poterat alter Judex sine dubio inferior, citra vitium attentatorum desuper manus apponere, quamvis etiam ex abundanti admitteretur, quod dici posset judex competens; Multò magis, & absque dubio, dicta competentia nullatenus accedente, ut infra in sequenti inspectione. Et quamvia ex parte Agentium pro dictis offi- 5
cialibus prioratus, ad excusandum hæc attentare, replicaretur, quod ad id processum esset ob negligentiam Archiepiscopi in violatæ immunitatis tuitione; Attamen erat leve refugium quod nullum habebat probabile fundamentum; Tum ex deficiente negligentiæ præsupposito, dum prætendente Curia sæculari, quod locus non esset sacer, & immunis, sed merè profanus, eaque adimplente Gregorianæ Constitutionis formam, remittendo captum ad carceres Episcopales, oportebat de hoc formiter cognoscere, neque ad censuras justè procedi poterat, dum contravenire, seu violare non dicitur ille, qui non comprehensionem allegat, eamque probare vult, dummodò, judicio pendente, servetur dictæ Constitutionis forma transmittendi captum ad carceres Ordinarii, vel quatenus isti non sint tuti, ad alios eidem Ordinario bene visos, & tutos carceres, etiam quandoque ad illos eorumdem Magistratuum sæcularium, precario tamen nomine ipsius Ordinarii.

Tum etiam quia posita negligentia, istius suppletio pertinet ad superiorem, non autem ad inferiorem, & multò 6
minus ad eum, qui partes collitigantis assumpsit, cùm tamen etiam in superiore, nimium ratò, pœnèque unquam detur ista suppletio, seu causæ reassumptio in prima instantia ex sola ratione negligentiæ, quæ nimium de facili est excusabilis, ideoque in praxi servatur potius alia via appellationis à denegata justitia, ut advertitur *in adnot. ad C. T. sess. 24. de reform. cap* 20. Ideoque, ubi etiam re integra existente, potuisset iste Vicarius prioratus in publicatione hujusmodi censurarum se ingerere, adhuc tamen in hac facti specie defectus potestatis erat certus.

Multa enim denegãtur illi, quia alias facultatem haberet, quando diversam eligit viam, ob quam alia, quam habebat, sibi præclusa remaneat, ne facere possit; Ut puta habens facultatem capiendi possessionem propria authoritate, si adeat Judicem, atque in forma judiciaria id petat, tunc servare tenetur ordinem judicii, quo pendente, non potest amplius, citrà vitium attentatorum, vel nullitatis, hanc facultatem exercere, quoniam sibi imputet cur ea neglecta, aliam viam elegerit, ex deductis in hac materia per Mantic. *de tacit. lib.* 7
11. tit 5. & lib. 22. tit. 22. Rovit. *super pragm. in rubr. de conservator.* Cenc. *de cens qu. 94.* Gregor. & add. *dec. 105. & in sua sede sub tit. de Judic* agendo de judicio associationis.

Ita pariter ille, qui poterat cum licentia Magistratus inferioris, magis facilis, vel magis grati, aliquid agere, si adeat 8
aliom superiorem, à quo licentia denegetur, non poterit regredi ad inferiorem, illamque obtinere, atque obtenta non suffragatur, ut apud Seraph. *dec. 138. n. 2.* cum similibus; Atque reverà iste punctus videbatur omninò planus, quamvis ista facultas, vel jurisdictio admitteretur, multo verò magis ea nullatenus competente, ut infrà.

Quo verò ad aliam inspectionem magis generalem: Cùm Scribentes pro officialibus prioratus insisterent in amplissimis privilegiis hujus insignis, adeòq; de Ecclesia Catholica emeritæ Religionis registratis, *in Constitutione 9.* Pii IV. quæ habetur etiam impressa post ejusdem Religionis Statuta, &
præsertim quod Priores vel Commendatarii, in eorum 9
prioratibus, vel commendis declarantur veri Ordinarii; Ita potissimè cõprobante praxi, ac possessione hujus prioratus habentis erectum Tribunal formale, cum Vicario Generali, & Cancellario, ac Promotore fiscali, & cum carceribus; Dicebam eadem quæ in specie ejusdem Religionis super hoc

pri-

privilegio habentur plenè, & ex professo deducta *sub tit. de*
jurisd. disc. 1. *cum pluribus seqq.* quod scilicet.
10 Aut agitur de privilegiis exemptionis à jurisdictione passiva Ordinariorum; Aut verò de eisdem privilegiis in ordine ad jurisdictionem activam, ad quam hodie absolutum est, ex ibi plenè deductis, ut à passiva exemptione inferri non possit, cùm ista sine dubio omninò diversa sint.
11 Utraque autem pars percutit solùm ejusdem Religionis professores, vel novitios, non autem sæculares, de clero & populo, nisi quatenus verificentur tria requisita Constitutionis Gregorii XIII. plenè examinata *disc.* 4. *eod. tit. de jurisdict.* quod scilicet sint privatuum, vel Commendatum servitio formiter addicti, atque intra eorumdem prioratuum, vel Commendatum septa religiosorum more vivant, sub obedientia superioris; His etenim requisitis concurrentibus, hujusmodi personæ exemptæ sunt a jurisdictione Ordinarii, atque subjacent ipsis Prioribus, vel Commendatariis, qui earum respectu, vel Ordinarii reputantur.
Verùm id procedit, ac recipiendum est in causis propriis, ac privatis, non autem ubi eædem personæ (quamvis exem-
12 ptæ) se ingerant in iis, quæ percutiant spirituale regimen Cleri, & populi sæcularis, viventis in territorio Episcopi, cum tunc in hoc ejus subditi efficiantur, privilegiis non obstantibus, putà circa curam animarum, & administrationem sacramentorum, seu concionem verbi Dei cum similibus, ut sæpius *hoc eodem tit. & in annot. ad S. C. T.* & frequentius *dicto tit. de jurisd.* advertitur.
Unde propterea, exaggerata retentio formalis Tribunalis, verificabilia remanet in causis propriorum subditorum, in quibus dicta requisita verificentur, ob quorum copiam,
13 & consequenter, ob causarum frequentiam, ita retineri dicatur dictum Tribunal; Multò magis quia fortè, ex Regum antiquis concessionibus, vel ex antiqua consuetudine, aliqua etiam jurisdictio cum laicis respectu bonorum ac jurium prioratus competit; Non inde tamen inferri potest ad competentiam, vel exercitium jurisdictionis spiritualis activæ cum Clero, & populo sæculari, in quo dicta requisita Constitutionis Gregorii XIII. non verificentur.
Et quamvis hujusmodi Prioratus, seu Commendæ nonnulla possideant castra, & loca inhabitata cum jurisdictio-
14 ne spirituali, & temporali, etiam cum Clero, & populo, juxta casus, de quibus *dicto tit. de jurisd. disc.* 1. *& duobus seqq.* in quibus præcisè agitur de Prioratibus hujus Sac. Religionis; Nihilominus, ut ibidem advertitur, ista jurisdictio activa in Clerum, & populum, non provenit ratione privilegiorum generalium Religionis, sed ratione jurium singularium ipsius Prioratus, vel Commendæ, ex indultis Apostolicis, vel ex antiqua consuetudine, eodem modo quo id competit plerisque aliarum Religionum Monasteriis, ac Prælatis inferioribus, juxta plures casus de quibus agitur *eod. tit. de jurisd. d. disc.* 29. *cum pluribus seqq.* & consequentes nil commune habent privilegia generalia cum istis juribus particularibus, quæ pro majori parte competunt Monasteriis jure suo antiquo, etiam de tempore quo possidebantur per Benedictinam religionem ejusque Congregationes, vel alias Religiones, à quibus Apostolica Sedes ea dismembravit, atque huic Religioni concessit.
15 Istoque casu, intrat distinctio diversarum specierum hujusmodi Prælatorum plenè acta *dicto disc.* 1. *de jurisd. & supra, disc.* 1. inter illos scilicet, qui sint verè, & propriè Nullius, cum proprio territorio materialiter separato ab omni diœcesi, adeout ipsum territorium, in quo vivat Clerus, & populus sæcularis, habeat speciem diœcesis; Et illos Prælatos, qui habeant jurisdictionem cum Clero, & populo vivente in loco existente intra limites alicujus diœcesis; Cùm isto secundo casu non possint hodie post Concilium Tridentinum ex ejus decretis se ingerere in causis criminalibus, & matrimonialibus, & plerisque aliis, concernentibus curam animarum, ac administrationem sacramentorum, sive collationem ordinum, & concionem verbi Dei, cum similibus.
Multò verò magis ad effectum præsentis controversiæ,
16 immunitatis scilicet Ecclesiasticæ localis, dum per Constitutionem Gregorii XIV. quæ est hujus materiæ regulatrix, etiam in locis, verè, & propriè Nullius, cum verò territorio separato, hujusmodi inferiores Prælati, se ingerere non possunt, sed id commissum est Episcopo viciniori; Fortiùs itaque in isto casu, quod Ecclesia prioralis est inter ipsam Civitatem, & absque dubio intra territorium Episcopi.
Iidem scribentes pro Prioratu, me reconveniebant cum
17 iis, quę à me ipso pro eodem Archiepiscopo cõtra ipsammet Religionem, atque hujus prioratus officiales, jam firmata erant *dicto disc.* 29 *de jurisdict.* super propositione, quod

ubi agitur de censuris prolatis à lege, etiam cum exemptis, & non subditis, ad earum publicationem deveniri potest,
Ac etiam cum iis quæ habentur *eod. tit. disc.* 47. *& seq.* ut per 18
viam defensionis propriorum jurium, etiam contra non subditos tanquam arma spiritualia adhiberi possint censuræ, quamque id solum per dictum Vicarium gestum esset.
Verùm, licèt ea, quæ locis citatis deducuntur, in suis casibus vera sint, claram tamen dicebam esse eorum non applicationem ad casum; Siquidem quatenus pertinet ad primam propositionem contentam *dicto disc.* 29. *de jurisd.* illa 19
procedit juxta ea quæ ibi, & alibi habentur, Et consequenter in suis terminis in quibus id liceat, atque congruat ibi assignata ratio, quod scilicet non importet actum jurisdictionalem, sed simplicem denunciationem, hujusmodi Prælati inferiores id facere poterunt intra propria septa, cum suis subditis; Vel etiam in januis propriæ ecclesiæ, aliisque locis, per viam privatarum schedularum certioratoriarum, absque eo quod contineant formam arctativam, seu obligatoriam eorum qui ligant, & vident, ad evitandum commercium eorum, qui censurati denunciantur, juxta ponderationes, de quibus in Neapolitana implorationis brachii *disc.* 10. ideoque nil ad rem, quoniam non verificabatur illa notorietas, vel certitudo, quæ necessaria est.
Et quoad aliam conclusionem de qua *dict. disc.* 47. *&* 48. 20
eod. tit. de jurisdict. admittebam pariter ejus veritatem in suo casu, ubi scilicet aliquis de facto injuriam, seu molestias Ecclesiæ, ejusque Prælato inferret, aut suorum jurium, vel bonorum possessionem impediret, neque Prælato alia suppeterent arma, cum quibus illam vim repellere posset, cum tunc jure defensionis, quæ de jure naturæ permissa est, ita vim vi repellendo, id liceat, in forma tamen extrajudiciali, tamquam in re notoria, ac de facto, non autem ubi forma judicii requiratur, putà quia in illo actu, in quo quis ecclesiasticam immunitatem violare teneret, atque refugiatũ extrahere, ille Prælatus localis, quando casus non patiatur moras recurrendi ad Ordinarium, id agat ut impediret, & compesceret violare violentem, ne id agat, sive ad compescendum eum, qui jam violationis actum fecit, ut resipiscat, atque Ecclesiam reintegret, cùm tunc vicario jure Ordinarii, ad quem pertinet, in illa urgentia id agere posse permittatur, secus autem ubi hujusmodi circumstantiæ non accedant, quoniam cum Canones, & Constitutiones Apostolicæ, custodiam, ac defensionem ecclesiasticæ immunitatis Episcopis commiserint, ita inferiores Prælati se ingererent in eo, quod non est suum, ac propterea alienam jurisdictionem usurpare dicerentur.
Neque id cessare dicitur ex eo, quòd cùm agatur de censuris prolatis a lege, non sit exercere jurisdictionem in excommunicando, sed solùm gerere partes denunciatoris & sic facere actum extrajudicialem, quem etiam præco facere potest, ex duplici ratione; Primò quia punctus est in declaratione facti, quod non sit omninò notorium, ac indubitatum, an scilicet illa persona patraverit, nec ne tale
crimen, ob quod intret illa censura, quæ à lege prolata 21
est, *ut disc. seqq.*
Et secundò, quia denunciatio, seu publicatio incursus censurarum non est nova pęna, quæ delinquenti inferatur,
cùm ipse jam illam incurreris, atque à lege censuratus rectè 22
dici valeat, sed potiùs fit ad præcipiendum populo, & Clero, ut illius commercium evitet, ita resultante etiam in censurato pęna de facto, quod Ecclesiarum, ac divinorum participatione sibi interdicta, atque commercii privationem sentiendo, quamdam infamiam, ac etiam corporalem pœnam patiatur, atque ita ad resipiscentiam inducatur. Et consequentes præcipere populo, à quo cavere debeat, necne, pertinet ad proprium populi Prælatum, & Pastorem, atque est de rebus, quæ concernunt curam animarum.
Et quamvis replicaretur, quod jurisdictionis usurpatio
intrare posset, quando affixio cedulonum fieret per loca pu- 23
blica Civitatis, & sic in territorio Episcopi; Secus autem ubi in valvis, aliisque locis propriæ Ecclesiæ, seu domus regularis exemptæ; Dicebam tamen id esse tolerabile, quando ita occultè id fieret intra propria septa, & per viam denunciationis tantum, non autem per authenticos cedulones in forma jurisdictionali, ut pro admonitione propriorum subditorum tantùm id deserviret, non autem ubi ad fores Ecclesiæ, seu aliàs in loco publico ita & taliter, quod populo & Clero sęculari innotescat, quoniam tũc intrat eadem ratio quæ circa curam animarũ, & administrationem sacramentorum pluries alibi *hoc eodem tit.* & frequentiùs *sub tit. de jurisd.* insinuata est, quod scilicet punctus non est in persona facientis, quæ sit exempta, manusque in loco, sed est in ra-

tione passiva personarum subditarum, cum quibus actus fiat; Siquidem Regulares exempti cum sola licentia, & approbatione proprii superioris, inter se ipsos possunt, in eorum Ecclesiis, vel septis, januis clausis, concionari, ac etiam sacramenta, aliaque divina ministrare, vel peragere, neque per hoc Episcopi jurisdictio turbari dicitur; Et tamen non possunt sine Episcopi licentia, vel approbatione, etiam in ipsamet eorum Ecclesia exempta, concionari publicè populo, sive eidem ministrare Sacramentum poenitentiæ, vel alia, quæ concernunt curam animarum, quamvis utraque exemptio accederet, loci scilicet, & personæ facientis ob subjectionem personarum, cum quibus fiat actus qui ad Episcopum pertinet, atque in hoc est punctus.

ANNOT. AD DISC. XIII. cum seqq.

AGitur de censuris contra Regulares, & exemptos, de quibus videantur deducta *sub tit. de Jurisd. disc.* 99. 100. 101. & 104. & *disc.* 43. in Adnot. *ad S.C.T.* & *sub tit. de Regular. disc.* 1. & 65.

Et de facultate Nuntii Neapolis in Adnot *ad S. C. disc.* 33.

NEAPOLITANA CENSURARUM
PRO PROMOTORE FISCALI CURIÆ ARCHIEPISCOPALIS
CUM PROCURATORE RELIGIONIS HIEROSOLYMITANÆ

Casus disputatus coram A.C resolutus pro Religione, seu ejus professo.

An, & quando Ordinarius declarare possit excommunicatos, seu in alias censuras incursos Regulares exemptos ab ejus jurisdictione? Et incidenter, an, & quando incurrant censuræ prolatæ à Concilio Tridentino, & Apostolicis Constitutionibus contra usurpatores, & occupatores bonorum Ecclesiæ?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Ad quid scribi soleat pro sustinendis censuris, & pœnis.*
3 *De privilegiis exemptivis Hierosolymitanæ Religionis.*
4 *Quod Ordinarius possit declarare exemptos incursos in censuras latas à jure.*
5 *Contrarium in isto casu, quodque censuræ non sustinerentur.*
6 *Declaratur quomodo, & quando procedat conclusio, de qua, n. 4.*
7 *Quomodo isto casu fiat processus.*
8 *Et quomodo fieri debeat citatio.*
9 *De applicatione ad casum controversia.*
10 *Quando incurrant censuræ contra occupatores bonorum Ecclesiæ.*
11 *Quando exemptus per assumptionem muneris fiat subditus.*
12 *An exemptus possit se subjicere Ordinario?*
13 *Declaratur casus, de quo disc. 29. de jurisdict.*
14 *Quod erroneum sit procedere cum generalitatibus.*

D I S C. XIV.

1 COmperto in visitatione cujusdam devotæ Ecclesiæ existentis in suburbiis Civitatis, sub pia ibi frequenti administratione quorumdam laicorum, qui Magistri nuncupantur, quod quidam Capellanus professus Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, in ea Ecclesia celebrare, atque in aliis Ecclesiasticis functionibus adhiberi solitus, lampades, aliaque vasa argentea, & bona pretiosa occupasset, ac pignorasset; Cum ob hujusmodi professorum amplam exemptionem (quæ pro frequentiori praxi aliquam scandalose vivendi licentiam tribuere solet), practicabilis non esset coercitio in persona, vel in bonis, pro Ecclesiæ reintegratione; Hinc visum fuit Episcopo, vel ejus Vicario Generali, efformato desuper processu, eoque citato, ac recusante comparere, in contumaciam eum declarare incursum in excommunicationem contentam in *Conc. Trid sess* 22. *de reformat. cap.* 11. & in Apostolicis Constitutionibus, illa præsertim, quæ Cœnæ dicitur, contra occupatores, & usurpatores bonorum Ecclesiæ; ita publicè contra eum affixis cedulonibus; Verùm interposita appellatione ab A. C. per ipsum instante Procuratore Ipsius Religionis, ac etiam ipsomet censurato, prodiit sententia declarans has censuras invalidas, ac sine jurisdictione prolatas, eaqua mihi probabilis visa est, quamvis scriberem pro Curia Archiepiscopali; Non quidem pro odibili effectu contra eam personam (cùm ab hujusmodi causis qualificati professores Curiæ omninò abstineant) sed principaliter pro defensione jurisdictionis, ac majestatis Archiepiscopi, juxta plures consimiles quæstiones, de quibus *hoc eod. tit.* ac etiam *sub tit. de jurisd. disc.* 29. 47. & 48. & in aliis. 2

In disputationibus autem desuper habitis, nulla cadebat quæstio super veritate exemptionis dictæ personæ in genere, cùm esset jam professus hujus Religionis Hierosolymitanæ, 3
constitutæ ex tribus ordinibus pluries insinuatis, *sub tit. de Regular. præsertim, disc.* 61. atque in professis non desiderantur tria requisita constitutionis Gregorii XIII. de quibus in specie hujus Religionis habetur *sub tit. de jurisd. disc.* 4. dum ea solum desiderantur in secularibus, non autem in professis; Atqua inter alia hujus Religionis privilegia registrata in Constitutione 9. Pii IV. illud habetur in specie, ut nec personæ, nec Ecclesiæ ab Ordinariis locorum censuris innodari valeant; Scribendo autem more Advocati pro sustinendis censuris, dicebam quod intrarent ea, quæ habentur *disc. seq.* ac etiam *d. disc.* 29. *de jurisd.* quod scilicet, ubi non agitur de censuris latis ab homine authoritate sua, sed delatis à lege, tunc possit loci Ordinarius, exemptione non obstante, ad illarum declarationem devenire, 4
ea ex congrua ratione, quod Ordinarius, non profert censuras, neque ejus potestatem exercet cum exempto, sed solùm gerit partes denunciatoris illarum censurarum, quæ à lege jam illatæ sunt; idque ab omnibus fieri potest.

Multò verò magis ab Ordinario loci, ex altera dictæ rationis ratione, quòd scilicet huic ex proprii muneris debito incumbit inquirere, atque sibi commissum populum, & Clerum certiorem reddere, quinam sint excommunicati, atque à fidelium consortio segregati, ut populus, & Clerus, sciant, quorum commercium evitare debeant, ac respectivè quibus Ecclesiæ ingressum permittere, vel prohibere, ut ex authoritate Card. Bonif. Imol. & aliorum *clem.* 1. *de privil.* & Felin. *in cap. non potest de sent. & re judic. n.* 3. & Gambac. *de potest. Legati lib.* 8. *cap.*..... & de potestate in Regulares exemptos, benè firmant duo moderni magni practici Canonistæ diu versati in Tribunalibus Curiæ Archiepiscopalis & Nunciaturæ Neapolis, nempè Genuen. *in prax. Archiep. Neap. cap.* 59. *in princ.* & Campanil. *in divers. jur. Canon. rubr.* 12. *cap.* 16. *n.* 42. Giballin. *de sacr. Jur. disq.* 4. *qu.* 3. *sub n.* 7. *vers. poterit, cum aliis de quibus, dicto disc.* 29. *de jurisd.*

Verum reflectendo ad veritatem ab initio Agentibus pro Curia Archiepiscopali de more liberè insinuatam, nimium dubitabam, ideoque resolutio fuit juxta votum, non ex fallacia conclusionis, quæ vera est in casu suo, ejusque terminis terminis, sed ex fallacia applicationis. 5

Ea etenim procedit quando factum sit certum, vel notorium, adeout nulla indigeat discussione, ac Judicis declaratione, cum formali processu Judiciali, undè propterea Ordinarius nil eorum gerat, quæ juris sunt, vel jurisdictionem cum ipsa persona censurata importent, sed solùm ea quæ sint facti, adeout actus principaliter tendat ad dictam certiorationem propriorum subditorum, ut sciant morbidam pecudem, a qua cavere debeant; Et sic in forma extrajudiciali, eodem modo quo ex traditione Innocent. considerant Canonistæ procedendum esse in casu, quo censuræ adhiberentur contra non subditum tamquam arma defensiva, juxta ducta, *disc.* 47. & 48. *de jurisd.* ut patet ex Felin & aliis *ubi supra*, quorum dicta diligenter expendit Fagnan *in eod. c. non potest, de sentent. & re judic.* occasione agendi de aliquibus quæstionibus hujusmodi disputatis in S. Congregatione Concilii, cujus ipse fuit Secretarius, atque ita rectè procedunt declarationes ejusdem Sacræ Congregationis annunciatæ *dicto disc.* 29. quod scilicet factum sit certum, & notorium, unde de consequenti certus, ac indubitatus sit incursus censurarum juxta casum in hoc frequenter contingibilem incursus censuræ contentæ *in canon. si quis suadente diabolo*, quod publicam requirit percussionem cum reali qualitate, ut nulla interveniat excusatio, seu Judicis discussio, ac declaratio; Secus autem ubi ipsum factum percussionis sit dubium, adeout ejus veritas pendeat à depositione testium, an concludant, necne; Sive concludendo, an fides ejus adhibenda sit; Vel an accedat aliqua causa excusativa à censuris, puta quia ad defensionem, vel casualiter, &c. in summa, ubi debeat assumere partes Judicis, non autem illas simplicis publicatoris, vel denunciatoris. 6

Licèt enim, etiam in facto certo, & notorio, ex quo etiam 7

certa

certa resultet consequentia incursus censurarum ipso jure, aliquis processus adhibeatur, examinando scilicet testes super illo facto notorio. Attamen iste dicitur processus potiùs ad futuram memoriam, sive ad instructionem, ac informationem ipsius Ordinarii, vel alterius superioris Ecclesiastici, qui inibi præsens non fuerit, dum etiam in factis notoriis Criminalistæ aliquem adhibent processum potiùs facti, quàm juris, ut præsertim patet ex docto Criminalista Foller. *in ejus prax. vers. Item quod est notorius delinquens:* Ac juxta eam informationem, de qua in forioribus terminis judicis laici super clericatu habetur, *dicto tit. de jurisd. disc.* 64. cum similibus.

8 Ac etiam, licèt tali casu procedi possit sine citatione; Quinimò aliqui velint, ut ita procedi debeat, quodque aliàs sit error, quasi quod illa potius vitiet processum ac probet fuisse lentam viam judicialem, quæ cum non subdito teneri non potest, ut *d. disc.* 47. *de jurisd.* Attamen praxis commendabilius recepit, ut præcedat citatio, non in forma judiciali, tanquam per exercitium jurisdictionis cùm persona, sed in forma monitiva, & ex quadam urbanitate, cum constituendo reum voluntarium, juxta illam urbanam citationem, quam moderni introduxerunt in illa merè extrajudiciali concessione associationis familiæ, quæ petatur ab habente facultatem capiendi possessionem propria authoritate, ex deductis in sua sede *sub tit. de judic.* agendo de remedio associationis; Sive juxta illam monitionem, quam Judex laicus faciat clerico in concursu creditorum laici debitoris curam ipso efformato, sive super alio judicio universalis successionis, vel simili, in quo clericus interesse habere valeat, ex deductis pariter in dicta sua sede *sub tit. de judic.* ac etiam *sub tit. de jurisdict. disc.* 94. & alibi, ut in specie ex Feliu. & aliis observat Fagn *d. c. non potest*, n. 23.

9 Applicando autem ad rem; Ista theorica non erat applicabilis ad casum, dum in eo reverà processum fuerat in forma judicii, atque Ordinarius formales partes Judicis assumpserat, illæque ex facti qualitate omninò assumendæ erant, dum ipsum factum occupationis bonorū erat potius occultum, cum formali processu, & testium examine justificatum; Et (quod magis est) data etiam probatione facti, remanebat dubium juris, ac possibilitas legitimæ defensionis, quia scilicet id egisset ex commissione, & mandato administratorum, vel ex alia causa excusante à positiva temeritate, quæ necessaria est pro censurarum incursu; secus autem pro nullitate actus juxta distinctionem, quæ ad materiam *Extravagantis Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* habetur *sub tit. de alienat. & contract. disc.* 1. *& alibi*.

10 Et fortiùs quoniam censuræ illatæ per Concilium Tridentinum, & per Bullam Cœnæ, procedunt contra eos, qui potentialiter, vel de facto potiùs in forma publica, & jurisdictionali, seu authoritativa, bona, & jura Ecclesiastica sibi usurpant, & occupant, putà in Principibus, & Baronibus, aliisque Dominis temporalibus, vel in Magistratibus, aliisque potentibus, qui potentialiter, & authoritativè id agant, adeout verificentur ea, quæ latiùs habentur, *dict. disc.* 47. *&* 48 *de jurisdict* quod scilicet intentent censuræ tanquam arma, cum quibus Ecclesia ejus jura, & bona tueatur, secus autem in illa occupatione, quæ redoleat speciem furti expliciti, vel impliciti juxta communem sensum Moralium, & aliorum adeo frequenter agentium de Bulla Cœnæ.

11 Eo verò casu dicebam ab initio, quo in ista causa consultus fui, quòd Ordinarius, etiam in forma jurisdictionali, & judiciaria, exemptione non obstante, procedere potuisset contra istum capellanum etiam ad coercitionem personalem, vel realem, atque ubi subsidii ratio exigeret, etiam ad censuras, quando scilicet ipse fuisset istius Ecclesiæ, seu pii loci administrator, contra quem Ordinarius in visitatione ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini *sess.* 22. *c.* 8. *&* 9. rationum redditionem ab eo petere potuisset, cum reliquatus restitutione, quoniam tunc, ob assumptam ab exempto administrationem jure cujusdam quasi contractus, Ordinarii jurisdictioni se subjicere voluit, juxta illam subjectionem quæ contrahi dicitur per non subditum à manibus judicis aliàs sibi incompetentis, recipientem tutelam, vel aliam administrationem, sive pecuniam, vel hæreditatem cum obligatione restituendi ad omne ejus mandatum, &c. juxta plures casus recensitos *d. disc.* 94. *de jurisd.*

Quidquid enim sit de aliquibus casibus, de quibus ibi agitur in ordine ad clericum recipientem administrationem à manibus Judicis laici habitualiter incompetentis cum omnimoda incompetentia, quam expressus consensus ipsius clerici tollere non potest, ista difficultas non intrat ubi agatur de Regularibus, vel aliis Ecclesiasticis personis, quæ accidentaliter in sola privilegiativa ratione sint exemptæ, cum ista sit exemptio dativa, & accidentalis, atque in Ordinario resideat nativa jurisdictio habitualis, dum antiquitus ante introductionem hujusmodi privilegiorum, etiam Regulares ei in omnibus subjacebant, istaque habitus in plerisque casibus reducitur ad actum, ut pluries advertitur *in tit. de Regular.* & in altero *de jurisd & in adnot. ad Conc. Trid.* & alibi.

Et quamvis regula sit ut exempti neque volentes possint se subjicere jurisdictioni Ordinarii, vel alterius, à quo exempti sunt ex deductis *d. tit. de jurisdict. disc* 25. *& disc* 92. *ex dec.* 461. *p.* 5. *& dec.* 311. *p.* 8. *rec. & aliis:* Attamen id procedit, quando agatur de subjectione omnimoda, in casibus indifferentibus, & personalibus, per viam regulæ, unde propterea intraret ratio præjudicii Sedis Apostolicæ, vel alterius eorundem exemptorum superioris, cui rationi dicta conclusio innixa est; Secus autem ubi id accidens inter proveniat ratione muneris, vel ratione delicti &c. Quemadmodum enim regularis exemptus se ingerendo in cura animarum, & in administratione sacramentorum, vel accedendo ad Monasterium Monialium, aut quid simile faciendo, efficitur in iis Ordinarii subditus, ex pluries insinuatis; Aut quod alienæ diœcesis clericus delinquendo in diversa diœcesi, ratione delicti fit subditus illius Diœcesani, cujus non est, ita in præsenti. 12

Neque his adversantur ea, quæ habentur *dict. o disc.* 29. *de jurisd.* in cujus casu justè, ac fundatè Sac. Congregatio Immunitatis sustinuit censuras ab Ordinario publicatas contra ipsiusmet Religionis milites capellanos; Tum quia publicum, & notorium erat factum gravis percussionis clerici; Tum etiam quia dupliciter concurrebat in eo casu competentia Ordinarii, nempè ob offensam, & turbatam ejus jurisdictionem, ac manuum injectionem in ministros, & officiales Curiæ Archiepiscopalis; Ac etiam quia agebatur de materia Ecclesiasticæ immunitatis localis juxta casum, de quo in alia Messanen. *hoc eod. tit. disc. praced.* unde propterea ad præscriptum Constitutionis Gregorii XIV. Ordinarius erat competens. 13

Atque hinc in dies edocemur id, quod mea frequens est consuetudo inculcandi, quàm scilicet erroneum sit procedere cum generalitatibus, vel cum decisionibus, quæ in diversis casibus prodierint, illas indefinitè cuicunque alteri applicando, atque non reflectendo ad particulares circumstantias, illarumque combinationem, ex qua resultat congrua applicatio. 14

NUSCANA CENSURARUM
PRO EPISCOPO, ET PAROCHO. CUM PP. S. DOMINICI.

Discursus pro veritate in casu posteà concordato.

An, & quando Ordinarius loci procedere valeat ad censuras contra Regulares exemptos? Et quatenus procedat, an ab illis detur appellatio suspensiva, necne? Ac etiam ubi agitur de processionibus, aliisque ecclesiasticis functionibus: An scilicet Regulares exempti istas facere valeant sine licentia parochi, vel Ordinarii?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Ad quem finem scribi soleat pro substinendo censuras, & pœnas.*
3 *Non licet Regularibus facere processiones extra claustra sine consensum Parochi.*
4 *Quomodo intelligantur concordiæ, vel conventiones in hac materia.*
5 *Territorium Regularium est intra ambitum monasterii.*
6 *De diversitate rationis inter Ordinarium & Parochum, & de majori in Ordinario.*
7 *Quod quandoque Ordinarius concedat licentiam Regularibus faciendi processiones sine consensu parochi.*
8 *Ordinarius in causis, in quibus habet jurisdictionem cum exemptis, procedit etiam ad censuras, & pœnas.*
9 *Distinguuntur plures casus, in quibus intret jurisdictio cum exemptis, vel detur appellatio à censuris, aut circa ordinem judicii servandum, necne in censurarum prolatione.*

DISC. XV.

1 EXistente in oppido Balneoli, qualificato, ac numeroso Conventu Ordinis S. Dominici; Ab antiquo frequentes, ac penè connaturales videntur controversiæ, inter istos religiosos, & Archipresbyterum, & Clerum Ecclesiæ matricis, ac etiam, quandoque cum ipsomet Episcopo, super processionibus, aliisque Ecclesiasticis functionibus, quas dicti religiosi, extra propria claustra, vel respectivè in eorum Ecclesia, independenter ab Episcopo, & parocho facere prætendunt, cum notabili adhærentia populi; Et quamvis aliquæ desuper prodierint concordiæ, per Sacram Congregationem Episcoporum, vel Rituum etiam approbatæ, non tamen produxerunt adquietem, pro qua, atque ad evitanda aliqua scandala, & inconvenientia, post has disputationes habitas in Tribunali, A.C. ac etiam in Sacra Congregatione Rituum, me consulente, & cooperante, de anno 1670. ad aliam deventum est concordiam, cujus pacificam observantiam Deus permittat.

Cùm itaque dicti religiosi, in vim privilegiorum, vel antiquæ consuetudinis prætenderent, in aliquibus festivis diebus facere processiones Rosarii, aliasque solemnitates per dictum Oppidum, seu per aliquas ejus vias, vel contratas, sine licentia, & consensu parochi, vel Ordinarii: Unde propterea novus Episcopus in visitatione eis inhibuit, sub pena excommunicationis ipso jure, ipsoque facto incurrendæ ne absque ejus licentia id peragerent, donec visitationis occasione, asserta privilegia recognosceret, vel de legitima consuetudine sibi constaret; Cùm autem in dictę inhibitionis spretum etiam cum aliquo tumultu, & scandalo, aliquæ functiones hujusmodi peractæ essent; Hinc Episcopus ad censuratum declarationem processit, non obstante appellatione, quæ a comminatione contenta in dicta inhibitione interposita fuerat, unde propterea Religiosis dictam appellationem prosequentibus coram A. C. ac etiam in S. Congregatione Rituum, actum fuit, tam de puncto facultatis faciendi dictas processiones, quam etiam censurarum validitate; sed superveniens concordia sustulit occasionem ulterioris formalis disputationis.

2 Super utroque autem puncto, Responsum dedi ad petitionem Episcopi & parochi in forma potiùs discursiva, & concorditer communicabile Procuratori generali Ordinis prædicti, ad effectum parandi dictam concordiam, ut secutum fuit, ita scribendo super validitate censurarum (juxta stylum,) potiùs ad effectum sustinendi punctum civilem jurisdictionis quàm pro pœnali, seu odibili effectu contra censuratos, ut est qualificatorum Curialium consuetudo, abhorrendi punctos odibiles, & objectivos.

3 Quatenus igitur pertinet ad primum punctum facultatis peragendi processiones, aliasque solemnitates, extra claustra, vel septa proprii Conventus; Dicebam quod nisi doceretur de consuetudine immemorabili, vel centenaria cujus vigore allegari posset speciale indultum Apostolicum, vel concessio Episcopi, & parochi in limine fundationis, seu alter titulus de Mundo melior, juxta consuetam immemorabilis, vel centenariæ operationem, pluries enunciatam: Regula certa est quod regularibus non licet facere processiones, aliasque functiones extra propria claustra, seu propria septa; Quamvis etenim per Sixtum IV. in Constitutione, quæ vulgò dicitur *Mare Magnum*, ac etiam per Leonem X. aliosque Pontifices, multa privilegia Regularibus, adversus locorum Ordinarios concessa fuerint; Attamen Sacrum Concilium Tridentinum, cognitis inconvenientibus exinde resultantibus, illa in plerisque revocavit, vel modificavit, ideòque quibuscumque exemptivis privilegiis non obstantibus, Regulares in iis, quæ pertinent ad publicas processiones, Ordinariis locorum tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis subjecit, ut etiam in plerisque aliis pluries recensitis, *sub tit. de Regul.* & sub altero de *jurisd.* ac etiam *in adnot. ad S. C. T.* & alibi *hoc eod. tit.* Atque in specie processionum plura de more colligit diligens, ac elaboratus Barbos. *de Episc. alleg.* 78. *& in summa Apostolicarum decisionum, collect.* 605. ut etiam faciunt Nicolius, & alii moderniores Collectores.

4 Quinimò dabantur ex hac parte per causæ Patronum speciales declarationes Sacræ Congregationis Rituum, occasione cujusdam concordiæ, seu laudi sub Episcopo prædecessore, quod scilicet Sacr. Congregatio approbando concordiam reservavit Episcopo licentiam, seu arbitrium, ut quando ei videretur, id permitteret, vel respectivè prohiberet, adeout approbatio concordiæ respiceret exemptionem à necessitate petendi licentiam à parocho, seu archipresbytero, & clero sæculari, (qui ut supponebatur, erant regularibus aliqualiter infensi, pro consuetis spiritualibus æmulationibus inter Clericos sæculares, & regulares (non tamen, ut sperno Episcopo, atque expresse id prohibente, ad unquam licitum esse posset,

Duplicem siquidem rationem habet hæc prohibitio; Primò nempè respectu parochi, intra cujus limites Conventus regularium situs est ne liceat in ejus territorio, suæque parochiæ finibus, ipso inscio, vel invito, functiones hujusmodi peragere, cùm territorium regularium, quantumvis privilegiatorum, restrictum dicatur intra proprii Conventus, seu Monasterii ambitum, vel septa, extra quæ jus est parochi, ex iis quæ occasione funerum, & exequiarum, aliis relatis habentur plenè perducta per Rotam *dec.* 348. *part.* 15. *recent. & sub tit. de paroch. disc.* 23. edito in eodem casu, in quo dicta decisio prodiit, ac etiam pluries *sub tit. de praeminent.* occasione agendi pariter de funeribus, ac processionibus. 5

Et secundò ratione Ordinarii loci, in quo duplex viget ratio; Tum scilicet eadem territorialis, ac jurisdictionalis, quæ viget in parocho, imò major, potissimè ob novam legem Concilii Tridentini, per quam, etiam aliarum diœcesum Episcopi, aliique Prælati, prohibentur pontificalia, aliosque actus jurisdictionales, vel præeminentiales in aliena diœcesi exercere absque licentia, & consensu Diœcesani, Tum etiam ob pluries enunciatam rationem in omnibus supra allegatis locis, occasione curæ animarum, & administrationis sacramentorum, quod meritò C. T. & Apostolicæ Constitutiones, in præmissis, ac similibus, antiquas exemptiones moderando, jurisdictionem etiam supra exemptos, Ordinariis concesserunt, nempè, non principaliter, & directè, in ratione activa cum ipsis personis exemptis, sed occasionaliter, ac indirectè in ratione passiva, quando ipsi se ingerunt in spirituali regimine, ac in divinis pabulis ovium sibi commissarum, ideoque sibi incumbere debet jus inquirendi, an suis ovibus divina pabula, benè, vel malè ministrentur; Ideoque Regulares conquerendi justum motivum non habent, quod eorum privilegia violentur, vel non observentur, quoniam eis congruè replicari potest, ut se propriæ domi contineant, solumque ipsarum personarum regularium, temporali, ac spirituali regimini incumbant, atque se non ingerant in juribus alienis, cùm tali casu privilegia illibata remaneant; Sed si volunt se ingerere in administratione, ac regimine populi sæcularis, & sic ovium diœcesano commissarum, tunc congruum est, ut in hoc earumdem ovium primum pastorem, ac directorem recognoscant, ne detur inconveniens, ut quod unus ædificet, & alter destruat. 6

Ideoque magna differentia est inter jus simplicis parochi, & illud Ordinarii, seu Diœcesani; quoniam jus parochi est solum territoriale, non autem adeo jurisdictionale, ut est illud diœcesani; Ac etiam quia Diœcesanus, tamquam primus parochus, seu parochus parochorum, nec non tanquam Judex, & superior, agnoscendo, quod irrationabilis, ac indiscreta sit parochi, aliorumque clericorum sæcularium oppositio propter consuetas spirituales æmulationes præsertim inter sæculares, & regulares, ita dictum consensum tamquam indebitè denegatum supplere potest, adeout ita, cum consensu, & licentia domini territorii actus geratur; Et consequenter magna differentia est inter unum, & alterum, atque faciliùs datur casus peragendi hujusmodi functiones sine licentia parochi suppleta per Ordinarium, longè autem difficilius, ut id liceat, ipsomet Ordinario spreto, cùm prorsus incongruum videatur, ut in ejus diœcesi, & territorio, hujusmodi ecclesiasticæ functiones fiant, sub quarum colore, abusus, & corruptelæ introduci possunt. 7

Quo verò ad alium punctum validitatis censurarum; Cùm adversus eas de tribus objiceretur; Primò nempè de defectu jurisdictionis ob privilegia exemptiva; Secundò de judicii, vel processus ordine malè servato; Et tertiò de visto attentatorum ob appellationem interpositam.

Ad primum, dicebam eadem, quæ pluries *hoc eodem tit.* & in altero *de Regular.* ac etiam in illo *de jurisd.* habentur, quod scilicet quamvis Scribentes post Conc. Trid. pro majori parte Morales, causam propriam agentes, credant, quod licèt idem Concilium in pluribus, ac præsertim in hac materia processionum, ac solemnitatum, quæ respiciant populum Ordinario subjectum, eidem exemptos subjecerit, ad effectum ut parere teneantur ejus præceptis, non tamen exinde resultet potestas eos puniendi, vel censurandi, sed quod in casu contraventionis à propriis superioribus puniendi sint, 8

sint; Attamen (oltra quod in puncto juris contrarium verius est, quod scilicet data jurisdictione præcipiendi, censetur data etiam jurisdictio puniendi inobedientes, nam alias esset derogatio irrisione digna, ut Ordinarius signum partis querelantis apud proprios superiores potius quàm superioris gereret;) Omnem quæstionem, ac difficultatem substulit Constitutio 9. Gregorii XV. Unde propereà, licèt etiam hodie soleant Regulares in hujusmodi contingentiis repetere easdem cautiones, eorumque plures adhuc eandem retinrant opinionem, innixi authoritatibus eorum, qui ante dictam Constitutionem scripserunt; Attamen est punctus qui non meretur amplius discursum.

Quo verò ad alios defectus, illum præsertim legitimi ordinis judiciarii, qui nullatenus, vel malè servatus prætendebatur, dicebam quod tres sunt diversi casus, in quibus disputari solet de censurarum validitate, tam ea dicto defectu jurisdictionis, quàm ex isto processus inordinati, ac etiam ratione appellationis, & an ista operetur, nec ne effectum suspensivum; Primò nempè ubi agatur de censuris latis à lege, in quibus Ordinarius aliud non agat, nisi partes declaratoris, vel denunciatoris, ipse verò suarum clavium usum non exerceat, juxta casum de quo supra, *disc. prac.* ac etiam infra, *disc. seq.* & in aliis ibidem relatis.

Secundò ubi agitur da illis censuris, quæ verè, ac propriè hominis dicuntur, illatæ per superiorem, ad effectum cogendi ad paritionem, vel implementum, (& quas declaratorias in Curia dicimus) quia nempè pro executione sententiæ, deficientibus aliis exequendi modis, in persona, vel in bonis, ad subsidiarium censurarum remedium devenire oporteat, juxta dispositionem S.C.T. *Sess. 25. de reform. c. 3.* Et tertiò ubi agatur de censuris pariter hominis ab ipso superiore, authoritate sua illatis, ratione contumaciæ, seu rebellionis, & contraventionis ejus inhibitionum, ac præceptorum, sive ob turbationes, ac molestias, quæ eidem de facto inferantur.

Istos autem tres casus distinctè considerandos esse advertebam, ad consueta æquivoca tollenda, ac etiam pro congrua separatione, seu applicatione authoritatum, quæ pro cõsueto modernorum stylo in confuso consarcinari solent, totam vim constituendo in magno numero arithmetico, cum inutili repletione chartarum, quoniam pluries respicientes unum casum, incongruè alteri applicantur.

In primo itaque casu isti tres defectus sunt insimul connexi, atque à primo alii dependent, sive eo subsistente, opus non est de aliis quærere, cùm nullitas ex defectu jurisdictionis elidat radicem, dum Ordinario cum exemptis id non conceditur, nisi ubi agatur de facto certo, ac notorio nullam exigente cognitionem causæ juxta superius deducta, *disc. prac. & alibi*; Unde propterea posita ista circumstantia, quæ tribuat jurisdictionem procedendi ad declarationem, de consequenti resultat quod adhibenda non est forma processus judiciarii, quinimò error est illam adhibere, ut ibi advertitur.

In secundo casu, admittebam quod ordo judiciarius, cum suorum terminorum servatione adhibendus est, quodque allegante eo, cui censuræ comminatæ sunt, causam excusantem à paritione, audiri debet in forma judicii, cum facultate appellandi ab injusta comminatione, juxta ea quæ habentur *sub tit de judic.* occasione agendi de hujusmodi declaratoriis, ad quas per Rotam, aliaque Tribunalia, pro executione sententiarum, aliaque paritione mandatorum, præsertim extra temporalem Ecclesiæ Ditionem; ubi reali, vel personali executioni impedimenta præstari solent, frequenter devenire oportet; Sed tam iste, quàm præcedens casus, extranei sunt ab illo præsentis controversiæ, ideoque incongruè, ac extra propositum per aliquos Scribentes multæ consarcinabantur authoritates, quæ istos casus percutiant.

In tertio demum casu censurarum contumacialium, ob spretum inhibitionum, & preceptorum, in quibus illę comminantur ipso jure ipsoque facto, non obediendo, intrat altera distinctio, an agatur de causis civilibus inter Partes, vel
9 etiam de criminalibus inter reum, & fiscũ, quibus in forma judiciaria concedantur solitę inhibitiones, quę plurium pęnarum, ac etiam censurarum comminationem in forma consueta contineant, & tunc quando ratione attentatorum resultantium à spretu inhibitionis pętenditur cẽsurarum, aliarumq; pęnarum incursus, procedendum pariter est servatis servandis, & in forma judicii, atque aliquando intrare etiam potest appellatio suspensiva, juxta ea quę ad materiam attentatorum habẽtur in *eod. tit. de jud.* eosdemq, terminos, percutiebant plures ex authoritatibus, quæ deducebantur.

Aut verò demùm (juxta casum præcisum controversiæ) censuræ adhibentur tanquam arma spiritualia ad compescendum delinquentes, vel inobedientes, seu turbantes, ut ita abstineant à contraventionibus, & rebellionibus, ac pateant, adeout adversus rebelles, & contemptores, vel turbatores de facto ista arma tãquam per speciem defensionis adhibere oporteat, juxta casum de quo infra *in Faventina disc. 19.* ac etiam *sub tit. de jurisd. disc. 47. & 48.* Et tunc potiùs error est adhibere formam processus judicialis, quoniam imò non debet adhiberi, sed procedendum est in forma extrajudiciali, & de facto ex ibi deductis; Siquidem res irrisione digna esset, ut ab ista comminatione appellatio suspensiva dari debeat, ut ita interim inhibitio licitum reddatur superiorem inhibentem contemnere, atque in rebellione de facto continuare; Et consequenter dicebam, quod conclusiones, vel authoritates, quæ cumulabantur, erant in suis casibus veræ, sed fallacia consistebat in applicatione, circa quam hodie versatur malum quotidianum; Concordia tamen substulit occasionem ulterius ista discutiendi.

NEAPOLITANA JURISDICTIONIS, PRO ARCHIEPISCOPO CUM NUNCIO APOSTOLICO.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Concilii, resolutus pro Archiepiscopo.

An, & quando Ordinarius jurisdictionem exerceat cum Regularibus exemptis pro contraventione eorum, quæ sibi commissa sint; Et in specie pro accessu ad Monasteria Monialium; Et quid in concursu cum Nuncio Apostolico Commissario generali Regularium, an huic competat cognitio privativa?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Decretum generale S. Congregationis Concilii super accessu Regularium ad Monasteria Monialium.*
3 *Resolutio causæ.*
4 *In claris non intrant quæstiones.*
5 *Etiam sine dicto decreto Ordinarius habet hanc jurisdictionem cum exemptis circa Monasteria Monialium.*
6 *Ubi fundetur jurisdictio Nuncii Neapolitani cum Regularibus.*
7 *De absurdo quod resultaret à privativa.*
8 *Regula est ut jurisdictio censeatur concessa cumulativè, non autem privativè.*
9 *Nuncius Neapolis non habet jura Legati, sed habet jurisdictionem limitatam ad certum genus causarum.*
10 *Ordinarius in quibus casibus habeat jurisdictionem cum exemptis eosque coercere valeat.*
11 *Concesso fine, concessa censentur media.*
12 *De Constitutione Gregor. 25. super exemptis.*
13 *De conclusione quod delegatio strictè intelligitur, & non datur ejus extensio.*
14 *Regulares erant subjecti Ordinario loci; & quid operetur delegatio eis facta.*
15 *Quid referat quod Ordinarii in his actibus procedant jure delegato.*
16 *Ponderatur inconveniens, de quo etiam n. 7.*

D I S C. XVI.

DIssemioata per aliquos Regulares opinione in Civitate Neapolis, quod ipsorum prohibitione accedendi ad Monasteria Monialium, non comprehenderet casum, in quo ut id sequeretur ad modicum tempus cum regula generali parvitatis materiæ, eisque propterea frequentantibus quædam Monasteria, præsertim exempta, in quibus familia Archiepiscopi non de facili se ingerere solet, ita cùm brevitate, sed cum omnia frequentia prohibitiones illudendo; Hinc proinde consuluit Archiepiscopos Sac. Congr. Conc. quæ ista occasione *sub die 11. Maii 1669.* decretum generale edidit à Clemente IX. approbatum, ut Regulares, etiam per modicum tempus, absque licentia accedentes ad Monasteria Monialium quantumvis exempta, incurrant censuras, & pęnas desuper inflictas, quodque ab Ordinario loci, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, coerceri, seu puniri valeant; Cum autem, post dicti decreti publicationem, casus dedisset contraventionem cujusdam religiosi carcerati per familiam Archiepiscopi ab isto post aliquatum 1

hora-

bitrarum carcerationem ad correctionem; ac aliorum exemplum benignè agendo, ex eo quod esset conversus, qui ea simplicitate potius contravenerat, ideoque in eo non vigebat illa malitia, quæ dignoscebatur in dictæ opinionis disseminatoribus, ille remissus fuit proprio superiori, pro ejus arbitrio corrigendus; Quare Nuncius Apostolicus illius Regni, qui suam residentiam habet in ea Civitate, prætensionem excitavit, quod sibi carceratus remitti debuisset, ea eo quòd sibi, tanquam generali Commissario Regularium, & exemptorum, privativè illorum punitio competeret; Quare concorditer certiorato Pontifice, atque per illum remisso puncto decidendo eidem Congrega-
3 tioni *sub die 6. Novemb. ejusdem anni 1669.* pro Archiepiscopo prodit resolutio, quæ mihi pro eo scribenti (reflectendo etiam ad solam veritatem) justa benèque fundata visa est.

4 Dicebam itaque scribens, quod, absque necessitate assumendi aliam altiorem inspectionem, casus erat expressè decisus ab eodem Decreto generali de recenti ut supra edito per literas circulares in forma consueta omnibus locorum Ordinariis transmissas, ideoque intraret vulgatis regula textus *in l. ille aut ille*, *ff. de legat.* 3. plenè exornata per Rot *dec.* 44. *n.* 14. *par.* 11. *rec.* cuicunque casui, seu materiæ congruè adaptabilis, quod scilicet, in claris, & expressis, non intrant quæstiones, & argumenta.

5 Verùm quia, genio ac stylo semper adversum fuit, cum solis regulis generalibus, vel simplicibus authoritatibus absque discursu, cum pragmatico abhorrito usu causas tueri; Hinc proinde dicebam, quod ubi etiam præfatum decretum generale editum non esset, adhuc tamen idem dicendum veniret; Tum quia prætensio Nuncii super dicta generali jurisdictione privativè cum exemptis, nullam habet subsistentiam; Tum quia ubi etiam illa subsisteret, adhuc tamen non comprehenderet casum controversiæ, ideoque non obstaret ad effectum de quo agebatur; Ita propterea duas constituendo inspectiones.

6 Quatenus igitur pertinet ad primam, dicebam, quod prorsus erronea esset hæc opinio, seu prætensio super privativa; Siquidem ejus commissio generalis, fundata est in quibusdam literis Apostolicis in forma Brevis Clem. VIII. anni 1591. directis Nuncio tunc existenti, quæ in quolibet Nuncio noviter deputato, innovari, seu communicari solent, per quas, ea motivo frequentiæ bannitorum, qui videntur illi regioni connaturales, inter quos adnumerari erant aliqui clerici sæculares, & regulares, ob eorum potentiam à criminosa vita resultantem non de facili punibiles per locorum Ordinarios, quorum potestas, in magna parte, ob diœcesum exiguitatem, & Ecclesiarum paupertatem, de facto modica, & exilis est, committitur Nuncio, ut procedere possit contra omnes Ecclesiasticos, sæculares, vel regulares, à laicali foro exemptos, sicarios, banditos, grassatores, rebelles, homicidas, & assassinos, sive hujusmodi facinorosorum hominum receptatores, fautores, vel sequaces. Istæ siquidem literæ restrictæ non sunt ad solos Regulares,
7 vel alios exemptos, sed indefinitè loquuntur de quibuscunque personis Ecclesiasticis, quæ per sæculares Magistratus coerceri non possunt, ita potiùs Ordinariis locorum, aliisq; Prælatis, & superioribus Ecclesiasticis tribuendo quasdam opem, seu magis potens brachium pro eadem coercitione, quam ipsi non de facili facere poterant; Unde propterea quando dicta prætensio subsisteret, quod hujusmodi commissio privativam importaret, id non minùs in Regularibus, & exemptis quàm in quibuscunq; aliis clericis sæcularibus Ordinariorum subditis procederet, cujus tamen contrarium docet inconcussa praxis, ac etiam comprobat magnum incoveniens, quod exinde resultaret, quoniam ita esset destruere Ordinariorum jurisdictionem, ac potestatem cum propriis diœcesanis atque facere id, quod fecit S. C. T. *sess.* 25 *de reform. c.* 20. cum Prælatis inferioribus aliquam jurisdictionem Ecclesiasticam habentibus in locis, quæ intra alienæ diœcesis fines existunt, eis adimendo cognitionem causarum criminalium, illamque Ordinarii delegando, quoniam ita causæ criminales graviores ademptæ essent Ordinariis, & delegatæ Nuncio, quo nil absurdius.

Ideòque dicebam quid aliud in vim dictarum facultatum
8 à Nuncio prætendi potest, nisi cumulativa, pro qua assistit regula, ut scilicet concessa alicui jurisdictione super iis, in quibus alter jurisdictionem, & potestatem habet, ea intelligenda veniat cumulativè cum Judicibus Ordinariis, nõ autem privativè, ad communiter notata per Bart. & alios *in l. C. de offic. Præfect.* Aretin *cons.* 102. *n.* 2. Rota apud Greg. *dec.* 4. & 8. apud Buratt. *dec.* 910. *n.* 4. & 5. & habetur pluries in sua materia *sub tit. de jurisd. præsertim disc.* 85. Et sic in hujusmodi criminibus, quæ vulgò delicta campaniæ dicuntur, habet quidem Nuncius ex hac speciali delegatione, illam jurisdictionem cumulativam, quæ præveniendi facultatem concedit, quam aliàs non habebat.

Ut enim advertitur *disc. prox. post seq.* iste Nuncius non 9
habet jura Legati, neque jurisdictionem ad universitatem causarum in gradu appellationis, vel recursuum, sed est Collector generalis spoliorum, & jurium Cameræ habens limitatam jurisdictionem ad certum genus causarum concernentium dicta spolia & jura Cameræ, sive jurisdictionem in aliquas personas, ratione ejusdem ministerii; Et consequenter etiam cum regularibus, aliisque exemptis, non posset se ingerere in præjudicium propriorum prælatorum, nisi ob facultates ad certos casus restrictas; Et cum istis pariter cumulativè, non autem privativè, ita solùm in his casibus corrigendo dictum decretum Concil. Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 20. per quod disponitur, ut causæ omnes per locorum Ordinarios in prima instantia cognosci debeant, neque Legati, vel Nuncii in eis se ingerere possint, sed privativa nullum habet fundamentum.

Verum etiam dicta prætensio subsisteret in casibus, qui in 10
dictis literis Apostolicis continentur, quinimò etiam in regula generali exemptiva, ut scilicet ipse Nuncius esset superior, ac Prælatus major regularium, & exemptorum cum Ordinariorum inhibitione ab exemptivis privilegiis resultante; Adhuc tamen dicebam, quod pro eodem Ordinario respondendum esset, non solùm ob hanc individuam delegationem resultantem à præfato decreto, quod licet sit generale, attamen principaliter editum fuit pro ista Civitate, atque ad instantiam, & certiorationem istius Ordinarii, in cujus diœcesi rectè Pontifex, & S. Congregatio sciebant residentiam Nuncii; Sed etiam eo secluso per regulas generales pluries insinuatas *sub dicto tit. de jurisd.* & præsertim in consimili controversia inter alterum Ordinarium & eundem Nuncium *disc.* 36. quod scilicet quando Concil. Trid. & Apostolicæ Constitutiones Ordinariis locorum etiam jure delegato plura commiserunt, etiam contra exemptos, quibuscunque privilegiis non obstantibus; Putà circa curam animarum, & administrationem sacramentorum, ac prædicationem verbi Dei, & circa accessum ad processiones, & observantiam festorum, vel interdictorum respectivè, & in plerisque aliis casibus, quos diligenter colligunt, Barbos. *de Episc. allegat.* 105. Tamburin. *de jur. Abb. tom* 1. *disp* 15 Fagn *in c. nimis prava, de excessib. Prælat.* Francet *in pastorali regular. p.* 2. *q.* 2. & alii moderni collectores frequenter.

Ita censetur etiam eis attributa jurisdictio ipsos exemptos 11
coercendi ex certo principio pluries insinuato eodem *tit. de jurisd.* & alibi, quod concesso fine, concessa censentur omnia media, per quæ ille finis sequatur.

Et quamvis plures Morales (utpotè causam propriam 12
agentes, ideoque parum idonei testes,) contrarium sustinere satagant, ut scilicet, non per hoc concessa censeatur coercitio, præsertim personalis, vel per censuras; Attamen ea dicta ratione, contrarium etiam in solo puncto juris, verius erat, quamvis non prodiisset Constitutio 9. Gregorii XV. quæ celebris est super exemptorum privilegiis, istorumque Conservatoribus, ut pluries *eod. tit. de jurisd. præsertim disc.* 49. & *sub tit. de Regul. disc.* 51. & 52. multò verò magis, ac extra omne dubium ob dictam Constitutionem, quæ istam dirimit quæstionem.

Et meritò quidem, quoniam nimis evidens fallacia est te- 13
nentium dictam contrariam opinionem, procedendo cum regulis, quas habemus in materia jurisdictionis delegatæ strictissimè in verbis intelligendæ, atque non extendendæ de casu ad casum, seu alias, quam ultra sonum verborum, ex deductis *sub tit. de matr. disc.* 3. & *sub tit. de jud. pariter disc.* 3. & *in aliis*; Quoniam conclusio est vera, sed malè applicata, atque in hoc consistit æquivocum clarum procedendi cum eo præsupposito, quod cum Concilium Tridentinum, & Apostolicæ Constitutiones considerent Ordinarios tanquam Apostolicos delegatos, idcircò debeat in eis procedere dicta regula, super stricta, & rigorosa delegationis interpretatione, quoniam ea procedit in illis delegatis, qui nullam, nec actualem, nec habitualem jurisdictionem cum personis habent, super quibus conceditur jurisdictio, cùm tunc delegatus habeatur tanquam homo merè privatus, extra id quod delegatio continet.

Id autem non congruit Ordinario loci respectu Regula- 14
rium existentium intra suam Diœcesim, quoniam cum ipsis habet jurisdictionẽ habitualem, seu nativam, dum antiquitus,

tus, & antequam privilegia exemptiva supervenirent. Regulares, tam quoad jurisdictionem Ordinarii, quàm quoad illam parochi in cura animarum, & Sacramentorum administratione metiebantur jure reliqui populi, ex relatis per Fagn. Barb. & Frances *ubi supra*, ac insinuatur pluries *d. tit. de jurisd. & d. tit. de Regular.* ac etiam in altero *de decimis*; & alibi; Unde propterea, superventa exemptio, est accidentalis, & impeditiva antiquæ, ac nativæ jurisdictionis; Et consequenter, juxta ea quæ præsertim habentur, *sub tit. de benef. disc. 1. & seqq.* in materia indultorum, quæ Ordinariis conceduntur conferendi beneficia reservata, vel affecta, ad aliud non importat, nisi restitutionem primævi status, per quamdam remotionem obstaculi, juxta vulgare exemplum desuper tradi solitum, viri habentis membra valida, quæ tamen compedibus, aliisque vinculis impedita sint, quoniam si superveniat vinculorum solutio, ista non importat concessionem novæ facultatis ambulandi, aliasque operationes membrorum faciendi, cùm id sequatur jure proprio, ac naturali, quod accidentaliter impeditum erat.

Et quamvis hodie, in dicta materia indultorum conferendi beneficia reservata post Constitutionem 59. Urbani VIII. non procedatur cum hac opinione, sed cum alia diversa, ut hujusmodi indulta importent jus delegatum, ex deductis, *d. disc. 2. & seqq. de Benef.* Attamen id secutum
15 fuit, potiùs in gratiam ipsorum Indultariorum, ne scilicet Capitula ratione simultaneæ prætendere possent participationem indulti: Ita in præsenti mentio expressæ delegationis Apostolicæ facta fuit potiùs ampliativè, atque ad tollendum omne dubium, ut ita major esset Ordinariorum restituta potestas, ideoque inducta ad favorem, non debet retorqueri in odium.

Ponderabam etiam inconveniens, de quo infra, *disc. prox. post sequentem*, quod scilicet dictæ literæ Apostolicæ,
16 directæ Nuncio loquuntur indefinitè de toto Regno, unde propterea si hoc assumptum subsisteret, in omnibus aliis diœcesibus idem dicendum esset, cujus contrarium praxis docet, ac per necesse docere debet, cum aliàs ob Regni amplitudinem ipsiusque Nuncii distantiam multa resultarent inconvenientia.

ASCULANA CENSURARUM, SEU RECURSUUM
PRO PP. CONVENTUALIBUS CUM EPISCOPO.

Casus disputatus in Sac. Congr. Episcoporum, & Regularium, resolutus cum prudentiali temperamento.

De censuris, aliisque pœnis incurrendis ob recursus ad Magistratus sæculares in causis Ecclesiasticis, an, & quando eis locus fiat, & an Ordinarius contra exemptos ad censurarum declarationem procedere valeat? Et quid detrahentibus personas Ecclesiasticas ad forum laicalem?

S U M M A R I U M.

1 Facti series.
2 *An Ordinarius procedat ad censuras contra exemptos, remissivè.*
3 *Qualis sit stylus sacrarum Congregationum in cognitione causarum.*
4 *Quando expediat, vel respectivè non referat disputare de validitate censurarum.*
5 *Recursum habentes ad sæculares in causis Ecclesiasticis incurrunt censuras.*
6 *Recursus præsumuntur habità per collitigantem interessatum.*
7 *Declaratur ad effectum denegationis audientiæ, non autem censurarum, pro quibus requiritur perfecta probatio.*
8 *Sed quando etiam sine dicta probatione intrent censuræ.*
9 *Repositum recursum consummatorum quale sit, & quod non puniatur affectus sine effectu.*
10 *Non est recursus ubi sit tanquam ad virum potentem pro protectione.*
11 *Declaratur quomodo id intelligi debeat.*
12 *Declaratur Bulla Cœnæ circa trahentes Ecclesiasticos ad forum sæcularem.*
13 *An confratres laici, vel confraternitates subjaceant foro laicali?*

D I S C. XVII.

Aliquibus exortis controversiis inter Episcopum & PP. Conventuales Civitatis Asculi in Apulia, occasione translationis, vel administrationis cujusdam piæ confraternitatis laicorum erectæ in Ecclesia Conventualium, atque licet desuper pendente in S. Congregatione Episcoporum, & Regularium; Cùm ad eandem Civitatem accessisset quidam Commissarius Regiæ audientiæ, atque carcerasset quendam Notarium unum ex officialibus dictæ confraternitatis, nullo tamen secuto effectu, cùm ille se exemerit, seu aufugerit, ac etiam supponeretur quod idem Commissarius contra eundem Notarium, ac alios officiales processum informativum fecisset, super subtractione, vel auctoritativa extractione alicujus sacræ suppellectilis à dicta Ecclesia, sub prætextu, quod bona spectarent ad confraternitatem; Hinc Episcopus, Guardianum, & procuratorem, aliosque religiosos dicti Conventus per Cedulones declaravit incursos in excommunicationem aliasque pœnas contentas in Bulla Cœnæ, unde propterea adita eadem Sac. Congregatione, cum istius consuetis regulis prudentialibus, causa finem habuit, super modo scilicet, ut Episcopi dignitas in aliquo sustineretur, sed in substantia finis fuit ad favorem religiosorum, quod censuræ non sustinerentur. 1

In disputationibus autem desuper habitis, circa initia professionis, quinimò fortè antequam illi formiter me addixissem, ac de tempore, in quo alia occasione ad Curiam accedens, cùm adhuc de meo statu indeterminatus essem, in Sacris Congregationibus potiùs quàm in Tribunalibus ad requisitionem concivium, & amicorum, aliquorum negotiorum curam haberem (quod causa fuit, ut paulatim hunc improbum assumerem laborem.)

Dicebam scribens pro dictis Religiosis quod duo erant puncti; Primò scilicet circa defectum jurisdictionis in Episcopo procedendi ad censuras contra Regulares exemptos, Et secundò, posita etiam jurisdictione, circa earundem censurarum injustitiam, seu non incursum.

Quatenus pertinet ad primum punctum, deducebam eandem distinctionem pluries *hoc eodem tit.* & alibi insinuatam, & præsertim *supra, disc.* 14. in quæstione frequenter disputari solita, an scilicet, & quando Ordinarius contra exemptos procedere valeat ad declarationem censurarum illatarum à lege super facto certo, & notorio, quod nullam exigat determinationem judicialem, vel causæ cognitionem; Ista verò circumstantia in præsenti, absque dubio, ex infra dicendis super altero puncto, non aderat; Unde propterea certus videbatur defectus jurisdictionis, qui clarior erat ex ea circumstantia, quod prætensus incursus censurarum proveniebat ex causa, super qualis pendebat in S. Congregatione, ideoque Episcopus gerebat partes collitigantis, & consequenter assumere non poterat illas Judicis. 2

Quo vero ad alterum punctum, de quo principaliter S. Congregatio inspicere voluit, eò quia ipsa immorari non soleat in apicibus juris, super ordinatoriis judicii, vel super rigorosis judiciorum, vel actionum distinctionibus, eo modo quo per ordinarios, vel delegatos Judices fieri solet, ac debet, sed summariè, ac potiùs more Principis quàm Judicis, extra judicii formam, seu figuram procedit, sola veritate inspecta, ut advertitur, *sub tit. de judiciis in relatione, ac praxi curiæ*, occasione agendi de ista, aliisque Sacris Congregationibus. 3

Dicebatur (& benè) per aliquos peritissimos Cardinales, qui in Rota, aliisque Tribunalibus priùs versati erant, nil referre, an Episcopus benè, vel malè processerit, si reverà adesset incursus censurarum, quoniam si malè religiosi declarati fuerunt excommunicati per Episcopum, poterant nunc benè declarari ab ipsa Sac. Congreg. ideoque res verà præcipuus, ac totus punctus erat in meritis, cùm juxta frequentem Curiæ praxim, de validitate, vel invaliditate censurarum disputari soleat, quando agatur de censuris latis ab homine, & præsertim contumacialibus, vel etiam de illis latis à lege, ad effectum evitandi necessitatem paritionis, sive obstaculum, quod prius censuratus audiri non possit in negotio principali, cùm tunc expediat principaliter insistere super illarum nullitate, ad effectum tollendi illas de medio; Secus autem ubi principalis quæstio sit, an verè adsit incursus, necne, ut in præsenti. 4

Cum autem in cedulonibus ab Episcopo publicatis duplex assignaretur causa; Primò nempè ob recursus ad magistratus sæculares in causa Ecclesiastica pendente in ipsamet Sa-

cra

cta Congregatione; Et secundo trahendo ad forum laicalem dictos officiales Confraternitatis, idcircò de his distinctè agendo.

5 Circa primum punctum recursuum, non negabam; quod illis pulsatis, ac probatis, adesset incursus censurarum, quacumque consuetudine non obstante, quæ improba utpotè sacris Canonibus contraria censenda est, *cap. noverit*, *Et cap. gravem*, *de sent. excom. & in Bulla Cœnæ Domini*, §. 16. Rot. *dec.* 101. 121. & 212. *post se andum vel consil.* Farin, apud Bich. *dec.* 282. *n.* 1. & 2. *dec.* 83. *par.* 7. *rec. cum aliis sub tit. de judic. disc.* 19

6 Insistebam verò in deficiente verificatione hujus præsuppositi, cùm nulla desuper daretur probatio super his recursibus, sed solum deduceretur juris præsumptio, quod scilicet illi habiti censeantur ab habentibus interesse, cùm sine instantia Partis interessatæ non soleant Magistratus sæculares ex officio, seu motu proprio in his se ingerere, ad nor. per DD. *in c. constitutus* 1. *de testib.* Gregor. & adden. *dec.* 96 Cavaler. *dec* 372 & 519. Burat. *dec.* 446. & 536. apud Bich. *dicta dec.* 282. & sæpius.

Respondendum tamen, cum recepta penèque quotidia-
7 na distinctione, inter pœnam denegationis audientiæ, & alias graviores personales, præsertim illam censurarum, ut scilicet ad primum effectum ista præsumptio sufficeret; Secus autem ad alterum, ad quem requiritur vera, & perfecta probatio, quod habiti fuerint per eum, in quo prætenditur incursus censurarum, aliarumque pœnarum, ut de hac distinctione aliis relatis habetur apud Burat. & Add *dec.* 416. & 446. Add. ad Greg *dicta dec* 96. apud Bich. *dec.* 641. *n.* 1. & *d. disc.* 19. *de judic.*

Est benè verum, quod neque id indefinitè recipiendum
8 est circa necessitatem perfectæ, & concludentis probationis, cùm id moderari, seu declarari soleat quando facti circumstantiæ ita suadeant, ob quas etiam leves, & conjecturales probationes, quamvis imperfectæ, & præsumptivæ admitti soleant, *ut eod. disc* 19.

Quinimmò sufficiens reputatur sola perseverantia, ex qua quædam ratihabitio desumi videtur quod scilicet illa pars interessata, contra quam ad minorem effectum denegationis audientiæ, præsumptio viget, renuat submittere, ac solemniter recursibus renunciare, atque se promptam offerre parere mandatis Judicis ecclesiastici, suasque diligentias adhibere pro remotione impedimentorum, tunc etenim his non secutis dicta juris præsumptio juncta cum his adminiculis, quæ a præmissis resultant, quandoque sufficiens reputata fuit etiam ad graviorem effectum censurarum, ex ea congrua ratione, quod cùm ista dicatur materia difficilis probationis, quò magis fieri potest occultè practicari solet, quodque officiales magistratuum sæcularium hujusmodi actorū copiam denegare soleant, idcircò nimium de facili fraus legi fieri potest, atq; impunè haberi recursus sub isto clypeo, quod ex defectu probationum ad censuras, aliasque pœnas deveniri non valeat, ut apud Peniam *dec.* 1093. *repetit. post secundam vol. cons* Far. *dicta dec.* 212. apud Bich *dicta dec.* 282. & *dec.* 656. quæ est declarativa præcedentis, *dec.* 641. *coram eodem*, *cum aliis*, *d. disc.* 19 Unde propterea in ista materia, certa & determinata regula statui non potest, tum potiùs arbitraria dicenda sit, pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis decidenda.

Verùm in hac facti specie, hujusmodi difficultas non intrabat, non solum quia isti religiosi ab initio promptos se obtulerunt facere quascumque renunciationes, & declarationes a S. Congreg demandandas, sed etiam quia neque verificabatur ista circumstantia impedimentorū, unde propterea non aderat occasio assumendi dictam inspectionem.

Et quod magis est, deficiebat requisitum recursuum in
9 radice, quoniam tunc illi formiter haberi dicuntur ad effectum incursus censurarum, aliarumque pœnarum, quando à magistratibus sæcularibus de facto emanant inhibitiones, & præcepta, vel alia judiciaria, & authoritativa impedimenta, ob quæ impedita remaneat prosecutio causæ ecclesiasticæ, vel spiritualis coram suo Judice, vel executio literarum Apostolicarum, seu mandatorum Rotalium, vel alterius Judicis, seu executoris ecclesiastici, & sic spectato effectu, qui non autem solus effectus in hac materia est punibilis, Felin. *in c.* 1. *n.* 10. *de præsumpt.* Menoch. *de arbitr. casu* 360. *num.* 9. Farin. *q.* 24 *num.* 55. & *seqq.* Duard. *ad Bull. Cæn. canon.* 16. *q.* 6.

Et ut punctus est an recurratur ad sæcularem tamquam Judicem, qui in ratione jurisdictionali, & authoritativa,
10 cum inhibitionibus, & præceptis, seu aliàs Judicem, vel executorem ecclesiasticum impediat, ne suas partes expleat, vel etiam impediat collitigantem, ne sua jura coram competenti Judice Ecclesiastico prosequatur; Secus autem ubi ad aliquem Magistratum sæcularem recurratur tanquam virum potentem pro sola assistentia de facto in forma extrajudiciali, adeout non adhibeatur authoritas jurisdictionalis, cùm tunc intrent termini diversi privatæ resistentiæ, non autem isti termini recursuum, ut admittitur *in eisdem dec.* 282. 641. & 656. *cor. Bich* ubi Concordantes.

Verùm, & id pariter discretè, pro facti qualitate intelligendum venit, ne alias ita adhibendo istum modum pro colore quæsito, legis prohibitio eludatur, eique fraus fiat, *ut d. disc.* 19. *de judic.* Unde præterea cùm in hac facti specie, neque id verificaretur, cùm accessus dicti Commissarii nullum ulteriorem habuerit progressum, vel produxerit effectum impeditivum, seu aliàs præjudicialem, ita cessabant illæ quæstiones, quas super præmissis postea frequenter disputavi aliquando contra recurrentes, & aliquando pro eis excusandis juxta requirentium opportunitatem, ut Advocatorum conditio exigit.

Quo verò ad alium punctum quòd personæ Ecclesiasti- 11
cæ, & in causa Ecclesiastica evocatæ fuissent ad forum sæculare, pariter difficultas tolli videbatur ex eodem facto, seu defectu justificationis, dum nulla desuper dabatur sufficiens probatio, atque sola præsumptio juris non sufficit ad hunc graviorem effectum censurarum juxta distinctionem, de qua supra.

Dicebam ulterius, quod ubi etiam constaret cōcludenter 12
de formali querela, quæ per dictos Religiosos adversus dictos sæculares pro extractione bonorum ab Ecclesia, vel sacristia porrecta esset, adhuc tamen substineri non poterant censuræ, eo modo quo prolatæ fuerunt, contentæ scilicet in Bulla Cœnæ, quoniam licèt trahentes, seu vocantes clericos, aliasque personas Ecclesiasticas ad forum laicale, incurrant censuras, aliasque pœnas a sacris Canonibus inflictas, non tamen incurrunt istam Bullæ Cœnæ, cùm ea loquatur solùm de Judicibus, & aliis, qui jurisdictionaliter, ac authoritativè personas Ecclesiasticas ad suum forum trahunt, non autem de partibus collitigantibus, ut firmant Ugolin *super hac bull. c.* 15. §. 1. *n.* 11. Duard. *super eod. c.* 15. *q.* 10. *n.* 2. Thesaur. *de pœn. Eccl. verba Curia*, *cap.* 9. *vers. quæres an collitigantes*, & *verbo jurisd. c.* 9. *in princ.* ac alii moderniores Morales frequentes, & habetur etiam occasione turbationis, vel impedimenti, *disc. seq.* & *d. disc.* 19.

Clariùs verò quia non agebatur de clericis, vel personis 13
Ecclesiasticis; sed de certis, ac notoriis laicis, unde propterea, quidquid sit de competentia fori laicalis, vel Ecclesiastici respectivè, circa ipsam Confraternitatem, ejusque corpus, & quo agitur, *sub tit. de jurisd.* pluries, ac etiam *in supplemento*, & *alibi*, supponebatur quod processus formatus contra ipsos laicos, esset jure singulari, seu personali absque aliqua mentione officii, & consequenter cessabat quæstio in radice, cum extra controversiam sit, ut personæ sæculares subjaceant foro laicali, ut locis citatis advertitur, ac etiam *hoc lib. sub tit. de Regular. disc.* 50.

CÆSARAUGUSTANA ABSOLUTIONIS

PRO CAPITULO ECCLESIÆ SANCTI SALVATORIS

CUM CAPITULO ALTERIUS ECCLESIÆ SANCTÆ MARIÆ.

Casus disputatus in Rota, decisus pro Capitulo Sancti Salvatoris.

An obtinens absolutionem ab aliquibus expressis censuris dicatur rectè ab illis absolutus, si aliis censuris non expressis innodatus esset; Et an detur absolutio ab una specie censurarum, alia firma remanente?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2. *Resolutio causæ.*
3 *An censuræ possint tolli in parte, distinguitur inter forum internum, & externum, ac etiam inter absolutionem generalem, & particularem.*
4 *Forenses non debent se ingerere in materiis fori interni, & è contra.*
5 *De eodem de quo, n.* 3.
6 *An obtinens gratiam de delicto teneatur narrare alia delicta, vel gratias?*

7 *Idem*

7 *Idem de dispensationibus.*
8 *Concordia etiam nulla excusat à censuris.*
9 *Non tenetur quis se facere criminosum, si praetendat non esse.*
10 *De distinctione censurarum specialium, & universalium.*

D I S C. XVIII.

1 RElaxatis contra Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ S.
Salvatoris declaratoriis, ob non paritionem Manda-
torum Rotalium in causa distributionum disputata in Ro-
sa, inter Canonicos, & Portionarios ejusdem Ecclesiæ; Et
quæ contumacia irritavit Tribunal Rotæ, atque alteri æmu-
lo Capitulo Ecclesiæ de Pilar ansam dedit reassumendi anti-
quas prætensiones super præeminentiis, unde propterea ob-
tinuit longè plus quam credebat, vel sperabat, juxta seriem
de qua *in Cæsaraugustana Cathedralitatis, sub tit. de praem.
disc. 3 cum seqq.* Cum ergo, & alii ejusdem Capituli Sancti
Salvatoris defensores in dicta majori causa cathedralitatis,
agnosceremus, quod nimium præjudicialis esset continua-
tio in dicto statu censurarum, & contumaciæ, consului-
mus, ut concordatis jam portionariis aliisque interessatis,
2 ac propterea secuta paritione, ob cujus defectum ac cen-
suras deventum erat, commissio super absolutione obtine-
retur, ut secutum fuit; Cùmque dictæ absolutionis con-
cessioni se opponeret dictum Capitulum Pilarense; Hinc
pro stylo Rotæ, cui commissio directa erat, datum fuit
dubium, an commissio absolutionis desuper obtenta suffra-
getur, atque post binam causæ propositionem, *sub die 20.
Januarii 1656. coram Cerro*, credo quod pro concessione
absolutionis prodierit resolutio.

In disputationibus desuper habitis, duo erant puncti; Pri-
mò scilicet in facto, an adessent aliæ censuræ, ultra illas quæ
Papæ in dicta commissione narratæ fuerunt; Et secundò po-
sito quod adessent, an id obstaret ad effectum quæstionis?

Primus punctus erat (ut dictum est) potius facti quam ju-
ris, atque ex facti circumstantiis probabilius videbatur eas
non adesse, ut etiam infra insinuatur, de hoc autem ad cau-
sæ Patronum potius agere pertinebat; Quatenus verò perti-
net ad secundum punctum juris, an scilicet concurrentibus
pluribus censuris ex diversis causis, suffragetur absolutio ab
una, vel aliquibus, aliis non narratis, multaque minus pur-
gata contumacia, ob quam aliæ censuræ incursæ, vel prolatæ
sint; Dicebam scribens pro capitulo S. Salvatoris, distinguen-
dum esse inter forum internum, & externum; Ad effectum
3 siquidem fori interni, ac pœnitentialis, circa illam absolu-
tionem, quæ à peccatis, & a censuris à confessario habente
sufficientem potestatem conceditur in administratione sa-
cramenti pœnitentiæ, advertebam quod procederent autho-
ritates Theologorum Moralium, quas plenè cumulabant
Scribentes pro oppositoribus, dum confessio sacramentalis
debet esse integra, tanquam redolens abolitionem omnis
maculæ, ac restitutionis personæ in statum gratiæ, quod se-
qui non potest ubi aliquod vinculum remaneat, quod con-
stituat animam in statu damnationis, juxta dictū Apostoli,
quod qui in uno deficit, factus est omnium reus; Et ad instar
eorum, quæ habemus apud Criminalistas in Indultis, seu
abolitionibus, ad quorum effectum omnia crimina narrare
oportet, eorumque remissionem, vel satisfactionem Partis
interessatæ habere; Potissimè verò ubi adsit perseverantia in
eo delicto, vel contumacia, quæ est causa censurarum, cùm
ita deficiant pœnitentia peccati commissi, & propositū non
peccandi in futurum, sive quibus non conceditur hujus sa-
cramenti administratio, ut latiùs per Theologos, ac etiam
4 per aliquos Canonistas, quibus me referre protestabar, cùm
incongruum videatur viro forensi, externi fori negotia per-
tractanti, in his materiis se ingerere; Sicuti è converso
professores fori interni se ingerere non debent in legalibus,
quæ ad forum judiciarium, seu externum pertinent.

5 Ad effectum autem fori externi, dicebam verius esse, ut
innodatus pluribus censuris, rectè possit absolutionem ab
una, vel ab aliquibus obtinere, ut tollat illa obstacula, quæ
ab ea specie præstantur, deinde verò obtenturus aliam abso-
lutionē ab aliis, Ad instar illius, qui duplici catena vinctus
esset, quoniam si intendit assequi pristinam naturalem li-
bertatem, atq; omnium membrorum, totiusque corporis li-
berum usum & operationem habere, utique debet omnes
catenas, vel alia vincula solvere, cùm nil referat tollere
unum, vel duo, si alia supersint; Et consequenter ubi agatur
etiam in foro externo, de impertatione absolutionis genera-
lis ab omnibus censuris, putà ad effectum capacitatis asse-
quendi beneficia, seu prælaturas cum similibus, & tunc
utique etiam in hoc foro procedant eadem, quæ in pœni-
tentiali dicta sunt, cum agitur de integro statu, ac ad effe-
ctum omnimodæ capacitatis personæ, quæ est individua,
atque non potest eodem tempore esse in statu indignatio-
nis; Secus autem ubi agatur de solutione aliquorum vin-
culorum operantium certos effectus, quos non operantur
alia, sive quia vincto ita paulatim libertatem obtinere ex-
pediat, cùm nulla ratio id prohibeat.

Siquidem si (ex gr.) quis vinctus sit compedibus, ac
etiam manicis ferreis, unde propterea habeat manus, ac pe-
des impeditos, rectè curare potest obtinere solutionē unius
catenæ, quamvis altera firma remaneat, cùm id expediat
obtinere operationem aliquorum membrorum, quamvis
non habeat illam aliorum; Quinimò in ipsismet membris
legatis duplici vinculo, uno graviori, & altero leviori, ni-
mium refert tollere unum, ut alterum tantum remaneat, ut
praxis docet in compedibus duplici diversæ speciei, quo-
niam alii sunt ferrei, qui impediunt quidem libertatem cele-
riter ambulandi ac fugiendi, sed permittunt (licèt cum ali-
quo incommodo) aliquem illorum membrorum usum, alii
vero sunt compedes trabei, seu lignei, qui impediunt usum
omnimodum; Ideoque stant benè simul, ut una species tol-
latur, & altera remaneat pro effectuum diversitate; Ut in
his terminis censurarum, ita distinguendo inter forum in-
ternum, & externum, sive inter absolutionem & habilita-
tionem generalem, ac particularem, habetur apud Covarr.
*in c. Alma mater, p.1. §.11 n.13, vers. 2. conclusio, & n.14.
in fin. vers. igitur haec septima conclusio*, Sayr *de censur.* (qui
forsan omnium pleniùs istam materiam tractat) *lib. 2. c. 19.
n. 16. & 24. c. 21. n* 21 *&* 23. benè Garzias *de benef. p. 8. c. 3. n.*
14 53. *&* 60. quem refert & sequitur Grat. *discept.* 827. *n.* 15.
Ursell. *conclus.* 10. n 68. Barb. *in c. cum pro causa. n. 4. de sent.
excom.* atque d. ratio naturalis evidenter cōvincere videtur.

Dubitandi ratio cadebat in subreptione, seu defectu 6
intentionis, ad instar eorum, quæ etiam respectu fori ex-
terni apud Criminalistas habentur in materia indultorum,
seu abolitorum, quod scilicet petens gratiam de aliquo
delicto, exprimere tenetur alia crimina, quibus innoda-
tus reperiatur; quinimò etiam ea, à quibus per aliam gra-
tiam sit jam absolutus, quando tendant in idem, seu aga-
tur de eadem specie criminis (quoties præsertim agatur de
gratia, vel abolitione particulari, quidquid sit de indul-
tis, & abolitionibus generalibus,) ex ea nimium congrua
ratione, quod facilius intrat commiseratio, vel indulgen-
tia cum eo, qui aliàs non criminosus ex humana fragilita-
te illud unicum crimen commisit, quàm cum eo qui sit so-
litus delinquere, ac plurium criminum reus ad communi-
ter notata per Bal. Castr. & alios *in l. 3. C. de Episcopali Au-
dient.* de quibus apud Tiraquell. *de pœnis temperand. caus.*
10. n 4. Franch & Add. *dec.* 330. Farin. *q. 6. n. 49. & seqq.*
Sanch. *de matr. lib.* 8. *disp.* 22. *de quibus* alii.

Ponderando in idem ea quæ habemus in materia dispen- 7
sationum Apostolicarum à pluribus impedimentis, quæ in
idem tendant, quoniam omnia narrari debent, ex illa ra-
tione differentiæ, quod pro stylo Datariæ faciliùs conce-
ditur dispensatio ab uno, quàm à pluribus tendentibus in
idem, dum aliàs fraus fieri posset, ita per plures distinctas
dispensationes singulorum impedimentorum, tollendo il-
lud obstaculum, super quo vel non concederetur, vel dif-
ficiliùs dispensatio, ut apud Sanch. *ubi supra*, Pirr. Corrad.
in ejus praxi dispensationum, cum aliis per modernos Col-
lectores, vel practicos.

Verùm dicebam quod objectum alias considerabile, in 8
hac facti specie cessabat ex altero fundamento facti, quod
scilicet, dubiæ, ac incertæ essent aliæ censuræ, quæ per
oppositores objiciebantur, ob quosdam prætensos recursus,
vel ob prætensam non paritionem aliquorum antiquorum
mandatorum Rotalium in causa præeminentiarum, inter
easdem Ecclesias, vel Capitula; Quamvis enim adessent
aliquæ declaratoriæ a quibus annis relaxatæ, attamen vide-
bantur sublatæ per quandam concordiam, quæ ubi etiam
ob defectum beneplaciti Apostolici, seu alias invalida, vel
impugnabilis esset, adhuc tamen a censuris, & contuma-
cia excusat, ut apud Dunozett. sen. *dec. 34. repetit. dec.* 585.
p. 1. rec. & apud Rojas *dec. 364. & habetur supra, disc.* 5.

Unde propterea oportebat prius formiter disputare, an 9
adessent, necne istæ aliæ censuræ, atque hoc posito, dice-
bam quod nulla subesset necessitas illas narrandi, vel earum
absolutionem quoque obtinendi, cùm nullibi in jure cau-
tum sit, ejusque principia, & ratione potiùs repugnent, ut
teneatur quis fateri delictum, ejusque reum se facere, quan-
do probabiliter credere potest, se esse ab illo immunem; Ista-
que

quæ statim pro meo judicio de plano tollebat difficultatem, quæ aliàs fuisset considerabilis.

De istis autem censuris, à quibus totum ut supra hujus Ecclesiæ, & Capituli præjudicium provenit, habetur mentio in alia *Cæsaraugustana Cathedralitatis*, *sub tit. de benef. disc.* 23. ubi de distinctione censurarum singularum afficientium personas, & generalium afficientium corpus, quodque absolutio, vel exemptio ab una specie, sit compatibilis cum permanentia, & duratione alterius, ex ibi deductis.

FAVENTINA CENSURARUM.
PRO CURIA ARCHIEPISCOPALI,
CUM ANTIANIS OPPIDI BAGNACABALLO.

De eadem materia validitatis, vel invaliditatis declarationis incursus censurarum contentarum in Bulla Cœnæ, obturbatam, vel impeditam Ecclesiasticam jurisdictionem.

S U M M A R I U M.

1 *Fines jurisdictionis temporalis solent esse diversi à finibus spiritualibus.*
2 *Quod aliquando Episcopis non permittatur exercitium jurisdictionis in causis mixti fori.*
3 *De feudo devoluto, & consolidato.*
4 *De privilegiis Ferrariæ, & Urbini.*
5 *Facti series.*
6 *Resolutio, ejusque ratio.*
7 *Justa causa excusat ab incursu censurarum.*
8 *Solent fieri resolutiones ex motivis ignotis ipsismet defensoribus.*
9 *Testes de familia Curiæ non sunt idonei.*
10 *In censuris requiritur citatio personalis.*
11 *De Bulla Cœnæ contra impedientes jurisdictionem, quando procedat.*
12 *Quare Advocati scribant sustinendo censuras.*
13 *Declaratur conclusio, de qua, n.9.*
14 *Quando procedatur ad pœnas contumaciales.*
15 *De eodem circa pœnas spirituales.*
16 *Quæ sit pœna gravior an corporalis, vel spiritualis.*
17 *De eadem conclusione, de qua, n. 9. & 13.*
18 *Quando præstetur fides testibus minus idoneis.*
19 *Declaratur conclusio, de qua, n. 10.*
20 *Quando citatus habeatur pro citato.*
21 *Malè citatus si habeat notitiam, sufficienter.*
22 *De eadem conclusione de qua, n. 11. declaratur.*
23 *Quod communitate dicantur personæ potentes.*

D I S C. XIX.

1 Contingente in hoc oppido Bagnacaballo, illa diversitate finium temporalium, vel spiritualium frequenter
enunciata *sub tit. de jurisd. disc. 1. cum seq. & sub tit. de præem. disc. 29.* & alibi; Quia nempè in spiritualibus sit intra fines
diœcesis Faventinæ provinciæ Æmiliæ, seu Romandiolæ. Status Ecclesiastici immediati, in temporalibus verò intra
fines Ducatus Ferrariæ, qui ante devolutionem enunciatam *sub tit. de feudis, disc. 2. & 40.* erat sub diverso Principe; Cùm forsan antiquitus sub proprio Principe, saltim
de facto, practicaretur idem, quod in aliquibus Italiæ
2 Principatibus practicari videmus, quod Episcopis non de
facili permittitur exercitium gladii temporalis. & familiæ
armatæ cum laicis in causis pecuniariis, seu aliàs profanis,
ut insinuatur *infra, disc. 21.* Quamvis ob devolutionem
Ducatus prædicti per reversionem ad suam primævam causam,
3 Ille effectus fuerit de eodem Statu immediato, unde
proptereà practicari debeat id, quod de jure dispositum in
reliquo Statu practicatur jure illius consolidationis, de
qua agitur, *dicto tit. de feud. disc* 83.

Attamen dum Clemens VIII. in adeptione possessionis illius feudi, quam personaliter facere voluit, ut illorum populorum benevolentiam captaret, plura privilegia concessit,
4 ut ita sub Cardinali Legato continuarent eo modo quo sub
proprio Duce, ut advertitur *sub tit. de jurisd. disc.* 80. quod
ad instar fecit etiam Urbanus VIII. in Statu Urbini, ut habetur *d. disc. 83. de feud. & disc. 2. de donat. & alibi*, exinde
resultat quædam opinio, seu prætensio illorum populorum
continuandi in eisdem usibus, vel stylis, cum quibus etiam
de facto sub propriis Ducibus vivebatur, ut præsertim docet
praxis casus, de quo agitur *sub tit. de Regal. disc. 55. seu 56.*

Cùm itaque Episcopus in visitatione compertisset nonnullos oppidanos sæculares, esse debitores aliquorum piorum
locorum, atque negligere solutionem, unde proptereà fecisset
monitionem generalem comminando carcerationem realem 5
ac personalem, idque totus populus, eorumque vice illi de
Magistratu, qui Antiani dicuntur, ægrè ferrent, curarunt
proinde obtinere quandam inhibitionem ab officialibus Legationis Ferrariæ, qua freti, cum publica resistentia, ac rebellione eripuerunt à familia Curiæ Episcopalis unum ex
dictis debitoribus jam carceratum ea causa prædicta, impediendo quoque, ne ad aliorum carcerationem procederetur,
cum formali scandaloso tumultu, comminando etiam eidem familiæ trucidationem, ac etiam invocationem populi ad sonum campanæ, eo modo quo contra bannitos, ac
malefactores practicari solet; Unde proptereà Vicarius generalis, capta desuper informatione per depositionem eorumdem de familia, præviaque monitione domi, seu per
edictum, præfatos Antianos, ac alios, qui Episcopalem
jurisdictionem ita scandalosè turbaverant, incursos declaravit in censuras contentas in Bulla Cœnæ Domini, contra
impedientes, ac perturbantes Episcopos, aliosque Prælatos,
ne suam jurisdictionem exerceant; Quare censuratis recurrentibus ad Sac. Congregationem Immunitatis, assumpta 6
disputatione super consueto dubio, an censuræ sustineantur, negativa prodiit resolutio de anno 1661.

Quamvis autem per Scribentes hinc inde, in puncto juris deducerentur ea, de quibus infra; Nihilominus ea per S.
Congregationem revera parum examinata fuerunt, quoniam unica resolutionis ratio fuit dicta inhibitio Cardinalis
Legati, vel ejus officialium; Tum quia malè se gessisset dicta
familia Episcopi, illi non parendo, donec obtineretur moderatio ex vulgari regula, de qua pluries *sub tit. de judiciis*
in materia attentatorum, quod inhibitio, sive justa, sive injusta est timenda; Tum etiam, quia visum fuit, ut inhibitio
præfata præbuisset dictis Antianis, & aliis justam causam 7
credendi, quod licitè pro ejus observantia resistentia fieri
potuerit, & consequenter, quod non adesset contumacia,
seu malitia positiva, quæ necessaria videtur pro incursu hujusmodi gravium censurarum, non de facili dando sine culpa positiva & tali, quæ peccatum mortale redoleat, ex deductis per Fagnan. *in c. ad hæc n.68. de Religios. dom.* & habetur *supra, disc.5.* in proposito excusationis censuratum ob
aliquam concordiam licèt invalidam.

Unde proptereà edocemur id, quod advertit in specie
Rovit. *dec 49. n.13.* ac pluries insinuatur alicubi, quod scilicet, à magnis præsertim, ac supremis Tribunalibus Collegiatis, frequenter prodeunt decisiones ex motivis nullatenus
tactis per causarum defensores hincinde; Quod improbandum non est; Benè tamen, ubi stylus est edendi decisiones,
parum commendabile videtur, occultando motiva, quæ
fuerunt causa resolutionis, vel illa leviter attingendo, ad
decisionis ornatum, deducere parum tutas conclusiones
præjudiciales in aliis causis, ut advertitur *in relatione, & praxi Curiæ, sub tit. de judic.* occasione agendi de Auditorio Rotæ ejusque decisionibus.

In disputationibus itaque desuper habitis, Scribentes pro
censurarum validitate, plura deducebant fundamenta; Primò nempè defectum probationis præsuppositæ resistentiæ,
ac turbationis non aliunde probatæ quàm per depositionem 9
eorumdem birruariorum, seu illorum de familia, qui plena
fide indigni sunt, ex plenè deductis per Farin. *q. 32. n. 80. & q.56. n.370. & seqq.* cum aliis de quibus infra; Secundò ex
defectu citationis personalis, sine qua non datur vera contumacia, quæ ad censuratum, præsertim adeò gravis excommunicationis contumacialem prolationem necessaria est, ex
relatis apud Sperell. *dec.48* & est absolutum utriusque civilis, & canonici juris principium, ut non detur vera contu- 10
macia sine scientia, ut in sua sed *sub tit. de judic.*

Et tertiò fortiùs ratione injustitiæ, quoniam Bulla Cœnæ, ut advertitur *disc præcedenti*, procedit contra impedientes, vel turbantes Ecclesiasticam jurisdictionem au- 11
thoritativè, seu jurisdictionaliter, non autem de facto cum
authoritate privata, juxta opinionem plurium, quos refert
Duard. *ad hanc bull. c. 16. q.4.* ac referunt alii tenentes contrarium, de quibus infrà.

Singula igitur dicta objecta rejiciendo, ego & alii Scribentes pro Curia Episcopali, (pro consueto tamen pluries 12
enunciato stylo sustinendi scilicet hujusmodi censuras,
non in odium censuratorum, & in parte odibili, sed in gratiam Episcopi pro sustinenda ejus dignitate.

Quatenus pertinet ad primum, dicebamus, quod licèt regula sit talis, ut hujusmodi ministri Curiæ non sufficiant ad 13
perfectam, & concludentem probationem delicti, attamen
bene

bene sufficiunt ad torturam, ut post Isern. & Afflict. ac alios habetur apud Franch. *dec.* 379. & Add. & Sperell *dec.* 149. *n.* 22. Hoc autem posito resultat, ut licèt transmitti possit inquisitio, seu monitorium, quodque contra contumacem procedi valeat ad condemnationem contumacialem,
14 etiam banni capitalis, quod in Regno Neapolitano sub termino, seu vocabulo forijudicationis explicatur, juxta ubique receptam praxim, de qua apud Clar. §. *fin.* q. 11. *n.* 2. *& seqq. & q.* 44 *n.* 10. aliosque practicos Criminalistas, & præsertim apud Sciallo *jam in tract. de forijudicatione*.

Ac propterea quemadmodum ita ad condemnationem
15 contumacialem, ac pœnam ordinariam corporalem procedi potest, ita facilius dicendum est procedi posse ad istam pœnam spiritualem, ut in specie aliis relatis habetur apud Carthar. *dec.* 82. *n.* 51. Sperell. *dec.* 48 *& dicta dec.* 149. *n.* 22.

Quamvis enim discurrendo intellectualiter, gravius pœna reputetur excommunicatio major, quàm pœna capitalis,
16 dum ista occidit solùm corpus caducum, & corruptibile, quod jam est moriturum, illa verò causat mortem æternam animæ nobilioris, ac immortalis, ut alibi quoque insinuatur; Attamen de facto, pœna capitalis longè gravior reputatur, magisque circumspectè ad eam procedendum est, ratione scilicet irretractabilitatis, quodque detecta nullitate, vel injustitia condemnationis, non remanet consultum indemnitati ejus, qui condemnatus est, si interim condemnatio excutioni demandata fuit; Potissimè quia hujusmodi condemnationes contumaciales cum banno capitali, secus trahunt etiam præjudicium animæ, dum ex improviso, etiam per insidias à quocunque impunè occidi possunt, neque cum eis adhibentur illæ adeò exactæ spirituales diligentiæ, quæ adhibentur cum illis, qui occiduntur per manus carnificis. Ideoque si semiplena probatio sufficiens ad tormenta, juncta cum contumacia, reputatur apta ad dictam condemnationem capitalem, rectè videtur etiam apta ad hunc effectum, qui saltem ratione retractabilitatis est minus præjudicialis, ac etiam quia ratione frequentiæ non videtur hodie ista pœna spiritualis quoad Mundum producere illam infamiam, aliosque pœnales effectus corporales, quos antiquitus producebat, ut in perjurio quoque praxis docet, ideoque meritò per Sac. Conc. Trid. & per alia Apostolica decreta, censurarum facilitas, & frequentia damnatur.

Clariùs verò in hac facti specie, quia concurrebat notabi-
17 lis numerus ministrorum Curiæ, dum erant quinque, ac ulterius aliæ accedebant probationes adminiculativæ per aliquos testes deponentes de fama publica, & de aliis argumentis, exponderatis per Sperell. *ubi sup.* Potissimè dum agebatur de facto, quod de sui natura erat difficilis probationis, cùm esset delictũ potius populare, & è contra omnes, qui ad tumultum accurrerunt, erat potiùs principales delinquentes, & qui quatenus aliqui absq; reatu bono animo accurrissent; Attamè incertum erat, quoniam isti essent, & quatenus eorum scientia haberetur, atque non deposuissent contra Patriam, & populum, neque tunc expediebat, ut in eo populi calore officiales curiæ Episcopalis ad illum locum accessissent, ne id scandali majoris occasionem præberet, unde propterea intrare dicebam receptam ac frequentem conclusionẽ, ut in iis, quæ sunt de sui natura difficilis probationis,
18 ista leviter sufficiat, & admittenda sit, atque præstetur fides testibus quamvis alias exceptione elidibilibus, ex relatis per Farinac. q. 63. Butatt. & Add. *dec.* 143. 194. *&* 665. Mantic. *dec.* 112. *& communiter*; Atque revera illud objectum non habebatur in consideratione, cum casus redoleret speciem facti notorii, in quo casu non attenduntur apices juris, ex collectis per Sperell. *dicta dec.* 48. *n.* 43. *& seqq. & per tot.*

Minus considerabile videbatur alterum objectum deficientis citationis personalis, sine qua non datur vera con-
19 tumacia, ex plenè pariter in his terminis censurarum relatis, per Sperell. *dicta dec.* 48.

Admittebam siquidem veritatem conclusionis in casu sup., ubi scilicet agatur de censuris contumacialibus ab homine proferendis in pœnam delicti, vel contumaciæ, & inobedientiæ, quia nempe Episcopus, vel alter superior Ecclesiasticus mandet subdito, ut coram se compareat, sive aliquid adimpleat sub pœna excommunicationis, ad quam authoritate sua procedat pro punitione contumaciæ, & inobedientiæ, cùm tunc requiratur contumacia vera, & formalis, quæ regulariter non habitur sine scientia, quæ graviter præjudicialibus debet esse omninò certa, & non admittitur præsumpta, ex plenissimè cumulatis per Adden. *ad dec.* 542. *n.* 98. *p.* 4. *rec. tom.* 3. & passim, cùm sint principia vulgaria, & quotidiana, ideoque meritò necessaria est saltem prima citatio personalis, ut occasione contumacialis judicii, quod in Curia dicitur pro contradicta, sive occasione declaratoriæ; ad quam, ob non paritionem procedi solet, habetur in sua *sede sub tit. de judic.* Secus autem ubi non agatur de censura hominis, ratione contumaciæ, & inobedientiæ, sed potiùs de censura legis, quam superior solum declarat, seu denunciat populo, cum tunc dicatur potius species actus extrajudicialis, in quo citatio adhiberi solet ex quadam urbanitate ad effectum, ut ita monitus ille, qui jam à lege præsupponitur censuratus, aliquam excusationem deducere valeat, ideoque non agitur de illa contumacia, quæ est censurarum fundamentum, ut advertitur *in Massanen. disc.* 13. *& in aliis*, *hoc eod. tit.* & apud Sperell. *dicta d. c.* 48.

Et nihilominus etiam in casibus, in quibus citatio personalis regulariter necessaria est, adhuc recepta est limitatio *in dicto tit. de judic.* pluries deducta, ut cesset quando
vel ratione potentiæ ob non tutum accessum, vel ratione 20
affectatæ latitationis, aliàs citatio non est practicabilis, quoniam tunc in odium impedientis ille habetur pro citato, ut etiam desuper plura cumulantur apud Sperell. *dicta dec.* 48. & per alios modernos passim, cum sint principia hodie notoria.

Accedentibus quoque duabus aliis circumstantiis; Pri- 21
mò nempè præsupposito stylo illius Curiæ illamque partium; Et secundò quia dabantur sufficientes justificationes, quod citationes factæ domi per edicta verè devenissent ad notitiam citatorum, quo casu id sufficit cùm ad alium finem citatio non requiritur, nisi pro notitia, ut pariter ad satietatem colligit idem Sperell. *dicta dec.* 48. *n.* 37. & pluries advertitur *dicto tit. de judic.*

Major itaque difficultas consistebat in tertio objecto, an scilicet intrarent censuræ contentæ in Bulla Cœnæ, dum agebatur de delicto resistentiæ, vel inobedientiæ commisso ex privato, non autem authoritativo, ac jurisdictionali jure.

Quamvis etenim alii pro hac parte scribentes elaboratè 22
cumulaverant plures relatos per Bene *de immunit. tom.* 1. *c.* 3. *dubit.* 10. *sect.* 2. *n.* 11. *& dubit.* 21. *sect.* 2. Alfons. de Leon. *de censur. recollect.* 4. *lit. I. verbo impedientes*, ut scilicet per quoscunque impedientes Ecclesiasticæ jurisdictionis exercitium, ista censura incurratur; Attamen pro meo sensu probabilior videtur altera opinio, quam tenent Duard. *ad eand. bull.* & alii, ut advertitur *disc. præcedenti*, quod scilicet procedat contra eos, qui jurisdictionaliter, ac in ratione authoritativa id agant; Sive quod dicta prior opinio verius recipienda veniat, etiam ubi impedimentum præstetur ab eo, qui non sit publicus officialis, vel Magistratus habeat jurisdictionem laicalem, cum qua in forma judicii impedimentum præstet, sed sit persona potens cum illa specie potentiæ, quæ in populo potiùs publica, quàm privata dicenda veniat, ut (ex. gr.) sunt Barones & Domicelli qui licèt non habeant jurisdictionem in exercitio, quod est pœnes Judices, & Magistratus, eam tamen habent in dominio; Sive quod eis debetur quædam reverentia, seu obedientia, ob quam spectato effectu, iste sit idem; Secus autem ubi ipse reus curet facere resistentiam Curiæ, donec impediat exercitium jurisdictionis superioris, non per speciem turbationis, vel usurpationis jurisdictionis, aut positivi contemptus, sed principaliter ut se eximat, atque molestias personales, vel reales evitet per speciem illius defensionis, quàm natura docere videtur; Idemque ubi non ipsemet carceratus, vel carcerandus hanc resistentiam faciat, sed eam faciant ejus amici, vel benevoli, quamvis potentialiter, ac armata manu, cùm id non nisi per hanc viam sequi valeat, semper tamen dicitur privatum delictum resistentiæ, & exemptionis, non autem formalis turbationis jurisdictionis; Atque cum hac distinctione conciliabiles videntur dissidentes Moralium opiniones.

Applicando autem ad rem; Quando dicta inhibitio officialium Legationis, juncta cum opinatione, de qua supra, non præbet illam excusationem, cui verè S. Congr. innixa est; Tunc dicebam (etiam in sensu veritatis,) quod rectè dici posset formalis turbatio publica, & authoritativa, & consequenter, quod intraret Bulla Cœnæ, dum
delictum factum non erat principaliter ad eximendum il- 23
lum carceratum, ex affectione privata, sed potiùs per Magistratum communitatis, & per populum jure publico, negando Episcopi jurisdictionem, seu potestatem, ideoque rectè intrabat ratio potentiæ, ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de jurepatr. præsertim*, *disc.* 58. ut Communitates, Baronibus, ac Domicellis exæquatæ sint, atque dicantur etiam personæ potentes.

NEA-

NEAPOLITANA CENSURARUM PRO PIO FRANCISCO DE RUBEIS.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro eodem.

An, & quando occidens vel graviter percutiens Clericum ex causa defensionis vitæ, vel honoris, sive ex causa indignationis, vel magnæ provocationis, evitet censuram contentam in Canon. *si quis suadente diabolo*?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De excommunicatione ob percussionem clerici.*
3 *Declaratur ubi sit appensata, & dolosa.*
4 *Vel ubi percutiatur Clericus inventus in fornicatione cum ampliationibus.*
5 *Item si ex causa defensionis.*
6 *Declaratur quomodo debeat esse modus defensionis.*
7 *De differentia inter censuram, & irregularitatem.*

D I S C. XX.

1 CUm juxta seriem alia occasione enartatam *sub tit. de fideicommissis, disc.* 149. Pius Franciscus, vitæ militaris professor, actu deferens gladium, verbis, ac factis graviter injoriatus, ac provocatus esset à sacerdote sæculari minante etiam cum quodam repagulo seu gravi fuste apto ad occidendum eum offendere, ipseque evaginato gladio eum occidisset, unde propterea Curia laicalis illum impunibilem declaravit; Curia Archiepiscopalis per publicos Cedulones eundem declaravit incursum in excommunicationē majorem contentam in Canone, *si quis suadente diabolo*; Quare appellatione interposita ad A.C. sententiam reportavit super non incursum censurarum, prædictam declarationem Ordinarii infirmando, atque mihi pro dicto Pio Francisco, præter stylum scribendi ea eodem motivo enunciato, *d. disc.* 149. (reflectendo etiam ad solam veritatem) ista posterior resolutio justa, benèque fundata visa est.

2 Non negabam siquidem notoriam, & quotidiè practicatam dicti Canonis dispositionem, ut pro clerici homicidio, vel alia gravi percussione incurratur major excommunicatio Papæ reservata, pro cujus absolutione tenetur censuratus personaliter Urbem adire, quando ab eodem Papa per organum Pœnitentiariæ non dispensetur ea justa causa ætatis, vel infirmitatis, aut inimicitiarum, vel similis, ut etiam advertitur *disc.* 21.

Dicebam tamen, ut id procedat quando agatur de crimine doloso, & appēsato, non autem ex inconsulto calore iracundię, unde vitium calumnię absit, ut clarè probant prima
3 verba Canonis præsupponentis, suadente diabolo id patratum esse, & est communis traditio DD. *c. significasti il* 2. *de homicid. c. cum voluntarii de sentent. excommunic.* ex relatis per Sayr. *de cens. lib.* 3. *c.* 27. *n.* 20. *cum seqq.* Carol. de Graff. *eff. cleric.* 9. *n.* 186. *& seqq. & n.* 280. Bellett. *disquis. cleric par.* 1. §. 2. *n.* 9. Fagnan. longè post hanc disputationem editos, *in c. cum voluntate n.* 29. *de sent. excomm.*

Atque literaliter probat textus *in c.* 3. *de sent. excommunic.* obi disponitur quod percutiens clericum, qui sit in-
4 ventus fornicari cum uxore, vel sorore, aut filia, vel matre, tanquam ea justo dolore excusabilia, hanc excommunicationem non incurrat; Idque communiter ampliatur per DD. ad alium casum, cui eadem ratio congruat, putà quia invenerit cum aliqua ex prędictis, vel cū sponsa de futuro, sive cum alia conjuncta, in qua pro moribus regionis idem intret justus dolor, inhonestos actus agentem, ut patet ex supra allegatis, quoniam casus positus per textum stat demonstrativè, seu exemplificativè, non autem taxativè, dum punctus est in justo dolore exclusivo præmeditatæ offensæ, quæ cum Dei injuria clerico fiat, unde propterea quoties percussor ea gravi injuria irritatur, vel etiam fortiter provocatus sit, ab hac censura excusatur.

Clariùs verò, quoniam in hac facti specie, non solùm accedebat dicta causa justa doloris resultantis à receptis injuriis eo gravioribus, dū agebatur de viro nobili, ac profes-
5 sore armorum, actualiter deferēte ensem, attentis pręsertim moribus illius Civitatis, sed etiam accedente alia justa causa defensionis propriæ vitæ, dum occisus accepto quodam gravi fuste ligneo, cum quo januæ claudi solent, apta etiam ad occidendum, percutere minabatur, unde propterea dici quoque poterat, ut fuisset homicidium ad defensionem propriæ vitæ, pro quo certum est hanc excommunicationem non incurri ad text. *in dict. c.* 3. *de sent. excomm.* cum concordantibus per DD. supra allegatos, ac Farin. *q.* 24. *n.* 32. & latiùs *q.* 126. & per omnes passim.

Adversus hoc motivum, replicabatur per Scribentes in Curia pro promotore fiscali Curiæ Archiepiscopalis quod ista non esset justa defensio, cùm illa talis dicatur quando sit cum moderamine inculpatæ tutelæ circa tempus, mo- 6
dum, & causam, ex plenè deductis per Moron. *conf.* 13. ubi de ista materia occasione agendi de incursu irregularitatis pro homicidio ex causa defensionis.

Replicabam tamen, terminos esse longè diversos; Ad effectum siquidem irregularitatis, rigorosè proceditur circa præcisè necessariam defensionem, ac moderamen inculpatæ tutelæ, dum etiam pro homicidio, vel gravi vulnere casuali, seu ex justo dolore, vel provocatione, irregularitas incurritur, quinimò etiam pro nullatenus peccaminoso homicidio causali ea sola ratione quod daretur causa rei illicitæ juxta causas textus *in c. continebatur*, c. *suscepimus cum seq.* 7
de homicid cum Concordantibus per Fagnan. *in c. ad audientiam ex n.* 17. *de homicid. volunt.* Secus autem ad effectum hujus excommunicationis, à qua, ut dictum est, sufficit abesse dolum, ideoque non tenetur ille, qui se videtur in aliquo periculo constitutum, tenere libram in manibus, ut cæteris relatis in his terminis censurarum advertunt Sayr. *dict c.* 17. *n.* 19. & 20. Carol. de Graffo *dict. effect.* 9. *n.* 263. & alii de quibus supra; Et præsertim inæqualitas armorum non attenditur, ubi aggressus, alia arma non haberet, nisi ensem, ut advertitur etiam per Moron. *d. conf.* 13. *n.* 25. Cùm enim excommunicatio major, ut alibi *hoc eodem tit.* ad hanc materiam censurarum advertitur, importet gravem pœnam ordinariam assimilatam pœnæ capitali, hinc sequitur, ut ab ista quælibet causa justa caloris, vel indignationis excusare debeat. Ponderando potissimè quod ubi etiam aggressus potuisset cum simili repagulo, vel cum fuga se defendere, attamen cùm ageretur de viro nobilium natalium, & armorum professore, actualiter deferente ensem, pro moribus regionis gravior injuria fuisset id agere, unde propterea dicebam de plano imitare traditionem Bart. *in l. ut vim, ff. de just. & jur.* quæ ob quandam parificationem, pro illorum temporum forsan conditione ab eo deductam, etiam apud non professores celebris, nimiùmque famosa est.

CASTRI MARIS, VEL STABIEN. CENSURARUM PRO DIVERSIS PERSONIS CUM EPISCOPO, SEU PROMOTORE FISCALI,

Casus disputatus in signatura Justitiæ, resolutus pro hac parte.

An absolutio à censuris Papæ reservatis, obtenta à quolibet probato, & legitimo confessario in vim Jubilæi suffragetur pro censuris in judicium deductis, per publicos Cedulones jam declaratis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Jubilæum non suffragatur pro censuris, & pœnis fori externi judicialis.*
3 *In quo consistat peritia Judicantium, vel Consulentium.*
4 *Declaratur conclusio, de qua, n.* 2.
5 *Quod in Regno Neapolitano non permittatur Episcopis cognitio causarum mixti fori.*
6 *Denunciatio excommunicationis a jure non importat veram jurisdictionem.*
7 *Percussor clerici, quam pœnam quoad forum Ecclesiasticum incurrat.*
8 *Quid operetur Jubilæum juxta conclusionem, de qua, n.* 2. & 4.
9 *De eodem, & de differentia inter excommunicatos a Judice, & declaratos, vel denunciatos incursos.*

D I S C. XXI.

PAtrato per plures sęculares hujus Civitatis homicidio in persona clerici in sacris; Episcopus, servatis servandis, per publicos cedulones, illos declaravit incursos in majorē excommunicationem Apostolicæ Sedi reservatam contentam *in can. si quis suadente diabolo*; Aliam verò Inquisitionem formavit Curia sæcularis, a qua, sive ab alio supremo magistratu, obtenta remissione Partis offensæ, mediante quadam compositione, absolutionem reportarunt; Cùmque 1

que in hoc statu, Clemens IX. Jubilæum pro stylo novorum Pontificum publicasset; idcircò in ejus vim dicti censurati, habita jam Partis remissione, a quodam privato probato confessario ab excommunicatione absolutionē reportarunt, ejusque fidem præsentando Episcopo, institerunt pro remotione cedulonum, à cujus denegatione appellantes ad A. C. provisionem super eadem remotione obtinuerunt; Quare Episcopus, vel ejus promotor fiscalis, prætendendo, quod nullum adesset gravamen, quodque proptereà A. C. desuper manus apponere non posset, adiit Signaturam Justitiæ pro remissione causæ ad ejus Tribunal, sed petitio rejecta fuit, cum solito rescripto *nihil*.

In disputatione autem desuper habita; Scribens ego pro
2 dictis appellantibus, non negabam veritatem assumpti, quod relatis pluribus modernis Moralibus, præsertim *Diana* de hac Jubilæi materia agentibus, deducebatur ex parte Episcopi, quod scilicet Jubilæum suffragetur quoad ea quæ concernunt forum internum, non autem tollat pœnas fori externi pro delictis, quæ jam in judicio deducta sint, ut præsertim habemus in irregularitatibus contractis ratione homicidii, vel alterius delicti publici, ac in judicio deducti, cum similibus.

Dicebam tamen, fallaciam consistere in applicatione, in
3 que congruè, vel incongruè facienda, hodie pro meo sensu tota vis consistit; Ob scriptorum etenim ac decisionum Tribunalium, & sacrarum Congregationum copiam, penè omnes illę quæstiones juris in abstracto, quę apud antiquiores erant nimium involutæ, hodie explanatæ videntur; Statuta jam regule juxtà eam opinionem, quæ magis probabilior visa sit majori parti DD. Pro limitatione autem recipiēdo alterām opinionem; unde propterea totus punctus est in applicatione, cujus principalis regulatrix est distinctio casuum, seu circumstantiarum facti, ac propterea in foro us plurimum clarus error est cum generalitatibus procedere, studendo cum improbo labore indigestè consarcinationi conclusionum ac doctrinarum, nullatenus autem reflectendo ad benè distinctam notitiam facti, atque ad combinationem circumstantiarum illius casus, qui est in quæstione, cùm circumstantiis aliorum casuum, de quibus Tribunalium decisiones, vel juris Consultorum Responsa, aliæque doctrinæ loquuntur, ac propterea perniciosus est simplicium Collectorum usus, non benè expendendo authoritates, quas ipsi in confuso congerunt, ac non distinguendo triticum a palea.

Applicando itaque ad rem; Quando ageretur de excommunicatione lata ab homine in pœnam ipsius homicidii, si-
4 ve in pœnam contumaciæ, & inobedientiæ non comparendi cor. Episcopo, vel alio Ecclesiastico superiore, qui esset Judex competens delinquentis, etiam pro punitione delicti, quia nempè delinquens esset clericus, vel etiam laicus in illis locis, in quibus conceditur Ordinariis locorum competentia, seu cognitio criminum, mixti fori cum sæcularibus; Et tunc admittebam dictum assumptum, quod Jubilæum in hoc non suffragentur, quoad forum externum, atque absolutio ejus vigore obtenta non tollat censuras à judice, vel superiore illatas, tanquam per speciem pœnæ, quoniam omne quodque solvendum est eo modo quo ligatum fuit, atque aliàs ob frequentē usum hujusmodi spiritualium elargitionum, præsertim in ingressu cujuslibet novi Pontificis esset allicere, præsertim personas Ecclesiasticas ad delinquendum, sub fiducia hujusmodi absolutionum, quæ frequenter practicantur.

Id autem ad hanc facti speciem applicabile non erat, quoniam pro ipso crimine homicidii delinquentes jam puniti fuerant à proprio Judice laico, cui visum fuit (forsan ex fa-
5 cti qualitate,) illos admittere ad compositionem, & sic punire potiùs in ære, quàm in corpore, adeout si occisus fuisset sæcularis, nullæ desuper fuissent partes Episcopi; Quinimò quoad punitionem ipsius homicidii, pariter nullæ partes ejusdem Episcopi de facto erant, quamvis occisus esset clericus in sacris, cùm in eo Regno, (sive ex explicito privilegio Apostolico Papæ Honorii III. ut aliqui putant; Sive ex illo implicito, quod in vim antiquæ consuetudinis allegari valeat, sive ex alia causa, super quo veritati locus relinquatur) de facto non permittatur Episcopi, & locorum Ordinariis se ingerere cum laicis in hujusmodi criminibus mixti fori, ut advertunt Ruvit. *in pragm.* 3. *de jurisd. invicem non turban.* Bajar. ad Clar. §. *fin.* q. 37. *n.* 2. Duard. *ad Bull. Cœna canon.* 16. q. 5. & alii.

Alias itaque partes Episcopus non gesserat, nisi illas, pu-
6 blicatoris, seu denunciatoris incursos excommunicationis latæ à jure *in dicto canone, si quis suadente diabolo*, quod ubi

Card. de Luca, Lib. XIV.

præsertim factum sit certum, & notorium, non redolet actum jurisdictionalem, vel judicialem, dum etiam contra non subditos, atque in forma potiùs extrajudiciali, quàm judiciali, deveniri potest ad hujusmodi declarationem ita directam ad spirituale regimen propriarum ovium, ut sciant morbidam, seu infectam pecudem, à cujus commercio cavere debent, ut pluries in præcedentibus advertitur.

Ista verò excommunicatio lata à lege contra eum, qui 7
pro ipso crimine subjectus est aliis pœnis temporalibus, à proprio Judice competenti inferendis, aliam non importat obligationem, nisi illam, personaliter accedendi ad pedes summi Pontificis, ejusque Curiam, adeundi, ut ab eo per organum summi Pœnitentiarii ejusque coadjutorum, qui in Urbis Patriarchalibus Basilicis deputati sunt, absolutionem obtineat, injuncto onere satisfactionis Partis offensæ, qua secuta; obtentaque consueta attestatione Regentis Pęnitentiæ super jam concessa absolutione, tunc Ordinarius, qui ad censuratum declarationem processerat cum affixione cedulonum, istorum remotionem negare non potest, aliam non habendo cognitionem, nisi illam recognitionis dictæ attestationis præfati Regentis, an sit vera, vel conficta, sive etiam cognoscere, de purificatione conditionis contentæ in eadem absolutione super satisfactione scilicet Partis offensæ, quibus concurrentibus, cedulonum remotio negari non potest.

Id autem, quod isti censurati reportassent accedendo ad 8
Urbem, ita obtinuerunt mediante Jubilęo, cujus operatio in hoc consistit, ut remittat necessitatem hujusmodi accessus, ob communicationem concessam cuilibet probato confessario illius facultatis, quam habeant Pœnitentiarius major, ejusque adjutores, & ministri ut supra, atque per speciem illius particularis dispensationis ab accessu ad Urbem, quæ ab eodem Tribunali Pęnitentiarię hujusmodi excommunicatis concedi solet ex causa infirmæ valetudinis, vel gravis ætatis, aut inimicitiarum, & simili; Et sic cognitio, quam Ordinarius, ante remotionem cedulonum prætendere poterat consistebat in recognitione satisfactionis, seu remissionis Partis, & super veritate attestationis confessarii, circa concessionem absolutionis, tam de facto, quàm de jure, quod scilicet illa attestatio esset vera, illeque confessarius esset verus, & approbatus.

Clarè ista probari observabam ex tenore ejusdem Consti- 9
tutionis editę super concessione Jubilęi, dum expressè loquitur de publicè denunciatis, seu declaratis incidisse in censuras, aliam non adjiciendo legem, seu conditionem, nisi illam satisfactionis Partis; Dum enim supponitur publica denunciatio, seu declaratio, ita in verbis agitur de illo casu habente speciem judicialis, & authoritativi actus facti per Ordinarium, vel alium Ecclesiasticum superiorem, ad quem pertinet; Ponderando quod mysteriosè Papa loquitur, non de publicè excommunicatis, vel aliàs censuratis, sed de publicè declaratis, vel denunciatis, cùm isti termini sint inter se diversi, quoniam (ut præmissum est;) Aliud est censura hominis, quam ipse superior Ecclesiasticus exercendo usum clavium, inferat in pęnam delicti, vel contumaciæ authoritate sua; Aliud verò est censura legis, in qua Ordinarius, vel alter Prelatus gerat solum partes publicatoris, vel denunciatoris; Ideoque sicuti hujusmodi censuratis accedentibus ad Urbem ac reportantibus absolutionem ab uno ex confessariis deputatis per Pœnitentiariam, doctoque de satisfactione partis offensæ, per Ordinarium, vel alium Prælatum, qui cedulones publicavit, eorum remotio citra gravamen negari non potest; Ita in præsenti, dum illa facultas, quæ competit Pœnitentiariis dictarum Basilicarum, ita per Jubilæum cuilibet probato confessario communicata est.

NEAPOLITANA IMPARTITIONIS BRACHII

PRO CURIA ARCHIEPISCOPALI

CUM TRIBUNALI NUNCIATURÆ.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, resolutus ut infrà.

An possit Nuncius Apostolicus, invito, vel inscio Ordinario loci, in ejus diœcesi impartiri brachium alteri Ordinario, volenti ibi exequi ejus sententias contra proprios subditos? Vel potius id privativè spectare debeat ad Ordinarium loci, in quo executio fieri debet.

S U M M A R I U M.

1 *DE ftylo Curiæ Archiepifcopalis Neapolis non dandi brachium fine juftificatione actorum.*

2 *Facti feries.*

3 *Refolutio caufæ.*

4 *Quando Epifcopus unius diœcefis exerceat jurifdictionem cum proprio fubdito in diœcefi aliena.*

5 *Quomodo liceat denunciare aliquem excommunicatum in jurifdictione aliena.*

6 *De competentia fori ratione loci delicti.*

7 *Quod commiffarii, & delegati debeant oftendere literas fuæ delegationis Judici ordinario loci.*

8 *Laudatur ftylus non concedendi brachium abfque fummaria cognitione juftificationis.*

9 *De eodem, ac diverfis fpeciebus executorum.*

10 *Et quod etiam in mandatis Principis id eft practicandum, ideoque datur executoriatio.*

11 *Ut id pertineat ad illum Ordinarium loci, cujus eft territorium.*

12 *Mandata tribunalium Curiæ Romanæ aliorumque delegatorum Apoftolicorum non indigent brachio Ordinarii.*

13 *Secus in mandatis Epifcoporum, aliorumque inferiorum Prælatorum.*

14 *Itaque fecundo cafu, quo Nuncius fe non ingerat;*

15 *De præfcriptione jurifdictionis in alieno territorio.*

16 *Qualis debeat effe obfervantia ad effectum dictæ præfcriptionis.*

D I S C. XXII.

1 COnfluentibus ex omnibus Regni partibus, ac locis ad Regiam Civitatem Neapolis, occafione refidentiæ Proregis, ac Tribunalium, in magno numero perfonis utriufque ftatus laici, & Ecclefiaftici, in dies contingit quod Epifcopi, feu Ordinarii locorum contra proprios fubditos inquifitos, vel debitores, qui proprios lares egreffi, in hac Civitate morantur, exequi volentes eorum fententias, vel alias provifiones, per carcerationem, vel per affixionem Cedulonum, fuper cenfuris contra eos prolatis, implorant brachium (ut decet) illius Curiæ Archiepifcopalis, cujus inveteratus eft ftylus (commendationis quidem dignus) id non concedendi, abfque juftificatione actorum, defumpto forfan hoc ftylo ab altero illius M. Curiæ Vicariæ, aliorumque laicalium Tribunalium in eadem Civitate refidentium, non impartiendi brachium pro executione mandatorum aliorum Principum, vel Magiftratuum aliarum ditionum, nifi cognitis fummariè per authenticam copiam, vel atteftationem diftinctam actorum.

2 Cùm autem Epifcopus Theanenfis, relaxaffet mandatum de carcerando quemdam clericum ejus fubditum in præfata Civitate morantem, atque ad hunc effectum imploraffet brachium dictæ Curiæ Archiepifcopalis, quæ inhærendo dicto ftylo illud concedere renuit abfque actis juftificativis; Hinc ejufdem Epifcopi Agentes recurfum habuerunt ad Tribunal Nunciaturæ, quod in eadem Civitate firmam refidentiam habet, eoque fimpliciter, & abfque alia juftificatione brachium impartiente fecuta fuit carceratio, quam ægrè ferendo Ordinarius tanquam per actum exercitii jurifdictionis in ejus territorio, conqueftus eft; Cùmque Archiepifcopus, & Nuncius concorditer determinaffent de fuper audire fenfum S. Congregationis Epifcoporum negotiis præpofitæ, ifta per organum ejus Secretarii opportunum cenfuit audire oraculum Summi Pontificis Clementis X. nuper laudabiliter verfati per decennium circiter fub Pontificatu Innocentii X. in munere Nuncii in dicta Civitate, ipfoque afferente id practicari, idemque affirmante Cardinale Spinola uno ex Cardinalibus ejufdem Congregationis, qui pariter per idem tempus circiter, fub Alexandro VII. in eo munere verfatus fuerat, donec eamde præpofitus Nunciaturæ apud Cæfarem, digne ad purpuram evectus eft; Refponfum fuit à S. Congregatione id Nuncio licere, nulla tamen prævia difputatione; Quare petita juxtà ftylum ex parte Archiepifcopi nova audientia, & affumpta difputatione, ex quibufdam motivis prudentialibus cum honefto temperamento controverfia fopita fuit, adeout verè punctus remaneat indecifus.

3 In hac fecunda difputatione, fcribens ego pro Curia Archiepifcopali, fuper hujus facultatis incompetentia in Nuncio; Ad æquivoca tollenda advertebam, quod duæ conftitui debeant diftinctæ infpectiones; Primò fcilicet generalis, & in abftracto, an præfatus Nuncius, tam in ifta, quàm in aliis illius Regni diœcefibus in hac fe ingerere poffet? Et fecundò, pofita in puncto juris negativa, an & quid fuffragaretur confuetudo, cujus præfuppofitum ut fupra fuerat caufa refolutionis?

Quatenus pertinet ad primum punctum, five infpectionem, deducebam eamdem theoricam, quæ habetur infinuata *fub tit. de jurifd. difc. 20. & infra in annot. ad S. Conc. Trid. difc. 6.* fuper quæftione, an, & quando poffit Epifcopus unius diœcefis, jurifdictionem, ac Pontificalia exercere intra fines alienæ diœcefis, cum proprio fubdito, abfque illius Ordinarii, feu Diœcefani licentia, contra explicitam difpofitionem, vel intentionem juris communis, & contra expreffam prohibitionem S. Conc. Trid. loco citato, quod fcilicet; Aut agitur folùm de citatione verbali, & tunc licèt fit etiam in controverfia inter DD. Attamen admittebam fieri poffe ex rationibus ibi affignatis, dummodò mandatum de citando conceptum fit in propria diœcefi, cùm in eo potiùs quàm in executione confiftere dicatur exercitium jurifdictionis. 4

Aut verò agitur de citatione reali, per actum carcerationis; Aut de alia executione ejus fententiarum, & provifionum, per actus facti pofitivi, ut præfertim contingit in affixione Cedulonum in locis publicis fuper cenfuris; Et tunc id fieri non poffit fine licentia Ordinarii loci Quoties tamen refpectu Cedulonum, vel edictorum id fiat in forma authentica, & jurifdictionali quia nempè in confuetis locis publicis affigantur Cedulones originales cum fubfcriptione & figillo Epifcopi, vel ejus Vicarii Gen. & Cancellarii; Secus autem ubi in forma fimplicis denunciationis, quod illa perfona effet ab ejus fuperiore declarata excommunicata cum privatis informibus, & non authenticis fchedulis affixis in aliquibus locis, ita certiorando quod ille clericus in fua diœcefi cenfuris innodatus eft, adeout hæc denunciatio non obliget ad evitandum cenfurati commercium, & juxtà illas privatas fchedulas, quæ affigi folent fuper invitationibus ad comœdias, vel ad fpectacula, five etiam ad aliquam fpiritualem functionem, aut fuper denunciatione præmii deftinati reportatori alicujus rei amiffæ cum fimilibus, cùm tunc nullum ineffe dicatur jurifdictionis exercitium, neque ille actus fit obligatorius, fed folùm ut ille, contra quem hujufmodi publicæ denunciationes privato jure fiant, quatenus id verum non effet, contra eos, qui talium Cedulonum affixionem fecerint, vel mandaverint, inftituere poterit judicium criminale famofi libelli, in quo Ordinarius loci etiam contra diœcefanos alienos procedere poteft ratione loci patrati delicti, cùm ifta dicatur competentia omnium aliarum major ex iis, quæ habentur deducta in hoc propofito competentiæ fori ratione loci dicti, *ut fub tit. de jurifdict. difc. 57.* 5 6

Idque etiam inter fæculares ubique, per leges particulares vel ftylos introductum eft, ut Commiffarii, aliique executionem facere volentes, licentiam à Magiftratu ordinario loci obtinere debeant, vel faltem fibi oftenditur literas authenticas fuæ deputationis, ac facultatis, ut aliis relatis advertitur Bovadill. *in politic. lib. 2. cap. 20 n. 20. & 21* Rovit. *fuper pragm. rubr. ne quid in loc. public. n. 3.* Talifque eft communis obfervantia, & rationabiliter quidem, ne aliàs fub imagine, feu figura commiffariorum, vel officialium detur anfa banniti ac facinorofis hominibus, vel aliis, patrandi delicta, feu inferendi moleftias in perfona, vel in bonis, eorum inimicis, vel infenfis. 7

Hoc autem pofito, advertebam quoque commendatione dignum cenfendum effe dictum ftylum, non de facili concedendi hujufmodi brachii impartitionem, præfertim ubi agatur de præjudicialibus actibus facti, & irretractabilibus carcerationis, vel publicæ affixionis Cedulonum, abfque aliqua faltem fummaria, & fuperficiali juftificatione ad propriam inftructionem cum authentica fide, feu compendio actorum, præfertim in magna, & Regia Civitate, ne aliàs detur aditus indebitè ac de facto moleftandi, ac injuria afficiendi perfonas etiam qualificatas ibi morantes quas aliquis Ordinarius indebitè ejus fubditas prætendat, ut frequens hujufmodi inconvenientium contingentia praxis docere folet; Atque ad id probandum deducebam ea, quæ ex Boff. *in prax. de foro compet. n. 88 & feqq.* Farin. *q. 97. n 74. & feq.* Rot. *dec. 577. n. 6 p. 4. rec.* & in aliis ibi relatis habentur deducta *fub tit. de feud. difc. 57* fuper diftinctione diverfarum fpecierum executorum, quod fcilicet; Alii funt executores nudi facti, quales funt baroncelli, aliique inferiores miniftri juftitiæ, explicantes actum executoris de facto tantùm, & ifti obediunt fibi injunctis mandatis abfque alia cognitione; Alii verò funt executores juris, quales funt 8

offi-

officiales, & magistratus, eorum brachium impertientes alteri, qui jure suo in alieno territorio id facere non possit, vel cum personis, & bonis, in quibus ipse liberum jurisdictionis exercitium non habeat, & tunc iste executor rectè desiderare potest justificationem mandati exequendi, non ad effectum formalis cognitionis, ut desuper judicare valeat, ac mandatum aliaque acta à competenti Judice facta confirmare, sed ad solum effectum negativum se abstinendi a petita executione, vel concessione brachii, cum declarationibus ibi latius deductis; Quinimò etiam à mandatis ipsius Principis est abstinendum, eique replicandum, ex deductis *sub tit. de Regal. disc.* 147. Ideoque etiam in provisionibus proprii Principis absentis requiritur executoriatio, de qua *sub tit. de feud. disc.* 106. *& alibi*.

10 Id autem absque dubio pertinere dicebam ad Ordinarium loci, qui est dominus territorii, seu pro sibi competenti jurisdictione ordinaria habet jus territoriale, non autem ad Nuncium, vel alium Apostolicum officialem, quamvis esset verus Nuncius cum authoritate Legati, ac superioritate ipsiusmet Ordinarii, tanquam Judex appellationis, vel recursuum, quoniam ex isto casu concessio hujusmodi facultatis dicitur actus primæ instantiæ, quæ tam de jure communi, quam etiam clarius ex dispositione S. Conc. Trid. *sess. 24. de Reform. cap.* 20 pertinet ad Ordinarium atque in ea Nuncii, seu Legati se ingerere non possunt, sed solum in gradu appellationis, quando scilicet Ordinarius indebitè id denegaret, sed in forma appellationis, servatis servandis, & præsertim transportatis actis, quatenus adsint, non autem de facto tanquam ex integro, ut in præsenti secutum fuerat; Multò magis id procedere dicebam in isto Nuncio, qui non est verè talis, neque habet jura Legati, sed est commissarius ad certum genus causarum cum jurisdictione in personas, ut in duobus discursibus præcedentibus advertitur; Unde propterea seclusa præsupposita consuetudine, in solo puncto juris casus videbatur planus; Talisque etiam erat sensus S. Congregat.

Difficultas itaque restringebatur ad alteram inspectionem circa præsuppositam consuetudinem, cujus veritas de facto in plerisque casibus juxta distinctionem de qua infrà, nõ im-
11 pugnabatur, ideoque benè verificabantur assertiones dictorũ Pontificis, & Cardinalis, qui illud munus longo tempore exercuerunt; Verùm dicebam, quod æquivocum consistebat in applicatione, seu in statuendo pro regula generali, id quod rationabiliter in aliquibus casibus frequentiùs practicatur.

Dupliciter enim contingit, ut in ea magna Civitate frequentiùs, rariùs autem in aliis diœcesibus, ac partibus Regni pro executione sententiarum, vel mandatorum alio-
12 rum Judicum etiam Ecclesiasticorum istius brachii imploratio petatur. Primò nempè ubi agatur de exequendis mandatis Rotalibus, vel Auditoris Cameræ, aliorumque Judicum, & Tribunalium Romanæ Curiæ, vel etiam extra ea Apostolica delegatione; Et secundò ubi, ut in præsenti casu, agatur de mandatis Ordinariorum, aliorumque inferiorum Prælatorum cum propriis subditis.

Primò enim casu, rectè procedere dicebam dictam observantiam, quæ benè verificabatur, ex ea congrua ratione,
13 quòd quidquid sit de executoriatione concedenda per Principes sæculares, vel eorum Magistratus ad id deputatos; Quatenus pertinet ad Ordinarios locorum, aliosque Ecclesiasticos Prælatos, & officiales; extra omnem controversiam est, ut hujusmodi mandata, sine hac imploratione brachii exequi possint ubicumque, quodque Apostolicus executor non habens sufficientem familiam propriam, sive ubi eam habendo, non congruat ex facti circumstantiis, ut cum ea solum id expleat, adhibere potest quodcumque brachium etiam sæculare etiam de facto, quoniam Papa dicitur Ordinarius ordinariorum, ac habet universum Mundum pro ejus diœcesi, ideoque ubique habet jus territoriale, Et si à quocumque etiam laico executor Apostolicus hanc opem potius de facto petere, ac obtinere potest, multò magis à Nuncio Apostolico ejusdem Papæ, cui propriè magis incumbit, ut mandata Papalia, vel ejus Tribunalium, & delegatorum executioni demandentur, atque ita cessat illa ratio congruentiæ, ob quam Ordinarius debet certiorari de facultatibus executoria.

Secùs autem in altero, quoniam Ordinarius unius diœcesis, extra limites proprios, intra quos situm est ejus territorium, exercere non potest jurisdictionem cum executione, quæ requirat actũ facti sine licentia, & authoritate Ordinarii illius diœcesis, in qua executio facienda est, dum istud dicitur jus territoriale, juxtà distinctiones supra enunciatas & latius *dict. disc.* 20. *de jurisdict.* ac etiam in annotationibus ad Sacr. Concil. Trident. *disc.* 6. adeout sit executio,

ac concessio brachii, non facti tantùm, sed etiam juria.

Et consequenter explicari non potest ab hujùsmodi Nuncio, qui est potiùs Apostolicus officialis delegatus ad certum genus causarum cum jurisdictione etiam in personas, quam in sibi commissis causis exercere quidem potest in omnibus sibi commissis Regni diœcesibus independenter ab Ordinariis, vel Diœcesanis, cùm id agat authoritate Apostolica, ac vice, & nomine Papæ, sed non potest se ingerere extra causas sibi commissas, atque jus Diœcesanum exercere.

Hinc proinde resultat, quod dicta observantia remanet 14
æquivoca, utpotè verificabilis in dicto primo casu, & consequenter inter certum principium, quod in foro quotidianum habemus, ut ad effectum, quod observantia dici valeat legitimè præscriptiva, & apta ad acquirendum jurisdictionem in alieno territorio, debeat esse unica, & talis, ut apta sit ad formalem præscriptionem contra jus, ex iis, quæ in terminis præscriptionis in alieno territorio aliis relatis, habentur apud Rovit. *super pragm. 1. de jurisd. invit. non turban n.* 10. Faguan. *in cap. cum olim, de præscript. cum concord. sub tit. de jurisd. disc. 1. & pluribus seqq.* ac etiam *disc.* 20.

Et quatenus doceri posset, quod aliquando istud Nunciaturæ Tribunal in casibus cadentibus secunda parte dictæ distinctionis, se ingessisset; adhuc tamen dicebam id non sufficere, nisi formiter probarentur requisita præscriptionis formalis contra jus, inter quæ, ultra illud bonæ fidei, & alterum temporis saltem quadragenarii non contradicti, præcipuum, ac essentiale est illud scientiæ, & patientiæ Ordinarii, contra quem hujusmodi præscriptio prætendatur, quoniam in incorporalibus, in quibus verificabilis non est possessio naturali, & de facto, quæ pedum positio dicitur, scientia, & patientia stare dicuntur loco possessionis, sine qua præscriptio non datur. 15

Istud verò requisitum (quod constanter ex parte antiquorum officialium alterius Tribunalis Archiepiscopalis benè informatorum negabatur) per alteram partem non justificabatur; atque videbatur improbabile, quamvis etiam doceretur quod Archiepiscopus pro tempore, vel ejus officiales scivissent, & tolerassent, quod Nuncius ejusque Officiales in ipsa Civitate vel territorio carcerassent, atque carceratos diu retinuissent clericos aliarum diœcesum, sive executionem realem fecissent, & consumassent in eorumdem bonis in hac diœcesi existentibus, quoniam cùm hoc Tribunal istam jurisdictionem in dies exerceat, etiam cum subditis, & diœcesanis ipsius Archiepiscopi in causis sibi commissis, ut supra *in duobus discursib. proximè præcedent.* ita ex eodem titulo, vel jure opinari potuit, quod gesti essent actus, qui pro ista consuetudine deduci possent; Et consequenter dicebam, quod veridica quidem esset dicta assertio, sed ita conciliabilis; Potissimè dum hujusmodi actus potiùs explicari solent per Auditores, ac Notarios, quàm per ipsummet Nuntium, qui proinde hanc distinctam notitiam non de facili habet; Ponderando etiam inconvenientia, de quibus in duobus discursibus præcedentibus; Et quod idem sequi posset in toto Regno, &c. 16

NEAPOLITANA COMPETENTIÆ

PRO EODEM ARCHIEPISCOPO

CUM EODEM NUNCIO.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium.

An illa jurisdictio, quam Nuntius habet in causis particularibus, præsertim in causa illicitæ negotiationis, & receptationis bannitorum, intret in illis, qui sint ministri, officiales, vel familiares Ordinarii loci? Et quid ubi idem Ordinarius sit etiam Cardinalis?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quod Nuncii, & Legati non se ingerant in causis primæ instantiæ.*
3 *Nuncius Regni Neapolitani non est verus Nuncius, & non habet jura Legati.*
4 *De delegatione Apostolica ejusdem Nuncii in aliquibus delictis.*

5 *Quod etiam in his delictis Ordinarius habeat privativam cum suis officialibus, & familiaribus.*
6 *De privativa jurisdictione Episcopi cum laicis ejus officialibus, vel familiaribus.*
7 *De ratione, ob quam procedere debeat privativa, de qua n. 5.*
8 *Ponderantur inconvenientia, & de controversiis inter Collectores, & Ordinarios.*
9 *De privativa jurisdictione Nuncii in causis Cameralibus præsertim illicitæ negotiationis.*
10 *De jurisdictione Cardinalium cum eorum familiaribus.*
11 *Cardinales, an veniant sub generalibus dispositionibus?*
12 *Auditores, & Vicarii aliique Officiales non sunt familiares Cardinalis.*
13 *Declaratur cum distinctione.*

D I S C. XXIII.

1 INquirente Tribunali Nunciaturæ de receptatione bannitorum, & de illicita negotiatione Thomam, qui erat Vicarius foraneus, cujusdam loci diœcesis ejusdem Neapolitanæ Civitatis, ac etiam unus ex ministris per Cardinalem Archiepiscopum deputatis pro collectione, & administratione fructuum Archiepiscopatus, aliorumque effectuum ejusdem Cardinalis, ex parte ejusdem Thomæ, ac etiam promotoris fiscalis habitus fuit recursus ad S. Congregationem Episcoporum, & Regularium, à qua audita juxta stylum relatione Nuncii ex consuetis (commendabilibus quidem,) ejus legibus prudentialibus, cum quodam temperamento, controversia sopita fuit.

In disputatione autem desuper habita, scribens pro recur-
2 rente, seu verius ad instantiam Cardinalis Archiepiscopi, distinguebam crimina, pro quibus inquisitio à dicto Tribunali formari prætendebatur, receptationis scilicet bannitorum, & illicitæ negotiationis.

Quatenus pertinet ad primum; Dicebam (etiam cum sensu veritatis, qualem habebat quoque S. Congregatio)
3 quod Nuncius in concursu Archiepiscopi, eum considerando solum tanquam Ordinarium loci, absque Cardinalitia qualitate, nullatenus se ingerere posset, dum juxtà dispositionem S. Conc. Tridentini *sess. 24. de reform. cap. 24.* causæ in prima instantia cognosci debent per Ordinarios locorum, ex presse, ac particulariter inhibendo Legatis, ac Nunciis, ne in illis se ingerant, Multò verò magis respectu istius Nuncii, qui in sola nuncupatione est talis, sed non habet jura Legati, neque est Ordinarius Judex appellationum & recursuum ab Ordinariis, ut sunt Nuncii Hispaniarum, & aliorum Principum, de quibus loquitur dictum decretum Conciliare, quod ita ad hunc effectum Legatos, & Nuncios, exæquare videtur, cùm iste ob non residentiam Regis in eo Regno, quod per Præsidem, seu Vicarium regitur, hoc jus non habeat, sed sit sic solum Collector generalis spoliorum aliorumque jurium Cameræ, & commissarius Apostolicus ad certa genera causarum, nuncupationem hanc retinendo ex eo quòd de tempore, quo Reges ibi residebant, Nuncius erat, ut etiam advertit Ricc. *dec. 69. p. 2.*

Et quamvis in aliquibus casibus, & præsertim in ista re-
4 ceptationis bannitorum, eam Apostolicam commissionem habeat, de qua actum est *disc. præcedent*; Attamen, ut ibi advertimus ista fuit delegatio coadjuvando Ordinarios locorum, ut scilicet iste Apostolicus minister, cum potentiori brachio, quod habet, coercere valeat illos facinorosos clericos quos ipsi Ordinarii ob eorum exiguam temporalem potestatem coercere non possunt, non autem, ut privativam prætendere valeat, ex deductis d. *disc. præcedent.*

Clarius verò in hac facti specie, quod agebatur de Vicario foraneo, & actuali ministro Ordinarii, quo casu, omnino
5 probabilius videri dicebam, ut privativa cognitio ad ipsum Ordinarium spectare deberet; Si enim, etiam in laicis, pro exemptione à foro laicali, ac privativa competentia Episcoporum cum illis officialibus, & ministris, qui necessarii sunt pro administratione Ecclesiæ, & Tribunalis Episcopalis, verius, magisque receptum est, ut hæc jurisdictio privativa competat, cùm quæstio, quæ apud illos, qui factionario potius more, quàm ad veritatem scribunt, involuta est, versetur circa illos familiares, qui inserviant potiùs personæ
6 Episcopi, quàm Ecclesiæ, ac Tribunali Episcopali; Et quorum respectu, cum id in jure decisum non habeatur, deferendum videtur consuetudini, quæ pro diœcesum, vel ditionum varietates diversa est; Sed quoad ministros necessarios ut sunt Vicarii, Notarii, œconomi, barisèlli, & similes veri, & actuales, non autem ficti, & honorarii, videtur extra controversiam, ex iis, quæ post utrumque Thesaur. & alius istam quæstionem disputantes, habentur apud Speroll. *dec.* 128. *& seq.* De Marin. *resol.* 117. *lib.* 1. Multò magis quoad proprios clericos diœcesanos, cum quibus habet jurisdictionem nativam, ac assistentiam juris.

Idem quoque comprobari dicebam ex regula *quod quisque* 7
juris, &c. quoniam si Nuncius privativam prætendit, atque de facto obtinet in illis diœcesanis, qui sint officiales, ac ministri ejus Tribunalis, imò etiam sint simplices familiares ejus personæ, pro aulico, vel alio inferiori servitio; Multò magis, & absque dubio dicendum videtur favore Ordinariorum, quorum jus in propria diœcesi, ac respectu diœcesanorum videtur majus, cùm ipse habeat de jure communi, atque ab ipsa diœcesium divisione ante hujusmodi Apostolicorum Commissariorum introductionem, jurisdictionem nativam, jure proprio, ista verò est potiùs dativa, & accidentalis.

Ponderando etiam inconvenientia exinde resultantia per
universum Regnum, in cujus singulis diœcesibus morantur Apostolici collectores, quibus à Nuncio communicari solent facultates formandi hujusmodi inquisitiones, quoniam ita cogerentur Episcopi in dies pati molestias in eorum Vicariis, & ministris, ab hujusmodi commissariis, vel subcollectoribus, qui solent esse Ordinariis infensi, ut declaratur à decreto edito sub Urbano VIII. super continuatione exemptionis in perpetuum illorum, qui fuerũt subcollectores Apostolici, quamvis id (suspensa tamen executione) prudenter, nimiùmque rationabiliter formatum fuerit per decreta generalia ex oraculo etiam Sanctissimi emanata à S. Congregatione Concilii de anno 1671. quoniam cùm delegatio Nuncii initiata sub Clemente VIII. enarrata *dicto disc. præcedent* includere videatur penè omnes causas criminales, ita esset dare magnum inconveniens, quod Episcopi, & Archiepiscopi in dies cernerent in faciem inquiri, & carcerari, seu aliàs molestari eorum Vicarios etiam generales, vel foraneos, & cancellarios, aliosque officiales, quod utique est magnum inconveniens, præsertim ex dicta ratione cujusdam connaturalis antipatiæ, ac frequentium discordiarum.

Difficultas autem residebat in altero inquisitionis capite 9
ex causa illicitæ negotiationis ob Constitutionem 100. Sixti V. per quam cognitio causarum concernentium jus ac interesse Cameræ, concessa est privativè Thesaurario Generali, aliisque Apostolicis Collectoribus: Et in hoc pariter dicebam, ut quidquid sit de ista regula generali exceptiva privativè ad Ordinarios respectu aliorũ clericorum, cum quibus viget ratio generalis jurisdictionis, quæ de jure diœcesano competit in omnibus clericis suæ diœcesis (super quo utporè extra casum quæstionis inhærendo commendabili Curiæ stylo prohibenti superfluas evagationes, relinquebam locum veritati;) Adhuc tamen mihi videbatur quod iste casus familiarium, ac officialium Ordinarii, ex eisdem rationibus, de quibus supra dicendus videatur exceptuatus à regula, quod, que sit casuas præfata . ixtina Constitutione omissus.

Verùm quia ob amplitudinem Regni, magnumque nume-
rum diœcesum, ministri Camerales Urbis, qui Nuncii jura tuebantur, nimiùmque insistebant quod ita esset firmare statum nimiùm præjudicialem Cameræ, si etiam in causis cameralibus cum omnibus Ordinariorum officialibus, ac ministris ista propositio firmaretur, Ideircò ad hanc difficultatem evitandam, replicabam quod, quidquid esset generaliter respectu omnium aliorum Ordinariorum; Attamen in casu præsentis quæstionis, ista difficultas cessabat, ex ea particulari circumstantia, quod iste non esset simplex Ordinarius, sed etiam Cardinalis, unde propterea esset casus mixtus ob duplicem competentiam, ratione scilicet ordinariæ jurisdictionis, ac etiam ratione alterius delegationis, quam Cardinales habent cum eorum familiaribus *ex constitutione* 10. Leonis X. de qua agitur *sub tit. de jurisdict. disc. 67.* Un-
de propterea iste casus sub dicta constitutione Sixtina non veniat ex prærogativa Cardinalitiæ dignitatis, ut non veniant sub generalibus dispositionibus, quoties verborum amplitudo, vel aliæ circumstantiæ suadentes verisimilem intentionem Papæ, illos includendi, aliter non suadeant, ex iis, quæ in hac materia inclusionis Cardinalium sub dispositionibus generalibus habentur firmata per Rotam apud Othob. *dec.* 257. Atque ita dicebam evitari dictum inconveniens ponderatum respectu aliorum Ordinariorum, ob eorum magnum numerum, ac frequentiam, quoniam cùm pro temporum contingentia unicus esset Cardinalis, qui in eo Regno Ecclesiam Cathedralem, vel Metropolitanam regeret, ita casus non faciebat exemplum.

Pro hujusmodi motivo elidendo, replicabant Scribentes in contrarium quod iste vicarius foraneus, ac minister Ar-

chie.

chiepiscopatut, dici non meretur familiaris Cardinalis, constituendo fundamentum in iis, quæ in vicariis, aliisque officialibus Ecclesiarum, & monasteriorum, quæ per Cardinales in commendam, seu ex alio titulo possidentur, firmantur præsertim per Rotam in Parmen. cot. Lipsin, de qua mentionem faciunt Grat. *discept.* 257. *n.* 41. & Lotter. *lib.* 2. *q.* 32. *n.* 127. In idem cumulando ea quæ pluries habentur *sub tit. de Benef. præsertim disc.* 11. super requisitis necessariis familiaritatis, mentis scilicet & dentis ex ibi deductis.

Verùm istud erat æquivocum clarum teverà omninò contemptibile ad effectum præsentis quæstionis, cùm id procedat in ordine ad Regulas Cancellariæ pro reservationibus Apostolicis, vel pro jure Cardinalium in nominationibus; Ad istum verò effectum res est in oppositum, quoniam major difficultas super privativa incompetentia cadit potiùs in familiaribus aulicis, & domesticis, quàm in officialibus ac ministris necessariis, ut supra occasione sæcularium ministrorum advertitur.

NEAPOLITANA ADJUNCTORUM PRO ARCHIEPISCOPO CUM CAPITULO

Casus disputatus in S. Congregatione Concilii, resolutus pro Archiepiscopo.

An, & quando intret decretum Conc. Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 6. super modo procedendi in causis Capitularium cum Adjunctis.

S U M M A R I U M.

1 *De decreto S. C. T. super adjunctis in causis capitularium.*
2 *Facti series cum resolutione.*
3 *In quibus Capitulis procedat dictum decretum, & quid de novo statuat.*
4 *De eodem, & quod non procedat nisi in Capitulis exemptis.*
5 *De usu hujusmodi Capitulorum exemptorum.*
6 *Exemptio est probanda per allegantem, & qualis debeat esse probatio.*
7 *De conclusione, ut non usus non præjudicet ubi non adfuit occasio, & de distinctione specierum non usus.*
8 *De Ecclesia Sancta Restituta ejusque privilegiis.*
9 *Aliud est Ecclesia, & aliud sunt Capellæ in ea existentes, quæ possunt esse diversæ naturæ.*
10 *Potest quis esse exemptus uno respectu, & non exemptus alio respectu.*
11 *Capitulum, vel Ecclesia Cathedralis potest repræsentari à pluribus Ecclesiis materialibus, eorumque Capitulis.*

D I S C. XXIV.

1 DIsponente S. C. T. loco citato, ut in causis Capitularium, procedi debeat cum adjunctis juxta formam ibi præscriptam, de qua habetur etiam actum *sub tit. de Canon. & cap. disc.* 23. occasione agendi de qualitate tertii adjuncti, an debeat esse capitularis, necne; Cùm de ann. 1670. Card. Caracc. (cui post Deum debeo totum circa moram, primosque progressus in Curia) ob aliquam resistentiam à quibusdam Capitularibus factam executioni litterarum Apostolicarum super provisione Canonicatus in ea Ecclesia Metropolitana, ad aliquas pœnas, vel earum comminationem contrà eos processisset, protestatum fuit ex parte Capituli, quod tam in ista, quàm in aliis causis, procedi non deberet, nisi servata d. forma; Cùmque ex parte Archiepiscopi, seu Promotoris fiscalis responderetur de hujusmodi prætensionis novitate, nunquam audita intra spatium unius sæcu-
2 li, & ultra, quod post Conc. publicationem decursum erat; Replicabatur (res quidem nimis commendatione digna pro illius Capituli gloria) id contigisse ex deficiente occasione, dum intra adeò longum spatium annor. 106. non reperiebatur casus in quo aliquis Canonicus de crimine imputatus esset; Unde propterea Archiepiscopus, cupiens quidem jura suæ dignitatis tueri, non tamen volens præjudicare Capitulo ejusque privilegiis; Non obstante quod ex parte ejusdem Capituli sibi oblata esset renunciatio huic prætensioni, voluit desuper consulere Sacram Congregationem Concilii, à qua responsum fuit, quod dictæ formæ conciliari locus non esset, atque resolutio, justa, beneque fundata mihi scribenti pro Archiepiscopo visa est.

Dicebam itaq; scribendo idem, quod habetur deductum, 3
dict. disc. 23. *de Canon. & Capit.* quod scilicet istud decretum non prodiit in gratiam Capitulorum, vel capitularium, ut eis aliquid de novo concederetur, quod prius non competeret (ut aliqui malè opinantur;) Sed ita dispositum est, cum præsupposito quod ageretur de Capitulis exemptis à jurisdictione Episcoporum, qui nullatenus in causis capitularium se ingerere possent, sed illæ cognosci deberent per Apostolicos delegatos, vel per alios in ipso exemptionis privilegio deputatos; Id autem à Concilio moderatum fuit, concedendo scilicet Episcopis, saltim jure delegato, istam cognitionem, seu jurisdictionem, quam priùs non habebant; Eodem modo quo in concernentibus curam animarum, & in plerisque aliis pluries enunciatis, *hoc eod. tit. & in altero de Regul.* ac altero *de jurisd.* concessit supra regulares aliosque exemptos; Noluit autem Concilium hanc jurisdictionem liberè soli Episcopo concedere, sed cum hac moderatione, ut procedere deberet una cùm adjunctis ab ipso Capitulo deputandis juxtà formam ibi præscriptam, ut etiam advertitur d. *disc* 23. *de Canon. & Capit.*

Et consequenter, cum certo præsupposito, quod agatur 4
de Capitulis exemptis & non aliis, cum in non exemptis procedat regula juris communis super jurisdictione, quam Episcopus habet in omnes clericos suæ diœcesis, atque ita ferè ab initio publicationis Concilii declaratum fuit per S. Congregationem, quæ pro ejusdem Concilii observantia sub eodem Pio IV. paulo post publicationem, deindeque pro ejusdem interpretatione à Sixto V. deputata fuit, ut patet ex antiquis declarationibus usque ab anno 1530. relatis per Rot. apud Seraph. *decis.* 493. & 497. cum aliis apud Lotter. *de benef. lib* 1. *qu.* 25. *n.* 62. Barb. *de canon. cap.* 28 *n.* 2. & *in collectan. ad illud met decretum*; Talisque est notoria praxis penè generalis totius Italiæ, in qua nimium rarus est usus Capitulorum exemptorum, sicuti è converso est frequens ultra montes.

Exemptio autem de jure non præsumitur, tanquam li- 5
mitatio regulæ, quæ per allegantem probanda est, & consequenter dicebam, quod nulla incumberet necessitas Archiepiscopo probandi non exemptionem, cùm ejus jurisdictio probata esset eo ipso, quòd ex parte Capituli non probaretur exemptio, ex vulgari nimiumque frequenter deducto axiomate, quod qui habet pro se regulam, habere dicitur intentionem fundatam, eo ipso quòd ille, qui prætendit limitationem, eam non probat; Multò verò magis, dum in adeò diuturno spatio annorum 106. post Concilii publicationem, nulla dabatur hujus exemptionis praxis, potissimè dum de exemptione principaliter agitur; secus autem ubi incidenter, quoniam primo casu requiritur concludens, & exacta probatio, secus autem in secundo, in quo sufficit levior, ut distinguendo habetur apud Mantic. *dec.* 366. *n.* 10. *dec.* 105. *n.* 1. *p.* 7. *rec. & sæpius.*

Et quamvis vera sit superius insinuata juris regula, quæ 6
ex parte Capituli adversus istud observantiæ fundamentum deducebatur, quod scilicet lapsus temporis quantumvis antiquissimi, nunquam præjudicat, vel præscriptionem inducit ratione non usus, quando nulla usus occasio adfuerit, & de qua regula habetur præsertim *sub tit. de praem. disc.* 25. & alibi; Advertebam tamen quod fallacia erat in applicatione; Procedit enim cum præsupposito jam existentis, benèque probatæ exemptionis, vel alteriùs privilegii, cujus amissio, seu præscriptio ex non usu deducatur, adeout de non usu opponatur, tanquam præscriptivo, seu destructivo juris jam competentis, & radicati; Secus autem ubi ille consideretur tanquam adminiculum competentiæ illius juris, juxta distinctionem, quæ inter non usum præscriptivum, & alterum non initiativum habetur *sub tit. de serv. disc.* 1. occasione agendi de non usu aliquarum legum, & de historia legali, ac alibi.

In hac disputatione habita in Sacra Congregatione, ex 7
parte Capituli formiter scriptum non fuit, dum (ut præmissum est) illicò obsequiosè eidem Archiepiscopo declaravit nolle prosequi hanc prætensionem, quæ in quodam calore excitata fuerat, occasione executionis provisionis Apostolicæ in persona parum grata. Adhuc tamen Archiepiscopus audire voluit oraculum S. Congregationis, ut certus esset de sua jurisdictione, & ne in futurum ista prætensio denuò excitaretur.

In ipso autem initio, in quo ea excitata fuit, in informa- 8
tione data eidem Archiepiscopo, supponebatur quod fundamentum constitueretur in exemptione Ecclesiæ S. Restitutæ

annexæ ipsi Ecclesiæ Metropolitanæ, & quæ supponitur fundata, & dotata ab Imperatore Constantino Magno, dum dicta Ecclesia possidetur per Capitulum, cum jure privativo sepeliendi morientes absque electione sepulturæ, adeout supponeretur quod etiam de præsenti exemptio vigeat, quoad Archiepiscopus illam visitet ad præscriptum Concilii jure delegato.

9 Verùm (admissis etiam hujusmodi præsuppositis) dicebam, non exinde inferri posse ad exemptionem ipsius Capituli, quoniam, ut advertitur *sub tit. de jurisd. disc.* 35. occasione agendi de duabus insignibus capellis, Sixtina, & Paulina existentibus in Basilica S. Mariæ Majoris, ac etiam *sub tit. de præeminentiis, disc.* 13 occasione agendi de capella reliquiarum, cui Thesauri vocabulum vulgò tribuitur, existente in istamet Ecclesia Metropolitana, cum quibusdam prærogativis ibi enunciatis; Aliud est Ecclesia, & aliud capellæ ibi existentes, quæ intellectualiter considerari possunt tanquam Ecclesiæ distinctæ, & in territorio separato juxtà illam separationem, quæ datur in Alma Domo Lauretana ab illius Civitatis territorio, cùm tamen sita sit in medio ipsius Cathedralis, ut de illa habetur actum, *sub dicto tit. de jurisd. disc* 33. cum similibus.

10 Stant igitur benè simul, ut Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ non exemptum, jure speciali possideat aliquam Ecclesiam exemptam, cujus respectu repræsentet personam diversam Rectoris illius Ecclesiæ, unde in concernentibus illum titulum, seu personam obtineat exemptionem, quam tamen non habeat uti Capitulum Ecclesiæ Cathedralis; Sicuti è converso benè dari potest, ut quis non solùm exemptus, sed etiam superior, atque in majori dignitate, aut prælatura constitutus, respectu alicujus Ecclesiæ per ipsum in aliena diœcesi possessæ, dicatur illius diœcesanus, ac subditus quamvis ille esset ejus suffraganeus, juxtà casum, de quo *d. tit. de jurisd. disc.* 21. ubi de Archiepiscopo Salernitano possidente in diœcesi Nucerina, ac etiam in Amalphitana, quasdam inferiores Ecclesias, quorum respectu considerатur tanquam simplex rector Ecclesiæ subditæ inferioris, juxtà pluries deductum exemplum alicujus Regis, vel supremi Principis, qui in alieno Principatu etiam inferiori possideat aliqua loca in feudum subordinatum, seu baronale, quoniam consideratur tanquam Baro subditus, ac juxtà manuale exemplum Episcopi, qui sit in studio, vel Academia tanquam scholaris cum similibus.

Item deducebam eadem, quæ habentur *sub tit. de praem. disc* 3. *cum duobus seqq.* in proposito Capituli cathedralis, vel Metropolitanæ, quod ejus qualitas non pendet ab Ecclesia materiali, dum rectè dari potest, ut illud materiale sit divisum in pluribus Ecclesiis etiam diversæ naturæ, quia nempè una sit sæcularis, & altera regularis, juxta illum casum, & tamen, quod unum & idem sit Capitulum, quod unà cum Episcopo efformet unum, & idem corpus Ecclesiæ Cathedralis, & quæ licèt sit unica, & individua, efformari, seu repræsentari potest per plures Ecclesias materiales distinctas, ideoque non ex eo quòd Capitulum possideat aliquam Ecclesiam, seu capellam exemptam, inferri potest ad exemptionem ipsius corporis Capituli, vel singulorum capitularium, quoniam ut dictum est, exemptio rectè procedit, ac operativa est iis, quæ concernunt dictam Ecclesiam, seu capellam exemptam, cujus respectu repræsentat personam diversam ut supra.

ANNOT. AD DISC. XXIV.

VIde *Annotat. ad idem Sacr. Concil. Trident. discurs.* 44.

NEAPOLITANA COLLATIONIS CLERICATUS, PRO JANUARIO DE ALTERIO CUM JO: BAPTISTA ETIAM DE ALTERIO.

Casus disputatus in Signatura Justitiæ, ac etiam in S. Congregatione Episcoporum cum exitu ut infrà.

An Episcopus cogi possit invitus conferre primam tonsuram, aliosque ordines proprio diœcesano, adeout à denegatione detur appellatio, vel recursus ad superiorem, qui eundem ordinem conferat, vel alteri conferendum committat? Et ad quem superiorem isto casu sit recurrendum?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Quod non sit deferendum in omni casu declarationibus, quæ unius occasione prodeant.*
3 *A delegato per S. Congregationem ad ipsam delegantem est appellandum.*
4 *Declaratur, & quando non sit delegatio, sed remissio, seu excitatio, & de ratione.*
5 *Quod in hac materia collationis ordinum non debeat procedi judicialiter.*
6 *Nemo habet jus petendi clericatum ab Episcopo invito.*
7 *An teneatur Episcopus assignare causam denegationis?*
8 *Quando judicialiter procedit.*
9 *De distinctione super conclusione, de qua, n. 6.*
10 *Constituitur differentia inter laicos, & illos, qui jam sunt clerici.*
11 *Traditur regula quomodo hæc materia decidi, seu regulari debeat.*

D I S C. XXV.

SEcuta vacatione cujusdam capellaniæ, per contendentium majorem fundatæ, cum jurepatronatus ad favorem illorum de sanguine, seu de familia; Cùm illi, ad quos juspatronatus activum, sive jus præsentandi spectabat, præsentare vellent Januarium; cui posita capacitate, tanquam proximiori debita erat præsentatio, atque Jo: Baptista remotior, ut illam ob defectum alterius proximioris capacis obtineret, curaret, ut Archiepiscopus Januario petitam tonsuram denegaret; Hinc Januario recurrente ad S. Congregationem Episcoporum, ab ista post formalem disputationem desuper habitam, pro consuetis ejus regulis prudentialibus, & ne aliqua ejus resolutio traheretur in exemplum pro aliis casibus, ut frequenter male trahi solent, juxtà ea quæ insinuantur in proœmio *annot. ad S. C. T.* remissum fuit negotium eidem Archiepiscopo, ut pro justitia provideret, ulterius per organum secretarii, insinuando Agentibus pro recurrente, ut Archiepiscopo perseverante in denegatione, utantur jure suo cum remediis appellationis, vel recursus ad ordinarios judices, & superiores; Unde propterea replicatis instantiis, atque Archiepiscopo continuante in negativa, introducta fuit per appellationem causa coram A. C. Oppositor autem recursum suum habuit ad Signaturam pro moderatione inhibitionis, atque dilata resolutione, credo quod causa per concordiam finem habuerit, dum amplius de illa actum non audivi. 1 2

Duo igitur erant hujus controversiæ puncta; Primò ordinis, an scilicet stante remissione causæ factæ per Sacr. Congregationem Archiepiscopo, appellari potuerit ad A. C. Et secundò circa justitiam, seu merita negotii principalis. 3

Super primo, de quo solùm actum fuit in Signatura; Dicebatur per Scribentes in contrarium, quod cùm per S. Congregationem, ad quam priùs ex hac parte recursus habitus fuerat, negotium commissum fuisset Archiepiscopo, ita iste dicendus esset ejusdem Congregationis delegatus, à quo proinde ad delegantem, non autem ad A. C. Judicem ordinarium appellationis recurrendum esset, ut habetur in sua sede *sub tit. de Judic.*

Verum istud erat leve objectum, quoniam S. Congregatio non processerat per viam commissionis importantis delegationem, per quam tribui dicitur jurisdictio illi, qui eam non habeat, sed per viam remissionis ad Ordinarium, cui de jure cognitio causæ in prima instantia competebat, juxtà dispositionem S. Conc. Trid. *sess* 24. *de reform. c.* 20. de qua pluries *sub tit. de judic.* ac etiam sub altero *de jurisd. præsertim disc.* 68. *& in annot. ad idem C. Trid.* Unde propterea fuit potiùs illa justitiæ administratio, quam quotidiè practicat Signatura Justitiæ, remittendo ad partes locorum Ordinariis causas, quæ prima instantia adhuc non terminata, neque, intrante legitima causa appellandi, malè introducuntur in Curia; Unde propterea hujusmodi remissiones, seu etiam novæ commissiones, quæ Ordinario diriguntur tanquam Ordinario juxtà communem traditionem practicorum, delegationem non important, sed potiùs quamdam ordinariæ, & jam competentis jurisdictionis excitationem, sive aliquando, pro casuum qualitate, quemdam majorem calorem, sive majorem existimationem, ut præsertim frequens praxis docet in iis quæ concernunt immunitatem Ecclesiasticam, quod S. Congregatio Immunitatis Ordinario committit, & inculcat defensionem cum similibus, atque revera istud objectum in nulla penitus consideratione habebatur. 4

Ma-

5 Majorem difficultatem inferebat consideratio per scribentes, in contrarium non deducta, quòd cùm collatio ordinum sit actus extrajudicialis, merèque arbitrarius, utpotè remissus arbitrio, ac prudentiæ Episcopi, in quo, pro communi sensu antiquorum, ac modernorum Patrum, ejusdemque S. Congregationis, nimiùm commendabilis est parcitas, ac restrictio, damnabilis verò facilitas, adeout frequenter Sac. Congregatio, ubi præsertim agitur de prima tonsura, soleat aliquibus inhibere ne ipsa inconsulta eam conferant, ut etiam advertitur *in annotationibus ad Concilium*; Ideirco magnum inconveniens esset, ut aperienda esset hæc via adeundi Judices ordinarios appellationis in casu denegationis, ut ita Episcopi cogantur, cum pluribus subditis, quibus ordines denegentur, lites, cum incommodis, & expensis sustinere; Præsertim verò intra montes, postquam erectæ fuerunt Sac. Congregationes, ista præsertim Episcoporum, ad quam facilis est recursus cum extrajudiciali, & summaria cognitione, quæ litium incommoda, & sumptus non causat, ut advertitur *suprà, hoc eod. tit. disc.* 1. Et consequenter quando casus præbeat hujusmodi appellationes ad Judices ordinarios in forma judiciali per consuetum remedium appellandi à denegata justitia post tres interpolatas instantias, eadem S. Congregatio, Episcopis instantibus, vel conquerentibus, istas causas reassumere solet, summariè, ac in forma extrajudiciali, cognoscendo, an adsit, necne justa causa denegationis, potiùs per speciem recursus ad Principem, quàm per viam appellationis ad Judicem, ea ea clara ratione, quòd ad clericatum aliosque ordines assequendos, nullum competit jus, nec in re, nec ad rem, sed est mera gratia, seu merum arbitrium adscribere, vel non adscribere militiæ cœlesti, eo modo quo in arbitrio Principis, vel Ducis exercitus repositum est aliquem recipere, vel non recipere in militem.

6 Hinc proinde Sac. Congregatio Concilii, pluries rescribere consuevit, & præsertim, juxta aliquas meas annotationes in una *Vercellen.* 21. *Martii* 1643. & in una *Bononien.* 14. *Novemb.* 1654. atque in una *Alerien.* 24. *Novemb.* 1657. & in aliis, quas ubi causa prosecutionem habuisset, dicebam causæ Patrono, perquiri debere in registris, ad effectum videndi an essent veræ, necne, ut scilicet Episcopus non teneatur subditis assignare causas denegationis ordinum; Bene tamen eas assignata debeat Sac. Congregationi, in casu recursus, ut frequenter ego practicavi, & præsertim in casu, de quo agitur *sub tit. de benef. disc.* 71.

7 Pro hac tamen difficultate evitanda dicebam in ista causa, quòd præmissa rectè procederent quando contentio esset cum solo Episcopo, qui pro ejus arbitrio, & prudentia collationem denegaret, cum tunc rectè procedunt dicta inconvenientia; In hac autem facti specie revera lis erat privata cum dicto æmulo, ac oppositore aspirante ad capellaniam à majori fundatam, cum evidenti resistentia æquitatis, ut ita remotior, minùsque dilectus, obtineret emolumentum debitum proximiori, magisque dilecto, unde propterea videbatur quidem casus specialis, in quo recedendum esset à dicta regula, cujus veritatem admittebam.

Quo verò ad alteram inspectionem meritorum super qua scripsi, tam in S. Congreg. quàm in Signatura, scribendo more Advocati, deducebam distinctionem, cum qua procedi solet, firmatam per Rot. *in Elboronen. ordinum* 24. *Junii* 1618. *coram Remboldo confirmata* 18. *Febr.* 1619. *coram Coccino inter suas dec.* 190. cum aliis apud Barbos. *de Episc. alleg.* 4. *n.* 66. & insinuatur etiam *dict. disc.* 71. *de benef.* quod scilicet; Aut agitur de illis, qui nullo Ecclesiastico beneficio arctati sint, & tunc id residet in libera voluntate Episcopi, qui invitus non teneatur, neque intret appellatio, quia nullum adest gravamen; Aut verò de illis, qui sint arctati, & tunc secus.

8 Verùm quidquid sit de ista distinctione in casibus suis; Reflectendo ad veritatem, nimiùm dubitabam de ejus applicatione, seu relevantia in casu præsentis controversiæ; Dicta etenim distinctio, verè, & propriè intrat, quando agatur de Ordinibus sacris, qui annexi sint beneficio jam obtento, unde propterea pro ejus retentione, oporteat assumere presbyteratum, vel alium ordinem infra annum, prout sunt Ecclesiæ Parochiales, vel dignitates, & Canonicatus in Cathedrali, vel alia beneficia recensita in sua sede, *sub tit. de benef. disc.* 95. occasione agendi de ætate, quæ in beneficiis necessaria est, ac etiam insinuatur *in annot. ad S. C. T.* Tunc etenim denegatio ordinum importaret formalem amissionem juris jam quæsiti, unde propterea esset species pœnæ juxta distinctionem, de qua *d. tit. de benef. disc.* 70. & 71. At etiam isto casu persona jam præsupponenda est in statu clericali, & adscripta cœlesti militiæ, cum alias obtineri non potuisset beneficium, cujus incapax est laicus, unde propterea meritò adversus denegationem intrat appellatio, vel recursus, ne aliàs in libito Episcopi repositum sit aliquem privare beneficio assecuto à Sede Apostolica, & consequenter in praxi admittitur recursus, atque committi solet Episcopo viciniori vel Metropolitano, quoties aliquod justum motivum non concurrat, juxta casum, de quo *in d. disc.* 71. *de benef.*

9 Id autem ad rem adaptabile non erat, quoniam agebatur de puro laico, qui nullum jus nec in re, nec ad rem habebat in beneficio, sed solùm quandam spem, unde propterea non diceretur privari jure quæsito, sed solùm arceri à jure quærendo, quod non importat præjudicium considerabile, juxta distinctionem, de *qua dicto disc.* 70. & 71. *de benef.* Atque alias esset in libito cujuslibet privati cogere Episcopum, ut conferat tonsuram sæculari, cui Episcopus judicet conferri non debere erigendo beneficium, vel capellaniam cum jure patronatus passivo pro illa persona, sive in libito illius, qui habet jus præsentandi, declarando velle præsentare illum laicum, ut ita clericaretur, sive præsentare illum Clericum in minoribus, ut ita sacros Ordines obtineret.

10 E converso autem dari posset inconveniens, ut vacante beneficio debito certo generi personarum, in libito Episcopi repositum esset ita indirectè privare illam personam ac dominum; Et consequenter ista materia non recipit certam, ac determinatam regulam cuicunque casui applicabilem, sed expectat decisionem à singulorum casuum circumstantiis ponderandis à S. Congregatione in forma summaria & extrajudiciali ut supra; Potissimùm autem ponderari solet, an agatur de primo ingressu, vel de progressu, de ingressu scilicet, putà à statu sæculari ad clericalem per collationem primæ tonsuræ, adeout sequatur immutatio status, aut ab Ordinibus minoribus ad primum sacrum inducentem statum irretractabilem; Vel è converso à prima tonsura ad alios Ordines minores, vel à subdiaconatu ad diaconatum, & presbyteratum ut primo casu strictius, atque cum majori circumspectione procedatur, quàm in altero; Ideoque est materia, quæ sine zelo Ecclesiastico, rectaque intentione nunquam benè regulari potest; Magnamque partem in hoc etiam habent Incolarum mores, aliæque circumstantiæ, ob quas in una diœcesi, vel Civitate strictiùs, & in altera largiùs procedi solet. 11

ANNOT. AD DISC. XXV.

De materia Collationis ordinum habetur *suprà, disc.* 1. & *in annot. ad S. C. T. disc.* 4. & 14. *sub tit. de pens. disc.* 81.

ACHERUNTINA, ET MATERANEN. DISTRIBUTIONIS OLEI SANCTI,

PRO CAPITULO ACHERUNTINO, ET ALIIS,

CUM ARCHIEPISCOPO.

Casus disputatus in S. Congregatione Episcoporum, resolutus ut infrà.

De consecratione Olei Sancti, ejusque distributione per diœcesim, quando agatur de pluribus diœcesibus æquè principaliter unitis, quomodò facienda sit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio.*
3 *Episcopus potest facere oleum sanctum in una ex Ecclesiis unitis.*
4 *Fieri tamen debet in Cathedrali, & inter Missarum solemnia.*
5 *De eodem, de quo n.* 3.
6 *Ecclesiæ æquè principaliter unitæ retinent proprias prærogativas.*
7 *Quando quoad Episcopum habeantur pro una.*
8 *Episcopus potest in quacunque parte residere, & tribunal habere.*
9 *De actibus facultativis non inferentibus præjudicium.*
10 & 11 *Declaratur dicta conclusio de actibus facultativis.*
12 *De eodem, & quando causa faciendi sit rationalis, ut excludat facultatem.*
13 *Oleum sanctum recipiendum est à proprio Diœcesano.*

DISC. XXVI.

1 UNitis ab antiquo æquè principaliter Ecclesiis, Acheruntina, & Materanen. ipsarum diœcesum, seu finium divisione adhuc durante, juxta continuatam praxim, occasione præsertim Sedis vacantiæ in deputatione Vicarii per utrunque capitulum respectivè, controversia solùm vigente in aliquibus oppidis, & locis, quæ Materanensi potiùs adjacent, quorum etiam respectu, Acheruntina est in quasi possessione, juxta seriem enunciatam *sub tit. de canonic. & Capitul. disc. 27. in fin.* occasione agendi de dicta deputatione Vicarii, sede vacante.

Cùm Archiepiscopus continuam residentiam facere soleat in Civitate Materanensi, quæ longè majorem incomparabiliter populum, & clerum habet, quam Acheruntina penè depopulata, unde propterea ibi singulis annis in die Cœnæ Domini chrisma, seu sanctum oleum conficiatur, pro cujus tamen distributione, antiquissima, & continuata observantia dedit, ut ad aliam Ecclesiam Acheruntinam Archiepiscopus transmittat totam illam quantitatem, quæ necessaria sit pro istius diœcesis parochiis, & oppidis, seu locis inhabitatis, quorum Parochi, seu Vicarii ad istam Acheruntinam pro distributione accedunt, præsertim pro ea diœcesis parte, ibi approximante in montibus, quæ vulgo superior dicitur, cum incertum sit, an alia pars, quæ Materanensi magis proxima est, & quæ ideo inferior dicitur, in ista distributione interveniat.

Cum autem modernus Archiepiscopus, innovando hanc
2 observantiam, mandasset ut singuli parochi universæ diœcesis, etiam illi ipsiusmet Acheruntinæ Civitatis, ad ipsam Ecclesiam, in qua sanctum oleum consecratum est, juxta generalem consuetudinem, accedere deberent; Hinc recursum habuit Capitulum Acheruntinum ad Sac. Congregationem Episcoporum, à qua, audito prius de stylo Episcopo, prodiit resolutio super dictæ antiquæ observantiæ continuatione; Atque mihi scribenti pro recurrente, resolutio justa, benèque fundata visa est.

Non negabam siquidem scribens pro recurrentibus assumptum, quod deducebatur ex parte Archiepiscopi, quod scilicet in ejus libito repositum sit oleum sanctum conficere in una ex sibi benè visis duabus Cathedralibus unitis, quoniam,
3 licet ex dispositione sacrorum Canonum, ista consecratio, cessante consuetudine, vel desolatione Civitatis, aut alio impedimento, in ipsa Ecclesia Cathedrali non autem in alia inferiori fieri debeat, juxta textum *in cap. se referente, de celebratione Missar.* ubi agendo de Archiepiscopo Syponntino, qui in die Cœnæ, in qua ista consecratio facienda est, accedendo de mane, pro istorum temporum majori devotione, ad Sac. Speluncam Montis Gargani, Archangelo Michaeli dicatam, ibi cogebatur Missam celebrare, deindeque in vesperis ad Cathedralem redibat pro consecratione olei; Consultus Pontifex respondet, ut id fieri non debeat, sed quod ista functio de mane inter Missæ solemnia facienda sit in Cathedrali, non autem in alia Ecclesia; Et cujus Decretalis dispositione mentio habetur *sub tit. de praemin. disc. 2.* occasione agendi de quæstione cathedralitatis inter dictas Ecclesias Syponrinam, & Garganicam.

Attamen, cùm ista functio fieri debeat ab Episcopo, cujus
4 persona materialis est naturaliter individua, utique pro ejus arbitrio fieri potest in una ex duabus Cathedralibus simul unitis, pro utraque diœcesi, ut docet praxis generalis tot consimilium diœcesum unitarum.

Quamvis enim unio æquè principalis nullam diœcesum mixturam inducat, sed ambæ remaneant in suo primæ-
5 vo statu, primævisque juribus perinde ac si non essent unitæ ad alios effectus, ut præsertim distinguendo unionum species ex professo agitur *sub tit. de praemin. disc. 7.* ac etiam insinuatur, *dict. disc. 2. eod. tit.* & supra *hoc tit. disc. 3.* & alibi; Attamen id procedit ad alios effectus ibi enunciatos; secus autem quoad illos, qui concernunt personam Episcopi, cujus respectu utraque Ecclesia, seu diœcesis habetur pro unica, ut præsertim advertitur *sub tit. de benef. disc. 10.* occasione agendi de puncto, an Episcopus acceptante alternativam sub intitulatione, seu nuncupatione unius Ecclesiæ, censeatur illam acceptasse pro altera.

Hinc animadvertitur, *sub tit. de jurisdict.* præsertim *disc.*
6 *22. & seqq. & dict. disc. 1. hoc tit.* & alibi, in quacunque parte unius ex duabus diœcesibus pro utraque, residentiam, ac Tribunal erectum, cum unico Vicario Generali habere potest, ibique omnes diœcesanos evocare, & tamen ista dici potest materia divina, tam respectu residentiæ, quæ in una parte anni fieri potest in una Ecclesia, & in alia fieri potest in altera; ac etiam quia quoad exercitium jurisdictionis retineri possunt duo, vel plures Vicarii generales cum distinctis Tribunalibus, ut in aliquibus nimiùm amplis diœcesibus quandoque practicari insinuatur, *dict. disc. 22. & seqq. de jurisdict. & alibi*; Multò verò magis, ubi agitur de functione omnino individua, & non reiterabili, qualis est ista, quæ nonnisi semel in anno, ac certa statuta die, quinimò in certa diei parte, & non aliàs fieri potest, ut ex parte Archiepiscopi insistebatur, sed frustra, unde propterea inanem laborem dicebam esse illum desuper adhibitum, cùm id non esset in controversia.

Prout inanis quoque labor erat (quatenus ad istam functionem pertinet) immorari super adeò frequenti, ac rece- 7
pto principio, quod habemus in actibus facultativis, ut non inducant præscriptionem in futurum obligatoriam, Siquidem potiùs huic parti expediebat istud principium firmari, quod scilicet si Archiepiscopus vellet in Acheruntina Civitate residere, ibique istam functionem peragere, impediri non posset sub prætextu antiquæ continuatæ observantiæ contrariæ ex dicta ratione facultatis.

Difficultas itaque residebat in eo, an idem juris princi- 8
pium, & facultatis, in quo totum ex parte Archiepiscopi fundamentum constituebatur, esset applicabile ad casum controversiæ, ut pro eo Scribentes insistebant, quod scilicet ex facultate, seu benevolentia Archiepiscoporum id provenerit, transmittendo eorum cura, & sumptu sanctum oleum ad aliam Cathedralem, ut exinde fieret distributio pro ea diœcesi.

In hoc autem (etiam in sensu veritatis) dicebam quod 9
fallacia erat in applicatione; Siquidem dictum principium rectè procedit, ubi ex actibus facultativis inferretur ad formalem servitutem profanæ ipsius Episcopi, qui invitus cogeretur magis in uno, quam in altero loco residere, vel Tribunal habere; Sive quod cogeretur habere pluries Vicarios generales, vel plura Tribunalia, cùm id juris restrictionam potiùs habeat; Et nihilominus, ubi diœcesis amplitudo, vel itineris asperitas ita suadeant, adhuc multiplicitas Vicariorum, & Tribunalium damnabilis non est, ut latiùs advertitur, *eod. disc. 22. de jurisdict.*

Secus autem ubi agitur de hujusmodi actibus, qui servi- 10
tutem personæ ipsius Episcopi non importent, minusque causent grave præjudicium, cum actus de quo agitur, concernat solùm modicam commoditatem transmittendi per unum, vel duos clericos oleum ab una Cathedrali ad alteram.

E converso autem, iste actus longè majora commoda, & 11
proficuos effectus operatur; Tum ob majorem commoditatem aliorum diœcesanorum; Tum etiam ob eorundem consolationem accedendi ad propriam matrem; ac etiam ob ejusdem Cathedralis honorificentiam, ut ita illa præcisè cathedratica functio olei sancti, quæ in ea non fiat in specie, fiat saltim in hoc æquipollenti; Atque nimium probabile dicebam quod antiquiori tempore, vigentibus inter istas Ecclesias gravibus litibus, & dissidiis, ista forsan prætendente quod hæc adeò solemnis functio cathedratica in ea potius fieri deberet, vel saltim, ut servata æqualitate, deberet alternari, ita cum hoc temperamento controversia sopita fuerit. Ac etiam quia pro qualitate locorum hujus diœcesis, vel ejus partis, nimium incommodum esset singulis accedere ad dictam aliam Ecclesiam.

Quando autem actus habere potest aliquod probabile mo- 12
tivum, quod etiam necessitati sit referibile; illeque consistat in actibus positivis, magis, quam negativis, atque antiquam habeat continuationem, tunc necessitati potiùs, quam voluntati referendus videtur, ideòque non intrat dicta conclusio, seu principium de actibus facultativis, ut cæteris relatis, plenè firmatur per Rotam *in Majoricen. celebrationis Missarum coram Bichio inter suas decis. 522. & 543. recent. dif. 186. & 389. p. 11. rec. & alibi.*

Et sic non negabatur, quòd oleum sanctum recipiendum 13
esset à Diœcesano juxta *cons. 4. Calder. de Privil.* Rota apud Royas *dec. 218. n. 2.* sed quòd ipse Diœcesanus illud distribuere deberet discretè, & juxta consuetudinem, quæ magnum fomentum rationis habet, ut supra.

ADNOT. AD DISC. XXVI.

DE distributione Olei sancti per Diœcesim *in annot. ad S. C. T. disc. 7.*

PRÆ.

PRÆNESTINA CONCIONATORIS PRO COMMUNITATE ZAGAROLÆ CUM EPISCOPO.

Casus disputatus coram A. C. resolutus, ut infrà.

An, & quando Populus, vel Communitas cogi valeat ad præstandum eleemosynam concinatori per ipsam non nominato sed deputato per Episcopum; Et de aliis ad hanc materiam concionatoris.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Declarationibus S. Congregat. est deferendum.*
3 *Si Parochus vult prædicare per se ipsum, & est idoneus, non potest Episcopus deputare alium, & n. 7.*
4 *Ad Episcopum, non autem ad communitatem, vel alios pertinet deputare prædicatorem.*
5 *Fallit ubi accedit consuetudo, quæ nunquam admittitur in Cathedrali.*
6 *Ad quem pertineat onus præstandi alimenta, vel eleemosynam.*
7 *De eodem de quo supra n. 3.*
8 *De eodem, de quo n. 6.*
9 *Quando dicatur probata consuetudo.*
10 *An simoniacum sit exigere præmium prædicationis?*
11 *Quomodo istæ quæstiones decidantur.*

DECISIO XXVII.

1 ORta controversia inter Episcopum Prænestinum (qui est unus ex senioribus Cardinalibus) & Communitatem Zagarolæ, super jure eligendi, seu nominandi concionatorem de tempore quadragesimæ, eique suppeditandi alimenta, vel respectivè solvendi eleemosynam; Episcopus, eo præsupposito quòd per aliquos annos, Communitas solvisset eleemosynam concionatoribus per ipsum absque aliqua nominatione deputatis, ex prærogativa possessorii obtinuit literas a S. Congregatione Concilii, decernendo ut ita continuari deberet, donec in petitorio fierent probationes ex parte Communitatis prætensæ; Dictarumque literarum executione petita coram A. C. plures habitæ fuerunt disputationes: Et quamvis Judex, ubi causa corà ipso ex integro tractanda esset, inclinaret in hanc partem, eique probabiliora viderentur hujus partis fundamenta; Nihilominus cum ipse gereret partes executoris dictarum literarum S. Congregationis, cujus resolutionibus, etiam Rota, multò magis alia inferiora Tribunalia reverenter deferre profitentur, ut pluries Rota in ejus decisionibus profitetur, atque frequenter *sub tit. de præeminentiis*, & alibi advertitur: Ideircò tunc cum quodam provisionali temperamento, sine præjudicio jurium partium, controversia sus-
2 pensa fuit, durante præsulatu illius Episcopi: Eoque ad aliam Ecclesiam translato, impedita fuit eadem executio per aliquod tempus de meo consilio, ex eo quòd, unus ex duobus dicti loci parochis utpotè S. Theologiæ professor, atque prædicationi idoneus obtulit prædicare per se ipsum, quo casu, atque idoneitate accedente, non potest Episcopus alium deputare, ut pluries declaratum fuit per S. Congregationem Concilii, & præsertim scio ita post hæc scripta fuisse declaratum *sub die 13. Septembris 1670.* incertumque est quid exinde secutum sit, ob subsecutam immutationem Domini temporalis, in cujus gratiam ego scribebam.

3 In disputationibus autem desuper habitis coram A. C ac etiam in aliis præparatoriis, in S. Congregatione Concilii, quam adire oportebat pro dictarum literarum moderatione, duo erant puncti. Primo nempè super jure nominandi, seu eligendi prætensos per Communitatem, quæ super hoc principaliter insistebat, libenter prompta ad dictam solutionem quatenus obtineret sibi denegatam facultatem nominandi. Et secundo, super obligatione solvendi eleemosynam quatenus dicta facultate denegata, Episcopus eum deputaret.

4 Quatenus pertinet ad primum, cognoscebam difficultatem contra Communitatem, quoniam juris regulæ assistunt Episcopo, ut ad ipsum pertineat jus eligendi, seu deputandi concionatores, tam in Ecclesia Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis parochialibus, vel matricibus diœcesis de tempore Adventus, & Quadragesimæ, ex ea ratione quod ad ipsum Episcopum, vel parochos respectivè pertinet concionari, ideòque ubi per se ipsos id explere nolunt, vel non possunt, sed id agere volunt per substitutum, iste ab eis, respectivè est deputandus, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Apont. *conf. 48. lib.* 2. & latiùs rem ab alto peragendo Rota apud Merlin. *dec. 598 repetit. dec. 234. p. 6. rec.* Barbos. *de Paroch. p. 1. cap. 14. & in collectan. ad S. C. T.* atque est principium absolutum, quod scilicet non potest Communitas, vel populus de jure prætendere hanc eligendi, seu nominandi facultatem.

Nisi accedat consuetudo immemorabilis, quæ servari debet, quoties tamen agatur de Ecclesiis inferioribus, non 5
autem de Cathedrali, in qua ista materia est impræscriptibilis, ex ea ratione, quod jus concionandi in Cathedrali pertinet ad ipsum Episcopum, qui solet has partes explere per alium ab ipso semper deputandum; In aliis vero Ecclesiis pertinet ad parochum, cujus loco, ita implicat ex consuetudine deputari alium populo gratum, atque ab eo nominari, ab Episcopo autem approbari, ac deputari, ut firmatur *in eadem dec.* 598. Merlini, atque ita fuisse pluries declaratum per S. Congreg. Concilii testantur consueti notorii moderni Collectores, quorum copia adeò hodie increpsit: Unde propterea donec ex parte Communitatis probaretur ista consuetudo, fundata erat intentio Episcopi habentis pro se assistentiam juris, cujus virtus ac operatio in hoc consistit, quod donec contrarium probetur, fundat intentionem ejus qui illam per se habet.

Quo verò ad alterum punctum, in quo magis ex hac par- 6
te insistebatur, solutionis scilicet eleemosynæ, vel alimentorum, dicendum quod è converso assistentia juris erat pro Communitate; Quamvis enim Surd. *in tract. de alim. tit. 6. q. 5p.* aliquibus relatis asserat ut onus suppeditandi alimenta, vel eorum loco eleemosynam concionatori tempore Quadragesimæ, & Adventus incumbat populo; in cujus gratiam ille actus explicatur; Nihilominus idem Auctor se ipsum retractando, atque punctum maturiùs examinando, contrarium verius esse late firmat *conf.* 234. ubi pro consueto stylo plenè Concordantes cumulantur, & firmat etiam Rota *in d. dec.* 568. Merlin. cum aliis, plene relatis per Zicch. *in tract. de salar q.* 81. ubi allegantur Barbos. & alii relatores plurium declarationum S. Congregationis; Ex ea congrua ratione quòd ideò per populum solvuntur parocho decimæ, aliæque oblationes, & emolumenta, quia è converso ipse administrat Sacramenta, aliaque divina pabula, inter quæ istud prædicationis verbi Dei numeratur, unde propterea, quando parochus illud onus, quod per se ipsum de jure implere tenetur, vult adimplere per substitutum, tunc justum, ac rationabile est, ut ipse alimenta illi suppeditet, ne populus duplici onere gravetur.

Atque ex hac ratione quoque manat assumptum, de quo 7
supra, quod scilicet, dum parochus vult concionari, atque ad hoc opus est idoneus, non potest Episcopus eo invito, alium concionatorem deputare, ipsum parochum gravando ad hoc onus; Nimium tamen rara est hæc praxis, præsertim in Italia, quoniam ut plurimum parochi vacantes solum alicui studio Theologiæ Moralis, seu casuum conscientiæ, habent quidem sufficientem habilitatem exercendi curam animarum, ac administrandi sacramenta, non autem habendi conciones toto tempore quadragesimali, cum ista videatur hodie professio particularis.

Bene verum quod quemadmodum in dicto primo pun- 8
cto juris nominandi, vel eligendi, consuetudo immemorabilis favore populi, vel Communitatis cessare fecit assistentiam juris, quam habet Episcopus, vel parochus, ita è converso eadem consuetudo, istam aliam assistentiam cessare facit, quod scilicet si populus consuevit suppeditare eleemosynam, vel alimenta respectivè, concionatori deputato per Episcopum, vel per parochum etiam absque dicto jure nominandi, adhuc ad id cogi potest, ut patet apud allegatos; Quod tamen non procedit in Cathedrali, in qua ratione correlativorum, quemadmodum jus eligendi, seu nominandi est impræscriptibile, ut supra ita pariter impræscriptibilis est hæc obligatio.

Dicta verò consuetudo in isto casu erat improbabilis, 9
quoniam licèt ex parte Episcopi darentur attestationes plurium concionatorum super dicta eleemosynæ suppeditatione facta per Communitatem, attamen plures ex eis supponebantur ab ea nominati, ideòque erat possessio qualificata, quæ dividi non potest.

Scribendo item in causa more Advocati dicebam, quod 10
neque per concionatores ab invita Communitate ista eleemosyna in pecunia peti poterat, cùm esset species simo-

niæ,

niæ, ex deductis in puncto per Rip. *conf.* 26. *n.* 45. & Surd. *d. conf.* 253. *n.* 25. *& seq.*

Verùm istud non videbatur motivum considerabile, ideoque pro stylo, insinuavi partibus quòd in eo fundamentum constituendum non esset, quoniam tunc intraret simoniaca infectio ponderata per allegatos Auctores, quando peteretur directè tanquam merx, seu præmium spiritualitatis; Secus autem ubi petatur loco alimentorum, ac expensarum viatici in accessu, & recessu, pro quibus omnibus reficiendis; consuetudo penè universalis inolevit, ut certa summa uniformis præstetur, ad tollenda inconvenientia oriri solita, quando singulis diebus alimenta in specie præstentur, & consequenter verè non intrant termini salarii, vel mercedis, sed potiùs illi alimentorum, vel expensarum; Potissimè quia conctio sequi non solet ex parte ipsorum Concionatorum, sed potiùs, ut in præsenti, ex parte Episcopi, qui ex officio ad id cogit populum, vel alius, ad quos unus pertinet, ne aliàs fletur absque Concinatore; Ideòque ea quæ deducunt per Ripam, & Surd. *ubi supra*, in abstracto vera, patiuntur consuetam fallaciam in applicatione, ut generaliter contingit in conclusionibus, quæ deduci solent per consulentes.

11 Frequenter autem de hujusmodi quæstionibus, præsertim circa professionis initia disputare occasio dedit in Sacris Congregationibus Concilii, & Episcoporum, sed semper sunt eædem cautiones, omniaquæ coincidunt in idem; Unde propterea istæ dicendæ veniunt quæstiones potiùs facti quàm juris, certam non habentes regulam, omnibus casibus applicabilem, sed ex singulorum circumstantiis decisionem recipientes, quoniam theoricæ, seu propositiones de quibus supra, sunt veræ, hodieque firmæ, sed punctus est in applicatione ad factum super probatione scilicet consuetudinis, quæ respectivè cessare facit regulam, seu assistentiam juris.

ANNOT. AD DISC. XXVII.

AD materiam Concionatorum videri poterunt deducta *in ejusdem adnot. ad S. C. T. disc.* 3. *per tot.*

ROMANA SEPULCHRI

INTER DUCEM BONELLUM, ET ANTONIUM GHISLERIUM.

Discursus pro veritate.

De jure sepulchri an sit hæreditarium, vel familiare, sive an veniat sub fideicommisso, vel remaneat in hæreditate directa? & de jure prohibendi illationem cadaverum in propriam sepulturam.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *An juspatronatus remaneat penes hæredem gravatum, vel transeat ad fideicommissarium?*
3 *Sepulchra eodem jure regulantur.*
4 *De lata significatione vocabuli familia.*
5 *De jure revocandi antiquum sepulchrum viri conspicui.*
6 *Identitas familiæ, vel alia prætensio de facili attendi debet in mere honorificis.*
7 *Sepulchrum regulariter est in hæreditate, & spectat ad hæredem.*
8 *Potest vendi, ut satisfiat creditoribus hæreditariis.*
9 *De jure privativo sepulturæ remissivè.*
10 *De eadem conclusione, de qua n. 2.*
11 *Declaratur conclusio Canonistarum, quod in materia sepulchrorum non attendatur jus civile.*
12 *An capella, & sepultura sint in commercio citra simoniam?*
13 *De statutis laicorum in materia funerum, & exequiarum?*
14 *De aliis ad materiam sepulturæ, & funerum remissivè.*

D I S C. XXVIII.

SAnctus Pius V. dum esset in statu Cardinalis, sepulchrum sibi condidit propè altare majus Ecclesiæ supra Minervam ordinis Prædicatorum, cujus ipse professor fuerat, cum inscriptione significante suæ cadaveris humationem; Assumptus autem ad Summum Pontificatum, de aliquibus paucis bonis ex valdè honesta parsimonia in dicto statu Cardinalitio partis, disposuit ad favorem Pauli, & Philippi de Ghisleriis de oppido Boschi ejus patriæ, cum successivo fideicommisso ad favorem descendentium lineæ masculinæ, qua defecta, vocavit proximiores de eadem familia oppidi prædicti, atque cum eodem ordine eis reliquit administrationem Collegii per ipsum fundati in Civitate Papiensi, cum jure nominandi.

Defuncto Pontifice superstitibus ex Domenina filia Gordinæ sororis duabus pronepotibus de Bonellis, Cardinali scilicet, qui eandem Alexandrini nuncupationem, quam ipse Pontifex habuerat, assumpsit, & Hieronymo avo alterius Cardinalis ab Alexandro septimo dignè creati, & proavo hodierni Ducis, observantia dedit, quod ab anno 1582. per decennium scilicet post mortem Pontificis, usque ad annum 1657. promiscuè in hoc sepulchro (in quo cadaver Pontificis ob superventam majorem dignitatem illatum non fuit) sepulti fuerunt, tam præfati Paulus, & Philippus de familia, quàm dicti fratres de Bonellis Pontificis pronepotes, eorumque respectivè filii, & descendentes promiscuè, extinctaque linea Pauli, cùm ex altera Philippi superesset Antonius ob quasdam contingentias, in forma extrajudiciali, atque ad veritatem indagandam, pro veritate consultus fui super dicti sepulchri pertinentia, & jure privativo, an scilicet illud spectaret ad hæredes Pontificis fundatoris, quales ratione sanguinis, ac proximitatis gradus, sunt Bonelli, vel potiùs ad dictum Antonium de familia jam possidentem bona ut supra per Pontificem elargita, vel respectivè pretium eorum loco subrogatum, nec non habentem administrationem, ac jus nominandi præfati Collegii Papiensis, stante præsupposito, quod Ecclesia, seu conventus (rationabiliter quidem in reverentiam tanti fundatoris, non esset in causa, neque prætenderet sepulchri libertatem, unde propterea præsupposita existentia patronali, sola contentio erat super pertinentia inter plures ab eodem fundatore suum jus metientes, nullaque desuper ejusdem fundatoris dispositio habebatur.

Respondi, quod cùm ex infrà deducendis, ambiguum sit in jure, an jus sepulchri sit hæreditarium, vel potiùs transeat cum fideicommisso per fundatorem ordinato, hinc proinde intrare deberent eadem, quæ pluries habentur in sua materia *sub tit. de jurepatr.* præsertim *disc.* 36. super quæstione, an juspatronatus transeat ad fideicommissarium, vel potiùs remaneat penes hæredem directum, aliosque ab eo causam habentes, quòd scilicet observantiæ nimiùm deferri debeat, ex ibi deductis; Ac propterea cùm ista quoque sit species jurispatronatus cum ejusdem terminis regulanda, atque haberetur diuturna observantia annorum ferè octoginta super usu promiscuo; Idcircò credebam, ut in eodem usu continuandum esset, & consequenter quòd respectu extraneorum intraret jus privativum, sed quoad ipsos contendentes intraret jus cumulativum, ita etiam cognatos comprehendendo sub nomine familiæ, juxta illam latam hujus vocabuli significationem, de qua occasione alterius pontificiæ fundationis, licèt in diversis terminis, atque ad diversum, effectum, habetur actum *sub tit. de præemin. disc.* 13. ubi enunciantur aliquæ decisiones agentes de fundatione dicti Collegii facta ab hoc eodem Pontifice. 2

Ita inhærendo prudenti resolutioni in proximis terminis captæ per Rotam *in Romana juris honorifici coram Dunozet. inter suas dec.* 894 quod scilicet, cùm occasione instaurandi, seu ad meliorem modernam structuram reducendi sub Innocentio Decimo Basilicam Lateranensem, repertum esset antiquum sepulchrum Cardinalis Annibaldensis de Molaria, existentis in tunc vigente, nunc autem suppressa Dignitate Archidiaconali, super jure illud renovandi orta fuit contentio inter duas familias Romanas, quarum una nuncupationem habet de Molaria, & altera de Annibalis, seu de Annibaldensibus, atque Rota prudenter respondit, ut ad utrunque cumulativè id spectaret. 5

Et meritò quidem, quoniam ubi non agitur de quæstionibus bursalibus super successione in bonis, vel juribus talibus, ut admissio unius sit præjudicialis alteri, dividendo inter plures id, quod ad unum spectare deberet, sed agitur de juribus merè honorificis, ac intellectualibus, in quibus admissio unius, alteri contendenti non præjudicat; Quoties ambo in statu nobili, & honorifico sint, adeout non intret mixtura præjudicialis familiæ nobilis cum ignobili juxta casum, de quo *sub tit. de jur. patr. disc.* 31. Tunc, ex regula, seu axiomate, ut quod uni non nocet, & alteri prodest, denegari non debeat, de facili cumulativus concursus concedi debet, ita distinguendo inter jura bursalia, vel aliàs utilia, & jura 6

merè

merè bonorifico, in proposito identitatis familiatum habetur *sub tit. de praeminentiis*, *disc.* 32. & latiùs *sub tit. de fideic. disc.* 50 & alibi.

7 Quatenus vero ad punctum principalem pertinet, quando seclusa observantia, in solo puncto juris ille decidendus esset; Dicebam quod attenta dispositione juris civilis, regula potius assistebat Bonellis legitimis hæredibus fundatoris, quod scilicet sepulchrum dicitur esse in hæreditate, & transit ad hæredes, quoties non constet illud esse familiare, ad text. *in l. familiaria, ff. de relig. & sumpt. funer. & l. jus sepulchri, C. eodem*, cum Concordantibus apud Gratian. *discept.* 210. *n.* 37. Medic. *de sepult. p.* 1. *q.* 5. Molin. *de primog. lib.* 1. *q.* 24. *n.* 41. Lot-
8 ther. *de benefic. lib.* 2. *q.* 4. *n.* 23. & tanquam absolutum admittitur *in Auximana sepultura de Camis* 14. *Martii* 1647. *coram Dunozetto inter fuat dec.* 770. & in eadem 28. *Maii* 1646. *coram Arguelles*, ubi aliqua de sepulchro familiari, & de plerisque ad hanc materiam, & ad alteram identitatis familiæ in secunda decisione eruditè dicuntur; Adeo ut illud remaneat in hæreditate, atque affectum sit debitis hereditariis, pro quorum dissolutione vendi possit, ac debeat, eo modo, quo babemus in capellis, in iis tamen, quæ concernunt cementa, aliaque materialia profana, secluso jure spirituali, ut aliis relatis habetur apud Rovit. *cons.* 75. *lib.* 2. & Salgad. *in labyrint. p.* 3. *cap.* 5. *n.* 50. & 51. cum aliis *sub tit. de jurepatr. disc.* 52.
9 & 53. ubi de hac materia sepulchri, ejusque juris privativi ratione jurispatronatus Ecclesiæ, vel capellæ, ex ibi deductis ad hanc materiam.

10 Atque ex ista Civilistarum traditione præsertim Bartoli in materia juris sepulchralis, Rota antiqua, cum qua ex quadam reverentia debita antiquitatis vult procedere moderna, prodiit regula, humanæ rationi, & communi usui parum adaptata, de facili tamen etiam ex levibus adminiculis limitationem recipiens, quod juspatronatus non transit cum fideicommisso, ex deductis *dicto tit. de jurepatr. disc.* 36.

11 Et quamvis ex originali traditione Hostiens. *in c. abolenda, de sepult.* cum qua alii Canonistæ ibidem communiter transeunt, ex relatis per Lotter. *d. q.* 4. *n.* 23 & Rot. apud Coccin. *dist.* 291. & *dicto disc.* 52. & 53. *de jurepatr.* disposita per jus civile in materia sepulchrorum, locum non babent de jure canonico, cùm non concedatur Principi laico disponere super spiritualibus; Attamen id procedit ad effectum libertatis Ecclesiæ, vel respectivè servitutis juris privativi, seu probibendi, non autem ad effectum pertinentiæ patronalis inter privatos, Ecclesia non existente in causa, neque contendente de libertate, quoniam tunc dicitur jus temporale, seu profanum, eodem modo quo ut supra habentur de
12 capellis in Ecclesia existentibus, super eo quod concernit cementa, & ornamenta, ipsumque situm materialem, quod dicuntur esse in hæreditate persona, atque circa simoniam sunt in commercio pecuniario, ex deductis *dict. disc.* 52. & 53. *de jurepatr.*

13 Atque in idem conferunt ea, quæ obiter insinuantur *sub tit. de dote, disc* 22. ac in decisionibus in ea causa editis, super jure Principis sæcularis statuendi modum in exequiis, & pompis funeribus; ut scilicet id non concedatur, in iis quæ concernunt spiritualitatem, putà circa suffragia, aliaque divina, secus aut in iis, quæ concernunt meram temporalitatem, putà circa culcitras, & cæteros, vel famulatum ac similia, quæ pompam temporalem, & bonorificam concernunt, cum in his non prohibeatur Princeps laicus ad resecandos inanes sumptus, desuper providere, dum est circa merè temporalia, & ne in Reipublicæ perniciem subditi cum inanibus pompis depauperentur, sive æmulationes oriantur.

14 De hac autem materia sepulchrorum, seu juris sepeliendi aliqua habentur *sub tit. de Paroch. disc.* 23. & *seq.* 27. & *seq.* 38. & in supplemento, ac alibi occasione agendi de provisionibus S. Congregationis super extorsionibus, quæ à parochis, seu a Capitulis fieri solent.

ADNOT. AD DISC. XXVIII.

DE concernentibus materiam Sepulchrorum babetur quoque *sub tit. de Jurepatr. disc.* 52. & 53. & *in fine præsentis discursus remissivè.*

VULTURARIEN RESTAURATIONIS ECCLESIÆ

PRO EPISCOPO

CUM ABBATE S. MARIÆ IN MAZZOCCA.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Concilii, resolutus pro Episcopo.

Ad quem pertineat onus restaurationis Ecclesiæ ao scilicet ad Rectorem habitualem, qui ejus fructus, & emolumenta obtinet, vel ad Rectorem actualem, aut ad Episcopum, qui ejus usum habeat, sive ad populum, vel alios?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Onus refectionis Cathedralis spectat ad Episcopum, & illud parochialis ad parochum.*
3 *Quando spectet ad populum, ut deferatur consuetudini.*
3 *Ista consuetudo si est in Ecclesia, non extenditur ad domum Rectoris.*
5 *Si adsint duo Rectores, unus habitualis, & alter actualis, sive ad habitualem, qui verè est Rector.*
6 *De eodem, & quod actualis est potiùs minister.*
7 *Episcopus non tenetur ad hoc onus ratione portionis canonica sibi debita.*
8 *De eodem, de que n. 3. super obligatione populi, & de differentia inter Rectorem habitualem; & actualem.*
9 *Si Episcopus utatur Ecclesia parochiali loco Cathedralis, non per hoc tenetur ad hoc onus.*

D I S C. XXIX.

CUm ob insalubritatem aeris Civitatibus Vulturariæ, 1
Episcopus pro majori parte anni resideat in oppido S. Bartholomæi illius diœcesis, cujus Ecclesia parochialis, vel matrix annexa est Monasterio, seu Abbatiæ S. Mariæ in Mazzocca, curam verò ibi exerceat Archipresbyter: Eademque Ecclesia uti soleat Episcopus in functionibus pontificalibus loco Cathedralis ob residentiam, quam ibi habet pro majori parte anni; Ea restaoratione indigente, Episcopus in visitatione decrevit, ut per Abbatem restaurari deberet, atque aliàs ea eisdem Ecclesiæ redditibus, restauratio fieret; Quare Abbas ab hoc decreto appellationem interposuit ad A. C. sed Episcopus curavit causam reassumi a S. Congregatione Concilii, à qua pro dicti decreti executione responsum fuit, credo autem quod quædam bonesta concordia controversiæ finem dederit.

In disputationibus autem desuper habitis; Dicebant Scri- 2
bentes pro Abbate quod, cùm juris regula sit, ut restauratio Ecclesiæ parochialis pertineat ad parochum eo modo quo illa Cathedralis pertinet ad Episcopum, ex iis quæ antiquioribus relatis habentur apud Bet. *cons.* 3. *l.* 1. latè Surd. *cons.* 62. *n.* 1. *cum seq.* Barbos. *de Paroch. p.* 1. *cap.* 23. Valasc. *consult.* 179. Mantic. *dec.* 284. Rota *dec.* 454. *p.* 3. *rec.* idcircò onus esse deberet Archipresbyteri, tanquam rectoris, seu parochi, quoties in contrarium non vigeret consuetudo, ut ad populum, sive ad alios spectare deberet, cùm in hac materia consuetudo primum locum obtineat, ut per Hostien. Panor & alios *in cap.* 1. *de Eccles. ædif.* cum concord. per Valasc. & Sur. & Barbos. *ubi supra*, & *in dictis Rota decisionibus*, atque fre- 3
quens praxis docet in Hispania, quod fabrica Ecclesiæ habet aliquos redditus particulares sub ejus particularibus administratoribus, imò in aliquibus locis habet quandam participationem decimarum, ut præsertim patet ex insinuatis *sub tit. de decimis, disc.* 2.

Non negabam ego scribens pro Episcopo præmissorum 4
veritatem, juxta quam pluries desuper consultus respondere consuevi, præsertim pro veritate in una *Sutrina* inter Parochum, & Sanctesio terræ Campagnani, quod cum de consuetudine fabrica, seu restauratio Ecclesiæ parochialis, spectaret nomine populi ad quosdam administratores sæculares pii operis, qui Sanctesii nuncupantur, prætendebat Rector, ut eidem incumberet quoque onus restaurandi domum Parochi, sed malè, quoniam regula de qua aliis relatis
apud

apud Barb. *de Paroch. d. c. 13. n.*; cui incumbit onus restaurationis Ecclesiæ, incumbat etiam illud restaurationis domus adjacentis pro habitatione clericorum, & ministrorum ejusdem Ecclesiæ, procedit quando tale onus provenit à dispositione juris, secus autem ubi ex sola ratione consuetudinis, quoniam istius natura est, ut attendatur in casu individuo, non autem extendatur de casu ad casum, sive de persona ad personam, vel de loco ad locum, ut ultra generaliter frequenter in omni ferè materia insinuatu, in his præcisis terminis habetur, apud Mantic. *d. dec. 285. n. 6.*

5 Dicebam tamen, in ista causa *Vulturarien.* quod fallacia erat in applicatione, in qua procedebatur cum æquivoco, præsupponendo, quod Archipresbyter qui animarum curam exercet, esset rector Ecclesiæ, de jure hoc onus incumbat, quoniam cum illa annexa esset Monasterio, in commendam dari solito clerico sæculari, ad quem pertinent redditus, & bona ejusdem Ecclesiæ, assignata solum dicto Archipresbytero quadam congrua portione fructuum, cum emolumentis incertis, iste de jure non est parochus, vel rector, sed potius vicarius deputatus ad curæ exercitium cum congrua, seu tanquam stipendio ejus laboris, cura habituali remanente penes eum, cui Ecclesia unita est, ut pluries advertitur *sub tit. de Paroch præsertim disc. 19. cum seq.* occasione agendi de congrua debita vicario, ac etiam alibi *eod. tit.* occasione agendi de modo providendi, ut scilicet non intret forma concursus præscripta per S. C. T. sed fiat provisio ad nominationem rectoris habitualis juxta Constitution. 43 S. Pii V. talisque supponebatur praxis super hujus Archipresbyteri provisione.

6 Cum etenim ad rectorem habitualem pertineant fructus, & emolumenta Ecclesiæ, ut etiam advertitur pluties *sub tit. de decimis*; occasione juris decimandi; quod regulariter pertinet ad hujusmodi rectores habituales, potiùs quam ad actuales, idcircò onus annexum esse debet emolumento, dum iste rector habitualis verè, & propriè est Ecclesiæ sponsus, qui percipit fructus dotis, ideòque onera hujus matrimonii spiritualis supportare debet, dum vicarius reputari solet tanquam famulus, seu minister pro solo exercitio, pro cujus salario, seu mercede, emolumentorum, ac fructuum aliquam obtinet participationem loco congruæ; Et consequenter dicebam, quod si Abbas nolebat subjacere huic oneri, cederet fructibus, ac emolumentis Ecclesiæ, & concordabamus, quoniam libenter Episcopus, vel Archipresbyter illud in tali casu assumeret.

7 Replicabatur quod cùm Episcopus de aliquibus fructibus, & emolumentis, putà decimarum, & similibus participaret pro quarta parte, idcircò pro eadem rata saltem contribuere deberet, Verùm neque erat bona prætensio, quoniam ista participatio proveniebat ab illa portione canonica, quæ per parochos Episcopo præstanda est, de qua *sub tit. de Paroch. disc. 25.* & sub altero *de decimis, disc. 19* Et consequenter est unum ex oneribus parocho incumbentibus, eodem modo quo est illud restaurationis Ecclesiæ, quod implendum propterea est ex reliquis fructibus, quatenus sufficiant, cum solum in casu insufficientiæ, adeòut ultra congrua rectoris ratione administrationis nil exuberet, taliter tunc subsidiariè incumbat populo, ut disponitur etiam per S. C. T. sed ista consideratio non erat ad 8 rem adaptabilis, dum iste rector habitualis absque onere curæ actualis ejusque exercitio, ex sola ratione habitualitatis fructus, ac emolumenta percipit, ideoque contendit de puro lucro sine onere, ut distinguendo inter rectorem habitualem, & actualem consideratur in *Barchinonen. congruæ, seu Vicario, sub tit. de Paroch. in supplemento.*

9 Objiciebatur quoque quod istius Ecclesiæ continuum, ac majorem usum haberet idem Episcopus, cui deserviebat loco Cathedralis ut supra; Verùm istud pariter erat nimiùm leve fundamentum, dum id contingebat per accidens, atque erat usus, qui honorificentiam potiùs Ecclesiæ, ejusque rectoris importabat, stante Episcopi facultate residendi in quocumque loco, atque functiones pontificales exercendi in quacumque parte diœcesis, omnibusque sibi subjectis Ecclesiis, ex deductis *sub tit. de jurisd. præsertim disc. 28. & seq.* Potissimè dum non erat usus, qui causaret rei consumptionem, vel deteriorationem, adeout ex hoc restaurationis necessitas oriretur; obligatio enim Episcopi est ut supra in Ecclesia Cathedrali, quæ adest, ac reficienda est; Tum etenim difficultas cadere posset, quando Cathedralis esset diruta, adeout ista materialiter ac formaliter ejus loco subrogata esset.

ANNOT. AD DISC. XXIX. & XXX.

AD quem pertineat restauratio Ecclesiæ. Vide aliqua *in annot. ad S. C. T. disc. 17. in fin.* Et conferunt deducta *sub tit. de Jurepatr. disc. 84.* præsertim quoad punctum, de quo *disc. 30. n. 20.*

ROMANA, SEU PRÆNESTINA FUNDATIONIS MONASTERII

PRO SORORIBUS DE LUDOVISIIS

CUM COMMUNITATE ZAGAROLÆ.

Casus disputatus in Tribunali Fabricæ, ubi pendet.

An, & quando ille, qui incipit construere Ecclesiam, vel Monasterium, teneatur opus perficere ac dotare? Et incidenter de facultatibus executoris testamentarii; Ac etiam an certa destinatio bonorum pro pio opere adimplendo stet taxativè, vel demonstrativè?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *De facultatibus Fabricæ in piis dispositionibus.*
3 *Certa demonstratio adest taxativè, vel demonstrativè.*
4 *Quid in hoc operetur privilegium piæ causæ.*
5 *Quomodo ista quæstio decidi debeat.*
6 *Quomodo dignoscatur an dispositio sit taxativè, vel demonstrativè.*
7 *Non sunt attendenda verba, sed substantia voluntatis, & de ratione.*
8 *Quando sit facienda vis in verbis.*
9 *Quod dispositio esset taxativa.*
10 *Quando etiam de superfluis agere congruat.*
11 *Quod incipiens construere Ecclesiam, vel monasterium cogatur perficere.*
12 *De eodem, etiamsi id factum sit sine licentia Episcopi.*
13 *Ad evitanda æquivoca procedendum est cum distinctione.*
14 *Construens Ecclesiam cogitur eam dotare.*
15 *De rationibus istius conclusionis super dotatione.*
16 *Consensus Episcopi præsumitur ex tempore.*
17 *Ecclesia universalis interest ut Ecclesia constructa dotetur.*
18 *Non potest construi Ecclesia sine licentia Episcopi.*
19 *Actus utilis, & lucrativus præsumitur acceptatus.*
20 *Patronus potest prohibere ne alter ornet, vel reficiat Ecclesiam, vel capellam.*
21 *De eadem conclusione, de qua, n. 11.*
22 *Favore causæ piæ promissio facta absenti est perfecta.*
23 *Quando procedat conclusio, de qua n. 11. & 21. & an concedi possit situs in Ecclesia, vel concedi capella*
24 *Quid requiratur pro novis fundationibus Monasteriorum.*
25 *Declaratur conclusio, de qua n. 22.*
26 *Non omnis domus, in qua vivant mulieres, est Monasterium.*
27 *De potestate executoris testamentarii, vel fiduciarii.*
28 *De probatione mutatæ voluntatis testatricis.*

D I S C. XXX.

CUpiens Principissa Constantia Pamphilia, in Oppido Zagarolæ de dominio Principis Nicolai Ludovisii ejus viri fundare Monasterium Monialium Instituti S. Theresiæ, situm destinavit, aliquas domunculas adjacentes coemit, & quandam Fabricæ partem incœpit, prosecutionem deserendo ob discessum cum viro ad Regnum Sardiniæ, ubi post eundem virum moriens, in testamento ibi condito in aliquo statu indignationis cum Principe Jo: Baptista filio juxta seriem, de qua habetur *sub tit. de Testam. disc. 11.* mandavit istam fabricam cum adjacentibus vendi, atque Monasterium, cum gemmis aliisque bonis destinatis fundari in Urbe, vel in alio loco Status Ecclesiastici arbitrio Principis Camilli 1

milli fratris, vel Cardinalis Nicolai Ludovisii cognati, ejus scilicet, qui esset tutor ipsius testatricis filiorum, & hæredum, eosdem quoque executores testamenti deputando; Atque secuta morte testatricis, ob subsecutum etiam obitum d. Principis Camilli, Cardinalis prædictus, recusata tutela, quæ alteri decreta fuit, declarationem fecit super constructione Monasterii in eodem oppido, in quo cœptum fuerat; Cùm autem ad breve tempus, dictus Princeps Jo: Baptista præfatum oppidum, & castra annexa, omniaque alia bona in Urbe, & Statu Ecclesiastico existentia alienasset; Tutor autem filiarum hæredum testatricis comperiisset, quod bona per eandem huic operi destinata, neque ad constructionem materialem sufficerent, multò minus ad formalem cum provisione de necessaria supellectili, ac de dote, pro quibus ob istud præsertim institutum notabilis hæreditatis necessaria esset, curavit aliquam facere compositionem cum Fabrica S. Petri, juxta ejus facultates in casu insufficientiæ bonorum ad pii operis perfectionem, huic petitioni se opponente Communitate dicti loci, atque prætensionem confovente novo emptore, ac domino, assumpta desuper fuit formalis disputatio.

Duæ autem erant illius partes, vel inspectiones. Primò nempè, an locus esset obligationi hæredum testatricis perficiendi hoc opus præcisè in isto loco, vel potius in earum arbitrio repositum esset alibi opus perficere. Et secundò circa sufficientiam, vel insufficientiam bonorum ad id destinatorum, an scilicet ista starent demonstrativè, non autem taxativè.

2 Punctus major, ac decisivus erat iste secundus, quoniam, si destinatio bonorum stare taxativè, ut ex hac parte prætendebatur, inanis quæstio erat super primo localitatis, dum certa & indubitata erat insufficientia, & consequenter de plano intrabant facultates Fabricæ sæpiùs enunciatæ *sub tit. de Testamento, præsertim disc. 21. & 23. sub altero de fideic. disc. 108. sub altero de legatis, disc. 27.* ac etiam *tit. de Regal. disc. 63. & alibi*; Si verò è converso starent demonstrativè, dum certa erat sufficientia aliorum bonorum hæreditariorum, nil referebat, an constructio in uno, vel in altero loco sequi deberet; Ideòque cum super primo major, ac principalis disputatio à Scribentibus pro Communitate oppositrice assumpta fuisset; Dicebam ego scribens pro hæredibus, quod iste esset ordo inversus, contra commendabilem Curiæ stylum resecantem superfluas, vel inanes quæstiones, qualis remanebat ista, quatenus motivum taxativæ subsisteret, cùm ex eo sine dubio insufficientia resultaret.

3 Siquidem, ut particulariter agendo de ista quæstione advertitur *sub tit. de l. disc. 41.* ista remanet quæstio, potiùs facti, & voluntatis quam juris; Quoniam licèt, Aliqui sequentes opinionem Roman. *sing. 435.* credant, ut inter piæ causæ privilegia, istud recensendum sit, quod sive bona pio operi destinata sint demonstrativè, sive taxativè, semper ipsum opus adimpleri debeat; Nihilominus contraria opinio probabilior est, magisque communiter recepta; Ex ea congrua ratione, pluries circa pias dispositiones enunciata *sub tit. de Testam.* ut scilicet piæ causæ favor, ac privilegia operativa sint, circa suppletionem solemnitatum, aliorumque defectuum juris positivi, nunquam verò circa supple-
4 tionem voluntatis, cum iste dicatur defectus juris naturalis, adversus quod dispensationes, vel privilegia per legem positivam dari non possunt; Ac etiam quia repugnat justitiæ, & æquitati, quarum Ecclesia est mater, & cultrix, aliorumque exemplar, obtinere velle bona aliena citra domini voluntatem; Ideòque favor piæ causæ, non ex privilegio legis positivæ (ut leguleiorum vulgus credit) sed ex ratione præsumptæ voluntatis piè disponentis in eo consistit, quod in dubio benigna interpretatio fieri debeat, pro demonstrativa potius, quàm pro taxativa; Secùs autem ubi expressè, vel præsumptivè constet de voluntate disponentis, ut destinatio sit taxativa juxta authoritates, & decisiones deductas *d. disc. 14. de l.* ubi præsertim allegatur *dec. 58.* Rovit. ubi ex professo quæstio disputatur ad partes, & advertitur etiam *in supplemento in annot. ad eundem disc. 14. de legat.*

5 Quæstio itaque (ut supra insinuatum est) non est amplius juris, sed puri facti, & consequenter certam generalem regulam cuicumque casui applicabilem non recipit, sed ex singulorum casuum circumstantiis prudenti arbitrio verisimilis disponentis voluntas eruenda est; Unde propterea (pro meo sensu) evidens est error eorum, qui cum adeò damnabili merè pragmatico moderno usu in hujusmodi quæstionibus, cum regulis, propositionibus generalibus, vel cum decisionibus, & consiliis editis super aliquibus casibus particularibus, qui diversas habent circumstantias procedunt in sola litera, non reflectendo ad congruam applicationem.

Et quamvis aliquæ regulæ generales desuper per Docto- 6
res tradantur ad dignoscendum, quando destinatio fiet demonstrativè, vel taxativè, magnam vim constituentes in formula, seu contextura sermonis, ac verborum, & an præcedat necne perfecta oratio super pia dispositione, subsequatur autem bonorum destinatio pro orationem separatam, sine qua, prior perfecta remaneret, vel è contra, cum similibus frigiditatibus, super quibus moderni adeò immorari solent, longas desuper texendo quæstiones; Attamen (pro meo sensu insinuato etiam *d. disc. 14. de legat.*) id continet unam ex consuetis ineptiis, quoniam ut adeò frequenter (sed semper opportunè) insinuatur *sub tit. de fideic.* ac ferè in omni
alia materia verba concipiuntur potiùs per Notarios pro diverso eorum stylo, vel formulario, quàm per disponentes, vel contrahentes; Ideòque substantia verisimilis voluntatis disponentis, vel contrahentis attendi debet, non autem, grammaticorum more, in sola formalitate, vel significatione verborum, seu clausularum, & dictionum immorandum est, cùm iste revera sit error nimiùm clarus. 7

Nisi de tali dispositione agatur, quæ per virum in legi- 8
bus valde peritum, studiosè, & accuratè per se ipsum concepta sit, adeout dici valeat, quod verba ita mysteriosè concepta sint; Et nihilominus, etiam in viris literatis ista regula frequentiùs fallax detegitur, quoniam in ultimis præsertim voluntatibus, quæ frequentiùs inter morbi, ac imminentis mortis angustias ordinari solent, ad hæc reflecti non solet, juxtà casum, de quo *sub tit. de dote disc. 70.* ubi de dispositione concepta per duos Advocatos, quorum unus erat testator, & alter scriptor, cùm similibus; Sive quod etiam in statu valetudinis, quò magis sunt literati, in alienis negotiis semper occupati, eò magis negotia propria in aliquibus ac furtivis horis parum considerate agunt; Fortius verò in hac facti specie quod agebatur de testamento condito per mulierem, quasi ex improviso inter partus dolores, morientem.

Applicando autem ad rem; Ubi procedendum esset cum 9
dicta regula, seu distinctione desuper ex contextu orationis, vel ex formalitate verborum, pro demonstrativa potiùs respondendum videbatur, cùm non unica esset oratio, ab eodem verbo recta, adeòut, detracta destinatione, dispositio remaneret imperfecta, sed præcedebat opus, deindeque in alio Capitulo aderat destinatio; Verùm contrarium videbatur verius, attenta substantia veritatis, quam testamenti contextu clarè probabat, dum de aliis bonis testatrix diversimodè disposuit, primò ad favorem filiorum, & secundò ad favorem Ecclesiæ Sancti Ignatii Urbis pro fundatione aliquarum capellaniarum, aliorumque piorum operum; ita quandam bonorum separationem faciendo, & consequenter clarum videbatur quod testatrix nunquam in animo habuerit id, quod procedendo cum regulis in demonstrativa, de jure sonabat, dum istud opus, præsertim ob hoc Institutum S. Theresiæ, quod longè majorem dotem exigit, absorbere videbatur notabilem partem remanentis Assis hæreditarii, detracta legitima filiorum, detractisque aliis legatis, & oneribus: Ideòque reflectendo etiam ad solam veritatem credebam quod clara esset voluntas pro taxativa, præsertim ob consuetudinem mulierum, quæ multum æstimant gemmas, & jocalia, aliaque bona muliebria, atque cum paucis magna opera facere credunt, quodque propterea intrarent dictæ facultates fabricæ.

Hinc proinde inanis labor remanebat assumere primam 10
quæstionem localitatis, & an initium fabricæ secum ferret obligationem perfectionis, sive quid dicti Cardinalis declaratio operaretur; Verùm quia Scribentes in contrarium in hoc principaliter insistebant, nimiumque se diffundebant; Idcircò, ut Advocati partes explerem, quamvis invitus, ac præter genium, & stylum abhorrendi superflua, istam disputationem quoque assumere opus fuit.

Quatenus igitur ad illam pertinet; Scribentes pro dicta 11
Communitate, ad probandum quod qui incœpit constituere Ecclesiam, vel aliud pium opus, cogi possit, etiam invitus, illud perficere, tam in materiali perfectione fabricæ, quàm etiam in formali consistente in dotatione, ac etiam in provisione supellectilis, tanquam punctualem, ac decisivam deducebant authoritatem Abbat. *cons. 89. p. 2.* ac etiam Paul. de Cittadin. *de jurepatr. p. 3. n. 6.* cum quo pertransit Lambertin. *eod. tract. p. 1. l. 2. q. 4. art. 2. & 3.* Usuin. *eod. tract. lib. 1. p. 1. cap. 3. n. 7.* & alii relati per Frances *in tract. de Eccles. Cathedr. cap. 16. n. 177. & seqq.*

Pon-

12 Ponderando præsertim dictam authoritatem Abb. ubi firmat ut id procedat quamvis opus construi cœptum si sine licentia, vel consensu Episcopi, vel alterius superioris ad quem pertinet, quoniam id introductum est favore Ecclesiæ, & Episcopi, ne scilicet privato faculias concedatur absque tali licentia, Ecclesiam, seu locum Ecclesiasticum construere; Sed si Episcopus huic juri cedit, atque se habet pro consentiente, non potest hic defectus per constructorem allegari, ex regula quod ratihabitio æquipollet mandato, vel consensui.

13 Pro istarum autem, ac similium doctrinarum intelligentia, congruaque applicatione, dicebam, ut procedendum esset cum distinctione diversorum casuum, ne incideremus in consueta æquivoca adeò frequenter orientia ex indigesta consarcinatione doctrinarum, non reflectendo ad diversitatem casuum, de quibus DD. loquuntur, ita confundendo triticum cùm palea, sive vinum cum oleo.

14 Exponendo autem dictam authoritatem Abb. *cons. 89.* advertebam quod illa percutit casum longè diversum jam secutæ perfectæ constructionis Ecclesiæ, quæ ad suum esse jam redacta sit, unde propterea Abbas concludit quod constructor ad ejus dotationem quoque teneatur, atque cogi possit, & sequuntur alii, præsertim Genuen. *in prax. Archiep. Neap. cap. 19. n. 53.* & in Ventrigl. *in notab. Ecclesiast. tit. Eccles. & orator. notab. 19. §. unic. n. 33.* atque à me advertitur *sub tit. de jurepatr. disc. 52.*

15 Et meritò quidem, ob rationem ab eodem Abbate assignatam, quòd scilicet Ecclesia per aliquem constructa loco filiæ habenda venit, ideòque sicuti pater filiam carnalem dotare compellitur, ita etiam ad dotandam hanc filiam spiritualem compellendus est fundator, qui loco patris habendus est.

16 Atque huic rationi per Abbatem assignatæ, alias quoque ego addebam Primò nempè quod ipse loquitur cum præsupposito Ecclesiæ jam constructæ atq; ad ejus esse redactæ, quod præsupponit publicitatem, ac etiam lapsum alicujus temporis notabilis, undè propterea ita dici potest adesse Episcopi consensus implicitus, juxta firmata apud Dunozett. *dec. 982. in fine*, edita in casu, de quo *sub tit. de Regul. disc. 33.*

17 Secundo, quia retento eodem præsupposito quod ædificium jam redactum sit ad esse Ecclesiæ, cum divino cultu ibi introducto, intrat interesse ejusdem cultus ac Religionis, ut remaneat congruè provisa, ne idem cultus deseratur, vel ille malè agatur, ideoque adest interesse Ecclesiæ, & Religionis in universum.

18 Tertiò, quia tamen per jus civile *in §. si quis autem voluerit auth. de Eccles. tit.* quàm de jure canonico, *tot. tit. de Eccles. ædifican. & passim*, prohibitum est construere Ecclesias sine licentia, & authoritate Episcopi, vel alterius Ecclesiastici superioris, ad quem in eo loco pertinet, & consequenter ille qui Ecclesiam construit, absque hac licentia, malè agit, & quodammodo delinquere dicitur, unde propterea, justum, & rationabile est quod subjacere debeat illi obligationi, cui subjacet constructor cum dicta licentia, ne alias detur inconveniens, ut melioris conditionis existat ille qui malè agit, ac legem contemnit, quàm ille, qui legi paret, atque licitè actum gerit.

19 Quartò in idem cum primo, quoniam constructio simplicis Ecclesiæ est actus merè lucrativus Episcopi, & Ecclesiæ universalis illius diœcesis ob augmentum cultus divini, ideoque ad instar eorum quæ habentur pluries *sub tit. de donat.* in materia donationis factæ absenti ex simplici scientia resultat præsumptio acceptationis, & consensus ejusdem Episcopi, in quo præsumenda est scientia, ex pluries insinuata conclusione, quod cùm teneatur singulis annis diœcesim peragrari, & visitare, ac etiam extra visitationem in singulis locis habeat vicarium foraneum aliosque ministros, & officiales, ita præsumitur informatus de omnibus, quæ in diœcesi occurrunt, præsertim de hujusmodi constructionibus Ecclesiarum, quæ præsupponunt publicitatem cum tractu successivo per tempus notabile.

20 Et demùm ex ratione, vel natura correlativorum, sive ex regula *secundùm naturam, &c.* quoniam ille qui Ecclesiã construit, de jure etiam absque expressa reservatione, efficitur ejus patronus, cùm reservatio expressa requiratur in casu refectionis, ex iis quæ habentur in sua materia *sub tit. de jurepatr. præsertim disc. 55.* Et hoc posito resultat quod Patronus habet prærogativam dotandi, & ornandi Ecclesiam, vel capellam à se constructam, adeout non possit alter eo invito in hoc se ingerere, ne oriatur confusio, ex iis quæ habentur *eod. tit. de jurepatr. d. disc. 52. & alibi*: Ergo ex præmissis ejus quoque debet esse obligatio id agendi.

Cùm itaque rationes prædictæ, & præsertim prima assignata per Abbat. ad rem adaptentur, cùm agatur de simplici velleitate, seu destinatione cum quodam initio fabricæ quæ habilis erat etiam ad usus profanos, ita planum esse dicebam ut dicta authoritas, & omnes aliæ ejus sequaces extraneæ remanerent à casu quæstionis.

Magis proximæ erant aliæ auctoritates agentes de illo, qui cœpit construere Ecclesiam, vel capellam, ut ad illius perfectionem cogi valeant juxta dictam originalem doctrinam Paul. de Cittad. cum quo alii pertranseunt, de quibus supra. 21

Pro congrua verò intelligentia, seu applicatione hujusmodi authoritatum, advertebam reflectendum esse ad distinctionem duorum casuum, de quibus Doctores in hoc proposito superius allegati, ac alii promiscuè loquuntur, quorum primus est ubi accedat etiam verbalis promissio pii operis perficiendi, quam Morales cum termino pollicitationis explicare solent; Et alterum in quo nulla accedente promissione, vel obligatione verbali, sequatur solus actus facti, initiando scilicet fabricam.

In primo casu, quoties agatur de constructione simplicis Ecclesiæ, vel alterius pii operis, pro quo solus Episcopi, vel Prælati localis explicitus, vel implicitus consensus sufficit, tunc intrat efficax obligatio, quæ resultat ab hac promissione, quamvis facta nemine præsente, & acceptante, ex iis quæ habentur pluries *sub tit. de Donat. præsertim disc. 12. & seq.* quod scilicet ubi agitur de piis operibus, donatio, vel promissio facta nemine præsente, & acceptante, perfecta, & obligatoria remanet, eò quia Deus cui fieri dicitur, est ubique præsens, nostraque pia opera, vel oblationes acceptat. Iste verò casus extraneus remanebat à præsenti quæstione, cum de ista perfecta promissione in verbis non constaret, sed solùm versaremur in altero casu promissionis implicitè resultantis ad initiatione operis. 22

Isto autem casu advertebam, quod Paul. de Cittadin. Authore istius traditionis, asserendo neminem invenisse descendentem ad istos terminos procedit cum dispositione superallegati textus in §. *si quis autem voluerit, auth. de Eccles. tit.* qui ad literã loquitur de illo constructionis initio, qui sequatur cum consensu Episcopi; Retento etenim hoc præsupposito, justè, ac rationabiliter dicta obligatio perficiendi resultat, quoniam ita inter Episcopum consentientem, & alterum obtinentẽ consensum resultare dicitur quidam implicitus quasi cõtractus obligatorius; Ideoque sicuti Episcopus non posset impedire perfectionem operis jam cœpit, ita è converso ille qui incæpit, cogi potest ad perficiendum sive ad patiendum caducitatem, seu ammissionem juris quæsiti, ut ille locus alteri concedi valeat qui perficiat, & ornet, juxta frequentiorem praxim in constructionibus, & ornamentis capellarum in Ecclesia, in qua per Prælatum, seu Capitulum ad id situs concedatur, juxta casum, de quo *sub tit. de jurepatr. disc. 53. & de alienat. & contract. prohib. disc. 22.* ubi de puncto, an hujusmodi concessiones redoleant necne speciem prohibitæ alienationis? adeout intrent terminis *Extravagantis Ambitiosæ*; Sive an concessio situs mediante pretio dicenda sit simoniaca? quoniam negligente concessionario perficere, & ornare, praxis quotidiana est ut privetur jure suo, & situs concedatur alteri absque refectione expensarum, non tamen prohibetur superiorem ex ratione dicti impliciti contractus cogere ad perficiendum, & hic est casus celebris coactionis ad cavendum de perficiendo secutæ in persona Cardinalis de Monte Alto, qui postea fuit Sixtus V. dum juxta seriem insinuatam *sub tit. de præeminent. disc. 13.* quasi præsagus, in statu pauperis Cardinalis plura magnifica opera cum animo regio assumpsit, & præsertim capellam præsepe in Basilica S. Mariæ Majoris, dum aderat contractus hinc inde obligatorius in concessione situs; Atque ad hunc effectum sufficit consensus, etiam tacitus, vel præsumptus, *ut d. disc. 22. de alien. & contract. prohib.* & habetur pluries *sub tit. de jurepatr.* 23

Ista verò ratio saltem impliciti consensus, vel quasi contractus; absque dubio non intrabat in hac facti specie, quoniam non agebatur de initio fabricæ in loco sacro, ut contingit in cõstructionibus capellarum in Ecclesiis, minusque de illo initio ędificii ordinati ad solum usum Ecclesię, quod incohari non solet absque aliquibus Ecclesiasticis cæremoniis, sed de fabrica merè indifferenti in loco merè profano, ad libitum applicabili cuicumque profano usui.

Clarius verò ex duplici cõsideratione. Primò nempè quia illa obligatio, quæ in piis operibus resultat ex hujusmodi implicita pollicitatione, dictam habet rationem promissionis obligatorię factę Deo ubique præsenti, & acceptanti, & sic ubi agatur de faciendo, vel non faciendo ipsum pium

opus

opus in universum pro quo Episcopus agat nomine ipsius Dei, vel Ecclesiæ; Secus autem ubi constructio ipsius pii operis non fit in quæstione, dum constructor vult illud perficere, sed sola quæstio fit de loco, unde ad illud faciendum magis in uno, quam in altero loco, agat Communitas laicorum pro ejus honorifico profano interesse, cùm tunc absque dubio nulla actio competat huic Communitati, cum qua nullus initus est contractus.

Et secundò fortiùs, quia subjecta materia non patitur applicationem dictæ rationis expliciti, vel impliciti consensus
24 Episcopi, ex quo resultet dictus quasi contractus, quoniam ubi agitur de constructione Monasterii etiam virorum, multo magis, & absque dubio mulierum, non sufficit solus consensus Episcopi, sed requiritur primariò consensus Apostolicus, cum aliis requisitis, de quibus, *sub tit. de Regular. disc. 26. & seqq.* Ideòque dictæ authoritates non remanent applicabiles. Atque potiùs intrat conclusio, de qua frequenter *d. tit. de Donat.* inter donationem merè lucrativam, & alteram onerosam, & correspectivam absenti factam, ut primo casu intret præsumpta acceptatio, seu exclusio pœni-
25 tentiæ, in altero autem actus dicatus imperfectus, ideòque pœnitentiam admittat; Quoties tamen agatur de actu verè oneroso, & correspectivo in quo donatarius possit etiam se habere ad damnum, juxta declarationes ibi contentas, & præsertim *disc. 12. & seqq.* ubi in specie de donatione pro constructione Monasterii. Talisque est communis & frequens praxis, quod in plerisque locis ob commoditatem, quæ populo resultat habendi Monasterium monialium, solet hujusmodi opera libenter initiari, imo quatenus pertinet ad opus materiale, ad perfectionem reduci, sed punctus est in perfectione formali, consistente in congrua dote, aliisque requisitis, quæ maturè examinari solent per S. Congregat. Episcoporum, & Regular. nimium circumspectè procedentem, atque frequentiores sunt casus quod hujusmodi opera remaneant imperfecta.

26 Ac etiam quia initiatio fabricæ materialis non concludit constructionem Monasterii formalis, cùm rectè ille qui privato jure, ac propria authoritate in ejus privato solo opus construere incœpit, dicere valeat habuisse in animo ibi construendi piam domum profanam pro puellis sæcularibus ad formam conservatorii juxta illas species de quibus *sub tit. de Reg. disc. 50.* Et consequenter quatenus pertinet ad jus dictæ Communitatis oppositricis, illud reverà adesse non videbatur, ideoque meritò Matant. jun. *resp. 88. par. 3. n. 58 & seqq.* firmat id esse revocabile, atque intrare pœnitentiam.

27 Difficultatem aliquam solum faciebat dicta declaratio Cardinalis Ludovisii per ipsammet testatricem deputati; Verùm ea dupliciter in facto, & in jure tolli videbatur; In facto scilicet, quod uni, vel alteri dictorum conjunctorum testatrix id commiserit qui filiorum, & heredum futurus esset tutor, quod in Cardinali cessabat; Et secundò quia, sive esset tutor sive executor, sive fiduciarius, gerere potest ea quæ concernunt, executionem; ac observantiam expressæ, vel præsumptæ, sive per legem subintellectæ voluntatis testatoris, non autem eandem voluntatem destruere, sive agere id quod verisimiliter ejus voluntati adversetur, ex iis quæ habentur deducta *sub tit. de fideicomm. disc. 182.* & alibi; Ideòque cum clara videretur voluntas testatricis, ut Monasterium non in isto loco, sed alibi construi deberet, utique dicta declaratio attendenda non erat.

28 Talis autem voluntas clara videbatur, non solùm in verbis, dum mandavit Monasterium construi in Urbe, vel alio loco status Ecclesiastici, dum verbum *alius* denotat diversitatem ab expressis, ex collectis à Barbos. *d. 26. & passim,* Ac etiam quia præcisè mandavit ut vendi deberet fabrica; Ac etiam quia aliæ facti circumstantiæ idem ad evidentiam comprobabant, ob indignationem scilicet erga filium, quem etiam, ubi posset, à legitima excludere voluit, juxta seriem, de qua *d. disc. 11. de testam.*

MAJORICEN. JURIS QUÆSTUANDI PRO PERCEPTORE HOSPITALIS SANCTI ANTONII VIENNENSIS, CUM MINORIBUS OBSERVANTIBUS.

Casus disputatus coram A. C. ubi pendet.

De jure quæstuandi competente alicui Hospitali, vel Ecclesiæ sub certa invocatione privativè ad alios, quando per consuetudinem acquisitum dicatur nec ne? Et quomodo id procedat; Et quæ species præscriptionis, vel consuetudinis requiratur.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De probatione immemorabilis.*
3 *De operatione immemorabilis.*
4 *De requisitis in fundatione novi Monasterii.*
5 *Solent Religiosi in loco admitti sub certis conditionibus.*
6 *Quod probatio immemorabilis sit difficilis, & rara.*
7 *De privilegiis, quæ habent Hospitalia instituti Sancti Antonii Abbatis.*
8 *Quando sit necessaria probatio immemorabilis, vel sufficiat minor præscriptio.*
9 *De jure probandi novas fundationes, vel devotiones.*
10 *In specie de consuetudine prohibendi quæstuationem.*
11 *Præsumptio assistit libertati contra jus prohibendi.*
12 *De eodem de quo n. 9.*
13 *Quod in Hospitalibus sit interessatus totus populus.*
14 *Ac etiam Princeps sæcularis, & Episcopus, & de ratione.*
15 *Quando observantia dicatur potiùs interpretativa.*
16 *Consuetudo non extenditur de casu ad casum.*
17 *An diversitas Sanctorum in hoc attendatur.*
18 *An Minoribus Observantibus liceat quæstuationem facere in pecunia?*

D I S C. XXXI.

EXistente in Civitate Majoricen. antiquo hospitali sub invocatione S. Antonii Abbatis, qui Viennensis dicitur sub hoc nomine, ac etiam ab antiquo tempore sub nomine alterius S. Antonii Paravini, per dicti hospitalis ministros, privativè ad quoscumque alios, eleemosynarum quæstuatio fieri consuevit; Cùm autem à moderno tempore in hoc sæculo, in aliquibus Italiæ, ac Hispaniæ partibus, ac utriusque adjacentibus insulis, nimium crevisse alias antiqua, & venerabilis devotio erga dictum alterum S. Antonium Ulyssiponen. qui Paravinus vulgò dicitur à loco, in quo ejus reliquiæ asservantur: Hinc cœperunt Minores observantes (qui sunt hujus devotionis frequentiùs excitatores, & cultores,) quæstuationem etiam pecuniarum sub nomine hujus Sancti facere; Quare se opponentibus dicti hospitalis Perceptore, aliisque officialibus, post aliquas provisiones in partibus Ordinarii, aliorumque Magistratuum, introducta causa in Curia coram A. C. Observantes, probata quasi possessione, obtinuerunt manutentionem per consuetum decretum inter locutorium in summariissimo interdicto possessorio retinendæ; Atque hospitali prosequente causam petitorii, seu possessorii plenarii, factisque dictæ consuetudinis aprobationibus, assumpta fuit super earum relevantia disputatio, & in hoc statu pro curiæ stylo, ad causæ defensionem evocatus fui. 1

Quæstio autem principaliter erat, potiùs facti quàm juris super exceptionibus, quæ tam in persona, quam in dicto, ac etiam in examinis nullitate dabantur contra testes ad excludendam probationem immemorabilis, cum suis vulgaribus requisitis recensitis per glos. *in capit. 1. de præs. in 6.* & quibus in sua materia, *sub tit. de Judic.* Itaque disputatio erat potiùs inter causæ Patronos, quorum munus versatur circa ea quæ facti sunt, quamvis etiam plerique sint juris peritissimi, ad Advocati partes explendas quoque nimium idonei, quando velint. 2

Posita etenim ista probatione, planam dicebam esse juris consequentiam, favore hospitalis, super jure prohibendi, non obstantibus indultis Apostolicis, quæ ex parte religiosorum deducebantur eorum favore super jure quæstuandi sub Invocatione, seu nomine S. Antonii Paravini, ea toties insinuata, hodieque nimiùm vulgari, & recepta virtute, seu operatione immemorabilis, ut ejus vigore allegari possit quilibetque titulus de Mundo melior, absque aliqua justificationis necessitate, dum ita allegari poterat speciale indultum Apostolicum cum derogatoriis quarumcumque obstantiarum; ad instar illius privilegii Apostolici, quod istis religiosis S. Antonii Viennensis in specie habetur apud Dec. *cons. 276. alias 278.* ac etiam allegari poterat verisimilis conventio in introductione hujus Religionis in loco, ut infrà. 3

Quamvis etenim, forsan de facto, antiquitus, & præsertim ante Constitutiones Gregorii XV. & Urbani VIII. non servarentur omnia illa requisita, quæ necessaria sunt in fundatione novi Conventus, vel Monasterii, novaque introductio- 4

ductione alicujus Religionis in loco, recensita, *sub tit. de Regul. disc.19. cum seqq.* Attamen sine dubio id non sequebatur sine consensu Episcopi, & cleri, ac populi; Ideòque verisimile est, ut ob interesse hujus hospitali, in quo tam clerus, quam populus interessati videntur, præfatus consensus sub hac lege præstitus fuerit, quod scilicet isti religiosi viventes ex eleemosynis, ac ostiatia quæstuatione, non possent illam facere sub dicta nuncupatione Sancti Antonii; Id etenim servari solitum esse, atque sub hac lege, & conditione novos religiosos in loco admitti, advertit in specie Pasqualig. de Franch. *in contr. inter Episc. & Regul. tit. de nov. fundat. n.* 485. Ideoque facilius inttare dicebam prædictam facultatem allegandi titulum mulierem, dum iste erat verisimilis.

6 Verùm, ubi de dicta perfecta, beneque concludenti probatione immemorabilis dubitari posset; Ut revera dubitari poterat, cum rari videantur casus, in quibus ista rigorosa probatio in partibus benè fiat, ut advertitur *sub tit. de Decim. disc.*1. & insinuatur *d. tit. de Judic.* agendo de ista probatione ejusque requisitis; Adhuc tamen dicebam eam non
7 esse necessariam, sed quod sufficeret consuetudo quadragenaria, quæ sine dubio bene probata erat, & quæ immemorabili quodammodo æquipollere videbatur ex colorato titulo indultorum Apostolicorum cum hoc jure privativo, seu prohibendi, quæ hospitalibus hujus antiquissimi instituti S. Antonii Abbatis concedi consueverunt, ut patet ex punctualiter deductis per Dec. *d. consil.* 276. *alias* 578. & comprobat communis praxis.

8 Necessitas etenim rigorosæ probationis immemorabilis ob dictam facultatem exinde resultantem, intrare videtur in iis, in quibus adsit positiva, & vehemens juris resistentia, quam tollere oporteat cum titulo contractus, seu privilegii Apostolici, aut alteriùs melioris tituli, quem (posita immemorabili) allegare licet; Secus autem ubi non adsit vehemens, ac positiva resistentia, quam in hoc proposito non adesse dicebam, unde propterea, licèt non sufficeret illa ordinaria decennalis consuetudo, vel præscriptio, quæ sufficit in iis, quæ sunt præter jus: Attamen sufficere dicebam illam quadragenariam, quæ admittitur, etiam in iis quæ sunt contra jus, quoties non urgeat positiva, & vehemens resistentia, juxtà hodiè planam atque in foro quotidianam distinctionem, frequenter alibi insinuatam.

9 Non solùm autem advertebam quod dicta resistentia vehemens non adesset, sed potiùs quod adesset quædam assistentia, ex rationibus & fundamentis, de quibus *disc. seq.* ac etiam *sub tit. de praem. disc.* 10. super jure prohibendi quod habeat introductus alicujus devotionis, vel pii Instituti, seu capellæ, ex ibi deductis, atque præsupponi videtur in dicta punctuali authoritate Decii, *consil.* 276. Quamvis revera ibi non constituatur fundamentum in consuetudine, sed potiùs in literis Apostolicis.

10 Melius autem in his specialibus terminis consuetudinis inductæ ad favorem hospitalis super hoc jure quæstuandi etiam adversus rectores Ecclesiarum; benè habetur apud Bald. *cons.* 277. *l.* 2. ubi præsupponitur consuetudo simplex, & tamen deciditur pro Hospitali in petitorio, quidquid sit in possessorio.

11 Et meritò quidem, quoniam licèt jus assistat libertati, ac resistat servituti, adeout sufficiat prætendenti libertatem, & neganti servitutem illam simpliciter negare, cum sola intentione actionis negatoriæ, ex plenè deductis *dec.* 101. *p.* 4. *rec. tom.* 2. & pluries in sua materia, *sub tit. de serv.* Fortiùs verò ubi agatur de jure prohibendi quod reputari videtur de regalibus, atque positivam juris resistentiam habet, ex deductis *d. tit. de serv.* & in altero *de Reg.* ubi allegantur Thesaur. Capoblanc. Casanatt. & Rotæ decisiones agentes de hac materia juris prohibendi, vel cogendi accessum ad furnos, & molendina.

12 Attamen id rectè procedit ad alios effectus, non autem ad istum aliquid peragendi sub nomine, seu invocatione alicujus Sancti, sive ratione alicujus ecclesiastici, vel pii Instituti, ob scandala & inconvenientia quæ ex hujusmodi spiritualibus æmulationibus oriri solent, ut advertitur *disc. seq.* cum ibi relatis, quæ repetere non oportet.

13 Et fortiùs ratione subjectæ materiæ, quòd scilicet non agebatur de jure, vel interesse alicujus particularis personæ, vel Ecclesiæ, seu corporis ecclesiastici, ut contingit in controversiis enunciatis, *eod. disc. seq.* sed de præcipuo, ac forsan unico hospitali Civitatis, in quo omne de clero, & populo interessatis dicuntur, ob eorum subventionem, & commoditatem; Quinimò interesse habere dicuntur, et-
14 iam Princeps laicus, & Episcopus, ex ratione pluries insinuata occasione publicæ annonæ, *sub tit. de Regal. disc.* 44. 45. & 125. & alibi, quod scilicet Princeps est Reipublicæ maritus, & pater populi, eique propterea in casu penuriæ, vel infirmitatis incumbit onus indigentibus subvenire cum ea obligatione, quæ Patri incumbit erga filios.

Et in specie substentationis hospitalium pro infirmis, vel 15
senibus, aliisque indigentibus aliena provisione advertitur *eod. tit. de Reg. disc.* 81. ubi quod bona assignata per Principem hospitali adhuc remanent juris publici, & de regalibus; Idque etiam Episcopo rectè congruit, tanquam ejusdem populi patri spirituali. Ideòque dicebam esse nimium probabile, ut ista consuetudo introducta sit ex concordi consensu Episcopi, & Principis, ac etiam cleri, & populi, cum omnes in hoc essent principaliter interessati; Quodque sub eadem lege isti religiosi in loco recepti fuerint, capiendo retroactam observantiam eorundem abstinendi à quæstuatione, quæ est eorum præcipua, & peculiaris, sub nomine istius Sancti, potiùs tanquam interpretativam, seu corroborativam dictæ verisimilitudinis; Atque ita potiùs retorquendo in contrarium privilegia, quæ per ipsos religiosos deducebantur, quoniam verisimile non est, ut illa hactenus neglecta essent, dum ipsi sunt personæ indigentes eleemosynis, ex quibus semper vixerunt, istaque devotio Sancti Antonii non est nova, dum retroactis temporibus erat fortè major.

Constituebatur in contrarium fundamentum in diversi- 16
tate Sanctorum, quod scilicet unus esset antiquior Sanctus Antonius Viennensis; Alter verò recentior S. Antonius Patavinus, quodque propterea consuetudo quæstuandi sub nomine dicti Sancti antiquioris, ad istum casum trahenda non esset, ex stricta natura consuetudinis attendendæ in casu præciso, ac individuo, non autem trahendæ de casu ad casum, ut pluries in omni ferè materia insinuatur, & præsertim *sub tit. de benef. disc.* 30.

Huic autem objecto dupliciter respondebatur; Primo sci- 17
licet in facto, quod istud hospitale haberet utriusque S. Antonii, Viennensis, & Patavini nuncupationem; Et secundò in jure, ex punctualiter firmatis, apud Dec. *d. cons.* 276. ubi in specie respondetur ad simile objectum diversæ nuncupationis S. Antonii Viennensis, & de Spazzavento; Et meritò quidem, quoniam apud vulgus, ac populum inferiorem, ista distinctio ignota videtur, sed vulgare capiunt promiscuè unum Sanctum pro alio.

E converso, ex hac parte objiciebatur quod isti religiosi 18
non possent facere quæstuationem in pecunia, juxta prohibitionem expressam canonum *in c. exiit, de verb. signif.* t. *n.* 6. *& Clement. exivi, de Paradiso. eodem tit.* Verum reflectendo ad veritatem agnoscebam fallaciam motivi, partibus pro stylo insinuatam quoniam hæc prohibitio percutit ipsosmet religiosos ne pecuniarum usum habeant, non autem, ut per eorum syndicos, & procuratores sæculares pecuniam quoque possint quæstuare pro illis usibus, quibus occurri non potest cùm fragmentis panis, aliorumque victualium, quæ ex ostiatia quæstuatione comparantur, ex ponderatis pluries, *sub tit. de Regal. præsertim, disc.* 35. Sed ex dictis aliis motivis credebam, quod justitia assisteret hospitali pro quo judicari deberet; Verùm causa adhuc pendet.

ADNOT. AD DISC. XXXI.

DE quæstuatione videantur deducta *in Annot. ad S. C. T. disc.* 16. *& sub tit. de Regal. disc.* 27. *&* 28.

ANDRIEN. SOLEMNITATIS

PRO ECCLESIA COLLEGIATA S. NICOLAI.

CUM ECCLESIA CATHEDRALI S. MARIÆ.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Concilii, resolutus ut infrà.

An una Ecclesia possit alteri prohibere celebrationem ejusdem solemnitatis? Et quatenus non quomodo utraque peragenda sit? Et an, & quando Cathedralis cogat clericos aliarum inferiorum ad interveniendum in processionibus? & de earum ambitu, seu modo.

C U M M A R I U M.

1 D*E stata ecclesiarum illarum partium.*
2 *De ratione dicti status, & de rita græco ibi alias vigente.*
3 *Casus controversia cum resolutione.*
4 *Resolutio causa, & de punctis controversia.*

Ille

5 *Ille qui pravenit in aliqua solemnitate vel functione potest alios prohibere.*
6 *An possit prohiberi assumptio familia?*
7 *De jure prohibendi constructionem Ecclesiarum, & Monasteriorum.*
8 *De jure prohibendi usum vestium clericalium, vel Religionis.*
9 *Declaratur conclusio, de qua, n. 5.*
10 *De prajudiciis ob admissionem alterius ad praeminentias.*
11 *De alia declaratione, de qua, n. 5.*
12 *De eodem, & quomodo plures functiones ejusdem solemnitatis debeant practicari.*
13 *Quod Ecclesia antiquior sit magis privilegiata.*
14 *Contrarium ut potius dignior.*
15 *De eodem.*
16 *& 17 De ambitu vel finibus processionum.*
18 *Non potest erigi Crux in alieno territorio.*
19 *Quod possint dari plures Ecclesiae materiales constituentes unam Cathedralem.*
20 *Ubi non sunt parochia distincta, Episcopus est parochus universalis.*
21 *Quando Clerici saculares, & regulares cogi possint accedere ad processiones.*

D I S C. XXXII.

1 IN Civitate Andrien ab antiquo, duae adsunt Ecclesiae clericorum secularium; Una Cathedralis sub invocatione S. Mariae, & altera, quae collegiata nuncupatur, sub invocatione S. Nicolai, atque utrique (juxta illarum Partium penè communem usum) inserviunt Clerici, & presbyteri naturales, certa requisita habentes, absque praefinitione numeri, constituentes illas massas, vel congregationes, quae pluries enunciatae habentur *sub tit. de Canonicis, & Capitulo, disc. 16. cum pluribus seqq.* adeout mirum sit, ac fortè singulare, quod ipsamet Cathedralis nullum habeat Capitulum canonicorum, vel beneficiatorum, qui provideatur in titulum, exceptis quatuor dignitatibus, sed capitulum de facto constituitur impropriè ab hujusmodi presbyteris de quadam massa communi participantibus, absque praefinitione numeri; Idemque ordo servatur in dicta alia Ecclesia; Utraque vero exercet curam animarum, ac administrat sacramenta illi numeroso populo, qui ante pestis excidium erat animarum circiter vigintimille, absque finium, vel familiarum distinctione aliqua, sed pro convocantium libito, dum clerici Cathedralis administrant sacramenta, & exercent jura parochialia cum viventibus in domibus penè adjacentibus dictae alteri Ecclesiae collegiatae, & è contra, ut antiquitus quoque servari in ibi adjacente oppido Barolitano numerosum populum pariter habente, insinuatur *sub tit. de Paroch. disc. 27.*

2 Id autem non modicam inter has Congregationes, vel Capitula, ab antiquo tempore produxit, atque in dies majorem, & continuam producit aemulationem, eodem modo quo inter alias consimiles Ecclesias earumque clericos, & populus habetur *in tit. de praemin. disc. 9.* adeout penè in omni saeculo, acerrimae lites inter eos habitae sint; Atque insinuatur, *eod. disc. 29. de Parochis*, hujusmodi Ecclesiarum existentia cum hoc promiscuo jure parochiali absque distinctione finium, vel personarum; probabiliter referenda videtur eidem adamussim principio, *de quo dicto disc. 9. de praeminentiis*, quod scilicet antiquitus, ob superioritatē, de facto in illis partibus Patriarchae Constantinopolitani, ratione dominii, seu Imperii Graecorum viveretur cum ritu potiùs graeco, quàm latino, adeout fere omnes illius provinciae Episcopatus cum dicti Patriarchae authoritate per Archiepiscopum Barensem, absque dioecesis assignatione, intra solos angustos fines cujuslibet Civitatis creati fuerint, Deindeque post graecorum expulsionem, Sedes Apostolica, ad illorum populorum consolationem, & quietem, prudenter approbavit unde propterea illis Episcopis congruere videtur potiùs titulus parochorum, seu plebanorum, qui usum pontificalium habeant, ut advertitur *d. tit. de Praem. disc. 6. in fine*; Atque ita post Graecorum expulsionem, introducto, seu restituto ritu latino, istae duae ecclesiae pro utroque ritu respectivè, adessent, quae paulatim ad eundem latinum, etiam in graeco, redactae fuerunt.

3 Cùm itaque, usque ab anno 1605. in dicta Ecclesia S. Nicolai, erecta esset quaedam capella sub invocatione S. Mariae de monte Carmelo, atque deindè de anno 1634. in eadem capella sub eadem invocatione Ordinarii authoritate erecta esset quaedam pia confraternitas laicorum, populi devotione nimium excrescente, ista solemnitas Sanctae Mariae de monte Carmelo quae ubique celebrari solet in die 16. Julii, cum processione, & concionibus, aliaque pompa loco proportionata, cum magno concursu celebrari coepit; Unde propterea Capitulum Cathedralis, ex inde superius insinuatae aemulationis curavit, ut in ea Ecclesia consimilis capella erigeretur, ac successivè eadem die solemnitatem cum eadem & forsan majori pompa celebrari studuit; Quinimò praetendere coepit, quod ob praerogativam Cathedralis, eidem tantum competeret jus peragendi processionem solemnem, per universam Civitatem, quodque ad eam, Capitulum, & clerus alterius Ecclesiae accedere teneretur, eo modo quo in solemni processione corporis Christi, aliisque publicis processionibus servatur; Quare delata causa ad Sac. Congregationem Concilii, ab ista de anno 1654. resolutum fuit, quod solemnitas cum processionibus aliisque functionibus consuetis, celebrari deberet ab utraque Ecclesia, in diversis tamen diebus, eo modo quo in eadem solemnitate 4 practicatur in Urbe inter Ecclesias Sanctae Mariae de Transpontina, & Sancti Chrysogoni, in una scilicet in ipsa die festivitatis, & in altera in Dominica proxima sequenti; Dictaque resolutione servata, aliae exortae fuerunt controversiae super utriusque processionis finibus, qui pariter ad relationem Episcopi, cum quadam ratione statuti fuerunt; Nec non super dicta Cathedralis praetensione ut alterius Ecclesiae clerici, ac etiam regulares, ad ejus processionem quamvis inviti accedere tenerentur, super quo prodiit resolutio negativa huic Ecclesiae S. Nicolai favorabilis, atque ita controversia finem habuit.

In disputationibus autem desuper habitis, tres fuerunt puncti sivè inspectiones; Primò scilicet super jure privativo celebrandi hanc solemnitatem hinc inde praetenso; Secundò super ambitu, seu finibus, utriusque processionis respectivè. Et tertiò super dicta praetensione Cathedralis cogendi omnes alios clericos, & regulares, ut etiam inviti ad ejus processionem accedere tenerentur.

Quatenus pertinet ad primam; Scribens pro Ecclesia 5 collegiata, quae in istius solemnitatis celebratione antiquior erat, deducebam easdem authoritates, & rationes quae habentur in hac materia deductae, *sub tit. de praemin. disc.* 10. ubi etiam hujus causae mentio habetur, quod scilicet ille qui praevenit in erectione alicujus capellae, vel altaris, vel in celebratione alicujus solemnitatis, rectè alteri prohibere potest erectionem alterius capellae, vel altaris sub eadem invocatione, & sic respectivè in erectionibus confraternitatum, & congregationum, vel in celebratione festivitatis, cum similibus, in quibus viget eadem ratio tollendi confusiones, ac aemulationes, ex quibus (licet spiritualibus) scandala, & inconvenientia oriri solent, juxta ibidem recensitas authoritates, & rationes ex quibus, seu ex eorum identitate (ut ibi advertitur) datur jus prohibendi assumptionem, vel usum ejusdem cognominis, & familiae, vel 6 eorundem insignium, seu armorum, ob praejudicium quod exindè tractu temporis decori, ac nobilitati antiquioris familiae resultare solet; cum similibus.

Et ea qua aemulationis ratione, per Apostolicas Constitu- 7 tiones, & decreta statutum quoque est, ut novae Ecclesiae, vel respectivè nova Monasteria, vel novi Conventus fundari non possint intra certum spatium, ex pluries deductis *sub tit. de Regul. praesertim, disc. 29. cum pluribus seqq.* Ubi etiam *disc.* 21. habetur quod una Religio prohibere potest alteri usum ejusdem habitus; Eodem modo quo Episcopus prohibere potest saecularibus usum vestium clericalium ad tollendas confusiones, & scandala, ut etiam advertitur *sub* 8 *tit. de jurisdict. disc. 93.* Potissimè verò in hac facti specie quod stante antiqua, & notoria aemulatione inter istas Ecclesias, ita clarum remanere videbatur, quod ista nova introductio affectata esset, ut destrueretur solemnitas per aliam Ecclesiam per plures annos jus introducta.

Quamvis autem haec deducerem scribendo ad causam 9 more Advocati; Attamen reflectendo ad veritatem, placuit resolutio ex duplici fundamento; Primò nempe quoniam praemissa, verè, & propriè locum habent, quando oppositio fieret initio novae introductionis, secus autem ubi (ut in hac facti specie) adsit alicujus temporis cōsiderabilis observantia, cum patientia alterius, qui jus prohibendi haberet, cum tunc videatur jure cessisse, illumque ad idem jus admisisse; Adinstar eorum quae habentur *sub tit. de jurepatron.* de patrono admittente non patronum ad praesentandum sive patiente, ut ille quoque conaequaliter praesentaret, quo- 10 niam in sui praejudicium eum constituit in hoc jure, seu possessione, cum similibus; Atque ea eisdem rationibu

ponderatis *supr. disc.* 28. circa patientiam introductionis cadaverum in sepulchrum, in quo alias prætendi posset jus privativum, ut ita sequatur jus cumulativum: Idemque in præeminentia habendi scamnum in Ecclesia, vel in capella, ex deductis *dict. tit. de praem. disc.* 27. *& de jure patron. disc.* 52. cum similibus.

11 Et secundò quia, ut advertitur *in dict. disc.* 10. *de praem.* ista materia non recipit regulam certam cuicumque casui applicabilem, sed potiùs arbitraria censenda est pro facti qualitate, & circumstantiis decidenda, inspectis scilicet amplitudine loci, & populi respectivè, eodem modo quo in concione quadragesimæ, ac in similibus functionibus ponderari solet, an in sola Cathedrali, vel Matrice haberi debeat, vel in aliis etiam eodem tempore permitti, cum similibus; Ideoque stante amplitudine hujus Civitatis, ac numerositate populi, quemadmodum tempore quadragesimæ, vel Adventus in utraque Ecclesia habetur concio, eodemq; tempore aliæ peraguntur parochiales functiones, invicem cõpatibiles, ita solemnitatis alicujus Sancti rectè ista cumulativa celebratio practicari potest, ut in Urbe, aliisque magnis Civitatibus praxis docet, quæ cum debita proportione in inferioribus Civitatibus, & locis locum habet, spectata scilicet ratione, seu fine, ob quem prohibitio prodiit.

12 Clariùs verò quoties, juxta dictam provisionem, solemnitas non sit contemporanea, adeòut detur diversio populi, vel aliud præjudicium; dum ita resultat potiùs augmentum cultus, atque utrique consultum remanet; Et quamvis redoleat aliquam æmulationem; Attamen in spiritualibus, ista potiùs commendabilis videtur, utpotè incitativa clericorũ ad meliorem, ac diligentiorem cultum, aliaque spiritualia opera; Id autem aliqua inconvenientia parere solet, quando sequatur contemporaneè, adeòut dici valet, quod una functio sit alterius destructiva, vel impeditiva.

13 Super alternatione autem demandata, eo modo, quo in Urbe aliisque Civitatibus servatur inter plures ejusdem Instituti professores, seu alias eandem solemnitatem celebrantes, Dicebam quod jus celebrandi solemnitatem in ipsa die aliquam utpotè majorem præeminentiam redolens, spectare deberet ad istam Ecclesiam S. Nicolai, tanquam antiquiorem in hac solemnitate; Ad instar eorum quæ in concursu creditorum habemus ex regula *qui prior &c.* Sive juxta præcedentiæ ordinem regulandum ex antiquitate, vel introductione, ex deductis *sub tit. de Regul. disc.* 19. *& sub tit. de praemin. disc.* 24. *&* 25. & alibi cum similibus.

14 Verùm probabilis potiùs visa est resolutio, ob longè majorem præeminentiam, quam habet Cathedralis supra collegiatas, aliasque Ecclesias inferiores, idque propterea majorem antiquitatem suffocare debet, juxta ea quæ habentur *d. disc.* 9. *de praem.* de Ecclesia collegiata recentiore præcedentiam habente supra parochialem antiquiorem, ac alias habentem prærogativam matricis, quoniam diversus ordo hierarchicus vincit antiquitatem ex ibi deductis, ac etiam, *disc.* 24 *eod. tit. de praem.* super præcedentia Ecclesiarum, vel personarum de clero sæculari supra antiquas Ecclesias, vel personas de clero regulari.

15 Ideoque in his materiis, punctus est super oppositione ab initio, & ne dignior in eo statu constituatur, atque ita socius fiat; Quoniam si (*ex. gr.*) habens jus privativum sedendi in capella, vel in scamno patiatur, ut alter dignior quoque sedeat, eumque in possessione coæqualis juris constituat, tunc si præcedentiæ quæstio oriatur, minus dignus cedere debet locum magis digno, quoties introductio, vel constitutio in possessione cum ista qualitate facta non sit, ex iis, quæ in hac materia scamni in Ecclesia cum similibus habentur etiam *eodem tit. de praem. d. disc* 27. *& disc* 52. *de jurepatr.*

16 Quo verò ad secundum punctum finium, seu ambitus processionis Scribentes pro Cathedrali, insistebant in generalibus regulis de jure veris, circa differentiam, inter Cathedralem, & alias Ecclesias parochiales inferiores, quod scilicet istæ habent suum territorium restrictum intra suos fines contradistinctos; Cathedralis autem non patitur hanc restrictionem, cùm universa diœcesis dicatur ejus territorium, adeout, ex alibi insinuatis, *hoc eod. tit.* & particulariter actis, *d. tit. de praem. disc.* 17. capitulum Cathedralis, ubi capitulariter, ac jure universitatis intervenit, præcedit capitulum collegiatæ, vel Rectorum, seu Prælatorum in propria Ecclesia cum similibus.

17 Verùm admittendo præmissorum veritatem, juxta ea quæ superius insinuata habentur *disc.* 35. super jure regularium faciendi processiones intra propria claustra, vel septa, & non ultra. Dicebam quod fallacia erat in applicatione, cùm procedant quando agatur de parochialibus habentibus fines terminatos, & contradistinctos, adeout dignoscatur dicta differentia inter genus, & speciem, sive inter ratio restrictionis intra propriam jurisdictionem; Secus autem in hac facti specie, quod jus utriusque Ecclesiæ per universam Civitatem ejusque territorium est coæquale, sive coæqualitas generalis, absque finium distinctione cum jure erigendi Crucem in funeribus, aliisque functionibus ubique, unde propterea non intrat difficultas, quæ resultat à decretis relatis per Barbos. *de Parocho, c.* 12. *n.* 13. 18

Quinimò stante isto jure coæquali, atque promiscuo absque aliqua differentia, Dicebam quod probabiliter prætendi posset id quod insinuatur *sub tit. de praem. disc.* 5. *cum seqq.* quod scilicet istæ duæ Ecclesiæ, coæquali, & sociativo jure concurrerent ad efformandam eamdem Ecclesiam cathedralem, quæ licèt formaliter unica, & individua, repræsentari tamen potest à pluribus materialibus, dum in omnibus istæ videntur coæquales, tam in jure exercendi curam aliasque functiones parochiales peragendi, quàm in modo ipsorum clericorum, ut scilicet, exceptis aliquibus Dignitatibus in utraq; pariformiter in titulum provideri solitis, omnes sint pariformiter clerici simplices, ac propterea diversæ nuncupationes cathedralis, & collegiatæ percutiant quamdam contradistinctionem inter eas, ratione cujusdam præcedentiæ, eodem modo quo inter plures fratres pro communi, unum & idem patrimonium, vel jus possidentes, unamque personam intellectualem ita constituentes, datur prærogativa quod frater major sit dignior minore, ut advertitur locis citatis de Basilicis Patriarchalibus Urbis, quatenus sequenda esset opinio volentium, quod omnes coæquali jure Urbis Cathedralem, & Patriarchalem constituant, cum similibus; Sive quod nulla existente distinctione parochialium, vel finium, intrarent, ea quæ habentur *sub tit. de decim. disc.* 1. *cum seqq.* quod scilicet Episcopus esset unicus Parochus, ac Rector universæ Civitatis, ac Territorii, dum in his Episcopatibus non est verificabilis terminus diœcesis, intra cujus fines alii populi, & clerici existunt; Itaque utriusque Ecclesiæ clerici, essent æquè operarii, & ministri ejusdem Rectoris, cum revera, de stricto jure neutri congruant meri termini capituli Cathedralis, vel collegiatæ respectivè. 19 20

Tertius demum punctus erat planus, modicam, ac penè nullam habens dubitandi rationem, quoniam decreta relata per diligentem collectorem Barb. *in summa Apostolicarum decisionum, verb. Episcopus quoad processionem, n.* 6. *et verb. processio, n.* 23. ut omnes clerici Sæculares, & Regulares etiam exempti teneantur accedere ad processiones, quæ fiunt per cathedralem, procedunt in illis processionibus verè publicis, ex Cæremoniali, seu Rituali Romano, sive ex alia publica causa juxta casuum contingentias, non autem ubi agatur de hujusmodi functionibus ex mera devotione, cùm tunc detur quidem facultas invitandi eos, qui ex benevolentia accedere velint, non autem coacti; Clarius vero in hac facti specie, quod accedebat ratio æmulationis; Ideoque, vel demandandus erat æqualis concursus omnium quatenus Partes concordarent, vel ut singuli propriam facerent functionem in suis diebus, ac finibus respectivè; Atque propterea in omnibus, resolutiones probabiles beneque fundatæ visæ fuerunt. 21

ANNOT. AD DISC. XXXII.

Quoad celebrationem ejusdem solemnitatis. Vid. *sub tit. de Regul. disc.* 50. *&* 51 Et ad materiam processionum *sub eod. tit. de Regul. disc.* 1. *et in Adnot. ad S. C. T. disc.* 38. *et in hoc tit. disc.* 45. *et infra, disc.* 37.

SENEN. CELEBRATIONIS, VEL REDUCTIONIS MISSARUM PRO HÆREDIBUS JULII NINI, CUM SOCIETATE S. JOANNIS BAPTISTÆ, SEU MORTIS.

Casus disputatus in S. Congregatione Concilii, & resolutus ut infra.

De reductione, vel cessatione assumpti oneris Missarum, ob deficientes redditus bonorum assignatorum; Et an bona assignata stare dicantur potius demonstrativè, adeòut per fundatorem, vel per hæredes piis disponentes aliunde supplendum sit pro implemento pius operis, vel potiùs taxativè?

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio.*
3 *Diminutis bonis pro celebratione Missarum, quid agendum sit.*
4 *De eodem ubi certum investimentum assignatum est.*
5 *Si Ecclesia acceptat onus Missarum non excusatur ob diminutionem, vel peremptionem bonorum.*
6 *De eodem, de quo, n. 3. & 4.*
7 *Unde resultent fallacia, & aequivoca.*
8 *De materia reductionis Missarum.*

D I S C. XXXIII.

1 INter piam Societatem, & Julium, de anno 1629. inita fuit conventio super celebratione Missae quotidianae in ipsius solutae animae ipsius Julii, qui obligavit seipsum, ejusque haeredes solvere annua scuta triginta, à quibus tamen se liberare posset cum solutione scutorum 600. investiendorum in bona stabilia vel in alios effectus fructiferos, sub pacto expresso, ut Societas, ex causa difficultatis exigendi redditus, vel ex alio impedimento, à dicta celebratione excusari non valeat; Cùm autem Julii haeredes solvissent dictam summam Scutorum sexcentum, ex quibus quinquaginta investita fuerunt in emptionem cujusdam Mulendini, quod per alluvionem ad aliquod tempus ruinam passum fuit; Hinc eadem Societas adiit S. Congr. Concilii pro declaratione, an
2 haeredes praedicti redditum denuo supplere tenerentur, vel quod ipsa Societas ab onere praefato, exempta remaneret, dictaeque petitioni se opponentibus dd. haeredibus, assumpta desuper disputatione, prodiit resolutio utrique Parti respectivè favorabilis, neutram scilicet ad aliud teneri.

Duo igitur fuerunt puncta; Primò nempè, an defectis bonis assignatis pro celebratione Missae, tenerentur haeredes ad suppletionem aliunde, ut pium opus non deficeret; Et secundò, quatenus haeredes non tenerentur, an adhuc Societas dictum onus haberet, adeòut ejus damno periculum investimenti cedere debeat.

3 Quatenus pertinet ad primum; Dicebam scribens pro haeredibus; quod licèt inter modernos Ecclesiasticos, quaestio sit in specie, an dotata in vita, vel in morte aliqua capellania, seu alias demandata celebratione certi numeri Missarum cum assignatione aliquorum bonorum, vel redditutum, his defectis, vel diminutis sive excreta eleemosyna Missarum, teneatur fundator, vel ejus haeres supplere aliunde ut Missarum numerus non diminuatur, vel potius Missarum reductioni locus esse debeat ad numerum redditibus proportionatum; Aliis unam, & aliis alteram sententiam tenentibus, ex iis quae caeteris relatis habentur apud Genuens. *in practicabil. Eccl. q.* 179 Barb. *de Episcopo, alleg.* 19 *n.* 7. *in repertor. dec.* Borgnin. Cavalcan. *verbo verba cum aliis, sub tit. de legat. disc.* 14 Et in qua quaestione verius est, ut certa non cadat regula generalis cuicunque casui applicabilis, cùm revera sit potiùs quaestio facti, & voluntatis quàm juris; Ideoque ex singulorum casuum circùstantiis, & pro facti qualitate decidenda, ex iis quę circa aliam quęstionem an aliquorum bonorum demonstratio pro implemento pii operis, stet demonstrativè, vel taxativè, habentur *sup. hoc eod. tit. disc.* 30. ac etiam *in d. tit. de legat disc.* 14. & alibi, quoniam ista
4 quaestio cadit in dubio, non autem ubi disponentis clara sit voluntas, ut redditus ad id assignatus redimi, seu extingui possit cum aliqua summa una vice solvenda, & investienda per assignatarium, cui onus est injunctum, quoniam facta solutione summae conventae, vel demandatae, cessat a dictus omnis obligatio, quamvis ex ejus investimento tantus redditus non percipiatur, qui ad id destinatus fuit ex iis quę in individuo dotationis Ecclesiae, vel capellae cum certo annuo reddit*u* extinguendo tamen cum certa summa in sorte principali, ut ista soluta, alia non supersit obligatio; aliis relatis habetur per Rot. *dec.* 36. *n.* 7. *p.* 2. *divers.* & apud Pen. *dec.* 773 *n.* 6. *juxta Lugdunen. alias* 616. *n* 9. *juxta Venetam*, ac formiter disputato articulo firmatum fuit *in Camerinen. dotis Ecclesiae* 22. *Junii* 1650. *&* 9 *Maii* 1653. *coram Melzio*, quarum prima est impressa *dec.* 72 *p.* 11. *rec. Et in Romana praetensi supplementi dotis*, 5. *Decembris* 1663. *coram Cerro*, & in aliis, unde propterea iste punctus videtur jam decisus, quoties facti circumstantiae aliud non suadeant.

5 Major itaque difficultas cadebat super secundo puncto, an scilicet locus esset reductioni oneris necne. Atque in hoc dicebam quod regula assistebat haeredibus contra societatem, quod scilicet ubi Ecclesia, vel pius locus rece*p*tis aliquibus bonis ex conventione, in se suscepit onus celebrationis Missarum, non potest ab eodem onere se excusare, sub praetextu diminutionis bonorum illa dimittendo, ex natura contractuum, & conventionum correspectivarum, quodque periculum debeat esse sequela dominii; Quemadmodum etenim si casus daret eorumdem bonorum assignatorum notabile augmentum, non posset praetendi augmentum oneris, sed illud commodo assignatarii cederet, ita è converso ex vulgari regula secundum naturam, &c. ut in his terminis, aliis relatis habetur apud Mant. *dec.* 242. *n.* 1. Buratt. *dec.* 560. *n.* 10.

E converso autem ex parte Societatis fundamentum cō- 6
stituebatur *in dec.* 55. Merlin, ubi firmatur quod cessato, vel diminuto annuo reddito assignato Societati, quae pium opus implere debebat, ad aliud non teneretur, istaque authoritas tanquam individualis, eò quia de consimili societate loqueretur, juxta correntem pragmaticum abusum, magnam faciebat impressionem.

Respondebam verò quod fallacia clara consisteret in applicatione ob diversitatem casus, quoniam ubi societas contenta non fuerat certa summa per ipsam investienda, quod proprium commodum, vel incommodum perciperet, sed ille qui piam dispositionem fecit, certum redditum taxativè assignavit; Et quod magis est, Societas nullum commodum augmenti sperare poterat; Tum quia res assignata, non erat capax augmenti; Tum etiam quia ubi pium opus injunctum cum minori summa adimpleri posset, reliquum non cedebat ad commodum Societatis, sed in aliud opus pium erogandum erat; Et consequenter, nulla ratio, vel aequitas patiebatur, ut qui non poterat reportare commodum, subjacere deberet damno; Ac etiam quia tunc dici- 7
tur potiùs fuisse executor quam legatarius, vel contrahens, ideoque remanet in terminis administratoria, quia ad nihilum de proprio teneri debet; Et sic dicta decisio ob diversam facti qualitatem extranea erat a casu controversiae, istaque fallacia est pabulum quotidianum forensium immorantium super litera doctrinarum, nullatenus reflectendo ad congruam applicationem, quae pendet à combinatione casuum, vel circumstantiarum facti.

Quamvis autem de stricto jure, contra Societatem, ob 8
legem conventionis, veriùs respondere debuisset, quando coram Judice Ordinario procedere debente juxta rigorosos juris tramites, causa disputaretur; Attamen dum agebatur in S. Congr. potiùs per viam gratiosae reductionis, resolutio probabilis visa est; Tum quia ex dispositione, vel intentione sacrorum canonum, ac etiam S. C. T. quando ex mutatione temporum, vel ob alias contingentias redditus non sufficiunt pro oneribus Missarum, locus est reductioni, quae prius concedi poterat etiam per locorum Ordinarios, quamvis hodie ob eorumdem Ordinariorum facilitatem, id eis interdictum sit, inconsulta S. Congreg. Tum etiam ob conclusionem pluries alibi insinuatam, & praesertim *sub tit. de Decim. disc.* 1. *& in aliis*, quod scilicet quando tractu temporis contractus reducitur ad magnam injustitiam, intrat judicis officium pro moderatione, ac reductione ad justitiam; Ideoque ista materia reductionis, certam non habet regulam, cum sit arbitraria ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis regulanda.

ANNOT. AD DISC. XXXIII.

QUando bona assignata dicantur stare taxativè, vel demonstrativè. Vid. *Annot. ad disc.* 14. *de Legatis*.

R O M A N A S E U &c.

P R O N.

Responsum pro veritate.

An Judaei, aliique Infideles ad fidem conversi, vel eorum filii, aliqsiam patiantur irregularitatem pro assecutione ordinum, vel beneficiorum; Et quid ubi talis vigeat consuetudo inhabilitativa, an afficiat illos originarios, qui contraxerint domicilium in alio loco, in quo ea non vigeat?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Infideles conversi ad fidem sunt capaces ordinum, & beneficiorum, vel dignitatum.*
3 *Statuta super impuritate sanguinis sunt contra jus.*

4 *Quando Judæi, aliique infideles conversi ad fidem sint irregulares?*
5 *Consuetudo localis non afficit eos, qui deserto loco contraxerunt alibi domicilium.*

DISC. XXXIV.

1 PRæsupposito quod in Regno Portugalliæ vigeat consuetudo, ut patientes impuritatem sanguinis ratione originis, à Judæis, vel ab aliis infidelibus, quandam habeant irregularitatem, seu inhabilitationem ad ordines assequendos, ad quos absque Apostolica dispensatione non admittuntur, cùm Titius dicti Regni originarius, dictamque patiens impuritatem sanguinis ob descendentiam à Judæis; per decennium, & ultra cum parentibus, ac fratribus, totaque familia domicilium in quadam Italiæ Civitate contraxerit, animo illud continuandi; Vellet autem sacros ordines suscipere; Hinc me pro veritate consuluit an præfatæ consuetudini subjaceret, adeout Apostolica dispensatione indigeret necne?

2 Respondi negativè, quoniam quidquid sit de subsistentia dictæ consuetudinis, & quomodo inducta esset, adeout legis vim haberet, super quo judicium dari non poterat, cùm ignotæ essent facti circumstantiæ, ex quibus id pendet dicebam negari posse, quia ista censenda esset consuetudo contra jus, quoniam etiam ipsimet qui fuerunt in statu infidelitatis conversi ad Christi fidem, sunt capaces ordinum, ac beneficiorum, quinimò etiam dignitatum majorum *ad text. in c. eam te, de rescriptis, ubi gloss. in fin. & Canonistæ communiter alleg.* per Barbos. *de Episc. alleg.* 10. *n.* 7. *& vot.* 93. *n.* 63 *lib.* 3. Ex ea congrua ratione quòd Christiana religio, & Ecclesia, à Judæis, & Infidelibus, initium habuit, cùm B. Petrus, aliique Apostoli, atque tot Sancti Pontifices, & Episcopi fuerint prius Judæi, vel gentiles, ad fidem postmodum conversi.

3 Unde propterea recepta conclusio est in materia beneficiali, de qua aliis relatis, Rot. apud Merlin *dec* 368. *n.* 5. apud Buratt. *dec* 829. *n.* 1. *& pluries, sub tit. de Beneficiis*, quod Statuta Ecclesiarum super impuritate sanguinis, arcentia scilicet descendentes a Judæis, vel ab infidelibus, a Canonicatibus, & dignitatibus, aliisque beneficiis, dicuntur contra jus.

4 Unoque casu intrat irregularis, quando scilicet Judæus, vel quicunque alter Infidelis ad fidem conversus, denuò per Apostasiam ad infidelitatem redierit juxta traditionem Canonistarum *in cap. non potest* 2. *q.* 8. *cum Concordantibus* per Majol. *de Irregular. lib.* 5. *c.* 34. *n.* 1.

5 His itaque sic stantibus, Ubi etiam dicta consuetudo admittenda veniret legitimè inducta; Adhuc tamen illa censenda est localis, potiùs per Sedem Apostolicam approbata, vel tolerata, ut regionis moribus, vel populorum opinioni satisfieret, atque aliquod tolleretur scandalum, quod forsan exinde oriri possit, quando Apostolica dispensatio non accederet, juxta illas considerationes, quæ in beneficiorum collatione haberi debent in iis, qui de aliquo non constet, quinimò absolutoriam reportaverint, ex deductis, *sub tit. de Benefic. disc.* 70. *& seq.* Et consequenter quod consuetudo non egrediatur locum, in quo inducta est, juxta notoriam ejus naturam omnium frequenter in omni materia insinuatam; Atque dum supponebatur ex facti circumstantiis domicilium legitimè contractum, ita sequitur, ut fingatur quis deserta prima civilitate, esse civis, & subditus loci, in quo vivit, etiam ad effectum collationis ordinum ab illo Ordinario ex alibi deductis in hac materia collationis ordinum.

ANNOT. AD DISC. XXXIV.

DE Judæis actum est ad diversos effectus in variis locis, & signanter *sub tit. de Regal. disc.* 100. *cum seqq. &* 160. *sub tit. de Servit. disc* 70 *sub tit. de Usur. disc.* 5. *& seqq. & sub tit. de Matrim. disc.* 15.

LUCANA OPERÆ PRO OPERARIIS SANCTÆ CRUCIS CUM CAPITULO CATHEDRALIS.

Responsum pro veritate.

An administratio oblationum, & eleemosynarum quæ fiant alicui Ecclesiæ, vel devotæ Imagini, necnon sacræ supellectiles, esse valeant penes sæculares, privative ad rectorem, vel ad capitulum Ecclesiæ, in qua Imago existat?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *An locus sit Ecclesiasticus, vel pius?*
3 *Ad quos effectus de ista quæstione disputetur.*
4 *De superioritate Ordinarii loci, etiam in locis piis secularibus.*
5 *Ea quæ procedunt favore sæcularium in locis Ecclesiasticis, fortius procedunt in locis solum piis.*
6 *Possunt stare simul superioritas Ecclesiastica Episcopi vel capituli, & administratio laicorum cum distinctione.*
7 *De administratione oblationum, eleemosynarum.*
8 *Episcopus est Rector Cathedralis, & Capitulum sede plena non habet jus.*
9 *Quorum jurium sint incapaces laici.*
10 *De retentione clavium reliquiarum, vel devotæ imaginis penes laicos.*
11 *De tribus speciebus administrationis rerum Ecclesiæ.*
12 *De capacitate laicorum administrandi oblationes, & eleemosynas.*
13 *In vim consuetudinis immemorabilis, vel centenariæ potest allegari privilegium Apostolicum.*
13 *Confirmatio Episcopi deputationis Laici administraturis quid operetur.*
15 *Aliud est Capella, aliud est confraternitas ibi erecta.*
16 *De obligatione dandi eleemosynam Concionatori.*

DISC. XXXV.

PRæsupposito in facto multorum sæculorum observantia, 1
ut quoad concernentia custodiam, & cultum S. Crucis, sive insignis simulacri vultus Domini nostri Crucifixi Lucani, administratio fuisset penes aliquos Gubernatores sæculares, qui Operarii nuncupantur, deputari soliti à Republica, vel ab alia sæculari universitate, cum sola Episcopi approbatione, seu confirmatione; Ipso Episcopi in causa non existente, super tribus exorta est quæstio inter d.d. Operarios & capitulum Cathedralis, in qua dictum sac. simulacrum existit; Primò nempè circa administrationem oblationum, ac legatorum, aliarumq; piarum dispositionum; Secundò circa administrationem sacrorum vasorum, & vestimentorum, ac alterius sacræ suppellectilis pro illius capellæ ornamento, & cultu; Et tertiò, an opera, seu confraternitas teneatur contribuere in eleemosyna concionatoris, ipsius cathedralis tempore Quadragesimæ, & Adventus; Quare desuper pro verita- 2
te ex parte dictæ operæ consultus; Cum in notula desuper tradita, Scribens nimium se diffunderet in quæstione, an iste locus dicendus esset potiùs pius merè sæcularis, quam Ecclesiasticus, & de quo fertur forsan ista occasione, vel alia consimili plenè agi, per Jo. de Turre ejusdem Civitatis in opere adhuc sub prælo existente *lib.* 3 *de pactis futuræ successionis c. n.* 149 *& seqq* de qua materia plures agitur & tit. *de jurisd. disc.* 45. *&* 60. *& sub tit. de alien. & contract. disc.* 1. 7. *&* 8. *sub tit. de Regul. disc.* 50. *& alibi.*

Respondi quod ad effectus hujus controversiæ, inanis labor videbatur istam quæstionem ex professo assumere, De 3
illa etenim ad duos effectus potissimum disputari solet; Primò nempè ad illum alienationis bonorum, *de quo d. disc.* 1. 7. *&* 8 *de alien. & contr. prohib.* Et secundò ad alterum competentiæ fori ecclesiastici, vel laicalis respectivè, *de quo d. tit. de Jurisdict. disc.* 45. et 60. *sub tit. de Regul. disc.* 50.

Ad alios etenim effectus, illum præsertim visitationis, ac 4
revisionis rationum, quoties non intrent limitationes, quæ ob regiam immediatam protectionem, vel ob legem fundationis, seu aliàs habentur *sub d. tit. de Jurisd. disc.* 40. 41. *et* 45. Nil refert an locus sit Ecclesiasticus, vel etiam sæcularis pius; Ideòque ista quæstio superflua videbatur, & super qua judicium proferre noluit; Tum quia sufficiens nõ habebatur notitia omnium circumstantiarum, ex quibus hujus quæstionis dec. pendet; (Tum etiam ut inhærendo commendabili curiæ stylo) abhorrendi superfluas evagationes, ac immorandi strictè, & precisè super controversiæ puncto.

Quare præsupponendo (citra veri præjudicium, atque ad 5
superabundantiam) quod locus dici posset ecclesiasticus, ad effectum, ut eo existente solùm pio laicali, intraret solitum argumentum desumptum *ex auth. multo magis, etc.* Dixi posse simul stare ob præsuppositam antiquissimam plurium sæculorum observantiam, quod ista capella cum sacra Imagine esset locus verè Ecclesiasticus, quodque in concernentibos cultum, ac spiritualia, sit sub jurisdictione Episcopi 6
ac etiam sub aliqua superioritate Capituli, quod aliquam

ſi-

participationem cum Episcopo habere dicitur in Ecclesia cathedrali, ex pluries insinuatis. Et tamen quod temporalis, vel œconomica administratio bonorum, & redditRum, seu oblationum, & eleemosynarum, vel Sacræ supellectilis, spectet ad laicos privativè ad parochum, vel rectorem Ecclesiæ, in qua sacra Imago, vel capella sita sit; Quinimò etiam retentio clavium ipsius capellæ, vel imaginis, seu reliquiarum, cum similibus, quæ referri possent ad quid merè temporale, annexum spiritualitati, quæ directè, ac præcisè non percutiatur.

7 Quamvis etenim regula sit, ut administratio, vel respectivè perceptio oblationum, & eleemosynarum, quæ fiunt alicui devotæ imagini existenti in Ecclesia, spectat ad ipsius Ecclesiæ Rectorem; Attamen ubi oblationes sunt magnæ, vel ubi in contrarium vigeat antiqua consuetudo, potest hæc administratio esse penes Episcopum, vel penes alios privativè ad Rectorem ex iis, quæ aliis plenè relatis habentur *in notissima dec.* 257. Merlin. *repart. dec.* 37. *p.* 5. *rec.* quæ reputatur in materia magistralis, passimque recepta, ut habetur *in tit. de Paroch. disc.* 32. ac etiam habetur respectivè apud Andreol. *contr.* 381. *n.* 17. Atque docet notoria praxis totius Ecclesiæ Catholicæ quod infinitæ adsunt capellæ cum nimium devotis imaginibus, quibus magna fiunt legata, & oblationes sub administratione alterius quàm Rectoris Ecclesiæ; Ideoque cum in hac facti specie habeatur antiquissima observantia plurium ac plurium sæculorum, absque eo quod de aliquo constet in contrarium, nullum habere videbatur fundamentum nova prætensio per Capitulum excitata.

8 Clarius verò, ac extra difficultatem, quia neque contentio est cum Ecclesiæ Rectore; Cum etenim agatur de capella, vel imagine existente in Ecclesia Cathedrali, istius Rector, ac sponsus est Episcopus, non autem Capitulum, ideoque dicebam non videri qualem personam in hoc gereret, vel repræsentaret Capitulum, dum in hoc nullum jus habet atque ita cessare videbatur omnis difficultas, cùm Capitulum rectè valeat repelli per non jus sede plena, dum ejus jurisdictio est sede vacante, vel impedita.

9 Neque inconveniens esse dicebam ut hæc administratio existat penès laicos, quoniam ista non dicitur administratio illius juris spiritualis, cujus laici sunt incapaces, & de qua administratione loquuntur sacri canones, dum illa consistit in ipso formali regimine, vel rectoria Ecclesiæ, vel capellæ, cum administratione divinorum, illorumque actuum spiritualium explicatione, qui non nisi ecclesiasticis personis conceduntur, laicis autem interdicuntur, sed agitur de administratione temporali, prout facti est, qualis est custodia, tam supellectilis, quàm bonorum temporalium, eorumque cura, & œconomica administratio, ne dissipentur, seu in alios usus convertantur.

10 Imò in terminis terminoribus, ut retentio clavium, atque custodia sacrarum reliquiarum, aliarumque imaginum, ex consuetudine competere possit laicis, habetur deductum apud Andr. *d. contr.* 381. *n.* 1. atque probatur cum exemplo, de quo *tit. de Præem. disc. fin.* ubi de clavibus celeberrimæ imaginis S. Mariæ in Portico in Urbe retentis per Custodes sæculares; *Et eodem t. de præeminen. disc.* 12. ubi de custodia quam in Civitate Neapolis habent laici deputati per Civitatem insignia Thesauri reliquiarum, in ipsa Ecclesia Metropolitana, cum custodia, administratione sacræ supellectilis, ac redditum; Atque in Urbe laici Gubernatores hospitalis S. Salvatoris tenent claves celeberrimi vultus D.N. Salvatoris, aliarumque insignium reliquiarum existentium in loco propè Lateranum, qui dicitur Sancta Sanctorum ad Scalam Sanctam; Et in Civitate Neapolis, celeberrima, & ditissima est Ecclesia Sanctissimæ Annunciatæ, quæ per laicos administratur, cum similibus exemplis per totum orbem, quoniam ista non dicitur administratio spiritualis, ut juris est, de qua loquuntur sacri canones, sed de administratione œconomica, & verè temporali, ut nudi facti est, atque in hoc versari solet æquivocum, confundendo scilicet administrationem spiritualem Ecclesiæ, consistentem in administratione divinorum & spiritualium, cum administratione temporali bonorum, ut facti est.

11 Ut da triplici specie administrationis Ecclesiarum, & locorum ecclesiasticorum, quod scilicet, Alia est authorizabilis, itaque sit solius Episcopi; Alia ministerialia, atque ista sit Ecclesiasticorum; Et alia providentialis, vel solicitudinis, & ista possit esse laicorum, ex magistrali dicto Archid. *in c. benè* 17. *q.* 7. cum quo alii Canonistæ pertranseunt relati per Genuens. *in prax. Archiep. Neap. c.* 41. *n.* 2. *& seq. & per tot.*
12 juxta meam impressionem Romanam anni 1609.

Et quod de consuetudine, Confraternitates laicorum sint capaces perceptionis, ac administrationis oblationum, vel eleemosynarum, cum dicatur administratio temporalis, & œconomica, cæteris relatis, qui ibidem videri possunt, habetur apud Fagnan. *in c. pastoralis, n.* 21. *& seqq. de his, quæ fiunt à Prælat. &c.*

Quando enim Operarius vellet benedicere, seu consecrare vestimenta, & vasa sacra, vel aliàs in eorum spirituali usu, ac administratione se ingerere, aut oblationes, & legata, sibi, vel profanis usibus applicare, tunc intraret prohibitio, sed nulla dignosci videtur prohibitio circa merè temporalem administrationem providentialem, ut vestimenta & vasa sacra benè custodiantur, atque non applicentur, nisi usibus capellæ, cui destinata sunt.

Fortiùs autem, stante antiquissima consuetudine non habente memoriam in contrarium, ut hæc administratio semper fuerit penes Operarium sæcularem à Confraternitate vel Communitate laicali deputatum; Ubi enim accedit immemorabilis, vel centenaria, clarius autem ubi utraque simul, tunc intrat receptum juris principium, ut ejus vigore allegari possit quicumque titulus de mundo melior, absque necessitate illum justificandi, quoties non cōstet de initio infecto ad quem possessor per illius productionem præcisè se restrinxerit, ex deductis per Gabr. *de præscript. concl.* 1. *n.* 7. Menoch. *cons.* 1023. *n.* 3. *&* 4. Rot. apud Merlin. *dec.* 593. *n.* 25. & Ego pluries adverto, præsertim *sub tit. de feud. disc.* 3. *sub altero de Regal. disc.* 47. Et magis ex professo *sub tit. de alien. & contract. prohib. lib.* 7. *disc.* 2. *&* 3. Ideòque stante dicta longissima plurium sæculorum observantia cum tolerantia, & permissione tot insignium Episcoporum, à quibus ista adeò conspicua Ecclesia administrata fuit; Hinc benè dici potest, ut etiam accederet, nedum antiqua concessio Episcoporum, sed etiam privilegium Apostolicum, per quod omnis penitus difficultas in hac materia cessat. 13

Confirmatio autem hujus Operarii ab antiquo fieri solita per Episcopum, & in qua circumstantia supponebatur, quod ex parte Capituli magnum constitueretur fundamentum, potius retorqueri videbatur, atque præmissa mirificè comprobare, quoniam ita patet, quod ista administratio ab Ecclesiastici etiam potestate derivaverit, juxta ponderationem, de qua Fagn. *loc. sup. cit.* Et consequenter dixi, quod nisi viderem fundamenta, quibus Capituli prætensio innititur, non percipiebam probabile motivum dubitandi, cum generalis propositio, in qua supponebatur, ut totum fundamentum constitueretur, super laicorum incapacitate administrandi ecclesiastica & spiritualia, sit vera in casu suo, sed malè applicata ad illum, de quo agebatur, dum dicta propositio procedit in administratione spirituali, quæ malè confunditur cum temporali, atque in hoc dixi, quod versabatur æquivocum. 14

Hinc proindè dixi opus non esse assumere dictam quæstionem, an hæc opera dicenda veniant verè ecclesiastica, vel pia; Et in qua, distinguenda videtur Confraternitas, seu opera, ab ipsa S. Capella, vel Imagine, quoniam licèt probabilius videatur, ut ipsa opera, seu confraternitas, à laicis, constituta in bonis, ac rebus per ipsam quæsitis, seu etiam in legatis ipsi confraternitati factis, dici possit locus pius, potiùs quàm ecclesiasticus; Attamen quoad ipsam capellam, vel imaginem, ac legata & oblationes, quæ ipsi directè fiant, ut supponebatur esse quoddam annuum legatum, planum videri dicebam, quod locus esset potiùs ecclesiasticus, itaque possunt benè simul stare, quoniam aliud est capella, vel Ecclesia; Et aliud est confraternitas in ipsa capella, vel Ecclesia erecta, ut habetur apud Genuen. *in d. praxi cap.* 41. & passim; Et consequenter ad dictos effectus, de quibus in primo, & secundo quæsito, extranea remaneret ista quæstio, inanisque labor videretur in ea immorari, utpotè extra punctum controversiæ. 15

Super tertio autem puncto contributionis eleemosynæ concionatoria, de quo in proposito administratorum laicorum habetur *in d. c.* 41. *praxis Archiepiscopalis, n.* 24. Dixi quod judicium dari non poterat, nisi melior, magisque distincta factè notitia haberetur, super observantia, cui in hac materia deferendum est, ut sæpissimè declaravit S. Congregatio contra Communitates laicales in hoc proposito solvendi eleemosynam concionatori, ex deductis, *hoc eod. tit. disc.* 27. ideoque dixi quod videndum erat, an adesset talis observantia, quæ dici valeat præscriptiva & in futurum obligatoria, non autem solum facultativa, quod pendet ex circumstantiis facti, ideoque certam juris regulam non recipit, ut advertitur *d. disc.* 27. *hoc eod. tit.* 16

ANNOT. AD DISC. XXXV.

DE Oblationibus, & Eleemosynis habetur *sub tit. de Paroch. disc. 32. tit. de Decimis, disc. 29. & disc. 22. de Jurepatr.*

ROMANA ADMINISTRATIONIS MONTIS PIETATIS.

Votum, seu Responsum pro veritate.

An administratoribus Montis Pietatis erecti pro subventione indigentium, cum mutuo gratuito, liceat occasione Banci, seu Mensæ nummulariæ, quæ hac occasione tenentur, mutuare in summa considerabili pecunias mercatoribus, & aliis banci correspondalibus, præter ejusdem Montis institutum.

S U M M A R I U M.

1 *FAlli series, & de antiqua exorbitantia usurarum.*
2 *Administratores montium pietatis non possunt mutuare pecunias divitibus.*
3 *Resolutio.*
4 *In quo consistat differentia in legalibus, vel moralibus controversiis.*
5 *In qua specie montium pietatis procedat prohibitio, de qua, n. 2.*
6 *De eadem conclusione, de qua, n. 2.*
7 *Tutor non mutuat pecuniam pupillarem.*
8 *Quod administratores montis teneantur de proprio.*
9 *De erectione banci, seu mensa nummularia montis, & de privilegio circa deposita judicialia.*
10 *Qua utilitas exinde orta sit.*
11 *& 12 Cui assimiletur ista mensa nummularia.*
13 *Administratores debent se gerere tanquam tutores.*
14 *Tutor bene agit si administrat eo modo quo bona propria.*
15 *Argumentum ab effectu est magnum.*
16 *In eodem patrimonio dari possunt plures distinctas universitates, vel stationes.*
17 *In quo consistat difficultas hujus quæstionis.*

D I S C. XXXVI.

1 CUrrentibus, pro illorum temporum conditione, in Urbe, & per totum Italiam, gravissimis usuris, quæ
triennio, ac minus, sortem adæquabant juxta seriem *de qua*
sub t. de usuris, disc. 6. De anno 1539. sub Paulo III. cum il-
lis exiguis principiis, quæ omnia magnifica opera, ipsaque
antiqua celeberrima triumphatrix Roma habuerunt, per
quandam piam societatem erectus fuit Mons pietatis, qui
per successores Pontifices, & præsertim per Gregor. XIII. &
Clem. III. pluribus dicatus privilegiis, illo præsertim depo-
sitorum judicialium in eo faciendorum, undè propterea
bancum publicum, seu mensam nummulariam aperuit, quę
in dies magnam acquisivit existimationem, adeout sit de
majoribus magisque tutis, & conspicuis Italiæ, & forsan Eu-
ropæ bancis publicis; Cumque justa bancheriorum, seu
campsorum stylum, ut Mercatores, aliique ad pecunias ibi
deponendas allicerentur, usus inolevetit quamdam urbani-
tatem, cum eisdem correspondalibus exercendi, implendo
scilicet eorum ordines & mandata, etiam de tempore, quo
juxta contingentias, eorum pecuniæ in banco non existe-
rent, in compensationem scilicet commodi eidem banco,
ipsique Monti resultantis ex pecuniis excrescentibus, quas
iidem correspondales otiosas ibi retinere soleant.

Atque Constitutio Apostolica ejusdem Pauli III. super hu-
jus operis erectione, edita disponeret ut ejus peculium in
alios usus erogari non deberet; Ac etiam de anno 1615. su-
pervenerit Constitorio Pauli V. generalis pro omnibus
Montibus Pietatis status Ecclesiastici, inhibendo Admini-
stratoribus nè sub censuris aliisque pœnis, pecunias huic pio
operi destinatas, aliis usibus applicarent, & in specie ne mu-
tuarentur personis potentibus, vel non indigentibus, idem-
que disponeretur in antiquis statutis ejusdem Montis editis
de ann. 1611. Hinc proinde aliqui zelantes, ac timoratæ con-
scientiæ nobiles viri congregationis, quæ hoc pium opus
administrant, plures insignes Theologos consuluerunt,
an dictus usus tuta conscientia practicari posset, vel potiùs
incurrerentur censuræ, aliæque pœnæ in præfatis Apostolicis
Constitutionibus contentæ, in illa præsertim Pauli quinti,
eisque respondentibus id fieri non posse ad dictarum consti-
tutionum præscriptum; Cum alii administratores qui hujus-
modi bancorum, seu mensarum regimine magis versati, in
contraria essent sententia, ut scilicet pro meliori administra-
tione, ita continuare expediret; Idcircò à me tanquam ejus- 3
dem Montis Advocato, consilium pro veritate, Theologo-
rum votis communicatis, petitum fuit, atque mihi pro con-
tinuatione dicti usus respondere visum est, & ita maturè
discussis omnibus in plena congregatione de anno 1672.
conclusum fuit, cum moderatione tamen, de qua infra;
Voti autem, seu responsi tenor est, videlicet.

In legali, & morali facultatibus, limitati in dies praxis 4
docet certum philosophicum, ac etiam legale axioma, ut
una, & eadem causa, duos contrarios effectus eodem tem-
pore parere non valeat; Legum etenim, ac decisionum, &
Scriptorum copia, facillimum cuique reddidit, in una,
vel in altera facultate, de jure respondere, magnamque
earum propositionum cumulum facere, quæ in abstracto,
sive in suis casibus veræ sint; E converso autem, eadem
causa, difficillimum reddit congruè ad rem respondere, cùm
eadem conclusionum, ac doctrinarum copia, facilisque
notitia, æquivocorum potiùs mater frequenter esse soleat,
capiendo quid pro quo.

Quando igitur de illis Montibus Pietatis agitur, quorum, 5
nè dum principale, sed omnimodum institutum versatur in
exercendo cum ejusdem Montis peculio ad id destinato, il-
lud pietatis opus, pro quo erectus est, subveniendi scilicet
indigentibus pecuniis gratuitò mutuandis super pignoribus
in certis parvis summis, certam taxam non excedentibus, ut
propriè congruit pauperum, ac populi minuti indigentiis, ac
subventioni, ut fœneratorum excoriationi, vel suffocationi
non subjaceant; Et tunc extra controversiam præfatum
Theologorum moralium responsum procederet, ut ad præ-
scriptum Constitutionis, vel motus proprii generalis S. M.
Pauli V. pro omnibus hujusmodi piis locis Status ecclesiasti-
ci, pecuniæ ad hunc usum destinatæ, aliis usibus destinari
non valeant, neque transcendi debeat taxa consueta nè gra-
tificativa mutuatio, quæ aliquibus de summis magnis fiat,
pauperum subsidium impediat, atque ita tollatur finis, ob
quem pium opus institutum est.

In his terminis rectè procedunt dicta responsa, eaque in 6
casu suo credo certa, ac Indubitata; Tum ob contraventio-
nem dictæ Apostolicæ Constitutionis; Tum etiam, quia
etiam si ea non adesset, adhuc in terminis generalibus juris,
ac justitiæ idem dicendum esset, quoniam esset contrectare
rem alienam invito domino atq; erogare pecunias admini-
strandas, citrà usum administrationis, quod fieri non potest.

Prout etiam in foro fori, atque ad effectum obligationis
de proprio, certum credo, ut tam inferiores ministri, quales
sunt Campserius, & Ratiocinator, quàm superiores officia-
les ad id deputati, nō possint ad cōplacentiam (multò minus
ubi id fieret turpiter ad lucrum) mutuare pecunias Montis, 7
quodque aliàs, de hoc, vel de aliis malam administratio-
nem in eorum munere concernentibus teneantur etiam de
proprio, ad quamcunque damni refectionem, eo modo
quo ergà pupillum tenetur tutor, qui pecuniam pupillarem
pro ejus libito, & ad gratificationem mutuare non potest,
seu aliàs periculosis negotiationibus exponere, quamvis id
ageret sub usuris ad commodum pupilli, ex pleno collectis
per Speteil. *dec. 90. n. 8. cum plur. seqq.* & advertitur in sua
sede *sub tit. de tutor. & administrator.*

Et in individuo Ratiocinatoris, aliorumque officialium 8
hujus S. Montis, non benè suum munus explentium, atque
aliquid agentium ad gratificationem, aliàs pro veritate con-
sultus contra eos respondi, ex deductis *sub tit. de credito,*
disc. 68. & 69. sub d. tit. de tutor. & administrator. disc. 15.
ubi ad favorem ejusdem Montis agitur de obligatione offi-
cialium loci pii pro malè gestis per administratorem ab eis
præpositum.

Verùm punctus est in applicatione, ex cujus defectu rectè 9
dici poterat, quod omnia in dicto Moralium responso con-
tenta, essent in suis casibus vera, sed non percuterent casum
de quo agebatur; Siquidem licèt iste Mons Pietatis in statu
cum primævæ erectionis, illisque primis temporibus, cum
quorum præsupposito procedit Constitutio Pauli III. edita
de anno 1539. registrata in ejusdem Montis statutis, ob ejus
exiguum peculium, pro dicto opere tantùm erectus esset.
Nihilominus crescente in dies ejus peculio, introduci cępit
usus banci, ad effectum recipiendi deposita præsertim judi-
cialia, quæ Gregorius XIII. de anno 1584. mandavit in hoc
S. Monte, & non alibi fieri debere; Idque magnam produ-
xisse Montis existimationem, ac utilitatem, adeout sit pii
operis principalis nervus, quo mediante idem opus latiùs

ex.

explici valeat, rectè advertitur in proœmio Statutorum impressorum de anno 1918.

10 Ex hoc itaque constat quod erectio banci cum usu depositorum, non solùm judicialium, sed etiam voluntariorum ac etiam dictus usus mercatores, aliosque privatos alliciendi, non solum pio operi, vel instituto non præjudicat, sed illud potiùs nimiùm confovet, ac auget, dum ita ex calculis compertum est, quod major summa super pignoribus mutuari potest.

Igitur incongruum est procedere cum solis terminis simplicis Sacri Montis Pietatis parvarum Civitatum cum exiguo peculio ad illud præcisum opus destinato procedere, quoniam ob notabilem status immutationem, dictamque diversi instituti campsorii introductionem, diversi evadunt termini; diversusque est gubernandi modus.

11 Ita etenim iste sacer Mons, cui tanquam in Urbe totius Christiani orbis metropoli magis cógruit ea dignitas quam plerique consimiles Montes Pietatis magnarum Urbium Italiæ habent (ut in eodem Statutorum proœmio advertitur) redactus videtur ad statum in quo erat celeberrimum templum Hierosolymitanum, in quo ut legitur *lib. 2. Machabæorum c. 3.* ultra alia pietatis opera, illud exercebatur recipiendi deposita viduarum, & pupillorum; aliorumque privatorum negotiantium, ut patet ex responso dato per summum Sacerdotem, Eliodoro ibi, *Tunc Summus Sacerdos ostendit esse deposita hæc, & victualia viduarum, & pupillorum, quædam verò esse Hyrcanni Tobiæ viri valde eminentis, universa autem argenti talenta esse quadringenta, & auri ducenta, decipi verò eos qui credidissent loco, & templo, quod per universum mundum honoratur pro sua veneratione, & sanctitate, omnino impossibile esse*, ut ego adverto, *d. disc. 68. de Cred. n. 8.*

12 Sive quod idem sacer Mons redactus esset ad illam publicam ædem sacram, de qua per Doctores passim agitur tanquam per restitutionem illius publicæ mensæ nummulariæ, quæ in antiqua Romana Republica habebatur pro publica utilitate, juxta ea quæ habentur apud Magret *dec. 6. post observ. ad Pragm.* & advertit. *in d. disc. 68. de cred. ex n. 5. & eod. lib. disc. 25. n. 8. cum seq.* ubi de banchis publicis, quæ discreta sint à privatis, ibique *n. 5.* fit etiam mentio hujus nostri S. Montis, pluriumque aliorum consimilium bancorum, quæ retinentur per consimilia loca pia in aliis Italiæ magnis Civitatibus.

Et consequenter non agitur de simplici gubernio Montis Pietatis pro solo mutuo indigentibus faciendo, sed agitur de gubernio magnæ mensæ nummulariæ eidem Monti annexæ, quæ gubernanda esset juxta subjectam materiam, eo modo quo periti, ac diligentes campsores, proprios bancos gubernant, ac administrant.

13 Ut enim advertitur in Statutis *c. 11.* Gubernatores gerere debent patrem tutoris, sive diligentis patrisfamiliæ, atque pupilli bona administrare eo modo, quo negotia propria tractaret, neque ultra desiderandum est *ex deduct.* apud Durand. *dec. 239. n. 5. ad text. in l. si hærede, §. Lucius ff. de admin. Tutor. cum ibi allegat.*

14 Tutoris autem administratio regulari debet juxta subjectam materiam; quoniam ubi de pupillo privatæ fortunæ agatur, ille prohibetur pecunias pupillares mutuare, seu eas negotiationibus exponere, sed debet investire in bona stabilia, multò verò minus potest donare; Et tamen si pater pupilli mandet continuari negotium, atque retineri mensam nummulariam, sive campsoriam artem exerceri, utique totum id facere poterit, quod negotiator vel bancherius de stylo prudens agat, & quod alii consimiles negotiatores agunt; Quinimò ubi esset tutor Principis, vel Magnatis potest etiam dare munera, & facere donativa, quæ pro qualitate personæ dari solita sint, ex deductis per Franc. *dec. 188. & 712. ibique add.* Ideoque si agatur de tutore, vel alio administratore pupilli, vel etiam Ecclesiæ, seu pii loci habentis Castra, & casalia, vel tenutas, seu fodinas, aliaque hujusmodi pro quibus congruat pro negotii natura, vel bonorum qualitate facere impræstantias, dubitandum non erit quin eos facere possit, cum similibus.

Et consequenter decisio puncti de quo agitur non pendet à propositionibus Juristatum, vel Moralium, sed potius à regulis prudentialibus, ac à judicio peritorum, & proborum negotiatorum, & quid ipsi, agendo proprium negotium practicent.

15 Potissimus, ac melior consiliarius erit retroacti temporis experimentum, & an urbanus, ac benevolus stylus adhiberi solitus cum correspondalibus montis, proficuus, vel damnosus fuerit, cum apud Philosophos, & Dialecticos argumentum ab effectu, seu à posteriori reputetur omnium fortissimum, magisque concludens, atque apud Legistas, observantia dicatur optima magistra, & interpres.

Neque obstare videtur, quod mensa nummularia, seu area depositorum non sit distincta à peculio pignorum, seu mutuorum, sed quod ab ista illa dependentiam habeat; Quoniam stant bene simul, ut unicum sit alicujus patrimonium, complexivum omnium ejus bonorum, inter quæ tanquam unum ex universitatis, seu bonorum membris, vel effectibus adsit ratio bancaria, quæ dicitur membrum dependens reliquo patrimonio, & tamen in seipsa considerata, universitatem contineat, atque bancariæ rationis more regulanda sit juxta ea quæ habentur apud Grat. *discept. 256. ex n. 6.* & advertitur *lib. 7. de donat. disc. 45. n. 6. & alibi*; Ideoque ista possunt stare simul, solaque difficultas esset quando administratio banchi, eo modo quo campsorio mutua facienda esset, impediret ipsum pium opus, seu principale institutum subveniendi pauperibus indigentibus, cujus contrarium notoria experientia docuit, ac docet, atque advertitur in dicto proœmio statutorum. 16

Difficultas igitur non est in jure, sed est in facto, idest non super retroacto urbano usu tento cum correspondalibus ad eos alliciendum, sed est super modo id agendi, & ne bonus usus convertatur in abusum; In hoc autem non sunt partes Juristarum, vel Moralium, sed sunt partes prudentiæ administratorum illorum præsertim, qui sint in hujusmodi negotiis periti, quodque ista urbanitas exerceatur cum jam probatis, & punctualibus correspondalibus, qui bona fide se gerant ex justa causa, & ad proportionem pecuniæ, quam in banco retinere solent otiosam, non autem ad industriam, sive invigilandum est in aliis mutuis gravioribus ne inspiciamus ad festucas, & negligamus trabes. 17

ANNOT. AD DISC. XXXVI.

De Administratoribus Montis Pietatis *sub. tit. de Credito disc. 68. & 69. & in eod. tit. disc. 169. & sub tit. de Tutor. & Admin. disc. 15.*

THEATINA PRÆEMINENTIARUM
PRO ECCLESIA S. PETRI
CUM ECCLESIA S. MARIÆ TERRÆ VASTI.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Rituum, resolutus pro Ecclesia S. Mariæ.

An & quando Clerici unius Ecclesiæ, accedere teneantur ad processiones publicas, & solemnes, quæ per aliam Ecclesiam ejusdem loci celebrantur? Vel potiùs prætendere possint facere proprias processiones, & solemnitates distinctè, ac independenter.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones.*
3 *De inspectionibus facti.*
4 & 5 *Transactio etiam inter Ecclesias, est alienatio prohibita.*
6 *Declaratur quomodo procedat.*
7 *De prærogativis primæ dignitatis in functionibus Pontificalibus.*
8 *De eodem, & quid in concursu deputati à Capitulo.*
9 *Vicarius Generalis præcedit omnes de Capitulo, sed non agit dictas functiones.*
10 *Cæremonialis habet vim legis, et quando admittat contrariam consuetudinem.*
11 *A qua Ecclesia fieri debeant processiones.*
12 *De eadem conclusione, de qua, n. 4. et seqq.*
13 *De alternativa servanda inter plures ecclesias.*
14 *Declaratur id quod habetur, n. 11.*
15 *Quando loca sint diversa licet faciant unam communitatem.*

D I S C. XXXVII.

Oppidum Vasti, materialiter divisum est in duas partes ratione diversorum situum, Quoniam una pars, quæ posita est in mõte, seu in parte eminentiori, nuncupatur *Vastum Grisone superius*, vulgò *di sù*; Et altera pars sita in plano, nuncupatur *Vastum Aimone inferius*, vulgò *di giù*; Cumque utraq; pars proprias Ecclesias parochiales habeat, cui ad formam collegiatę adscripti sunt clerici naturales, juxta frequentem illarum partium usum pluries *hoc eod. tit.* & sub 1

texto *de Canonic. & Capitulo* enunciatum. Hinc proinde, inter utriusque Ecclesiæ clericos, ac de consequenti inter utriusque loci, seu partis populos; exortæ fuerunt ab antiquo connaturales æmulationes, majoris, vel minoris præeminentiæ, juxta consimilem casum recensitum *sub tit. de præeminentiis, disc.* 9 Præsertim verò antiquæ fuerunt etiam scandalosæ controversiæ super jure faciendi processionem solemnem in die Corporis Christi, aliasque similes functiones; Prætendetur Ecclesia Sanctæ Mariæ patria superioris, quæ de facto aliquam facit majorem figuram, Vel ob residentiam Domini temporalis; Vel quia Archiepiscopo in hoc oppido commorante, occasione visitationis, vel ex alia causa in ea functiones pontificales peragere soleat; Ut ad eam tanquam matricem, ac digniorem accedere deberent clerici alterius Ecclesiæ inferioris Sancti Petri, E converso autem ista prætendente matricitatem ratione majoris antiquitatis, vel saltem æqualitatem, ut propterea, vel inter eas servari deberet alternativa, ut pluries servatum fuisse in facto supponebatur, vel quod quælibet suas distinctas peragaret functiones, ac processiones; Hinc re delata ad Sac.
a Congregationem Rituum, ab ista, partim audita dicta Ecclesia S. Petri, & partim in ejus contumaciam, de anno 1656. & in aliis subsequentibus, pluries prodierunt ad favorem Ecclesiæ S. Mariæ resolutiones; Adversus quas obtenta per alteram Ecclesiam S. Petri non audientia de anno 1671. in hoc statu ac causæ ita, vel mortuæ, vel graviter vulneratæ defensionem. Ego, & alii Advocati assumpti fuimus, sed serò, quoniam fundamenta quæ forsan deducta ab initio, quando causa esset adhuc integra, relevare solent, frequenter irrelevantia remanent, quando in hujusmodi statu deducantur; Ideoque responsum fuit pro dd. resolutionum confirmatione, quamvis ista Pars (ut audio) non adhuc acquiescat, sed mutando, ut dici solet, medicos, eam prosequi intendat.

3 Et quoniam præcipuum dd. resolutionum fundamentum fuit quædam asserta concordia, quæ inter istas Ecclesias, cum opera, & mediatione Archiepiscopi supponitur inita de anno 1626. cujus quoddam transumptum tantùm exhibebatur, cum assertione, ab Archiepiscopi attestatione comprobata quod scriptura originalis, quæ existebat in archivio Archiepiscopali ex hac parte occupata fuisset. Idcircò major, penèque tota quæstio erat potiùs facti, quàm juris, super dictæ scilicet concordiæ veritate; Atque dictæ occupationis probatio, seu vehemens fomus in S. Congregatione quæ procedere solet potiùs more Principis quam Judicis, magnum intulit huic parti præjudicium; Prout facti potiùs quàm juris erat inspectio super aliquibus antiquis diplomatibus super hujus Ecclesiæ S. Petri majori antiqui-
4 tate, & Matricitate, hujusque partis inferioris vasti Aimonis, majori prærogativa, & superioritate, præsertim ex quodam privilegio Regis Caroli tertii.

5 Quatenus verò pertinet ad ea, quæ juris sunt, Dicebam scribens pro Ecclesia S. Petri partis inferioris, quod ubi etiam dicta concordia adesset originalis, & authentica, adhuc tamen invalida, nulliusque operationis censenda esset, ex decisione ejusdem S. Congregationis *in Callen.* de qua habetur *alium tit. de Canonicis & cap. disc.* 30. ubi de irritatione concordiæ initæ, cum mediatione, authoritate Episcopi inter ejusdem Ecclesiæ dignitates super jura faciendi primatias, vel Pontificales functiones, Episcopo absente, vel impedito; Et ratione assignata ibidem, ac etiam *sub tit. de Jurisd. disc.* 24. & generaliter, *sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc.* 1 Quod scilicet etiam hujusmodi transactiones super præeminentiis, aliisque juribus incorporalibus inter Ecclesias, vel personas ecclesiasticas, redolent speciem prohibitæ alienationis, atque cadunt sub dispositione *Extravagantis Ambitiosæ, de reb. Eccl. non alienan.* Ideoq; requiritur copulativè, justa causa necessitatis, vel utilitatis, ac etiam solemnitas beneplaciti Apostolici, & consequenter quod ob utrumque defectum ista concordia corrueret.

6 Verùm reflectendo ad veritatem, agnoscebam hujus motivi insufficientiam, ideoque respectu hujus concordiæ, defensio consistebat in facto, negando scilicet illius existentiam, nō quidem ex defectu conclusionis in jure, sed ex altero applicationis ad factum; Quoniam, ut advertitur *eod. disc.* 30. *de Canonic. & Capitulo*, ea procedit quando fiat concordia, vel alter contractus, contra juris regulam, seu dispositionem, adeout tollatur, vel minuatur jus unius, illudque in alterum transferatur, ut contingit in casu, de quo ibi agitur, quod scilicet habente prima Dignitate regulam pro se
7 super jure peragendi dd. functiones, utique contra jus contrahi dicitur, tollendo, vel minuendo hoc jus dignitati, illudque concedendo minus digno, nisi ipsummet corpus Capituli sit in causa, atque ab eo potiùs per organum personæ deputatæ per ipsum functiones peragantur juxta ponderationes, de quibus *in Majoricen. eodem tit. de præeminentiis, disc.* 19.

Et nihilominus etiam isto casu res suas paritur difficultates ibidem insinuatas, quoniam licet Capitulum sit supra 8
primam Dignitatem, ejusque superior, adeout quando possibile esset, ut per se ipsum functiones peragerct, tunc non posset prima dignitas se opponere; Attamen, id explicare nō potest per substitutum, in præjudicium ejus, cui lex illas defert, ut habemus in fortioribus terminis ipsiusmet Episcopi, quod non potest in præjudicium primæ dignitatis, vel alterius dignitatis de Capitulo, illas committere ejus Vicario generali; Et tamen iste casus fortior, non solùm quia major est potestas Episcopi, quàm Capituli, cum ipse sit superior, & caput, Capitulum autem constituat corpus inferius, sed etiam quia Vicarius generalis, tam in sessionibus 9
in choro, quam in aliis functionibus exceptis pontificalibus quibus dignitates, & canonici parati, vel etiam in habitu canonicali, in throno vel circulo assistentiam præstant Episcopo, præcedit omnes, etiam primam dignitatem, quoties consuetudo immemorabilis aliter non disponat, ex deductis *eod. tit. de præem. disc.* 18. & alibi.

Id autem applicabile non est ad rem, quoniam de illo ju- 10
re, quod in his materiis, vel functionibus resultat à cæremoniali Romano, quod vim legis habet ob confirmationem præsertim Clementis VIII. habentem decretum irritans, ob quod inficitur quæcunque contraria possessio, vel consuetudo præscriptiva in casu claro, secus autem interpretativa in casu dubio, juxta distinctionem, de qua cæteris relatis Rot. *dec.* in a. *p.* 10. *rec.* & apud Dunozet. *dec.* 855 ubi agitur de hujusmodi publicis, & solemnibus processionibus generalibus; Ut sunt præsertim illæ Corporis Christi, & San-
cti Marci, debeant esse in eo mane unicæ in loco peragendæ 11
ab universo clero sæculari, & regulari simul congregato in Ecclesia matrice, vel digniore, juxta plures declarationes S. Congregationis relatas per Barbos. *in summa Apostolicarum decisionum, verbo processio, Collect.* 605. *cum duabus seqq.* Atque fuit, me scribente, pluries ab eadem Sac. Congregatione decisum, præsertim *in una Cassanen.* ad favorem Ecclesiæ matricis S. Petri oppidi Motani contra alias Ecclesias Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & S. Nicolai ejusdem loci, & in aliis, unde propterea per concordiam disponitur, id quod est de jure.

Est bene verum, quod in hac facti specie dici poterat (ut
replicabam) quod adesset præjudicium positivum redolens 12
speciem alienationis, cum abdicatione juris ab una Ecclesia, & translatione in aliam, quoniam cùm in quæstione esset matricitas, seu major dignitas ita per hujusmodi concordiam, ista Ecclesia suam amittebat prærogativam, eamque concedebat alteri, ideoque patiebatur formalem privationem sui juris, & sic punctus non erat, an Ecclesia inferior posset non parere Ecclesiæ matrici, vel digniori ad eam non accedendo, sed faciendo independenter suam functionem separatam, (quo casu cæremoniales obstaret) sed erat super ipsa matricitate, majorique dignitate, & an ab una, vel ab altera Ecclesia functio peragenda esset, cùm id esset incertum, multaque majoria antiquitatis, ac præeminentiæ argumenta huic Parti assisterent.

Ideoque ex hoc fundamento (etiam cum aliquo sensu 13
veritatis) dicebam, quod potiùs demandanda esset praxis aliquibus temporibus observata, multum quidem commendabilis pro conservatione dignitatis utriusque Ecclesiæ, ac pro tollendis hujusmodi jurgiis, & dissensionibus; Deducendo in id temperamentum sumptum inter duas ecclesias S. Salvatoris, & Sanctæ Mariæ del Pilar æquè se prætendentes cathedrales, & metropolitanas, efformantes Ecclesiam Cæsaraugustanam, ex iis, quæ habentur *sub tit. de præem. disc.* 5. Et tamen, ex ibi deductis, tam in numero clericorum, quàm in aliis circumstantiis, illa præsertim antiquæ possessionis sex circiter sæculorum, ille casus est longè fortior, adeout non modicam conceperim admirationem, quod istud temperamentum neglectum esset, ad utriusque cleri, & populi pacem inducendam, & conservandam, ut fortè secutum esset quando causa fuisset integra, sed quoniam erat jam toties vulnerata, idcircò non de facili exaudiri fuimus.

Præterea (& forsan commendabiliùs) ad evellendam 14
hujusmodi æmulationem, ad dissensionum radicem, mihi videbatur, quod decerni debuisset; ut utraque Ecclesia, proprias, ac distinctas faceret processiones, quoniam, tam dis-

dispositio ritualis, quàm supra enunciatæ declarationes super unicitate functionis, rectè procedunt in eadem Civitate, vel in eodem loco, materialiter, ac de facto unito, constituente unicum populum, adeout divisio finium inter plures Ecclesias sit solum intellectualis ex destinatione superioris, vel per consuetudinem, cùm tunc initet inconveniens multiplicitatis ejusdem functionis in eodem loco; Secus autem in hac facti specie quod ista loca erant materialiter, ac de facto invicem separata, adeout naturaliter constituerent duos pagos, vel duo loca diversa, cum notabili intermediatione territorii campestris, ac spectato facto, essent duo populi, & duo cleri; Unio autem ob quam unicam universitatem constituunt, est potiùs intellectualis, & ex quadam fictione juris eo modo, quo *sub tit. de legat. disc. 7.* & alibi habetur de pluribus prædiis naturaliter, ac de facto separatis, quæ ex destinatione patrisfamilias pro unico habentur, cum ita cesset inconveniens quod consideratur quando agitur de eo loco, qui sit verè, & naturaliter unicus, unicum constituens Populum; adeout divisio sit solùm intellectualis, juxta illas Communitates, quæ constituuntur ex pluribus pagis, vel castris etiam diversarum diœcesum, juxta casum enunciatum *d. tit. de jurisd. disc. 24.* cum similibus, ideoque à finibus temporalibus non infertur ad spirituales.

ANNOT. AD DISC. XXXVII.

VId. supra in Adnot. *disc. 32.*

CALAGURITANA PRÆEMINENTIARUM

PRO CAPITULO ECCLESIÆ COLLEGIATÆ DE VICTORIA,

CUM PAROCHIS,

Casus decisus per Rotam pro Parochis, & pendet.

An ubi Capitulum ex consuetudine, vel ex conventione, in aliqua Ecclesia, vel solemnitate intervenire debet, requiratur interventus omnium Dignitatum, & Canonicorum, vel sufficiat aliquis competens eorum numerus? Et de obligatione Capituli associandi Episcopum, sive illi obviandi, eidemque assistendi, de tempore concionum aliarumque functionum.

S U M M A R I U M.

1 *DE antiquo usu concursuum spiritualium in Hispania & de inconvenientibus exinde ortis.*
2 *Facti series, vel casus controversia.*
3 *Resolutiones super antiqua controversia.*
4 *De stylo Rotæ super ejus executorialibus antiquis.*
5 *Resolutio in præsenti controversia.*
6 *De stylo necessario Rotæ non sententiandi nisi ad limites decisionum.*
7 *Sententiæ Rotales recipiunt declarationem à decisionibus.*
8 *Quod contrarium quandoque servetur.*
9 *De effectibus diversitatis ingeniorum.*
10 *Habens pro se regulam juris, habet intentionem fundatam.*
11 *Id sequitur in allegante libertatem, cui sufficit intentare negatoriam.*
12 *De argumentis servitutis.*
13 *Servitus probatur per præsumptiones, & argumenta.*
14 *Consuetudo, vel præscriptio servitutis operativa est ad limites possessionis.*
15 *Habens usumfructum, si restringit ejus possessionem ad solum usum sibi præjudicat.*
16 *Quales dicantur actus Capitulares faciendi à toto Capitulo individuo, & quales actus singulares aliquorum.*
17 *De eodem, & quare aliqui tantum de capitulo sufficiant.*
18 *Dantur alia exempla.*
19 *De eadem conclusione, de qua num. 16. de actibus vero capitularibus.*
20 *Capitulum, vel aliud corpus est repræsentabile per duos, ac etiam per unum, & quando.*
21 *An Canonici Cathedralis præcedant Rectores, vel Capitula in propriis Ecclesiis?*
22 *De eadem conclusione, de qua, n. 16. & 19.*
23 *Non solent concedi erectiones collegiatarum cum parvo numero Canonicorum.*
24 *Unum, & eidem Capitulum formale repræsentari potest per plura Capitula diversarum Ecclesiarum.*
25 *Quot Canonici, & dignitates de capitulo debeant assistere Episcopo, & quomodo.*
26 *De alio casu controversia.*
27 *Vicarius Generalis præcedit omnes dignitates & Canonicos.*
28 *Capitulum debet præstare assistentiam Episcopo in concionibus, illique occurrere, & associari.*

D I S C. XXXVIII.

ILla nimium commendabilis mutua charitas, quæ post excussum duræ servitutis jugum, sub quo per quatuor & ultra sæcula, & ultra, sub Mauris Infidelibus Hispania fuerat tanquam per quandam speciem primitivæ Ecclesiæ, inter diversarum Ecclesiarum clericos (ita fortè eorum modico numero exigente) introducta fuit, ut scilicet in solemnitatibus, quæ in una Ecclesia celebrarentur, alterius Ecclesiæ clerici intervenirent; Post illam primævam charitatem jam refrigeratam, multa produxit jurgia, & inconvenientia, illa præsertim omnibus majora, quæ praxis docuit, ac docet in Cæsaraugustana Regni Aragoniæ metropolitica Civitate, eaque recensita habentur *sub tit. de præmin. disc. 3. cum seqq.* 1

Idem (cum debita proportione) contigit in oppido de Victoria hujus Calaguritanæ diœcesis, quod scilicet, ibi erecta in quadam Ecclesia collegiata, aliisque existentibus Ecclesiis Parochialibus, ista mutua charitas adhiberi consuevit, ut Rectores Ecclesiarum Parochialium accedere consueverint ad Collegiatam pro ejus solemnitatibus celebrandis; Et è converso Canonici, & dignitates collegiatæ, ad ipsas respectivè Parochiales; Isto autem simultaneo concursu, vel interventu controversias tractu temporis patiente, cùm aliquæ concordiæ non proficerent, eodem modo quo in dicto alio majori casu Cæsaraugustanæ Civitatis relato, *d. disc. 3. de Præem.* praxis docuit, devoluta circa finem decursi sæculi causa ad Rotam, super præcedentia aliisque præeminentiis, præviis pluribus decisionibus, præsertim coram Seraphin & Penia, quarum aliquæ habentur inter eorum impressa, & præcipuè in meritis, apud *Seraph. dec. 964.* & apud *Pen. dec. 261.* (cùm aliæ ordinatoria judicii aliaque incidentia potiùs contineant,) tres sententiæ conformes favore Parochorum prodierunt, pro quarum observantia, consuetæ executoriales relaxatæ fuerunt, atque ita per medium circiter sæculum illa tamen judicialibus, non excidialia jurgia quieverint, quæ denuo pullularunt, seu excitata fuerunt, non quidem super præcedentia, aliisq; præeminentiis, vel punctis, de quibus tunc actum esse prædictæ decisiones ostendunt, sed super necessitate dicti interventus, ac etiam super numero Dignitatum, & Canonicorum Collegiatæ, qui intervenire deberet; Prætendentibus Parochis, ut omnes integrum Capitulum constituentes intervenire deberent; E converso autem prætendente Capitulo, ut sufficeret interventus numeri proportionati ipsorum Parochorum numero ad æqualitatem servandam. 2 3

Unde propterea, post aliquas, etiam criminales, & scandalosas lites in partibus habitas, devoluta causa ad Rotam coram Taya subrogato in locum illius Auditoris, à quo dictæ executoriales relaxatæ fuerant, datoque dubio, an earum executioni, & observantiæ locus esset (inhærendo antiquo ac recepto stylo Tribunalis recensito *in tit. de Jurisd. disc. 2.* ut scilicet executorialibus antiquis, quales in hoc proposito dicuntur, illæ quæ decennium excedunt, non detur executio, absque nova dubii formali disputatione *sub die 13. Martii 1671.* pro executione) ad favorem Parochorum prodiit resolutio, ad cujus normam expedito consueto decreto, atque adversus illud habito recursu ad Signaturam justitiæ, per istam simpliciter commissa fuit causa appellationis in eadem Rota coram *Castrillo*, coram quo ex hac parte Capituli, ad tollendum omne dubium petita fuit remissoria ad probandam antiquam, & continuatam consuetudinem super dicto interventu alicujus moderati numeri tantum, istique petitioni altera parte se opponente, atque petente propositionem causæ principalis, demandata fuit propositio utriusque dubii, eisque propositis, *sub die 1. Julii 1672.* dilata fuit resolutio, atque in hoc statu causa pendet. 4 5

In omnibus autem præfatis disputationibus habitis, tam in Rota in utraque instantia cor. Taya, & Castrillo, quàm etiam

etiam in Signatura Justitiæ, tres fuerunt puncti; Primò
nempè ordinis, an scilicet dictæ antiquæ sententiæ tora-
lea, & consequenter executoriales pro earum observantia
relaxatæ percuterent has novas controversias? Secundò an
dictus interventus esset necessarius, vel potiùs volunta-
rius? Et tertiò quatenus etiam esset necessarius, circa nu-
merum dignitatum, & Canonicorum Collegiatæ, inter-
venire debentium, an scilicet deberet intervenire totum
Capitulum, vel potiùs eorum aliqui sufficerent?

Quatenus pertinet ad primum; Reflectendo etiam ad
solam veritatem, resolutio parum probabilis visa est, ut
etiam agnovit, ac declaravit Signatura justitiæ, dum præ-
6 ter ordinem hujusmodi processus executivi, rescripsit de
appellatione simpliciter, quoniam de stylo Rotæ, qui ho-
die per Apostolicas Constitutiones Pii IV. & Pauli V. super
reformatione Tribunalium, effectus est necessarius, non
expediuntur sententiæ, nisi ad limites decisionum, ac su-
per iis, quæ formali dubio, disputata, & decisa fuerunt,
ut advertitur *sub tit. de Judiciis, & praxi Curiæ* agendo de
hoc Rotæ Auditorio; Adeòut quandoque sententiæ latæ
ultra ea, quæ in decisionibus continentur, declaratæ fue-
rint nullæ, ut præsertim contingit in casu, de quo agitur
7 *sub tit. de Regalib. disc.* 58 Ac propterea recepta habetur
propositio quod sententiæ Rotales declarationem, vel in-
terpretationem recipiunt à decisionibus.

Et consequenter, cùm ex prædictis decisionibus coram
Penia, & Seraphin. constet quod de solo puncto præceden-
tiæ actum fuerit, idcircò prorsus improbabile mihi videba-
tur (ut quoque Signaturæ visum est) quod hujusmodi
sententiæ istos alios punctos nunquam disputatos compre-
henderent, quoniam ita esset dare judicatum, ejusque exe-
8 cutionem, super iis quæ nunquam disputata, nec decisa fue-
runt; Benè verum, quod id moderno tempore non est no-
vum, nec singulare, cùm idem in casu fortiori praxis do-
ceat, ex deductis, *dicto disc.* 3. *& seq. de Praemin.* super
actuali jure cathedratico, & metropolitico, nunquam di-
sputato, quinimò neque per alteram partem prætenso.

Stant enim benè simul, ut contingente casu hujusmodi
concursuum, intret quæstio præcedentiæ, & tamen quod
9 illi sint voluntarii, & facultativi; Sive etiam quod illis
existentibus necessariis, obligationi satisfiat per interven-
tum aliquorum tantùm, juxta praxim, & exempla de qui-
bus infra. Unde propterea iste punctus, pro meo judicio,
videbatur omninò planus, ac disputationis incapax; Et
tamen in priori instantia, contrarium decisum fuit; At-
que in alia reputatus fuit adeò ambiguus, ut capi non po-
tuerit resolutio, eaque dilata demandatum sit, quod cau-
sa per omnes videretur; Talis est quotidianus effectus va-
rietatis ingeniorum.

In alio puncto circa merita, an scilicet iste mutuus inter-
ventus esset necessarius, vel potiùs voluntarius, ac faculta-
tivus; Quæstio videbatur, potiùs facti, quàm juris super
probationibus scilicet, quæ desumebantur ab aliquibus
concordiis, aliisque documentis, ac etiam ex testibus.

Et quamvis Ego scribens pro Capitulo, more Advocati
insisterem in eo, ut iste conflictus, vel dubietas probatio-
num sufficere deberet huic parti ad victoriam pro exclusio-
ne necessitatis, ex recepto pluries insinuato axiomate, quod
10 habenti pro se regulam juris, sufficit illam allegare, atque
offuscare, turbidamque reddere probationem illius, qui
prætendat limitationem, dum ista non præsumitur, sed
per allegantem concludenter probanda est; Atque istum di-
cerem esse casum, quoniam hic necessarius interventus re-
dolet servitutem, quæ non præsumitur, cùm regula assi-
stat libertati, pro qua obtinenda, sufficit, agendo, vel
excipiendo sola negatoria absque alia probatione, ex de-
11 ductis *dec.* 101. *part.* 4. *rec. tom.* 2. Et frequenter *sub tit. de
servit. & sub altero de Pension. & alibi*.

Attamen, reflectendo ad veritatem, contrarium proba-
bilius videbatur, quod scilicet interventus esset necessarius,
12 non solùm ob probationes aliaque argumenta, quæ per
Scribentes pro altera parte deducebantur, sed clarius ex ipsa-
met antiqua lite adeò acriter per tres instantias in Rota,
cum magno sumptu substentata, atque ex successiva diutur-
na paritione, quoniam si interventus fuisset voluntarius,
ac facultativus, nulla suberat necessitas dictam litem ita
substinendi, dum ab ipso initio, quo per Parochos præten-
sa præcedentia denegabatur, sufficiebat abstinere ab inter-
ventu, ut clarè sensum; Atque recepta etiam conclusio
est, de qua *eod. tit. de servit. disc.* 2. *&* 3. *&* 23 ut etiam
per præsumptiones, & adminicula servitus probetur.

Quo verò ad tertium punctum numeri Dignitatum, &
Canonicorum; In sensu etiam veritatis credebam, quod
probabiliores essent partes hujus Capituli; Siquidem, præ-
supposito quod talis esset, vel continua, vel frequentior ob-
servantia, ut ex hac parte supponebatur, quod non omnes,
sed aliqui tantùm intervenire consueverint; Hinc dicebam
quod cùm istius interventus necessitas non proveniat à
dispositione juris, sed à consuetudine, vel ab antiqua pos- 14
sessione, ad ejus limites intelligenda esset, ex vulgari prin-
cipio, ut tantum præscriptum sit quantum possessum; Cum
etenim id redoleat quamdam servitutem, ita strictè, non au-
tem latè attendi debet ad præcisos limites possessionis, dum
in dubio pro ejus negatione, vel restrictione respondendum
est, adeòut, etiam qui ex aliquo titulo majus jus habet si
minus utatur, ad limites usus tale jus attendi debet, ut plu-
ries advertitur *sub dict. tit. de servit. disc.* 48. *& seqq.* ad ma- 15
teriam ususfructus, super propositione, quod habens ali-
quem titulum super ususfructu, si istum per notabile tem-
pus negligat, atque usum tantùm percipiat, sibi præjudi-
cat; Atque exinde infertur ad privilegia, quæ ab usu regu-
lam recipiunt, cum similibus favore libertatis, ut huic
quo minus fieri potest præjudicetur.

Atque ultra has generalitates; Descendendo magis ad 16
specialia, advertebam quod iste dici non poterat interven-
tus verè capitularis, adeòut totum Capitulum per interve-
nientes repræsentari deberet, ut contingit in illis functio-
nibus quæ fiunt per Episcopum, vel per alium Prælatum,
cum interventu Capituli, ob circulum, & assistentiam Di-
gnitatum & Canonicorum, & quo casu omnes non legiti-
mè impediti intervenire debent; Ex ea congrua ratione
quòd functio peragi dicitur ab universo corpore mystico,
repræsentativo Ecclesiæ cathedralis, vel majoris, cujus
Episcopus, vel Prælatus est caput, alii verò sunt membra,
& ne ita corpus scissum, vel deforme remaneat; Sed age-
batur de quadam reciproca assistentia, seu adjutorio, ut
ita, uniis alios adjuvantibus, solemnitatis celebratio de-
centiùs sequatur, quod potiùs respicit aliquas personas
materiales, quàm ipsum corpus mysticum, ac jurisdictio-
nale, quod solemnitati majestatem præbeat.

Et consequenter cùm Parochi essent personæ singulares,
atque in numero trium, vel quatuor interveniant in Col-
legiatæ solemnitatibus; Ita è converso ad servandam æ-
qualitatem, adeò legibus amicam, dicebam, quod non 17
solùm sufficiens, sed etiam justus, & congruus erat nume-
rus coæqualis, ne aliàs daretur inconveniens, ut istæ Ec-
clesiæ Parochiales minus dignæ, in earum solemnitatibus
majorem haberent assistentiam, ac prærogativam quam
haberet Ecclesia Collegiata dignior; Ideoque spectandus
erat finis, vel effectus, ob quem iste mutuus interventus
introductionem habuerit:

Ad quod comprobandum, dabam practicum exemplum
Urbis, præsertim in Litaniis, quæ singulis sabbatis post ves-
peras, cantantur in insigni capella Paulina, seu Burghesia-
na Basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris, quod scilicet interve-
nit ejusdem Basilicæ Capitulum, in forma capitulari, seu 18
collegiativa, cum habitu canonicali, adeòut Canonici se-
deant in banco digniori partis Evangelii, ac præcedant
Prælatos jure singulari, in habitu privato intervenientes,
quamvis Episcopali, vel Archiepiscopali, seu Patriarchali
dignitate fulgeant; Et tamen non omnes Canonici inter-
veniunt, sed frequentiùs, tres vel quatuor, cum simili-
bus, quoniam revera non est formalis functio capitularis,
in qua omnes non impediti intervenire debeant.

Hinc proinde dicebam, quod clarum pro meo judicio vi-
debatur æquivocum, cum quo procedebant Scribentes in 19
contrarium, & quod admissum fuit per Rotam *in* 1. *deci-
sione coram Taya*, quod scilicet capitulum tanquam uni-
cum & individuum corpus, scindi non potest in frusta,
neque eodem tempore esse in duobus locis, sed tanquam
unicum, per omnes non impeditos constituendum est, ex
authoritate Oldrad. *cons.* 100. cum Concordantibus apud
Gratian. *discept.* 336. *n.* 12. adeòut, licèt aliquando detur
casus quod Capitulum, vel aliud corpus politicum consti-
tuatur, seu repræsentetur per aliquem modicum numerum
Canonicorum, etiam per duos, immò per unum ex plu-
ries insinuatis, & præsertim *sub tit. de Benefic. disc.* 23. *&* 20
sub tit. de Regal. disc. 125. & alibi; Attamen id provenit ob
impedimentum aliorum, qui impediti, seu voluntariè non
intervenientes, habentur tanquam extranei.

Siquidem conclusio in jure est vera, & de qua præsertim
sub tit. de praemin. disc 7. occasione agendi de quæstione 21
an Dignitates, & Canonici per Civitatem, vel diœcesim as-
sociantes Episcopum visitantem, vel alias functiones pera-
gen-

gentem, præcedere debeat Capitulum collegiatæ, vel Re-
ctorem in Ecclesia propria; Et proceditur cum distinctio-
ne, quòd si Dignitates, & Canonici Cathedralis, interve-
niunt capitulariter, seu collegiativè, tanquam repræsen-
tantes corpus Capituli, & tunc præcedentiam habere de-
bent; Secus autem si Capitulum remaneat in cathedrali,
Ipsi autem accedunt jure singulari, ex dicta ratione, quòd
unum, & idem corpus individuum esse non potest in duo-
bus locis, ex ibi deductis.
22 Verùm ad rem, fallacia clara consistebat in applicatione;
quoniam Oldrad. *dict. consil.* 100. loquitur de actu capitula-
ri; Et in eisdem terminis loquuntur collecti per Gratian.
ubi supra, ubi scilicet agatur de exercendo aliquod jus ca-
pitulare, seu de faciendo alium actum jurisdictionalem,
vel præeminentialem, in quo punctus non fit, in majori,
vel in minori numero personarum materialium, sed in ipso
corpore politico, seu intellectuali, quod ab intervenien-
tibus repræsentetur, quod in præsenti dici non poterat;
Ideoque videbatur æquivocum clarum.
Eodemque defectu laborare dicebam alterum primæ de-
23 cisionis assumptum, quod modicus canonicorum numerus
incongruus reputetur ad constituendum Ecclesiam Colle-
giatam, adeout Sedes Apostolica erectiones collegiatarum
concedere non soleat, nisi cum competenti numero, non
autem cum adeo modico; Id enim prorsus extraneum vi-
deretur à casu quæstionis, ex dicta ratione, quod aliud est
considerare ipsum integrum corpus pro actu jurisdictiona-
li, vel præeminentiali; Aliud verò considerare aliqua
membra, pro adjutorio, vel servitio materiali.
Et nihilominus advertebam, quod licèt verissimum sit
24 dictum assumptum, quod corpus Capituli est unicum, &
individuum scissuram non patiens, ut in duobus locis eo-
dem tempore esse possit in actibus jurisdictionalibus merè
capitularibus; Non tamen implicat, ut personarum divi-
sio materialis dari possit pro exercitio aliquorum actuum,
juxta ea quæ habentur *sub tit. de praemin. disc. 2. cum plu-
ribus seq.* ubi de Capitulis plurium Ecclesiarum, quæ ma-
terialiter sint divisæ, etiam in diversis locis, & tamen
constituant unum, & idem Capitulum formale, quoniam
aliud est jus habituale, aliud verò exercitium, ex iis quæ
habentur *sub tit. de feud. disc. 8. cum similibus*.
Et magis proximè ad rem, docet praxis, quod, licèt Epi-
25 scopo pontificaliter celebranti, vel assistentiam in throno
solemniter præbenti, Capitulum assistere debeat, cum pa-
ramentis, vel respectivè cum habitu canonicali pro fun-
ctionum qualitate, non tamen necessarius est interventus
omnium, dum aliquæ Dignitates, & Canonici remanere
debent in choro, ne iste deseratur; Atque per plura Aposto-
lica decreta provisum est quod in illis casibus, in quibus
Capitulum cum Episcopo, vel sine, accedat ad alias Eccle-
sias pro aliqua solemnitate, non omnes accedere debeant,
sed aliqui remanere in propria Ecclesia, ne illius cultus o-
mninò desertus remaneat, quod non implicat cum unita-
te Capituli, quoniam, aliud est jus habituale, & aliud
sunt hujusmodi actus importantes exercitium materiale.
In proposito autem supra enunciati interventus Capituli
cum Episcopo, in functionibus in quibus ipsum mysticum
corpus Ecclesiæ repræsentandum est ab Episcopo, tanquam
capite, & à Capitulo tanquam reliquo corpore; Præsertim in
26 una *Aquilana* disputata in Sac. Congr. Rituum ortis discor-
diis inter Episcopum, & Capitulum ratione præcedentiæ Vi-
carii Generalis, quam Capitulum negabat, cùm Sac. Congr.
27 decisio, prodiisset ad favorem Vicarii ex fundamentis, de
quibus *in tit. de præmin. disc.* 19. ubi de ista quæstione; ut
28 Dignitates, & Canonici effugerent dictæ decisionis praxim,
ad observantiam, renuebant intervenire in concionibus
tempore Quadragesimæ, vel Adventus, quamvis Episcopus
interveniret cum Vicario; Ac etiam recusabant Episcopo
venienti ad Ecclesiam occurrere, vel illum regredientem
associari; Decisum tamen fuit ad omnes hujusmodi actus,
vel similes teneri, ex dicta ratione quem deducebam scribēs
pro Episcopo, quod scilicet iste interventus dicitur verè ca-
pitularis, ut repræsentetur mysticum corpus Ecclesiæ con-
stitutum ex Episcopo tanquam capite, & Canonicis, & Di-
gnitatibus tanquam reliquis ejusdem corporis membris.

ANNOT. AD DISC. XXXVIII.

QUoad ea, quæ concernunt actus Capitulares, videri
poterunt deducta in sua Sede *sub tit. de Canon. & Ca-
pitulo* ac etiam *in discursibus enunciatis sub tit. de Præmin.*
ubi concordantes & *in Adnot. ad S.C.T. disc.* 31. & 43.

MAJORICEN. JURISDICTIONIS SEDENDI, VEL CHORI

PRO CANONICIS ECCLESIÆ CATHEDRALIS CUM DIGNITATIBUS.

Casus disputatus in Sacr. Congregatione Rituum, & resolutus ut infrà.

De jure, seu ordine sedendi in choro; Et an Cano-
nici occupare possint sedes vacuas Dignitatum?
Vel respectivè an beneficiati sedes Canonicorum?
Ac etiam de sede, & præcedentia celebrantis cum
aliis ad hanc materiam chori.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Celebranti debetur primus locus in choro.*
3 *Resolutio.*
4 *Consuetudini in præcedentiis est deferendum.*
5 *Decretum irritans impedit contrariam consuetudinem.*
6 *In specie contra cæremoniales.*
7 *Declaratur quando procedat.*
8 *De inconvenientibus ut celebrans non stet prope altare.*
9 *De assistentia præstanda Episcopo intervenienti in Divinis.*
10 *De differentia inter celebrationem Missæ, & officii.*
11 *Quod sedes vacuæ superiorum occupentur per inferiores.*
12 *De alio casu, in quo idem decisum fuit.*
13 *Beneficiati non sunt de Capitulo.*
14 *Quomodo beneficiati sedeant in choro.*
15 *De eadem conclusione, de qua, n. 11. & 12.*
16 *An chori mutatio facienda sit?*
17 *Novitates sunt præjudiciales.*

D I S C. XXXIX.

SItuato choro, juxta antiquum usum, in medio Ecclesiæ 1
cathedralis Majoricen. nempe inter altare majus, & na-
vim, seu inferiorem partem Ecclesiæ, ut præsertim in Ita-
lia, pro mea praxi, cernitur in Metropolitanis Ecclesiis,
Neapolitana, & Salernitana; Usus est, ut Episcopus, quan-
do pontificaliter non celebrat, sed Divinis assistit, non se-
deat in throno elato extra chorum cum Assistentibus, jux-
ta usum Italiæ, sed occupet primam sedem lateralem chori
habentem aliquam majorem eminentiam, ac etiam panno
coopertam, & cum pluviali, adeòut sedere videatur tan-
quam primus in choro, atque post eum, sessionem conti-
nuent, juxta eorum ordinem, dignitates, & Canonici;
Cumque per Canonicum celebrantem occuparetur prima
sedes post Episcopum supra dignitates, istis prætendentibus
id esse eis præjudiciale, orta controversia, eaque delata ad
Sac. Congregationem Rituum, favore celebrantis de anno
1653. resolutiones prodierunt, ut primam, ac digniorem
sedem, post Episcopum, occupare debeat; Quare Dignitates 2
(inter quas, & Canonicos, aliqua vigere videtur connatura-
lis æmulatio) ut hanc resolutionem eluderent, denuò ean-
dem Congregationem adierunt, tria petendo; Primò nem-
pè ut celebranti assignari deberet scamnum, vel sedes parti-
cularis, propè altare majus, cum assistentia Diaconi, & Sub-
diaconi, juxta formam cæremonialis, Secundò, ut ipsæ Di-
gnitates habere deberent sedes fixas, quas, eis absentibus,
occupare non possent Canonici; Et tertiò pro mutatione
chori in diversam moderniorem formam in tribunal retrò
altare majus, cum sede scilicet Episcopi in medio, aliisque
sedibus Dignitatum, & Canonicorum ex utroque latere;
Atque in primo quæsito prodiit resolutio juxta petita, ut ce- 3
lebrans cum assistentibus sedere debeat in scamno tapeto
parato, tam quando celebrat officium, & vesperas, quàm ubi
celebrat Missam; Ad secundum incerta est resolutio, puto
autem quod prodierit favore Canonicorum, ut vacuas se-
des occupare possent; Et tertius negativè resolutus, non es-
se scilicet locum mutationi chori; Atque reproposita causa
persistitum fuit in decisis; Adhuc tamen, super primo pun-
cto, Canonici intendunt redire, atque tentare recessum,
vel saltem moderationem justè sperandam, ut infra.
In disputationibus autem desuper habitis, dicebam scri- 4
bens pro Canonicis, qui dignitatum petitionibus se oppone-
bant, quod incongrua videbatur opera Juristæ, seu Advoca-
ti, dum non agebatur de articulis juris, adeout, cum legum,
vel canonum dispositione, sive cum Interpretum magis
com-

communi, & recepto sensu, vel cum rerum judicatarum
majori frequentia decidi deberent; In his etenim contro-
versiis procedere oportet, vel cum consuetudine, cui ni-
mium in hac præcedentiarum, seu præeminentiarum ma-
teria defertur; Vel cum declarationibus istius Sac. Congre-
gationis Rituum, ut advertitur per Rotam *dec.214. part.4.
rec. tom. 2. & dec.254. p.10. & in aliis frequenter*.

Procedendo itaque cum his duobus fundamentis; Qua-
tenus pertinet ad primum punctum; Dicebant scribentes
pro Dignitatibus, quod cùm in Cæremoniali statutum sit,
5 quod celebrans in scamno, vel in sede prope altare cum as-
sistentia diaconi, & subdiaconi sedere debeat, ita suffragari
non posset diversa consuetudo, ob decretum irritans con-
tentum in Constitutione Clementis VIII. ejusdem Cære-
monialis confirmatoria, ex notoria, & consueta hujus de-
creti operatione, inficiendi quamcunque contrariam pos-
sessionem, vel consuetudinem, quam impedit, ne unquam
oriatur, ex plenè deductis generaliter *dec. 400. part.5. rec.
& dec. 199. part.12.* & sæpissimè cum sit principium hodiè
notorium, de quo *sub tit. de judic.* in particulari hujusmo-
di clausulatum discursu; Et in specie consuetudini contra
Cæremoniale aliis relatis habetur *disc.202. part. 10. rec.* &
apud Dunozet. *dec.* 855.

6 Huic autem fundamento respondebam cum authoritate
earumdem proximè allegatarum decisionum, quod scilicet
id procedat in nova consuetudine, quæ post dicti Cæremo-
nialis editionem, & confirmationem, sub dicto Pontifice
secutam, de novo introduceretur; Secus autem ubi con-
tinuaretur in antiquis, dum jam vigentes, atque introdu-
ctæ consuetudines damnantur.

Ac etiam quia dicta conclusio procedit in iis, in quibus,
clarè, ac præcisè ita per Cæremoniale disponatur, adeout
esset actus de directo contrarius; Secus autem, ubi agere-
7 tur de casu omisso, vel etiam dubio, qui ita interpretatio-
nem reciperet, adeout consuetudo, vel observantia, di-
cenda veniret potiùs interpretativa, quàm præscriptiva;
Et fortiùs ubi probabili rationi innixa esset.

Reflectendo autem ad veritatē, pro meo judicio videbatur
quod procedi debuisset cum distinctione inter celebrantem
Missam, & celebrantem officium, vel vesperas. Primò ete-
nim casu, ob notabilem præsuppositam distantiam inter al-
tare majus, & chorum, admittebam incongruum videri,
8 ut celebrans sedere deberet in choro, ob plura inconvenien-
tia; Primò nempe, ut toties accessus, ac recessus de loco ad
locum fieri deberet; Secundò ut celebrans, à diacono, &
subdiacono assistentiam non reciperet; Et tertiò, quod pro
majori parte solemnitatis, in qua celebrans assistere debet
in altare, illa proxima sedes vacua remaneret, atque Epi-
scopus nullum haberet ibi proximè assistentem.

Quamvis etenim adverterem ad æquivocum cum quo
9 procedebant, circa plures declarationes S. Congregatio-
nis, super assistentia non intermittenda Episcopo, quamvis
non celebranti, sed cum cappa, Missæ, aliisque divinis assi-
stenti; quod scilicet id procedat, quando juxta usum Italiæ,
atque ad instar capellæ pontificię, Episcopus assistit in thro-
no elato extra chorū; secus autem ubi juxta frequentiorem
usum Hispaniæ sedeat in choro, potiùs tanquā unus ex Ca-
nonicis, quàm tanquam Episcopus, aliqua tantùm majori
prærogativa in ornamento sedis sibi concessa, in signum di-
gnitatis, dum in reliquis reputari solet tanquam unus ex
canonicis; At pariter neque habet in jure conferendi illam
coæqualem simultaneam, quam ex juris dispositione obti-
net, ex iis quæ habentur in alia *Majoricen. sub tit. de benef.
disc.*30. Et consequēter quod termini sunt omnino diversi.

Dicta verò inconvenientia, quæ ponderantur in cele-
10 brante Missam, cessant, imò retorquentur in celebrante of-
ficium ac vesperas, quoniam celebrans semper assistere de-
bet in choro, illo modico spatio excepto, in quo dum can-
tantur psalmi *Benedictus*, & *Magnificat*, respectivè in-
censatur altare majus, ideoque inconveniens esset, ut illi
existentes in choro, qui officium canunt, seu recitant,
adeò remoti essent a celebrante, ut vix iste illos, istique il-
lum audirent, neque casus dici potest omissus à Cæremo-
niali; Ideoque in hac parte credebam, quod de justitia di-
ctæ resolutionis reformationi locus esse debeat.

Quo verò ad secundum punctum, an scilicet inferiori-
bus licitum esset occupare vacuas sedes superiores dignita-
tum; Dicebam quod casus fuit in specie pluries decisus per
11 Rot. *in Valentina juris sedendi, ut dec.252. & 288. p 6. rec.
repetit.* apud Marlin. *dec.* 607. & 637. *dec* 224 *par* 7. apud
Coccin *dec.* 197. & *in aliis*, in quibus ex authoritate Du-
ran *de rit. Eccles. lib.13. cap.17.* firmatur, quod in choro,
aliisque ecclesiasticis functionibus, damnabilis reputatur,
atque vitanda est dispersio, commendabilis autem, atque
observanda est conjunctissima unio.

Atque ad id clariùs comprobandum, deducebam ea, quæ 12
usque ab anno 1651. & sic per annos viginti ante has dispu-
tationes, (me quoque scribente, decisa fuerunt per eandem
Congregationem super eodem puncto etiam ad favorem
beneficiatorum, seu Capellanorum Ecclesiæ collegiatæ
Camajoris Lucanæ diœcesis, ut Capellani occupare debe-
rent superiores vacuas sedes Canonicorum, eodem mo-
do quo in dicta *Valentina* favore Portionariorum decisum
fuit per Rotam; Quamvis etenim diversus sit ordo Canoni-
corum ab illo Beneficiatorum, qui non dicuntur de Capitu-
lo, sed potiùs Capituli, & Canonicorum servitores reputan-
tur, *ex deductis dec.423. par.4.136. & 351. par.6. dec* 32.76. 13
212. *par.*7. & frequenter in aliis, atque pluries advertitur *sub
tit. de Benef & sub altero de Canonicis, & Capitulo*; Ideoque
unus ordo cum alio non est confundendus. Attamen id re-
ctè procedit, quando juxta frequentiorum, ac recentiorem
usum (ut præsertim docet praxis, trium Patriarchalium Ba-
silicarum, aliarumq; collegiatarum Urbis, ac fortè omnium
cathedralium, & insignium collegiatarum Italiæ in choro, 14
aliisque locis, & functionibus, adest formalis contradistin-
ctio sedium, vel bancorum, quod scilicet Canonici, &
Dignitates sedent in ordine eminentiori; Beneficiati verò,
vel Capellani, in ordine inferiori, ut ita unus ordo, ab al-
tero distinguatur; Eodem modo, quo juxta praxim dicta-
rum Basilicarum distinguuntur etiam Clerici a Beneficiatis,
alium inferiorem ordinem sedendi habentes, quoniam tali
casu sufficit unitas in quolibet ordine respectivè, neque da-
tur ascensio ab ordine inferiori ad superiorem, dum ita re-
sultaret confusio; Siquidem sufficit, ut evitetur dispersio, at-
que adsit unitas in eodem ordine, Secus autem ubi idem, &
coæqualis sit ordo sedendi, absque discretione, adeout inter
Canonicos, & Beneficiatos dignoscatur solū illa ratio pre- 15
cedentiæ, quæ dignoscitur in eodem choro, vel banco inter
dignitates, & canonicos, sive inter Canonicos antiquiores,
& juniores, quoniam tali casu intrat dicta ratio prohibitæ
dispersionis, ac interruptæ unitatis; Et consequenter erro-
neum est (pro consueta pragmaticorum ineptia, decisiones
in aliquibus casibus editas, generaliter quibuscunque aliis
applicare, in quibus de consimili controversia agatur,
quoniam reflectere oportet ad singulorum particulares cir-
cumstantias, earumque congruam combinationem.

Tertius demum punctus mutationis chori erat potiùs fa- 16
cti, quam juris, ex congruentiæ legibus decidendus inspe-
cta scilicet qualitate structuræ, & an hæc innovatio, Eccle-
siæ majestati, vel populi ædificationi præjudicare posset,
necne; Id autem pendebat ex magis distinctis facti notitiis,
ejusdemque Ecclesiæ magis diligenti, & accurata mappa
geographica, utraque parte audita facienda, ut veritas non
alteretur, dum ista reputari solet optima species probationis
tanquam per evidentiam, ut advertitur aliis relatis, *dec.*59.
*n.*12 *part.* 20. *rec.* cum concordantibus, *sub tit. de judic.* in
particulari discursu hujus probationis per evidentiam rei;
Solumque insinuabam pluries deductam propositionem,
præsertim *sub tit. de præmin disc.* 39. quod scilicet novita- 17
tes regulariter in jure damnabiles reputantur, atque ubi
non urgeat necessitas, quo magis fieri potest, evitandæ
sunt; Ideoque apud politicæ professores, parum opportuni
Reipublicæ regimini reputari solent novatores; Ac pro-
pterea, justa visa fuit resolutio, ut nil innovaretur, qua-
tenus non constaret de talibus inconvenientibus, quæ im-
mutationem de condigno exigerent.

ANNOT. AD DISC. XXXIX. & XL.

IN ista pariter præcedentiarum materia nulla postmodum suppetiit occasio disputandi prætetquam in casibus, de quibus in sua Sede *sub tit. de Praemin.*

ROMANA DENOMINATIONIS, SEU ORDINIS AD PETITIONEM THEATINORUM.

Responsum in casu deciso per Sac. Congregationem Rituum pro hac parte.

De ordine tenendo per quamdam speciem præcedentiæ, tam super expressione nominum, quàm super expressione imaginum, inter plures Dei servos, ab Ecclesia eodem tempore canoni-

nonirandos, atque Sanctorum estalogo adscribendos.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Quod in cœla non adsit discordia.*
3 *Sed in terris etiam inter Sanctos datur ordo Hierarchicus.*
4 *Clerici sæculares præcedunt regulares.*
5 *Ultimus Archiepiscopus procedit primum Episcopum cum similibus, ita etiam inter Sanctos ultimus de una majori hierarchia procedit primam de minori.*
6 *Theatini, & Jesuitæ sunt veri Regulares mendicantes.*
7 *Habitus solitus est attendendus.*
8 *Parati procedunt non paratos.*
9 *Quando Protonotarii præcedant Episcopos.*
10 *De privilegiis Religionis Dominicanæ.*
11 *An obstet exemplum alterius canonizationis quinque Sanctorum.*

D I S C. XL.

1 IMminente canonizatione quinque Sanctorum, quæ de
an. 1671. per Clementem X. facta fuit, nempe, Cajetani
unius ex fundatoribus Religionis Clericorum regularium,
qui Theatini nuncupantur; Francisci qui fuit tertius Generalis
Societatis Jesu; Philippi fundatoris ordinis servorum
B. Mariæ; Bertrandi ordinis Prædicatorum; Et Rosæ ejusdem
ordinis, Aliqua pia, & devota orta est controversia, super
ordine inter eos tenendo in expressione nominum, ac etiam
imaginum, per quamdam speciem *præcedentiæ*, pro
nostra humana intelligentia, vel consolatione, cùm aliàs in
ea cœlesti patria, in qua summa pax, & unio viget, hujusmodi
quæstiones non cadant, ut bene admonet Gugliel. Duran.
(cui apud Juristas *speculatoris* nomē tribuitur) in ejus ecclesiastico
rituali occasione enarrandi visionem sanctorum Joannis
Baptistæ, & Joannis Evangelistæ, pro componenda fa-
2 ctionaria quæstione inter utriusque devotos, super ipsorum
majori præeminentia, illa enunciando verba, *dum nos sumus concordes in Cœlo, ad quid vos estis discordes in terra?*

Desuper itaque ex parte dictæ Religionis Theatinorum
consultus, respondi (etiam pro veritate) quod probabilior
3 videretur ipsorum, ac Societatis Jesu prætensio, ut juxta
ordinem hierarchicum priùs exprimi deberent nomina prædictorum,
Cajetani, & Francisci de clero sæculari, ordine
antiquitatis inter eosdem servato, deindeque, eodem
antiquitatis ordine exprimi deberent alii duo de clero,
seu hierarchia regulari, ita pro nostra capacitate servando
ordinem Ecclesiæ Militantis, ipsis Dei servis relinquendo
ordinem Ecclesiæ Triumphantis.

Ad id motus ex rationibus, & fundamentis deductis *sub tit. de praem. disc.* 24 super antiqua, & celebri controversia
inter Monachos Cassinenses, seu Monachos S. Benedicti, &
4 Canonicos Lateranenses enunciata etiam *sub tit. de regul. disc.* 19. & alibi, quod scilicet ratione ordinis hierarchici, vel
symmetrici, ad tollendas confusiones, & ne cletus sæcularis
5 cum regulari confundatur, clerici sæculares quamvis moderniores
præcedere debent regulares quamvis antiquiores,
quoniam punctus non viget inter personas, sed inter ordines,
& genera, seu hierarchias, Unde propterea in Ecclesia
militante habemus, quod ultimus Archiepiscopus præcedit
primum Episcopum, sive ultimus Cardinalis presbyter præcedit
primum Cardinalem diaconum, cum similibus; Atque
in cœlis, sive in Ecclesia triumphante, juxta ordinem, quem
SS. Patres tradunt, & Ecclesia servat in litaniis, ultimus Archangelus
præcedit *primum* Angelum, sive ultimus Apostolorum
primum martyrem, & ultimus martyr primum confessorem
Pontificem, & ultimus illius ordinis, primum confessorem
non Pontificem &c. Ergo pariter inter personas
ejusdē meriti, seu classis, intrare debet illa distinctio hierarchica,
quæ per Ecclesiā militantem, in processionibus, aliisque
functionibus fit inter clerum sæcularem, & regularem.

Supponebatur motivari ex alia parte, quod etiam Theati-
6 ni, & Jesuitæ essent regulares, ac veri mendicantes, juxta ea,
quæ præsertim de Jesuitis plenè ad partes disputatio articulo
firmantur per Fagnan. *in c. in præsentia*, ex n. 61. *de probat.*
Et per Rot. *dec.* 101, *p.* 10. *rec. ac habetur sub tit. de Regul. disc.* 63. *& in adnot. ad S.C.T. disc.* 37. Verùm id non obstare dixi,
quoniam id procedit ad effectum *privilegiorum* non autem
ut mutetur ordo; nam etiam Cannonici regulares Lateranenses
sunt veri regulares, ac regularium more vivunt in
claustris, quinimò deferunt habitum de facto à clericis diversum,
adeout apud Populū, communi opinione inter clerum
regularem potius, quam sæcularem recenseantur. Et ta- 7
men contrarium adeò solemniter decisum fuit ex *relatis*,
dict. disc. 24. *de praemin.* quoniam attenditur ille habitus,
qui defertur in functione solemni, qui clericis, non autem
monachis, vel aliis religiosis congruit, ideoque cùm dicti
Canonici incedāt cum cotta, seu rocchetto, & biretto, idcircò
vestis quotidiana privata, seu alia qualitas à dicto actu
extrinseca, non attenditur; Multò verò magis dum isti, etiā
in nomine dicuntur clerici, quales verè esse Apostolicæ constitutiones
decernunt; Ac etiam de facto deferunt eundem
habitum clericorum sæcularium, cum quadam uniformi
moderatione, ex qua antiqua modica distinctio resultat.

Hinc in proposito attendendi habitum ecclesiasticum, vel 8
solemnem illius functionis, habemus, quod Canonici, vel
Beneficiati, imò etiam simplices Presbyteri, diaconi, vel subdiaconi,
qui in Ecclesia, vel in processione incedant parati
cum pluvialibus, & planetis, vel dalmaticis, præcedunt etiā
Dignitates, & Canonicos, aliosque antiquiores, & digniores,
etiam Vicarium generalem; Atque videmus in solemnibus
equitationibus, vulgò *Cavalcate*, quæ fiunt in urbe,
occasione ingressus alicujus Principis, vel ejus oratoris,
quod Protonotarii, qui cum cappa magna, & pileo, & sic 9
in habitu solemni incedunt, præcedunt illos Archiepiscopos,
& Episcopos, qui jure privato, ac voluntariè, ut ingredienti
morem gererent, vel obsequium præstarent, cum
habitu familiari, & quotidiano in eadem functione interveniunt,
quamvis ubi habitum solemnem gererent, Protonotarios
præcedere deberent cum similibus.

Presupponebatur quoque ex parte Ordinis Prædicatorum 10
vim fieri in Apostolicis Constitutionibus præsertim S. Pii V.
& Clementis VIII. circa eorum præcedentiam super omnes
alios regulares mendicantes, Verùm pariter id ad rem non
faciebat, quoniam istud privilegium est supra mendicantes,
sed non supra monachos, qui eos præcedunt, & tamen illi,
qui reputati debent de clero sæculari, præcedunt etiam
monachos juxta casum, *de quo d. disc.* 24. *de praemin.* Ergo
intrat argumentum *si vinco vincentem te &c.*

Deducebatur quoque exemplum consimilis canonizatio- 11
nis aliorum quinque Sanctorum, Isidori, Philippi, Ignatii,
Francisci, & Teresiæ factæ per Gregorium XV. dum licet
adessent Philippus clericus sæcularis, ac etiam Ignatius, &
Franciscus ejusdem Societatis Jesu; Attamen processum
fuit cum ordine antiquitatis, dando primum locum Isidoro
laico; Verùm facilis erat responsio, quod scilicet unicus
actus non inducit consuetudinem, præsertim ubi non
est contradictus, & quia ad id animadversum non fuerit,
atque ita resolutum, ac de facto practicatum fuit.

IMOLEN. VENATIONIS
AD PETITIONEM CUJUSDAM BARONIS.

Responsum pro veritate.

An clericis, & Ecclesiasticis prohiberi possit per Baronem, vel Dominum temporalem, venatio, vel piscatio in locis prohibitis, seu reservatis? Et quando hæc prohibitio intret, seu quomodo practicanda sit?

S U M M A R I U M.

1 *CAsus controversiæ.*
2 *De agentibus de materia juris prohibendi venationem, & piscationem.*
3 *Quando fieri potest cum subditis, an fieri possit cum clericis?*
4 *Regulariter negativè.*
5 *De distinctione an jus sit reale, vel personale?*
6 *Etiam in casu realitatis laici non prohibent jurisdictionaliter.*
7 *Sed solum jura privata, & quomodo.*
8 *Qualis sit effectus immunitatis ecclesiasticorum, & clericorum.*
9 *De quæstione quando jus venationis sit reale, vel personale.*
10 *Quos effectus, vel casus ista quæstio percutiat.*
11 *Quomodo substineatur hoc jus prohibendi, & quale jus dicatur, & quando personale.*
12 *Et quando reale, & quare isto casu prohibeatur etiam clericis.*

13 *Quo-*

13 *Quomodo data facultate prohibendi clericos id fieri debeat.*
14 *De eodem.*
15 *De jure prohibendi pascua in bannitis, & defensis:*
16 *Quomodo ista materia regulanda, et decidenda sit.*

D I S C. XLI.

1 CUm quidam baro ab antiquo tempore haberet in ali-
qua territorii parte venationem reservatam, quæ vul-
gò bandita dicitur, cum jure prohibendi omnibus ne ibi
venari possint; Novissimè autem aliqui clerici prætende-
rent id eorum immunitati, seu libertati præjudicare non
posse; Atque aliqui ex parte eorumdem clericorum consul-
ti, nimium se diffenderent in quæstione, de qua, antiquio-
ribus relatis agunt Capublanc. *de Baron. pragm.* 14. *tom.* 1.
2 *& tom.* 2. *cap.* 87. Novar. *de gravam. vassallor. gravam.* 72.
Bellett. *disquis. Cleric. tit. de pœnis Cleric* §. 19. Caten *re-
sol.* 205. & alii moderni frequenter; Desuper tamen ex par-
te Baronis meum consilium petitum esset.

Respondi quod inania mihi videbatur labor desuper ad-
hibitus circa prædictas, ac similes authoritates agentes de
facultate Principis sæcularis, vel Baronis prohibendi vena-
tionem, vel aucupium, seu piscationem &c. Et an istæ fa-
cultates competant de jure naturæ, necne, cùm id percutiat
3 potestatem id agendi etiam cum propriis vassallis sæculari-
bus; Punctus autem quæstionis est posito quod licitè id fie-
ri possit cum propriis subditis in casibus recensitis per eos-
dem superiùs allegatis, qui de materia tractant; Putà in
certa parte moderata, quæ vassallorum usum non adimat;
Sive cum illis instrumentis, destruentibus certam speciem
animalium; Aut in certis anni temporibus, quando ani-
malia sunt prægnantia, cum similibus apud allegatos pon-
deratis; An scilicet etiam in his casibus sub hujusmodi pro-
hibitione ecclesiastici comprehendantur?

In hoc autem dixi quod procedendo cum regulis genera-
libus in abstracto certa esset negativa ex defectu jurisdictio-
nis, cùm clerici non ligentur legibus, ac edictis laicorum;
4 Potissimè ubi ita eis tollatur illa libertas, vel alia facultas,
quæ de jure naturali, vel positivo jam competat, qualis est
venatio, vel piscatio.

Verùm inhærendo sensibus, cum quibus fundatè proce-
dere consuevit Sac. Congregatio Immunitatis, occasione
hujusmodi controversiarum, seu recursuum, quos Baro-
5 nes, vel Magistratus sæculares habere consueverunt adver-
sus clericos venari volentes in locis bannitis, seu reserva-
tis; Dixi quod punctus est, an hoc jus prohibendi sit rea-
le, vel personale, ut in casu quod sit reale, afficiat etiam
clericos, & ecclesiasticos, secus autem è contra?

6 Non quod in casu realitatis laici, authoritate sua jurisdi-
ctionali, eos prohibere, vel coercere possint, sed ut justè
petere possint ab Ordinario, quod eos inhibeat, ipsosque pu-
niat contravenientes; Atque ipso Ordinario negligente, per
viam querelæ, vel recursus adire possint superiores, ut id
præcipiant; Licentia solùm concessa ipsis laicis, vel eorum
custodibus, & ministris, cum privata, non autem cum
7 jurisdictionali authoritate, clericis prohibere ingressum,
vel progressum, eodem modo quo, cuilibet privato per
viam custodiæ rei suæ conceditur facultas expellendi, vel
prohibendi volentes ingredi proprium prædium, seu volen-
tes ab eo, invito ipso domino, fructus percipere, tùm id
clericis Immunitas Ecclesiastica non concedat.

Siquidem ex insinuatis *supra, disc.* 2. *cum pluribus seq.* in
8 quibus de hac materia Ecclesiasticæ immunitatis agitur,
ejus operatio in eo consistit, ut clerici damnificati non pos-
sint de proprio, neque eis adimi valeat id quod ex natura-
li, vel positivo jure competit, adeout onus laicale eorum
jus tollat, vel minuat, non autem, ut eis licitum reddatur
lucrum facere de alieno, seu alterius bona invito domino
occupare; Secus autem ubi sit jus personale, cum tunc di-
catur effectus jurisdictionis, ac potestatis laicalis, quæ
utique non afficit clericos.

Super applicatione autem hujus distinctionis, plures in
facti contingentia vidi non parum æquivocari; Siquidem,
aliqui, super hoc puncto scribentes, cum magno labore as-
sumere consueverunt quæstionem valdè disputatam per scri-
bentes, & præsertim per Germanos ex relatis per Zasi *in* §.
9 *æquè, Instit. de action. & cons.* 6. *num.* 30. *lib.* 2. Gail. *lib.* 2.
concl. 66. Coloc. *cons.* 29. *n.* 149. Sebast. Medic. *de Venat. &
tisc. par.* 1. *q.* 6. an scilicet jus venandi prohibitivum in suo,
vel facultativum in alieno, quod possessum sit per aliquem
feudatarium, dicendum veniat reale, vel personale?
10 Verùm dicebam quod ista quæstio extranea est à casu
controversiæ; Illa enim percutit casum, vel effectum diver-
sum, an scilicet illa dicatur servitus acquisita feudo, ut pro-
pterea transeat in successorem, sive in dominum, facto ca-
su devolutionis, vel in alterum cui dominus denuò feudum
concesserit, juxta ea, quæ ad materiam servitiorum, seu an-
gariarum, aliarumque servitutum habentur *sub tit. de feud.
disc* 51. *&* 65. Et in quo titulo pluries habetur etiam de ea-
dem distinctione realitatis, & personalitatis, in proposito
dignitatum, ac titulorum, seu etiam præeminentiarum,
quod nil commune habet cum præsenti controversia.

In his itaque terminis, ista distinctio realitatis, & perso- 11
nalitatis non intrat activè in persona feudatarii, vel feudi
respectivè, sed intrat passivè in personis, quibus fiat prohi-
bitio, sive in loco, vel prædio, in quo eadem prohibitio
facta sit, quod nempe Barone, vel Domicello existente in
antiqua possessione prohibendi vassallos incolas feudi, seu
loci, nè venationem, vel piscationem faciant in universo
territorio, vel in aliqua ejus parte, sive in certo genere ani-
malium, aut cum certo genere armorum, vel instrumento-
rum adeout dici valeat jus legitimè quæsitum quoad vassal-
los, & non obstantes, quæ contra hujusmodi prohibitio-
nes habentur apud Capoblanc. Novar. Caren. & alios ubi
supra; Et tunc dicatur jus personale, idest jurisdictionale;
Et consequenter non afficit non subditos, dum id reputa-
tur fructus, seu effectus jurisdictionis.

Reale autem dicitur, quando aliqua sylva particularis, 12
seu aliud prædium, aut lacus, vel stagnum &c. ratione ni-
miæ fertilitatis animalium, vel avium, seu piscium respecti-
ve, habeat venationem, vel piscationem in fructu bursali,
& effectivo potius, quam in intellectuali, seu oblectatio-
nis juxta casus, qui occasione piscationis Vallium Coma-
clensium recensentur *sub tit. de feud. disc.* 2. Ac etiam de ali-
quibus sylvis quæ locantur pro aucupio habetur, *sub tit. de
servit. disc.* 86. cum similibus; Tunc etenim non est id pro-
hibere in ratione jurisdictionali, & authoritativa, sed in
ratione privati dominii, atque non intrant termini immu-
nitatis, vel exemptionis, juxta ea, quæ habentur *supra,
disc.* 7. ac etiam *sub tit. de Decimis, disc* 8. cum similibus.

Et consequenter bene clerici, & exempti prohiberi pos-
sunt, quoniam esset velle colligere fructus ex alieno prædio, 13
invito domino. Dummodo tamen prohibitio (ut dictum
est supra), non fiat in ratione authoritativa, & jurisdictio-
nali, sed ratione privata; Et quando ad jurisdictionalem
coactionem, vel punitionem procedendum sit, tunc cum
authoritate proprii Ecclesiastici superioris id fiat, eodem
modo quo faciendum esset, si clerici alienas vineas ingre-
derentur, ut uvas colligerent, sive aliena pomaria, vel
hortos, ut colligerent fructus, & olera.

In Primo autem casu juris personalis ut supra; Quamvis
in Principe sæculari nulla detur potestas prohibendi cleri- 14
cos & ecclesiasticos directè; Adhuc tamen quoties hujus-
modi prohibitiones, vel bannitæ, sint licitæ, beneque mo-
deratæ, intrare videtur eadem facultas prohibendi more
privato, sive adeundi superiores ut prohibeant, cùm eadem
congruere videatur ratio, Adinstar eorum quæ *sub d. tit. de
servit. disc* 38. *& seq. & disc.* 41. habentur ad materiam ali- 15
cujus partis territorii, quæ per Dominum, vel per com-
munitatem respectivè reservetur, cum prohibitione juris
pascendi, ad effectum ut loci incolæ, ex jure civico depa-
sci non valeant, sed pascua vendantur, ut scilicet hujus-
modi prohibitiones, quæ vulgò banditæ, seu defensæ nun-
cupantur, afficiant etiam cives, & incolas qui sint clerici,
quoniam ubi juxta leges, vel mores regionum, defensæ,
seu banditæ, sint licitæ, ac moderatæ, adeout aliis civili-
bus, & incolis remaneat in reliqua parte territorii sufficiens
moderatus usus civicus, tunc permitti non debet clericis
violatio, cùm revera ipsi in hoc proposito cōsiderentur po-
tius tanquam cives, quàm tanquam clerici, ideoque non
est effectus exemptionis clericalis, dum clerici cæteri depa-
sci nō possunt cum eorum animalibus in alieno territorio,
ergo est effectus civilitatis, non autem clericatus, cujus ef-
fectus in eo consistere videtur, ut eos eximat ab illa injusta,
& indiscreta prohibitione venationis, vel pascuorum respe-
ctivè, quæ per speciem tyrannidis, vel concussionis, fiat
vassallis, qui non audeant contradicere; Tunc etenim
commendabile est, ut clerici hujusmodi prohibitiones, ac
bannitas intervertant, non solum ut propriam immunita-
tem conservent, sed etiam ex motivo charitatis, ut ita im-
pediant concussionem, ac etiam reintegrent, vel conservent
jura, ac libertatem concivium; Quoties tamen ex hujusmo-
di turbatione, ob potentiam prohibentis, resultare, vel ti-
meri non possint scandala, & inconvenientia eidem ordini
clo-

glericali, vel eidem ecclefiasticæ immunitati præjudicialia, ut quandoque praxis docet.

Hioc proinde fæpiùs in bujufmodi controverfiis confultus quandoque ex parte Baronum, & Dominorum probibentium, & quandoque ex altera parte Epifcoporum, & ecclefiasticorum de ecclefiastica libertate contendentium; Refpondere confuevi, quod pro meo judicio, ista potiùs facti, quàm juris quæstio, cenfenda eft, pro facti qualitate, ac fiogulorum cafuum particularibus circumftantiis decidenda, non folùm eum regulis, ac rigoribus legalibus, fed etiam eum regulis prudentialibus, ob quas praxis docet, quod Ecclefia pro locorum, vel temporum qualitate, plura tolerat, vel diffimulat, quia fic,ad majora mala vitanda expediat,cum fæpiùs ita contingat, ut id fit cum parvis ftimulis in maoibus puerorum,vel debilium,irritare elephantem; Et confequenter non eft materia, quæ recipiat regulam generalem, & certam cuicunque cafui applicabilem, five cum folis leguleicis propofitionibus generalibus, vel eum doctrinis, & decifionibus editis in diverfis cafibus, metienda,cùm tota vis confiftat in applicatione congrua ad cafum præcifum, infpectis ejus particularibus circumftantiis; eodem modo quo à medicis faciandum eft, in curatione infirmorum; Licèt etenim babeant Aphorifmata, & regulas generales veras, non tamen earum praxis, vel applicatio debet effe uniformis, quoniam praxis varia eft, eaque pendet ab ætate, à complexione, à valetudine, à tempore, à Cęlo, feu regione, & ab aliis fimilibus circumftantiis, ex quibus in uno infirmo, falubre fit illas regulas adhibere, in altero autem perniciofum, ac læthale.

ANNOT. AD DISC. XLI.

CONferunt ad præfentem materiam juris prohibendi deducta *fub tit. de Regal. difc.* 61.135.143. *& feqq. & fub tit. de Servit. difc.* 38. *cum feq.*

ROMANA JUBILÆI UNIVERSALIS.

Difcurfus ad veritatem.

De modo vifitandi Ecclefias; & numerandi dies vifitationis ad effectum affequendi Jubilæum univerfale, quod dicitur anni Sancti.

S U M M A R I U M.

1 *CAfus controverfia, feu dubitationis.*
2 *De Conftitutione Bonif. VIII. fuper introductione Jubilæi univerfalis.*
3 *De Declaratione fuper vifitatione Ecclefiarum.*
4 *Dies conftituitur ex fpatio 24. horarum.*
5 *Quando nova dies incipit, de variis opinionibus.*
6 *Quod deferendum fit confuetudini.*
7 *Confuetudo non extenditur de cafu ad cafum.*
8 *De confuetudine in materia indulgentiarum.*
9 *De rationibus, ob quas nova dies ad effectum vifitationis Ecclefiarum incipere debet à primis vefperis.*

D I S C. XLII.

1 INdicto per Clementem decimum confueto tempore, 2 quarto, & ultimo currentis decimi feptimi fæculi Jubilæo univerfali, orta eft dubitatio fuper injuncta quatuor Patriarchalium Bafilicarum S. Petri, S. Pauli, S. Joannis in Laterano, & Sanctæ Mariæ Majoris vifitatione in triginta diebus, quoad cives, & incolas Urbis, & quindecim quoad peregrinos facienda, quomodo fcilicet dies regolari deberet, & an ob continuati longi itineris incommoditatem, licitum effet in vefperis antecedentis diei, hāc vifitationem inchoare, illamque, ita divifo itinere cum intermedia noctis quiete, commodiùs die fequenti perficere; Cumque inter Morales, aliofque interni, & vel fpiritualis fori profeffores, pro confueta ingeniorum varietate, diverfæ effent fententiæ, aliquibus, juxta particularium indulgentiarum praxim affirmantibus; Aliis verò negantibus, ex eo quòd juxta receptum Ecclefiæ ufum, in jejunio, & in cuftodia dictum feftorum, ac fimilibus, dies Ecclefiafticus inciperet a media nocte, atque in alterius noctis medietate defineret; Hinc de mandato Papæ cor. Cardinali Vicario babitus fuit congreffus officialium Pœnitentiariæ, pluriumque Prælatorum, & Parochorum ac Religioforum, in quo, pro numero magis quàm pro pondere votorum, prævaluit pofterior opinio, cumque cafualiter ad meam notitiam fequenti die id deveniffet, idcircò ex folo motivo veritatis, ac publicæ commoditatis, impulfum dedi defuper edendi familiarem Italico materno idiomate difcurfum, qui ejufdem Vicarii Secretario in officium, tanquam amico tranfmiffus, occafionem dedit illas defuper adhibendi diligentias, quæ ab iis, ad quos pertinet, adhiberi debebant, ante editionem conftitutionis fuper dicta indictione publicatæ, videndi fcilicet primam conftitutionem Bonifacii VIII. editam fuper introductione, feu reftauratione hujus Jubilæi, regiftratam in corpore juris canonici inter extravagantes communes *in c. 1. de pænis. & remiff.* ad quam neque ego in præfati difcurfus editione adverteram.

In hujus etenim extravagantia gloff. verbo *& faltem femel in die*, refertur quod in ipfomet primo Jubilæi ifta diffi- 3 cultas excitata fuiffet, ab eodem verò Papa decifa in Confiftorio declarando, ut fufficeret vifitare Ecclefias in pluribus diebus continuatis, unam fcilicet qualibet die, quafi quod ita ratione animi, ac deftinationis, unica fit itineratio, quamvis in pluribus diebus perficiatur, quod longè commodiorem, ac latiorem redolet opinionem, ac proptereà ita vifum eft remanere extra quæftionem primam opinionem perficiendi hanc vifitationem in unica die naturali conftituta ex fpatio viginti quatuor horarum, quomodocunque diei principium detur, multò verò magis ubi, juxta Indulgentiarum particularium ftylum, initietur in primis, ac perficiatur in fecundis Vefperis, & ad cujus opinionis reflexionem præfatus difcurfus editus fuit.

Dicebam itaque, quod quidquid fit de plerifque dierum 4 civilium, feu legalium, five utilium, & continuorum dierum divifionibus, ad effectus judiciales, vel alios juridicos tradi folitis per Juriftas, ex iis quę aliis relatis habentur collecta apud Eugen. *conf.* 48. & 63 *& lib.* 1. & Antonell. *de temper. legal. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 20. *& feq.* ac alios; Quatenus pertinet ad diem naturalem, qui in fubjecta materia fine dubio attendendus eft; Apud omnes Nationes omnefque profeffores, extra controverfiam, ac invariabiliter, ita omnes ad fenfum docente ipfo curfu naturali Solis, ifte conftituitur ex fpatio viginti quatuor horarum, utroque lucis, ac tenebrarum computato tempore, quod juxta varia ipfius Solis figna varium eft, in duobus tantum Veris, & Autumni illa fervata æqualitate, quæ æquinoctialis dicitur.

Incertum verò apud humanum genus remanet, quale di- 5 cendum fit iftius fpatii, vel folaris curfus initium, in quo nova dies incipiat, ac proptereà varii defuper fuerunt nationum fenfus, & mores, relati per Antonell. *ubi fupra*, *n.* 27. *cum feqq. & in Theatr. vit. human. verb. Dies, verfic. Principium*, & per alios frequenter; Siquidem apud Hebræos, cum quorum moribus aliquæ aliæ Nationes concordant, regulatur initium à folis occafu, vel à vefpertino crepufculo; Apud Romanos à media nocte juxta teftimonium Jurifconfulti Pauli *in l. more Romano*, *ff. de feriis*; Apud Babylonios, feu Ægyptios, & alios in aurora, feu crepufculo matutino; Et apud Arabos, & alios meridie.

Quare hujufmodi varietate fic ftante, receptum eft, deferendum effe confuetudini regionis, quæ etiam in regione, vel civitate varia effe dignofcitur pro effectuum diver- 6 fitate; Ut exemplificando in eadem Urbe, in qua cadebat quæftio, praxis docet univerfæ Ecclefiæ, vel refpectivè Italiæ communis, quoniam ad effectum utriufque jejunii naturalis, & moralis, ac etiam celebrandi feftivos dies, abftinendo ab opere fervili continuatur antiquorum Romanorum mos regulandi initium à media nocte, idemque fervatur in beneficialibus ad effectum regulandi diftinctionem menfis Apoftolici refervati ab Ordinario, ex deductis *fub tit. de benef. difc.* 15. cum fimilibus.

E converfo autem pro regulatione particularium diurnarum indulgentiarum in aliqua Ecclefia occafione folemnitatis; Ac etiam pro currenti regulatione horarum, & vitæ, in horologiis, datur initium à primis vefperis, vel refpectivè ab occafu folis; Eademque recepta eft confuetudo in recitatione divini officii, quod fcilicet matutinum cum laudibus diei fequentis practicatur poft vefperas diei antecedentis, cum fimilibus.

De natura verò confuetudinis eft, ut attendenda veniat in cafu præcifo, & individuo, prohibita extenfione de uno 7 in alterum, quamvis rationis identitas accedat, ex relatis *fub tit. de benef. difc.* 30. *& fub tit. de judic. difc.* 35. & alibi.

His itaque fic prænotatis; Dicebam quod cùm ageretur de materia Indulgentiarum, atque in ifta Ecclefiæ confuetudo fit, ut pro earum confecutione dies illius folemnitatis, 8 cui conceffæ funt, initiet in primis vefperis diei antecedentis, ac definat in occafu Solis ipfius diei folemnitatis; Hinc fequitur ut habeamus particularem, ac individuam confuetudinem, cui deferendum veniat, neglecta illa confuetudine, quæ ad alios effectus ut fupra regulat initium diei à me-

media nocte, ex præfata consuetudinis inertia, ut attendi debeat in casu præciso, ac individuo, neglectis aliis casibus diversis, quinimò etiam similitudinariis.

Verùm ubi etiam admittenda esset illa sophistarum criticatio ob quam dicta similitudo indulgentiarum particularium, & hujus Jubilæi universalis non admittitur, quasi quod observantia Indulgentiarum particularium habeat aliquod majus spatium viginti quatuor horarum facta computatione à primis vesperis ad occasum Solis diei sequentis, idque potius proveniat ex eo quod ita expressè dispositum in literis Apostolicis super indulgentiarum concessionibus, adeout iste dici valeat casus omissus, unde remaneat extra consuetudinem, cujus tamen contrarium probabilius esse dicebam, cum pleri sque indulgentiis antiquis super quibus ea non habentur, eadem sit praxis ut est præsertim in illa in die secunda Augusti, quæ habetur in Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum Assisii, vulgò Portiuncula nuncupata, de qua agitur *sub tit. de Praem. disc. 12.* extensa ad omnes Ecclesias Ordinis Minorum in tot diversas religiones, & Congregationes divisi.

Adhuc tamen, admittendo ex abundanti, quod esset casus omissus, idem censendum esse verius dicebam ex pluribus rationibus, quarum singula concludere videtur, multò magis omnes junctæ, ex vulgari regula sive axiomate,
9 ut singula quæ non prosunt &c.

Primò nempè (retinendo ejusdem discursus ordinem) quod à similibus potiùs, quam à dissimilibus arguendum est ex regula, seu axiomate, tam Juristis, quàm philosophis, ac medicis, & aliis communi, quod in habentibus symbolum facilior fit transitus; Ideoque ubi etiam dicendum esset quod identificus non esset casus indulgentiarum particularium, & istarum Jubilæi universalis, adhuc tamen magna similitudo negari non potest.

Secundò etiam ducto eodem argumento à simili magis proximo aliarum indulgentiarum, pro visitatione septem Ecclesiarum Urbis in aliis temporibus extra istud tempus jubilæi universalis, vel anni Sancti.

Tertiò magis ad rem, ac individualiter propter Ecclesiæ consuetudinem in apertura Portæ Sanctæ, hujus Jubilæi universalis initiatione, à die nativitatis Domini, quæ est vigesima quinta Decembris, & tamen apertura fit, in primis vesperis diei vigesimæquartæ, undè evidens resultat probatio, quod diei initium ad hunc effectum à primis vesperis regulandum venit.

Quartò quoniam in dubio sequi potiùs debemus in his spiritualibus consuetudinem Hebræorum de tempore, quo erat populus electus, ac dilectus, ex quo Verbum æternum humanam carnem suscepit, quàm antiquorum gentilium, seu ethnicorum Romanorum.

Quintò in idem, & fortiùs, quoniam ista introductio Jubilæi universalis secuta est ad instar illius Jubilæi, quod erat in usu apud Hebræos pro visitatione Templi, ideoque exemplum ab exemplari, sive copia ab originali regulari debet.

Sextò quoniã in materiis favorabilibus, ac nemini præjudicialibus, magis lata, & benigna opinio recipienda venit.

Septimò in idem, quoniam in dubio illa tenenda est opinio, vel via, per quam omnibus commodiùs consultum esse valeat, omnesque de hoc favore, ac Thesauro spirituali participare possint; Id autem rectè sequi potest juxta primam opinionem, cùm senes & debiles, & præsertim mulieres, aliique viri nobiles, qui pro majori merito, ac devotione, pedester hanc visitationem facere velint, id rectè explicare possint ob intermediam quietem noctis; Et è converso impracticabilis esset posterior opinio.

Octavò, quoniam ita practicabilis magis est devotio illorum, qui illam diem huic spirituali exercitio dedicantes, in ipso diei initio visitationem incipere cupiant; E converso, autem si initiatio, vel determinatio, juxta secundam opinionem, sequi deberet à media nocte, & in altera media terminare, renovarentur antiqua inconvenientia, quæ experientia probavit resultare, ex vigiliis, & nocturnis functionibus.

Nonò ob magis communem, & universalem certitudinem hujus initii invariabilis apud omnes quamvis idiotas, dum è converso spatium mediæ noctis est adeò varium, & incertum, ut paucis innotescat.

Et demum decimò, quoniam in puncto juris, ac etiam juxta philosophicas rationes, nova generatio initiare dicitur in instanti corruptionis; Idque in jure habemus circa regulationem anni fructiferi, seu recollectæ, ex relatis *sub tit. de Dote disc. 160. & sub tit. de Benef. disc. 100.* & alibi; quod scilicet annus novus, sive nova fructuum productio, initiare dicitur eo ipso quòd recollecti sunt fructus anni antecedentis, quamvis per aliquos menses terra inculta remaneat, nullumque præbeat novorum fructuum inditium, dum in illo tempore, quo pro nostra capacitate terra sterilis videtur, concipit, ac præparat novos fructus, quod postmodum parit, & paulatim nutrit, eosque ad perfectionem reducit; Ita à pari occidente sole, corrumpi dicitur illa dies, atque illicò tanquam eodem Sole quiescente spatio tenebrarum pro futuræ lucis labore, & operatione, ex tunc novæ diei creatio initiare dicatur.

RUBEN. GABELLÆ
PRO CLERO.

Responsum pro veritate.

De eadem materia, de qua supra; disc. 5. super franchitia Ecclesiasticorum à gabella farinæ, vel panis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De natura, & qualitate istius gabellæ, & unde proveniat Franchitia Ecclesiasticorum.*
3 *De concordia quæ desuper habetur inter universitatem, et Ecclesiasticos, et de illius ratione.*
4 *Gabella aucta, est eadem ac prior, eademque franchitia intrat.*
5 *De facultate vendendi franchitias, vel bullettas non exemptis, et de ratione.*
6 *De censuris contra negantes Franchitias Ecclesiasticis.*
7 *Quomodo concilientur ea quæ dicuntur* supra, disc. 5. & hic.

DISC. XLIII.

Antiquiori tempore in Civitate Rubeu. imposita erat gabella Farinæ ad rationem carolenorum decem pro 1
quolibet modio vulgò tumulo, deindeque mutato Consilio introducta est exactio in pane ad rationem quadrantium viginti pro quolibet pane in quodam pondere vulgò *rotolo*; Cumque in dicto antiquiori tempore inita fuisset de anno 1584. concordia cum Ecclesiasticis eis præstandi franchitiam in duobus tumolis, pro quolibet sacerdote, uno pro quolibet constituto in aliis duobus ordinibus sacris, & medio pro quolibet Clerico; Hinc producente pro magis communi usu quolibet tumulo panes 50. observantia dedit quod sacerdotes potiti fuerint franchitia in rotulis centum pro quolibet, constituti in sacris in rotulis 50. & Clerici in minoribus in 25. juxta frequentem illius provinciæ praxim enunciatam *sub tit. de regal. disc. 54. & 155. & supra, disc. 5.* dictaque observantia diuturna, & pacifica fuit absque contradictione, adeout non intraret illa quæstio de qua agitur *dict. disc. 5. Miscellan. Eccles.* super innovatione solitæ quantitatis.

Cùm autem cum regio assensu Universitas dictæ Civitatis dictam gabellam auxisset, seu veriùs eam restituisset primævo enunciato statui Carolenorũ decem pro quolibet tumulo, & sic ad rationem obolorum 24. seu granorum duorum
pro quolibet pane, atque inveterata etiam adsit pacifica con- 2
suetudo, quæ generalis est illius Regni Civitatibus, & locis, in quibus eadem vigeat gabella enũciata locis citatis, quod Ecclesiastici vendũt, vel concedunt sæcularibus bullettas dictæ frãchitiæ in toto, vel in parte; Hinc dubitari contigit, an iidem Ecclesiastici possint vendere, vel concedere sæcularibus easdem bullettas integræ franchitiæ etiam ab isto novo augmento obolorum quatuor pro quolibet pane, atque ubi Magistratus sæcularis prohibeat laicis, ne emant, an incurrerent censuræ ob violatam Ecclesiasticam immunitatem.

Pro Ecclesiasticis censui sine dubio respondendum, atque pro clariori hujus veritatis cognitione reassumenda esse dicebam ab alto naturam, seu qualitatem hujus Franchitiæ eo modo quo habetur reassumpta in supra allegatis *disc. 54. & 155 de regalibus, & suprà dicto disc. 5.* quod scilicet ista franchitia non sit gratia; Vel privilegiativa concessio, quam Universitas faciat Ecclesiasticis, ut propterea intret illa stricta, & rigorosa interpretatio, quæ intrat in privilegiis, & in donationibus non extendendis de re ad rem, vel de casu ad casum, sed competit ex justitia, & ex illa compositione æquè se habente ad lucrum, & damnum hinc inde ipsa gabella in genere sive sit magna, sive sit parva, & sive augeatur, sive minuatur, quod scilicet attenta juris dispositione Ecclesiastici debent esse exempti ab ista gabella laicali pro

in

integra eorum indigentia, atque pro omni usu, tam proprio quam famulorum, & aliorum quos circa fraudem pro proprio sumptu alant, seu alere debeant, adeout si casus præbeant quod aliqua persona Ecclesiastica habeat valde numerosam familiam, ideoque indigeat mille, vel bismille panibus, & ultra in quolibet mense, pro omnibus de jure deberet esse immunis, ut praxis docet in Episcopis, & in aliis qui non cadant sub concordiis juxta casum de quo *d. disc. 5. de regal.* ac etiam *disc. 71. eod. tit. & in aliis*. Et è converso illæ personæ Ecclesiasticæ, quæ non teneant famulos, aliamque familiam non habeant, adeout pro sola persona propria indigentiam panis habeant, & per consequens vigintiquinque panes pro mensa sufficiant, pro istis tantùm & non ultra; Sed quoniam id in dies pariebat fraudes, & controversias, quia nempè aliqui Ecclesiastici volebant eximere conjunctos, & alios quos ipsi non substentabant, vel substentare non tenebantur; Hinc meritò facta fuit penè per universum Regnum cum aliqua variatione, concor-
3 dia, per quam per viam peræquationis pauperis cum divite statueretur regula generalis, & uniformis pro omnibus juxta qualitatem ordinum seu graduum, ac propterea in Universitatib. compensatur illud plus quod tribuunt clericis non habêtibus familiam cum eo minori quod tribuunt clericis habentib. familiam numerosam ita fingendo quod totus clerus constituat unam universitatem seu unum corpus intellectuale, cui juxta distributionem ordinum detur certa quantitas franchitiarum singulis mensibus dividenda inter se, adeout ista inæqualitas tendat in præjudicium illorum Ecclesiasticorum, qui habeant familias magis numerosas quoniam coguntur solvere gabellam, atque pati damnum in recompensationem utilitatis, quam obtineant clerici pauperes minorem familiam habentes tanquam per speciem pactiti ita se habentis hinc inde ad commodum, & incommodum &c.

Et quamvis ut advertitur locis citatis, & præsertim *disc.* 6. frequentiùs casus præbeat quod major sit numerus clericorum pauperum habentium modicam familiam, quàm divitum, & nobilium qui majorem habeant, adeout Universitatibus expediret hujusmodi concordiam tolli de medio, atque cuique præstari franchitiam juxta veram indigentiam propriam; Attamen id est per accidens ob Regni calamitates ob quas hodierni temporis populares, fortè magis ea industria quam ex devotione eligunt vitam clericalem, dum dari potest casus conversus juxta diversos mores locorum, sed quidquid sit id respicit majorem vel minorem quantitatem franchitiæ in genere vel in substantia sive majorem vel minorem quantitatem victualium gabellabilium, non autem ut pro eodem individuo victuali pro una parte gabellæ debeat competere franchitia, & pro altera non, quoniam esset dare casum quod Ecclesiastici pro ista parte aucta solverent gabellas sæculares, quod est prohibitum, dum eadem est ratio totius quoad totum, ac partis quoad partem.

Et quemadmodum si per universitatem ista gabella diminuta fuisset, redacta ad obolos decem, & minùs pro quolibet pane, non possent personæ Ecclesiasticæ conqueri, ac prætendere quod deberent obtinere antiquum solitum emolumentum ad rationem obolorum viginti juxta statum antiquum; ita è converso quoniam semper instat eadem ratio, quod scilicet est una, & eadem gabella, & una, & eadem franchitia.

4 Et in specie quod gabella aucta non dicatur nova, sed eadem cum antiqua, & quod exemptus ab ista, sit exemptus etiam ab augmento, Men. *cons.* 2105. Rot. *dec.* 118. *n.* 14. *p.* 11. *rec.* ubi allegantur Castr. *cons.* 8. *sub n.* 2. *l.* 1. atque his stantibus non videbatur adesse probabilis ratio dubitandi cur franchitia juxta antiquam transactionem, & taxam deberetur pro gabella antiqua, quodque possit aliis vendi vel concedi; Et non deberetur, neque posset vendi pro isto augmento, atque ita docet praxis Civitatis Neapolitanæ quod prius exigebatur unus granus pro quolibet pane seu rotulo, postea verò diversis temporibus factum fuit augmentum plurium granorum, sed semper pariformiter Ecclesiastici etiam in augmento eandem habuerunt immunitatem.

In eisdem supra allegatis discursibus, assignavi quoque congruam rationem hujus consuetudinis ubique vigentis, quod personis Ecclesiasticis aliisque exemptis permittitur vendere, vel concedere sæcularibus, & non exemptis suas franchitias, quoniam ita ipsi Ecclesiastici coguntur pro ipsorum, & familiæ usu emere panem ingabellatum, ideoque nil interest
5 universitati quod Ecclesiastici utantur franchitia pro suo usu vel quod illam alteri non exempto concedant, ipsi verò emant illa victualia ingabellata quæ emere deberent illi nō exempti, quibus franchitia communicatur; Adinstar habentis bullettam pro ingressu gratuito ad Comœdiam, quod nil refert quod det suam bullettam alteri, ipse verò ingressurus eam solvat, cùm detestabilis fraus consistat quando Ecclesiastici vendant non exemptis eorum bullettas, & franchitias, ipsi verò pro eorum usu satagant concedere panem etiam francum, & non gabellatum, ideoque meritò Sac. Congregatio pluries istam consuetudinem approbavit, ac servari mādavit juxta declarationes relatas per aliquos modernos Collectores, & præsertim Add. del Bene *de Immun. Ecclesiastica verbo Gabella*, & Nicolius *in flosculis sub eodem verbo n.* 3.

Idque habet aliam congruam rationem, quod scilicet pleræque personæ Ecclesiasticæ non possunt facere panem in propriis domibus, ac propterea coguntur illum emere in platea, quæ ita cum venditione bullettæ eis compensatur in illa gabella quam solvuntur in emptione ingabellati, & ne aliàs indirectè ita privati remanerent immunitate, & cogerentur solvere gabellas sæculares.

Hinc de consequenti resultare dicebam responsionem ad 6
aliud dubium censuraram generalium resultantium à quacunque sive directa sive indirecta violatione aut perturbatione immunitatis Ecclesiasticæ, quoniam cùm ex antiqua consuetudine rationabili ob præmissis ratione Ecclesiastici sint in possessione istius libertatis vendendi, vel concedendi non exemptis suas franchitias vel earum partem, ita non potest ista libertas eis restringi; Credebam tamen non intrare censuras contentas in Bulla Cœnæ, cum adhuc effectum requiratur inhibitio directè facta personis Ecclesiasticis ea relatis *d. tit. de Reg. disc.* 62. *n.* 3. sed id parum vel nihil refert, quoniam sufficit quod fieri non posset, quodque aliàs faciendo incurrantur censuræ.

Neque præmissis obstare dicebam ea, quæ ex zelo justi- 7
tiæ, & charitatis erga Universitates, & laicos contra Ecclesiasticorum immunitatem à me motivantur *supra d. disc.* 5. *& 6.* ac etiam *in alio opere in Italico idiomate composito cui est nomen* il Dottor Volgare *sub tit. de Immunitate Ecclesiastica*, quoniam idem affirmabam, non quidem contra immunitatem, quam laudo, & tueri profiteor, sed contra illius abusum & quando sub ejus pallio fiat mercatura, reponendo in propria crumena ad illicitam utilitatem, & mercaturam id quod laici solvunt Principi, vel Civitati pro oneribus publicis, sed in isto casu, quod adsit jam per concordiam stabilita taxa uniformis, quæ ut præmissum est præjudicat potius Clericis nobilibus, & divitibus habentibus numerosam familiam pro cujus substentatione coguntur solvere gabellam ultra taxam generalem, & uniformem, nulla ea rationibus ibi consideratis instare videtur, ideoque ibi, & hinc deducta bene invicem compatiuntur.

CASTREN. SUBJECTIONIS
PRO CAROLO GUARINO.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Concilii, resolutus ut infra.

An & quomodo Clericus sæcularis nullum habens beneficium residentiale dicatur subjectus Episcopo? Et an eodem tēpore possit esse subditus plurium Episcoporum?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Potest quis esse civis plurium locorum.*
3 *Ac etiam potest esse subditus plurium Episcoporum; quomodo.*
4 *Simplices Clerici, & Presbyteri non tenentur intervenire in processionibus aliisque functionibus.*
5 *An possint cogi se præsentare personaliter coram Episcopo occasione obedientiæ vel visitationis?*
6 *Quando prohiberi possint, ne discedant à loco.*
7 *De civilitate, vel origine occasionali.*
8 *Ad quas pœnas procedi valeat propter absentiam contra habentes beneficium residentiæ.*

D I S C. XLIV.

CUM Carolus Guarinus natales habuerit in Oppido 1
Boardi Castr. diœcesis occasione incolatus ejus patris, qui erat loci Dominus, & Baro, ibique ad sacros ordines ad titulum patrimonii promotus fuerit, postmodum verò domicilium transtulerit ad oppidum Speculæ diœcesis Hidrontinæ, atq; Episcopus originis illum cogere vellet ad præstandam illam obedientiam, quæ præstari solet Episcopo per omnes Clericos diœcesis in Dominica in Albis, nec non ad in-

terveniendum personaliter statuta die in edicto singulis annis apponi solito pro visitatione loci, ac etiam ad interveniendum in processionibus procedendo aliàs ad pœnas pecuniarias pro illarum partium abusibus comminari solitas. Hinc Carolus recursum habuit ad S. Congregationem Concilii pro declaratione cujusnam diœcesani subditus esset, atque prodiit rescriptum subjacere utrique. Quare timens, quod hoc rescriptum magis dictas molestias confoveret denuò recursum habuit pro ejus declaratione; atque in hoc posteriori recursu meam adhibuit operam.

2 Dicebam itaque scribens super hoc puncto; quod rescriptum esset quidem justum, beneque fundatum, illud considerando generaliter, & in abstracto, quoniam rectè dari potest subjectio, ac respectivè competentia plurium Episcoporum, tam ad effectum collationis ordinum, quàm etiam cognitionis causarum, aliosque effectus, quia nempè potest quis esse subditus unius Episcopi ratione originis, alterius ratione domicilii, alterius, imo, & plurium diversorum ratione beneficiorum, ac respectivè bonorum, quæ in singulorum diœcesibus possideat, eodem modo quo *sub t. de praem.* habetur de civilitate, quod scilicet potest quis esse civis plurium locorum pro diversitate respectuum, ut præsertim *disc.*
3 *36. et seq.* ac etiam *sub tit. jurisd. præsertim disc.* 90. super pluralitate personarum formalium in una eademque persona materiali, cum similibus, ideoque ad effectum præsertim collationis ordinum, datur ista pluralitas Episcoporum competentium, quia nempè unus sit competens ratione originis, alter ratione domicilii, alter ratione beneficii, alter ratione familiaritatis, & alter ratione simplicis accessus, quando propria diœcesis ab infidelibus, vel Hæreticis occupata sit juxta casum de quo *eod. t. de jurisd. disc.* 52. *cum similibus, ut advertitur in adnot. ad Conc.* & alibi pluries, cùm ista hodie videantur jam plana, & nota apud solitos modernos collectores plenè deducta. Punctum verò constare dicebam in applicatione ad factum pro dictis effectibus, vel abusibus gravatoriis, & onerosis, an scilicet absentia non obstante cogi posset personaliter intervenire in dicta præstatione obedientiæ per omnes diœcesanos statuta die facienda, vel in altera occasione visitationis, ac in processionibus, atque similibus actibus.

In hoc autem etiam pro veritate, agnita quoque, & declarata per S. Congregationem, dicebam, quod injusta, maleque fundata esset Episcopi prætensio, quoniam etiam præsentes, qui non habeant beneficium residentiale, sive non
4 sint de aliquo corpore, quod ex consuetudine soleat, ac teneantur intervenire in publicis processionibus, aliisque functionibus, non possunt ad id cogi, ex deductis *hoc eod. tit. disc.* 32. *in fin.* ac etiam *in opuscula de Episcopo*, & alibi; Igitur multò minus absentes; Et quoad interventum persona-
5 lem in præstatione dictæ obedientiæ semel in anno statuta die juxta Diœcesis consuetudinem, aliumque interventum ad effectum visitationis personalis, quando Clerici, & Presbyteri etiam simplices ad residentiam veram non arctati repetiantur præsentes in loco, nullamque habeant legitimum impedimentum, tunc admittebam quòd Episcopus possit eos ad id cogere, atque ad aliquam pœnam moderatam procedere contra inobedientes, quoties constet quod ex contumacia, & inobedientia positiva non comparitio proveniat, quoniam non videtur prohibendus Episcopus semel in anno, sive in aliquibus statutis temporibus numerare proprium ovile, ac recognoscere, & visitare personaliter
6 suæ diœcesis clericos, ad effectum dignoscendi eorum incessum, ac vivendi modum, necnon idoneitatem in exercitio ordinum, quamvis nullum habeant beneficium; Non per hoc tamen infertur, ut eos absentes mulctare possit, sive cogere ut discedentes à loco in quo morantur ad alium accedere debeant, sive impedire ne absque ipsius licentia, ejusque literis dimissorialibus discedere, ac pro libito peregrinari valeant, cùm hæc pluries improbata fuerint per S. Congr. Eo tamen excepto casu, in quo absentia esset maliciosa, & affectata ad effectum fraudandi visitationem personalem, ut contingere potest, in Clericis locorum diœcesis in quibus Episcopus residere non soleat, sed solum semel in anno vel statuto tempore interveniat occasione visitationis sibi injunctæ per C. T. Ac proptereà ille, qui in reliquis anni partibus domicilium fixum, & ordinarium in loco habeat, in dicta visitatione, vel ejus consueto tempore imminente, studiosè affectet absentiam, & peregrinationem, ut ita effugiat præsentiam pastoris, ejusque visitationem personalem, sed iste dicitur casus particularis tanquam per limitationem regulæ, quæ est in contrarium.

7 Atque si hæc procedunt in illis, qui verè originarii, & domiciliarii locorum dicuntur, multò magis dicebam id procedere in hac facti specie, quod nativitas in loco fuit potiùs occasionalis ob residentiam patris ratione feudi, ut advertitur *eodem t. de præmin. disc.* 37. *& disc.* 104. *de regalibus*, ac etiam *disc.* 21. *de Canonic.* & alibi pluries. Cùm enim (loquendo de moribus Italiæ) nobiles magnatum Civitatum, ac etiam alii industres negotiatores, occasione feudorum, & dominiorum, vel respectivè occasione mercaturæ, vel exercitii alicujus professionis soleant in diversis locis morari, ibique filios procreare, ita esset dare magnum, & impracticabile inconveniens, quod filii istorum subjecti remanere deberent quamvis absentes, illis Episcopis, intra quorum diœcesim hujusmodi natales habuerint, si eligant vivere in patria originaria, aut in aliis sibi benè visis locis; Idemque contra clericos simplices qui ratione beneficii verè residentialis non possint cogi ad residentiam cum remediis statutis per Sacros canones, vel per Concilium Tridentinum, juxta deducta *sub cit. de benef. disc.* 77. & aliter non videtur dari casus nisi ex præmissis absentiæ affectatæ, & fraudulentæ ad evitandam visitationem personalem, sive alter, ut id ex contemptu fiat.

Quinimò etiam ubi agatur de habentibus beneficium re- 8
sidentiæ adhuc abusus est ob hujusmodi non comparitiones, vel ob absentiam sine licentia, procedere ad mulctas, & pœnas pecuniarias, quandoque etiam notabiles ut propterea hujusmodi functiones deserviant, & principaliter fiant tanquam per speciem mercaturæ, seu venationis occasione extorquendi pecunias, dum contra non residentes per canones, & per Concilium impositæ sunt pœnæ, ad quas, non autem ad alias procedi debet, juxta ea quæ habentur *d. disc.* 77. *&* 135. *de benefic. & alibi.*

ALEXANDRINA PRÆEMINENTIARUM

PRO PRÆPOSITO S. DALMATII

CUM PRÆPOSITO S. MARIÆ DE CURTE.

Casus disputatus in Tribunali A. C. credo, resolutus pro hac Parte.

An Ecclesia Collegiata inferior tenestur accedere, processionaliter ad aliam Collegiatam digniorem, ut exinde accedatur ad Cathedralem, idemque agere in regressu in processionibus, quæ per Cathedralem fiunt?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causa.*
3 *Collegiata inferior, quando accedat ad digniorem in processionibus peragendis, & n. 5.*
4 *In Ecclesia, in qua processio inchoatur, debet terminare.*
5 *Conclusio de qua n. 3. an procedat, ubi accedendum sit ad Cathedralem?*
6 *Major dignitas, vel antiquitas Collegiata importare debet præminentiam, & præcedentiam, non autem subjectionem inferioris, & minus digna.*
7 *Quid in hoc operetur observantia, seu consuetudo.*
8 *An Episcopus in Constitutione Synodali possit disponere id, de quo supra n. 3. & 5.*
9 *Adversus Cæremoniale non datur contraria observantia.*
10 *De facultate quam C. Trid. tribuit Episcopis in materia præcedentiarum in processionibus.*

D I S C. XLV.

CUM in Civitate Alexandriæ adessent duæ Ecclesiæ 1
Collegiatæ; una S. Mariæ de Curte antiquior, & quæ præcedentiam habet supra alteram S. Dalmatii prætensionem excitavit Præpositus primæ, in vim assertæ consuetudinis, ac etiam Constitutionis Synodalis, quod Præpositus, & Canonici S. Dalmatii, quando publicæ processiones per Cathedralem peragendæ sunt, accedere deberet processionaliter ad Ecclesiam S. Mariæ, ut exinde accederetur ad Cathedralem, idemque fieri debere in regressu, at- 2
que sententiam ab Ordinario super reintegratione ad possessionem hujus præeminentiæ reportavit in gradu appellationis revocatam a Metropolitano Mediolani; Introductaque per appellationem causa in Tribunali Auditoris Cameræ, credo quod hæc posterior sententia confirmata fuerit, quod tamen non omninò certum est, dum post unicam disputationem amplius de causa actum non audivi.

Scribendo itaque pro Præposito S. Dalmatii, & sic pro con-

confirmatione sententiæ Metropolitani, etiam cum aliquo sensu veritatis, super qua tamen cum unica disputatione non visis juribus alterius Partis, judicium omninò maturum efformari non potuit, dicebam, quod probabilior esset hæc posterior sententia, cùm prætensio actoris probabili fundamento innixa non esset; Quando equidem ageretur de duabus Collegiatis existentibus in aliquo Oppido 3 extra locum cathedralis juxta casum, de quo *disc. 9. de Praem.* cum similibus, tunc ista prætensio probabilitatem haberet, quoniam inferior seu minus digna; quamvis non processionaliter, sed privatim accedere tenetur ad digniorem, & matricem saltem in illa matricitate impropria, à qua importat antiquitas, & præcedentia, juxta plures species ma- 4 tricitatis, de quibus pluries *eod. tit. de Praem.* ea ea ratione, quòd illa Ecclesia, ea qua inchoanda est processio, & in eadem terminare debet eodem modo, quo agendum est per illos Regulares, & alios, qui ex decreto C. T. in publicis functionibus intervenire debent, juxta *dec. 15.* Seraphini, ac declarationes S. Congregationis relatas per Barbos. & Nicol. aliosque similes Collectores, quæ frequen- 5 tiùs loquuntur de cathedrali, sed ea identitate rationis congruunt etiam illi Collegiatæ, quæ sit dignior, cùm eadem sit proportio; Secus autem in hac facti specie, quod ambæ æqualiter subditæ, tanquam constituentes duo corpora distincta, tenentur accedere ad Cathedralem, cui solum debitum est obsequium, cum tunc dicta prætensio nullum habeat juris, ac rationis fundamentum, quoniam antiquitas, vel alia prærogativa causare quidem potest præemi- 6 nentiam circa præcedentiam, non autem circa subjectionem, nisi istius titulus detur, ille præsertim veræ, & effectivæ filiationis, quia nempè priùs esset unica, à qua sub hac lege dismembrata esset aliqua pars cum nova erectione secuta sub hac lege, juxta ea, quæ circa matricitatem habentur *d. tit. de Praem.* præsertim *in hoc Supplemento, disc. 2.*

7 Et quamvis loco tituli stare soleat diuturna possessio, cujus vigore allegare liceat titulum juxta frequenter insinuata sub diversis materiis, & præsertim *disc. 21. de Judic.* Attamen non subsistebat factum, quod potiùs resistere videbatur; dum pene hoc sæculo supponebatur, quod observantia fuisset in contrarium, atque actor se fundat in quibusdam actibus possessoriis antiquis, ac propterea intentavit reintegrationem, & sic deficiebat illa species possessionis, quæ ad hunc effectum requiritur.

Quo verò ad Constitutionem Synodalem duæ cadebant inspectiones; una potiùs facti, quàm juris super ejus tenore, & intellectu, super quo certabant causæ Patroni, hinc inde prætendentes, quod cuilibet illa assisteret; & nihilominus dicebam, quod sufficeret illam esse dubiam, cum esset de anno 1617. & sic initio istius sæculi, in quo observantia præsupponebatur potiùs in contrarium, ut ita intraret pariter nimiùm frequenter insinuata operatio observantiæ super interpretatione legis dubiæ.

8 Altera verò inspectio juris erat super potestate, an scilicet potuerit Episcopus desuper ita statuere; atque in hoc negativam dicebam videri veriorem, non solùm, quia est contra jus introductio servitutis unius Ecclesiæ erga alteram, quæ ratione cathedralitatis, non habeat jus assistentiam, adeout etiam in hujusmodi juribus incorporalibus jurisdictionalibus, vel præeminentialibus intrent termini *Extrav. Am-* 9 *bitiosæ*, ut advertitur *disc. 1. de Alien. & Contract.* & alibi pluries; Sed etiam quia id adversatur cæremoniali præcipienti, quod à Cathedrali, vel Matrice, & digniori respectivè incipere deberet processio, ibique terminare, cùm aliàs non unica, sed plures essent processiones, ideoque ubi non doceretur de legitima consuetudine antiqua jam inducta de tempore additionis, vel confirmationis cæremonialis per Constitutionem Clem. VIII. quam eadem constitutio præservavit, quælibet alia possessio, vel consuetudo non suffragatur ob decretum irritans contentum in eadem Constitutione, confirmatis per Rot. *dec. 102. p. 10.* & apud Dunozet. *dec. 855.* & advertitur pluries *eodem tit. de Praemin.* etiam *hoc eodem tit.* & alibi.

10 Et quamvis ea parte actoris fundamentum constitueretur in decreto Conc. Trid. præbente Episcopo facultatem etiam cum Regularibus exemptis, multoque magis cum clericis sæcularibus subditis jurisdictionem, & facultatem decidendi summariè, & simpliciter hujusmodi controversias præcedentiarum, aliarumque præminentiarum in processionibus aliisque Ecclesiasticis functionibus, ex deductis *disc. 38. in Annot. ad C. T.* & alibi, nihilominus dicebam, quod clarum erat æquivocum applicare ad rem istud decretum conciliare, cùm illud constituat Episcopum judicem, etiam cùm exemptis, cum quibus aliàs jurisdictionem non haberet ad effectum decidendi illas ambiguas controversias, quæ sub Judice cadant determinanda prout de jure; non autem ut sibi liceat unam Ecclesiam, alteri subditam facere, illamque obligare ad illa obsequia, quæ non habeant juris assistentiam, imò potiùs resistentiam, dum receptum est quod Episcopus in Constitutionibus Synodalibus statuere non potest contra jus, ex deductis *dec. tit. 35. & 37. de Judic.* & alibi pluries.

NULLIUS BAREN.

SIVE JUVENACEN. CLERICATUS

PRO N. LIOY.

Informatio pro Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium.

Ad intelligentiam *Clem. prima de pœnis* super inhabilitatione filiorum, & descendentium eorum, qui occidunt Episcopum, vel alium Prælatum, & an procedat pro assecutione primæ tonsuræ, aliorumque ordinum?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De inhabilitatione filiorum, & descendentium eorum qui occidunt Pontifices.*
3 *Qui veniant sub nomine Pontificum.*
4 *Quod attendatur causa occisionis.*
5 *Quod inhabilitatio ad beneficia non capiat illam ad ordines.*

D I S C. XLVI.

Cupiens N. Lioy Oppidi Terlitii Provinciæ Barensis ex justis causis, illa præsertim, quæ omnium magis congrua 1 reputari solet obtinendi habilitatem ad obtinẽda beneficia, præsertim de Jurepatronatus, & quo casu fraudes committi soleant, ut advertitur *supra, disc. 5.* effici Clericus; Cum id sibi denegaretur per illum Archipresbyterum existentem in quasi possessione Ordinarii loci cum territorio separato; & cum qualitate Nullius, recursum habuit ad Sac. Congregationem Episcoporum, & Regularium, quæ juxta stylum insinuatum *in disc. 16. in Relat. Curia, & alibi*, rescripsit Ordinario pro informatione, isoque respondente moveri ad hujusmodi denegationem ex decreto Concilii Viennensis registrato *in prima Clem. de Pœnis* inhabilitante filios, & a descendentes eorum, qui occidunt proprios Prælatos, stante quod recurrentis pater cum plerisque aliis ejusdem loci occiderat Archipresbyterum ejus mediatum prædecessorem, idcircò eadem Congregatio rescripsit, ut huic difficultati in puncto juris responderetur, itaque responsione data, obtentum fuit intentum, demandando concessionem literarum dimissorialium.

Dicebam itaque, etiam cum sensu veritatis, quod ad rem non adaptaretur dispositio *dictæ Clementinæ* dupliciter; Primò quia decretum conciliare loquitur de Pontifice, sub cujus nomine veniunt illi, qui sunt in Pontificali ordine constituti, ac propterea *gloss. verbo quamvis Pontificem litera D.* observat quod electi, & non consecrati non includuntur, & clariùs in vers. *A feudis*, & vers. *Terra quoque*, aliisque sequentibus & per tot. loquitur semper de Episcopis, 3 & per consequens dicebam non adaptari ad casum, in quo agebatur de Archipresbytero prima Dignitate in ea Collegiata prætendente curam jurisdictionalem in figura Prælati inferioris inxta tot casus etiam in Abbatibus, & Prælatis Regularibus, imò in Militibus Religionis Hierosolymitanæ recensitis *disc. 1. cum plur. seqq. de Jurisdictione*, quod etiam est in lite cum Episcopo Juvenacen. qui aliquas resolutiones favorabiles reportavit, ideoque prorsus improprium esse dicebam, ut istud decretum Conciliare hujusmodi inferioribus Prælatis adaptaretur.

Clariùs verò in hac facti specie, quod homicidium secutum non fuerat ex causa Prælaturæ, administrationis spiritualis, sed ex eo quod ille Archipresbyter culposè, & illicitè 4 saltem in regulis prudentialibus, & congruentiæ exercebat in loco munus Gubernatoris sæcularis, sive Vicarii Baronis, cujus mentio habetur *disc. 27. de Feud.* itaque occasione aliqui cives nobiles, & qualificati ab eo se offensos, & gravatos reputantes ex odio, & vindicta privata, illum occiderunt, ideoque inspecto tenore ejusdem decreti Conciliaris, multo minus erat adaptabile ad casum.

Et secundò, quoniam idem decretum loquitur de inhabilitatione ad beneficia, ideoque ob strictam interpretationem

dandam legibus pœnalibus, intelligitur de assequendis in fu-
5 turum, non autem de jam obtentis, ut observat *gloss. ib. verbo obtinenda*; cum Concordan. per *Barbos. in collect. ad eandem Clem. n. 14.* ideoque ubi etiam ageretur de ordinibus sacris, ipsoque Presbyteratu, dicebam hoc objectum nullatenus intrare utpotè in casu omisso, in quo regula est, quod filii non debent ferre iniquitatem patris, atque luere pœnas ejus delictorum, potissimè quoniam in beneficiis agitur de lucro captando, & de ditatione cum eorum fructibus, & emolumentis, ac etiam de prærogativis, & præeminentiis honorificis, quæ illorum ratione competunt, ideoque non videtur adeò exorbitans denegare hujusmodi personis ex delicto parentum gratias, utilitates, & honores Ecclesiæ contemptæ, & offensæ; Ubi verò agitur de solis ordinibus, isti quoties non adsunt illi immunitatis abusus, qui damnantur *supra, disc. 6. & seq. & alibi*, important potius servitium, ac ligamen, & onus, multò igitur magis ad hunc effectum primæ tonsuræ, quæ juxta opinionem Theologorum non est ordo, sed sola introductio ad ordines, & juxta illam Canonistarum est ordo Ecclesiasticus in genere, quia constituit personam in ordine, vel Hierarchia Ecclesiastica, sed non est ordo in specie ex deductis *disc. 81. de Pens. & in annot. ad Concil. & alibi*.

Ponderando etiam, quod idem decretum inhabilitat ad obtinenda beneficia in ea Diœcesi, non autem alibi, ideoque ita denegando clericatum esset inhabilitare ad obtinenda beneficia ubique locorum.

ROMANA FRANCHITIARUM

Votum, sive discursus pro veritate.

De Franchitiis, quibus Clerici Cameræ, aliique Camerales potiuntur à Dohanis, aliisque Gabellis, quomodo competunt.

S U M M A R I U M.

1 *Quinam sint Camerales.*
2 *Quomodo franchitiis gaudeant, sive gaudere consueverint.*
3. *In quo differant exempti non Camerales à Cameralibus.*
4 *De occasione scribendi.*
5 *De motu proprio, seu Constitutione Innoc. XI. desuper edita.*
6 *Quam partem gerant Clerici, & alii Camerales in appaltibus, qui fiunt.*
7 *Tutor, vel alius Administrator non potest facere actus sibi proficuos pupillo damnosos, ac præjudiciales.*
8 *Quid in hoc operetur confirmatio appaltuum, quæ fit per Papam.*
9 *Pro ratificatione, vel approbatione requiritur scientia certa.*
10 *De exclusione voluntatis Papæ approbandi ea, quæ sunt Cameræ præjudicialia.*
11 *Attenditur solum id, quod est in summaria chirographi, seu motus proprii.*
12 *Stylus est regulator voluntatis Principis.*
13 *Quid operetur decretum Judicis super confirmatione contractus gesti per Tutorem nomine pupilli.*
14 *De alio simili super Liboniano.*
15 *Quando Constitutiones revocatoriæ intrent, etiam cum Cameralibus.*
16 *An causam onerosam foveant Clerici Cameræ.*
17 *De observantia quid in hoc operetur.*
18 *Consuetudo non admittit extensionem.*
19 *De motivis, ob quæ justè moderatio franchitiarum secuta est.*
20 *De Franchitiis illorum Cardinalium, qui fuerunt Procamerarii.*
21 *Quomodo intelligi debeant illa verba*, qui sederunt in Camera.
22 *Procedendum est cum distinctione casuum.*
23 *De illis Clericis, qui effecti sunt Cardinales.*
24 *De illis Clericis, qui Clericatum vendiderunt, & quomodo intelligi debeat illa verba* etiam dimisso officio.
25 *De aliis Cameralibus ab officio remotis.*
26 *Exempti debent pati aperitionem arcularum, & farciarum, ac mercium perquisitionem.*
27 *De antiquis prærogativis Cardinalium.*
28 *De fraudibus, quas committunt Ministri exemptorum.*
29 *Quod apertura demandabatur antiquitus, etiam in bonis Principum.*
30 *De provisione certæ taxæ ad occurrendum fraudibus.*

D I S C. XLVII.

ANtiqua est Urbis consuetudo enunciata in Constitu- 1
tione 45. Pauli III. in Bullar. veteri Sixti V. ac etiam
in plerisque aliis posterioribus notissimis Constitutionibus,
& in multis capitulis antiquorum appaltuum ab eodem
Paulo III. citra, quod Clerici Cameræ Apostolicæ, alii-
que Officiales, & Ministri ejusdem Cameræ, qui in ea sede-
re solent, quales sunt Cardinalis Camerarius, Gubernator
Urbis tanquam Vice Camerarius, Auditor Cameræ, The-
saurarius Generalis, Præses, seu Præsidens Cameræ, Advo-
catus Fiscalis, advocatus Pauperum, Commissarius Came-
ræ, & Procurator Fiscalis Generalis, enunciati *disc. 33. in rel.*
Curia gaudere consueverunt exemptionibus, & franchitiis à
Dohanis, & Gabellis pro illis mercibus, & rebus, quas pro
eorum, ac familiæ suo sumptu viventis usu introducere fa-
cerent sub ea tamen lege, ut res ita introducta non posset
aliis concedere, ne detur casus fraudis ultra usum proprium; 2
Ab an. verò 1603. consuevit in Capitulis Appaltus superad-
di, quod istis franchitiis potiri deberent Camerales non so-
lùm pro mercibus, & rebus, quæ ab extra introducerentur
ut supra, sed etiam pro illis, quæ emerentur in tabernis, seu
fundacis, aliisque Apothecis, seu repositoriis, vulgò Ma-
gazenis, quod aliquo tempore antecedenti sub Greg. XIII.
superadditum fuerat in franchitia à Gabella, seu Dohana vi-
ni Ripalis, de qua particulariter agitur *disc. 65. de Reg.* Ea-
demque antiqua consuetudo enunciata in literis patentibus
per Camerarium expediri solitis, fert, quod hujusmodi
franchitiis potiri consueverint, non solùm præfati Clerici,
aliique Officiales, quando sint actualiter in munere, sed
etiam dimisso officio, & sic illi, qui promoti fuerint ad Di-
gnitatem Cardinalatus, aut etiam, quod recepto pretio
mutaverint statum, quia Episcopi effecti sint, vel etiam sæ-
culares prout etiam alii Camerales ad nutum amovibiles,
atque mutari soliti, prout sunt Gubernator Urbis, Com-
missarius Cameræ, & Procurator Fiscalis donec vivunt in
eadem prærogativa continuare consueverunt, quia sic ex-
pressè disponunt præfatæ literæ patentes per Camerarium
expediri solitæ. Quinimò cùm Constitutio 9. Pauli V. re-
vocatoria exemptionum & franchitiarum præservet fran-
chitias eorum, qui sedeant, vel sederint in Camera, hinc
ductum est argumentum, quod sufficiat aliquando, licèt
ad breve tempus sedisse, ac propterea illi Cardinales, qui pro
tempore, quo abfuerit Camerarius, deputati fuerunt Proca-
merarii, quamvis, ad breve tempus istud munus exercue-
rint, eisdem franchitiis potiri consueverunt ad vitam; Cùm- 3
que præfata immunitas in rebus, quæ pro usu proprio intro-
ducerentur ab extra, competeret etiam generaliter omnibus
Cardinalibus, ac etiam Oratoribus Principum, & Re-
rumpublicarum, hinc ob dictam innovationem ea inva-
luit differentia inter Cardinales Camerales, & non Came-
rales, quod primi haberent franchitias, etiam pro mercibus,
& rebus, quas emebant in fundacis, & magazenis, bonificando
Mercatoribus, vel introductoribus id, quod importaret
Dohana, seu Gabella jam soluta in introductione, alii verò
Cardinales non Camerales, & Oratores habent solum fran-
chitias juxta usum antiquum pro solis rebus, quæ ab extra
introducerentur. Cumque moderno tempore, præsertim
verò ab an. 1663. ob notoria accidentia, ob quæ franchitiæ
exemptorum, tam reales, quàm locales, ac etiam personales,
cum aliquo excessu nimium excreverint, exinde tanquam
per omnium penè rerum corruptelam, nimium excreverunt
istæ franchitiæ Cameralium penè in sextuplo supra antiquum
solitum, ac propterea Pontifex Innocentius Undecimus, qui
Cameram Apostolicam nimiùm oneratam, & obæratam in-
venit, totus intentus ad consulendum, tam huic, quàm
multis aliis inconvenientibus, ex quibus Respublica penè
tota lasata erat, post editam initio Pontificatus (insequen-
do vestigia penè omnium prædecessorum à præfato Paulo
III. citra usque ad Clementem X. immediatum prædecesso-
rem) revocatoriam omnium exemptionum, & franchitiarū
in genere, cum enunciata præservativa Cameralium, deve-
niendo postmodum ad examen, ac moderationem franchi-
tiarum non cadentium sub dictis Constitutionibus revoca-
toriis, prævio maturo examine illas moderatus fuit, eas
reducendo ad antiquum statum, in quo erant ante præfa-
tam innovationem secutam de an. 1603. ut scilicet compe- 4
tere debeant solùm pro mercibus, & rebus non ingabella-
tis, quæ pro usu proprio, atque citra fraudem introducan-
tur ab extra, non autem pro mercibus, & rebus jam inga-
bellatis, quæ manent in fundacis, & Magazenis.

In præfato igitur examine, in quo ego tanquam ejusdem 5
Papæ Auditor aliquam cum aliis ejusdem Papæ Ministris

par-

partem habui (quamvis Camerales totum mihi referrent in-
debitè) in voto, seu discursu desuper edito ex solo (Deo te-
ste) motivo veritatis, & justitiæ, non autem ut proprio Prin-
cipi, & Domino adularer (quod hucusque semper à me pror-
sus alienum fuit, atque spero, quod Divina assistente gratia,
erit in futurum usque ad obitum) dicebam, quod innovatio
secuta circa dictam superadditionem factam in solitis ca-
pitulis Appaltus in dicto anno 1603. quandam redoleret
6 speciem illicitæ usurpationis nimiùm Cameræ præjudicia-
lis, ideoque nullatenus attendenda veniret, quoniam cùm
ad prædictum Apostolicarum Constitutionum, tam Appal-
tus, quàm eorum Capitula fieri debeant in plena Camera,
quod tunc incontinenti servabatur, exinde sequitur, quod ipsi
Clerici, aliiq; Officiales, & Ministri Camerales ita gererent
partes Tutoris, seu legalis Administratoris Cameræ, quæ
tanquam corpus inanimatum de necessitate vivit sub aliena
legali administratione, & per consequens in illo contractu
7 Appaltus, quia fiat cum Appaltatore ipsi dictam gerunt per-
sonam, quo posito resultat certum, ac absolutum Juris prin-
cipium ipsi etiam naturali Juri, ac rationi innixum, quod nō
potest Tutor, vel Curator, sive alter legalis administrator in
actibus, quos gerit cum tertio administratorio nomine, sibi
ipsi jus dicere, atque ad proprium commodum supplantare
pupillum, vel alium, qui sub ejus administratione vivat.
8 Et quamvis magnum constitueretur fundamentum in eo
quod præfata Capitula Appaltus de more confirmata fue-
runt per Papam, ac propterea adesse diceretur Papæ appro-
batio, quæ speciem concessionis haberet; Advertebam ta-
men hoc fundamentum continere claram fallaciam, quo-
niam tunc id procedere posset, quando constaret, quod Papa
certam, ac distinctam habuisset notitiam, non solùm Appal-
tus in genere, quoad substantialia, sed etiam omnium, & sin-
gulorum Capitulorum, etiam in iis, quæ obiter enunciantur
per integram illorum lecturam. Et nihilominus neque id
sufficeret, nisi etiam in eo concurreret certa, & explicita
scientia diversæ formæ, seu diversi tenoris capitulorum Ap-
paltuum antecedentium, ut ita habendo certam notitiam
istius superadditionis, & alterationis valde præjudicialis
9 sciens, ac volens hanc novam concessionem ita implicitè
Cameralibus facere voluisse, ex vulgari regula, quod ani-
mus non trahitur ad ignorata, quodque ad effectum ratifi-
cationis, vel illius confirmationis, quæ redoleat speciem
novæ concessionis, requiritur scientia certa facti, & juris.
10 Id autem non solùm nullam habere dicebam justificatio-
nem, sed ad evidentiam excludi ex ipsius actus natura, &
qualitate, ac stylo, quoniam hujusmodi Capitula Appaltuum
præparantur per Thesaurarium, & Commissarium Cameræ,
aliosque inferiores Ministros, quales sunt Rationatores cum
illis, qui Appaltum sumere volunt, atque post hanc præpara-
tionem, quando servetur forma præscripta per Constitutio-
nes, quibus non derogetur, ut modernis temporibus fre-
quenter fieri consuevit, non autem in aliis temporibus, de
quibus agitur, quod scilicet instrumenta stipulentur in ple-
na Camera, tunc inibi maturiùs examinantur, & approban-
tur, Papa verò sequendo fidem Officialium, & ministrorum
ad id deputatorum approbat, & confirmat Appaltum in par-
tib. substantialibus concernentibus interesse Cameræ cum Ap-
paltatore, ita habendo scientiam solùm de quantitate Pensio-
nis, vel Census, ac de tempore, pro quo fiat Appaltus, nec non
de imprætantia Appaltatori fieri solita, & de aliis pactis ma-
gis substantialibus, dum hæc tantùm per ministros Camera-
les Papæ insinuantur, ubi confirmatio sequatur per motum
11 proprium, ubi verò per chirographum ponuntur juxta stylū
in summario, ideoq; in his tantùm adesse dicitur certa scien-
tia, & voluntas Papæ, qui non solum non legit Capitula, sed
neque corpus Chirographi, & quando etiam perlegeret,
neque in hoc proprium ad hanc voluntatem inferri posset,
quoniam, ut præmissum est, constare deberet, quod ha-
beret certam notitiam, ac recentem memoriam de statu an-
tecedenti, ac propterea agnosceret, quod faceret innova-
tionem, quod utique nullatenus est verificabile, quinimò
attento stylo, qui ut frequenter sub diversis materiis adver-
12 titur, & præsertim *disc. 8. in Relat. Cur.* ubi de Dataria, & Can-
cellaria dicitur regulator voluntatis Papæ, quando iste ha-
buisset in animo faciendi hujusmodi concessionem nimiùm
considerabilem, id fecisset cum particulari Motu proprio,
istum justificando cum causis ad id moventibus, non au-
tem ita implicitè, & per subauditum intellectum.
13 Ad id autem comprobandum ponderabam à simili, quod
si Judex cum ejus decreto approbet, & confirmet contra-
ctum emptionis, & venditionis, aut locationis, vel similem
initum per tutorem nomine pupilli cum extraneo emptore,
vel conductore, aut alio contrahente tunc partes Judicis
sunt inquirendi substantiam illius contractus, ne pupillus
circumveniatur, sive lædatur a tertio contrahente, non au-
tem perscrutandi id, quod obiter in Instrumento insinuetur
ad commodum ipsius Tutoris contra Pupillum, quodque
propterea dicatur cum ejus decreto ita approbare; cùm simi-
libus, quibus eadem congruat ratio. Ac etiam adverte- 14
bam adaptari posse ea, quæ *disc. 8. de Testamentis* habentur
in materia Liboniani, quod non ex eo quòd Testator se
subscribit Testamento illudque approbat, exinde inferri
potest ad probationem eorum, quæ fiduciarius Testamenti
scriptor sibi adscripsit, nisi expressè dicatur; vel quod suf-
ficientia concurrant hujus voluntatis argumenta.
Et nihilominus quando etiam exinde ad novam conces- 15
sionem inferri posset, adhuc advertebam quod ista conces-
sio, utpotè, nova mereque gratuita, & sine aliqua causa
illam justificante, caderet sub Constitutione 9. Pauli V.
paolò post ad biennium edita revocatoria omnium hujus-
modi concessionum præterquam ex causa verè onerosa, &
correspectiva, & quamvis per eam præserventur franchitiæ
Cametalium, attamen præservativa restricta est ad conce-
di solitas; quod utique huic unico actui tot particuli exce-
ptiones, & difficultates non est adaptabile.
Licèt enim per clericos nimium exaggeraretur causa one- 16
rosa, eò quia eorum officium est venale pro magno pretio,
ex deductis *disc. 2. de reg. & disc. 33. in rel. Cur.* Nihilominus
istud videbatur omninò leve fundamentum ex pluribus; Pri-
mò nempè quoniam præfatum magnum pretium auctum ac
statutum fuit per Sixtum V. correspectivè ad emolumenta,
quæ tunc aucta, & assignata fuerunt, quando Franchitiæ con-
sideratæ fuerunt juxta modum antiquum, ista verò innova-
tio secuta postmodum est ad plures annos circa finem Ponti-
ficatus Clem. VIII. absque aliqua correspectivitate; Secundò
quoniam ex literis patentibus desuper expediri solitis ut su-
pra advertitur, dicitur id provenire à quadam antiqua con-
suetudine antequam dictum pretii augmentum sequeretur,
dum habentur hujusmodi literæ patentes sub Pio IV. & Gr.
XIII. & aliis Pontificibus, ante Sixtum V. Et tertiò in idem,
quoniam idem Privilegium concedi, atque de facto parifor-
miter practicari consuevit in Cardinali Camerario, in Gu-
bernatore Urbis, in Advocatis Fisci, & Pauperum, in Com-
missario Cameræ, & Procuratore Fiscali, & tamen hæc
officia non sunt venalia, sed gratis conceduntur, igitur nul-
la adesse dicitur correspectivitas particularia, ac præcisa ut
requiritur ad hoc, ut Privilegium dicatur ex causa onerosa,
ex iis quæ in his terminis specialibus exemptionis ab oneri-
bus habentur collecta apud Merend. *l. 2. contr. 40. & genera-
liter sub tit. de Jurepatr. disc. 10. & 63. & in aliis pluries.*
Magnum item fundamentum constituebatur ex parte Ca- 17
meralium in observantia annorum septuaginta, & ultra à
d. scilicet anno 1603. ad currentem annum 1677. in quo hæc
disputatio secuta est, dum omnia capitula subsequentium
Appaltuum fuerūt ejusdem tenoris cum subsecuta observan-
tia, & praxi. Verùm, & id nullius videbatur ponderis; Tum
quia ubi prætenderetur hujus Juris competentia per viam
præscriptionis, neque adesse diceretur tempus necessarium
centum annorum, ut requiritur ad præscribendum contra
Ecclesiam Romanam, & Sedem Apostolicam; Tum clariùs
quoniam hæc possessio pœnæ in limine ejus nativitatis infe-
cta fuit per dictam constitutionem revocatoriam Pauli V. &
successivè per alias consimiles Constitutiones Urbani VIII.
Innoc. X. Alexandri VII. & utriusque Clem. IX. & X. & illam
ejusdem Innocentii XI. quæ omnes continent Decretum ir-
ritans, per quod inficitur quæcunque possessio, ac propte-
reà impeditur origo, seu nativitas cujuscunque consuetu-
dinis, vel præscriptionis, *ex deduct. disc. 21. de jud.* & ali-
bi pluries, ideoque ut advertitur eodem *disc.* 21. ac etiam
disc. 3. de alien. & contr. prohib. & in aliis, malum semper
consilium est recurrere ad confugium præscriptionis, utpo-
tè nimiùm periculosum, ac de facili elidibile, cum lapsus
temporis diuturni proficuus magis videatur ad præsum-
ptam probationem, ut ibi latiùs advertitur; Potissimè ve-
rò in hac facti specie in qua non improbabiliter dici posse
advertebam ut ex prædictis circumstantiis duraote saltem
vita illorum, qui tunc sedebant in Camera, & quam in-
certum est quantum se extenderit; adesset mala fides facien-
do dictam alterationem Cameræ præjudicialem, quoniam
cùm ista franchitia juxta præmissa non proveniat ab aliquo
Privilegio, sed à consuetudine, ista venit attendenda in
casu præciso, & non extendenda de casu ad casum etiam 18
ubi rationis identitas accedat; ex deductis *eodem disc.* 21.
de judiciis, & disc. 30. de Benef. & sæpius.

Ex his autem liquet, quod hæc declaratio, seu restrictio processit ex mera justitia, etiam per Judicem administranda absque aliqua mixtura, vel necessitate supremæ, quinimò ordinariæ potestatis Papæ; Et nihilominus ubi etiam una, vel altera potestas necessaria esset, illam justè, ac rationabiliter interpretandam esse dicebam ex duplici motivo, quorum quodlibet singulariter, & de per se consideratum videretur sufficiens, multò magis eis simul junctis. Primo nempè ob dictarum franchitiarum nimiùm abusivum excessum,
19 ac propterea intraret vulgatum, ac receptum axioma, quod Privilegium amittere meretur qui illo abutitur. Et secundò ob notabiliter immutatum statum Cameræ, quæ prius dives, & copiosa, hodiè pauper, ac obærata reperitur; Ideoque intrare dicebam quæ in Jure habentur in terminis *c. suggestum, de decimis, de quibus, disc. 1. & seqq. de decim.* vel ea quæ habentur in donatione revocanda, vel moderanda pro sustentatione donatoris in statu indigentiæ constituti, quodque intraret axioma, quod nemo in necessitatibus liberalis existit; Potissimè verò quia hujusmodi franchitiæ diminuentes publicos redditus destinatos supportationi publicorum onerũ operantur, quod ita oporteat magis gravare populos subditos in adeò magnis miseriis, & angustiis constitutos, ideoque nedum injustum, & asperum, sed prorsus iniquum, ac irrationabile videtur, ut pro impinguandis ex liberalitate, & pro lusu paucis viris adeò divitibus, gravari & suffocari debeant populi adeò pauperes, & miserabiles.

20 Hinc dicebam inanem esse laborem agere de franchitiis illorum Cardinalium, qui absque officio in titulum accidentaliter, seu provisionaliter sederint in Camera tanquam substituti in locum Camerarii absentis, quoniam sublata præfata moderna innovatione circa franchitias mercium jam ingabellatarũ, ac existentium in Fundacis, & Magazenis, quæstio remanet inanis, dum ita omnium Cardinalium, etiam non Cameralium æqualis remanet conditio. Sed quando de hoc puncto agendum esset, dicebam, quod id quoque redoleret aliquem abusum, quodque post cessatum actuale exercitium hujus suppletionis, aut Vicariatus, nulli fundamẽto innixa esset ista exemptio, quæ ut præmissum est, duo habet fundamenta; Unum nempè capitulorum Appaltuum, & alterum literarum patentium, quæ ad favorem Clericorum, aliorumque officialium Cameræ juxta antiquam consuetudinem expediri solent, quorum utrumq; cessat in hujusmodi substitutis, in quibus etiam cessat ratio, quoniam Camera tenetur tractare immunes illos ejus officiales, qui illi serviũt, atque pro ea laborant in præmium laboris, unum agnoscendo officialem pro tempore in Camera sedentem, & sic unum Camerarium, unum Vice Camerarium, unum Advocatum Fisci, unum Advocatum Pauperum, unum Commissarium, & unum Procuratorem Fiscalem, atque aliàs esset in arbitrio Cardinalis Camerarii facere exemptos multos Cardinales ejus benevolos, & sic facere id quod facere non solet Papa, affectando breves absentias, atque ejus loco subrogando modò unum, modò alterum, quoniam licèt ista subrogatio exigat Papæ beneplacitum, attamen istud pro frequentiore contingentia concedi solet.

21 Et licèt ista prætensio fundata videatur in insinuatis Constitutionibus revocatoriis, illa præsertim Pauli V. cum qua per eadem verba procedunt aliæ sequentes, dum præservantur franchitiæ illorum, qui sedent, vel sederunt in Camera, ita ex dicto verbo *sederunt* arguẽdo, quod sufficiat semel sedisse, attamen id continere videtur clarum æquivocum, quoniam dictum verbum in præterito positum verificabile remanet iis, qui essent Clerici Cameræ, postmodum verò ad Cardinalatum promoti, utpotè de Justitia, seu nimia congruentia, & æquitate istam continuantes prærogativam, ut infrà, & per consequens, cùm tale verbum non sit fatuum, sed remaneat operativum in casu quo assistant tam ratio, & æquitas, quàm Privilegium juxta dictam antiquam consuetudinem concedi solitum, non videtur quod ex illo inferri possit ad istum casum, cui non assistunt, sed potiùs resistunt tam ratio, & æquitas, quàm antiqua consuetudo, dum Privilegium consuetudini innixum loquitur de illis, qui haberent officium, etiam eo dimisso, & sic dimissio, tanquam privatio præsupponit habitum officii in Titulum, qualis nullus esse dicitur in his, qui tamquam substituti gerentes potius munus Procuratoris, vel Vicarii habuerunt solum exercitium, non autem Titulum, vel habitum.

22 Quo verò ad alios, qui jam sederint, actu verò amplius non sedeant, in eodem discursu advertebam ad idem, quod mea frequens est consuetudo dicendi, erroneum scilicet esse procedere cum generalitatibus, & in abstracto, cùm verius procedendum sit cum distinctione casuum ob diversitatem circumstantiarum, quæ in uno ac altero vigent, ita tres constituendo casus unum nempè illorum Clericorum, ac etiam Auditoris Cameræ, & Thesaurarii, qui desierunt esse tales ob eorum promotionem ad Cardinalatum; Alterum pariter eorundem illorum qui desierunt esse tales ob vendicationem officii, & receptionem pretii; Et tertium eorum qui obtinuerunt præfata officia non venalia; sed de eorum natura ad nutu amovibilia, ut sunt Gubernator Urbis; Commissarius Cameræ, & Fiscalis Generalis, ac etiam qui sunt perpetui, ut sunt Advocatus Fisci; & Advocatus pauperum.

Primo casu justam, vel saltem æquam, & rationabilem esse dicebam dictam cõsuetudinem, ac respectivè concessionem super cõtinuatione istius, ac aliarum prærogativarum etiam dimisso officio ad vitam (licèt posita Dignitate Cardinalitia hodie stante dicto motu proprio hæc prærogativa remaneat inanis, ut de Cardinali Camerario dictum est supra) quoniam cùm promotus non recuperet pretium solutum, minusque consequatur illa emolumenta, quorum intuitu pretium Officii solvitur, adeout ex divite Prælato efficiatur pauper Cardinalis, idque non sequatur ex ejus facto voluntario, cùm hujusmodi Promotiones fiant motu proprio Papæ quamvis promotis valdè gratæ sint, & fortè aliquando nimium quàm par est, ambiantur, & anhelentur. 23

In secundo autem contrarium omninò à Justitia, & æquitate, ac ratione exigi videtur, cùm Immutatio status proveniat à facto merè voluntario cum reintegratione pretii, adeout causa reducatur ad non causam, nullæque remaneant prioris dignitatis reliquiæ, ut remanere dicuntur, quando superveniat major dignitas Cardinalitia; Ideoq; nulla suppetit ratio, quæ istam continuationem suadeat. Ponderando etiam frandes, quæ desuper de facili committi solent, quoniam viri nobiles, & divites, etiam primarii ordinis Magnatitii, qui destinati sunt sæculo, ac statui conjugali, possent ita petere Clericatum, non de facili hujusmodi qualificatis personis denegari solitum, ut ad breve tempus illum dimittant recuperato pretio, ut ita faciant magnum lucrum franchitiarum à Gabellis, quæ aliàs pro magna quantitate bonorum, quæ possident, magnaque familia, quam retinent, sunt valdè notabiles, ac propterea verba, *etiam dimisso officio* apponi solita in literis Patentibus, intelligenda videntur de dimissione per Promotionem, vel alia simili, non autem de ista merè voluntaria cum recuperatione pretii; Et in omnem eventum ista censenda videtur exemptio merè Privilegiativa cadens sub Constitutionibus revocatoriis, cùm non adsit ratio, quæ hanc exemptionẽ salvet, quoniam Clericatus Ecclesiasticus imprimit magis characterem indelebilem; adeout dimissus quandoque reassumi valeat, & tamen donec durat status immutatus per dimissionem, talis Clericus non gaudet Immunitate. Atque licèt officialis dimisso officio retineat aliquas ejus reliquias *ex deduct. disc. 84. de feud.* & alibi, attamen id solum procedit in honorificis. 24

In tertio autem, & ultimo casu aliorum Cameralium amovibilium, qui desinant esse tales, quia Papa eos removeat, aliosque in eo munere deputet, adaptari videntur omnes rationes superius ponderatæ in illis, qui exercerent munus Procamerarii, ut supra, quoniam hæc prærogativa non habet causam, vel correspectivitatem, nisi illam exercitii muneris, quo cessante remanet omninò sine causa, ac etiam quia cùm Camera, ut supra recognoscat unum Gubernatorem, & unum Commissarium, vel Fiscalem tamquam immunes, ita esset dare inconveniens, quod cogeretur recognoscere, atque pro eodem munere immunes tractare eodem tempore multas personas. 25

Demùm dicebam, atque per dictum motum proprium justè, ac rationabiliter mandatum fuit, quod omnes, tam Cardinales, quàm Camerales, & alii, qui juxta dictam antiquam consuetudinem potiuntur franchitiis pro mercibus, & rebus, quas pro usu proprio introducunt, pati debent aperitionem, ac perquisitionem farcinarum, & involucrorum, sive arcolarum, & scriniorum, in quibus merces, aliæque res, quæ introducuntur, repositæ sint, ut ita dignosci possit, an sint res proportionatæ usui proprio, vel potius ad mercaturam, aut aliàs pro fraudandis Dohanis, & Gabellis, dum absq; illis diligentiis, quæ adhibentur cum aliis introductoribus esset dare ansam delinquendi, ac fraudandi; Ideoque exemptio non eximit à denunciatione, & à perquisitione ex authoritatibus, de quibus *disc. 57. in fin. de regul.* & alibi, atq; imbecillitas intellectus videtur in hoc desiderare leges, vel authoritates, quoniã ubi istæ non adessent, ad clarum sensum id comprobat ipsa ratio naturalis, humanusque discursus; Ac propterea Albericus de Rosate Doctor antiquus expressè improbat usum, ac prætensionem Cardinalium circa 26

ea franchitias juxta verba inferiùs referenda *n.* 29. & tamen illorum temporum conditio erat diversa, quoniam saltem
27 de facto præsertim ob recentia schismata longè major erat Cardinalium authoritas, & prærogativa, dum eorum Domus gaudebant illa Immunitate, quam de facto substinent Oratores Principum, ac etiam eorum familiares, & dependentes Immunitatem personalem habebant, ea deductis *disc. 67. & 70. de Jurisd.* & alibi, quæ omnia hodie cessant, ut ibidem advertitur, ea quoque accedente differentia, quod numerus erat longè minor infra trigesimum, & quandoque infrà vigesimum, ut historiæ docent, ac propterea demptis absentibus, qui occupati essent in Legationibus, vel Episcopatibus, aliisque muneribus, exiguus erat numerus, idemque modicum præjudicium, potissimè quia modica erat Dohana, hodie in duplo, & ultra excreta, neque invaluerat adeò magnus luxus, ex quibus crevit malitia, & creverunt fraudes, quas notorium est adeò frequenter hodie committi, quibus propterea occurrere oportet.

28 Et quamvis non sit præsumenda in Cardinalibus, & in Clericis Cameræ, aliisque Prælatis qualificatis ista fraus, attamen id non tollit argumentum, quoniam quotidiana experientia, & praxi docente fraudes nimiùm frequenter, & in summis notabilibus, quæ ita committi solent insciis ipsis Cardinalibus, & Prælatis, qui in bona fide versantur pro eorum famulos, & Ministros, præsertim verò per eos qui Præfecti vulgò Magistri Domus dicuntur, per quorum manus frequentiùs hæc negotia pertractantur, vel quia Dominos decipiunt, præsupponendo quod sarcinæ, vel involucra, sive arculæ contineant res modici valoris propriis, ac domesticis usibus proportionatas, cùm tamen contineant merces aureas, vel sericas, aliasque similes longi valoris ad mercaturam, colludendo cum mercatoribus, à quibus cum aliqua diminutione pretium franchitiarum exigunt, vel alios similes adhibendo fraudis modos, quibus aliàs occurri non potest, quamvis Dominus in mandatis explicaret, uti faceret deberet, quidnam contineretur in arcbis, & involuctis, quoniam nisi aperiantur, & perquirantur, id servit de vento ea dicta ratione quod possunt stare simul quod Domini dicant verum, atque in optima versentur fide, & tamen, quod per eorum famulos, & Ministros, præter, & contra eorum voluntatem fraudes committantur, ut rectè adinunet Alberic. de Rosate *in l. si publicanus §. de rebus ff. de publican.* relatus per Boer. *dec. 213. n. 6. & seqq. per hæc verba: Cardinales communiter mittunt familiares suos ad faciendam provisionem, & emendum Bladum, Vinum, & alia necessaria pro eorum usu, & ab eorum reverentiam communiter nullus Dominus exigit à talibus pedagia, undè familiares volentes lucrari non solùm necessaria pro usu Cardinalium, & eorum familia, emunt, & exportant in Civitatem multò plus, sed si de tali fraude appareret, locus esset pœna*, & in fine hujus Paragraphi describit honorificum fore, si Cardinales Epistolam scriberent, in qua quantitas contineretur.

29 Hinc proindè in antiquis Statutis, vel Capitulis Dohanarum, & præsertim sub Julio III. ab eodem enunciatis, & confirmatis, quæ habentur in Bullario veteri Sixti V. apertura, & perquisitio demandatur etiam in bonis, quæ introducuntur per Principes, vel eorum Oratores, cum ea solum istorum prærogativa, in iis tamen bonis, quæ introducantur in ipso primo ingressu, non autem successivo tempore moræ, quod non adesset necessitas asportandi arculas, ac sarcinas, & involucra ad Dohanam, sed directè asportari possent ad proprias Domos, in quibus tamen per Dohanæ Ministrum fieri posset, ac deberet apertura, & perquisitio, unde edocemur quàm immutati sint mores, ob regentium pro tempore conniventias, ac respectus, vanosque timores, qui sub nomine prudentiæ utiliter, ac indebitè palliari solent, ex quibus huic Principatui adeò magna invaluerunt præjudicia, quæ in dies magis crescunt, dum etiam de ipsismet Principibus in edictis, aliisque provisionibus fiebat mentio, atque etiam in eis demandabantur, & practicabantur hujusmodi aperturæ, & perquisitiones.

30 Ad his autem omnibus occurrendum dicebam illam videri meliorem viam, seu provisionem, quæ in plerisque Civitatibus, & emporiis præsertim magis prudenter, ac laudabiliter introducta est in Clericis, & personis Ecclesiasticis, quod omnes indefinitè, ac pariformiter tractari deberent in solutione Dohanarum, & Gabellarum, in fine verò anni, vel mensis bonificari, vel restitui id, quod ipsæ Gabellæ, & Dohanæ importare potuerunt in Taxa verisimili, vel universali, ut ita major familia unius, compensata remaneat cum minori alterius, juxta casus, de quibus *disc. 54. de Regal. & disc. 5. in hoc Miscell.* & alibi, vel in qualibet persona pro numero, & qualitate ejus familiæ, ut de hoc temperamento habetur *disc. 58. de Regal.* & alibi plurius, ubi Concordantes allegantur.

ROMANA TAXÆ VIARUM.

Votum.

De exemptionibus, & Franchitiis à taxis, & contributionibus pro refectionibus pontium, viarum, quibus in Urbe competant, & quomodo intelligi debeant.

S U M M A R I U M.

1 *DE introductione tribunalis Magistrorum viarum in Urbe.*
2 *Quomodo fiant taxæ, & contributiones pro refectione viarum.*
3 *De franchitiis Cameralium.*
4 *Occasio scribendi.*
5 *Distinguuntur inspectiones, & de differentiis inter eas.*
6 *Quando privilegium dicatur concessum ex gratia, & ex causa lucrativa, & quando ex causa onerosa, & correspectiva, & sic ex justitia.*
7 *Quid in hac materia disponatur per jus civile.*
8 *Quare immorandum non sit in dictis legibus, vel in authoritatibus Doctorum exterorum.*
9 *Ad quid dictæ leges, & auctoritates attendi debeant.*
10 *An, & quando Ecclesia, & persona Ecclesiastica teneantur ad collectas, & contributiones pontium, & viarum?*
11 *De ratione franchitiarum Cameralium.*
12 *De rationibus ob quas in refectionibus concernentibus privatam utilitatem exemptiones non suffragantur.*
13 *Franchitiæ debent cessare, ubi resultet iniquitas.*
14 *Concluditur pro non exemptione Cameralium.*
15 *Consideratur praxis in viis Urbanis.*
16 *In quibus verificetur privilegium.*
17 *Quid referat privilegium non esse Papæ, sed Camerarii?*
18 *Quale argumentum desumatur ex eo quòd Ecclesia, et Ecclesiastici non sunt exempti.*
19 *Quando, et qua ratione Papa supponat Ecclesiasticos gabellis.*
20 *De refectionibus viarum in anno Jubilæi.*
21 *Quid in hoc operetur observantia.*

D I S C. XLVIII.

VEritati, quæ soli Deo pro certo cognita, locum relinquendo, qualis fuerit status Urbis, ejusque districtus post tot Barbarorum antiquas incursiones, ac Romani Imperii in Occidente, præsertim verò in Italia dissolutionem, super Tribunali Ædilium, seu Magistrorum viarum pro istarum conservatione, ac reparatione usque ad finem sæculi decimi tertii; Certum est quod per totum sæculum decimum quartum, & partem decimi quinti, ab anno scilicet 1305. in quo Clemens V. Apostolicam sedem in Galliam transtulit, usque ad annum 1425. in quo Martinus V. præfatum antiquum, & celebrem Ædilium Magistratum restituit, iste in desuetudinem, ac oblivionem transierat, nullusque viarum conservationis, ac refectionis ordo habebatur, quoniam partim ob præfatam Apostolicæ Sedis absentiam ab Urbe, totaque Italia, & partim ob longævum, ac teterrimum schisma, quod penè illicò post ejusdem Sedis regressum exortum est, in Constantiensi Concilio abolitum cum præfati Martini insolita electione secuta de anno 1417. omnia in magna fuerunt confusione. Post dictam itaque præfati magistratus erectionem à Martino factam per ejus constitutionem 9. diversasque formas eidem Magistratui traditas per Sixtum IV. Pium IV. Gregorium XIII. & alios, ille inolevit usus in Urbe, ejusque agro, vel districtu, quod viarum publicarum, seu consulatium, campestrium, seu rusticarum refectio, & conservatio fieret præfati magistratus cura, & authoritate, illa etiam admixta Cardinalis Camerarii per taxas, & contributiones faciendas per dominos, & possessores Casalium, tenutarum, viarum, & prædiorum adjacentium pro illorum quantitate ad rationem cujusdam summæ pecuniariæ pro quolibet jugere, seu rubro in casalibus, & tenutis, in vineis autem pro qualibet petia. Cùmque in quolibet anno Jubilæi introducta esset latior refectio per totum Statum Ecclesiasticum immediatum, cum cura, & authoritate 1

2

tate Præsidentis viatum, ejusdemque Tribunalis Ædilium, adhuc idem tenetur est modus taxæ, vel contributionis pro quantitate prædiorum adjacentium infra districtum, vel agrum Romanum, extra verò taxantur communitates pro cujuslibet territorii quantitate, vel respectivè pro majori, seu minori usu, ut de his patet *disc. 139. cum duobus seqq. de Regal. & disc. 6. in relatione Curiæ*, ubi de hoc magistratu Ædilium, seu Magistrorum viarum,

3 Cùm autem ex quadam antiqua consuetudine enunciata *disc. praced.* Clerici Cameræ, aliique ejusdem Cameræ officiales, & ministri in ea sedentes sub Cameralium vocabulo nuncupati soliti, eodemque *disc. praced.* enunciati, gauderent immunitate à dohanis, & gabellis, aliisque oneribus, atque super hac immunitate, consueverint etiam ab antiquo expediri privilegia, seu literæ patentes per Cardinalem Camerarium, atque circa finem sæculi decursi, de anno scilicet 1597. in aliquibus ex hujusmodi literis difformiter, uniformiter tamen circa initia sæculi currentis de anno scilicet 1611. adjici consueverit immunitas etiam taxis, collectis, & contributionibus pontium, & viarum; hinc inolevit prætensio eorundem Cameralium possidentium casalia, tenutas, vineas, & prædia in agro, vel districtu, non subjacendi hujusmodi taxis, & contributionibus, supportando tamen semper onus refectionis viarum urbanarum ante proprias domos, aliaque urbana ædificia; Prout etiam aliqui adessent Barones, & loca pia istam exemptionem ex Apostolico privilegio expresso habentes, cum onere tamen reficiendi vias adjacentes propriis casalibus major itaque exemptio grave causaret onus, ac præjudicium aliis tam privatis quàm Ecclesiis, & locis piis possidentibus casalia, vineas, & prædia, quoniam ita per quoddam jus accrescendi, longè major fiebat eorum contributio, quod pro tempore annorum triginta
4 ta quatuor, in quibus in Urbe, dum hæc scribo, moram traxi, semper audivi nimium molestè ferri, atque cum aliquo scandalo conquæstiones fieri, initio verò Pontificatus Innoc. XI. hujusmodi conquæstiones fuerint majores, quàm omnes aliæ, quæ super aliis abusibus, & inconvenientibus haberentur, ut ego præ cæteris non quidem occasione muneris Auditoris Papæ, sed alterius Secretarii memorialium sum expertus, idcircò Pontifex ex ejus consueto summo justitiæ, ac pietatis zelo motus particularem octo Prælatorum Congregationem instituit ad effectum exquirendi ab eis votum, quomodo pro justitia istam materiam regulare deberet, quare cùm ego unus ex his octo fuerim, idcircò meum desuper efformavi votum,

5 Dicebam itaque pro methodica quæstionis pertractatione duas videri efformandas inspectiones; Unam nempè illorum exemptorum, qui hanc exemptionem habeant in individuo cum speciali privilegio causativè concesso ob ipsam præcisam causam refectionis, vel conservationis quia nempè ipsis ut supra injunctum sit suas reficiendi vias in illis partibus, quæ eorum prædiis cohæreant: Et alteram illorum, qui habeant privilegium generale exemptionis a gabellis, aliisque oneribus inter quæ istud viarum enumeratur. Magnum siquidem discrimen inter unum, & alterum casum dignoscitur. In primo nempè non intrat quæstio potestatis, quæ cadit in altero concessionis factæ per Cardinalem Camerarium, cùm privilegia directè ac immediatè per summum Pontificem concessa sint minusque intrat aliqua quæstio voluntatis, vel interpretationis & quam speciem taxæ, vel contributionis, hujusmodi privilegia habent, ut cadit in altero, ut infra, dum privilegium est expressum, ac speciale, incapax proinde interpretationis; Unde intrare videtur inspectio, an istud privilegium cadat sub Constitutionibus revocatoriis quoniam illæ loquuntur de gabellis, aliisque publicis oneribus Cameralibus, adeout privilegiativa exemptio percutiat interesse, ac præjudicium Cameræ, ut earum tenor ostendit, ac propterea solùm cadere videtur inspectio, de qua *disc. 148. 177. & 195. & in aliis eod. tit.* An scilicet hujusmodi privilegia tanquam injusta, & læsiva tertii, cui præjudicialia sint, mereantur, necne revocationem?

6 In hoc itaque puncto dicebam quæstionem videri potiùs facti, quàm Juris ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis decidendam, ideoque incapacem esse regulæ generalis, an scilicet onus injunctum refectionis de proprio æquivaleat necne taxæ, vel contributioni, quam alias privilegiatus facere deberet, si privilegium non haberet, adinstar eorum, quæ *disc. 10. & 65. vel 66. de jurepat. & alibi*, habentur in materia jurispatronatus ex privilegio Apostolico quando cadat sub revocatoriis, vel respectivè sub reservationibus, & sic an dicatur competere ex gratia, vel ex Justitia, cum similibus, ubi namque æquivalentia oneris non adsit, adeout dici valeat privilegium ex gratia potiùs, quàm ex justitia, tunc dicebam quod ea ratione præjudicii tertii revocationem mereretur, deducto à simili argumento ab enunciatis Constitutionibus Apostolicis revocatoriis Franchitiarum, cum aliis quæ habentur *d. disc. 148. 177. & 195. de regal.* secus autem ubi è converso adesset æquivalentia, vel præponderantia talis, quod excluderet læsionem, dum ita privilegiũ potius continere videtur quendam implicitum contractum per organum Principis initum inter privilegiatum, & alios Dominos Casalium, & prædiorum, quoniam nisi privilegiatus reficeret in proprio, taxa, vel contributio esse deberet major, ideoque decisio pendet ex facto potiùs quàm ex jure.

Quo verò ad alteram inspectionem Cameralium habentium ut supra privilegium generale exemptionis ab omnibus gabellis, contributionibus, & taxis, etiam pontium, & viarũ, juxta enunciatam modernam superadditionem; Quamvis Scribentes pro impugnatoribus istius exemptionis nimiùm insisterent in iis, quæ per leges civiles disponuntur, & præsertim per Textum *in l. fin. §. patrimonium, ff. de muner. & honor. l. ad instructionem, C. de sacrosan. Eccl. l. ab sit, C. de privil. domus Augustæ, l. 10. §. ad hæc, Auth. de Eccles. tit*, in quibus disponitur, quòd in hac materia nulla penitus datur exemptio. E converso autem per Scribentes pro exemptis multa dicerentur super dictarum legum dispositione, ac intelligentia, magnaque fieret pro consueta modernorum juristarum authoritatum cõstreinatio, quorum multi habentur relati per Borell *de præstantia Reg. Cathol. cap. 7.* non distinguendo loca, tempora, leges, & mores, cum quorum præsupposito Doctores respectivè loquuntur; Inanem, improbumque laborem istum esse dicebam, quoniam in ipsamet omnium fortè magis exigua nostra Italiæ Provincia ex- 7
perimur in tot divisa Principatus nimium diversæ sunt leges, nimiumque diversi mores, ac styli super hujusmodi contributionibus, & taxis pro viarum, & pontium refectione, conservatione, ac etiam nova constructione; Ideoque multò minus in hoc attendi debent leges *Codicis*, & *Authenticorum* editæ in Græcia pro illius regionis moribus, minusque aliæ contentæ in *Digestis*, quæ propterea præsupponuntur conditæ in Urbe Roma, quamvis earum elocutio præsertim *in l. fin. ff. de Muner. & honor.* nimium de hoc dubitandi præbeat rationem, quodque sit apochrypha lex Græca ibi inserta, cùm pariter in hoc nimium quoque varii essent mores Romanorum, ut reliquiæ celebrium viarum Appiæ, & Flaminiæ, ac similium docent antiquo tunc vigente enunciato Ædilium curulium Magistratu, qui diversas leges, diversosque stylos habebat, ac propterea cùm juxta præmissam facti seriem in moderna Roma post jam omnino abolitum, atque in oblivionem habitum dictum antiquum magistratum, omnino novus à Martino V. citra creatus fuerit sub diversis legibus, diversisq; stylis, etiam postmodum tractu temporis immutatis, quodque pro currenti stylo non habetur usus taxæ, vel contributionis personalis eo modo, quo est in aliquibus Principatibus, & præsertim in adjacenti Regno Neapolitano, ex relatis per Borell. *de præstantia Regis Catholici, d. c. 7.* sed solum est in usu taxa realis pro modo prædiorum adjacentium, prout *d. disc. 139. & 141. de Reg.* Idcircò cum ista lege propria, & particulari procedendum est, atque clarus reputari meretur error procedentium cum dictis antiquis legibus, vel cum authoritatibus illorum, qui juxta leges, ac stylos diversorum Principatuum loquuntur, cùm solùm hujusmodi leges, & respectivè authoritates attendendæ, vel ponderandæ veniant pro interpretatione propriarum legum, quando istæ ambiguæ sint, ac interpretatione indigeant.

Quatenus itaque ad hanc propriam, & peculiarem legem pertinet, præsupposita ex abundanti potestate Cardinalis Camerarii faciendi in solis literis patentibus franchitiarum præfatam modernam additionem, de qua potestate nimium dubitari posset, adhuc videbatur injustam esse, tualèque fundatam istam Cameralium prætensionem, quamvis privilegium præfatum directè, ac immediatè concessum esset per ipsummet Papam, ex defectu voluntatis, seu veriùs ex capite non comprehensionis casus controversi. 9

Ad id autem probandum ponderabam distinctionem in hac eadem materia pluries traditam in proposito clericorũ, aliarumque personarum Ecclesiasticarum, quibus immunitas à gabellis, aliisque oneribus competit de jure communi Ecclesiastico, quinimò juxta opinionem canonistarum, quam Romana Curia sequitur etiam de jure divino, præsertim *disc 58. & 59.* ac etiam *disc. 141. de Regal. & supra in hoc Miscell. disc. 3. & 4.* quòd scilicet duæ sunt species refectionis, vel constructionis viæ publicæ, Una quæ principaliter directa est ad commodũ publicum in universum pro majo- 10

ita ... ri

ri facilitate, & commoditate commercii, omniumque iti-
nerantium, sive habeant agros, & casalia, aliaque bona ad-
jacentia, sive non, & pro qua refectione, vel constructione
imponi solent collectæ, vel contributiones populares, quæ
adinstar aliarum collectarum, & gabellarum sint merè per-
sonales, vel etiam mixtæ, utpotè impositæ personis ad
mensuram bonorum tam stabilium, quàm mobilium, ac
sive adjaceant viæ, sive non, ut vulgò dicitur per æs, &
libram, ut exempli gratia est illa contributio, quam in di-
cto Regno Neapolitano Rex pro refectione viarum, & pon-
tium exigit ad rationem tot granorum pro quolibet focula-
ri enunciata per Borell. d.c.7. quamvis accessoriè, & per ac-
cidens aliqui privati qui agros, & prædia propè viam pos-
sident aliquod majus commodum, ac majorem utilitatem
reportent. Et altera est illa refectio, vel constructio quæ
primariò, ac principaliter ordinata sit ad commoditatem,
& utilitatem privatorum possidentium agros, & prædia pro
asportatione fructuum, aliisque eorumdem prædiorum usi-
bus; & ad quem effectum fiat taxa, vel contributio merè
realis idest pro modo agrorum, & prædiorum adjacentium,
quorum usui via deserviat, non curata possessorum quali-
tate, & an sint cives, vel forenses, vel subditi, sive exem-
pti, quamvis exinde accessoriè resultet utilitas, & com-
moditas publica, & popularis omnium itinerantium.

11 In prima etenim specie, ut locis citatis advertitur, intrat
atque suffragatur immunitas Clericorum, & Ecclesiarum,
aliarumque personarum Ecclesiasticarum, quoties non ve-
niuntur requisita desumpta ex celebri *cons.* 3. Abb. Secus
autem in altera, ex rationibus recensitis *dicto disc.* 58. &
59. *de Regal.* & *suprà, hoc t. disc.* 3. & 4. quoniam si Clerici
non supportant juxta primam speciem hæc onera popula-
ria, quæ à solis laicis supportantur, ipsi è converso suppor-
tant alia onera spiritualia, quæ non supportantur à laicis,
qui ex eis utilitatem, ac beneficium reportant, ideoque in-
trat mutua compensatio, ac etiam regula, quod qui in uno
gravatur, in altero relevari debet, & è contra. Dictaque
ratio in his officialibus Cameralibus adinstar videtur veri-
ficabilis, quod scilicet cùm ipsi supportent pro servitio Rei-
publicæ, omniumque populorum levamine, ac regimine
onus curæ, & administrationis peculii publici, quod alii
de populo non supportant, à justitia, & ab æquitate, illo-
rum immunitas censenda non est aliena.

12 In altera verò specie eorum quæ principaliter concer-
nunt privatam commoditatem, ac utilitatem ista ratio non
intrat, sed potiùs immunitas adversatur ipsi juri naturæ
prohibenti locupletationem de alieno invito Domino, ipsi
namque humano discursui repugnat, ut vicinus cogendus
veniat impensam facere de proprio in eo, quod concer-
nat privatam utilitatem, vel commoditatem vicini, dum,
ut advertitur locis supra citatis, & præsertim *d. disc.* 58. *de*
Regal. hujusmodi refectiones, vel constructiones, ac re-
spectivè taxæ, & contributiones quamvis fiant cum publi-
ca authoritate magistratus, attamen id sequitur in gratiam
eorundem privatorum pro minori sumptu, ac meliori
opere, quod fit uniforme, dum in hujusmodi, ac similibus
13 operibus unius negligentia inane reddit omne opus, om-
nemque sumptum, & laborem aliorum, ut etiam advertitur
sub t. de serv. disc. 46. occasione agendi de expurgationibus
locustarum, similiumque rerum, adeout Magistratus pu-
blicus œconomicam potiùs, quam jurisdictionalem, sive
politicam partem in hoc facere videatur, quod præsertim
de tempore hujus disputationis magis convincenter probari
videbatur ex eorum contingentia, quod scilicet aliqui
actuales Camerales, ac etiam illi qui dimisso officio eis-
dem franchitiis de facto potiebantur, ob magnas divitias
postmodum in eos obventas, adeout eorum aliqui in ma-
gnatitio ordine constituti essent, magnas tenutas, & Casa-
lia, vel prædia possidebant, adeout eorum franchitiæ cre-
scere facerent onus aliorum in duplo, & fortè plusquàm
data æquali omnium contributione taxa importaret, quod
14 quidem apertam redolere videbatur iniquitatem, & injusti-
tiam, dum præsertim plerique admixti sunt pauperis, vel
nimiùm privatæ fortunæ possessores vinearum, vel exiguo-
rum agrorum, ac propterea quando etiam esset clarum, &
expressum privilegium ipsiusmet Papæ, quodque percute-
ret casum præcisum, adeout nulla caderet dubitatio tam
potestatis, quàm voluntatis, & comprehensionis, adhuc
tamen locus esse deberet revocationi, vel moderationi,
juxta terminos text. *in Capitul. suggestum, de Decimis*, &
juxta theoricam Bartoli *in l. inter stipulantem*, §. *sacram*,
ff. de verb. oblig. ex insinuatis disc. præcedenti.

Hinc proinde (applicando ad rem) concludebam, quod
etiam ordinariæ, & currentes taxæ, vel contributiones,
quæ fiunt in Urbe inter possessores Casalium, & tenutarum,
ac vinearum, aliorumque agrorum, & prædiorum essent
juxta hanc secundam speciem privatam, idcircò posita et-
iam subsistentia privilegii etiam quoad taxas viarum, &
pontium, adhuc illud non posset plus operari quàm opera-
tur ipsa immunitas Ecclesiastica, quæ competit de jure
communi Ecclesiastico, imò Divino ut supra, tribus po-
tissimè considerationibus accedentibus. Primò nempè ob- 15
servantia in constructione, vel refectione viarum urbana-
rum in Civitate quod omnes pariformiter concurrunt abs-
que aliqua discretione privilegii, vel exemptionis, dictæ
siquidem literæ patentes loquuntur de viis tam in Urbe,
quàm extra, & tamen observantia docet contrarium, unde
liquet quod juxta præmissam distinctionem intelligi debeat
hoc Privilegium, quod tanquam regulariter odiosum,
& tertio præjudiciale, strictè, & rigorosè intelligendum
est; ac sufficere deberet quod non sit inane, sed aliquam
faciat operationem, ut ita quominus fieri potest jus tertii
lædat, juxta veras, & receptas pluries enunciatas propo-
sitiones; verificari namque potest in illis taxis, & collectis
popularibus, & personalibus, vel mixtis, quæ fiant ob
istam causam viarum, & pontium in aliis Civitatibus, &
locis, in quibus ipsi bona possideant.

Secundò quia privilegium non est ipsius Papæ, sed Came- 16
rarii, ac propterea enunciatus defectus potestatis, quando
etiam omnimodus admittendus non esset, adhuc nimium
considerabilis videtur pro interpretatione, ita regulando
juxta receptum axioma voluntatem à potestate; Si enim
certum, ac receptum habemus principium, quòd concessio-
nes, & privilegia ipsiusmet supremi Principis intelligi de-
bent sine præjudicio tertii, velut quominus fieri potest, istius
jus lædatur, ut frequenter sub diversis materiis advertitur,
quod si generaliter procedit in quocunque Principe, multò
magis in Papa, qui per ejus regulam *de jur. ter. quæsit. non* 17
tollendo id expressè profitetur, ac multò magis dicendum
est in inferiori magistratu, qui volens non potest facere id,
quod supremus Princeps facere potest, quando velit, ita
regulando voluntatem à potestate; Potissimè quia etiam in
ipsomet Camerario non improbabiliter defectus etiam vo-
luntatis considerari potest, quòd scilicet cùm consuetudo
sit subscribendi solita edicta, vel solitas provisiones in fide
Notariorum, ut quotidiana praxis docet absque accurata
lectura omnium in eis contentorum, ita hæc superadditio
ad petitionem interessatorum ex complacentia potius No-
tariorum fieri cœperit, deindeque paulatim transierit in
stylum, ut etiam habetur *disc. præcedenti*.

Et tertio fortiter quoniam ex antiqua observantia à pro- 18
visionibus Apostolicis comprobata, præsertim recentibus
Alex. VII. & Clementis IX. personæ Ecclesiasticæ etiam in
Episcopali, & Cardinalitia dignitate constitutæ, ipsæque
Ecclesiæ etiam privilegiatissimæ Patriarchales, non gau-
dent hac exemptione, quod ad evidentiam comprobat præ-
fatam distinctionem, capiendo Apostolicas provisiones non
in ratione derogationis Ecclesiasticæ immunitatis ex Ponti-
ficia potestate, ut superficiales opinari solent, sed in ratione
declarationis ejus quod est de jure, ac juxta terminos justi- 19
tiæ; quoniam immunitati Ecclesiasticæ, utpotè juris Divini
Pontificia potestas non derogat, & quamvis contrarium do-
ceat in hoc Principatu praxis in dohanis, & gabellis, aliisque
publicis oneribus, quod etiam Ecclesiæ, & personæ Eccle-
siasticæ eis supponi solent, attamen id provenit ex rationi-
bus latius ponderatis *disc.* 56. *de Regal.* ubi videri possunt, nè
superfluè idem repetatur, quæ nullatenus congruunt, nec
adaptari possunt huic taxæ, vel contributioni.

Aliqua dubitandi ratio cadere posse videtur in illa magis 20
generali taxa, vel contributione, quæ fit pro reaptatione
viarum in anno Jubilæi; & de qua particulariter agitur *d.*
disc. 141. *de Regal.* quasi quod tanquam universalis, atque
principaliter ordinata pro commoditate Peregrinorum
censenda potiùs veniat de prima specie superius distincta.
Verùm quidquid sit in reliquis Civitatibus, & locis Status
Ecclesiastici, & an procedatur per viam collectæ persona-
lis, vel realis juxta cujuslibet Communitatis usum, quod
nunc examinare non oportet, certum est quòd in agro, &
districtu Romano hæc species non differt ab altera currenti,
& ordinaria merè reali, nisi quòd isto tempore refectio se-
quatur cum aliqua majori diligentia & authoritate, quod-
que in singulis viis præfectura, seu præsidentia unius Car-
dinalis adjungi solet, quod non mutat speciem.

Nullius verò momenti videbatur observantia, in qua 21
aliquod fundamentum ex parte Cameralium constitueba-
tur,

tur, quasi quod illa fuerit conformis ab anno 1611. citra, & sic per spatium annor. circ. 65. tum quia in facto controvertebatur, quoque successivis temporibus aliqui Camerales solvissent ejusdem observantiæ introductione resultante quoque à contraria praxi viatum urbanarum, dum privilegium pariformiter loquitur tam in Urbe, quàm extra, nullaque inter unam, & alteram speciem dignoscitur differentia; ideoque ubi observantia non sit univoca, & uniformia non suffragatur, ex deduct. disc. 21. de judic. & alibi pluries; Tum quia posita etiam observantia continuata, & non interrupta, nequaquam sufficeret, quoniam ex præmissis in secunda specie non esset interpretativa, sed præscriptiva, juxta hodiè notoriam sæpiusq; insinuatam distinctionem, de qua præsertim d. disc. 21. de judic. Hoc autem posito, certum videri dicebam non adesse sufficientem præscriptionem ex pluribus. Primò enim in universitate possidentium tenutas, casalia, & prædia admixtæ sint Ecclesiæ Patriarchales Urbis, & aliæ, ac etiam Religiones, & præsertim Cassinensis, quæ habent privilegium Ecclesiæ Romanæ super centenaria præscriptione, ita abesse dicitur primum substantiale requisitum temporis. Secundò quia dici potest abesse aliud substantiale requisitum bonæ fidei ex eisdem considerationibus, de quibus disc. præc. Tertiò quia cùm inter possessores admixti sint pupilli, & ignorantes, ac etiam Ecclesiæ, & loca pia; Vel tempus non currit, vel intrat restitutio in integrum, ex deductis eod. disc. 21. de jud. Quartò quia turbida est possessio pacifica ut supra; Et quintò in idem, quia cùm agatur de jure incorporali non constat de scientia, & potentia omnium possessorum, quinimò notoriæ fuere conquæstiones, quodque observantia provenerit potiùs ex eo quod ipsimet Camerales essent in hac materia judices in causa propria, ideòque istud motivum præscriptionis nullo penitus consideratione dignum videbatur.

Licèt enim quoad actus contrarios solutionem hujusmodi taxæ, vel contributionis per aliquos Camerales diversis temporibus factarum, responderetur, quòd ipsi non poterant præjudicare aliis eorumque Cameralium ordini, ex regula quòd factum singulorum attendendum non est in præjudicium Collegii, vel universitatis, vel ordinis; Nihilominus ista non videbatur relevans responsio, quoniam id rectè procederet quando immunitas, vel alia prærogativa ordinis, vel universitatis, seu alterius corporis politici fundata esset in Jure, vel in privilegio certo, valido, adeòut observantia deduceretur tanquam privativa istius juris aliàs competentis, cùm tunc dicta propositio sit vera, rectèque intret; Secus autem ubi exemptio, vel prærogativa de jure Universitati, vel ordini non competat, sed ea præsumatur ab observantia præscriptiva ut supra; quoniam tunc ad effectum ut illa talem operationem facere valeat, esse debet uniformis, ac pacifica absque aliqua interruptione, adeòut unius actus contrarius illam impediat, quinimò solus contrarius rumor, sive contradictio sufficiens reputatur, quoniam non est destruere id quod alias competat, ac tollere jus quæsitum, quod redolet speciem pœnæ, sed est se opponere juri quærendo, ac impedire ne quæratur, ut advertitur eod. disc. 21. de jud. & conferunt quæ circa differentiam juris quæsiti, vel quærendi habentur disc. 30. de benef. & magis ad rem habentur disc. 1. de servit. & in ejus adnotationibus circa non usum, vel contrarium usum legum, quòd scilicet magna differentia est inter illum non usum, vel illum contrarium, qui deducitur pro destructione legis jam extantis, & obligatoriæ; Et illum non usum, vel usum contrarium, qui deducatur ad impediendum ne lex oriatur, & non exeat, cum similibus.

ROMANA
IMMUNITATIS DUODECIM FILIORUM,
Votum.

De immunitate duodecim filiorum quando, & quomodo competat.

SUMMARIUM.

1 *Unde proveniat abusus in Curia circa franchitias.*
2 *De Apostolicis Constitutionibus super hac immunitate duodecim filiorum.*
3 *Occasio scribendi.*
4 *Distinguuntur puncti, seu quæstiones.*
5 *Recensentur authoritates agentes de ista immunitate.*
6 *Quomodo illa attendi debeant in Urbe, & cum quibus regulis in ea procedi debeat.*
7 *De quo propriè in hoc discursu agatur.*
8 *Quòd filii religiosi professi veniant in calculo.*
9 *Quid attentis Constitutionibus Apostolicis, & istarum dispositione.*
10 *Quando lex dicatur correctoria juris communis.*
11 *Quomodò intelligenda sint constitutiones super conviventia patris, & filiorum in communi.*
12 *De differentia inter diversas species filiorum religiosorum.*
13 *De exemptione filiorum superstitum mortuo patre.*
14 *Quomodo iste casus debeat regulari, & de efformatione corporis collegiativi.*
15 *Corpus non desinit esse per deficientiam aliquorum membrorum, sed conservatur etiam in uno.*
16 *Si fratres habitent in diversis locis, quibus immunitas competat.*
17 *De practica applicatione exemplificanda.*
18 *Quid de fœminis nuptis an gaudeant, vel si masculi ducant uxorem.*
19 *In quibus ista immunitas competat in Urbe.*
20 *De juramento præstando super usu proprio.*

DISC. XLIX.

Connaturales huic Principatui ob ejus electivam qua- 1
litatem, ob quam regimen in dies, & tempora notabiliter variatur ab antiquo esse consuetum abusus, & fraudes in Franchitiis, ac proptereà Pontifices aliquando coacti sunt atque in dies, & tempora coguntur provisiones, ac reformationes desuper facere, ut præsertim secutum fuit sub Paullo III. super ista præsertim franchitiæ specie, quæ resultat à numero duodecim filiorum, quoniam per ejus constitutionem 45. Bullar. veteris Sixti V. revocando omnes concessiones jam factas, statuitur ut ista immunitate duodecim filiorum gaudere solùm debeant illi, qui essent Cives, vel incolæ Urbis, atque haberent 2
verè duodecim filios, cum quibus viverent in communi, idemque postmodùm confirmatum fuit per Pium V. in ejus Constitut. 72. juxta ordinem Bullarii novi, quæ in dicto Bullario veteri est Constitutio 155. revocando scilicet omnes intermedias concessiones factas per intermedios Pontifices, etiam per seipsum, ac statuendo, quòd mandata franchitiæ subscribi debeant per patremfamilias si vivit, eo autem defuncto per natu majorem, aut illum, qui domus regimen habeat, quòdque franchitia serviat solùm pro usu proprio currenti, non curata accidentali mutatione status alicujus filiorum ratione Prælaturæ, ob quam oporteat, vel congruat habere majorem familiam, pro qua ista franchitia suffragari non debeat.

Cum itaque præfatum connaturale malum hujus Cu- 3
riæ, post hujusmodi provisiones denuò paulatim creverit, atque ad dictum antiquum, & forsan majorem abusum devenerit, ex iis quæ habentur in duobus præced. discursibus, agendo de franchitiis Cameralium, ac etiam fortè alibi, agendo de illis Oratorum, atque pluries enunciatus Pontifex Innocentius XI reperta Camera nimiùm obærata, nimiùm se applicaverit ejus levamini, istorumque abusum extirpationi, vel moderationi, atque mihi tanquam ejus Auditori præ cæteris injunxerit, ut hujusmodi operi particulariter vacare deberem, idcircò quoad ea, quæ concernunt illam franchitiam duodecim filiorum, eo modo quo in aliis votum, sed discursum pro veritate edidi, in quo de pluribus punctis actum fuit.
Primò nempè, & potissimè, an in numero filiorum pro 4
executione solitarum literarum patentium super hac immunitate, vel pro ejusdem jam obtentæ retentione per patrem adhuc viventem connumerari debeant illi filii, qui sint jam professi in aliqua Religione? Secundò quid ubi vivente, vel mortuo patre, numerus filiorum per mortem, vel per absentiam minuatur, vel quod aliqui ex iisdem adhuc viventibus non vivant ampliùs in communione cum aliis, sed seorsum? Et an, & quomodo hujusmodi duodecim filii, vel eorum aliqui originarii, vel domiciliarii aliarum Civitatum, occasionaliter autem in Urbe moram trahentes, ista immunitate in eadem Urbe gaudeant? Et tertiò quibus gabellis, & oneribus hæc immunitas suffragetur, & quibus non?

Cùm autem in congressibus desuper habitis, atque in 5
discursibus editis per aliquos Officiales Camerales, aliosque Advocatos adjunctos juxta stylum adhibitum in causis, de quibus disc. 1. & seqq. de Feud. & in aliis, procederetur cum terminis, & propositionibus generalibus, quæ in hac specie immunitatis duodecim filiorum habentur disposita in jure civili, atque dicuntur per DD. de quibus præsertim apud Constant. in l. si quis decurio, Cod. de Decurion. lib. 10. Rol. cons. 51. lib. 2. Andreol. contr. 283. Moles dec. Reg. Cam. §. 7. q. 9.

quæst.9. & seq. Ganaver. *dec.* 41. Sanfelic. *dec.* 391. Franch. *& Add. dec.* 532. qui de materia tractant, aliosque antiquiores referunt.

6 Dicebam idem, quod advertitur *disc. praecd.* circa taxas, & contributiones viarum, & alibi, certum esse generaliter, ac indefinitè procedere, cum iis quæ in jure civili disposita sunt, vel per DD. diversorum Principatuum dicuntur, quoniam cùm habeamus leges particulares contentas in præfatis Constitutionibus Pauli III. & Pii IV. cum illis præcisè procedendum est, potissimè quia idem Pontifex Innocentius XI. in motu proprio edito super franchitiis Cameralium, aliorumque immunium enunciatum *suprà disc.* 47. eaadamussim, ac inviolabiliter observari præcipit, ac etiam quia quilibet Principatus peculiares habet leges, vel stylos, cum quibus in hac materia proceditur, ideoq; dictæ leges & authoritates attendendæ veniunt in casibus omissis per leges particulares, vel pro earundem interpretatione, quando ambiguæ sint, ut advertit ut eodem *disc. praecd.* magisque generaliter *disc.* 35. *de Judiciis*.

Quidquid itaque sit de plerisque articulis, vel quæstionibus in hoc proposito disputatis per superius allegatos Doctores, ac alios per eos recensitos, quos superfluum est

7 transcribere, præsertim verò circa distinctionem, quæ fieri solet inter onera personalia, & realia, seu patrimonialia, & inter Decuriones, & privatos circa numerum duodecim, vel respectivè sexdecim filiorum, cum similibus, Ad rem nostram quæstio strictè percutit immunitatem, seu franchitiam à Dohana, aliisque Gabellis, quæ solvuntur pro introductione mercium, aliarumque rerum, dum pro mercibus, ac victualibus, aliisque rebus jam ingabelatis, quæ emuntur in tabernis, seu fundacis, & magazenis, & apothecis, nulla suffragatur exemptio; Atque super hoc individuo habemus præfatas Constitutiones disponentes, ut hæc immunitas suffragetur solùm patribus viventibus in Urbe in communione duodecim filiorum, idcircò ad limites istarum Constitutionum hæc immunitas practicanda est, non curando quid desuper disponant antiquæ leges civiles, vel quid dicant Doctores, quorum aliqui loquuntur juxta leges, vel stylos propriæ patriæ, seu Principatus, alii verò cum solis leguleica simpliciter procedunt cum dictarum legum civilium litera.

Descendendo itaque ad specialia, eom dictarum Constitutionum præsupposito; Quatenus pertinet ad primam quæ-

8 stionem, quæ principaliter ansam dedit huic disputationi, præsertim in quodam viro nobili Magnatitii, ac primarii ordinis, qui onustus duodecim filiis, qui pro magna parte erant fæminini sexus, atque earum unam, vel aliquas habebat Moniales jam professas in Urbe, forteque etiam in patria originaria diversi Principatus, an scilicet istæ venirent in calculo, necne? Illi Camerales, quibus ex debito officii magis incumbebat jura cameræ tueri, ac etiam alii, qui eis adhærebant, dicebant quod licèt juxta magis communem magisque receptam opinionem, religiosi professi veniant in calculo, quamvis de illis essent Religionibus, in quibus pro omninò mortuis habendi essent, etiam quoad successiones intestatas, vel fideicommissarias juxta distinctionem, de qua *disc.* 63. *& seqq. de Fideic.* & alibi pluries, illa ratione assi-

9 gnari solita, quòd cùm in jure disponatur, ut illi qui per naturalem veritatem sunt mortui in bello per servitio Reipublicæ, pro extantibus haberi debeant, multò magis haberi debent pro extantibus isti, qui per naturalem veritatem vivunt, atque ex legis potentia, vel fictione habentur pro mortuis Mundo ob militiam Christi; Attamen id procederet in terminis juris communis, non autem attentis præfatis Constitutionibus, quarum præsertim prior Pauli III. expressè disponit, ut hæc immunitas competere solùm debeat *illis dumtaxat, qui numerum duodecim filiorum supervivenrium habent quousque in communi vivunt, ac ipsa Urbe cum eorum familiis continuo degant* (sunt verba præcisa) idemque disponit altera posterior Constitutio Pii IV. ibi, *Et pro illis dumtaxat, quibus ob numerum duodecim filiorum concessa fuerint, & quousque duodecim illi superstites in communi vivent, in ipsaque Urbe cum eorum familiis continuo degent &c.* Et sic requiritur omnium duodecim filiorum convivencia in communi in Urbe, quod utique non verificatur in religiosis professis, qui etiam in ipsa Urbe; Magis verò si morentur extra, dici non possunt convivere in eadem domo in communi, dum vivunt in claustris omninò à paterna domo, & à seculo ita segregati, quòd pro mortuis reputantur.

10 His tamen non obstantibus contrarium censui probabilius, atque ita conclusum fuit, dum alii quoque in eadem devenerunt sententiam, adhuc scilicet locum habere præfatam conclusionem ponendi in calculo filios Religiosos professos utriusque sexus juxta dispositionem Juris communis, vel veriùs juxta communem sensum Doctorum ex Juris intentione, vel ratione desumptum, dum Constitutiones prædictæ in hoc nihil explicitè disponunt in contrariũ, minusque implicitè, per argumentum, quoniam ad hoc ut nova lex dicenda veniat correctoria implicitè per argumentum juxta nota, & recepta axiomata, opus est, ut alium apta non sit recipere intellectum, vel facere operationem; Ac propterea intret argumentum incompatibilitatis, vel fatuitatis; Secus autem ubi compatibilem recipiat intellectum, suamque faciat congruam operationem, quorum utrumq; de præsenti considerabam, quoniam demandata convivencia in Urbe cum filiis in communi, intelligenda non veniat ad præcisã literam judaico more, dum inter patrem, & filios, sub ejus potestate viventes, verè, & propriè non intrat communio, ideoque verificabilis non est dicta convivencia in communi, ac etiam penè unquam verificabile remaneret istud privilegium, cùm penè impossibile sit, quod perpetuò omnes 11
duodecim filii vivant insimul cum patre in eadem domo, quoniam si sunt fœminæ, oportet eas collocare in matrimoniũ carnale, vel spirituale, & si sunt masculi, quando agitur de hujusmodi numerosis familiis, oportet ut fratres præsertim natu minores diversam eligant viam extra domum, partim eundo ad bellum, partim ingrediendo Religionem, & partim vacãdo exercitiis literariis, vel mercaturæ, aut respectivè artificio juxta personarum qualitatem, & gradum, ac etiã quia esset in arbitrio filii inobedientis, & discoli, qui non vult vivere sub patris obedientia, & disciplina, sed vagari, privare patrem privilegio, vel impedire, ne illud assequatur, ideoq; verus, ac rationabilis sensus dictorum verborum esse videtur, ut iis excludatur immunitas, quæ juxta sequentem inspectionem frequenter prætendi solet, etiam hodie, magis verò tunc prætendebatur, ac de facto obtinebatur per patres, vel respectivè filios, qui alibi domum habentes, accidentaliter, ac singulari jure in Urbe moram traherent, adeout non verificetur convenientia collegiativa, & repræsentatio corporis politici, seu communitativi, ut in sequenti inspectione advertitur, isteque pro meo judicio videbatur verus hujusmodi constitutionum sensus, non autem ille penè impracticabilis, qui ut suprà prætendebatur, Ita tamen, ut dictorum filiorum religiosorum existentia patri suffragetur ad constituendum dictum Collegium, seu corpus politicum, ut intret immunitas favore patris conviventis cum filiis, vel mortuo patre, favore aliorum filiorum insimul conviventium, non autem favore ipsorum religiosorum, & aliorum extra domum conviventium.

Propterea in insinuato casu particulari, qui majorem dedit hujus disputationis occasionẽ, quia immunitas ob divitias 12
patris erat notabilis importantiæ, advertebam quod magna differentia constituenda videtur inter casum, in quo agatur de filiis masculis in aliqua Religione professis, & casum in quo agatur de filiabus fœminis, quæ professionem in aliquo Monasterio emiserint. Primi namq; casu pater omninò relevatur ab illorum filiorum onere, dum pro ingressu, & professione nihil solvitur, adeout omnis solutio regulariter prohibita sit ex deductis *disc.* 47. *& 48. de Regul. & alibi*, minùsque aliquod sopportatur onus pro substẽtatione, ac propterea cessat ratio gravis oneris, quamvis neque illa sit unica. Secus autem ubi agitur de filiabus Monialibus, per quas non cessat, sed potiùs notabiliter augetur patris onus, tam in dote, quam in eis constituere oportet, & solvere Monasterio, quam etiam in annuo notabili livello assignari solito, quod reputatur necessarium tanquam pars dotis, ut advertitur *disc* 145. *& 167. de Dote, & alibi*, ac ultra illud alias expensas in dies facere oportet juxta Urbis præsertim usum, vel abusum, ideòque dicitur durare, imò crescere onus.

Quinimò etiam in filiis masculis eadem ratio continuationis oneris pro Religionum qualitate intrare videtur, ut præsertim verificatur in Religione Sancti Joannis Hierosolymitani, quod pro susceptione habitus valdè notabiles impensæ fiunt, tam in processu super probatione nobilitatis, aliorumque requisitorum, ut patet ex deductis *disc.* 32. *& seqq. de Praeminentiis*, quàm pro solutione passagii, ac itinere, & mora in Conventu Melevitano, hisque expletis, ac professione emissa, durant, imò crescunt impensæ in Caravanis, ac in Triremium Præfectura, & in residentia in eodem Conventu, & quatenus ad domum redeant, cùm vivant more sæcularium, illorum ad instar indigent eadem, imo majori, & honorifica substentatione, & quoad alias Religiones claustrales, quamvis dictæ consideratio-

nes

nes non intrent, adhuc tamen in eorum plerisque habetur idem usus ab Ecclesia toleratus annuorum livellorum pro extraordinariis indigentiis, in quibus Religio non supplet.

Quo verò ad secundum punctum, seu quæstionem; an scilicet mortuo patre, ista immunitas competat filiis superstitibus, & quomodo. Quamvis Camerales illam indefi-
13 nitè controverterent ex eo, quod præfata Bulla Pauli III. cum verbo taxativo *dumtaxat*, disponat, ut competat patribus conviventibus cum filiis; Attamen ista oppositio videbatur omninò indebita, tum ob supervenientem alteram Constitutionem Pii IV. per quam præsupponitur Constitutio immunitatis mortuo patre, dummodo filii superstites vivant in communi, statuendo, quod mandata debeant subscribi per natum majorem, vel illum, qui curam, & regimen domus habeat, ac propterea ex hoc cessat omnis ratio dubitandi; Tum quia ubi etiam ista posterior Pii non adesset, adhuc tamen prior, neque id concludere, ut propterea dicenda esset correctoris juris communis, ubique in hac parte recepti, dum potiùs dici potest casus omissus, quinimò implicitè comprehensus, dum præsupponitur communio, quæ ut supra patre vivente non est verificabilis, atque si caderet dubietas, illa sublata remaneret per contrariam observantiam, quæ in omnibus dicitur optima interpres.

Hoc itaque pro constanti præsupposito, quod eadem immunitas concessa patri duret in filiis in communione viventibus, dum istud communionis requisitum explicitè desideratur per ambas Constitutiones, quibus stantibus extraneū, ac superfluum est quærere quid in terminis juris communis dicant DD. Deveniendo ad praxim, vel applicationem, quando ut frequentiùs contingit, secuta morte patris, filii diversas eligant patrias, vel professiones, & status, & præsertim præfatis Constitutionibus hanc immunitatem concedentibus illis tantū, qui in Urbe vivunt, ac morantur, quomodo illa practicanda sit quando pater alibi vixit, filii verò partim vivant in patria originaria, sive in loco domicilii patris, partim verò in Urbe, ut frequens praxis docet, qualis nempè locus attendi debeat, prout etiam quando inter fratres continuata dicatur, necne communio, quæ est hujus privilegii necessarium, ac essentiale requisitum.

Atque in hoc, quidquid varient Scribentes, qui pro
14 diversis legibus, ac stylis propriæ patriæ loqui solent, & an sufficiat, quod indivisa retineant bona paterna, tam ad istud, quam ad alterum effectum localitatis, ut suprà; Advertebam, quod in hoc præsertim puncto reflectendum est ad id, quod mea frequens est dicendi consuetudo, quod scilicet decisio regulanda non est à formalitatibus verborum, vel ab illis generalibus propositionibus, quæ in materia communionis habentur, sed spectari debet substantia rationis, cui hæc lex innixa est, sive finis, ob quem ista immunitas mortuo etiam patre durat, quod scilicet pater, & filii, quando ad hunc ascendunt numerum efformare dicuntur quoddam corpus universale, seu collegiativum ad instar Capituli Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, aut alterius similis corporis politici; cujus caput sit pater tamquam Prælatus, & prima dignitas, aut Præsidens, membra verò sint filii tamquam Canonici, vel Collegiales.

Efformato itaque isto corpore, si casus præbeat deficientiam Prælati, vel Præsidentis, & aliquorum Canonicorum, vel Collegialium, sive per mortem, sive per absentiam, aut
15 aliud impedimentum, non per hoc dicitur cessare corpus, quod adhuc durat, & conservatur, suaque retinet jura, & privilegia, quamvis ad duos, imò ad unum restringatur, ex deductis *disc.* 23. *de Benef. & disc.* 155. *de Regal. & alibi*, & sic attendi debet locus, ubi adhuc durat, suamque priorem formam communicativam, sive collegiativam illud corpus retinet, tamquam in loco ubi est caput juxta considerationes, de quibus in proposito competentiæ fori ex eo quòd bona essent in diversis locis *disc.* 87. *de Jurisd. & alibi*.

Et quoniam unum, & idem corpus non potest eodem tem-
16 pore esse in diversis locis, idcircò si ejus membra dividantur, quodq singulares personæ diversa habeant domicilia, quod nempè aliqui fratres adhuc remaneant in patria, alii verò accedant ad Urbem gratia insequendi Curiam, cum similibus, tunc attendi debet locus, ubi sit caput, sive de jure censeatur esse ipsum corpus intellectuale, singuli verò in Urbe, vel in alio loco permanentes non retinent hoc privilegium, quia non repræsentant corpus ad instar eorum, quę habentur *dis.* 21. *de præemin.* circa præcedentiam, aliisque prærogativas competentes Capitulo Cathedralis supra omnia alia Capitula Collegiatarum, omnesque Dignitates Diœcesis, quoniam non competunt illis singularibus Canonicis, qui associant Episcopum in visitatione, eò quia non repræsentant Capitulum, cum similibus; Et per consequens applicando ad rem, si corpus domus adhuc duret in patria, aliqui verò fratres occasione curialitatis, vel mercaturæ, seu aliàs morentur in Urbe, istis immunitas non competit; Nil obstante, quod ea competat omnibus insolidum, adeout etiam si cæteris defectis, unus tantùm remaneat, huic immunitas debita sit, quoniam id rectè procedit retento dicto præsupposito, quod totum jus hujus corporis universalis in ipso consolidetur, ad instar illius Canonici, vel Collegialis, qui solus superfit de Capitulo, vel Collegio, non autem ubi tamquam persona singularis consideretur, ut supra.

Et nihilominus, ubi etiam duo, vel alii præsentarent corpus universale, ipsique discedentes à patria ad Urbem accederent, non per hoc eis debet hæc immunitas prodesse, quoniam Constitutiones præsupponunt, quod privilegium per literas patentes Cameræ, seu Camerarii concedi solitum, concessum sit in Urbe illis patentibus, qui in ea viverent cum duodecim filiis, ideoque attenditur qualitas civilitatis, vel incolatus in Urbe de tempore concessionis, non autem, ut alia Civitate sentiente commodum hujus fecundę prolis, postmodum ea penè defecta, licitum reddatur aliquibus, qui super sunt istud eligere domicilium, dictaque immunitate gaudere, cùm id expressè Constitutionibus repugnare videatur; Si etenim ad earumdem Constitutionum, & præsertim posterioris præscriptum, respectu illorum, qui in Urbe vivant; ibique privilegium obtinuerint, si eorum aliqui, unus, vel plures mutant statum, ob quem majorem cogantur habere familiam, quia nempè Prælaturam, vel aliud munus suscipiant, hæc immunitas non suffragatur, multò minus suffragari debet exteris, qui in propria patria cum patre viventes, ibique obtinentes privilegium, postea in quodam meliori statu Urbem adeant, ideoque gaudere solum debent hoc privilegio in loco, in quo illud obtinuerunt, non autem in Urbe.

His autem sic stantibus, atque descendendo ad practicam 17
applicationem, si (ex.gr.) pater familias, qui in Urbe vivat ad præscriptum dictarum Constitutionum, vel eo defuncto, frater major natu, sive ille, qui aliorum fratrum, ac domus, regimen, & curam habet, introducat merces, aliasque res etiam pro illis filiis, vel respectivè fratribus, vel sororibus, qui degant in Monasterio etiam professione emissa, quia nempe Monasterium, vel Religio in hoc non suppleat indigentiæ, sive in Urbe, sive extra, debent gaudere immunitate, quoniam attenta rei substantia, seu veritate, ipse paterfamilias, vel eo defuncto, ipsum fratrum corpus Collegiativum, quod eum repræsentat, facit illam impensam, atque pro usu proprio illa bona deservire dicuntur; Idemque si studiorum causa, vel alia occasione filios, vel fratres respectivè in diversam Civitatem, seu locum mittat, cum similibus, quibus eadem congruat ratio, dum introductio sequitur in loco privilegii, & pro usu proprio patris, vel corporis, non curata materiali separatione personarum, cùm attendi debeat unio, seu communio totalis. Et è converso, si paterfamilias, vel corpus fratrum vivat extra Urbem, transmittat autem in Urbem bona ad unum, vel pluries filios, vel fratres respectivè, qui in ea ex causa studiorum, vel Curialitatis, aut alia occasione moram trahant, non intrat immunitas, quoniam non verificatur requisitum Bullarum, ut ipse paterfamilias, vel ipsum corpus collegiativum fratrum in Urbe vivat.

Si autem aliquæ filiæ fœminæ, vel respectivè sorores nu- 18
bant, ac propterea vivant sub cura, & administratione viri, qui ad hunc effectum habeat sibi constitutam dotem pro matrimonii oneribus, tunc non videtur, quod immunitas huic mulieri, etiam pro se ipsa, multò verò minus, pro ejus familia competat, quoniam immutavit statum, atque desiit esse de illo corpore, à quo ita dismembrata fuit ob diversam communionem initam cum viro, ad quem pertinet illi necessaria ad victum, & vestitum subministrare.

Major autem dubitandi ratio cadere videtur in casu, quo aliqui filii, vel fratres respectivè in eadem Urbe uxorem ducant, an ob hanc immutationem status dismembrari dicantur à corpore, necne, atque ubi adhuc uxorati continuent cum aliis fratribus in communi domo, & mensa vivant, ut tali casu adhuc dicantur esse de corpore immuni, neque jam quæsita immunitas amittatur in illis quæ pertineat ad ejus personam, attento primævo statu; Difficultas autem cadere potest quoad ea, quæ necessaria sunt pro uxore, & filiis, aliaque familia, quæ ista occasione adjuncta sit, atque tunc pro istis diversis personis non videtur, quod immunitas com-

competat ex dispositione earumdem Bullarum, ita dispositionem in casu Prælaturæ, quæ demonstrativè potius, quàm taxativè stare videtur, adhuc tamen ubi in contrarium adesset antiqua, & continuata pacifica non interrupta observantia, non modicam inferret difficultatem; Ubi verò aliqui nubant, atque cum uxore à domo communi recedant, tunc se efficiunt extraneos à Collegio, seu Corpore privilegiato, & immuni.

Demum quoad tertium punctum, à quibus scilicet oneribus
19 ista immunitas competat, ut superius insinuatum est, inanis labor esset reassumere quæstionem, adeò per DD. disputatam ex plene collectis per Ganavet. *dicta dec.* 41. Sanfelic. *dicta dec.* 368. & alios allegatos, an suffragetur pro solis oneribus personalibus, non autem pro patrimonialibus, seu realibus, vel mixtis, quoniam in Urbe, de qua strictè agitur, non habetur usus hujusmodi onerum, ut pro frequentiori contingentia praxis docet in aliis Regnis, vel Metropoliticis Civitatibus, illudque onus, quod reale potiùs reputatur taxæ, vel contributionis refectionis viatum, verè non cadit sub genere publicorum onerum, sed est potiùs privatum sub meliori œconomica administratione publici Magistratus, ut advertitur *disc. praced.* ideoque meritò in hac specie immunitas non intrat, sed publica onera consistunt in Dohana, ejusque augmentis, & annexis pro introductione mercium, aliarumque rerum, subrogata loco antiqui vectigalis, vel octavarii, & de quo pluries agitur *sub tit. de Regal.* præsertim *disc.* 65. *& seq* & in illis gabellis, quæ solvuntur insensibiliter in magis alterato pretio panis, vini, olei, carnium, piscium, aliarumque rerum ad victum, vel usum humanum deservientium, & de quibus etiam *eod. tit. de Regal.* pluries habetur actum; In istis itaque oneribus juxta dictarum Constitutionum dispositionem, ac etiam antiquam consuetudinem enunciatam *supr. d. disc.* 47 agen-
20 da de franchitiis Cameralium, exemptio competit solùm pro mercibus, & rebus, quæ ab eis introducuntur pro usu proprio, non autem pro illis jam ingabellatis, quæ emantur in apothecis, seu fundacis, & magazenis; Et nihilominus ista immunitas eodem modo, quo generaliter habetur non solùm in illis, qui sint immunes ex privilegio, sed etiam in illis, qui sint tales de jure communi Ecclesiastico, intelligitur ad limites usus proprii per veritatem, non autem per fraudem, ac mercaturam, juxta deducta *sup. disc.* 5. *& seq. & dicto disc.* 47. ac etiam pluries *d. tit. de Regal.* Ac propterea per easdem enunciatas Constitutiones Pauli, & Pii, nunc innovatas per Innocentium XI. per illos, qui faciunt mandata franchitiæ jurasi debent, quod severa illæ merces, & res, quæ introducuntur, deserviant pro usu proprio, & pro substentatione illius familiæ, quæ suo sumptu, ex necessitate, vel congruentia vivit, non autem ex causa industriæ, & mercaturæ, istudque juramentum antiquitus præstabatur etiam per Cardinales, & Clericos Cameræ, aliosque similes immunes, ut patet ex Capitulis antiquorum appaltuum sub Paulo III. Julio III. Paulo IV. & Pio IV. desiit postmodum adhiberi à temporibus Gregorii XIII. citra, & non improbabiliter ob excellentiam Ecclesiasticæ Dignitatis, quæ ratio non militat in hac specie, quod agitur de sæcularibus, ideoque dicebam, quod adhuc præstari deberet.

SENECEN.

TRANSLATIONIS CATHEDRALIS.

Votum in casu disputato in Congregatione Consistoriali.

An, & quando Ecclesia Cathedralis ab uno loco ad alterum ejusdem diœcesis transferri possit, ac debeat?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Causæ translationum sunt de majoribus, & ad quos effectus.*
3 *Quod super casu quæstionis nihil cautum sint in jure.*
4 *Per quos de hoc agatur.*
5 *In quibus terminis loquantur Canones desuper allegari soliti.*
6 *Quod hæc translatio importet alienationem.*
7 *In quo consistat alienatio prajudicialis.*
8 *Ecclesia Cathedralis formalis potest præsentari per plures Ecclesias materiales.*
9 *Necessitas translationis debet esse præcisa.*
10 *Episcopus potest residere in qualibet parte Diœcesis.*
11 *De casibus in quibus Episcopi non resident in Cathedrali.*
12 *Non ex eo quod Oppida Diœcesis sint majora Civitate, mutari debet Cathedra.*
13 *Expedit residere in loco de proprio dominio temporali.*
14 *De aliis circumstantiis ob quas magis expedit residere in antiqua Civitate.*
15 *De decreto* Gratiani, *quod non sit authenticum, ejusque Canones non sint obligatorii.*
16 *De decretis Conciliorum, quando attendi debeant, necne.*
17 *Non attenduntur antiquæ epistolæ decretales Pontificia, & quare.*
18 *An in Oppido Diœcesis erigenda sit Cathedralis unienda cum Cathedrali antiqua.*
19 *De privatione Civitatis, vel Diœcesis Episcopo remissivè.*

DISC. L.

Cum ex parte Episcopi, & aliquorum Canonicorum, 1 aliis contradicentibus, Ecclesiæ Cathedralis Senecen. institutum esset apud Papam pro translatione Cathedræ à Civitate Senecen. in qua præsupponitur eam fuisse tredecim sæculorum spatio, ad Oppidum Castellanæ ejusdem Diœcesis, ex eo motivo, quòd antiquus locus esset habitationi Episcopi, & Capituli, ac etiam Diœcesanis nimiùm incommodus, ac etiam incongruus, tum ob asperitatem itineris, & aeris, tum etiam ob exiguitatem, ac ignobilitatem populi vix constituentis animas 500. circiter, & quia Episcopus non esset tutus à Malefactoribus; E converso autem Oppidum Castellanæ situm esset in loco magis opportuno pro commoditate Diœcesanorum, ac etiam haberet populum numerosum animarum circiter 3500. magisque civilem, & opulentum, ideoque huic loco longè magis congrueret Cathedra, & Episcopi residentia; Quare delata causa juxta stylum ad Congregationem Consistorialem post habitas quasdam informationes à Vicelegato Avenionensi, & à Cardinali Grimaldo Archiepiscopo Aquen. in Congregatione habita sub die 5. Octobris 1677. de omnium concordi voto, uno excepto, prodiit resolutio hujus petitionis exclusiva.

Votando igitur in ista causa, præmittebam in primis, 2 quod causæ translationum, & mutationum Ecclesiarum dicuntur de majoribus ut advertit Butr. *in c.* 1. *de translat.* n. 5. ubi alii, & modernus Fagnan. *n.* 8. Et quamvis Canonistæ id dicant ad alium effectum, quod scilicet hujusmodi causæ cognosci non possunt ab aliis, quàm à Papa, qui est earum Judex privativè ad omnes alios, idque propriè denotare solet ista qualitas essendi de majoribus; Ego tamen ad id advertebam ad effectum diversum, quod scilicet quamvis ista non sit magna Ecclesia, adhuc tamen causa censenda sit magni momenti, & de gravioribus ratione exempli, & introductionis, unde multa sequi possint inconvenientia, multarumque Ecclesiarum status revolutiones, dum omnia Oppida, quæ juxta temporum vicissitudines magna, & conspicua effecta sunt supra antiquam Civitatem, istam prætensionem excitare possent, juxta quamplura exempla inferius recensenda, ut propterea cum magna circumspectione, ac maturitate procedi debeat.

Hoc itaque prænotato, advertebam, quod in corpore Ju- 3 ris canonici nempè in quinque libris Decretalium Gregorii IX. & in Sexto Bonifacii VIII. sive in Clementinis, & Extravagantibus, de hoc non agitur, minusque de eodem puncto agunt antiqui Canonistæ; Quamvis enim adsit *Extravag. Salvator.* de qua plenè *disc.* 6. *de Præemin.* ac etiam *in Bituricen. disc.* 52. Attamen illa percutit diversum effectum dismembrationis nempè partis Diœcesis ob ejus amplitudinem pro erectione novæ Cathedralis distinctæ ab antiqua, sed nil commune habet cum casu, de quo agitur, privandi antiquum locum prærogativa Cathedræ, quam jam obtinet, illamque transferendi in alium locum ejusdem Diœcesis, adeò ut membrum efficiatur caput, & è contra, illud quod erat caput, evadat membrum subordinatum.

In his itaque terminis præcisis omnium fortè primus inter 4 DD. est Rebuff. *in prax. benef. sub tit. de Translat.* qui probabiliter ad hoc magis cogitavit ex amore erga patriam ob translationem Cathedræ, quæ de anno 1563. secuta fuit ab Insula Magalona ad celebre Oppidum Montis Pessulani vulgò Monpoli ejus patriam, ipseque ad hoc cumulat plures canones registratos in Decreto Gratiani, nempe *in c. & temporis, & c. seq.* 16. *q.* 1. *mutationes* 7. *quæst.* 1. *cap. sta nex* 25. *q.* 2. *cap. Episcopi* 8. *distinct. cap. tribus, de consecrat. distinct.*

stinct. 1. quos mutuando totum ex Rebuff. adducunt etiam Florens. *super decretal. in tit. de Translat.* latiùs verò Frances *de Eccles. Cathedral. cap.* 7. & quos canones repetebant Scribentes pro petita translatione, taculeantea etiam aliqua Decreta Conciliorum Sardicen. & Carthaginen. per allegatos deducta.

Dicebam tamen in primis quoad canones prædictos,
5 quod ubi etiam illi admittendi essent tamquam authentici, atque vim legis habentes, cujus contrarium est verius, ut infra, adhuc tamen videbantur extra propositum, utpotè loquentes in terminis diversis; aliqui etenim, ut eorum lectura ostendit loquuntur de novis erectionibus Cathedralium, ut non fiant in parvis, & obscuris locis, aliqui verò de translatione personali ipsorum Episcoporum, de qua *toto tit. decretalium de translatione*. Aliqui de unione unius Cathedralis cum altera ob ejus reductionem ad malum statum, juxta deducta *disc. 7. de Praemin.* adeout solùm *in cap. tribus, & in cap. ita nos*, agatur de privatione alicujus loci ista præeminentia, vel ob aeris talis intemperiem, quod ibi resideri non valeat, vel ob hostium persequutiones, vel ob magnam populi iniquitatem, occiden do Episcopos, quorum
6 casuum nullus ad rem applicabilis erat, dum non negabatur quod aer esset saluberrimus, neque in populo dicta iniquitas verificabatur; Sed solùm allegabatur pro causa ejusdem populi exiguitas, & ignobilitas, itaque itineris asperitas, quodque domos Episcopalis, & Ecclesia essent extra habitatum, unde aliquis latronum, & malefactorum timor adesse posset; Et per consequens advertebam, quod nullo desuper existente canone, nullaque Doctorum recepta traditione, materia debebat regulari cum terminis generalibus alienationis bonorum Ecclesiæ, sub cujus genere certum est venire hujusmodi actus, qui redoleant mutationem, vel dismembrationem, sive divisionem, & similia ex deductis *disc.* 1, *de alien. & contract. prohib.* & alibi pluries.

Quamvis etenim ipsa Cathedra formalis per hujusmodi
7 mutationem revera nullam pati dicatur alienationem, quoniam illa esse dicitur in universa Diœcesi quæ consideratur tamquam unum, & idem corpus, ubique coæquale, esse autem residentiam Episcopi, & Ecclesiam Cathedralem materialem potiùs in uno, quàm in altero loco respicit accidens, non autem substantiam juris Cathedratici, ac propterea receptum est, quod Episcopus in qualibet Diœcesis parte residendo, satisfacit oneri, ac obligationi residendi, ut habetur *disc.* 24. *de jurisd.* & alibi pluries, ac etiam eamdem Cathedralem formam constituere, ut præsentare possunt duæ, imò plures Ecclesiæ materiales in diversis locis existentes absque eo quod connaturali, ac necessariæ ejus individuitati præjudicetur, ut *disc.* 2. *& seqq. de praemin.* & alibi pluries, adeout vis non stet in certo loco.

Adhuc tamen gravis injuria fieri dicitur illi loco, in quo
8 Cathedra ab antiquo constitui, ac residere consuevit, quod ex capite fiat membrum, atque de Civitate fiat oppidum, ac etiam illi Ecclesiæ materiali, quæ Cathedralis figuram diu fecit, ut Ecclesia inferior, ac simplex efficiatur, ideò quam loci, quàm Ecclesiæ materialis respectu adesse dicitur alienatio formalis nimium præjudicialis, & per consequens absque justa causa præcisæ necessitatis, vel nimiùm evidentis utilitatis, id non est permittendum, ut meritò iidem DD. superius allegati, & præsertim Frances *d. c. n.* 53. firmant necessitatem esse debere adeò urgentem, ac præcisam, ut aliàs consuli non possit, quod isto casu non verificatur, quoniam quando solitus locus residentiæ Episcopalis, in quo situ est Ecclesia Cathedralis materialis, & cui ad differentiam attribuitur prærogativa Civitatis ex temporis consueta operatione ad aliquem malum statum reducitur, adeout non reputetur op-
9 portunus pro continua residentia Episcopi, ejusque Tribunalis tunc absque necessitate faciendi hanc translationem adeò injuriosam, & præjudicialem ut supra, potest Episcopus etiam pro majori parte anni residere in alio diœcesis loco, juxta ea quæ habentur *d. disc.* 24. *de jurisd.* & alibi; Quinimò etiam continuè absque obligatione parendi decreto Concil. Trident. quando civitas ad talem miseriam, malumque statum redacta sit, ut neque pro temporibus privile-
10 giatis, in quibus præcisè demandatur residentia apud Cathedralem, id sit practicabile juxta tot exempla, quæ habemus nimiùm frequentia in Italia, ut præsertim docet praxis in Patriarcha Aquilejæ, dum residet Utini, quia civitas est desolata, sed non per hoc mutatur titulus, & Cathedralitas; In Archiepiscopo Consano, qui continuam residentiam habere solet in oppido Sancti Andreæ, vel in altero Sancti Mennæ, quorum ipse est Baro, & utilis dominus etiam in temporalibus; In Episcopo Capuaquen. qui residentiam habere solet in oppido Salæ, in Episcopo Anglonen. qui residentiam habet in oppido, vel Civitate Tursii cum plerisque similibus, in quibus Civitas ita desolata sit, ut inibi resideri non valeat; In aliis verò in quibus civitas est quidem habitabilis, sed cum magno incommodo, residentia pro majori parte anni habetur in aliquo oppido diœcesis, in civitate autem apud Cathedralem habetur solùm in temporibus à Trident. Conc. demandatis, ut exempli gratia est Episcopus Accrnen. in casu de quo *d. disc.* 24. *de jurisd.* cum similibus. Ac etiam adduci possent exempla trium Episcoporum Cardinalium nempe Hostien. Portuen & Sabinen.

Clariùs verò in hac facti specie, quoniam locus, ad quem 11
translatio petebatur, licèt comparativè habeat aliquem majorem populum, & aliquas majores commoditates, non tamen dici potest conspicuus, atque ita commodus, & qualificatus, ut ista prærogativa cum antiquæ civitatis injuria dignus reputari mereatur, qualis est casus relatus per Rebuf. ubi supra; Et nihilominus ubi etiam ista qualitas accederet, neque sufficiens reputari mereretur, quoniam ita aliqua oppida Diœcesis Pisanæ, vel Amalphitanæ, sive Tranensis, vel S. Severinæ, sive Brundusinæ hanc prætensionem excitare possent in Italia, & oppidum Bastiæ adversus Ecclesiam Marianen, in Corsica, magis verò oppidum Matriti adversus civitatem Toletanam in Hispania, & adversùs civitatem Tirasonen. Oppidum Calatajubii, juxta casum, de quo *disc.* 32. *eodem tit. de jurisd.* cum similibus.

Ac etiam quia illa major prærogativa, quæ dignoscitur in 12
hoc Oppido Castellanæ, ratione alicujus majoris quantitatis populi, & alicujus majoris commoditatis, compensata remanet à longè majoribus prærogativis, & circumstantiis, quæ dignoscuntur in antiqua civitate; Primò nempè, & omnium fortiùs, quod Episcopus habet ejus dominium in temporalibus pro una parte, & pro alia parte Capitulum; E converso autem in dicto oppido omnimodum dominium est penès Regem ideoque magna dignoscitur differentia inter residentiam in loco, cujus sit Dominus etiam in temporalibus, & in loco, in quo tale dominium non habeatur; Ideoque Archiepiscopus Consanus ob civitatis desolationem, quamvis in diœcesi habeat oppida magis populata, magisque commoda, & Archiepiscopi residentiæ aptata, tamen residet in uno ex prædictis locis, quorum est Dominus etiam temporalis, & meritò.

Secundò consequutivè quoniam in antiqua civitate Epi- 13
scopus, & Capitulum ratione præfati dominii gaudent immunitate ab omnibus gabellis, & oneribus, qua pro moribus regionis non gauderent in alio oppido, ad quod petebatur translatio.

Tertiò quoniam in civitate Episcopus, & Capitulum possident majorem partem bonorum, & redditum, quæ nulla, vel satis modica possident in dicto alio oppido.

Quartò quoniam ob onera Missarum, & anniversariorum, quæ incumbunt Ecclesiæ Cathedrali, opus esset relinquere, ac sustentare aliquem numerum sacerdotum, & clericorum cum notabili sumptu, ideoque non adesset utilitas, sed potiùs damnum.

Et quintò quod in civitate adest Ecclesia Cathedralis no- 14
bilis, nimiumque decentis structuræ, ac etiam palatium Episcopale ad formam arcis, quorum utrumque deest in alio loco, in quo adest Ecclesia Parochialis depressæ, ac ignobilis structuræ absque domo habitationis Episcopi, ideoque facta compensatione eorum, quæ hinc inde considerari possunt commodi, & incommodi, potiùs damnum, & incommodum translatio produceret.

Cæterum quatenus pertinet ad canones contentos in De- 15
creto Gratiani, ac etiam ad decreta aliquorum conciliorum, ut supra, advertebam quod pro regulatione, tam istius causæ, quàm aliarum in hac præsertim Congregat. & in subjecta materia novarum erectionum, vel unionum, sive dismembrationum, reflectendum veniret ad æquivocum cum quo procedi videtur, capiendo contenta in dicto decreto tamquam canones authenticos de necessitate attendendos, & obligantes, tamquam habentes vim legum canonicarum, quoniam verius est contrariũ, ut advertitur *disc.* 35. *de judic.* & alibi; Quidquid enim sit de illis partibus, quæ sub nomine paleæ ibi continentur, quas probabilius est esse privatas adnotationes Collectoris; Quatenùs pertinet ad illas partes, quæ explicantur sub nomine Canonum, isti constari sunt ex quatuor speciebus; alii etenim continent aliqua fragmenta legum civilium, alii sententias sanctorum Patrum, alii decreta aliquorum Conciliorum, & alii Epistolas decretales summorum Pontificum, ut eorum lectura ostendit; Illi itaque de prima, & secunda specie utique vim legum non habent,

bent, illi autem de tertia eatenus habent talem vim, & sunt obligatorii, quatenus aliunde constet ex authentico, atque ab Ecclesia probato corpore Conciliorum, quòd ibi fideliter decreta conciliaria registrata sint, & sic potiùs ex relato, quàm ex referente.

Et nihilominus ubi etiam de hoc appareat, adhuc tamen
16 reflectendum esse advertebam ad qualitatem Conciliorum, an essent Oecumenica, & generalia per Apostolicam Sedem approbata, vel potiùs talem non habentia approbationem, sive sint provincialia, vel nationalia, quoniam illa de prima specie solùm ubique præsertim verò in Curia, & per Sedem Apostolicam ubi Papa eis derogare nolit, attendi debent, non autem alia de secunda specie, ut potè particularia, quinimò etiam generalia de prima specie neque ita simpliciter, ac indefinitè attendi debent in his materiis, quæ concernunt regimen civile Ecclesiasticum, quòd à jure Ecclesiastico positivo pendet, atque a temporum contingentiis variationem recipere potest, ac solet, ac propterea eis non congruant quæ habentur in articulis invariabilis Fidei, siquidem longè diversi erant styli Ecclesiæ primitivæ, quàm sint illi Ecclesiæ modernæ, sive quando Ecclesia Latina unita erat cum Græca, atque diversi sunt mores Orientalium, quàm sint Occidentalium, cum similibus considerationibus, & per consequens hodierna Romana Curia in his materiis regiminis civilis se regulare videtur cum illis Conciliis generalibus modernioribus, quæ habentur à Concilio Lateranensi citra sub Innoc. III. & cum illis canonibus quæ habentur in sex libris Decretalium, in Clementinis, & Extravagantibus, & in Bullario Romano.

Demum quoad quartam speciem illorum canonum, qui desumpti præsupponuntur ex decretis, aut literis decretali-
17 bus Summorum Pontificum, ultra motivum sæpius recensitum in antecedenti specie Conciliorum, inspiciendi scilic. an constet de relato authentico, necne, considerandum esse advertebam procemium decretalium Greg. IX. quòd scilicet enunciatis diversis collectionibus Epistolarum decretalium ad tollendas confusiones, & inconvenientia, quæ ob earum varios tenores, oriebantur, sive ad illas concilliandas, vel resecandas, Apostolica authoritate cum opera Sancti Raymundi, qui erat Magister Sacri Palatii, & Rotæ Romanæ Auditor, facta fuit illa compilatio, cui solùm aliis neglectis, Papa deferri debere decrevit, ac mandavit eodem modo quo fecit, ac statuit Imperator Justinianus in compilatione legum civilium, & per consequens error est attendere alias privatas collectiones in ratione legis, benè tamen attendendæ videntur in ratione authoritatis, vel doctrinæ magistralis in casibus, in quibus expressi Canones non habeantur, vel pro illorum interpretatione.

Motivabatur in isto casu de eodem quòd habetur *in d.*
18 *disc. 29. de jurisdict.* quòd scilicet ad consulendum eodem tempore indemnitati antiquæ Civitatis ne injuriam patiatur, ac etiam consulendum Episcopo ut meliorem, & commodiorem habeat residentiam, erigeretur in Cathedralem Ecclesia dicti alterius loci, eodemque tempore fieret ejus unio æquè principaliter cum altera Cathedrali antiq; cum ita prior Cathedralis adhuc ejus antiquam prærogativam, & jus Cathedraticum in omnibus retineat, ex deductis *d. disc. 7. de præeminent.* & alibi. Verùm dixi, atque Congregatio admisit, quòd hæc nova erectio adhuc injuriam, & præjudicium antiquæ Cathedrali afferebat, dum ita subditam efficiebat æqualem, ac etiam quia nulla necessitas, vel justa causa subest, ob quam ad id sit deveniendum ob solam Episcopi commodiorem vitam. Tunc etenim id quandoque prudenter Sedes Apostolica practicavit, quando ita subest ratio sedandi aliquam scandalosam litem, quæ inconvenientia producat, quia nempè aliquis locus prætendat se exemptum ab Episcopo, & à lege diœcesana utpote Nullius cum territorio separato, qualis est moderno tempore practicatus cum Ecclesia Pratensi erecta in Cathedralem, eodemque tempore unita cum Cathedrali Pistorien. cum qua erat lis, idemque forsan rationabiliter practicaretur in casu de quo *disc. 22. de jurisd.* cum similibus, non autem in casu in quo Locus extra controversiam sit de diœcesi, unde meritò hæc petitio rejecta fuit in casu de quo *d. disc. 24. eod. t. de jurisd.* ita etenim esset revolvere omnes Ecclesias, atque invitare oppida aliquantulum qualificata, magisque populata, & opulenta, quàm sit Civitas, erigendi caput, istamque prætensionem magis habere possent oppida de quibus agitur *disc. 23. eod. tit. de jurisd.* sed non per hoc exaudienda essent, ideoque expedit in hoc aditum omninò claudere, ac tollere spem.

Quando autem fiat locus privationi alicujus Civitatis, vel Diœcesis Episcopo, atque secuta privatione, quænam præeminentiæ, ac prioris Dignitatis reliquiæ remaneant, plenè, & elaboratè quamvis cum solito illorum Scriptorum prolixo superfluo stylo agit Frances *de Eccles. Cath. cap. 9.* ubi videri possunt Concordantes.

ROMANA DIMISSIONIS EPISCOPATUS.

Votum in plerisque Casibus disputatis in Sac. Congregatione Consistoriali.

An, & quando constare dicatur de causis dimittendi Episcopatum, tam pro dimissione libera, quàm pro translatione ad aliam Ecclesiam?

SUMMARIUM.

1 *UNde proveniat quod ista materia sit adeò fre-*
2 *quens in Congregatione Consistoriali.*
2 *De causis translationis, & de inconvenientibus super earum probatione.*
3 *Quomodo in hac materia procedi debeat, & quòd sit error procedere in omni casu cum propositionibus generalibus.*
4 *De illis Episcopis, qui sint Cardinales, quomodo cum eis procedi debeat.*
5 *Damnatur usus dimittendi Ecclesiam cum reservatione fructuum, vel ad effectum assequendi alteram.*
6 *Quod in simplicibus Episcopis, qui ad dimissionem admitti petunt, distinguantur casus.*
7 *De congrua provisione eorum, qui dimissionem Ecclesiæ petunt.*
8 *Quod inspiciendum sit, quomodo istam congruam provisionem Episcopus comparaverit.*
9 *De errore procedendi cum generalitatibus.*
10 *Quando, & quomodo asperitas, vel insalubritas aeris ad hunc effectum attendi debeat.*
11 *De causa inimicitiarum, an & quando sit sufficiens pro dimissione, vel translatione?*
12 *Quod attendi debeat origo, vel occasio inimicitiarum.*
13 *Quomodo providendum quando culpa sit Episcopi.*
14 *Potest Episcopus cogi ad dimittendam Ecclesiam.*
15 *An Episcopus, qui unam Ecclesiam malè administret, debeat transferri ad aliam minorem?*
16 *Quòd translationes ad Ecclesiae majores Episcoporum, qui benè se gerant, fieri debeant motu proprio, non autem ad petitionem.*

DISC. LI.

OMnium frequentior, penèque continua, & magis molesta in Sac. Congregatione Consistoriali esse videtur 1
ista materia dimissionis Episcopatuum Italiæ, præsertim verò Neapolitani Regni, in quo ipsorum major est copia, & pauperes, sive majores sunt Episcoporum molestiæ, & controversiæ ob adeò magnam copiam Baronum, dum illud Regnum, ex ejus malo fato, inter quamplura infortunia, quæ patitur, illud præsertim habet, quod penè totum, aliquibus paucis exceptis Civitatibus, est infeudatum sub Baronibus, quamvis de nobilibus, & conspicuis Civitatibus, vel Oppidis agatur, cum magna Baronum jurisdictione, & potestate, à qua omnia mala proveniunt; Quamvis etenim etiam in Gallia, & in Hispania, pleræque Civitates, & oppida nobilia, & conspicua, Barones, ac Feudatarios quoque habeant, attamen satis modica est eorum jurisdictio, & potestas Cùm itaque pro frequentiori contingentia, illi ambitiosi, qui constituti in statu privato depresso, vel mediocris fortunæ, atque virtutum, ac animi dotium vero, magisque æstimabili indumento sunt destituti, eorum nuditatem, cum Episcopalis dignitatis habitu, ac honorificis tractamentis operire ambiant, & satagant, ad hanc solam reflectentes apparentiam, nullatenus verò ad gravia onera, & incommoda, quæ illi imminent, & incumbunt, reflectendo, ad instar illorum imprudentium, qui ad Nuptiales lætitias, & honorificentias tantùm respiciendo, Uxorem ducere cupiunt, & affectant, ad Matrimonii verò onera, & incommoda nullatenus cogitando, nec reflectendo, postquam dignitatem adepti sunt, primosque honores, tam in Curia, quam in Diœcesi in primo ingressu receperunt, utpotè non apti ad Episcopatus onera, & incommoda ferenda neque Dei, & Ecclesiæ servitium, ac animarum sibi commissarum salutem cum debita, & vera charitate præ oculis habenda,

sed

sed ad propria commoda, propriumque interesse, ac ambitionem solùm respiciendo, sibi commissas Ecclesias de facili fastidiendo, illas dimittere quærunt, ad effectum translationis ad meliores, magisque commodas Ecclesias, vel ad effectum, ut soluti à vinculo Ecclesiæ, & ab onere residentiæ, valeant in Romana Curia in hoc honorifico, & præeminentiali Episcopali statu morari, majores ambiendo dignitates; Hinc sequitur quòd in ista Congregatione frequenter de hujusmodi dimissionibus agi solet, vel super admissione articulorum pro faciendis probationibus causarum, ex quibus dimissio petatur, vel postquam probationes factæ sunt, super illarum canonizatione.

2 Cumque ex iis, quæ in hac materia dimissionis, vel translationis respectivè per Sac. Canones, disponuntur, vel per canonistas, aut Theologos firmantur, ex relatis per Barb. *de Episc. alleg.* 119, Fagn. *in c. cum ex illo de Transl. Episc.* & alios, causæ ut plurimum restringantur ad insalubritatem aeris valetudini nimium præjudicialem, vel ad inimicitias contractas cum Barone, sive cum populo, vel cum aliis sæcularibus Magistratibus, idcircò super hujusmodi causis efformari solent articuli, super quorum admissione totus punctus esse videtur, quoniam cùm nullus adesse soleat oppositor, ac legitimus contradictor, hinc sequitur, quòd sufficit articulare, ut benè facta probatio præsupponenda sit, atque ubi in disputationibus excitantur difficultates super materiæ articulatæ irrelevantia, ita motivantes docent, & instruunt, quomodo concipi debeant articuli, qui in meliori forma, in sequenti immediata, vel mediata Congregatione exhiberi solent, atque admissi, ut præmissum est, præsupponendi sunt pro probatis quoniam cùm de tertii privato interesse, vel præjudicio non agatur, nullusque adsit formalis, ac interessatus cōtradictor, idcircò de facili reperiuntur Testes, qui ad gratificationem, & complacentiam deponunt totum id, quòd in articulis continetur, sive sciant, sive non, & sive sit verum, sive falsum, prout de facili dicta Congregatio decipi solet, quoniam probationibus percurrentibus, tam circa insalubritatem aeris, quàm circa inimicitias, vel alia inconvenientia, solam civitatem, sive solum locum solitæ residentiæ, ad alia loca Diœcesis, in quibus causæ non verificentur, neque urgeant, non reflectitur, adeout hujusmodi processus nudam continentes formalitatem nullum producant bonum effectum, sed potiùs malum, ob falsitates, quæ non infrequentes committuntur.

Provenit itaque istud inconveniens à consueto, & con-
3 naturali modernorum fori professorum vitio procedendi cum solis generalitatibus in abstracto, non reflectendo ad distinctiones casuum, eorumdemque particulares circumstantias; Ac propterea occasione sedendi in eadem Congregatione ratione muneris Auditoris Sanctissimi id expertus, meum proferendo votum in hujusmodi causis, dicere consuevi, quòd ad singulorum casuum distinctiones, & circumstantias reflecti debet, ad effectum dignoscendi, an causarum concludens probatio desideranda sit necne, & quatenus desideranda veniat, quando, & qualea articuli admitti debeant, atq; relevantes reputari, ac etiam quæ forma in probationibus faciendis præscribenda sit; Non versamur etenim in judice ordinario, qui ad præcisos limites justitiæ commutativæ, atque intra strictos cancellos legis scriptæ inter privatos de meo, & tuo contendentes judicare debeat, sed in magno Consiliario supremi Principis in materia concernente regimen politicum, & publicum Christianæ Reipublicæ, ideoque cum legibus prudentialibus, non deserendo omninò leges scriptas, est procedendum.

Prima igitur distinctio illa videtur inter Episcopos, qui
4 Cardinalitia dignitate fulgeant, & alios, qui tali dignitate careant, priori etenim casu quòd agatur de aliquo Cardinali, qui Metropolitanam, vel Cathedralem Ecclesiam, ante vel post Cardinalatum adeptam dimittere cupiat, reflectendum est ad causam, ob quam id agat, sive ad finem ob quem ad id inducatur, an scilicet liberè Ecclesiam dimittere velit absque aliqua fructuum universali, vel particulari reservatione, sed solùm cum illa reservatione juris conferendi beneficia reservata, quæ quodammodo connaturalis est Cardinalibus dimittentibus Ecclesias, & quæ ipsis Ecclesiis nullum infert gravamen, vel præjudicium, quòd solum est Papæ, ejusque Datariæ juxta ea, quæ in hoc proposito Indultorum Cardinalium conferendi reservata, vel affecta habentur nimium frequenter in sua sede *sub t. de benef.* adeout solus finis ille sit redeundi ad Curiam, ibiq; morandi, ac Papæ assistendi in Consistoriis, & Capellis, & in Congregationibus, aliisque Cardinalitiis functionibus, quamvis de consequenti exinde resultet illa major commoditas, & oblectatio, ac animi magis gratum, & adaptatum pabulum; quòd resultant ex vita longè magis civili in Urbe.

Et tunc, attendendo id quòd principaliter est præsumendum ob primam meliorem partem assistentiæ Pontifici in regimine Ecclesiæ universalis, quæ præferenda est Ecclesiis particularibus quamvis Cardinales hanc dimissionem facere volentes pro cohonestatione petitionis, aut verius ex stimulo, & timore conscientiæ afferant aliquam causam, illam præsertim, pro frequentiori contingentia asperitatis, & insalubritatis aeris, eorum attestationi deferendum est, neque congruit eos obligari ad exhibendos articulos illosque probandos, neque se subjiciendum formali discussioni, & judicio, an articuli relevent, & admittendi sint, vel respectivè an probationes concludant? Tum ob excellentiam dignitatis; Tum etiam ob majus bonum, ac servitium Ecclesiæ universalis, & quia sic dicitur fieri reditus ad suam causam, sive ad suum centrum, aut fieri restitutio membri ejus corpori, dum præcipuum, ac proprium Cardinalium munus est residere apud Pontificem, eique opera, & consilio in regimine Ecclesiæ universalis assistere, ex plenè deductis *per Cardinalem de Albitiis in ejus disceptationibus impressis in tit. de jurisd. post disc.* 117. & per Cohel. *in ejus tract. de notitia Cardinalium* apud quos alii, adeout non desint volentes, quòd Cardinalatus excuset à residentia in Ecclesia Metropolitana, vel Cathedrali quæ adhuc retineatur ex dicta ratione, quòd vacetur majori residentiæ; Quamvis etenim ista opinio reprobata sit per Apostolicas Constitutiones, illam præsertim Urbani VIII. super residentia, atque contrarium doceat inconcussa praxis, exceptis sex Episcopatibus Cardinalitiis, qui sunt compatibiles cum alio Episcopatu, atque non obligant ad residentiam, ex plenè deductis per Cardinalem Brancaccium *in ejus dissertat.* 2. & advertitur *disc. 5. n. 28 in relat. Curiæ*, ac in opere Italici idiomatis, cui titulus est, *Il Cardinale c.* 12. & in alio opere ejusdem idiomatis, cui titulus est, *il Vescovo pratico c.* 8. Attamen id remanet considerabile adhuc effectum; Sed si intenditur per Cardinalem fieri dimissio unius Ecclesiæ, ut assequatur alteram pinguiorem, seu nobiliorem, aut commodiorem, vel cum generali reservatione fructuum, dando solùm novo Episcopo congruam, sive cum reservatione tantæ pensionis, ut penè omnes fructus absorbeat, adeout neque fortè remaneat congrua pro Episcopo, ut quandoque praxis docuit; Et tunc magis tenaciter, magisque circumspectè procedendum est, quoniam, ut ex memorabili dicto Cardinalis Bellarmini advertitur in superius citato opere cui titulus est, *il Vescovo* 5
pratico; ita est practicare usum repudiandi uxorem, sive illam collocandi viro longè inferiori, retinendo pro se dotem, aut repudiandi unam uxorem, ad effectum obtinendi alteram nobiliorem, vel ditiorem, seu pulchriorem, quocum utrumq; est absurdum, atque ab omni jure damnatum, ideoque magna dignoscitur inter unum casum & alterum differentia, etiam ubi de Cardinalium dimissionibus agatur.

Aut verò agitur de Episcopis Cardinalitia dignitate non præditis, sed in solo prælaturæ statu constitutis, & ad quorū
instantiam de hoc in Sac. Congreg. disputari solet; Et tunc 6
distinguendum est, an de hoc agatur ad effectum liberæ dimissionis, absq; petitione translationis ad aliam Ecclesiam, vel ad effectum obtinendi translationem; Priori etenim casu, licèt necessaria sit probatio, & canonizatio justæ causæ; Attamen mitiùs, ac faciliùs procedendum videtur, dum tunc cessat odibilis ratio repudii unius uxoris pauperis, vel turpis, aut ignobilis ex ambitu, vel ex avaritia obtinendi aliam ditiorem, vel pulchriorem, sed magis nobilem, cùm actus percutiat solum libertatis obtentionem cum solutione à vinculo Matrimonii spiritualis absque eo quòd Eccl. sponsæ præjudicetur, dum non remanet vidua, quia de alio sponso providetur, eique magis expedit habere sponsum novum, qui eam cupiat, & amet, quàm continuare cum illo, qui jam eam fastidiat, & abhorreat, ideoque major inspectio cadere solet super legitima probatione congruæ provisionis, ut in statu Prælaturæ decenter valeat se sustentare, atque Sac. Congr. ex stylo contenta esse solet annuo reddito
scutorum sexcentorum monetæ Romanæ. Quamvis ete- 7
nim hæc summa incongrua sit, & modica pro decenti sustentatione Prælati in Curia, quoniam si Constitutio Alex. VII. in simplicibus Prælatis Referendariis statuit summam scutorum mille quingentum, quæ reverà ad minus necessaria est, ideoque major desiderari debeat in illis Prælatis, qui sint in majori Episcopali dignitate constituti. Attamen opus non est, quòd Episcopi post dimissum Episcopatum residere debeant in Curia, cùm possint morari in patria, vel in parvis civitatibus, vel oppidis, aut etiam in Urbe in aliquo

mona-

monasterio, adeout sufficiant, ut quando publicè incedunt per Urbem, quod rarò fieri potest, competentem habeant famulatum, unde propterea, ex ejusdem Curiæ consuetudine, aliqua dignosci videtur differentia circa honorifica tractamenta inter hos Episcopos, & Prælatos Referendarios, qui quandam magis publicam figuram gerere videntur. Si verò agatur de dimissione ad effectum translationis, vel ad effectum, ut ex inde Ecclesia dimittenda gravamen, ac præjudicium sentiat, quia pensionis reservatio petatur pro sustentatione, quam non habeat de proprio, & tunc magis rigorosè, magisque circumspectè procedendum videtur.

Præterea, etiam in casu liberæ dimissionis absque aliquo Ecclesiæ dimittendæ onere, quia nempe sit congruè provisus de proprio, adhuc tamen inspicienda videtur qualitas provi-
8 sionis, & unde ista proveniat; Si enim sit de antiquis bonis patrimonialibus, aut etiam de acquisitis ex licitæ industriæ, vel fortunæ beneficia, alias quàm ex redditibus, ac proventibus Ecclesiæ dimittendæ, Et tunc mitiùs, ac faciliùs procedendum videtur, potissimè ubi gravis ætas, vel diuturna residentia, & administratio potiùs commendabilis accedat, cùm tunc æquitas suadere videatur, ut emerito, ac veterano militi quies detur, atq; non cogatur sub adeò gravi pondere in senectute, sive in statu infirmæ valetudinis succumbere; Sed si congrua provisio proveniat ex redditibus, & bonis comparatis durante Episcopatu ex Ecclesiæ dimittendæ fructibus, & proventibus; Et tunc nimiùm rigorosè, & circumspectè procedi debere videtur; Tum ob rationem non dandi ansam Episcopis thesaurizandi ad hunc finem assequendum; Tum etiam quia ipsæmet divitiæ ita comparatæ magnum præbent argumentum, imò claram faciunt probationem malæ administrationis Ecclesiæ, quodque dotis spiritualis fructus, & proventus non bene, ut tenebatur, erogaverit in supportatione onerum istius matrimonii spiritualis, quæ consistunt in reparatione, & ornamento Ecclesiæ, & in eleemosynis pro sustentatione pauperum, qui dicuntur ejusdem Ecclesiæ filii, aliisque piis operibus, unde propterea idem ita resultaret superiùs insinuatum absurdum, quod sponsus non amat sponsam, neque dotis fructus erogat in sponsæ ejusdem filiorum decentam sustentationem, sed ipsam sponsam fastidiendo, illamque negligendi habens in animo, curat thesaurizare, ac facere fructuum cumulum, ut ita sibi liceat eandem sponsam repudiare.

9 Et per consequens semper intrat initio insinuatus error pariformiter procedendi in hac materia cum propositionibus generalibus in abstracto in omnibus casibus, ad illorum singulas, & particulares circumstantias non reflectendo, cùm veriùs, facti potiùs, quàm juris quæ quæstiones dicendæ veniunt, pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis regulandæ, ac decidendæ.

10 Siquidem, quoad causas, adhuc æquivocum dignosci videtur, quoniam circa causam asperitatis, vel insalubritatis aeris, non semper ista generaliter, ac indefinitè reputanda est justa, bene que probata, quoniam si probatio percurrit Civitatem, seu locum cathedralis, ac solitæ residentiæ, non per hoc locus esse debet dimissioni, cùm ex ista causa reddatur quidem Episcopus excusabilis, à residentia apud cathedralem, apud quam semper, vel pro majori parte anni regulariter de jure residere tenetur, ex deductis *disc.* 24. *de jurisd.* & alibi, ut ita sufficiat residere in illis temporibus, quæ præcise demandatum à Concilio Tridentino, de quibus eodem *disc.* 24. quinimò ut etiam in istis excusetur, quando facti qualitas ita suadeat residendo in alio loco diœcesis aeris clementioris, & non adeò damnosi; Et quando articuletur, & probetur quod universa diœcesis est ejusdem inclementiæ, vel insalubritatis aeris, tunc atque exinde de stricta censura ad justam dimissionis causam inferri posse videatur, quoniam circa inclementiam ratione asperitatis, id verificatur solum tempore hiberno cum aliqua parte veris; Et circa insalubritatem verificatur tempore æstivo cum aliqua parte autumni, non autem in toto anno, ac propterea huic malo consuli potest cum absenti per tres menses, qui à Conc. Trid. conceduntur, & quando isti non sufficiant cum prorogatione unius, vel duorum, ac etiam trium aliorum mensium, qui ex ista causa concedi solent per Sacr. Congregationem Concilii.

Quo verò ad alteram causam inimicitiarum cum Barone,
11 vel cum Popolo Civitatis, vel respectivè alicujus loci diœcesis, intrat eadem responsio, quod residere potest in aliis locis diœcesis, qui sint sub diversis Baronibus, vel Magistratibus, & in quibus non habeatur populi, vel Baronis inimicitia; Et quando diœcesis sit ampla; inimicitia verò sit cum omnibus populis, vel cum omnibus Baronibus, vel Magistratibus, tunc magnum argumentum est, quod malum provenit à moribus, vel natura inquieta, sive ab alia culpa ipsius Episcopi, qui propterea minori excusatione, vel commiseratione dignus est; Atque tunc ista causa inimicitiarum cum populo, vel cum Barone, sive alia Magistratu sufficiens reputari meretur, quando agatur de angusta diœcesi, quæ principaliter constat in sola Civitate, alia verò loca, si quæ sint, ita ignobilia, & parva essent, quod apta non sint, ad residentiam Episcopi; Ideoque semper firmum remanet, quod ista non sit materia, quæ consistat in puncto juris, ideoque regulanda sit cum propositionibus generalibus, sed tota consistit in facto, ex istius circumstantiis metienda.

Reflectendum quoque venit circa inimicitia, vel dissen- 12
siones, & inquietudines, ad earum occasionem, vel originem, an scilicet proveniant à culpa, & malitia Baronis, vel alterius Magistratus, sive populi, adeout in Episcopo meritum potiùs dignoscatur, ut laude dignus censendus veniat, putà pro justa defensione immunitatis Ecclesiasticæ, vel pro correctione morum, aliave simili justa causa, ut tunc emeritus censendus veniat, ideoque dignus translatione ad Ecclesiam meliorem in præmium, & ne pro bono opere cogatur in eo loco molestias, & inquietudines pati; Vel è converso, si originaliter proveniat à culpa, & mala administratione Episcopi, quæ aliis controversiis causam dederit, unde provenerit læsio immunitatis ecclesiasticæ, vel aliud malum, & tunc, licèt non per hoc tolleranda sit ista læsio, vel aliud malum ad effectum, ut cum censuris, vel aliis pœnis veniat puniendum, adhuc tamen id nimium considerandum est ad istum effectum, & ne Episcopus dicatur emeritus, vel illa excusatione, & commiseratione, seu præmio dignus, ut in casu præcedenti.

Quare ubi Episcopi facientes hujusmodi petitionem ex- 13
agerare solent, quod eorum inimicitiæ ac molestiæ proveniunt à defensione immunitatis ecclesiasticæ, utpotè informatus de aliquibus casibus, dicere consuevi quod rem inquirerent magis ab alto, & quædam fuerit prima origo, quæ occasionem dedit aliis controversiis, in quibus immunitatis læsio subsecuta est; Multoties enim id provenire solet, quia Episcopi mercaturam, & negotiationem facere solent cum franchitiis gabellarum juxta casus, de quibus *disc.* 50. *& seqq. de Regal. & disc.* 5. *& seqq.* hoc Miscellan. & alibi, vel quia indiscretè, & prodigaliter præter omnes regulas justitiæ, & charitatis, & contra intentionem sacrorum canonum, & Conciliorum concedunt clericatum illis, qui ad fraudandam publica onera illum affectant; Sive quia volunt se ingerere in locis piis, constitutis ac respectivè administratis per laicos, non quidem ut revideant an benè, vel malè administratio fiat, juxta mentem Concilii Trident. sed solùm turpis lucri gratia, cum similibus malis principiis, ex quibus incipiunt scissuræ, ac dissensiones, quæ 14
de earum natura producunt alias majores controversias immunitatis ecclesiasticæ præjudiciales, ideoque inspiciendum est quisnam dedit primam causam, sive occasionem discordiis: Et per consequens maxima dignoscitur differentia inter primam speciem Inimicitiarum, & discordiarum, & istam ad effectum, de quo agitur, quoniam isto posteriori casu, quando ita exigat necessitas, vel prudentia, ut majoribus occurratur malis, admittenda quidem est de facili dimissio, non quidem in præmium, & satisfactionem petentis, sed ad punitionem, cogendo scilicet Episcopum ita se male gerentem ad dimittendum libere, quando sit aliunde provisus, vel cum aliquo modo, parce tamen, providendo ut vivat; Dum receptum est quod Episcopus ex ista causa inimicitiarum, quod sit exosus populo, adeout ex continuatione ejus administrationis scandalum oriri valeat, atque sit aptus potiùs ad destruendum, quàm ad ædificandum, ad id cogi potest, ex collectis per Peris. *de resignat. lib.* 5. *qu.* 3. *ex num.* 153. Jacobat. *de Concil. lib.* 9. *art.* 3. *n.* 24. *&* 37. cum aliis apud Barbos. *de Episcop. alleg.* 113. *n.* 9. & per alios modernos Collectores passim. Sive etiam, quando ejus substentationi non possit esse aliàs consultum, transferri ad Ecclesiam minorem.

Et quamvis volitet propositio, quod ille Episcopus, qui 15
non sit aptus ad bona regendum, & administrandam unam Ecclesiam, non debet reputari dignus, ut aliam regat, quodque injustum sit, ut alteri Ecclesiæ fiat præjudicium illi dando Pastorem minus aptum, ut altera Ecclesia sublevetur, dum ita esset discooperire unum altare, ut alterum cooperiatur; Attamen erroneum quoque videtur cum hac generaliter pariformiter in omni casu procedere, cùm pariter materia regulari debeat ex singulorum casuum circumstantiis; Experientia siquidem non infrequenter docet, quod

ille qui in ona Ecclesia, ob aliquas imprudentias, vel alias contingentias in illis primis temporibus suæ assumptionis, ad hanc dignitatem, ibi non sit amplius opus, aliam Ecclesiam ita edoctus, & instructus, ac etiam disciplinatus optimè administret, sive quòd diversi sint mores populorum, ac Baronum, vel magistratuum secularium.

16 Prout è converso, erroneum quoque videtur in translationibus ad Ecclesias majores, ac nobiliores procedere in omni casu cum illis generalibus propositionibus, quæ apud Theologos, & aliquos rigorosos Canonistas habentur super hujus matrimonii indissolubilitate, argumentum desumendo ab indissolubilitate matrimonii carnalis; Tum quia magna dignoscitur differentia inter unam, & alteram speciem matrimonii. Tum etiam quia si juxta magis verum, magisque receptum sensum Canonistarum (quicquid impugnent Theologi) Papa potest dissolvere carnale matrimonium ratum, quòd cum copula carnali verè consummatum non sit, ex deduct. *disc. 9. de matrim.* & alibi; Ita non videtur, cur non possit istud matrimonium ex honesta causa dissolvere; Præsertim verò ubi non ad petitionem id faciat, sed motu proprio, ex justo, & rationabili fine alliciendi Episcopos bene se gerentes ad hoc præmium translationis ad Ecclesiam meliorem, atque terrendi illos, qui malè se gerant cum hac pœna eos transferendi ad Ecclesias inferiores, & ignobiliores, cùm potiùs id omninò expedire videtur; Nulla enim ratio suadet, quòd si ex casu vir diligens, & aptus ad regimen magni ovilis præficiatur parvo, non debeat supremus Pastor istum, quem experientia docet magis aptum, præficere magno ovili; Et è converso quando si quis ex eodem casu deputatus regimini magni ovilis, detegatur in praxi ad id minus idoneus, non debeat sibi auferri illa major administratio, sibique committi minor.

Concludendum est itaque nimium durum, nimiumq; difficilem se Papa reddere erga petentes, & ambientes translationes, facilem verò, & applicatum in illis practicandis cum non petentibus, sed merentibus, ex officio tamen, ac motu proprio, non autem ad supplicationem, ut ita alliciantur Episcopi, ut præmissum est, ad bene se gerendum.

Isti videntur itaque veri termini, cum quibus præsens materia regulanda est, utpotè facti potiùs, quàm juris, ideoque cum facti circumstantiis, atque cum legibus prudentiatibus potiùs, quàm cum litera legum, vel authoritatum, sive cum generalibus propositionibus decidenda.

BITURICEN. ET ALBICEN. JURIS METROPOLITICI.

Votum in casu disputato in Congregatione Consistoriali ubi pendet.

De dismembratione Provinciæ, & erectione unius ex Ecclesiis suffraganeis in Metropolitanam, cum assignatione aliquorum suffraganeorum Provinciæ antiquæ.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Non laudatur deputatio Congregationis particularis, quando adest resolutio Congregationis generalis.*
3 *Dismembratio dicitur alienatio prohibita, cum istius terminis regulanda.*
4 *De requisitis validæ alienationis.*
5 *Quando consensus Episcopi dicatur minus legitimus.*
6 *Nominatus ad aliam Ecclesiam an sit legitimus defensor Ecclesiæ, quam possidet.*
7 *Non attenditur consensus illius qui solum nominatus est, non autem à Papa electus.*
8 *Consensus Capituli est necessarius, & debet esse capitulariter præstitus.*
9 *In dismembratione Episcopatuum à Provincia necessarius est consensus suffraganeorum.*
10 *An requiratur consensus populorum, & reliqui Cleri.*
11 *Requiritur consensus Patroni.*
12 *Quando recompensa bursalis dicatur sufficiens ad hunc effectum.*
13 *Distantia itineris ab Ecclesia Metropolitana, an sit causa sufficiens dismembrationis?*
14 *Quando verò, & propter interest ista ratio distantiæ.*
15 *De pluribus exemplis novarum erectionum Metropolitanarum.*
16 *Considerandum est an adsit aliarum Ecclesiarum præjudicium considerabile.*
17 *Ecclesia matrix debet remanere magis copiosa suffraganeis.*
18 *De Canone disponente, ut qualibet Metropolis debeat habere duodecim suffraganeos.*

D I S C. LII.

Cum status antiquæ, & Celebris Metropolitanæ Ecclesiæ Bituricensis, ex rerum Mundi vicissitudine, tam in 1
ejus redditibus, quàm in Civitatis populo, ac divitiis, aliqua diminutio secuta sit, è converso autem status Civitatis Albicen. ex eadem vicissitudine auctus, adeout Albicensis Provinciæ nomen tribuat, ejusque caput, ac metropolis in temporalibus reputetur; Hinc ista Ecclesia, quæ est una ex undecim dictæ Metropolitanæ suffraganeis, contra matrem erigendo caput, prætensionem excitavit, ut prævia dismembratione ab ista Provincia sex Episcopatuum suffraganeorum, nempè ipsius Albicen. Rutenen. Castren. Cadurcen. Floren. seu Sanctiflori, & Mimaten ipsa erigeretur in Metropolitanam, aliæ verò quinque sibi assignarentur in suffraganeas, remanentibus sub antiqua Metropoli aliis quinque, nempè Lemovicen. Claromunten. Tutelen. Ruten. & Anicien. Antiquo Rege Christianissimo omnium prædictarum Ecclesiarum patrono annuente, in Civitate Parisien. coram illo Archiepiscopo tanquam ab eodem Rege deputato, inter tunc Archiepiscopum Bituricen. nominatum tamen ad Archiepiscopatum Senonen. consentiente etiam illo, qui ad eundem Archiepiscopatum Bituricen. jam nominatus erat, & præfatum Episcopum Albicien. deventum est ad concordiam, per quam dictus Archiepiscopus huic dismembrationi, & respectivè erectioni consensum præstitit, ut etiam fecit procurator Capituli ejusdem Ecclesiæ Bituricen. E converso autem Episcopus Albicien. ex aliquibus Ecclesiæ redditibus provenientibus ex decimis promisit præstare, vel assignare præfato Archiepiscopo in recompensam annuum redditum librarū quindecim millium; Quare in vim istius concordiæ, ipso quoque Rege flagitante, re delata sub Clemente X. in Congregatione consistoriali, me tunc in ea non sedente, sed in Advocati munere occupato, negativa prodiit resolutio, non est scilicet locum huic dismembrationi, ac novæ erectioni respectivè; Obtenta verò nova audientia, ac etiam obtenta ab Innocentio XI. successore, pro meliori examine, deputatione congregationis particularis ex ejusdem congregationis plenæ Cardinalibus, & Prælatis constitutæ (quod tamen non multum Curiæ placuit, ut postquam a plena Congregatione jam prodiit resolutio, committatur revisio Congregationi particulari) atque in ista reproposita causa de mense Septembris 1677. me in ea tanquam Auditore dicti Pontificis sedente, atque in hoc præsertim nimium insistente, dilata fuit resolutio, 2
cum rescripto, quod audiri debeant, tam hodiernus Archiepiscopus, & Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ Bituricen. principaliter interessatæ, quàm etiam omnes Episcopi, & Capitula Ecclesiarum suffraganearum, ea lege adjecta, quod consensus Capitulorum esse debeat capitularis, eis legitimè congregatis, atque in hoc statu causa reperitur.

In voto itaque desuper edito, dicebam incontrovertibile esse quod ista dismembratio redolet magnam, nimiumque præjudicialem alienationem regulandam cum termi- 3
nis extravagantis *Ambitiosæ*, aliorumque decretalium, & constitutionum agentium de hac materia alienationis bonorum Ecclesiæ, ex deductis apud Otthob. *dec. 6.* cum concordantibus, de quibus *disc. 1. de alienationib. & contractibus prohibitis* ubi de hac materia, & *disc. 35. de Parochis*, & alibi pluries; Si etenim id procedit ubi agitur de dismembratione alicujus modici territorii, vel alicujus parvæ, & inferioris Ecclesiæ à simplici parochiali, juxta terminos textus *in cap. 3. de Ecclesiis ædificand.* qui cum sua proportione his dismembrationibus cathedralium, & metropolitanatum applicari solent, multò magis absque dubio, & cum longè majori rigore, majorique causæ cognitione, id procedere deberet in ista adeò magna, & notabili dismembratione sex Episcopatuum.

Pro ista itaque alienatione, bene, ac legitimè facienda, 4
ex iis, quæ locis proximè citatis habentur, absolutum est, quod duo copulativè requiruntur, adeout unum sine altero non sufficiat, nempè solemnitas, & justa causa, quorum utrumque, attento præsenti statu deficere, sive non sufficientes justificari dicebam, cum tamen ob utriusque insinuatum copulativum concursum, sufficiat unum deesse.

Quatenus enim pertinet ad primum requisitum solemni- 5
tatum, absque dubio necessarius est consensus Archiepisco-

pi,

pi, & Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ, quæ adeò notabilem scissuram pati debet; Et quamvis ex instrumento inito super concordia ut supra, & de utroque appareret, neuter tamen legitimus, ac sufficiens adesse videbatur: Non quidem Archiepiscopo, quoniam iste in eodem instrumento se enunciat destinatum istius Ecclesiæ repodio jam posteà secuto per translationem ad Ecclesiam Senonen, ad quam erat nominatus, idoque dici non meretur legitimus defensor, & administrator, dum effectum super quo consensum præstitit, contulit in tempus inhabile, quando ipse non esset amplius Archiepiscopus; Licèt enim aliqui motivarent, quod donec per Papam in consistorio admissa esset dimissio, ipseque solutus esset ab istius Ecclesiæ vinculo, ejus pastor, & Archiepiscopus dicendus esset. Attamen advertebam id rectè procedere quoad actus jurisdictionales, vel pontificales, ab eo initos pro eorum validitate, quodque ab Archiepiscopo dici possint initi, non autem ad hunc effectum respiciens tempus futurum faciendæ dismembrationis per Pontificem de tempore, quo ipse talis non esset futurus.

6 De consensu verò alterius, qui ad eandem Ecclesiam nominatus erat, pariter nullam rationem habendam esse advertebam, cùm per solam nominationem nullum penitus jus haberet, nec in re, nec ad rem; Quinimò quod ita potiùs in delicto esset, se ingerendo ante Apostolicam confirmationem, & collationem in administratione Ecclesiæ; Ponderando etiam, quod multoties illi, qui prælaturam adipisci sperant, libenter præstant illos consensus, quos post adeptam negant, postquam præsertim edocti sunt à præstatione illorum juramentorum, quæ in consecutione præstant, ac propterea meritò consilium mutant, ut præsertim me docuit experientia in simili, de quo *sub tit. de præeminent. disc. 6.* quod nominatus ad Ecclesiam Burgensem, in eo statu præstitit consensum precibus Sanctissimo porrigendis pro dismembratione partis diœcesis & erectione novæ Cathedralis in Oppido Sancti Andreæ, & tamen effectus Archiepiscopus acriter se opposuit.

Et quoad consensum Capituli, quamvis in eodem con- 7 cordiæ instrumento ille præstitus esset per procuratorem cum enunciatione mandati, advertebam tamen quod oportebat videre mandatum, an esset legitimum, ac datum capitulariter benè convocato Capitulo. Certum namque est in hoc Capitulum esse æque principaliter interessatum juxta celebres decisiones *in Montis Regalis jurisdictione coram Penia*, de quibus *sub tit. de jurisd. disc 2 13. & 22. & disc. 9. de judiciis*, & alibi pluries.

Certam quoque dicebam esse necessitatem consensus, tam Episcoporum suffraganeorum, quàm Capitulorum, dum 8 ut suprà, Capitulum dicitur æquè principaliter interessatum, ac repræsentativum corporis cathedralis; Certum namque est interesse Episcoporum suffraganeorum, illorum nempè qui dismembrandi ab antiqua Metropoli, subjiciendi erant noviter erigendæ, cum durum non sit continuare in antiqua subjectione ejus, qui à sæculis recognitus est superior, nimiùm verò durum est servire inæquali, & conservo, eumque in dominum, & superiorem recognoscere.

Et quoad alios suffraganeos remansuros sub antiqua Me- 9 tropoli, eorumque capitula, pariter certum esse dicebam interesse, quoniam eorum principaliter interesse videtur, ut Provincia sit latior, ac dignior; Ac etiam quia ea eadem ratione, ob quam requiritur consensus Capituli, qui efformat corpus cathedraticum, cùm Episcopo ita pariter Episcopi comprovinciales, eorumque Capitula efformant corpus provinciæ, cujus Archiepiscopus est caput, Episcopi verò suffraganei sunt membra; Archiepiscopus enim duas dicitur gerere personas, unam Episcopi, & ordinarii primæ instantiæ in ejus propria, & immediata diœcesi, & alterā Metropolitani, & judicis secundæ instantiæ in Provincia juxta distinctionem, de qua pluries *sub tit. de jurisd.* præsertim *in Beneventana disc. 12.* & in aliis, ac propterea in concernentibus ejus diœcesim immediatam, suffraganei non habent interesse, sed in concernentibus Provinciam sunt æquè principaliter interessati, ac propterea non mirum, si in dicta causa *Burgen.* de qua allegato *disc 6. de Praemin.* actum non fuit de isto consensu suffraganeorum, quamvis illa quoque esset Ecclesia Metropolitana (modicum tamen habens numerum triū suffraganeorum) quoniam non agebatur de aliqua jurisdictione Provinciæ, sed solùm de dismembratione partis diœcesis immediatæ, per quam decor, & majestas Provinciæ potiùs augeri dicebatur ob augmentum alterius Episcopi.

Motivabatur, an requireretur etiam consensus populorū, 10 seu civitatum, arguendo ab iis, quæ habentur *in d. dec. 6. Ottbob.* & in aliis recensitis *d. disc. 34 & 35. de Parochis* super consensu populi, & parochianorum in dismembratione parochiæ. Verùm non est par ratio, quoniam quando Rector Ecclesiæ parochialis vult facere, vel pati dismembrationem, sive alium actum præjudicialem, tunc non videtur, quod alter interessatus adsit, dum populus formare dicitur intellectuale corpus parochiale, unà cum Parocho, qui est hujus corporis caput; Secus verò in Ecclesia Metropolitana, vel cathedrali, quoniam adsunt Episcopi suffraganei, & Capitula, seu Canonici respectivè, a quibus corpus una cum Archiepiscopo, vel Episcopo efformari dicitur, reliqui verò, tam de clero, quàm de populo habent quidem interesse, adeout volentes admitti ad causam, & suscipere defensioné, vel illi assistere, non possint rejici, ex eo quòd nullum interesse haberent, sed istud dicitur interesse secundarium, quod non præsefert necessitatem, ut eorum consensus requiratur ad validitatem actus, vel quòd in judicio contentioso tanquam principaliter interessati, ac legitimi defensores citari debeāt, ut ita distinguendo habetur *d. disc. 13. & 22. de jurisd. & disc. 9 de jud.* & alibi, de consensu verò Patroni, qui etiam requiritur, actum non fuit, dum aderat, imò ipse instabat.

Quo verò ad aliud requisitum justæ causæ, allegabatur illa utilitas ob dictum redditum librarum quindecim millium; Verùm ex omnium judicio, ista reputata fuit causa prorsus inepta; Tum quia hujusmodi jura incorporalia, quæ adeò qualificatam important jurisdictionem, ac præeminentiam, sunt inæstimabilia, neque de facili admittunt bursalem recompensam, ea deductis *in Assisien. oblationum sub tit. de præminent. disc. 11.* ubi authoritates, & decisiones habentur, frustra transcribendæ; Tum etiam quia recompensa hæc, ubi etiam esset justa, & æquivalens, non tamen est proportionata injuriæ, seu damno, quoniam istud non fit soli Ecclesiæ Bituricen. ejusdem Prælato, cui istud assignatur pecuniarium emolumentum, sed fit universæ Provinciæ, ut supra, quæ nullum ea inde reportat commodum hujus incommodi compensativum.

Considerabam quoque ad rem applicari posse ea, quæ in materia jurispatronatus ob augmentum dotis habentur in sua sede *sub tit. de jurepatr. disc. 55.* quod scilicet, tunc Ec- 11 clesia subjicienda est servituti patronatus ob dotis augmentum, quando jam depauperata sit, adeout non inveniat opportunum Prælatum, seu Rectorem, vel alias ejus cultus detrimentum patiatur; Secus autem ubi sit sufficienter provisa, augmentum verò fiat ad Prelati ditationem, Idemque habetur *sub tit. de Benef. disc. 43. & seqq.* & in aliis, in proposito unionis, cum similibus, istusque terminos ad rem adaptabiles esse dicebam.

Altera erat causa, quæ penè omnibus congregatis primo aspectu videbatur justa, & rationabilis, nimiæ scilicet di- 12 stantiæ à Civitate Metropolitica, dum ex mappis geographicis, aliisque attestationibus præsupponebatur constare, quod duarum ex istis sex Ecclesiis, quorum dismembratio petebatur, distantia esset per miliaria Italica 160. unius milliarium 170. alterius 200. alterius 210. & alterius 225 quasi quòd ita nimium detrimentum provinciales paterentur ob nimiam eorum Metropolitani distantiam.

Verùm ista quoque causa minus ista, minusque sufficiens mihi videbatur ex pluribus; Primò quoniam si ita esset, 13 oporteret dismembrare etiam Ecclesiam Anicien. quæ distat per milliaria 160 & Ecclesiam Floren. quæ distat per milliaria 140 Secundò quia ob hanc rationem oporteret dismembrare majorem partem provinciarum ultra montes; Siquidem in eadem Gallia, Metropolitana Ecclesia Turronensis, quæ habet consimilem numerum undecim cathedralium suffraganearum, quamplures habet in eadem ac majori distantia, nam duæ per 230. milliaria distant, alia 205. alia 175. alia 160. alia 145. ultra alias proximiores; In Lusitania, Ecclesia Ulyxiponensis habeat aliquas Ecclesias suffraganeas, quarum una distat per miliaria 160. altera 290. altera 570. altera 1569. altera 3519. altera 4100. altera 5580. In Hispania Ecclesia Toletana habet Ecclesiam Carthaginensem in distantia milliarium 220 & quamplures in illa 140. & 130 in eadem Hispania Ecclesia Hispalen. habet Ecclesiam distantem penè per 600. milliaria. In Germania Ecclesia Moguntina habet unam Ecclesiam in distantia milliar. 160. tres in illa 170. & alteram in illa 190. In Polonia Ecclesia Gnesnen. habet unam Ecclesiam in distantia milliar. 330. unam 410. alteram 190. & alteram 160. Et Ecclesia Leopolien. habet unam Ecclesiam in distantia milliar. 430. alteram 340. alteram 310. alteram 190. cum plerisque similibus.

Et quod magis est, si ista ratio subsisteret, ita esset redarguere Sedem Apostolicam, quod plerasque Ecclesias, non solùm in Italia, sed etiam in præfatis, aliisque Provinciis,

& in regionibus valdè remotis exemit à jure Metropolitico, illasq; immediatè subjecit ipsi Sedi Apostolicæ, ac propterea dicuntur de provincia Romana, atque habent Papam in Metropolitanum, cùm tamen distantiæ sint longè majores.

Et tertiò quoniam ista ratio magnæ distantiæ, sive aspe-
14 ritatis, & incommoditatis itineris, verè, & propriè cadit in diœcesi cujuslibet Ecclesiæ cathedralis, vel etiam Metropolitanæ in ejus immediata diœcesi, in qua facit figuram cathedralis, prout Episcopus, vel Archiepiscopus sit proprius, ac immediatus pastor, qui diœcesanorum curam proximam, ac immediatam habet, non solùm in jurisdictionalibus, & contentiosis, sed etiam in visitatione, & provisione Ecclesiarum Parochialium, & altarum, & in administratione Sacramentorum, adeout intret ratio desumpta *ab Extravag. Salvator.* de qua *disc. 6. de praem* ut scilicet pastor videat, & cognoscat ejus oves, istæ autem videant faciem Pastoris, ut latiùs *d. disc. de praemin.* Sed hæc ratio non adaptatur Metropolitano, qui hanc non habet curam immediatam, neque pastor est, sed solùm judex appellationum, & recursuum in contentiosis. Atque si in pluries enunciato casu, de quo *d. disc. 6. de praem.* in quo agebatur de diœcesi, & de Episcopo immediato ista congregatio neglexit hanc distantiam milliarium 160. non videtur quomodo in Provincia Metropolitica eadem distantia attendi debeat.

Magis verò in hac regione (quod sive benè, & licitè,
15 sive malè, & illicitè, quod Deus videat, in quo integer locus veritati relinquitur) ferè nullæ, vel nimiùm raræ sunt causæ, quæ in gradu appellationis, vel recursus cadunt sub judicio Metropolitani, ut etiam Romana Curia experitur.

Deducebantur quamplura exempla in Italia, & præsertim a Pio II. citrà, nempè de Ecclesia Senensi erecta in Archiepiscopatum per Pium II. Urbinaten. erecta per Pium IV. Ansanen seu Lancianen. per eundem Pium IV. Bononien. per Gregor. XIII. Firman. per Sixtum V. & in eadem Gallia habetur exemplum recentiùs Episcopatus Parisien. erecti in Archiepiscopatum per Greg XV. cum similibus. Verùm advertebam, quod hujusmodi exempla non faciunt ad rem ob diversas circumstantias; Siquidem quatenus pertinet ad Senen Bononien. & Firman. id actum fuit per Summos Pontifices ex quadam personali benevolentia erga eorum Patrias, quæ meritò ab eis hac majori dignitate decorarentur; Ecclesia verò Urbinaten. erecta fuit in gratiam illius Ducis, qui inibi residentiam habebat, ut quemadmodum in temporalibus illa Civitas Principatui nomen præbebat, atque illius Status caput, & metropolis erat, sta constituta per Paulum III. juxta seriem, de qua *disc. 1. de Feudis*, ita in spiritualibus eandem faceret figuram cum Ecclesiis ejusdem Principatus, ut patet ex deductis *disc 1. de praem.* ubi in specie de hac erectione. Illa verò Ansanen. sive Lancianen fuit potiùs honorifica, seu titularia pro sola nuncupatione, dum nullum habet suffraganeum, ac nemini præjudicavit; nisi in quodam modico, & remoto præjudicio Ecclesiæ Metropolitanæ Theatinæ, quæ prætendebat habere in ea jus Metropoliticum acriter impugnatum, ac propterea ista erectio secuta fuit ex motivo tollendi quandam scandalosam litem.

Et nihilominus non exinde inferri potest ad tempus præsens, atque ad effectum examinis, vel consuetudinis, de qua agitur in ista congregatione, quoniam quando hujusmodi erectiones secutæ fuerunt, non erat in rerum natura ista congregatio, utpotè erecta per Sixtum V. per ejus Constitut. 74. præterquam de tempore erectionis Ecclesiæ Firmanæ postmodum secutæ per ejus Constit. 95.

Et ulteriùs nemini irrogatum fuit præjudicium, vel istud
16 fuit modicum, quoniam, quoad Ecclesiam Senensem, illa erat exempta, & de Provincia Romana; Ecclesiæ verò Saonen. Clausin. & Grossaten. quæ illi assignatæ fuerunt suffraganeæ, erant pariter exemptæ, & de dicta Provincia Romana, unde sola Ecclesia Massanens. dismembrata fuit à Provincia Pisana, ut patet ex Constit. 3. Pii II. Ecclesiæ Urbinaten. erat pariter exempta, ut etiam erant Ecclesiæ cathedrales, quæ sibi subjectæ fuerunt, & quarum Episcopi consensum præstiterunt, ut patet ex *d. disc. 1. de praemin.* Ecclesia Bononiens. erat pariter exempta, ut patet ex Constit. 79. Greg. XIII. & sic nullum aderat præjudicium alterius Metropolitanæ, quod Ecclesia ejus subdita fieret sibi æqualis, imò major, cùm adeo magna ejus scissura, solùmque illatum fuit præjudicium Ecclesiis Ravennaten. & Mediolanen. super dismembratione aliquarum cathedralium, quæ huic novæ Metropoli assignatæ fuerunt, quod moderatum fuit per Clementem VIII. ut patet ex ejus Constit. 116. Idem de Ecclesia Firmana, quòd erat exempta, & immediatè subjecta Sedi Apostolicæ, & quoad Ecclesias suffraganeas, nemini illarum fuit præjudicium, dum penè omnes erant Ecclesiæ recenter erectæ ab eodem Sixto, ac respectivè S. Pio V. qui erexit Ecclesiam Ripanam ejusdem diœcesis Firmanæ, & sic termini sunt longè diversi.

Ac demum quoad Ecclesiam Parisien. inspicere opus esse dicebam omnes illius casus circumstantias, ad effectum dignoscendi, an exemplum quadret, necne, & an priùs eadem Ecclesia esset exempta; Prout magna dignosci videtur differentia inter istam Civitatem, cujus populus est major, qui sit in Europa, & est residentia Regis, adeout reputetur de facto caput, & metropolis totius Regni Galliarum, ac propterea fortiùs, longèque magis absque proportione intraret superius enunciata ratio, ob quam Pius IV. Cathedralem Urbinaten. erexit in Metropolim.

Et nihilominus, quando hæc omnia cessarent, quodque crederetur justam, ac sufficientem adesse causam faciendi hanc erectionem; Adhuc advertebam nimiùm elatam esse injustitiam super modo dividendi Ecclesias suffraganeas, 17
dando illarum majorem numerum, fortèque meliorem qualitatem huic novæ Ecclesiæ filiali, potissimè quia ex quinque remanentibus antiquæ, & matrici, unam prætendit se exemptam, atque immediatè subjectam Sedi Apostolicæ, ac propterea esset dare magnum inconveniens, magnamque irrationabilitatem, ut illa Ecclesia, quæ prius erat filia, vel serva, ita efficeretur major, ac ditior, quàm sit ejus mater; vel domina; Ponderando, quod illæ modernæ Ecclesiæ, quibus Sedi Apostolicæ placuit concedere hanc prærogativam cum præjudicio Metropoliticarum antiquarum, habent satis modicum numerum suffraganeum comparativè ad Metropoles antiquas, ut patet in eadem Gallia in Ecclesiis Parisien. Avenionen. & Senonen quæ habent solùm tres Ecclesias suffraganeas, cùm tamen antiquæ habeant magnum numerum, quoniam Ecclesia Turronensis habet undecim, Rhemensis habet novem, Tolosan. habet octo, Ausensis habet decem, Burdegalensis habet novem, Narbonensis etiam novem; Idque etiam in Hispania dignoscitur in Ecclesiis modernis Burgen. & Hispalen. comparativè ad Toletan. & alias Ecclesias Metropolitanas antiquas, frequentiùs verò habemus in Italia, ideoque in omnem eventum proportionatè assignari locus esse deberet.

Aliqui ex congregatis, qui eidem erectioni se opponebant, ponderabant Epistolam Pelagii registratam *in canone* 18
scitote 6 q 3. ubi disponitur, quod quælibet Metropolis saltim duodenarium numerum suffraganeorum habere debet. Quamvis enim iste canon non habeat vim legis ex deductis *supra in Senecen. hoc eod. tit. disc. 50.* potissimè quia frequentior observantia contrarium docet; Advertebam tamen illum esse consideratione dignum ad effectum, ut antiquæ Metropoli competens numerus relinqueretur suffraganeorum, ponderando præsertim dictam observantiam, quod metropolitanæ modernæ omnes longè minorem suffraganeorum numerum habent, quàm antiquæ, ut præsertim in eadem Gallia ex Ecclesiarum serie apud Barbosam *de Episc.* & ex Gallia Christiana patet.

HELNEN. SEU NARBONEN. JURIS METROPOLITICI.

Votum in casu disputato in Constitutione Consistorali.

De jure Metropolitico per unam Ecclesiam prætenso cum Ecclesia Cathedrali, quæ prætendat exemptum, vel subjectam alteri Metropolitano.

S U M M A R I U M.

1 *FAlsi feries.*
2 *De duplici persona, quæ consideratur in Archiepiscopo.*
3 *Quando Episcopi suffraganei debeant citari.*
4 *Quales sint partes Congregationis Consistorialis in his materiis.*
5 *Ad effectum ut intret terminus reintegrationis, præsupponendum est indebitum spolium.*
6 *De distinctione inter potestatem ordinariam, & absolutam.*
7 *De requisitis alienationis, vel dismembrationis.*
8 *A finibus temporalibus non infertur ad spirituales, & è contra.*
9 *An, & quando subjectio Ecclesia Cathedralis alicui Metro-*

tropolitana sit fixa, vel potiùs provisionalis commendatio.
10 *Quando possit allegari alter titulus melior quam ille, de quo appareat.*
11 *De eodem, de quo n. 9.*
12 *De provisionibus rapi solitis in Ecclesiis exemptis pro appellationibus.*
13 *Quomodo in casu providendum videatur.*
14 *Non attenditur revocatio privilegii, si ista non fuit effectuata.*
15 *De electionibus, & coadjutoriis remissivè.*

D I S C. LIII.

1 Circa finem teterrimi, omniumque diuturni schismatis, quod initium habuerat anno 1378. sub Urbano VI. finem accepit per Concilium Constantiense, in quo electus fuit Martinus V. inter tres, qui tunc in eodem tempore pro Pontificibus in eorum respectivè obedientia, se gerebant, fuit Petrus de Luna nuncupatus Benedictus XIII. qui indignatus, quod Gallia descivisset ab illa obedientia, quã prius sibi præstaverat, prout usque ad obitum continuavit Hispania, inter cætera, quæ gessit, exemit Ecclesiam Helnensem a subjectione, & jure metropolitico Archiepiscopi Narbonensis, cujus ab antiquo tempore suffraganea præsupponebatur; Verùm inter alia, quæ per præfatum Martinum cassata, seu revocata fuerunt gesta per istum Pseudopontificem, ipsomet anno primo pontificatus fuit hæc exemptio, atque demandata fuit primæva subjectio, quæ tamen ob præfatum jam impressum diversum statum, vel contradicta fuit, vel plura produxit inconvenientia enunciata in literis Julii II. qui eandem exemptionem denuò concessit, istamque Ecclesiam immediatè supposuit Sedi Apostolicæ; sed Leo X. successor istam quoque revocavit, incertum verò est, an ista revocatio executioni demandata fuerit, effectumque sortita, atque arguendo à subsecutis, probabilior videtur pars negativa, quoniam de tempore proximo, quando adhuc memoria recens erat post annos scilicet quinquaginta sex, in diplomate, cum quo de anno 1573. Greg. XIII. istam Ecclesiam subjecit Archiepiscopo Tarraconensi ejusque suffraganeam usque ad ejus arbitrium effecit, enunciatur quod illa à quolibet Metropolitano exempta esset, atque Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, istaque subjectio pacificum sortita est effectum per totum annum 1676. & sic spatio annorum centum, & trium circiter; De anno verò 1677. præfatus Archiepiscopus Narbonensis petiit ejus reintegrationem, atque re delata ad Sac. Congregationem Consistorialem habitam in eodem anno, delata fuit resolutio, rescribendo, quod audiantur interessati, atque in hoc statu causa reperitur, quoniam pendet interessatorum citatio.

2 In executionem autem istius rescripti puto, quod Agentes pro Archiepiscopo actore processerint, ac procedant cum aliquo æquivoco, adeout postquam citationem demandatam, juxta modum ab eis opinatum, executi sint, nil prosit, sed oporteat denuò idem rescribere; Quantum enim conjicere potui ex citationibus coram me factis contra Agentes Archiepiscopi, & Capituli Tarraconen. ac etiam Episcopi, & Capituli Helnen processisse videntur cum præsupposito, quod sufficiat istos utpotè solum principaliter interessatos evocare. Verùm de hoc nimiùm pro meo judicio dubitandum videtur, quoniam ut advertitur *in Bituricen. hoc eod. tit. disc. praeced.* & alibi Archiepiscopus duplicem gerit personam, seu figuram facit, unam Episcopi, & Ordinarii immediati in ejus diœcesi, & alteram Metropolitani, ac judicis secundæ instantiæ in provincia complexiva diœcesum suffraganearum.

Quando itaque agitur de rebus concernentibus propriam diœcesim Archiepiscopi, qui in ea ut supra considera-
3 tur tanquam Episcopus, tunc corpus cathedraticum efformatur solum ab ipso Episcopo, ejusque Capitulo, ideoque ipsorum consensus, vel respectivè citatio sufficiat, quoniam Episcopi suffraganei nullum in hoc interesse, saltem proximum, & coæquale habere dicuntur, juxta ibidem enunciatum casum, de quo *disc. 6. de praeminent.* ac alios casus, de quibus *disc. 2. & 3. eod. tit. de praeminent.* in quibus pariter agitur de Ecclesiis metropoliticam habentibus qualitatem, sed de rebus pertinentibus ad propriam diœcesim, non autem ad Provinciam.

Ubi verò agitur de rebus percutientibus Provinciam, &
4 jus metropoliticum, tunc omninò verius videtur, quod Archiepiscopus junctus cum ejus Capitulo repræsentat, vel efformat caput istius intellectualis corporis metropolitici, reliquum verò corpus repræsentatur, vel efformatur ab Ecclesiis Cathedralibus suffraganeis, earumq; Episcopis, & Capitulis respectivè, à quibus singula membra cathedratica efformantur, ac repræsentantur, ideoque omnes dicuntur habere interesse principale, & coæquale, & per consequens omnes citari debẽt, juxta distinctiones, de quibus in ibidem allegatis *disc. 2. & 13. & 22. de jurisd. & disc. 9. de judic.* & alibi.

5 Præsupposito autem pleno, ac legitimo adimplemento eorum, quæ respiciunt ordinem, circa citationem interessatorum; Quatenus pertinet ad justitiam, ac merita negotii principalis, de quibus aliqualiter discursum fuit; Dicebã distingui debere, an Archiepiscopus Narbonensis peteret à Papa istius Ecclesiæ restitutionem per viam gratiæ, & tanquam à cessante ratione, ob quam Julius II. ac respectivè Greg. XIII. eã sibi abstulerunt, quasi quod ita exigerent illę regulæ prudentiales, quæ vulgò politicæ dici solẽt, ratione mutationis dominii temporalis; Et tunc, cùm de libera, & absoluta potestate Papę dismembrandi, & dividendi, sive uniendi, & restituendi, nulla in his materiis spiritualibus apud Catholicos quæstio cadat, adeout totum restringatur ad voluntatem, idcircò nullę videntur partes Congregationis, quæ gerendo in his materiis partes Assessoris, vel periti cõsiliarii, ejus votum, quod solum consultivũ est, præstare debet prout de jure, juxta sacrorũ canonum, vel conciliorum, sive Apostolicarum constitutionũ dispositionem, aut juxta magis probabiles, magisque receptas Doctorum traditiones, In reliquis autem se remittere debet arbitrio, & Prudentiæ Pontificis.

6 Ubi verò ista reintegratio peteretur de justitia, & juxta terminos juris, de quo respondendum esset; Et tunc eram in sensu, quod negativè potiùs responderi deberet, quoniam cùm de potestate Pontificis, qui hanc Ecclesiam subjecit Ecclesiæ Tarraconen. ejusque Provinciæ univit, non sit dubitandum ut supra, atque Pontificia concessio pacificum effectum sortita jam sit per spatium centum annorum, & ultrà, adeòut jus firmum huic Metropoli quæsitum sit, hinc sequi dicebam, quod non intraret terminus spolii, quod præsupponendum est ad hoc, ut intret alter terminus juridicæ reintegrationis, dum id secutum est validè, ac legitimè ex facto ejus, qui habebat hanc potestatem tollendi uni, & concedendi alteri Ecclesiæ, ad vulgares terminos *text. in l. juste possidet. de quib. disc 44. de judic.* & alibi sæpiùs.

7 Quando autem non per viã reintegrationis debitæ de justitia, sed per viam novæ concessionis ad id esset deveniendũ; Et tunc, quatenus Papa nollet adhibere ejus absolutam, ac supremam potestatem à legis positivæ vinculis exemptam, sed vellet procedere cum potestate ordinaria ad præfatæ legis limites regulanda, juxta distinctionem, de qua agendo de potestate Principis tollẽdi jus tertii habetur *disc. 148. & 177. de Regal. & in aliis pluries, eod. tit.* ac alibi, cùm ista dismembratio ab uno Metropolitano, ut alteri concedatur, importet veram, ac formalem nimiùm præjudicialem alienationem, *ut in d. Bituricen. hoc eod. tit. disc. prec.* hinc sequitur, quod ultra solemnitates, quas beneplacitum Apostolicum supplere solet, ex deductis in materia alienationis bonorum Ecclesiæ *disc. 1. de alien. & contract. probib.* & alibi, requiritur etiam justa causa evidentis utilitatis, vel necessitatis, quarum utraque in præsenti cessare videbatur, cum nulla exhiberetur recompensa, quæ in ista materia ca-
8 dit juxta ea, quæ habentur *in d. Bituricen. disc. prec.* nullaque dignoscebatur necessitas, nisi illa, quæ per aliquos insinuabatur ratione mutationis dominii, ob quam propter longè diversos dominiorum, ac principatuum mores, aliqua considerari possent inconvenientia; Nihilominus ista dicitur ratio, & causa consideratione quidem digna juxta insinuatas regulas prudentiales, vel politicas, non autem juxta juridicas, ex recepta propositione, de qua *disc. 2. & in plur. seqq. sub tit. de jurisd.* quod à dominiis, & finibus temporalibus inferre non licet ad hujusmodi fines, & jurisdictiones spirituales, & è contra.

9 Motivabant aliqui ex sedentibus in Congregatione potiùs quam defensores Archiepiscopi actoris, qui erant magis expeditores negotiorum Datariæ, quam professores fori, ideoque non multum ista callebant, unde propterea (ut frequenter in ista, aliisque cardinalitiis congregationibus contingit) practicare oportuit rubricam, ut ea quæ desunt Advocatis, Judices suppleant, quod dicta concessio Greg. XIII. esset ad arbitrium ipsius sedis Apostolicæ, & per consequens, quod redoleret potiùs quandam provisionalem commendationem, quia sic temporum contingentia, dominiorumque mutatio exigerent, ac propterea ex regula, *cum cessante, &c.* ista provisio cessare deberet, atque res ad priorem causam, primævumque statum redire deberet.

Quamvis autem hoc motivum primò aspectu apud ali-

quos nimiùm considerabile, ac plausibile videretur; Dicebam tamen illud nullam habere substantiam ex pluribus. Primò quoniam ubi concessio Gregorii esset provisionalis, ac eo mudo quo præsupponebatur (cujus contrarium videtur verius ut infra) tunc argumentum procederet, quando ex parte Archiepiscopi Tarraconensis ista concessio producta fuisset tanquam ejus titulus, cujus vigore profiteretur se possedisse, ac possidere hoc jus Metropoliticum, cùm tunc ad illum se restrixisse censeretur, sed cùm exhiberetur ex parte actoris, id non tollit quin Archiepiscopos Tarracon. allegare posset quemcunque alium titulum de mundo
10 meliorem, quem allegari posse cōcedit possessio centenaria, ex iis quę habentur *disc 47. de Regal. disc. 3. de alien. & contract. prohib. & disc. 21. de judic* & alibi, ideoque dicere potest non habere hoc jus in vim dictæ concessionis, sed alterius tituli melioris postmodum superventi etiam ex causa onerosa, & cum consensu, ac cessione ipsius Narbonensis.

Secundò non esse verum præsuppositum, quod ista esset
11 nuda provisio, seu commendatio, quoniam in eadem concessione dicitur quod Ecclesia ista efficiebatur suffraganea, & de ista Provincia adinstar aliarum suffraganearum ejusdem Provinciæ, ideoq; præsuppositum cessat ex facto, in quo advertebam æquivocari. Siquidem tunc dicitur delegatio, seu commendatio provisionalis, quæ nunquam tribuit titulum Metropoliticum jure proprio, quando assignatur Ecclesia tanquam suffraganea, neq; tanquam talis subjicitur, sed solùm deputatur Metropolitanus tanquam vicinior, qui gerat vices vicarii, seu delegati Papæ pro diœcesanorū commoditate, & ne cogantur adire Curiam Romanam remotā in omnibus casibus appellationum, & recursuum, ipsa tamē Ecclesia continuante in statu exemptę, ac immediatè subjectæ Sedis Apostolicę. Ut exempli gratia sequitur in Ecclesia Melphiten. quæ prius erat suffraganea Archiepiscopi Barensis, postmodum verò Innoc. VIII. ex eo quòd fuerit ejus Epi-
12 scopus, unde in statu Cardinalis, juxta illorum temporum usum, ab ista Ecclesia nuncupationem desumebat, illam exemit à jure Metropolitico, sed cumperto, quod id ob distantiam Curiæ incommodum, ac prejudicium clero, & populo pareret, dum ita Episcopus majorem gravandi licentiam habebat, ad eorundem cleri, & populi instantiam deputatus fuit idem antiquus Metropolitanus, non tanquam talis, ac jure suo metropolitico, sed tanquam vicinior, & tanquam delegatus pro cognitione causarum in gradu appellationis, vel recursus, idemque in plerisque aliis Ecclesiis exemptis dignoscitur, quod aliquis Episcopus ex vicinis hanc habet delegationem, sive Nuncius Neapolitanus, ut contingit in Episcopatu Melphiten. & similibus, unde discretiva est clara desumpta ex discreto & diverso modo rescribendi, qui diversam probat voluntatem ex iis, quæ habentur *disc. 23. de benef.* & alibi pluries; Ideoque in ista concessione clausula *ad arbitrium* non immutat naturam concessionis veri juris Metropolitici, sed solum (ita forte prudentialibus motivis exigentibus) adjecta fuit ad quandam interessatorum satisfactionem, exprimendo id, quod de jure inest, quoniam ubi etiam ista clausula non adjiciatur, adhuc in libero arbitrio Papæ repositum est hujusmodi concessiones revocare, sive Ecclesiarum statum immutare.

Et tertiò clariùs, quoniam ubi etiam dicta concessio importaret solùm provisionalem delegationem ex causa, quia cessante, cessare, seu revocari deberet, non tamen exinde
13 inferri posset ad jus metropoliticum Narbonensis, dum in eaque concessione Ecclesia enunciatur, ac præsupponitur in statu exemptæ, ac immediatè subjectæ Sedi Apostolicæ juxta dictam concessionem Julii II. ideoque in eo statu relinqui deberet; Ut forte quando motiva prudentialia, vel politica exigerent, magis excedere videretur, delegando interim provisionaliter jurisdictionem in secunda instantia alicui vicino, non autem ad restituendum antiquum jus Metropoliticum Narbonensi, ob incertitudinem adhuc vigentem ob rerum Europæ motus, quod dominii temporalis mutatio denuò sequi posset, unde scandalosum, atque indecorum esset, quod Sedes Apostolica inconstantiam in hoc ostenderet, crebrasque faceret mutationes à sacris canonibus potiùs damnatas.

Nil obstante, quod per Leonem X. exemptio concessa per
14 Julium II. revocata fuerit; Tum quia ut frequens praxis docet, potuit ista revocatio in partibus talia recipere impedimenta, quod ipsamet Sede Apostolica dissimulante, ac tacitè consentiente, non fuerit executioni demandata, nullumque habuerit effectum; Unde propterea habemus propositionem, quod possidens ex privilegio, quod doceatur revocatum, adhuc in ejus possessione manutenēri debet, non obstante revocatione, quia potuit hæc non esse effectuata, ex deductis *disc. 2. de praem.* & alibi. Tum etiam quia post Leonem, alia potuit supervenire Apostolica concessio, per quam tollendo de medio secundam provisionem Leonis, reintegrata esset prima Julii ob vehementem præsumptionem resultantem à narrativa contenta in altera cōcessione Gregorii, quoniam cùm hujusmodi literæ Apostolicæ transire soleant per manus plurium Peritorum officialium Datarię, & Cācellarię, nullatenus pręsumēda est in omnibus ista ignorantia status Ecclesię, & an esset subdita, vel exempta; Potissimè verò, & clarius, quoniam ob crebras, ac frequentes vacationes, & provisiones, quæ fiunt in consistorio, in quo status Ecclesiæ per Cardinalem Ponentem inquiritur, & prętonizatur, prorsùs improbabilis dicenda est hęc ignorantia, atque omninò probabilis veritas dictæ narrativæ, quod Ecclesia esset exempta, & immediatè subjecta Sedi Apostolicę, ideoq; saltem in hoc statu relinquenda, ita quoque exigentibus aliquibus prudentialibus motivis nimia consideratio ne digna, quamvis non congruat ea calamo committere.

De plerisque aliis pertinentibus ad istam Congregationem Consistorialem, & præsertim circa electionem Episco-
pi, quæ in Germania adhuc est in usu, & circa deputatio- 14
nem coadjutoris cum futura successione, habetur actum in statu Advocati *sub tit. de Canonicis, & Capitulo*, ubi de materia electionis, & actuum capitularium *disc. 27. cum dub. seqq & disc. 38.* in quorum ultimo agitur de puncto an in concessione coadjutoriæ consensus Capituli debeat capitulariter præstari, atque firmatur, ut hæc necessitas de jure non adsit, solùmque aliquam dubitandi rationem præbere videntur Concordata.

ROMANA SIVE &c. COMMENDARUM.

Votum in plerisque casibus in Sacra Congregatione Consistoriali.

An concedi possint, ac respectivè debeant Monasteria Regularia in Commendam Clericis sæcularibus, quando, & quomodo?

S U M M A R I U M.

1 *Occasio scribendi.*
2 *De modernis Scriptoribus in materia, non adeò laudandis.*
3 *An usus Commendarū adversetur juri divino antiquo?*
4 *An adesset usus Regularium ante adventum Christi?*
5 *De introductione Ordinis Mendicantium.*
6 *De præcepto non arandi in bove, & asino.*
7 *An idem usus Commendarum adversetur juri divino novi testamenti?*
8 *Quando ordo regularium initium habuerit.*
9 *Antiquitus Religiosi non erant Clerici, neque gaudebant exemptione, sed subjacebant Ordinariis locorum, & Parochis.*
10 *Essentiale requisitum vitæ regularis est profiteri certam regulam, vel certum institutum à Sede Apostolica approbatum.*
11 *De jure naturali quale sit.*
12 *Quare usus Commendarum adversetur juri naturali.*
13 *Quod contradistinctio Clericorum sæcularium, & regularium, tota pendeat à jure positivo Ecclesiastico.*
14 *An Papa tollat beneficia ecclesiastica possessoribus, ac mutet statum Ecclesiarum?*
15 *An commendare Monasteria regularia Clericis sæcularibus lædat justitiam naturalem.*
16 *Unde proveniat error modernorum Scriptorum.*
17 *De Commendarum origine, & introductione, & de inconvenientibus quæ producit.*
18 *De fine ob quem improbentur Scriptores qui usum Commendarum.*
19 *De Prælatura Regularium supra Clericos sæculares.*
20 *Quod id importat plus quàm Prælatura sæcularium supra Regulares.*
21 *De Commendis Religionis Hierosolymitanæ, aliarumque similium Religionum, quarum professores sint verè Religiosi.*
22 *De Commendis illarum Religionum, quæ verè non sunt tales.*
23 *De Commendis Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Parochialium.*
24 *De distinctione inter Commendas temporales, & perpetuas.*

25 *De*

25 *De commendis monasteriorum regularium sine actuali conventu.*

26 *De Monasteriis commendatis habentibus conventum illorum religiosorum, qua constituunt universitatem, vel Rempublicam,*

27 *Quale damnum, vel prajudicium inferant commenda hujusmodi Monasteriorum.*

28 *De Monasteriis commendatis, qua reguntur jure singulari.*

29 *Ista regulariter subjacent Ordinariis locorum.*

30 *In quo consistat aequivocum modernorum.*

31 *De causis ex quibus commenda concedi solent, & quando non concedantur.*

32 *De clausulis, & conditionibus adjici solitis.*

33 *Non sunt admittendi Abbates diversi instituti.*

34 *Conclusio discursus, & quomodo materia pertractari debeat.*

D I S C. LIV.

1 IN hoc anno primo Pontificatus Innocentii XI. in quo ratione muneris ejus Auditoris, sed in Congregatione consistoriali, in qua peragitur ista materia commendarum, quando de monasteriis consistorialibus agitur, ac etiam ratione alterius muneris Secretarii memorialium de eadem materia dignoscere occasio dedit respectu monasteriorum non consistorialium, an hujusmodi petitiones remitti deberent ad Datariam, vel potiùs rejici; Comperii nimiùm frequenter de hoc agi, cohonestando petitiones ex illa frequentiùs causa eadem monasteria ruinosa, vel collabentia restaurandi, sive aliàs eorum damnis, ae præjudiciis occurrendi. Cùmque moderno tempore in lucem prodierint quædam anonyma opuscula gallici idiomatis, quorum titulus est
2 *de Abbate Commendatario*, hujusmodi commendarum usum nimiùm damnantia, atque comperierim, quod apud aliquos hæc opera magnum habuerit plausum; Hinc illorum lecturę in aliquibus subcisivis horis applicare decrevi, atque pro meo judicio conjicere visum est, quod probabiliter sint labores claustrales, cum illa affectione adhibiti, quæ in causa propria, illamque tuendo, pro humana conditione haberi solet; Non inveni tamen in eis tantam soliditatem, quanta mihi exaggerata fuit; Ex eo præsertim assumpto per eos firmato, non modicum reformando conceptum, vel ignorantiæ, vel temeritatis, quod scilicet iste usus concedendi monasteria regularium in commendam Prælatis, & Clericis sæcularibus divino, naturali, & ecclesiastico juri, ac etiam politico adversetur ac resistat.

Quatenus enim pertinet ad jus divinum, neque in una, neque in altera sacra pagina utriusque veteris, ac novi Testa-
3 menti, præscripta videtur ista contradistinctio clericorum sæcularium, & regularium, adeout absurdum, vel implicantiam juri divino contrariam redoleat, ut clericus sæcularis prælaturam habeat, ac regimen, & administrationem monasterii regularis & è converso quod clericus regularis prælaturam, ac administrationem habeat sæcularis Ecclesię cathedralis, vel metropolitanæ, sive parochialis; Illa namque distinctio (antiquis etiam canonibus, fortè ignota) inter titulos, & commendas, à recentiori jure ecclesiastico potiùs provenire videtur. In veteri siquidem sacra Pagina habetur ordo Levitarum, & Sacerdotum, non tamen hæc distinctio in hoc genere hujusmodi specierum, sæcularium, & regularium; Quamvis etenim Elias, & Eliseus, aliique similes prophetæ in Monte Carmelo, & alibi anachoreticam, ac religiosam ducerent vitam, Unde, propterea in
4 quinto sæculo nostræ salutis per Jo: Patriarcham Hierosolymitanum ad istorum imitationem juxta unam opinionem, institutus fuit ordo Eremitarum Montis Carmeli, qui in Occidente introductus, vel renovatus fuit cum authoritate Sedis Apostolicæ in eodem decimo tertio sæculo, in quo aliæ tres Religiones mendicantes, Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum S. Augustini fundatæ, vel respectivè per Apostolicam Sedem approbatæ fuerunt, ac propterea istæ quatuor Religiones dictæ fuerunt mendicantes, atque novus in Ecclesia latina inolevit ordo regularis, mendican-
5 tium nuncupatus, ad differentiam antiquioris Monastici, ut istos ordines distinguendo, atque singularum religionum originem, seu fundationem, ac institutum recensendo, advertitur in opera Italici idiomatis, cui titolus est, *il Dottor Volgare, lib. 14. sub tit. de Regul. præsertim c. 30.* Non tamen legitur quod præfati Eliseus, & Elias, ac alii similes tria solemnia, regularia substantialia vota emiserint, adeout essent regulares contradistincti à sacerdotibus, & levitis sæcularibus,

Et quamvis aliqui, ex pia meditatione, vel ex ingenii acumine, ac ostentatione ponderent divinum præceptum Levitici: Non arabis in bove, & asino, ac propterea ad istam inferant contra distinctionem sæcularium, & regularium, quodque uni non debeant se ingerere in prælaturis, & administrationibus aliorum, prout ista mixtura consideratur, præsertim *disc. 4. n. 17 & disc. 24. de praem.* Attamen, ut præmissum est, ista in proposito dicenda venit eorumdem claustralium pia meditatio, sive ingeniosa consideratio, quoniam si hodie rustici adessent qui istum haberent morem arandi in bove, & asino, ut fortè in aliquibus re- 6
gionibus practicatur, non exinde peccatum aliquod committerent, neque divino præcepto contravenire dicerentur, dum istud præceptum continet mystica, quæ per mysterium incarnationis, & passionis D. N. J. C. nostræque redemptionis, utpote jam adimpleta, evanuerunt; Atque in hoc præciso puncto quod regularis sit caput, & prælatus, ac administrator Clericorum, & Ecclesiarum sæcularium, vel è converso, docet generica inconcussa praxis, ut advertitur infra, agendo de jure naturali, & Ecclesiastico.

Minusque dici potest repugnare jus divinum novi Testa- 7
menti, quoniam in Evangelio, vel in actibus Apostolorum, aliisque locis, ex quibus in clara litera, vel in sensu per Ecclesiam recepto, divinum jus desumitur, ista contra distinctio sæcularium, & regularium non habetur. Quamvis etenim moderni regulares, eorum institutum ingeniosè magnificare satagant, quod fuerit in Ecclesia primitiva prius, & antiquius, quam illud Clericorum sæcularium, ac propterea ipsum Petrum Christi Vicarium, & Apostolorum Principem eorum Fundatorem, & Patriarcham describere solent, id desumendo ab actibus Apostolorum exemplo bantibus vitam communem, quæ regularibus, non autem sæcularibus congruit. Attamen ut advertitur *disc. 1. de Regul. circa principium*, magis autem in eodem superius allegato opere Italici idiomatis cui *tit. est, il Dottore Volgare, d. tit. de Regul. in proæmio*, id continet æquivocum, quo- 8
niam initio nascentis Ecclesię vita communis erat omnium Christianorum, etiam merè sæcularium, eorumque narum, ac etiam viduarum, ut eadem acta Apostolorum docent, Ideoque verius est quod regulare institutum in Oriente initium habuerit à S. Basilio, in Occidente autem à S. Benedicto, & à S. Augustino, post cessatum paganismum, ac secutam Ecclesiæ tranquillitatem per baptismum Constantini, quoniam licèt in antecedentibus temporibus, in quibus Ecclesia vixit sub Gentilium persecutionibus, fundata fuerint Monasteria Monachorum, ut legitur in actis SS. Antonii Abbatis, & Hilarionis, aliorumque similium; Nihilominus erant potiùs sæculares, qui anachoreticam vitam, non quidem solitariam, juxta illam Pauli primi Eremitæ, & Macarii, ac Onuphrii, & similium, sed sociativam, & collegialem ducebant, non tamen habetur, quod viverent sub certa regula per Sedem Apostolicam probata, cum emissione trium votorum substantialium.

Quinimò etiam post introductionem prædictarum reli-
gionum Sancti Basilii, & Sancti Benedicti, & similium, 9
antiquitus Monachi, aliique religiosi non erant Clerici, sed clericari expressè prohibebantur, ac propterea more reliqui populi sæcularis subjacebant Parocho, & recipiebant sacramenta in Parochia, ut advertitur *disc. 1. & seqq. de decimis*, atque in jurisdictionalibus, & in morum correctione, subjacebant Episcopo ob adhuc non introductum usum exemptionum, cum jurisdictione concessa ipsis Prælatis regularibus, quod secutum est à millesimo circà, licèt aliqui id tribuant Divo Gregorio, quod est erroneum, ut advertitur *disc. 28. de jurisd. & d. disc. 1. & 19. de Regul.* & alibi; & per consequens omnimoda contradistinctio Clericorum sæcularium, & regularium, eorumque prælatorum, & beneficiorum, ex qua prodiit regula, quod sæcularia sæcularibus, & regularia regularibus conferri debent, est potius moderna à millesimo circa.

Et quidem, cùm primum, ac essentiale requisitum status 10
regularis sit illud, ut professio fieri debeat in certa Religione, vel in certo instituto per Sedem Apostolicam approbato, ex deductis *disc. 50 & 66. de Regul.* & alibi, hinc non videtur quomodo casus dari valeat quod etiam in primitiva Ecclesia sub persecutionibus gentilium id sit verificabile. 11

Quo verò ad jus naturale, cui quoque hunc usum, commendarum adversari dicitur; In primis, excepto illo jure divino, cui naturale morale inest, in utraque prædicta sacra Pagina contento, non videtur qualia sint volumina, in quibus istud naturæ jus registratum sit, & quinam fuerint ejus legislatores, ut alibi pluries advertitur, adeoque dicendum

est, quod seclusa illo jure naturæ, quod ut suprà utpotè respiciens moralia, inest juri divino, duplex jus naturæ in corde, vel in sensibus homines habere videntur, unum circa ea quæ respiciunt sensus corporeos delectantes, vel contristantes, atque istud quod penè in omnibus etiam brutis est commune, in proposito non est adaptabile; Alterum verò quod solùm hominibus rationis usum habentibus, nõ autem animalibus irrationabilibus congruum est, atque istud vere potiùs à religione, quam homines profitentur, & à civili educatione insitum videtur, atque de isto dicendum venit, quod præfati Scriptores senserint, non autem de primo, quando dicunt quod commendarum usus est contrarius juri naturali; Quamvis enim exemplum quod ab eis dedu-
12 citur, congruat primo in re quæ subjaceat sensibus corporeis, ac videatur cum oculis carnalibus, non autem cum illis intellectus, quod scilicet monstruosum sit, & contra naturam, ut caput sit diversæ naturæ, quàm sint membra, & reliquum corpus, putà quia bos habeat caput asini, & è contra, & sic quod clericus sæcularis sit caput, & prælatus monasterii regularium; Attamen est exemplum intellectuale, quod non cadit sub oculis, & sensibus corporeis, sed percipitur judicio intellectus, atque pendeat à discursu rationali, qui dependentiam habet à jure humano ecclesiastico, quoniam si non haberet jus ecclesiasticum, utique ista monstruositas non adesset; Attento siquidem solo jure, vel instinctu naturali, nulla dignoscitur differentia inter ecclesiasticos, & laicos, vel in eodem genere ecclesiasticorum, inter clericos sæculares, & clericos regulares; sed ista sæcularium, & regularium diversa, vel opposita natura tota pendet à fictione legis ecclesiasticæ positivæ; Igitur fabulosum est assumptum, ut usus commendatum juri naturæ adversetur; Idemque discursus adamussim cadit in alio exemplo, quod pater sit diversæ vitæ, diversæque naturæ, vel status, quàm sint filii, cum similibus.

Cùm itaque ista monstruositas tota pendeat à quadam fi-
13 ctione, sive intellectuali diversitate, quam induxit jus positivum ecclesiasticum à Summis Pontificibus, vel à Conciliis ordinatum, adeout si istud non esset conditum, vel si aboleretur, utique nulla dignosceretur differentia, vel monstruositas, quæ ab eadem diversa natura artificiali, vel intellectuali pendet; Hinc sequitur, quod si Papa conditor hujus legis illi derogat, vel dispensat, tunc tanquam ex cessante præsupposito, vel ex remotione obstaculi, omnis penitus monstruositas cessat; Eo modo quo *disc. 148. de Regal.* & alibi habetur in ea quæstione, an Papa, sine de-
14 merentia, vel alia justa causa tollere possit prælaturas, vel commendas, aut beneficia sæcularia, de sui natura perpetua, non autem manualia, quoniam esse perpetua, vel manualia, non pendet à jure divino, vel naturali, sed à jure merè positivo ecclesiastico per Papam condito, cui potest ipsemet Papa in totum derogare, vel in casibus particularibus dispensare, cum similibus, ideoque passim Ecclesias regulares facit sæculares, *ut disc. 3. de præeminent.* & alibi vel è contra sæculares facit regulares.

Exindeque resultat plana responsio ad majus eorundem scriptorum fundamentum, cui innixi firmant præfatum as-
15 sumptum, quod commendare monasteria regularia clericis sæcularibus lædit justitiam naturalem, tollendo regularibus id, quod suum est, ac tribuendo sæcularibus, qui nullum jus in eis habent, ac propterea inferunt ad consequentiam læsionis omnis juris divini, naturalis, & positivi ob justitiæ læsionem; Quoniam debitas esse regularibus prælaturas monasteriorum provenit ex mera gratia, & concessione Sedis Apostolicæ, non autem ex aliquo contractu oneroso, & correspectivo, cujus observantia aliquod habeat fundamentum
16 in illo jure naturali, vel gentium, quod circa observantiam pactorum somniant Legistæ, ex deductis eodem *disc. 148. & 177. & in aliis pluries, eod. tit. de Regal.* Igitur non est tollere jus proprium, neque lædere justitiam commutativam, sed solum auferre illud gratuitum beneficium, quod ex justitia distributiva potiùs, quàm commutativa, gratiosè, ac benevolè concessum est; Ad id autem Scribentes non reflectunt, utpotè fori, ac negotiorum præsertim Romanæ Curiæ nullatenus, vel parum experti, ideoque in sola rerum superficie immorantes, atque ad rerum principia, cum debito ratiocinio, ac vero scientifico more, non reflectentes, ut pluries advertitur, & inculcatur *in constitutu, legis, & rationis, hoc lib. 19. supplementi, p. 3 in fine.*
17 Indebitè quoque aliqui ex nostris, ex hujusmodi operibus magnum in authoribus efformãt judicium eruditionis, ac ingenii, ex eo quòd commendatum occasionem, vel originem perscrutentur, vel quod observent, & exaggerent inconvenientia; Id etiam rem novam non continet, sed merã redolet collectionẽ factam, ut vulgò dici solet, cum humerorum potiùs improbo labore, quàm cum ingenii acumine, ac operatione, cùm hæc recenseantur per antiquos, ac medios Scriptores, & præsertim per Rebuff. *in praxi benef. tit. de Commendis* à quo plerique alii mutuantur, neque Rebuf. est illorum inventor, vel primus relator, dum ante illum recensentur à plerisque Pontificibus, & Conciliis, præsertim verò ab ultimo Lateranensi, aliisque Scribentibus.

Illa siquidem non urgantur, quando sine justa causa, de- 18
bitaque circumspectione, vel cum immoderata frequentia hujusmodi usus practicetur; Unde hæc propterea præfatorum Scriptorum impugnatio illum non habet finem, ut iste usus substineatur, utpotè commendatione dignus, sed ad effectum ostendendi, quod ipsi, solùm vel cum aliquo livore, vel cum imperitia ita scribunt, materiam non adeo benè callentes, atque ita cum eorum generalitatibus temerè de injustitia, & impietate redarguentes, tam Regem Christianissimum, qui omnium frequentiùs hujusmodi petitiones facere solet in Monasteriis de ejus jurepatronatus, aliosque Reges, & Principes, qui easdem faciunt petitiones, quàm etiam Papam, & Sedem Apostolicam hujusmodi petitionibus annuentem, quoniam objecta intelligi debent quando inconsideratè, ac sine justa causa prodigaliter id sequatur in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel parochialibus potiùs juxta sequentes distinctiones, atque de hac specie propriè ac principaliter antiqui loquuntur.

Si enim in sensu præfatorum Scriptorum, aliorumque si- 19
milium prælatura clerici sæcularis in Ecclesia, vel Monasterio regulari exaggeratam semper produceret monstruositatem, omni juri divino, naturali, & ecclesiastico, nec etiam politico contrariam, exinde sequeretur quod idem absque dubio ab identitate, imò à majoritate rationis deberet sequi in prælatura clericorum regularium in Ecclesiis sæcularibus, & supra clericos sæculares; Et per consequens semper, atque per regulam deberent regulares reputari inhabiles ad Episcopatus, & Archiepiscopatus, aliasque similes, vel æquipollentes prælaturas; Ac etiam quampluribus Monasteriis, vel Conventibus Ordinis Monastici, & Mendicantis, & Prioratibus, vel Commendis ordinis militaris, & præsertim Sancti Joannis Hierosolymitani tolli deberet illa spiritualis ordinaria, & quasi Episcopalis jurisdictio, quæ habetur, & exercetur in plerisque oppidis, & castris cum clero, & populo, Episcoporum adinstar juxta multos casus recensitos *disc. 1. & seqq. & tot. tit. de jurisdict. sparsim.* Id 20
etenim est longè magis, quàm regere exiguum numerum religiosorum cum certa regula viventium in uno monasterio, dum ita verificatur usitatque absurdum, quod caput est diversum à corpore quodque pater est diversæ vitæ, & instituti, quàm sint filii, atque religiosi, vel regulares lædere dicuntur justitiam, occupando illas prælaturas, quæ pertinent ad clericos sæculares; Unde propterea quando regulares conqueruntur, quòd per clericos sæculares mediante isto casu commendatum eis tolluntur Abbatiæ, respondere potest, quod abstineant ipsi ab ambiendis, & assequendis Episcopatibus, & Archiepiscopatibus, aliisque prælaturis sæcularibus ut supra, & tunc justum, ac rationabile erit, quod clerici sæculares omninò abstineant à commendis. His itaque non inutiliter prænotatis, atque assumenda materiam, non incongruum videtur diversas commendarum species quoque præmittere, sive diversos earum casus, quorum distinctio in omnibus optimum est antidotum veneni æquivocorum, cui superficiales perpetuò subjacent quando cum authoritatum litera, & propositionum generalitate in omnibus casibus indefinitè procedatur.

Prima igitur species commendarum est illa, quæ est in 21
usu in religione sancti Jo: Hierosolymitani, aliisque similibus religionibus militaribus, quæ sint verè tales, quia nempè earum professores emittant tria vota substantialia, ideoque sint veri religiosi juxta distinctionem, de qua plenè *disc. 92. de jurisd.* ac etiam *disc. 1. de Regul.* & alibi, istæque species commendarum non cadunt sub hac inspectione, quoniam reverà sunt beneficia regularia, ita pro quodam loquendi usu in Religionibus militaribus nuncupata ad differentiam dignitatum, quæ explicantur sub vocabulo prioratuum & bajulivatuum, atque de his agitur pluries *sub tit. de benef. præsertim disc. 68. & 69.*

Altera est species commendarum Religionum 22
militarium, quæ reverà non sunt tales, sed solùm pia, & ecclesiastica instituta, quia earum professores non emittunt dicta tria vota, ideoque non sunt veri religiosi, ut exempli gratia in Italia sunt milites sancti Stephani, aliique similes

in

in eadem Italia, & Hispania, Gallia, Germania, Lusitania, aliisque regionibus, recensiti *eod. disc. 92. de jurisd.* Magisque distinctè, & ex professo in dicto opere Italici idiomatis cui titulus est *il Dottore Volgare lib. 14. eod. tit. de Regular.* isteque commendæ habent potiùs naturam primogeniorum, vel majoratuum, seu fideicommissorum singularium, quàm beneficiorum, ut habetur *disc. 8. de fideicom. & disc. 20. de jurepatr.* & alibi pluries, ac pariter ista commendarum species est extrà propositum.

23 Tertia est species illarum commendarum, quarum praxis ante Conc. Trid. ubique frequens erat, etiam in Italia, & in Hispania, hodie verè post dictum Concilium ab istis provinciis omninò exulavit, earum tamen usus (licèt non adeò frequens, ut prius) adhuc viget in Germania, & quandoque (magis tamen raré) in Gallia, & in Polonia, aliisque regionibus, cathedralium scilicet & metropolitanarum, ac parochialium, in quibus iste usus commendandi practicari solebat, ac respectivè solet, ad effectum fraudandi canonum, & conciliorum prohibitionem super earum multiplicitate in una persona, ob matrimonium spirituale, quod inter hujusmodi Ecclesias, earumque prælatos, vel rectores contrahi dicitur, ne detur absurdum, ut unus vir, duas, vel plures habeat eodem tempore uxores. Vel ob impedimentum, quod aliàs in ea persona vigeat, ratione ætatis, vel defectus sacrorum ordinum, sive alterius requisiti necessarii ad obtinendum istas Ecclesias in titulum.

Ista itaq; species verè, & propriè majori damnatione digna reputari solet, ac debet, utpotè majorum scandalorum, & inconvenientium productiva, quàm sit altera monasteriorum regularium, de qua infra, dum istæ ecclesiæ pernecessè annexam habent utranque, cleri sæcularis, & populi, imo etiam ipsorummet regularium quamvis exemptorū in suis casib. curam jurisdictionalem, & sacramentalem, ac propterea prorsùs incongruum videtur, ut ille qui non sit in legitima ætate, vel non sit in sacris constitutus aut alium similem habeat defectum, hanc longè majorem quamplurium diœcesum, & quamplurium capitulorum, & collegiorum ecclesiasticorum, ac etiam monasteriorum monialium, ipsorumque monasteriorum regularium, ac populorum curam jurisdictionalem, & sacramentalem, ac civilem, œconomicam administrationem habere debeat, adeo ut nulla cadat proportio inter istam speciem, & alteram sequentem, atque multa inconvenientia desuper considerari solita verè istam percutiunt speciem, ita etiam comprobante ipso Conc. Trid. quod hanc speciem positivè damnat, alteram verò non, præterquam ubi agatur de capitibus Religionum; Ac etiam docet Sedis Apostolicæ observantia, quoniam post dictum Concilium ista species in Italia, & Hispania, alisque locis penitus abolita est, non tamen abolita altera, cujus usus etiam in Italia, imò in ipsamet Urbe ejusque adjacentibus locis adhuc viget, ut in Urbe docet praxis monasteriorum Sancti Gregorii ordinis Camaldulensium, & SS. Vincentii, & Anastasii trium fontium ordinis Cisterciensium, cum similibus; Et extra Urbem in locis vicinis est monasterium Cryptæferratæ propè Tusculum ordinis Sancti Basilii, & Monasteria, & Farfæ, & Sublaci ordinis Cassinensium, cum aliis quamplurisibus per Italiam.

Et nihilominus, etiam in hac specie cathedralium, & metropolitanarum adhuc quandoque, præsertim in Germania, ac alibi expedit, imò cogit necessitas commendandi aliquas ecclesias depauperatas, vel oppressas ab hæreticis, illis nimium qualificatis, ac potentibus Prælatis, qui aliam possideant majorem ecclesiam, ut exempli gratia contingit in tribus Archiepiscopis Electoribus, aliisque similibus, aut filiis magnorum Principum, qui cum eorum authoritate, & potentia Ecclesias oppressas, vel oppressionibus subjectas tuebantur, ac oppressores expellant, sive eis resistant, ne majora committantur mala, cum similibus causis, vel circumstantiis, quæ à mixtura hæreticorum, vel infidelium, aut schismaticorum oriantur; Atque in istis, vel similibus casibus, sive ea istis, vel similibus causis ista congregatio hujusmodi commendas, vel concessiones, administrationem admittere solet, non autem ad solam potentium complacentiam, vel ditationem, ut iidem scriptores, ac alii, à quibus ipsi mutuarunt, de hac veritate non informati, absque alio fundamento obloquuntur.

Esquamvis, tam in ista specie commendatum cathedra-
24 lium, vel metropolitanarum, aliarumve ecclesiarum sæcularium utramque curam prædictam jurisdictionalem, & sacramentalem, vel alteram habentium, ac propterea ob defectum ordinum vel ætatis, aut incompatibilitatis non possit illi personæ conferri in titulum, ideoque detur in commendam, adhiberi soleat distinctio; quæ sequenti speciei quoque convenit, inter commendas, nempè temporales, & perpetuas, cum magna effectuum diversitate ex una, vel altera specie resultantium, dum antiquis temporibus, atque attenta commendarum origine, vel introductione temporales potiùs erant jure administrationis quàm propriè utilitatis ac ditationis, ut patet ex DD. de materia agentibus, & præsertim ex Lotter. *de benef. lib. 3 q. 8.* Castrop. *tract. 13. de benef. disc. 1. punct. 8.* Fagn. *in c. in Ecclesiis, de capell. monach. & in cap. cum nostram, de elect.* qui omnes referunt Rebuff. & alios antiquiores; Attamen, ut iidem testantur, atque docet omnium praxis, in desuetudinem abiisse videtur prima species commendarum temporalium, solumque in usu est altera perpetuarum, super quibus etiam frequentes cadunt quæstiones super modo vacationis, ac respectivè super earum reservationibus, vel affectionibus, ea pluries deductis in sua sede *sub tit. de benef.*

Demùm quarta est species, ad rem nostram magis adaptata, & quæ scribendi occasionem tribuit illarum commen- 25
darum, quæ de monasteriis, vel conventibus regularibus fiant Cardinalibus, vel Prælatis, aut clericis sæcularibus; Atq; in hac specie tres quoque casus distinguendi videntur, ut ita evitentur æquivoca, Primus enim casus est, ubi agitur de illis monasteriis, quæ actuali conventu carent, ideoque sunt sub administratione, ac dispositione Papæ, vel respectivè sunt providentia ad præsentationem, vel nominationem Regis, vel alterius patroni; Istoque casu nullum ex præmissis inconvenientibus cadit, adeò ut ista monasteria sortiantur naturam aliorum simplicium beneficiorum, quibus penè in omnibus assimilantur istæ commendæ, quarum usus ita continuatur pro conservatione status regularis ad effectus proficuos exindè resultantes, *ut in d. tit. de benef.* advertitur, *præsertim in Ferrarien. prioratus, disc. 143.* & alibi, & sic extra rem nostram.

Alter casus est ubi agitur de monasteriis, vel conventibus 26
illorum religiosorum qui constituunt rempublicā, sive universitatem in toto orbe catholico, sive in aliqua regione, vel provincia, adeout vivant sub eorum Prælato generali, & aliis provincialibus respectivè, atq. religiosi non sint ferè, ac præcisè addicti illi monasterio, vel conventui, sed eorum, ac etiam prælatorum fiant crebræ mutationes juxta diversa religionum instituta, ut advertitur *disc. 28. de jurisd. & disc. 1. & 19 de Regul. & in aliis eod. tit.* atque verificatur in superius enunciatis monasteriis Urbis, ac respectivè locorum adjacentium S. Gregorii, Trium fontium, Cryptæferratæ, Farfæ, Sublaci, & similibus, & tunc nullatenus pariter intrant superius enunciata inconvenientia, quoniam mensæ sunt separatæ; una scilicet Abbatialis, quam administrat commendatarius, & altera conventualis, quam administrant Abbas, vel Prior, sive alter superior, & monachi; Et quatenus hæc divisio mensarum, & bonorum non adsit, adhuc Abbas commendatarius ex fructibus, & redditibus monasterii solvit conventui religiosorum certum annuum, vel menstruum censum pro eorum victu, aliisque occurrentiis, adeò ut in ista parte œconomica, nullam, vel modicam commendatarius exerceat jurisdictionem, & authoritatem cum religiosis; Et quod magis est, se non ingerit in iis, quæ concernunt eorum mores, ac disciplinam regularem, dum habent proprium Abbatem, & superiorem localem, ac etiam alios superiores Generales, vel provinciales respectivè ejusdem ordinis, vel instituti; Atque si quæ jurisdictio, vel potestas cum eis exercetur, illa est per accidens, non ratione instituti, val disciplinæ regularis, sed ratione jurisdictionis ordinariæ spiritualis, vel quasi episcopalis, quam Abbas commendatarius habeat in loco juxta casum, de quo *disc. 102. de jurisd.* ubi de monasterio Sublacensi, cum similibus, quod nullam continet implicantiam, vel monstruositatem, quoniam alias subjacerent Episcopo, vel Ordinario loci ea jurisdictione à Conc. Trident. & Apostolicis constitutionibus delegata, ea pluries deductis *eadem tit. de jurisd. & sub altero de Reg. & in Miscell. Ecclesiast.* neque Religio præjudicata remanet in amissione prælaturæ, dum adhuc ibi habet ejus Prælatum regularem, cum titulo, & præeminentiis abbatialibus.

Atq; hinc sequitur quod commenda verè, & propriè aliud 27
non infert damnum, vel præjudicium, nisi circa amissionē, vel diminutionem majorum redditīum, quorum copia, & superfluitas religiosis frequentiùs solet esse potiùs præjudicialis, & productiva relaxationis disciplinæ, & humilitatis religiosæ, aliorumque inconvenientium, quamvis è converso impediat, vel minuat illas eleemosynas, aliaque pietatis opera, quæ religiosi facere deberent, si illos uberiores red-

ditus

ditus haberent; Sub judice indecisam relinquendo litem, an
hoc præponderet illis malis, & inconvenientibus, quæ
nimiæ divitiæ in religiosis, præsertim verò in eorum Ab-
batibus, aliisque superioribus, & administratoribus pare-
re solent; Ita namque casus præbere potest, ac solet malos,
vel respectivè bonos commendatarios, sicuti bonos, vel
respectivè malos Abbates, & superiores regulares, in qui-
bus quandoq; majora dignoscuntur inconvenientia, quam
in commendatariis.

Tertius demùm est casus, in quo agatur de illis monaste-
riis, quę reguntur jure singulari independēter ab aliis, adeo-
ut non constituant Rempublicam, sive universitatem, sed
28 habeant Abbatem, & monachos suos, ibique perpetuò addi-
ctos juxta eatum, de quo *d. disc. 28. de jurisd.* & alibi ac pro-
pterea non adsit regimen prælatorum Generalium, & Pro-
vincialium, minusque adsint crebræ mutationes religioso-
rum, ac superiorum de loco ad locum; Et quæ mutationes
cum uniformi instituto ac regimine universali, revera sub-
stinent disciplinam regularem, atque operantur, ut non se-
quantur illæ scandalosę relaxationes, quę leguntur in tēpo-
ribus antiquioribus. Et tunc si concurrunt eædem circum-
stantiæ, de quibus in casu proximè præcedenti, quod scilicet
mensæ abbatiales, & conventuales, omninò separatæ sint,
quodque conventus habeat proprium Abbatem, vel alium
superiorem subalternum contradistinctum ab Abbate com-
mendatario, intrare videntur eadem, quæ in præcedenti
casu dicta sunt, ut commenda in effectu aliud malum non
producat nisi privare Abbatem regularem illis majoribus
divitiis, quæ Commendatario assignantur, & sic non ur-
gent convenientia, de quibus supra.

Ubi verò hæc distinctio non adest; adeout Commenda-
tarius in omnibus gerat partes Abbatis, ac Superioris re-
gularis non solum circa œconomica, & civilia, sed etiam
circa moralia, ipsamque disciplinam regularem, & tunc
dignosci videtur aliquod ex dictis inconvenientibus, quia
diversum sit caput à membris, sive diversa vitæ instituta
patris quàm filiorum, sed non est inconveniens adeò ma-
gnum sicuti per dictos Scriptores exaggerari solet, quoniam
sicuti non est monstruosum, neque absurdum ut regularis
sit Episcopus, ac Prælatus, & Superior clericorum sæcu-
larium ut supra, ita è converso.

Quinimò magis ad rem, ut advertitur *eod. disc. 28. de ju-
risd. & disc. 1. de regul.* & alibi, hujusmodi monasteria singu-
laria, quoties munita nō sint speciali privilegio exemptivo,
subjacent Ordinario loci; Et per cōsequens quemadmodum
non est incongruum ut regantur à Prælato sæculari, qui sit
29 Ordinarius loci, ita non incongruit, ut regantur à clerico
sæculari, qui sit commendatarius ejusdem monasterii; Potis-
simè quia in cōcurrentibus institutum ac disciplinam regu-
larem, deputari potest, ac solet, ex ipsorum Religiosorum
electione, vel ex superioris deputatione unus ex ipsis reli-
giosis in vicarium, ac superiorem subalternum, eodem mo-
do quo (ex. gr.) praxis docet in presbyteris Congregat. ora-
torii sive S. Philippi Nerii, quod in omnibus subjacent Ordi-
nario loci, eodem modo quo alii clerici sæculares civitatis,
& tamen habent proprium superiorem, qui domi eos regat
super observantia instituti, & per consequens non adest il-
lud malum, quod exaggeratur, quoniam revera illa incōve-
nientia, quæ per antiquos scriptores declamantur, à quibus
moderni, non distinguendo lepram à lepra transcripserunt,
perveniunt tertiam speciem commendarum Ecclesiarum ca-
thedralium, & metropolitanarum, vel parochialium, ut
30 supra; Ideoque manibus palpatur æquivocum prædictorum
modernorum ad has distinctiones non reflectentium.

Adhuc tamen S. Congregatio in monasteriis consisto-
rialibus, de quibus tantùm in ea tractatur, vel Dataria in
non consistorialibus, cum nimia circumspectione, ac ma-
turitate procedere solet, non de facili id admittendo nisi
prævio examine justę causę, quę, ut plurimùm illa esse solet 31
reficiendi Ecclesiam, & monasterium, quæ ex religiosorū
incuria & mala administratione ruinam passæ sint, vel re-
cuperationis bonorum à potentibus occupatoribus, vel iis-
dem resistendi, eodem modo quo de commendis cathedra-
lium, & metropolitanarum dictum est, inspiciendo an cau-
sæ sint veræ, & an personæ possint eis consulere, vel an po-
tiùs sit color quæsitus; Et quando etiam videatur de justa
causa constare, adhuc id non solet concedi in illis monaste-
riis quæ sint capita Religionum, ita inhærendo dispositio-
ni S. C. T. quod isto casu excepto, non videtur hujusmodi
commendas damnare, sicuti illas cathedralium, & metro-
politanarum, vel parochialium, unde ex eodem Concilio
clarè istæ distinctiones comprobantur.

Et alteriùs quando concēdantur, adhuc solet adjici clau-
sula seu lex, ut commenda duret, durante vita illius per-
sonæ, cui conceditur, eaque finita redeat in titulum, ut
priùs; Faciliùs autem concedi solet casus conversus, quòd 32
nempè monasterium commendari solitum redeat in titu-
lum suæque religioni restituatur, cùm ita res redeat ad
suam primævam causam, suumque principium.

Parcè quoque, nimiùmque circumspectè procedere so-
lent, tam ista S. Congregatio, quàm Dataria in admittendo
præsentationes religiosorum diversi instituti in Abbates, & 33
superiores ex dicta ratione quod dedeceat caput esse diver-
sum a membris, vel patrem a filiis, dum isto casu provisio-
nes esse soleant in titulum, non autem in commendam, ideo-
que dicta inconvenientia faciliùs intrant.

Ex his autem concludendo patet quod materia non est ca-
pax regulæ generalis, quæ indefinitè omnibus adaptetur ca-
sibus, quodq; error est cum generalibus propositionibus in
abstracto, vel cum auctoritatum litera in omnibus casibus
pariformiter procedere, cùm veriùs totum pēdeat ex singu- 34
lorum casuum particularibus circūstantiis, quæ arbitrium
regulare debent, adeout vitium in utroque extremo adesse
dicatur; Vitiosum namque est ita generaliter, ac indefinitè
hunc usum damnare, atque hujusmodi petitiones rejicere;
Et è converso vitiosum est illum generaliter, ac indefinitè
laudare, dictisque petitionibus semper, ac de facili annuere,
cùm veriùs in singulis casibus resolutio pendere debeat à
justa causa, quæ sit vera, beneque justificata, non autem ad
solam formalitatem palliata; Ac etiam ex qualitate perso-
næ, cui commendæ concessio facienda est, an verisimiliter
sit adimpletura narratam restaurationem, vel aliud imple-
mentum pro monasterii utilitate, consulendo, ut quominus
fieri potest, religioni, ac respectivè regulari instituto preju-
dicetur; In dubio autem pro denegatione, juxtà sensum im-
pugnantium, respondendum videtur; Tum in gratiam re-
gularium, qui de Catholica religione, & de Sede Apostoli-
ca sunt nimium emeriti, adeoque laudabiliter pro utraque
laborant, ac certant; Tum etiam quia in dubio respunden-
dum est pro regula, quæ est, ut sæcularibus sæcularia, &
regularia regularibus conferantur; Ideoque clarus digno-
scitur error, tam in dictis modernis impugnatoribus, quam
in modernis defensoribus, qui impugnationibus responde-
re profitentur, cum solis generalitatibus in abstracto pro-
cedere. Isteque videtur verus modus regulandi hanc ma-
teriam. De aliis autem pertinentibus ad materiam istius
Congregationis Consistorialis videndum est in locis insi-
nuatis in discursu immediatè, vel mediatè præcedenti, ac
etiam in relatione Curiæ, *disc. 5. ejusque annot.* Ubi de
Consistorio, & de ista Congregatione Consistoriali,

sum-

S U M M A ;
S I V E
C O M P E N D I U M

Eorum, quæ in foro magis practicabilia continentur in Miſcellaneo Eccleſiaſtico.

I.

De diverſis immunitatis ſpeciebus, & de quibus in præſenti agatur, & primò de immunitate locali, quibus locis competat, quibuſve perſonis.

II.

De criminibus, vel caſibus exceptis, quibus localis immunitas denegatur, & de forma cognoſcendi de immunitatis competentia, vel incompetentia, cum aliis de materia.

III.

De immunitate reali, quibus competat, & quomodo, cum aliis ad materiam.

IV.

De cenſuris Eccleſiaſticis, earumque ſpeciebus ac effectibus.

I.

S U M M A R I U M.

1 *Eccleſiaſtica immunitas in genere eſt de jure divino, eique Papa non derogat, ſed quid agere valeat.*
2 *De tribus ſpeciebus immunitatis.*
3 *De immunitate a foro, & legibus laicalibus etiam pro bonis, & ubi de illa agatur.*
4 *Quæ ſit immunitas localis.*
5 *Qualis ad hunc effectum dicatur Eccleſia.*
6 *De aliis membris, & officinis Eccleſiæ pro eodem effectu & de domo Epiſcopi vel Rectoris.*
7 *Quid de ſpatio ante Eccleſiam.*
8 *De domibus Cardinalium.*
9 *De ſtatua Principis, & de Palatiis oratorum Principum.*
10 *De ſacerdote deferente Euchariſtiæ ſacramentum.*
11 *Omnibus perſonis competit.*
12 *An Clericis, & religioſis?*
13 *Competit ſolum confugientibus, non autem iis qui ibi ſint.*
14 *Ille qui eſt jam detentus non gaudet.*
15 *Ad quem pertineat de his cognoſcere, & decidere.*

II.

16 *De conſtitutione Gregoriana quæ certos excipiendo caſus ſtatuit regulam generalem in omnibus aliis etiam enormibus.*
17 *Ob atrocitatem quandoque immunitati derogatur, & quomodo.*
18 *Hæretici non gaudent immunitate, ſed Hebræi, aliique infideles gaudent.*
19 *De crimine læſæ Majeſtatis humanæ.*
20 *De aſſaſſinio.*
21 *De proditorio.*
22 *De graſſatoribus famoſis latronibus.*
23 *De incendiariis, & agrorum depopulatoribus.*
24 *De homicidio vel membri mutilatione in Eccleſia, vel in cæmeterio, aliiſque partibus, & quomodo intelligenda ſit.*
25 *Quid ſi in loco partim ſacro & partim profano vel in profano prope Eccleſiam ſub ejus ſpe.*
26 *Doloſi decoctores gaudent.*
27 *Etiam ſacrilegi.*
28 *Bona non gaudent immunitate.*
29 *De violatione, vel extractione indirecta, & doloſa.*
30 *De aliis moleſtiis, & violationis indirectæ ſpeciebus.*
31 *De forma tenenda ubi prætendatur immunitatis competentia.*
32 *Epiſcopus ſolus eſt judex competens, etiam in Eccleſiis exemptis, imo Nullius.*
33 *Non datur appellatio ad Metropolitanum vel alium judicem appellationis.*
34 *Qualis proceſſus in hoc attendi debeat.*

III.

35 *Eccleſiæ, & Clerici, aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ generaliter ſunt exempta à collectis, & gabellis, aliiſque laicalibus oneribus.*
36 *De quibus hujus regulæ limitationibus hic agatur.*
37 *Pro negotiatione, ſeu mercatura non competit immunitas.*
38 *Clericus conjugatus non gaudet immunitate, & quando.*
39 *De bonis in fraudem obtentis.*
40 *Immunitas non prodeſt pro collectis vero realibus quæ bonis infixa ſunt.*
41 *De collectis, & oneribus quæ imponantur ob expenſas, quæ reſpiciant promiſcuam Eccleſiaſticorum etiam utilitatem.*
42 *An Coloni clericorum, & eccleſiaſticorum gaudeant eadem immunitate, & quid de emptoribus bonorum, & fructuum?*
43 *Quomodo victualium præſertim gabella regulanda ſint.*
44 *De conceſſione Apoſtolica; ut Eccleſiaſtici gabellis, & oneribus ſubjaceant.*
45 *De antiqua conſuetudine.*
46 *Ut in caſu limitationum cum authoritate judicis eccleſiaſtici fiat exactio.*
47 *De facultate laicorum in bonis Eccleſiaſticorum pro paſcuis, & damnis datis.*
48 *De conſuetudine in ſale, & in aliis quæ ſint de regalibus.*

IV.

49 *Cenſuræ ad quid inductæ ſint ac ſerviant.*
50 *Subſidiarium, ac rarum debet eſſe remedium.*
50 *De tribus diverſis cenſurarum ſpeciebus.*
52 *De differentia inter excommunicationem, & alias duas ſpecies.*
53 *Corpora univerſalia non poſſunt excommunicari, ſed poſſunt ſuſpendi vel interdici.*
54 *Etiam innocentes poſſunt ſubjici ſuſpenſioni, vel interdicto, non autem excommunicari.*
55 *De differentia inter cenſuras perſonales, & communicativas.*
56 *Cenſura occaſionali, an ceſſet ceſſante cauſa?*
57 *De effectibus ſuſpenſionis vel interdicti.*
58 *De effectibus excommunicationis.*
59 *Proferendæ ſunt cenſuræ per Judicem, & cauſa cognita, & quando ſecus.*
60 *De cenſuris pro debito pecuniario, vel alio implemento.*

61 De

I.

De diversis immunitatis speciebus; Et de quibus in præsenti agatur: Et primo de Immunitate locali, quibus locis competat, quibusve personis.

1 ECclesiasticæ immunitatis genus à divino potiùs,
quam ab humano Ecclesiastico jure manare, probabilior
in Ecclesiastico foro recepta opinio firmat,
ideoque per humanam potestatem quamvis Pontificiam,
illi genericè derogari, vel dispensari non posse, de
consequenti resultat; Declarandi verò, seu moderandi,
pro casuum, vel Regionum qualitate, & circumstantiis,
ea probabili causa, facultate solùm attributa.
Triplicem verò istud genus habet speciem, quarum
una fori, seu jurisdictionis dicitur, personas appellari
2 solita, Altera localis; Tertia verò realis.
Personalis autem dicitur prima species demonstrativè
potiùs, quàm taxativè pro frequentiori scilicet contin-
3 gentia, ut clericorum, aliarumque utriusque sæcularis,
& regularis cleri, personarum, vel Ecclesiarum, ac
dependentium, a sæculari foro, ac sæcularium legibus,
exemptionem denotet, dum forum sortiri, ac legibus
ligari, paria sunt; Eadem tamen exemptione bona earumdem
personarum, vel Ecclesiarum quoque competente,
utpotè personam insequentibus, ejusque jure metiendis;
De hac tamen specie, in jurisdictionali sede,
cui magis congruit, jam peractum est, *a* ideoque in
præsenti de duabus aliis locali, & reali, agendum est.
Localis itaque illa est immunitas, quam Ecclesia ad
illam confugientibus præbet, ut in ea tanquam in tu-
4 to asylo existentes, pro quavis criminali, vel civili
causa, quæ excepta non sit, nullas recipiant molestias,
neque extrahi valeant.
Sub Ecclesiæ tamen nomine, vel genere, illo cadente
loco, qui divino cultui, divinisque officiis per Episcopum,
vel alium loci Prælatum, cum consecratione,
5 vel cum benedictione, eam habeat destinationem, ut
omnibus fidelibus, cum janua ad viam publicam, accessus
pateat, non autem ubi pro iisdem sacris, vel
divinis usibus ea sit destinatio, quæ privatæ domus,
vel familiæ commoditatem concernat, quod sub Oratorii,
non autem Ecclesiæ nomine seu vocabulo venit.
Accessiones quoque, vel officinæ, quæ Ecclesiæ pars
dicuntur, eamdem obtinent prærogativam, ut sunt, Cœmeterium;
Atrium; Scalæ; Sacristia; Campanile; Atque
sæcularium, vel regularium, fortiùs autem Episcopi,
vel Prælati annexæ domus, quæ cum eadem Ec-
6 clesia corpus, vel universitatem constituant, atque absque
profani loci commistione communicatio adsit, nisi
ipsa Ecclesia, vel officinæ ex ruina, vel desertione,
aut Episcopi seu alterius legitimi ecclesiastici Superioris
authoritate, in profano constitutæ sint statu.
Aliquorum canonum dispositione attenta, quodam
7 spatium antè, vel propè ecclesias, eadem prærogativa potiebatur;
Communis verò usus, ex Ecclesiarum fortè
moderna majori frequentia, non immeritò inductus,
hanc abolevit prærogativam; Idemq; usus in Urbe, ac
8 alibi, ubi particularis non vigeat consuetudo, quæ
universali prævaleat, illam substulit immunitatem, quæ
Cardinalium domibus, vel palatiis concedebatur.
Illa verò localis immunitas, quæ statuæ Principis, vel
9 Oratorum Principum, aliorumvè magnatum palatiis,
aliisvè hujusmodi profanis locis, ea sæcularium legibus,
vel ea consuetudine competat, sub isto ecclesiasticæ
immunitatis genere non cadit; Sub eo tamen illa
immunitas venit, quæ Sacerdoti Sanctissimum Eucharistiæ
Sacramentum in viis quoque publicis, locisvè profania,
pro locorum consuetudine, competit.
10 Personis item omnibus, quæ ad istos confugiunt sacros
asylos, eadem competit immunitas, absque personarum exceptione,
quæ apud Deum danda non est; iis exceptis qui
ratione criminis, hoc beneficio indigni censeri merean- 11
tur, ut sequenti Rubrica habetur; Ideoq; licèt alias sub
quæstione fuerint, an clericis, aliisq; ecclesiasticis personis
adversus ecclesiasticorum Prælatorum molestias, istud
competat beneficium, extra quæstionem tamen hodie affirmativa
opinio est, ut laicis clerici, & ecclesiastici 12
deterioris conditionis esse non debeant; Æquivocorum
enim antiquiorum dubitandi ratio continebat, ut clericis,
aliisq; ecclesiasticis in Ecclesia, vel ejus officinis,
ac domibus morari solitis, ista mora immunitatem non
præbeat, ne sub proprio Superiore puniri valeant.
Illud etenim præsidium iis conceditur, sive laici, sive cle- 13
rici sint, qui in propinquo, non immuni existentes loco ad
immunem, tanquam ad asylum, ac præsidium confugiant;
Secùs autem si ibi alia occasione existant, ac vivant.
In libertatis item statu, quamvis cum fugæ beneficio
ad hoc præjudicium recursus esse debet, ideoque si
penes Curiæ familiam jam detentus existens ad eccle- 14
siam, aliumvè immunem locum confugiat, secum trahendo
detinentes, vel quod ita detentus per immunem
locum transeat, aut quod in eo tanquam in carcere
reponatur, immunitatis beneficium non intrat.
Dubio autem super præmissis cadente, tam scilicet
super loci qualitate, quàm super modo, aliisque con-
tingentiis, illud cum eadem decidendum est forma, 15
cum qua, ut in sequenti rubrica, exceptuatorum, vel
criminum deciduntur quæstiones. *b*

a *l. 3. de Jurisd. disc. 55. 59. & seqq. ac etiam hoc tit. disc. 2. ex n. 18.*
b *de hac immunitate locali habetur supra hoc tit. disc. 2. ex n. 1. & disc. 9. cum seqq.*

II.

De criminibus, vel casibus exceptis, quibus localis immunitas denegatur: Et de forma cognoscendi de Immunitatis competentia, vel incompetentia, cum aliis ad materiam.

ANtiquas ea substulit Pontificia lex quæstiones, quæ 16
Gregoriana dicitur, pro currenti Romanæ Curiæ
sensu, ac praxis materiæ regularia, ac norma, per
quam aliquibus exceptis casibus hujus immunitatis præsidio
indignis, generalis in contrarium statuta est regula
affirmativa, ut nempe omnes alii, qui sub exceptionibus
non cadant, isto potiantur beneficio; Quamvis
criminis accedat atrocitas.
Ea verò justum, quandoque Pontifici motivum præ- 17
bere solet, ut in eo particulari casu criminosum illum
hoc declaret indignum beneficio; Eo tamen omninò
destitutus non remanet, dum à capitali eum salvat pœna,
cujus exceptuatio pro conditione, seu lege præcisa
in hujusmodi adjici solet declaratione, Papæ tamen arbitrio
eam non adjiciendi non restænato, quando talia
dignoscatur atrocitas, aliavè justa publicæ quietis causa.
Excepti itaque illi sunt casus; Utriusque scilicet di-
vinæ, vel humanæ in primo capite læsa majestas; Ita 18
etenim liquet magis Ecclesiæ odibiles esse Hæreticos,
vel Apostatas, quam illi sint infideles, qui ex patrum
moribus, vel parentum educationibus in infidelitatis cæcitate
vivant, ideoq; Hebræis, & Mahometanæ superstitionis
sequacibus, qui apostasiæ à Christiana religione
crimine infecti non sint, hoc non denegatur præsidium.
Pro læsę autem majestatis humanę specie satas esse dispu- 19
tationes fori politicæ rationes docent, vel causant.
Detestabile assassinii crimen, tam in mandante quam
in mandatario pariter hoc beneficio indignum reputa-
tur, facti, seu verificationis cadentibus quæstionibus, 20
quando illud verè tale dicendum sit, ut per contractus
locationis, & conductionis operarum speciem,
mercede mediante, scelus committatur, mandante conductoris
operarum gerente personam, mandatario autem,
illam locatoris, juxta declarationes compendio
incongruas in sua sede videndas.
Aliud quoq; non minus detestabile humanæque societati
oppositum crimen eidem subjacet exceptioni, quod prodi- 21
torium dicitur, quia nempè, Judæ ad instar, qui sub discipuli
nomine, & consortio cum pacifico ac benevolo osculi
signo Magistrum, & commensalem manibus inimicorum
dedit, sub fide, ac velamine amicitiæ, nulla præcedente
causa, quæ occiso præcavendi occasionem, vel justum timo-

motem præbere potuerit, amicum occiderit juxtà de-
clarationes in sua sede pariter latiùs videndas.

Famosi latrones, quibus grassatorum attributum con-
gruit, quia nempè in publicis viis, seu locis cum vio-
22 lentia, rapinas committant, atque humanum impediant
commercium, isto sunt indigni præsidio.

Ut etiam reputantur dolosi incendiarii, & agrorum,
seu prædiorum depopulatores; Istæque criminum spe-
23 cies, de quibus rarò ad hunc effectum in praxi dispu-
tari contingit, plures quoque declarationes habent,
compendio pariter incongruas, ideòque in suis sedibus
in casus contingentia videndas.

Homicidium, vel membri mutilatio in Ecclesia, vel
in Cœmeterio, est etiam de exceptis; Pontificiam ve-
24 rò legem ad literam intelligendo sub hac exceptione
non cadere, plerique putant hujusmodi crimen, quod
extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, in aliis ejus acces-
sotiis partibus, vel membris patrari contiget, puta, in
atrio, in sacristia; in campanarum turre, in tecto,
vel in Clericorum, seu Prælati adjacenti domo; Istau-
tem parùm probabile videtur, quoniàm non litera, sed
spiritus, vel ratio legis attendenda est ex Apostoli testi-
monio, quod litera occidit, spiritus autem vivificat.

Eodemque retento spiritu, de doloso, ac appensato cri-
mine, quod in Ecclesia, vel ejus partibus committatur,
exceptio intelligenda est, ut Ecclesia in universum læsa,
tam ejusdem, in qua crimen patratum sit, quàm aliarum
omnium denegetur præsidium, Illius verò individuæ Eccle-
siæ, in qua non dolosum, sed rixosum homicidium sit se-
25 cutum, non autem aliarum, præsidio denegato; In mixto
casu quæstione cadente, ex facti circumstantiis decidenda,
quia nempè in loco immuni cœptum, seu præparatum, in
prophano, seu non immuni consummatum sit crimen; Si-
ve è converso in loco prophano initiatum in immuni, vel
sacro, perfectionem accipiat; Aut ubi uterque initii, ac
perfectionis actus in prophano sequatur loco, sacro au-
tem, vel immuni, ita proximo, ut illius præsidii fiducia
criminis præbuerit fomentum, ut in sua sede latius.

His igitur exceptis, generica immunitati assistit regula;
Ideoque dolosos etiam decoctores ab alia proxima pon-
26 tificia Piana lege hoc beneficio privatos sub hac regu-
la cadere communis Ecclesiasticorum sensus credit.

Ejusdem quoque Ecclesiæ sacrilegos violatores, cum
furto sacrorum etiam vasorum, ut ipsamet Ecclesia,
27 vel cum aliis sacrilegii speciebus sub eadem regula com-
prehendi, Ecclesiasticorum pietas recepit, ac tenet,
quasi quod instinnata homicidii, vel mutilationis in
Ecclesia exceptio istam statuat regulam.

Personæ autem præsidium conceditur, ne extractio-
28 nem ac punitionem patiatur, non autem bonis, quæ
furto, vel alio crimine subtracta vel occultata sint;
Idemque in scripturis, aliisque juribus, ac etiam offen-
sivis armis Ecclesiastici tamen Judicis authoritate ab
Ecclesia, vel immuni loco extrahendis.

Non solùm autem, expressa directa extractio prohibita
est, atque immunitatis violationem continet, sed indirecta
29 quoque, ac implicita sub ea, quæ deinde fallatur, fide, vel
assecutione, quam ipsi sæculares magistratus, eorumque
officiales & ministri, quibus credi debuit, præbuerint,
non autem ubi de circumventione, seu mala fide privati se-
ductoris; Minusque, circa extractionem, tormenta, aliæ-
30 ve personales molestiæ inferri possunt, verbali tantùm cita-
tione permissa; Quinimò ea permittenda est in prophano
etiam loco mora, vel commoditas, quam naturæ indigen-
tia exigat pro illis usibus, quos dedecet in Ecclesia, & loco
sacro explicare; Atque victualium, seu medicinalium,
aliorumque hujusmodi interdictio immunitatis quoque
implicitam, seu indirecta redolet violationem.

Quando autem immunitatis incompetentiam, loci,
vel exceptuati criminis ratione prætendatur, eadem Gre-
31 goriana lex illam statuit formam, cujus inobservantia
immunitatis violationem redolet, ut reo in Episcopi
carceribus, sive in illis quamvis laicalibus, ab eodem
tamen Episcopo electis, & deputatis; Aut pro locorum
moribus, aliisque casuum circumstantiis in ipsomet im-
muni loco sub decenti, & honesta custodia detento, ab
eodem Episcopo, seu ejus Generali Vicario summariè,
ac appellatione postposita, id cognoscatur, ac decidatur.
32 Episcopale autem munus peculiare est, ut propterea
in regularium quoque vel aliorum exemptorum Eccle-
siis, vel locis intra suæ diœcesis limites existentibus,
propriumque inferiorem habentibus Prælatum cum Ec-
clesiasticæ, & quasi Episcopalis jurisdictionis compe-
tentia adhuc Episcoporum id privative pertineat.

Quinimò quod magis in eo verè separato territorio,
quod sub nulla sit diœcesi, propriumque habet cum
plena quasi Episcopali jurisdictione Prælatum, ad vi-
ciniorem tantum Episcopum pertineat cognitio.

Ea quoque ex Sacræ Congregationis Immunitatis de- 33
clarationibus, vel decretis, Episcopis competente præ-
rogativa, ut Metropolitanorum, aliorumque appella-
tionum, vel recursuum judicibus, non subjaceant su-
perioritati, ac inhibitionibus, ad ipsam tantum Sacram
Congregationem concesso recursu.

Majores autem super istius formæ observantia quæstio- 34
nes cadunt, consuetam habentes opinionum scissuram,
super processu, qui exceptuati criminis præseferat proba-
tionem, an scilicet informativus Judicis competentis in-
quisiti attendi debeat, vel potiùs Episcopus, eo neglecto
processu, alium ex integro fabricare, sive eumdem in suo
Tribunali legitimare valeat; Idque certam non de facili
recipit regulam, compendio congruam, ideòq; pro casuum
qualitate, & circumstantiis, a quibus decisionem quæ-
stio recipere videtur, in sua sede videndum est, c

c de prædictis casibus agitur supra, disc. 9. cum seqq.

III.

De Immunitate reali, quibus competat, & quomodo cum aliis ad materiam.

ECclesiis, ac Monasteriis, aliisque locis, quæ extra
quæstionem, Ecclesiastica sint, ac etiam utriusq; 35
sæcularibus, & regularibus clericis; & Ecclesiasticis per-
sonis, eadem, in hac realis immunitatis specie, tam
in persona, quam in bonis, sive Ecclesiæ, sive patri-
monii ratione competat, assistit regula, quæ in altera
fori, seu jurisdictionis, ac legum laicalium, personali
immunitate cadit, ex eodem jurisdictionis, vel pote-
statis defectu, dum collectas & tributa, vel gabellas,
aliaq; publica onera incidere, potestatis, ac jurisdictionis
est effectus, nonnisi cum propriis subditis obtinendus.

Quamvis autem, juxta consuetam utriusque Eccle- 36
siasticæ, & laicalis potestatis sequacium scissuram,
quamplures sub quæstione sint hujus regulæ limitatio-
nes, iis tamen neglectis, quas Romana Curia, ejusque
exemplo Ecclesiasticus forus jam reprobavit, in sua sede
pro casuum opportunitate videndis, illæ tantum insi-
nuabitur, quas eadem Curia, seu Ecclesiasticus forus re-
cepit, & super quibus certis jam firmatis theoricis, fa-
cti & applicationis potiùs dignoscuntur quæstiones,
certam proinde, ac uniformem cuicumque casui adapta-
bilem non recipientes regulam, cùm ex singulorum ca-
suum individuis circumstantiis decisio pendeat. d

Prima itaque illa est limitatio; quam mercatura, 37
vel alia, Clericis, & Ecclesiis, vel Ecclesiasticis locis,
& personis illicitæ negotiatio inducat, cùm negotiator
clericus in ipso mercimonio, quoad istius immunita-
tis effectum, pro laico censeri debeat. e

Altera conjugalis qualitas limitationem producit, 38
cùm clericus conjugatus merè personalibus oneribus ex-
ceptis in aliis ab aliis non differat, illo excepto con-
jugio, quod in Orientalibus, sive in Græci ritus cle-
ricis schismatis labe non infectis permittitur: Ubi tamen
in sacris constituti sint, non autem in minoribus, qui
eodem jure, quo latini ritus clerici in hoc censendi sunt. f

Fraudis autem, vel simulationis qualitas sub limi- 39
tationis genere non cadit, cùm potiùs regulæ opposi-
ta sit, ejusque impeditiva, dum ea bona, quæ simula-
tè, vel fraudulenter sub clericorum nomine cantant,
ipsorum verè non sunt, extra regulam esse dicuntur. g

Verè realis, ac fixæ, seu perpetuæ, ac invariabilis collectæ 40
qualitas, alteram in clericis, ipsisq; Ecclesiis producit li-
mitationem: Illa namq; sola bona, quæ penes laicos, alias
existentia huic collectæ jam affecta sint, in Ecclesias,
& Ecclesiasticos cum suo reali ac infixo transeunt onere,
ideòq; super hujus realitatis qualitate, seu verificatione po-
tiùs quæstiones cadunt; In reliquis autem, quæ personalia,
vel mixta sunt, cum regula proceditur. Ideoq; pariter fa-
cti, & applicationis quæstio est, quando realis, vel potiùs
mixta dicenda sit collecta, quæ talis est, ubi fixa sit, ac
invariabilis, & perpetua, ut in sua sede latiùs. h

In iis collectis, vel taxis, aut gabellis, quæ communitativæ
dici solent, atque pro illis impositæ sint expensis, quæ tam
laico-

laicorum, quàm Ecclesiasticorum promiscuam concernant
41 utilitatem, vel necessitatem, non est quæstio sæpius insinuatam habens connaturalem, ac factionariam opinionum scissuram, an Ecclesiastica intret immunitas?

Ea verò probabilior est distinctio, ut expensarum causa inspicienda sit, an principaliter privatam, accessoriè verò publicam percutiat utilitatem, vel è converso principaliter publicam, accessoriè verò, & consecutivè privatam. Primò etenim casu ista non intrat species immunitatis, bene tamen altera jurisdictionis, ac fori, ut nonnisi proprii Ecclesiastici Judicis authoritate fiat hujusmodi taxarum, & contributionum solutio quamvis operis qualitas publicæ laicalis administrationis naturam habeat, atque Magistratus speciem redoleat; Ut in iis contingit expensis, quas pro privatorum prædiorum curativo, vel præservativo remedio uniformiter, ac una manu facere oportet adversus malum, quod aquarum inundatio, locustarum irruentia, bannitorum, aliorumq; damnificantium turbationes, aliaque similia producant accidentia; Sive ubi dardanariorum oppressoribus ad privatam pariter utilitatem aliquas congruat facere provisiones per œconomicæ administrationis speciem.

In altero verò, in quo, publicam, & communem principaliter utilitatem, expensæ percutiant, ut mœnium, viarum, pontium, ac munitionum, suat constructio-
42 nes, vel refectionis, nec non medicorum, chirurgorum, ac horologiorum, aliorumque similium sumptus, secus; Ea etenim utilitas, quam Ecclesiastici sentiunt ex laicorum oneribus, cum ea remanet compensata utilitate, quam laici ex Ecclesiasticorum oneribus reportant, divinæ protectionis, & custodiæ, & orationibus, aliisque divinis; Cum eo tamen præsupposito ut Ecclesiastici (ut decet) ædificent, non autem destruant.

Adhuc tamen Ecclesiasticorum contributo, pro ista expensarum specie, quandoque locus esse solet, ac debet, quando plurium requisitorum verificetur concursus, quem ea canonum sensu Ecclesiastici, canonistæ, ac moralea desiderant; Triplicem scilicet; Papæ, Ordinarii, & Cleri consensum; Subsidii casum, quia laicorum non suppetant vires; Quodque Ecclesiastici, non autem sæcularis Judicis, vel Magistratus authoritate, justa, & proportionata fiat exactio.

Super subsidii tamen requisito major est quæstio, quæ facti, non autem juris est, ideòq; certam non recipit regulam, cùm primus Apostolicæ Sedis consensus, justo accedente motivo, denegari non soleat; Alii verò duo, vel eorum alter injustè denegati, ab eadem Apostolica Sede suppleatur: Potissimè verò, ubi expensarum causa, vel occasio, Ecclesiasticorum potiùs, quàm laicorum indemnitatem percutiat, ut in eo contingit bello, quod per Christianæ, vel Catholicæ fidei hostes, vel æmulos inferatur. i

Non minor inter utriusq; potestatis sequaces quæstio, seu factionaria opinionum scissura, in ea dignoscitur immunitatis communicatione, quam Ecclesiastici, laicis colonis, vel famulis, ac operariis, sive bonorum, ac fructuum emptoribus concedere intendunt; Idq; non de facili regulam sub compendio explicabilem recipere aptum est, ideòq; in sua Sede videndum; Illa tamen generica status posse videtur norma, quæ sit quæstionis, vel materiæ regulatria, pro casuum circumstantiis congruè applicanda, ut Ecclesiasticæ immunitatis, vel effectus sit Ecclesias, & Ecclesiasticas personas à damno præservare, quod laicalia onera inferant, atq; in primævo naturalis libertatis statu conservare, ut integrum suorum bonorum, ac fructuum, vel jurium obtineant intrinsecum, ac naturale pretium, quod ob istud accidens nullam patiatur diminutionem, ac si onera in rerum natura non existerent, non autem, ut lucrum ex alieno reportent, atque intrinsecum pretii augmentum, quod ex gabellis aliisvè oneribus resultat, ad privatam convertant utilitatem, ut in sua sede latiùs.

43 Ubi verò de occultis, vel insensibilibus agatur oneribus, quæ victualium, ac mercium, aliorumq; usualium contractioni insint, varia est locorum consuetudo; Alicubi etenim, ea commendabilis quidem viget, utpotè opportunior fraudis medicina, ut clero, sæcularis populi ad instar, uniformem habente hujusmodi rerum contractationem, statutis temporibus id, quod interest, ei reficiatur; Alicubi vero certa statuitur taxa, sive alius adhibetur modus, ut in sua Sede latiùs, cum sub compendio non de facili sit explicabile. k

44 Quamvis item, ex initio insinuatis, ecclesiasticæ immunitatis genus à Divino derivet jure, ideòque pontificia potestas ei genericè non deroget, ac dispenset: Adhuc tamen, causæ justitia, ex temporum, locorum, & accidentium circumstantiis regulanda, istam quandoq; dispensationem meritò producit, ut justitiam potiùs redoleat, sæculari potestate, Pontificiæ potestatis vicarias ita gerendo partes, ut in sua sede latiùs; Ubi eadem tribuitur ratio illius consuetudinis, quam Papa in sua temporali Ditione servet, ignari vulgi oblocutione neglecta. l

Præsumptam verò Apostolicam concessionem, vel dispensationem, de qua non constet, antiqua immemorabilis, vel non vitiosa pacifica centenaria consuetudo, quoque probat, ut propterea corruptelæ nomine digna non sit, ubi præsertim de iis agatur clericis, qui in minoribus tantùm constituti sint, sivè genericè de iis clericorum agatur bonis, quæ merè profana, & patrimonialia sint: Quamvis etenim verior, magisq; recepta sententia hujusmodi personis, ac respectivè bonis ejusdem immunitatis competentiam pro generica superius insinuata tribuat regula, quia tamen expressam canonum, vel conciliorum determinationem non habet, ut propterea sub opinionum scissura cadat, hinc tanta non dignoscitur juris resistentia, quanta in expressè decisis obstet, ut in ipsis verè ecclesiasticis bonis obstare videtur; Exindeque diversa est consuetudinis regula. 45

Ea demùm in omnibus limitationum casibus, aliisque dubitandi rationibus in Romana Curia ecclesiastici catholici fori regulatrice, recepta propositio est, ut ejusdem ecclesiastici fori, vel Magistratus privativa ad laicalem sit cognitio, & executio. m 46

Aliaque non detur laicali potestati facultas, quam ea, quæ cuilibet competat privato in sua re ingredientem, vel turbare volentem expellendi, aut ea, quæ in suo invenit, pro damni, vel pretii restitutione retinendi, ut in ecclesiasticorum animalibus aliena desumentibus pascua, sive damnum inferentibus, frequentior docet praxis, Ecclesiastica tamen immunitate illam proficuam operationem, ut à majori pœnali refectione extrinseca ultra damni intrinsecum valorem eximat: Id autem aliam personalem, seu fori immunitatem potiùs percutit. 47

Consuetudine præsertim præmissam limitationem pro frequentiori praxi inducente, ubi de illo agatur insensibili onere, quod jus privativum in pretii extrinseca alteratione producat, ut in sale, ac moneta, aliisque similibus, quæ ex antiquo usu, atque quodam gentium jure de supremi Principis regalibus, vel de Reipublicæ dote esse videntur, cum aliis in sua Sede. n 48

d *De immunitate reali habetur supra d. disc. 2. ex n. 36. & disc. 5. & 8.* e *De Regal. disc. 70. & 132. & d. disc. 2.* f *de Regal. disc. 60. & eodem disc. 2. n. 53. & 54.* g *d. disc. 2. n. 51. & 52.* h *sub tit. de Regal. disc. 50. & 51. & eod. disc. 2. ex n. 40.* i *de Regal. disc. 58. & 59. disc. 2. & seqq. hoc tit. & in supplemento, disc.* k *de Reg. disc. 50. & seq. disc. 2. hoc tit. n. 46.* l *locis supra citatis.* m *disc. 2. num. 42. & 43.* n *de Regal. locis supra citatis.*

IV.

De censuris Ecclesiasticis, earumque speciebus, ac effectibus.

Ecclesiastica, vel spiritualia remedia, sunt censuræ, quibus mediantibus Ecclesia fideles, ob eam vim, quam conscientiæ, ac religionis stimulus apud timoratos infert, apud non timoratos verò propter illa profana, quæ censuræ producunt præjudicia, ad obedientiam, atque præceptorum observantiam cogit. 49

Cautè autem, ac circumspectè, hujusmodi arma, vel remedia adhiberi Canones, & Concilia mandant, ut nonnisi subsidiariè, aliisque opportunis deficientibus temporalibus remediis ad illud recurratur, ne frequentia, seu causæ levitas, illarum inducat contemptum, vel timoris, ac existimationis diminutionem. o 50

Triplicem verò speciem istud censurarum genus habet: Quarum una cæteris longè gravior excommunicatio dicitur, omnibus utriusque, ecclesiastici, & sæcularis ordinis, vel generis personis communis, & congrua; Altera, omnibus utriusque ordinis personis pariter communis, quæ interdicti ab Ecclesiæ ingressu divinorumque participatione dicitur; Et tertia suspensionis à divinis, illis tantùm ecclesiastici ordinis, vel generis congrua, qui ecclesiasticum habeant ordinem, vel ministerium, cujus exercitium ista censura suspendit, ac prohibet. p 51

Notabilis verò inter primam, aliasque posteriores, in plerisq; dignoscitur differentia. Ea præsertim, ut prima, personalem

nalem exigat gravem culpam, ideoque animam lædat;
52 atque in damnationis, ac divinæ indignationis statu constituat, quod in aliis duabus non contingit, ut io non culposis, ac innocentibus quoque ex aliorum culpa, vel facto detur.

Exindeque manat, ut universalia, seu politica, & intellectualia Civitatum, seu populorum, & collegiorum
53 corpora, utpotè doli, ac personalis culpæ, vel criminis incapacia, primæ excommunicationis censuræ subjici non valeant, benè tamen aliis duabus, quæ (ut præmissum est) pro Principis, vel Magistratus, aut aliquorum, ex
54 eodem corpore, universo populo, aliisque corporis etiam innocentibus membris inferunt.

Ea igitur dignoscitur differentia, inter corporis universalis infectionem, eum interdicti, vel suspensionis censura, & ea majoris excommunicationis privatarum personarum ex propria culpa, ut primo casu, neque ab innocentibus, quinimò ab expresse exceptuatis, ipsum
55 corpus repræsentabile sit, suasque facere valeat operationes; In altero autem, a minori non censuratam parte, quinimò etiam ab uno sit repræsentabile.

In occasionalibus veris censuris, quibus ratione cor-
56 poris singula subjiciantur membra, eadem inter propriam culpam affirmativam, vel negativam differentia dignoscitur; Ubi etenim persona culposa est, quamvis desinat esse de corpore adhuc censuræ vinculum non cessat, sed cessat in casu converso.

Suspensionis, ac interdicti plures sunt effectus, suspensionis nempè, ut ordinum exercitium, sub irregularitatis incurrendæ pœna inpediat; Interdicti verò, ut ab ingressu Ecclesiæ, ubi divina celebrantur, arceat, atque sacramentorum, aliarumque divinorum deneget parti-
57 cipationem, ac etiam ecclesiasticæ sepulturæ, illarumque ecclesiasticarum functionum, quæ funeris, vel sepulturæ occasione fiunt, consolatione tollat.

Alia verò major excommunicationis censura, omnes præmissos, ac alios operatur effectus, quos aliæ operantur, multosque majores, in utroque, interno, & externo fo-
58 ro, In interno scilicet, constituendo animam in statu damnationis, ac divinæ indignationis; In externo verò arcendo à fidelium consortio, a quo segregatur excommunicatus, capitalis banniti ad instar, ac infamiam juris, vel pro locorum moribus illam etiam facti incurrit, nec non ecclesiasticorum beneficiorum, & dignitatum, vel officiorum, quoad novam effectuonem, incapacitatem, non autem jam assecutorum amissionem, exercitii tamen suspensionem, ut propterea magistratus, vel judicaturam, aliudvè publicum munus excommunicatus non exerceat, beneficia non conferat publicosque honores, ac præeminentias non obtineat, in judicio tanquam actor non sit, neque testimonium ferat; Testamenti verò factionem non tollit, cum similibus effectibus per nos recensitis, qui ex professo de materia tractare curatur; ad quos pro minus contingentium effectuum, vel casuum lumine recurrendum est.

Sine scriptura, causæve cognitione, censuras proferri ve-
59 titum est, ne detur clavium abusus, nisi casus omnimodæ notorietatis, vel promptæ defensionis necessitas urgeat, ut cum hujusmodi armis, in forma potiùs extrajudiciali, atque per speciem privatæ defensionis, cùm vi repellere vim liceat, etiam cum non subdito, unde propterea competentiæ, vel jurisdictionis requisitum non desideratur. q

Pro temporali, seu profano implemento, præsertim ve-
60 rò pro debiti pecuniarii solutione, ad censuras, illam præsertim excommunicationis, non nisi in omnimodum subsidium omnique diligentia, vel excussione præcedente, deveniri vetitum est. Subsidii verò casu posito, ubi propterea ex voluntate, non autem ex impotentia non paritio sequatur, non incongruè ista coactionis species, vel medicina adhibetur, Ignari vulgi propterea neglecto scandalo, cùm non pro ipsa pecunia, vel profano implemento, sed pro inobedientiæ, & contumaciæ crimine potius inferatur. r

Duplicem hujusmodi censuræ speciem habent; Unam 61
nempè quæ hominis dicitur, quia nempè per competentem Judicem pro coactionis, vel satisfactionis remedio, sua authoritate adhibeatur, tanquam pœna ab ipso illata; Et alteram legis, quia nempè per scriptam Ecclesiasticam legem, crimini, vel contraventioni imposita sit, ut ejus incursus illicò sequatur. s

Notabile itaque, inter utramque speciem dignoscitur dis- 62
crimen, potissimè circa Prælati, vel Judicis proferentis, seu declarantis qualitatem, ut pro hominis censura, jurisdictio, & competentia requiratur, causæque cognitio adhibenda sit, eo excepto supèrius insinuato casu, in quo illas, in extrajudiciali potiùs forma, ad vim repellendam, tanquam armorum potiùs speciem pro defensione, ut supra adhibere oporteat; Ubi verò sit legis, posita incursus, vel facti certitudine ut propterea nulla causæ judicialis cognitio adhibenda sit, ut cum exemptis quoque, ac non subditis declarentur, cùm non Judicis ac superioris, sed potiùs denunciatoris partes geri dicantur, ita proprios admonendo subditos, ut à morbidæ infectæ pecudis commercio abstineant, id sequi dicitur. t

In appellatione quoque, inter istas species differentia di- 63
gnoscitur; Hominis etenim censura, quæ ex contumacia, vel pro defensionis remedio proferri solet, suspensivam pro regula non admittit appellationem, cui subjacet illa legis, quando facti notorietas regulæ limitationem non suadeat. u

In excommunicatione item, eadem datur distinctio, ut 64
alia sit major, quæ pro personali culpa incurratur, præmissorum effectuum pœnalium productiva; Alia verò minor, quodammodo impropria, quæ pro Ecclesiæ usu sine gravi culpa incurritur, qualis ea est, quam excommunicati commercium infert, ubi non ex contemptu illud fit.

Gravioris item, & levioris alia pro loquendi usu differentia dignoscitur, inter eam scilicet, quæ Papæ reservata; Et alteram, quæ inferiori Prælato, ut in ea præsertim excommunicatione frequentior praxis docet, quam clerici gravis, vel respectivè levis percussio producit. x

Plurium censurarum cumulus in eadem persona ex diver- 65
sis causis datur, plurium materialium vinculorum ad instar; Quæstione cadente, an invalida, & subreptitia ea censenda sit absolutio, quæ ab una censura, aliis tacitis, obtenta sit; Atque quoad ea, quæ exterioris fori effectus concernunt, ubi aliarum censurarum cumulus eam non babeat qualitatem, vel connexionem, ut concessæ absolutionis denegationem, earum expressio, vel notitia produceret; Probabilius est validam, ac efficacem esse absolutionem, quoniam ille qui compedibus ferreis, ac ligneis, aliisque vinculis est prohibendus non venit unius, vel aliquorum vinculorum impedimentum tollere, ut ita eo minus remaneat impeditus. y

Quamvis autem irregularitas, pro quodam loquendi 66
usu, censura dici soleat, seu inter censuras recenseri, potius tamen censuræ effectus est, quia nempè censuræ vinculo neglecto, ordines exerceri, atque in divinis ministrari contingat; Aliæ verò irregularitatis species, ex homicidio, aliisvè criminibus, sive ex naturali defectu proveniant, inhabilitatem potius ad ecclesiasticos ordines assequendos, sive impedimentum ad jam assecutos exercendum producit. z

o disc. 19. hoc tit. & in annot. ad S. C. T. disc. 43. de Judic. disc. 40. p disc. 12. & 20. dicto disc. 43. in annot. ad S. C. T. q locis supra citatis. r sub tit. de Judic. disc. 40. & disc. 43. in annot. S. C. T. s disc. 13. & seq. hoc t. & disc. 43. in annot. ad S. C. T. t locis citatis.

u disc. 15. hoc tit. x disc. 20. & 21. y disc. 18. & 21. z disc. 20. & 34. & in annot. ad S. C. T. disc. 12.

Finis Partis IV. Libri XIV.

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Decimiquarti Pars Quinta.

DISCURSUS GENERALES INSTRUCTIVI,

Super iis, quæ in foro magis practicabilia, concernunt praxis, vel observantiam aliquorum S. Concilii Tridentini Decretorum, super reformatione, ac materiis forensibus.

SUMMARIUM.

1 *SUb quibus Pontificibus captum, profectum, & completum fuit Concilium Tridentinum.*
2 *Ejus glossa, & interpretationes sunt prohibita, & quæ.*
3 *De prima erectione Sacræ Congregationis Concilii.*
4 *Antiquis declarationibus quare nimium deferri debeat.*
5 *Observantia proxima, est melior interpres.*
6 *De alia erectione Congregationis Sixti V. super interpretatione.*
7 *De ratione ob quam hæc Sac. Congregatio interpres erecta fuit.*
8 *De Grammatica ad quid serviat, & quomodo adhiberi debeat.*
9 *De occasione scribendi, & de instituto Authoris.*
10 *Quare non colligantur, nec referantur declarationes S Congregationis?*
11 *Declarationes particulares non omni casu sunt applicabiles.*
12 *Concilia generalia non veniunt sub generali derogatione, sed indigent nota speciali, & quomodo.*
13 *Papa potest eis derogare, vel dispensare.*
14 *Conc. Trid. est generale, & Oecumenicum.*
15 *Sed venit sub generalibus derogationibus.*
16 *Continet decretum irritans, ideoque inficit contrariam observantiam*
17 *Non defertur declarationibus, quæ non sint authentica.*
18 *Quid agendum quando allegantur declarationes S. Congregationis.*
19 *Qualis ordo teneatur.*

DISC. I.

Circa Proemialia.

1 COmpleto sub Pio IV. (nimiùm cooperante magna pietate, ac solicitudine S. Caroli Borromæi ejusdem Pontificis nepotis, ac primi ministri,) Sacro Concilio Tridentino, convocato sub Paulo tertio, atque continuato, sub intermediis Pontificibus Julio III. Marcello II. & Paulo IV. Per constitutionem ab eodem Pio editam, super ejus confirmatione, publicatione, & observantia, prudenter quidem, ac laudabiliter, omnes glossæ, interpretationes, & commentaria, prohibita fuerunt *a* Ideoque Juristis, ac Theologis prohibitum est cum confuetis subtilitatibus, opinionumque varietatibus, hanc modernam involvere legem, ut alias antiquiores leges adeò involverunt; Et licèt, hac prohibitione non obstante, adhuc non desint (quamvis potiùs insipidi Collectores, quàm Doctores) qui desuper se involvant; Idque in aliquibus casibus fieri posse moderni Canonistæ in ista Sacra Congregatione peritissimi probent *b* Attamen meritò omninò negligendæ sunt solæ hujusmodi Interpretum assertiones, quoties munitæ non sint cum authenticis declarationibus, seu interpretationibus hujus S. Congregationis, quæ attendi debent eo modo, quo infra.

Ad aliquos verò menses post confirmationem, & publicationem, ab eodem Pio IV. erecta fuit aliquorum 3
Cardinalium Congregatio, non quidem super glossa, vel interpretatione, sed pro executione, ac observantia ejusdem Concilii. *c*

4 Adhuc tamen, eo primo quoque tempore, occasione demandandi, seu practicandi eamdem observantiam, in aliquibus partibus ambiguis, aliquæ prodierunt declarationes, quibus multum deferendum esse, frequenter in casus contingentia dicere consuevi. *d* Non quod antiquæ, majorem, quàm modernæ Congregationis authoritatem esse putem, sed ea eo quod plures tunc in ea sedebant Cardinales, qui vel tanquam præsidentes, & Legati, vel tanquam Prælati postmodum ad purpuram assumpti, in ipso Concilio intervenerant, ideoque tanquam sessionum, ac disputationum conscii, meliùs Patrum sensum callebant.

5 Ea quoque in idem, atque ex eadem ratione, accedente propositione, quam in foro habemus receptam, & quotidianam, ut observantia, quæ in omnibus ambiguis optima interpres est, atque interpretationum Regina reputatur, verborum sensui, vel naturali significationi quandoque apta prævalere, proxima esse debeat, illaque magis attendi, quàm remota, *e*

Clariùs autem, hanc interpretandi facultatem, occasione erectionis quamplurium Congregationum, quæ *in relatione Romæ Curia* recensentur *f* ei concessit Sixtus V. 6
Ea tamen restrictione prudentissimè adjecta, ut non nisi iis, quæ ad Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum reformationem, ac morum correctionem pertineat, Sacra Congregatio hanc facultatem exercere debeat, Summo Pontifici, privativè ad quoscunque, reservata facultate interpretandi illa decreta, quæ Catholicæ Fidei dogmata, vel quæstiones concernant.

Prudens autem, ac fortè necessarium consilium fuit, hanc S. Congregationem, pro dicta interpretatione deputare, quoniam, licèt conciliaria decreta, ad eam ele- 7
gantem formam, per quemdam insignem, atque ex illius sæculi primariis humanarum literarum professoribus, redacta sint; Attamen in iis præsertim, quæ à sacrorum Canonum dispositione, vel intentione derivant, forumque externum, seu morum correctionem, ac reformationem concernunt, melius forsan fuisset, si alicui Rotæ Auditori, vel alteri pretio Canonistæ, qui in forensibus benè versatus esset, ex iis pluribus qui in eodem Concilio intervenerunt, ipsasque quæstiones in eo decisa disputarunt, id commissum fuisset, quoniam peritissimus quidem, atque in sua professione valdè commendabilis extensor, ut elegantiori sermoni inserviret, atque latinę linguę regulas rigorosè servaret, nonnulla, cum grammaticali, non autem cum legali, seu forensi stylo explicata, sub aliqua forsan reliquit obscuritate.

Legalia enim, ac forensia, per legales, ac forenses melius, cum propria, primorumque Magistrorum plana explicantur elocutione, quamvis ea per Grammaticos barbara reputetur, quoniam fabri fabrilia tractare debent; Grammatica enim, aliarum scientiarum famula est, ad eas explicandas opportuna, ideòque pro dominarum respectivè diversa qualitate, varium, atque cuilibet magis adaptatum servitium, seu famulatum præstare debet; Non autem, ut (juxta sim- 8
plicium grammaticorum prætensionem,) dominæ rigo-

rosè

rosè inservire debeant famulæ ejusque dominationem, ac rigores pari; Finis etenim elegantiæ sermonis est, lectores allicere, atque scientiarum capacitatem, ac praxim melius imprimere, ideòque ea tenenda est via, per quam juxta locorum loquendi usum, iste impleatur finis, non autem, ut grammaticalium regularum exactus rigor, contrarium operetur effectum.

His itaque ita prænotatis; Quatenus ad rem nostram pertinet; Super iis tantùm, quæ ad ejusdem Concilii S. Congregationem spectant, atque conciliatiam decretorum observantiam, vel interpretationem concernunt, meum est
9 institutum, pro eodem fine, quo alibi enunciatus est g plano & compendioso stylo forensi, (sub silentio omninò involutis iis decretis, quæ fidei quæstiones, vel dogmata continent,) ea tantùm adnotare, quæ forensia, magisque practicabilia sunt, ut virum forensem decet, atque me tractasse memoria suppetat, in hoc Sacro Concilio adeout prudenter, pieque statuta, à glossis tamen, vel interpretationibus, & commentariis me omninò alienum profitendo.

Puts, veram aliquam in ejusdem Sacræ Congregationis registris adhibere diligentiam, ut ita certificatus, quænam veræ, & authenticæ essent resolutiones, possem illas apo-
10 rire, quæ apochryphæ in aliquibus circumferuntur voluminibus, aut illas, quæ contrariæ, seu diversæ ignaro vulgo videntur, conciliare, seu declarare; Abstinui tamen ab opere, tribus me impellentibus motivis, Primò nempè, quia forenses occupationes istud otium non concedebant; Secundò quia genium, has improbi, ineptique laboris partes, in quibus nulla est ingenii operatio, nimium abhorret, dum potissimè non desunt notorii Collectores.

Et tertiò, quia pro meo sensu, (aliquibus exceptis decretis, vel declarationibus generalibus,) erroneum est, in parti-
11 cularibus declarationibus cum consueta cæca fide, vim constituere, cùm illæ, quæ singulos, vel particulares concernunt casus, ea eorum particulari qualitate, & circumstantiis manere solent, ideòque alteri diversas circumstantias habenti, non semper sunt applicabiles, cum diversimodè ob diversam facti qualitatem, sæpiùs decernere congruat, quod vulgus malè concipit, atque contrarietatem appellat. [h]

Tres autem generales regulæ, seu propositiones prænotandæ sunt. Primò nempè, quod licèt, Generalium Conciliorum
12 peculiare sit, ut sub generalibus derogatoriis, ac non obstantiis non veniant, sed speciali egeant mentione explicita, vel etiam ea implicita, quæ explicitæ æquipolleat, ut ita scilicet omninò certa reddatur Pontificis voluntas, quę aliàs præsumenda non est, cùm voluntaria ista sit quæstio, non autem potestatis, quæ apud forenses Canonistas (quidquid Theologi in scholis, & academiis, pro ingeniis exercendis, vel ex
13 alio fine, præsertim ultra montes disputent,) indubitata est, Conciliis etiam Generalibus derogandi, vel dispensandi. [i]

Nihilominus quoad istud Concilium Tridentinum (quod extra omnem controversiam, æquè œcumenicum, ac ge-
14 nerale est,) ista non viget peculiaris circumstantia, cùm ea ejusdem confirmatoriæ Pianæ Constitutionis litera, ac recepto sensu, sub generalibus derogatoriis, & non ob-
15 stantiis cadat, adeòut sufficiat, ut contra, vel præter ejus decreta, aliquid decernatur, vel concedatur, ut implicita ejus derogatio adesse dicatur. [l]

Secundò quod ob clausulam *sublata*, & decretum irritans, quæ continentur in dicta Piana Constitutione, edi-
16 ta super ejusdem Concilii confirmatione, ac publicatione, & observantia, stante dictarum clausularum recepta virtute, ac operatione admittendi jurisdictionem ac potestatem aliter judicandi in contrarium, atque infirmandi quamcunque contrariam possessionem, vel consuetudinem, cujus initium, sive ingressus, ac etiam progressus ita impeditur; Exinde resultat, ut in iis, quæ ejusdem Concilii decretis adversantur, quæcunque possessio, vel præsumptio non suffragetur, neque allegari valeat, omnesque actus contrarii, pro infectis habeantur. [m]

Et tertiò demùm, ut hujus Sacræ Congregationis declarationibus, quæ impressæ, vel manuscriptæ circumferuntur, cujuscunque authoris testimonio munitæ sint, nulla
17 fides præstari debeat, tam in judicio, quàm extra, nisi ejusdem Sacræ Congregationis Præfecti, ac Secretarii subscriptionibus, & consueto sigillo, juxta aliarum authenticarum expeditionum stylum, munitæ sint. [n]

Quamvis etenim Consulentium, ac etiam Decisionantiũ stylus videatur in causis decidendis, cum iis declarationibus procedere, quæ per elaboratos Collectores (ratione
18 publicæ commoditatis quidem commendabiles) diligenter referuntur; Attamen id solùm in Curia sequitur, eò quia nimiùm facile est, de earum veritate se certum reddere, perquirendo ejusdem S. Congr. annotationes, vel registra, ut frequenter eadem S. Congr. demandare solet, quando occasione disputationis casuum particularium, circumferantur declarationes, quæ diversæ, vel contrariæ videantur, sive aliquam habeat probabilem dubitandi rationem, cùm nulla fortè ipsarum declarationum repugnantia in abstracto dignoscatur, sed singulorum casuum diversitas eam operetur diversitatem, quæ indebitè, ut supra, contrarietas dicitur.

Istis itaque generalitatibus ita prænotatis, ejusdem Sacri Concilii ordo tenetur super singulis scilicet capitulis, quę materias concernant, foro, seu praxi magis adaptatas, ea generice annotando, quæ in ipsa Sacra Congregatione, vel in 19
Rota, aliisque Congregationibus, vel Ecclesiasticis probatis Tribunalibus magis recepta esse, memoria suggerat, ut ita munus injunctum expleatur; Non autem, ut omnia annotandi onus assumatur; Id etenim forensi viro aliqualiter occupato, nedum incongruum est, sed impossibile.

a *In Bullar. nov. Const. Pii IV.* 73.
b *Quid, & quando liceat, aliqua habentur* apud Fagn. *in cap. cum venissent de judic. ex n.* 9.
c *Constit.* 18. *ejusdem Pii IV.*
d *Præsertim sub tit. de jurisdict. disc.* 41. *&* 95. *& sub t. de matrim. disc.* 5.
e Rot. *dec.* 59. *n.* 12. *&* 13 *p.* 10. *rec.* Ottbobon. *dec.* 26. *n.* 14. *&* 15. *& dec.* 101. *n.* 11. *& seqq. & est conclusio vulgaris, quæ frequenter, & ubique habetur.*
f *lib.* 15. *in relatione Curiæ agendo de ista, & de aliis Sacris Congregationibus.*
g *Constit.* 74. *Sixti V.* & latè agit Fagnan. *in dicto c. cum venissent, de judic. & alibi.*
g *hoc eod. lib. tit. de Regular. disc.* 1. *in princ.*
h *de hoc occasione decisionum Rotæ agitur sub tit. de judic. in relatione, & praxi Curiæ agendo de Rot. Auditoris.*
i *pluries in plerisque locis præsertim sub tit. de decim. ad materiam Conc. generalis Later. in c. nuper, & apud proximè allegatos.*
l Gonzal. *ad reg.* 8. *glos.* 6. *n.* 120. Cavaler. *dec.* 602. *n.* 3. Add. ad Butarr. *dec.* 463.
m *in specie* Rota apud Bich. *dec.* 620. *n.* 3. *&* 4. *et sæpiùs, et generaliter dec.* 400. *p.* 9. *et dec.* 199. *p.* 11. *rec.*
n Fagnan. *in cap. quoniam de Constit. n.* 59. *et in dicto c. cum venissent de judic. et sæpiùs.*

Ad sess. 5. de Reform. cap. 1. & sess. 24. de Reform. cap. 8.

S U M M A R I U M.

1 *QUid in his decretis contineatur super lectione sacra scriptura, et theologia.*
2 *Et de schola Grammatica pro addiscendo linguam latinam.*
3 *Ac etiam super Canonico Pœnitentiario.*
4 *De quibus agi soleat circa prabendam theologalem.*
5 *Quomodo lectio scriptura, vel theologia practicari debeat.*
6 *An pro Episcopatibus sint magis congrui Theologi, quàm Canonista, distinguitur.*
7 *Quod magis opportuna sit conferentia casuum conscientia.*
8 *Parochi, et vicarii cogi possunt, ut interveniant in dicta lectione, vel conferentia etiam Regulares exempti.*
9 *Quid de parochis provisis per concursum.*
10 *An cogi possint simplices confessarii sine onere curæ?*
11 *An Episcopus possit cogere Regulares, ut subeant onus confessionis?*
12 *Quod Regulares cogantur ad interveniendum dicta lectioni, vel conferentia, etiam si in eorum domo adsit lectio.*
13 *De eodem, de quo, n.* 11.
14 *An et quando clerici sæculares cogi valeant ratione beneficii administrare sacramentum pœnitentia.*
15 *Quid de illis, qui non habeant beneficium sed sint addicti servitio, et missa alicujus Ecclesia.*
16 *Et quid de clericis simplicibus.*
17 *In quibus Ecclesiis cadant quæstiones super provisione prabenda theologalis.*
18 *De exemptionibus Canonici theologalis, et oneribus remissivè.*
19 *Quod in Italia rarus sit usus lectionis theologia, sed expedit lectio casuum, et de ratione.*

20 *De unione, quæ huic prabendæ fieri potest.*
21 *De deputatione magistri scholæ Grammaticæ.*
22 *De modo opportuno faciendi dictam deputationem, & sustentandi magistros Grammaticæ, & Musicæ.*
23 *De materia Canonici pænitentiarii, & de istius provisione, ac aliis.*
24 *De ætate ejusdem &c.*

D I S C. II.

1 AD Ecclesiasticorum operariorum pietatem, ac idoneitatem inducendam, & conservandam, duo in primo istorum Decretorum demandantur. Primò nempe lectio Sac. Scripturæ & Theologiæ facienda in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, ac etiam Regularibus per Canonicum, vel alium Beneficiatum, seu respectivè Monachum Sacræ Theologiæ professorem, injungendo locorum Ordinariis theologalis præbendæ, ubi ea non adsit, erectionem etiam cum aliquorum beneficiorum unione, quando aliàs id sequi non valeat. Et secundò, ut pro instructione puerorum, & adolescentium aliqua habeatur grammaticæ schola pro studio
2 linguæ latinæ, quæ necessaria est pro lectum, & intelligentia sacrorum librorum, quorum usus prudentes, atque ex justis motivis prohibitus est in ea lingua, quæ sit in loco naturalis, omnibusque communis; In altero autem, ut in
3 Cathedralibus, Canonicus Pœnitentiarius adesse debeat, distinctè igitur de hujusmodi provisionibus agendo;

Quatenus pertinet ad primum, circa Sacræ Scripturæ, ac Theologiæ lectionem, de duobus agi solet. Primò scilicet de iis, quæ concernunt ipsam præbendam Theologalem,
4 tum super jure illam conferendi, quam super qualitate personæ, cui conferenda est, ac etiam super muneribus, quæ huic Lectori incumbant, ejusque privilegiis, & exemptionibus, ac unionibus beneficiorum, quæ ad hunc effectum fiant, Et secundò super lectione passiva, idest circa personas, quæ cogi possint ad interveniendum huic lectioni.

Modus itaque activæ lectionis, varius est, pro locorum diversa qualitate; In iis enim partibus, quæ in hæreticorum, vel schismaticorum finibus existunt, undè propterea, de fi-
5 dei dogmatibus, aliisque theologicis quæstionibus disputare oporteat, Theologiæ scholasticæ lectiones haberi debent; Ubi ista ratio, vel necessitas cesset, tunc magis utilis reputatur lectio Theologiæ moralis, quæ vulgò dicitur casuum conscientiæ utpotè magis opportuna pro exercitio curæ animarum, ac pro administratione sacramentorum, dum in locis in quibus, omninò pacifica est catholicæ Fidei observantia; neque finitimorum hæreticorum, seu schismaticorum timor habetur, Theologiæ moralis notitia magis necessaria est, quàm scholasticæ, vel dogmaticæ.

Eodem modo quo ita distinguendo decidi solet quæstio, an Ecclesiarum Cathedralium regimini, Canonistæ, vel Theologi potiùs præficiendi sint, ut scilicet in finitimis re-
6 gionibus, vel diœcesibus cum hæreticis, vel schismaticis, aut infidelibus, Theologi præfici debeant; In aliis autem, in quibus hæc ratio non urgeat, eorum præfectio potiùs incongrua sit, magisque adaptata sit peritia Canonum, juxta praxim forensem, ideòque Canonistæ in foro versati eligi debent, ut frequentior quotidiana experientia docet.

Quia verò, præsertim in Italia, ob Ecclesiarum Cathedralium nimiam frequentiam, ac paupertatem, exiguosque
7 fines, non de facili hujus præbendæ theologalis erectio sequi potest, Hinc proindè per probos, ac zelantes Episcopos, æquipollens modus introductus est, quod scilicet qualibet hebdomada, sive pro locorum usu, quibuslibet statutis diebus, fiant congregationes, seu conferentiæ casuum conscientiæ; In quibus vel unus proponat, alii verò ad formam academiæ discurrant alternatim, vel cum eadem alternatione aliquid discurrant, & reliqui auscultent, adeòut nemo gerat personam continui, ac fixi Lectoris, juxta hujus decreti dispositionem.

Isteque modus, præsertim in Italia, adeò invaluit, ut etiam in Ecclesiis, in quibus adest præbenda theologalis, adhuc idem stylus servetur, illo præbendato, ratione officii, aliquid plus operante; Ubi tamen adsunt Episcopi, qui verè sint Episcopi, & Pastores, non autem, ubi sint puri mercenarii, sive institores, qui aliud non agunt, neque cogitant, nisi studere pinguiori fructuum ac proventuum recollectioni, ac subditorum excoriationi, ut se ipsos, vel suscepta onera impleant.

Hinc oriri solent quæstiones, non solùm cum propriis clericis subditis, sed etiam cum aliis sæcularibus, vel regularibus exemptis, an, & qui ad istam lectionem, vel respectivè congregationem, seu conferentiam accedere teneantur, adeòut non accedentes puniri valeant? Atque in hoc, in casus contingentia, mihi videbatur procedendum esse cum distinctione, cum qua ego edoctus à praxi tenta per aliquos probos, ac vigilantes Episcopos, procedere consuevi in tempore mei regiminis Ecclesiastici, ante accessum ad Urbem, quod scilicet;

Aut agitur de Parochis, seu vicariis, actualem curam animarum necessariam, ratione beneficii, vel officii habentibus; Et isti teneantur, quamvis inviti, accedere, adeòut 8
alias puniri possint, quamvis essent regulares exempti, quoniam, ut pluries insinuatum est, in iis, quæ curam animarum, & sacramentorum administrationem concernunt, exemptio non suffragatur; Cùm etenim ipsi habentes curam fixam in titulum perpetuum, vel etiam manualem, non possint, vel quatenus possint, non debeant, ea ista levi causa privari, vel suspendi, congruat autem eis, imò ferè necessarium videatur hoc exercitium; Hinc proindè oportet dare facultatem puniendi, & cogendi, ex recepto juris principio, quod quando aliquid præcipitur, vel desideratur, pernecessè, tamquam antecedens necessarium, dare oportet illam facultatem, sine qua consequens haberi non potest, ut in proposito præsidentiæ in choro, cum similibus, pluries à Rota firmatum fuit.

Et quamvis in facti contingentia disputare occasio dederit, an Parochi habentes parochiam in titulum ad formam Concilii, ad id cogi valeant, ex ea dubitandi ratione, 9
quod ita, cum formalitate concursus, quodammodo graduati, atque doctorati videantur, ac effecti magistri, ideòque cogi non debeant redire ad scholam, atque partes discipuli gerere; Attamen hæc prætensio meritò rejecta fuit; Tum quia in hujusmodi congregationibus, vel conferentiis, omnes æquè dicuntur gerere utramque personam magistri, & discipuli, respectivè; Tum etiam quia illi, qui uno tempore sunt idonei, deserendo studia, effici possunt indocti, ac minus idonei, ut quotidiana praxis docet, atque comprobat naturale exemplum terræ, quamvis fecundæ, beneque cultæ, ubi continuata cultura deseratur; Ac etiam praxis equorum, aliorumque animalium quamvis in gradu excellentiæ instructorum, & operantium, ubi non exerceantur, cum similibus. &

At verò agitur de illis, qui sine titulo, vel officio volunta- 10
riè munus administrationis Sacramentorum suscipiant, ut sunt simplices confessarii sæculares, ac regulares, & tunc nulla necessaria videtur coactio pœnalis, cùm Episcopus promptum habeat remedium, eis tollendo, vel suspendendo licentiam administrandi sacramenta.

Verum non semper ista consideratio procedit, quoniam in parvis Civitatibus, vel locis, in quibus major proborum, ac zelantium Episcoporum afflictio consistit in operariorum, ac mercedum penuria, adeòut non sit practicabilis illa omnium melior medicina, quæ est, alliciendi cum præmiis benè operantes, ita oportet abstinere ab hoc remedio tanquam præjudiciali populo, ob carentiam aliorum, qui ad hoc munus idonei sint, ideòque oportet adhibere hoc remedium coactionis, etiam cum illis regularibus exemptis, qui jam istud munus susceperunt, sive qui in eorum Ecclesia illud exercere consueverunt, ut dicere non valeant, quod non curent Sacramentum pœnitentiæ ministrare, & confessiones audire; Ideòque denegatio, vel suspensio licentiæ non est sufficiens medicina, quoniam inter Superiorem, & subditos rectè intrat ratio correlativorum, ut non debeant ad imparia judicari; Unde propterea, quemadmodum Episcopus non potest suspendere omnes confessarios regulares unius vel respectivè omnium Monasteriorum, ubi personalis demerentia non accedat, cùm tunc reputetur actus animosus, ex pluries declaratis per Sac. Congregationem; Ita 11
è converso non debet esse in libito ipsorum regularium recusare istud munus, ob hanc superbiam, quæ sub pallio exemptionis, ac privilegiorum tegi solet, potissimè quia in ipsis domibus regularibus, ut plurimum, ubi non sunt magnæ, ac primæ classis, cum formalitate studiorum, parum servari videtur hujus decreti conciliaris dispositio, quæ regulares percutit,

Quinimò, ubi etiam in propria domo regulari, ad hujus decreti formam, lectio, vel conferentia habeatur inter ipsos
regulares, adhuc tamen ego in facti contingentia dicere con- 12
suevi, ut illi, qui confessiones audire volunt ad hujusmodi congregationes, vel conferentias accedere debeant, ut ita melius instruantur de moribus loci ab iis qui in eo versati sint, ipseque Episcopus, qui ejus ordine præsidet, certificetur quas opiniones teneant, qualemvè praxim adhibeant,

quo-

quoniam, ut frequens praxis docet, atque egomet pluries expertus sum, præsertim in materia usuraria, seu negotiatoria, ac etiam in illa fraudis gabellarum, cum similibus pro locorum diversis moribus, aliisque facti circumstantiis, diversæ retinentur, ac practicantur opiniones; Unde propterea regulares, in quibus crebræ sequuntur mutationes de loco ad locum, illas opiniones, quas practicarunt in una regione, retinere, & practicare solent in altera, in qua illæ reprobatæ sunt, & consequenter oportet, ut Episcopo innotescat.

Atque ut aliàs in facti contingentia ego advertebam, illi regulares, qui ex instituto vitam activam profitentur, & confessiones audire solent, ita se declarantes gerere munus
13 operariorum in vinea Domini, per quemdam implicitum quasi contractum se obligare videntur parere Episcopo tanquam ejusdem vineæ Præfecto, ac majori custodi; Potissimè quia, (ut dictum est,) Episcopo etiam invito ipsi hanc operariorum partem, non data personali demerentia, exercere prætendunt, recurrendo ad Sacram Congregationem, quando id denegetur. *e*

Respectu verò clericorum sæcularium, altera intrat distinctio, inter eos, qui licèt non habeant onus curæ animarum, adhuc tamen habent beneficia residentialia, & servitoria præcisè, vel causativè, putà Canonicatus, vel Portio-
14 nes, seu Capellanias &c. Unde propterea pro Ecclesiæ consuetudine soleant, non solùm divina officia celebrare, sed etiam sacramenta, præsertim illud pœnitentiæ, pro devotione, & commoditate populi administrare, eo modo quo faciunt regulares, quoniam tunc, ex eisdem rationibus supra ponderatis, imò fortiùs, non solùm cogi poterunt illi, qui soliti sunt hoc onus exercere, sed etiam alii, ut ita subrogati possint in dies in locum deficientium etiam inviti, quando Episcopus eos idoneos reputet, si operariorum penuria, & populi necessitas ita exigat, cùm hujusmodi laudabile exercitium non solùm concernat conservationem idoneitatis eorum, qui huic muneri præpositi sunt, sed etiam doctrinam, ac instructionem aliorum, qui in locum deficientium præponendi, ac subrogandi erunt.

Aut verò agitur de illis clericis, qui nullum habeant beneficium residentiale, vel servitorium; Et tunc si agitur de illis, qui parochialis, seu matricis Ecclesiæ servitio, ac mas-
15 sæ adscripti sunt, ex prærogativa civilitatis, seu nationalitatis, adeòut de facto quamdam speciem Capituli, seu Congregationis constituant per imaginem Ecclesiæ Collegiatæ, juxta frequentem Italiæ, ac etiam Hispaniæ consuetudinem pluries insinuatam, *d* Et tali casu pariter idem dicendum videtur, cùm eadem congruat ratio; Secus autem in illis clericis, qui nulli servitio Ecclesiæ formiter addicti, ex solo motivo pietatis, ac devotionis clericalem statum assumunt, cùm tunc nulla urgeat ratio, ob quam ad id cogendi sint,
16 ideòque eis assistere videtur regula, quæ (licèt rarò) limitationem recipere apta est, quando necessitas ita quandoq; cogat, ob penuriam operariorum, ut quandoque in casu epidemiæ, seu magnæ influentiæ morborum contingere solet.

Adinstar eorum, quæ in jure habemus, super facultate cogendi illos, qui medicinæ & chirurgiæ professionem assumunt, ac etiam artifices, quamvis certo servitio addicti non sint, sed in eorum libertate remaneant, quoniam eo ipso, quòd quis clericali militiæ se adscribat, atque sacros ordines illum, præsertim presbyteratus suscipit, ita per quemdam quasi contractum ad militandum spiritualiter quando necessitas cogat, se obligasse videtur, eo modo quo habemus de voluntariis militibus, qui vulgò *venturieri* dicuntur discreti à stipendiariis. *e* Ista etenim differentia cadere videtur inter illos clericos, qui alicujus Ecclesiæ servitio formiter addicti sint, & alios.

Super istius autem præbendæ theologalis provisione quæstiones cadere solent in illis Ecclesiis, in quibus provisio ad Capitulum, vel aliquem inferiorem Prælatum generaliter
17 pertineat, an scilicet aliquid peculiare in his præbendis dignoscatur, ut ad Episcopum collatio, vel saltem approbatio pertinere debeat; Verùm in Italia nullus, vel nimium rarus videtur casus agendi de hujusmodi quæstionibus; Vel quia pro frequentiori contingentia, in his qualificatis præbendis reservatio, vel affectio Apostolica contingere solet, tam ratione mensium, quàm ratione personæ, quia sit protonotarius, vel familiaris alicujus Cardinalis, aut Subcollector Apostolicus; Tum etiam, quia in hac provincia, ob Episcopatuum frequentiam, ac exiguitatem, unde resultat Ecclesiarum Cathedralium, & Capitulorum paupertas, nimium rarus est casus juris Capituli, vel alterius habendi participationem in collatione canonicatuum in Cathedrali, cum hujusmodi quæstiones frequentius audiantur in Hispania, ubi Capitulorum longè major est prærogativa; Ibi verò ante Conc. Tridentinum per literas Apostolicas Sixti IV. & Leonis X. super provisione præbendæ theologalis, quæ alicubi magistralis dici solet, ac alterius, quæ ibi dicitur doctoralis, per Canonistas præscripta fuit certa forma enunciata in sede beneficiorum. *f*

Plures item per solitos Collectores, referuntur declara- 18
tiones circa istam præbendam theologalem, tam circa lucrum, & respectivè amissionem distributionum pro tempore, quo in munere lectionis occupatus fuerit, quàm etiam circa provisiones ab Episcopo capiendas pro tempore, quo eadem præbenda vacet, sive quòd ejus possessor absit, vel sit impeditus, aut suum munus explere negligat, de quibus in casus contingentia apud eosdem Collectores facilè videre est. *g*

Benè verum quod, ut præmissum est, in Italia, (super cujus negotiis potissimum Sacrarum Congregationum disputationes circumferri solent) nimium rarò hujusmodi 19
quæstiones audiuntur, eò quia cùm ab hac provincia, Dei gratia extirpata sit omnis hæresis lues, (quibusdam exceptis extremitatibus, propè montes) ista lectio penè inutilis, ac cæremonialis remanere videtur, magisque proficuum est supra enunciatum exercitium Congregationum, seu conferentiarum casuum conscientiæ, explicari solitum in quibusdam horis, in quibus Divina officia vacant, puta post vesperas; Unde propterea audiri non solent quæstiones super lucro, vel amissione distributionum.

Minusque subesse videtur necessitas illius provisionis, quæ ab eodem decreto conciliari præscribitur pro tempore, quo dicta præbenda theologalis vacat, vel impedita est, assumendi scilicet, cum congruo stipendio ex eadem præbenda persolvendo, aliquem clericum sæcularem, vel etiam regularem sacræ theologiæ professorem, qui hoc munus expleat, quoniam id non videtur opportunum, stante dicta introductione conferentiarum, quæ in locis, in quibus Catholica Religio omninò pacifica est melior reputatur, dum totum clericorum, & Ecclesiasticorum munus versatur circa populorum mores, & animarum curam, ac sacramentorum, aliorumque Divinorum congruam, ac diligentem administrationem; Unde propterea ministrantium peritia requiritur solùm in moralibus, in quibus tot modernorum labores materiam nimium facilitarunt, adeòut cuilibet mediocriter callenti linguam latinam, facile sit studium, pro quo dictum exercitium conferentiarum nimium confert magis quàm conferret ingeniosæ, & accademicæ lectiones, quas aliquis scholasticus theologus ad proprii ingenii, ac propriæ eruditionis ostentationem accademico stylo faceret, ut in concionibus verbi Dei frequentior praxis docere videtur; Illud tamen detestabile est, quod in plerisque Ecclesiis, quibus præsunt Episcopi principaliter, solæ redditLuum pinguiori collectionis, ac subditorum excoriationi, & mercaturæ incumbentes, negligitur utrumque.

De unione autem beneficiorum ad hujus decreti præscri-
ptum facienda, habetur infra, occasione generaliter agendi 20
de unione facienda præbendis canonicalibus Ecclesiarum Cathedralium *h* ut quantum fieri potest, evitetur earumdem rerum repetitio, quæ tamen ut plurimum est inevitabilis.

Item quoad alteram valde commendabilem provisionem 21
in hoc primo Decreto contentam, super deputatione Magistri scholæ Grammaticæ, postmodum ad plures annos ab eodem Concilio magis opportunum, ac proficuum adhibitum fuit remedium erectionis seminarii, de quo infrà *sess.* 23. *cap.* 18. ubi aliqua desuper adnotantur; Verùm quia in Italia, præsertim ob insinuatam rationem exiguitatis diœcesum, ac paupertatis Ecclesiarum, atque ob carentiam beneficiorum, istud remedium non est de facili practicabile, adeòut praxis doceat, quod fortè pro majori parte Cathedralium præsertim Regni Neapolitani (in quo dicta nimia frequentia conjuncta cum paupertate dignoscitur magis, quàm in aliis partibus ex alibi assignata ratione;) *i* Hinc pro- 22
inde illi Episcopi, quibus Episcoporum, non autem, ut supra insinuatur, alius titulus congruit, super hoc invigilare solent, ac debent, ut scilicet magister Grammaticæ, & alter musicæ, seu cantus conducantur, cum reciproca necessitate, tanquam per quandam imaginem seminarii, ut scilicet in aliqua honesta domo ab eodem Episcopo, vel ejus Vicario deputanda, seu approbanda, utraque respectivè schola habeatur, ad quam omnes clerici in omnibus, ac respectivè in sacris, juxta eorum indigentiam, vel aptitudinem, etiam sub pœnis, & coerctionibus, accedere debeant statutis horis,

vel diebus, & è converso magister omnes accedentes docendi obligationem habeat; Atque ubi alius non suppetat congruus modus solvendi magistrorum stipendium, cùm praxis doceat, quod singulorum collecta menstrua difficilem praxim habeat, assignari solent quędam emolumenta franchitiarum, quæ per sæculares gabellarios clericis præstantur. *l*

Ideoque per hanc S. Congregationem Concilii ad id advertendum mihi videretur, quod quando occasione visitationis Liminum, detecto ex relatione status Ecclesiæ, quod non adsit seminarium, unde propterea per quoddam consueto formulario id Episcopis nimium inculcatur, sed inutiliter, cùm severà Ecclesiarum, & diœcesum vires non suppetant, idcirco comperto ex pluribus continuatis relationibus, quod hujusmodi monitiones inutiles, ac cæremoniales remanēt, ob impracticabilitatem posterioris decreti contenti *in d. cap. 18. sess.* 23. demandari deberet observantia istius, quòd facilius practicabile est; Atque ubi Episcopi benè suum munus explere velint, istud remedium forsan melius, magisque proficuum saltem in parvis locis videtur, ut ego expertus sum.

23 In altero autem Decreto *sess.* 24. *de reform. c.* 8. agitur de Canonico pœnitentiario, super cujus muneris exercitio nimium raræ audiuntur fori quæstiones, atque super eo multa referunt consueti Collectores; forenses autem quæstiones eo modo quo supra de canonico doctorali, vel theologali dictum est, cadunt super modo conferendi istum canonicatum in illis Ecclesiis, in quibus collatio fit ad simultaneam Episcopi, & Capituli tantùm, vel Capituli tantùm cum interventu Episcopi tanquam unius ex capitularibus, an scilicet per istud Decretum hoc innovatum sit, ut ad solum Ordinarium collatio pertineat? Id autem nimium rarum est in Italia, atque in Hispania, ubi est frequens hic usus, habentur specialia indulta Apostolica, super quorum comprehensione cadunt quæstiones, de quibus agitur in rerum beneficialium adnotationibus.

23 De speciali autem ætate requisita in isto Canonicatu pœnitentiario, alibi habetur occasione agendi de ætate, quæ in beneficiis est necessaria.

a *De hac distinctione in specie electionis Episcoporum* Menoch. *de arbitr. casu* 120. Barbos. *de Episc. alleg.* 1. *n.* 30. *& generaliter, ut in forensibus magis deferendum sit Canonistis, habetur sub tit. de usur. disc.* 1. *& seqq. & sub tit. de matr. d. disc.* 3. *& alibi pluries.*
b *sub tit. de matr. a. disc.*16. c *sub tit. de jurisd. disc.* 32.
d *tit. de Canon. & Capitulo, disc.* 17. *cum pluribus seq.*
e *de jurisd. d. disc.* 42. *& de benef. disc.* 55.
f *tit. de benef. disc.*28.29. g Barbos. *in Collect. ad S.Conc.*
h *infra & tit. de benef. disc.* 43. *cum plur. seqq.*
i *tit. de praem. dis.* 6. *in fin.*
l *in tit. Miscell. disc.* 2 *cum plur. seqq.*
m *tit. de benef. disc* 27. *&* 19.
n *eodem tit. de benef. dis.* 95. *ac etiam infra.*

Ad Sessionem quintam de Reform. cap. 2.

S U M M A R I U M.

1 *INjungitur onus prædicationis Episcopis, & Parochis.*
2 *Quomodo istud onus impleatur.*
3 *De controversiis, quæ desuper oriri solent cum Communitatibus.*
4 *An Cathedrali semper jus deputandi concionatorem spectat ad Episcopum, neque dari potest consuetudo contraria.*
5 *Atque ad eum spectat onus dandi alimenta, vel eleemosynam.*
6 *In Ecclesiis inferioribus attenditur consuetudo, & qualis.*
7 *De eadem consuetudine circa alimenta, vel eleemosynam.*
8 *In Cathedrali pro onere prædicto consuetudo debet esse immemorabilis.*
9 *Quomodo ista quæstiones decidantur.*
10 *Regulares extra proprias Ecclesias non possunt prædicare sine licentia Ordinarii.*
11 *Quando adversus denegationem detur recursus.*
12 *Quid ubi in Ecclesia propria, & quando etiam denegatur.*
13 *In casu contraventionis, an Episcopus puniat Regulares exemptos.*
14 *De eodem, & quando clariùs Episcopi puniant.*
15 *Quomodo Prælati, & Regulares debeant invicem se gerere.*
16 *In Ecclesiis sæcularibus habentibus Prælatum inferiorem, ad quem spectat benedicere Prædicatorem.*
17 *An Regulares occasione recitandi Rosarium, seu aliàs coctionem habere possint.*
18 *Qualis regula desuper cadat.*

D I S C. III.

PRædicationis verbi Dei munus, tam Episcopis, & Archiepiscopis, aliisque ordinariis Prælatis, quàm etiam parochis, & plebanis, per se ipsos, vel per alios idoneos viros per hoc Decretum injungitur, aliquibus præscriptis legibus præsertim Regularibus exemptis, qui hodie, ex frequentiori usu istud prædicationis munus exercere profitentur, quomodo in hoc se gerere debeant, ubi in suorum Ordinum Ecclesiis, vel in aliis, illud exercere volunt. 1

Rarus autem hodie in Episcopis, & Archiepiscopis usus est prædicationis per se ipsos, sed illud explent in statutis Adventus, & Quadragesimæ temporibus per concionatores, qui ex peculiari studio, ac professione id agunt, quorum major, ac ferè omnimoda pars est Regularium; Idemq; servatur in aliis Ecclesiis inferioribus Civitatis, ac diœcesis; Solumq; Parochi, vel Rectores pro locorum diversis moribus, seu pro Episcoporum majori, vel minori vigilantia, ac solicitudine, festivis diebus intermissarū solemnia aliquas salutares monitiones populo, cum plano, ac familiari stylo facere solent: Ac etiam alibi probi, ac zelantes Episcopi, (quamvis rariùs) id faciunt, cùm in hoc locorum moribus deferri soleant; Si autem Parochus velit per se ipsum concionari tempore Quadragesimæ, vel Adventus in parochia, atque adsit idoneus, neque alia justa causa accedat prohibendi; non potest Episcopus alium concionatorem deputare, ut fuit declaratum per S. Congregationem Concilii de mense Septemb. 1670. 2

Istud autem Decretum frequentes parere solet controversias, inter Episcopos, vel respectivè inferiores Prælatos, vel plebanos, ac rectores, & populos, eorumque communitates, tam super jure eligendi, seu nominandi concionatorem, quàm etiam super eleemosyna, seu alimentis ejusdem, dum Communitates laicorum prætendere solent istam prærogativam, eligendi, seu nominandi concionatorem, ab Episcopo tamen approbandum. 3

In hoc autem, quamvis opinionum varietas non adsit, Ex tamen ex pluribus hujus Sacr. Congregationis, ac alterius Episcoporum determinationibus, regula, seu theorica generalis statui posse videtur, ut in ipsa Ecclesia Cathedrali, in qua præcipuum, ac proprium est Episcopi munus prædicare nunquam detur consuetudo, vel præscriptio ad favorem Communitatum laicalium, vel Dominorum temporalium, eligendi, seu nominandi concionatorem, quamvis per antiquissimum, ac immemorabile tempus ita servari consueverit, cùm istud jus sit imprescriptibile, omnisque consuetudo à Concilio sublata sit. *a* 4

Benè verum, quod si eadem Communitas, vel alter, alimenta suppeditare, seu eleemosynam solvere consuevit, Concionatori Cathedralis, correspectivè ad electionem, seu nominationem ab eo fieri solitam, tunc si Episcopus id amplius pati nolit, ipseque eligere, pro ejus libito velit Concionatorem, non poterit compellere Communitatem ad alimenta, vel eleemosynam, ex fundamento retroactæ observantiæ, cùm ista dividi non valeat, ideòque servanda est cum sua qualitate; Quinimò si Episcopus pati velit, ut electio fiat per Communitatem, ista verò non curet, quia eleemosynam solvere nolit, non poterit Episcopus eam cogere non obstante consuetudine, dum in Cathedrali Concilium hinc inde eam simpliciter redolevit. *b* 5

In aliis autem Ecclesiis inferioribus, si antiquissima immemorabilis consuetudo adsit super hoc jure eligendi, seu nominandi per Communitatem, suppeditantem eleemosynam, vel alimenta, ea servanda est, cùm non intret dicta ratio, quæ viget in Cathedrali; Et quatenus talis consuetudo non benè justificetur, tunc poterit quidem Episcopus, vel Ecclesiæ Prælatus eam impugnare, atque concionatorem pro ejus libito deputare, cum onere tamen injuncto, suppeditandi alimenta, vel eleemosynam, ad quam Communitas cogi non poterit, si ita correspectivè ad electionem id gestum sit, ex dicta ratione, quod observantia dividi non potest, sed cum sua causa, vel qualitate attendi debet. 6

Si verò consuetudo immemorabilis, vel etiam quadragenaria adsit, ut concionator per Episcopum, vel per alterum Prælatum eligi, vel deputari solito, in his Ecclesiis inferioribus, 7

ribus, Communitas, absque dictis eligendi, seu nominandi prærogativa, eleemosynam, vel alimenta suppeditare consueverit, tunc eadem consuetudo servanda est, atque Episcopus cum legitimis remediis pro locorum moribus, vel stylis Communitatem, vel populum cogere poterit. *c*

8 In Cathedrali autem onus alimentorum, vel eleemosynæ absque jure eligendi exigit immemorabilem. *d*

9 Hinc proinde, facti potiùs, quàm juris istæ quæstiones remanent super hujusmodi scilicet consuetudinis justificatione, atque, super interdictis possessoriis, quæ desuper in forma judiciaris per Episcopos, seu Rectores, vel respectivè Communitates intentari solent. *e*

10 Inter Episcopos quoque, aliosque Prælatos, & Regulares exemptos, in hac materia facultatis concionandi, quæstiones cadunt, an scilicet & quando Regulares, eam exercere valeant sine Ordinarii loci licentia? Et posita istius necessitate, an & quando possit denegari?

11 In hoc autem, regula, seu distinctio generalis est, quod; si, ut agitur de concionibus faciendis per Regulares in aliis Ecclesiis, quàm in illis suorum Ordinum, & tunc licentia necessaria est, neque sufficit ejus petitio, nisi accedat etiam concessio; Et consequenter denegatio sperni non potest; Solumque ubi ea fiat, non alicubi personæ particulari, cum qua concurrere valeat ratio personalis demerentiæ, vel sinistræ opinionis, sed fiat omnibus religiosis alicujus Religionis, ob indignationem, quam fortè Episcopus habeat cum ea Religione, ratione alicujus litis, vel ex alia causa, (ut quandoque ego practicavi,) & tunc recursus haberi potest ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, vel etiam ad istam Concilii, à quarum una, vel altera, emanare solent eadem præcepta, quæ emanant in casu denegatæ licentiæ audiendi confessiones in genere, cùm tunc dicta denegatio animosa sit, quoties ex parte Episcopi aliqua non assignetur congrua causa, quæ pro facti qualitate hanc præsumptionem animositatis tollat. *f*

12 Ubi verò agitur de concionibus habendis in propriis Ecclesiis, tunc sufficit, ut se præsentet loci Ordinario, eique ostendant proprii superioris regularis approbationem, ac facultatem istud munus exercendi, atque benedictionem petant, quamvis non obtineant, cùm iste actus obedientiæ, seu reverentiæ sufficiat, neque regulariter Ordinarius id denegare, vel impedire possit, nisi in tribus casibus. Primò nempè ipso Episcopo prædicante, idest de tempore, quo sive ab ipso Episcopo, sive ab alio per eum deputato, concio habetur in Ecclesia Cathedrali, quoties contraria consuetudo non adsit, quod hoc eodem tempore in diversis Ecclesiis conciones habeantur, ut in magnis, vel nimiùm populatis Civitatibus, & Oppidis praxis docet.

Secundò, nisi aliqua peculiaris justa causa accedat, vel ratione demerentiæ personalis ipsius concionatoris, vel ex alia contingentia, ac circumstantia, ob quam illa concio inconvenientis parere possit, unde potiùs tendat ad destructionem quàm ad ædificationem, ut quandoque praxis docet, præsertim in temporibus actualis, vel imminentis, aut suspicati belli Divini, vel humani, sive revolutionum popularium, aut alicujus imminentis popularis functionis, cùm alicujus indiscreti concionatoris verba commotionem in populo facere possint, cum similibus.

Et tertiò, ubi ea concio fieret ob aliquam æmulationem, ut scilicet ita divertatur populus ab aliqua devotione, vel solemnitate aliave Ecclesiastica functione, quæ in alia Ecclesia regulari, vel sæculari fieret, ut quandoque pariter expertus sum. *g*

13 In casu autem contraventionis, alia disputatur quæstio inter Scribentes, an contraveniens, exemptione non obstante, ab Ordinario puniri valeat, vel potiùs punitio pertineat ad proprios superiores regulares? Atque ante Constitutionem Gregorii XV. magis communiter recepta erat hæc posterior opinio, ut ad proprium superiorem Regularem id pertineret, neque exinde exemptionis privilegia cessarent, ut generaliter per DD. (quorum major pars est moralium propriam causam agentium) firmatur in omnibus aliis contraventionibus, præsertim circa illam accessus ad Monasteria Monialium; Per dictam verò Constitutionem ista quæstio sublata fuit, ex ea congrua ratione, quòd ubi aliquid superiori committitur, commissa, vel concessa censentur omnia ea, sine quibus id, quod commissum est, effectum sortiri non potest. *h*

14 Potissimè verò, ubi in hoc proposito concionum, contraventio, seu inobedientia non sit illius religiosi concionantis in particulari ex propria temeritate, unde propterea congrua punitio à proprio superiore Regulari separanda sit, sed fiat ex superioris mandato, vel consensu, quia prætendatur quod dictos actus obedientialis, vel reverentialis non requiratur, undè propterea esset remittere causam potiùs ad partem interessatam, quàm ad Judicem, cùm sæpius dentur aliqui regulares Prælati, qui ex nimio indiscreto zelo conservandi, vel ampliandi propria privilegia exemptiva, 15 formales, & scandalosas inobedientias, ac rebelliones adversus ordinarios attentare solent; Quemadmodum enim Ordinarii malè agunt, atque correctione digni sunt, quando indebitè regularium privilegia violare satagunt; Ita è converso coerectione digni sunt Regulares, quando illis abutuntur.

In Ecclesiis autem, vel locis exemptis, atque habentibus proprium inferiorem Prælatum, etiam cum aliqua jurisdictione activa ordinaria in clerum & populum; Quoties non agitur de vero, & materiali territorio separato cum vera qualitate nullius, adeòut locus sit intra diœcesim, ista facultas concedendi concionatori licentiam, vel benedictionem respectivè, non pertinet ad Prælatum inferiorem, sed ad Ordinarium, cùm iste sit unus ex casibus jurisdictionis delegatæ Ordinariis locorum in locis exemptis proprium inferiorem prælatum habentibus, ut alibi quoque advertitur. *i* 16

Quandoque Regulares ad hujusmodi actum obedientialem, vel reverentialem evitandum, sub prætextu alicujus simplicis devotionis, putà recitationis Rosarii, vel aliarum orationum, ille Religiosus, qui orationi præest, assumpta occasione alicujus insinuationis faciendæ populo, quomodo illam devotionem, vel functionem benè exercere debeat, plura interserere studet, adeòut ita formalem faciat concionem, ideòque meritò per ordinarium id prohibetur, ut quandoque practicavi; Ideòque certa & generalis regula desuper dari non potest, cùm totum pendeat à singulorum casuum qualitate, & circumstantiis pro diversis locorum moribus; Atque regula generalis ea est, quæ consistit in axiomate *ne quid nimis*, quod scilicet Ordinarii infensi non sint Regularibus, neque eorum privilegia, & exemptiones violare satagant; E converso autem Regulares eorum privilegiis, ac exemptionibus non abutantur, ideòque semper vitium est in extremis. 17 18

a *de hoc agitur supra in tit. Miscell. Eccles. disc. 17.*
b *eadem disc. 17. supra allegata* c *ibidem*. d *ibidem*.
e *ibidem*. f *occasione confessionum agitur sub t. de jurisd. disc. 32. et alibi pluries insinuatur.*
g *de ista æmulatione spirituali in functionibus Ecclesiast. agitur sub tit. de praemin. disc. 10. et hoc lib. in t. Miscellan. disc. 32.* h *sub tit. de jurisd. disc. 18. et 26. hoc lib. in Miscell. disc. 16. et in aliis.*
i *disc. 3. de jurisd. et in aliis ibidem.*

Ad Sess. 6. de Reform. cap. 1. & 2. & sess. 23. de Reform. cap. 1. & sess. 24. de Reform. cap. 12.

S U M M A R I U M.

1 *DE provisionibus super residentia Episcoporum, et aliorum.*
2 *De aliis provisionibus posterioribus super eadem residentia.*
3 *An Episcopus præcisè residere teneatur in Ecclesia Cathedrali, vel sufficiat residentia in qualibet parte diœcesis.*
4 *Tenentur subditi accedere ad locum residentiæ Episcopi, et Tribunalis.*
5 *Episcopus potest residere, et habere Tribunal in qualibet parte diœcesis.*
6 *Quando teneatur Episcopus deputare Vicarium particularem in parte diœcesis.*
7 *Quid agendum, ubi sint duæ diœceses unitæ.*
8 *Episcopus an teneatur habere Vicarium generalem, et quando.*
9 *Quando residentia dispensetur.*
10 *De amissione alternativæ, vel facultatis testandi ob non residentiam.*
11 *De residentia Parochorum quando intret.*
12 *In aliis beneficiis quando intret onus residentiæ.*
13 *An et quando servitium causet residentiæ onus? et de residentia præcisa, vel causativa.*
14 *Qui clerici possint cogi ad residendum.*
15 *De modo procedendi contra non residentes.*
16 *De justis causis excusantibus à residentia.*

DISC. IV.

1 De residentia Episcoporum, aliorumque Prælatorum, ac etiam Parochorum, & Canonicorum, aliorumque obtinentium beneficia residentialia, in his decretis agitur.

Cùm etenim, circa initia Concilii, in hac Sessione sextâ, aliquæ provisiones prodierint; In ejusdem verò Concilii progressu, plures desuper exortæ fuerint difficultates, atque consideratæ fraudes, quæ circa residentiam fieri solent; Hinc proinde, ad plures annos, alia pinguior, magisque declarata prodiit provisio *in sess. 23. & 24. ut supra*.

Distinguendo autem residentiam Episcoporum ab illa aliorum beneficiatorum, & Rectorum aliorumque inferiorum prælatorum; Quamvis pro opinionum diversitate, variæ desuper prodierint difficultates, seu exortæ, ac adinventæ fuerint cautelæ, ad residentiæ onus effugiendum; Attamen supervenientes Apostolicæ Constitutiones, illa præsertim Urbani Octavi, clariùs, magisque enixè istud onus residen-
2 tiæ inculcarunt sub longè gravioribus pœnis, quæ adauctæ fuerunt illis, quæ adjectæ fuerunt in his Decretis, atque ita omnem diriment quæstionem; Ideòque pro istorum Decretorum, dictarum Constitutionum observantia, singulis statutis temporibus, in Curia per Cardinalem Vicarium, ex oraculo etiam Papæ fieri solent edicta, pro accessu ad residentiam, atque illis Episcopis, qui in Curia sunt occasione accessus ad Limina, ista Sacra Congregatio Concilii præcipere solet regressum ad eorum residentiam; Et consequenter rari sunt casus, in quibus, de his, ad viros forenses agere pertineat, quodque cum formali disputatione contentiosa de hujus residentiæ observantia agitur, cùm in forma extrajudiciali, ac summaria procedi soleat; Unde quandoque in praxi, vidi Episcopos, in aliquo Monasterio detrusos per tempus notabile, ex ista causa non residendi.

3 In foro autem, in hoc proposito residentiæ Episcoporum in aliqua ex sacris Congregationibus, Episcoporum, vel in ista Concilii, in forma contentiosa disputari solet, inter Capitula Cathedralium, seu Communitates, & Episcopos residere negligentes in Civitate, apud Ecclesiam Cathedralem, quia residere velint in aliis locis diœcesis.

In hoc autem, regula generalis (quando ex antiqua consuetudine, vel ex aliqua justa causa, ejus limitatio non resultet,) assistit Capitulo seu Civitati, ut scilicet, Episcopus, pro majori parte anni residere teneatur in Cathedrali, ibique Tribunal erectum habere; Cùm etenim Sedes Apostolica in erectione illius Cathedralis, illum locum opportunum censuerit pro residentia Episcopi, & ad quem alii diœcesani accedere debeant, hinc proinde, repositum esse non debet in Episcopi arbitrio locum immutare, Nisi (ut dictum est, aliqua justa causa accedat, putà insalubritatis aeris, vel depopulationis in toto, sive in notabili parte, adeò ut residentia Episcopalis & Tribunalis, cum debita majestate, vel securitate ibi sequi non valeat, vel ex alia simili causa pro singulorum casuum circumstantiis.

Adhuc tamen in casibus, in quibus hujus regulæ limitatio admittenda veniat, id practicabile est in aliis anni temporibus, non autem in illis, quibus per secundum decretum *sess.* 23. c. 1. specialiter disponitur, ut resideri debeat in Cathedrali; Ut sunt tempora, à Dominica prima Adventus usque ad Epiphaniam; A die Cinerum ad octavam Paschæ; Ac etiam in solemnitatibus Pentecostes, Corporis Christi, & Sancti Titularis ipsius Cathedralis, aliave simili magna loci solemnitate, in qua, pro ejus moribus, scandalosum esset, quod Episcopus non esset præsens, quodque à legitimo impedimento non detentus, non interveniret. *a*

Id autem justam præbebit ansam subditis recurrendi ad Sacram Congregationem, ut Episcopum ad hujusmodi resi-
4 dentiam cogat, Ac etiam ex antiquorum Canonum dispositione habemus, ut præsertim consecratio olei sancti in die Cœnæ Domini, in Cathedrali præcisè fieri debeat *b* Non tamen id eisdem subditis tribuere potest licentiam, non parendi Episcopo, qui in alia diœcesis parte residens, ac Tribunal erectum teneat, cùm ad subditos non pertineat judicare, an superior justum habeat impedimentum necne, sive ex isto prætextu ei obedientiam denegare. *c*

Regula etenim assistit Episcopo, ut in quacumque diœce-
5 sis parte residendo, suæ residendi obligationi satisfacere dicatur, ibique Tribunal erectum habere possit cum Vicario generali, qui unicus pro tota diœcesi est ille, qui apud Episcopum assistit; Alii etenim, qui pro aliis diœcesis partibus, ac etiam in ipsamet Civitate deputantur, foranei vel speciales delegati dicuntur, quamvis Generalis titulus, seu nuncupatio cum aliqua etiam delegatione universitatis causarum, ei tribuatur, quoniam erit quidem Vicarius foraneus, sed cum aliqua majori prærogativa & jurisdictionem, quam regulariter hujusmodi Vicariis competat.

Atque id quandoque faciendum est, Vel quia ita exigat antiqua consuetudo, vel diœcesis amplitudo, atque itineris asperitas, unde resultet magna subditorum incommoditas pro eorum causis civilibus, vel criminalibus accedendi ad locum Tribunalis, & residentiæ; Atque cum hoc temperamento in his casibus procedendum est, non autem ut de jure subsistat aliquorum diœcesanorum prætensio, quòd non possint extra proprios lares trahi, quodque ibi à proprio, ac particulari vicario eorum causæ debeant cognosci, sive ab ipso Episcopo ibi præsente, & non aliàs, cùm id nullatenus subsistat. *d* 6

Si verò fuerint plures diœceses æquè principaliter unitæ, tunc in quacumque unius earum parte residendo, suæ obligationi satisfacit, ibique Tribunal erectum, pro utraque rectè habet, cum unico Vicario Generali, absque aliqua necessitate retinendi duo Tribunalia distincta, duosque Generales Vicarios habendi, Id etenim solùm Sede vacante ex peculiari ratione practicandum est. *e* 7

Quinimò potest, nullum Vicarium habere, cùm ad id non teneatur, atque possit causas per seipsum judicare. *f* Benè verum, quòd si retineri consuetum sit (juxta generalem consuetudinem,) unde propterea, pro diœcesis qualitate, nimium incommodum subditis redderetur, illum non adesse, tunc Sacra Congregatio Episcoporum illius retentionem demandare solet; Imò regulariter, juxta ejusdem decreta generalia præcipere, ut ille esse debeat utriusque juris, vel saltem Canonum Doctor, ac non diœcesanus; prohibendo retentionem diœcesani; Id autem demandatur, quando desuper recursus habeantur; Et nihilominus, etiam in casu recursuum, quandoque pro facti qualitate, ubi præsertim exiguitas diœcesis, vel paupertas Ecclesiæ, ita suadeat, desuper dispensari solet, non tamen generaliter, ac indefinitè, sed ad certum tempus, putà sex mensium, ut ita interim se providere possit, hujusmodi dilationem pluries renovando, prout facti qualitas exigere videtur, ideòque certa, & determinata regula generalis cuicumque casui applicabilis desuper statui non potest, cùm totum pendeat ex singulorum casuum individuis circumstantiis. 8

Quando autem residentiæ dispensandum, seu indulgendum sit, pariter certa regula non cadit, cùm ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, justam causam suadentibus id pendeat; De potestate autem Papæ, vel Sac. Congregationis id agendi, quando necessaria, vel justa causa non accedat, sive qualis ista esse debeat, ad privatum scriptorem agere non pertinet. 9

Super ista Episcoporum residentia, quæstiones etiam judiciales in foro audiri solent; Vel super aliquibus privilegiis, quæ eis sub explicita, vel de jure subintelligenda residentiæ conditione concedi solent, ut præsertim est facultas testandi, quando aliter in ejus formula non disponitur; Vel & frequentiùs circa alternativam, quæ per Papam Episcopis concedi solet in collatione beneficiorum, ita obtinendo sex menses, quatenus resideant, non residendo autem non desunt volentes, ut omnes quatuor ordinarios amittat; Veriùs tamen, magisque receptum est, ut solùm amittat duos ex eis, ideòque duo tantùm sibi, Junii, & Decembris, ei remaneant, absque eo quòd quantumvis justa causa, etiam pro Ecclesiæ universalis servitio, suffragetur, ut latius, magisque distinctè super hac alternativæ materia habetur in propria beneficiorum sede. *g* 10

Quo verò ad obligationem residentiæ Parochorum, aliorumve beneficiatorum; Quoad parochos, nulla cadit dubitandi ratio, quoties principaliter, atque in titulum de Ecclesia, cùm utraque actuali, & habituali cura provisi sint; Quæstione solùm cadente, circa materialem habitationem, an ea propè Ecclesiam sive intra ipsius parochiæ limites, in loco commodo, omnibusque opportuno esse debeat, imò in domo propè Ecclesiam pro habitatione parochi destinata, ut pluries S. Congr. declaravit; Talisque est regula generalis quæ tamen pro facti qualitate limitationem recipere apta est, ex Episcopi arbitrio, quòd à justa causa regulandum est; Secus verò ubi de illa cura habituali tantùm agatur, quæ resultet ab unione accessoriè facta alicui dignitati, vel beneficio, cum deputatione Vicarii perpetui, vel temporalis pro exercitio curæ, quoniam tunc, circa istud onus, ac modum residendi, Vicario congruunt ea, quæ de parocho disposita sunt; Possessori autem dignitatis, vel beneficii, cui unio facta sit ea residendi necessitas incumbat, quæ insit ipsi dignitati, vel beneficio principali, 11

Re.

12 Respectu autem aliorum beneficiorum quæstio potissima est super residentiali qualitate in genere, an scilicet, & quæ sint residentialia; Atque ubi agitur de canonicatibus, & dignitatibus in Cathedrali, vel in Collegiata, regula est generalis affirmativa sui et qualitate residentiali, nisi lex fundationis legitimè statuta aliter suadeat ex regula sæpiùs insinuata in materia juris patronatus, ut in limine fundationis de consensu Ordinarii adjici valeant à fundatore conditiones juri contrariæ; Et quamvis in aliquibus Ecclesiis ex consuetudine hæc residendi obligatio cessaret; Attamen S. Congregatio censuit, hujusmodi consuetudines esse sublatas à *S. Concil. sess. 24. cap. 12. de reform.*

In aliis autem, regula generalis est in oppositum negativa, ut beneficia de consuetudine generaliter præsumantur potiùs simplicia, & non residentialia, nisi lex fundationis, vel consuetudo, aut servitii qualitas aliter exigat, ut præsertim sunt portiones, vel beneficiatus, seu hebdomadarii Ecclesiarum Cathedralium, & aliquarum qualificatarum Collegiatarum.

13 Non omne tamen onus servitii, quamvis personalis, quod beneficio injunctum sit, causat residentialem qualitatem veram ac præcisam, ex qua plures effectus resultant, ille præsertim incompatibilitatis cum alio beneficio residentiali, quoniam quandoq; servitium causat solùm residentiam causativam, ut scilicet illius non præstatio, alicujus pœnæ incursum, vel emolumenti amissionem producat, non autem, ut beneficium verè, ac præcisè residentiale efficiat, adeòut ob non residentiam, pœnarum incursus intret, illa præsertim privationis, vel amissionis ipsius beneficii. *h*

14 Atque hinc præsertim pendet inspectio, super qua recursus subditorum adversus Episcopos, aliosque Prælatos, ad unam, vel alteram Congregationem Episcoporum, vel Concilii haberi solent super coactione scilicet residendi ac inserviendi alicui Ecclesiæ, seu interveniendi in aliquibus functionibus, cum denegatione literarum dimissorialium, ac testimonialium, quæ concedi solent iis, qui peregrinari, seu ad alia loca accedere velint, quoniam ubi non habeant beneficia præcisè residentialia, id eis denegari non potest, nec debet, ut pluries S. Congregatio declaravit. *i*

15 Posita verò residendi obligatione præcisa, & vera, non autem causativa, ut suprà, adeòut, contra non residentes ad pœnas procedi valeat, quæ à Sacris Canonibus aliisque Apostolicis Constitutionibus, vel ab his conciliaribus decretis statutæ sunt, frequentes cadunt quæstiones, an benè, vel malè processum sit.

Tres autem reputantur viæ, seu formæ distinctæ, quas Ordinarius desuper tenere potest; Unam scilicet sacrorum Canonum, & duas istorum Decretorum conciliarium, in quorum primo contento *sess.* 23. *c.* 1. agitur solùm de beneficiis curatis, juxta veriorem sensum, quem litera probat, atque hæc S. Congregatio censuit; In posteriori autem *sess.* 24. *c.* 12. agitur de dignitatibus, & canonicatibus, aliisque residentialibus beneficiis non curatis ideoque unum decretum cum altero non est connectendum, ut quandoque, sed malè, fieri solet.

Attenta prima via, seu forma Juris communis & Sacrorum Canonum, necessaria est contumacia vera, quæ regulariter non contrahitur, nisi per citationem personalem legitimè executam; per quam inducatur scientia vera, & certa, quæ ad veram contumaciam necessaria est; Nisi dolosè lateret, aut aliàs affectatè, vel culposè impedimentum præstet, ne citatio contra eum exequatur, adeòut exinde ad scientiam inferatur, atque pro citato habendus veniat.

Per secundam autem viam, seu formam in beneficiis curatis inductam, in eo sacrorum Canonum dispositio innovata est, ut etiam citatio per edictum sufficiat in ipsa Ecclesia Parochiali, aliisque publicis & consuetis locis, dummodò ea serventur, quæ generaliter in hac specie citationis per edictum servanda sunt.

Nisi Ordinario benè innotescat locus, in quo beneficiatus moretur, ei tunc cesset conciliaris decreti ratio, ideòque subintret juris communis dispositio, ut citatio personalis adhibenda sit.

Ubi verò de tertia specie agatur, servari debet forma ibi præscripta; Ut scilicet in primo anno ad privationem medietatis fructuum procedatur, in secundo autem ad privationem omnium, deindeque contumacia crescente, ad censuras, ac etiam ad beneficii privationem, atque aliàs malè proceditur, utpotè contra hanc formam.

Ea tamen cumulativa est cum prima, quæ à sacris Canonibus inducta est, ideòque non impedit, quin prima teneri valeat, ob quam personalis citationis, veræque contumaciæ requisitum desideratur ab his conciliaribus decretis dispensatum, cum sola contumacia ficta.

Potissimè autem primum juris communis remedium adhiberi oportet, quando istud ultimum conciliare practicabile non sit, ut in iis Cathedralibus, & collegiatis contingit, in quibus nullæ adsint distinctæ præbendæ, nullique fructus certi, quia nempè omnes fructus, omniaque emolumenta ad distributiones quotidianas, ac participationem pro ratione servitii & per punctos redacta sint. Cùm tunc, etiam residentes, sed non interessentes, ac non inservientes eas amittant, ideòque deficit subjectum hujus praxis, atque ad remedium sacrorum Canonum convolare oportet. *k*

De justis autem causis à residentia excusantibus & quando illæ suffragentur solùm ad effectum fructuum, non autem distributionum, vel respectivè etiam pro istis assequendis, sive qualis sit stylus Sacræ Congregationis Concilii desuper disponendi, habentur infra, *ad sess. 24. de reform. cap.* 12. 16

a *sub tit. de jurisd. disc.* 24. b *in Miscell. Eccles disc.* 26.
c *eod. tit. de jurisd. disc.* 22. *cum duobus seqq.*
d *d. disc.* 22. *&* 24. *de jurisd.*
e *ibid. & de duobus Vicariis sede vacante sub tit. de praemin disc.* 7. *& de Canon. & Cap. disc.* 26.
f *d. disc.* 12. *&* 24. *de jurisd.* g *sub tit. de benef. disc.* 93.
h *sub tit. de benef.* 57. *& seqq.*
i *praesertim de mense Septemb.* 1572. *in una Nullius Altamuro.* k *sub tit. de benef. disc.* 77. *& in supplemento in Vestana Canonicatus.*

Ad sessionem sextam de Reform. c. 4. sessionem 7. c. 8. sess. 13. cap. 1. sess. 21. cap. 8. sess. 22. c. 8. & 9. sess. cap. 3. & cap. 9.

S U M M A R I U M.

1 *De visitatione demandata per plura decreta.*
2 *Ordinarius habet regulam in jure visitandi.*
3 *In generali exemptione non venit jus visitandi.*
4 *Quid innovet Concilium Tridentinum circa visitationem.*
5 *An, & quando à gestis in visitatione detur appellatio?*
6 *Quomodo intelligatur, ut singulis annis fieri debeat visitatio.*
7 *Prohibetur procuratio, & quid permissum sit.*
8 *De provisionibus Sac. Congregationis super abusibus.*
9 *De exemptis à visitatione, & titulis exemptionis.*
10 *De jure visitandi Monasteria Monialium exemptione non obstante.*
13 *Quando visitentur Monasteria, & domus Regularium, & num. 19.*
12 *De visitatione Sacramentorum, & aliorum concernentium curam.*
12 *Visitantur Ecclesiæ Regularium ex lege concessionis.*
14 *De Capitulis exemptis.*
15 *In quibus competat Episcopo jurisdictio, & jus visitandi in locis sub Prælato inferiori.*
16 *De Capellis Regiis.*
17 *De Hospitalibus, aliisque piis locis remissivè.*
18 *De conservatoriis, & domibus mulierum secularium.*
19 *De subjectione, & visitatione Regularium, de qua, num. 11.*
20 *Canonici Cathedralis associantes Episcopum in visitatione, quam præeminentiam habeant, vel exemptionem?*
21 *Ordinarii appellatione in jure visitandi, qui veniant?*
22 *De jure Episcopi viciniores in locis Nullius.*
23 *Capitulum sede vacante habet jus visitandi.*
24 *Dari possunt plures visitatores.*
25 *An superiores Regulares se ingerant cum ipsis Regularibus in iis, quæ concernunt curam animarum & administrationem Sacramentorum?*

D I S C. V.

In istis decretis agitur de visitatione, tam Ecclesiarum, quàm personarum, quæ Episcopis, aliisque locorum Ordinariis injungitur, diverso tamen jure; Cum non exemptis scilicet, jure ordinario, & cum exemptis jure delegato, ipsiusque Apostolicæ sedis nomine. Hinc proinde ad clariorem hujus materiæ cognitionem, ne unus casus cum altero confundatur, plures inspectiones distinguendæ sunt. Primò nempe super generica visitatione diœcesis respectu Ecclesia- 1

rum, & personarum nullum habentium exemptionis privilegium, vel aliam qualitatem ob quam negetur hæc subjectio. Secundò circa visitationem Ecclesiarum, & locorum, ac operum Ecclesiasticorum, vel respecti è piorum, quamvis personæ singulares visitationi non subjaceant, quia sint sæculares, vel alio ratio non subjectionis accedat: Et tertiò circa personas exemptas.

2 Quatenus pertinet ad primum, Episcopo, vel alteri Ordinario loci assistit regula generalis affirmativa, ut visitandi potestatem habeat, atque visitationis occasione, corrigendi omnes clericos, omnesque Ecclesias, capellas, oratoria, piavè, aut Ecclesiastica loca suæ diœcesis, adeout non docto de particulari limitatione, ejus intentio fondata sit in juris regulæ seu assistentia. *a*

3 Adeoque jus visitandi Ordinario competit, ut in privilegio exemptionis à jurisdictione, illud non veniat, absque speciali mentione, sive cùm adeò ampla, & effrænata generalitate, ut ista specialis mentio implicitè adesse dicatur. *b*

4 Cùm autem istud jus esset in facultate, aliique necessitas per sacros Canones injuncta non sit, nisi ea quæ ea eorumdem mente pastorali muneri inest, atque connaturalis est, unde propterea negligi solebat; Idcircò per istud novissimum Jus Conciliare injuncta est necessitas id agendi personaliter, si commodè fieri potest, sin minus per Vicarium generalem, vel alium ad id deputatum, singulo quoque anno, vel saltem biennio, universam diœcesim peragendo, aliqua majori facultate concessa super modo procedendi, quàm prius competeret, præsertim ut manus ligati non adeò facilè possint per appellationem ad Metropolitanum.

5 Hinc proinde, apud Episcopos, aliosque Prælatos, eorumque officiales, opinio circumfertur, ut multas eis liceant in visitatione absque Metropolitani, vel alterius superioris timore, quodque eorum provisiones non subjaceant illi suspensioni quam appellatio de jure inducit in casibus, in quibus iste effectus suspensivus non sit sublatus.

6 Verùm erronea opinitio est ita generaliter, ac indefinitè hoc prætendere, quoniam id percutit solùm ea, quæ concernunt correctionem morum, aliasque provisiones, quas in forma extrajudiciali potiùs more prudentis patrisfamilias promptè dare oporteat, vel congruat, non autem in iis in quibus more Judicis, atque in figura, seu forma judicii procedi debeat, cùm tunc dispositio Canonum, seu juris communis incorrecta remaneat; Nilque refert ad effectum appellationis ac ordinis judiciarii benè servandi, an de tempore visitationis, vel extra id fiat. Isteque error est communis, & quotidianus quod scilicet quando Episcopi sunt in actu visitatione credunt facere posse totum id, quod potest Papa, & fortè aliquando faciunt ea, quæ Papa facere quidem potest, sed ipse non solet.

Terminus autem unius anni, vel saltem biennii (ut alias discurrendo de Episcopis: seu Prælatis insinuatum est, *) d* quamvis ex præcepto statutus videatur, ne id negligi valeat; Non tamen adeò taxativus est, ut intra breviorem terminum, quando Episcopus, seu Ordinarius opportunum, vel salubre credat, visitare non possit, cùm etiam bis in eodem anno, juxta casuum contingentiam, ac rerum opportunitatem, id facere valeat; Dummodò tamen ad bonum finem, bonoque zelo id agatur, non autem ut id serviat ad solum prætextum exigendi à Capitulis & cleris, aliisque subditis procurationes, ac munera & victualia, sub quorum prætextu magnæ fieri solent extorsiones, adeout in plerisque praxis doceat, quod diœcesis peragratio, ac visitatio, non fiat ad illum bonum finem, ad quem id inductum est, ut scilicet pastor videat oves, ipsæque suum videant pastorem, ac etiam recognoscat, an eis bona pabula per inferiores pastores ministrentur, atque Ecclesiarum cultus decenter habeatur sed potiùs ad lucrum, ac negotiationem, atque per quemdam modum loquendi, exire de Cathedrali, ac diœcesim peragere, eo modo quo statutis temporibus pyratæ exire solent, ac mare peragrari prædandi causa; Unde meritò idem S. Concilium eas percussores, non autem Pastores dicit.

7 Quamvis enim Concilium, procurationum, aliorumque emolumentorum exactionem, & abusum expressè prohibuerit, solumque moderata victualia, & necessarias visitatorum expensas suppeditari debere decreverit, atque per S. Congregationem laudabiliter ad tollenda majora inconvenientia, quæ super hujusmodi suppeditatione oriri solent, tam circa ipsius visitatoris, ejusq; familiarium indiscretum agendi modum, quàm circa fraudes, quæ per cleri œconomus, vel deputatos sub hoc prætextu fieri solent, permittatur moderata & honesta compositio, in aliqua summa pecuniaria, cum qua sibi ipsi Episcopus, vel alter visitator istas expensas suppeditet; Attamen sub hoc prætextu, de facto istud conciliare decretum super procurationum prohibitione, pro frequentiori contingentia in desuetudinem abiit, quoniam Episcopi exigunt summam compositam, ac ulterius recipiunt victualia, aliæque expensæ etiam indiscretè, & cum immoderato excessu fiunt; Quinimò singulis annis certis statutis temporibus, tanquam per speciem consuetæ recollectæ, transmittuntur particulares visitatores, nihil agentes, nisi munus exactoris hujusmodi procurationum, seu compositionum; Et utinam his contenti essent, quoniam sub prætextu visitationis personalis vel bullarum, & titulorum beneficiorum, & capellaniarum, piorumque legatorum, ac etiam recognoscendi onera Missarum, eorumque implementum, sive revidendi rationes administratorum, hospitalium, & confraternitatum aliorumque piorum locorum, exigunt notabilia emolumenta, quæ propterea in libris, vel memorialibus describuntur tanquam corpora reddituum, & interfructus, ut pluries ego vidi, & practicavi, quod scilicet volente aliquo Archiepiscopo, vel Episcopo, Ecclesiam dimittere, sub reservatione pensionis ad ejus favorem, in notulis ad hunc effectum traditis, illis ambitiosis, ac indignis, qui per hanc viam, Episcopatum ambiunt, atque immeriti obtinere curant, inter fructus, seu corporea reddituum, non solùm vidi istas procurationes, seu compositiones, francas, & immunes ab omnibus victus, & visitatoris expensis, sed etiam, certa, & uniformia emolumenta pro visitatione bullarum, & titulorum beneficiorum, ac etiam pro redditione rationum confraternitatum, aliorumque piorum locorum, quamvis id neque fiat, cùm ut plurimum id committatur alicui clerico loci, qui gratis id agat; Sive aliquando duplex onus ita ferre oportet unum scilicet cum Episcopo, & alterum cum revisore deputato, quinimo etiam munera, & emolumenta pro collatione ordinum.

8 Quamvis enim ista Sacra Congregatio Concilii, vel altera Episcoporum, cum nimio zelo, nimiaque diligentia, in hoc se gerere soleat, hæc prohibendo, ac etiam demandando restitutionem percepti; Attamen punctus est, quod non semper, ac de facili haberi potest hic recursus, qui sæpiùs per subditos formidatus est, utpotè majoris oppressionis, majorumque gravaminum productivus, ideòque medicina consistit in benè providendo Ecclesias de probis viris, ac etiam in abstinendo ab immoderatis Ecclesiarum gravaminibus ad mentem S. C. T.

9 Quo verò ad secundam inspectionem, visitationis Ecclesiarum exemptarum, seu locorum piorum, aliorumque universitatum, à quibus exemptio ab hoc jure prætendatur; Dupliciter id prætendi solet, vel scilicet ex Apostolico privilegio, ut sunt frequentiùs Ecclesiæ & Monasteria Regularium, ac etiam aliquæ Ecclesiæ collegiatæ simplices sæculares, vel Regiæ capellæ, & aliqua etiam Monasteria monialium, Vel quia prætendatur esse loca merè sæcularia, sub sæcularium jurisdictione, ac administratione existentia, unde prætendatur, quod vel ea lege fundationis, vel ob immediatam Regiam protectionem, seu aliàs, Episcopus, vel alter Ordinarius jurisdictionem non habeat.

10 Circa primam exemptionis speciem, determinatio pendet a privilegii Apostolici tenore, seu qualitate, ac etiam eo posito, à qualitate loci, seu muneris, aut respectivè modi visitandi, & an intret necne aliquis casus limitatus, in quo, exemptione non obstante, saltem ex jurisdictione à Sacro Concilio Tridentino & Apostolicis Constitutionibus delegata, ista facultas visitandi competat, putà circa visitationem Monasteriorum monialium, quamvis exemptorum in iis, quæ concernunt clausuram, ut restituatur, vel respectivè conservetur. *f*

11 Aut respectu virorum regularium, eorumque Ecclesiarum & domorum, ubi ad præscriptum Constitutionum Apostolicarum, præsertim Urbani octavi, & Innocentii Decimi, Monasteria non sint legitimè fundata, aut non habeant sufficientem numerum religiosorum, quo cessante, omnimodæ jurisdictioni Ordinarii subjiciuntur, ut agendo de Regularibus advertitur. *g*

12 Sivè quod agatur de Ecclesia exempta, cui annexa sit cura animarum, & Parochialis administratio sacramentorum, unde propterea, exemptione non obstante, competit jus visitandi, sacramentalia, & cœmeteria, & alia, quæ ipsam curam concernunt. *h*

13 Aut quod Ecclesia Regularibus sub hac lege concessa fuerit, ut status immutatione non obstante, Ordinarii visitatio-

tioni subjacrat, ut ante subjacebat; Clariùs verò, ubi Regularibus Ecclesiæ precarius usus tantùm concedatur, ut divina ibi celebrare, ac peragere possent, non immutato statu Ecclesiæ, quæ adhuc remaneat sæcularis. *i*

14 Aut quod agatur de Capitulo Cathedralis exempto, cujus visitatio per istud conciliare decretum jure delegato Episcopo committitur; Licèt in Italia ferè nunquam audiantur controversiæ super hujus decreti praxi, cum nimium rarus sit usus Capitulorum exemptorum, qui tamen frequens est in Hispania, aliisque partibus ultra montes, *l*

15 In iis autem locis, in quibus inferiores Prælati ordinariã activam habeant jurisdictionem, etiam cum clero, & populo, atque ultra hanc jurisdictionalem, habeant etiam curam sacramentalem, quoties sint intra diœcesis fines, adeo ut dici non valeant verè Nullius, & de territorio separato materialiter per veritatem, non autem impropriè, ac intellectualiter per solam fictionem, tunc quovis exemptionis privilegio non obstante, ex jure delegato per Concilium, competit visitatio in iis, quæ concernunt casus venientes sub delegata jurisdictione, quales sunt superius insinuati circa curam animarum & administrationem sacramentorũ, Ac etiam sunt causæ matrimoniales, & criminales, atque approbationes confessariorum, & benedictiones, seu licentiæ concionatorum, necnon consensus parochialium, cum similibus, quoniam, data in his jurisdictione, de consequenti resultat jus visitandi, ac effectum videndi an ea, quæ demandentur, bene serventur, necne, *m*

16 Circa verò Regias capellas; Quamvis aliqua Scribentium pugna dignoscatur, atque congrua decisio pendere videatur à facti qualitate, sive a distinctione, an sit capella loci continuæ & actualis residentiæ Principis, vel ejus Vicarii aut supremi Magistratus, vel potiùs talis sit in sola nuncupatione, seu ratione privilegiaria; Adhuc tamen certa regula desuper statui non potest, cùm observantiæ (ubi præsertim sit diuturna,) deferendum videatur, quoniam, ubi etiam regulæ legales id rigorosè concederent, attamen regulæ prudentiales, quandoque hujusmodi innovationes prohibent, ac propterea in singulis casibus, pro diversa locorum legibus, vel stylis, ac moribus, decisio pendere videtur, non solas rigorosas legales propositiones, sed etiam regulas prudentiales præ oculis habendo.

17 Altera verò exemptionis species est illa, quæ de facto prætenditur per seculares Magistratus, in illis hospitalibus, vel confraternitatibus, aliisque piis locis, quæ sub laicorum regimine, ac administratione sint, ratione legis fundationis; Aut privilegii Apostolici; Vel quia laicus fundator adhuc vivat; Aut quod sint sub immediata Regia protectione, atque de his agitur particulariter infrà.

Quamvis etenim pro regula receptum sit, ut exemptio à visitatione, speciali nota digna sit, neque sufficiat dicere, ut locus sub Ordinarii jurisdictione & potestate sit exemptus, ac subditus sæcularibus, nisi etiam fiat mentio visitationis; Attamen pro diversis locorum stylis, ac moribus, diversa de facto solet esse praxis, ideòque pariter certa, ac determinata regula, cuicunque casui applicabilis statui non potest, sed pro diversis locorum moribus, ac facti circumstantiis procedendum videtur, dictas prudentiales regulas, quandoque adhibendo, cum pleraque tolerare, vel dissimulare congruat, ne majora excitentur mala & inconvenientia.

18 Conservatoria mulierum, quamvis sæcularium, seu aliæ earum domus, vel scholæ, & adunantiæ regulariter (quando diuturna observantia vel alia particularis circumstantia diversimode non suadeat) visitationi Ordinarii subjacent, quamvis in reliquis circa cognitionem causarum, ac aliàs in universum foro sæculari subjaceant, ac pro sæcularibus haberi debeant, quoniam; Aliud est agere de competentia fori; Aliud verò de jure visitandi, ne hujusmodi scholæ, seu adunantiæ, illicitas contineant conventiculas, atque errores, vel abusus fidei catholicæ, vel Ecclesiæ præjudiciales nutriantur, quandoque praxis docuit, unde propterea, quandoque oportuit, ut Tribunal Inquisitionis manus apponeret, cum magno scandalo, magnisque inconvenientibus jam exortis, ideòq; opportuna est visitatio, ut principiis occurratur, atque errores, dum sunt nascentes faciliùs extirpentur, quàm ubi jam creverint. *n*

19 Personarum, quamvis exemptarum, visitatio quandoque Ordinario conceditur, vel scilicet, ubi agatur de Regularibus extra claustra viventibus, sive ad præscriptum Constitutionis Innocentii Decimi morantibus in parvis Conventibus, in quibus non adsit præfinitus numerus Religiosorum; Aut quod agatur de illis, qui curam animarum exercent, cum similibus casibus, in Regularium materia enunciatis. *o* Cùm pro frequentiori contingentia, exemptionis quæstiones cum Regularibus haberi soleant.

Quia verò ad hujus Conciliaris juris præscriptum, duo vel alii Canonici Cathedralis, Episcopum visitantem, ac Diœcesim peragrantem associare solent; Hinc propterea; præcedentiæ quæstiones oriuntur cum Rectoribus Ecclesiarum, vel Capitulis Collegiatarum; Verum autem est, ut hujusmodi Canonici, utpote jure singulari intervenientes non autem repræsentantes Capitulum Cathedralis, hujusmodi præcedentiam non habeant. *p* 20

Ordinarii autem appellatione, non veniunt solùm Episcopi, vel Archiepiscopi, sed etiam illi inferiores Prælati, qui sunt verè & propriè Nullius, cum territorio verè ac materialiter separato abstractè, ac independenter à quacunque alia diœcesi; nam isti Prælati quoque hoc jus visitandi etiam jure delegato habent. *q* 21

In dictis autem locis Nullius, proprium habentibus Prælatum, cum plena & omnimoda ordinaria, aut delegata quasi Episcopali jurisdictione datur quandoque visitatio Episcopi viciniotis, non autem jure suo, atque ad ejus beneplacitum, sed quando à Sede Apostolica, vel ejus vice per istam Sacram Congregationem Concilii, sive per alteram Episcoporum, ita in tempora juxta necessitatem, vel opportunitatem demandetur, ideòque certa desuper non cadit regula. 22

Ejusdem Ordinarii appellatione venit etiam Capitulum sede vacante, cujus vice istud visitationis munus explet Vicarius generalis ab eodem Capitulo deputatus ad hujus Concilii præscriptum; Neque potest Capitulum hanc facultatem Vicario interdicere, illamque sibi reservare, ut eam uni, vel pluribus demandet, *r* 23

Et quamvis unica visitatio præsupponi videatur; Attamen ea duplex, vel multiplex, prohibita non videtur, quia nempè agatur de locis, vel Ecclesiis, quæ alium habeant Prælatum inferiorem, cum jurisdictione ordinaria, & jure visitandi; Quinimò adsit Apostolicus delegatus, vel commissarius, ut in plerisque monialium Monasteriis exemptis contingit, quoniam quò magis hæc Monasteria visitantur, eò melius. *s* 24

Ideòque licèt Regulares exempti, in iis quæ concernunt curam animarum, & administrationem sacramentorum, Ordinarii visitationi & correctioni subjaceant, non tamen prohibentur proprii Prælati Regulares eos visitare, & corrigere super eisdem, quoties eorum provisiones non adversentur iis, quæ ab Ordinario demandata sunt, eaque destruant. *t* 25

a *tit. de jurisd. disc. 1. & plur. seq. & disc. 40. & seq. & sæpius*. b *ibidem*. c Barbos. *de Episc. alleg. 92. n. 23. & seq.* d *Miscellan.* e *Eccl. disc. 1.* f *tit. de jurisd. disc. 25. & seqq.* g *tit. de Regular. disc. 36. & seqq.*
h *tit. de jurisd. disc. 1. cum multis seqq. & disc. 3*.
i *sub tit. de Regular disc. 64. & sub tit. de jurisd. disc. 30. & 34.* l *tit. de Canonic. & Capitulis, disc. 23.*
m *dicto tit. de jurisd. disc. 1. cum plur. seqq.*
n *tit. de jurisd. disc. 45. & tit. de Regular. disc. 50.*
o *sub tit. de Regul. ac etiam sub tit. de jurisd. pluries.*
p *tit. de præeminent. disc. 27.*
q *tit. de jurisd. disc. 1. & in plur. seqq.*
r *de hac jurisd. Capituli sede vacante, & deputatione Vicarii sub tit. de Canon. & Capitulo, disc. 24. cum pluribus seqq. & infrà ad sess. 24. c. 10.*
s *tit. de jurisd. disc. 26.*
t *dicto tit. de jurisd. disc. 33. & in aliis eodem tit.*

Ad Sessionem sextam de Reformat.
cap. 5. & cap. 8.

SUMMARIUM.

1 *De prohibitione usus pontificalium in aliena diœcesi.*
2 *Distinguuntur plures species istius usus.*
3 *Etiam actus honorifici fieri non possunt.*
4 *An Metropolitanus eos exerceat in provincia.*
5 *De singulari prærogativa Archiepiscopi Nazareni.*
6 *In Ecclesiis exemptis, quales actus pontificales sine licentia Ordinarii Episcopus exerceat.*
7 *De exercitio jurium Episcopalium voluntariæ jurisdictionis in aliena diœcesi cum subditis propriis.*
8 *Prima tonsura an conferatur subditis in aliena diœcesi.*
9 *Quid de actibus voluntariæ jurisdictionis exigentibus usum pontificalium.*

10 De

10 *De actibus jurisdictionalibus, non pontificalibus.*
11 *Ad quem pertineat impartiri brachium pro executione.*
12 *Declarantur ea, de quibus, n. 10.*
13 *Quando isti actus exerceantur in aliena diœcesi.*
14 *Exercitium pontificalium sine licentia Ordinarii, an & quando competat Prælato inferiori, qui reperiatur constitutus in ordine Episcopali?*
15 *De collatione ordinum clerico alieno remissivè.*
16 *De aliis pontificalibus.*
17 *Quomodo inferiores Prælati habentes usum pontificalium, illum exercere debeant?*

D I S C. VI.

1 IN isto Decreto, generaliter Episcopis inhibetur sub pœnis, ne in aliena diœcesi, absque proprii Diœcesani licentia, pontificalia exerceant, & sub qua generalitate ordinum collatio absque dubio continetur, cùm ipsa potissimùm pontificalium usum percutiat; Verùm quia de ista materia collationis ordinum agitur particulariter infra, *sess.* 21. *de reform.* c. 1. & 2. ubi etiam de dispositis, *sess.* 23. *de reform.* c. 8. Idcirco de aliis pontificalibus hic agitur, de collatione verò ordinum agitur infra *ad dictum* c. 1. & 2. *sess.* 21. & c. 8. *sess.* 23. *de reform.*

2 Ista igitur alienæ jurisdictionis usurpatio, vel turbatio, cum exercitio pontificalium, aliorumque actuum jurisdictionalium, & Episcopalium in aliena diœcesi, plures habet partes. Primò nempè, circa illum pontificalium usum, qui merè ceremonialis, ac honorificus est, absque jurisdictionis positivo præjudicio Diœcesani, putà, solemniter celebrandi cum baculo, & mitra, & cum vestibus pontificalibus, ac deferendi mozzettam, & impartiendi benedictionem, cum similibus, quæ in effectu consistunt in nudo fumo, vel simplici honorificentia, absque eo quod Diœcesano aliquid tollatur, vel impediatur. Secundò ubi pontificalium, vel Episcopalium, seu jurisdictionalium activum exercitium, fiat cum propriis subditis, absque eo quod juribus Diœcesanis (spectato effectu,) aliquid detrahatur; Putà quia propriis subditis ordines conferantur, vel Sacramentum confirmationis ministretur, aut cõsecrentur vasa deservire debentia pro Ecclesiis propriæ diœcesis; Sivè quoad jurisdictionalia, quod proprius subditus ibi citetur, vel carceretur, aut contra eum affigantur edicta, vel cedulones &c. Tertiò ubi in aliena diœcesi ipsius Diœcesani subditis ordines conferantur, sivè pro diœcesis propriæ usu, vestes, & lapides altaris, aut vasa consecrentur, cum similibus. Quartò ubi in propria diœcesi alieno subdito ordines conferantur. Et quintò, ubi ordinum collatio, vel Sacramenti Confirmationis administratio, sive olei sancti, Ecclesiarum, altarium, & vasorum consecratio, vel alia functio Episcopalis fiat, in loco Nullius de consensu & licentia Prælati inferioris, absque licentia Episcopi viciniores, cui id peragere commissum, vel injunctum sit.

3 Quatenus igitur pertinet ad primum, eadem prohibitio generalis contenta in primo Decreto, istum quoque casum percutit, quoniam hujusmodi præeminentiæ, quamvis honorificæ sint, attamen sunt effectus jurisdictionis, ac juris Diœcesani, ideòque est alienam jurisdictionem usurpare, vel turbare.

4 Idque adeò verum, ut neque Metropolitano intra provinciam in suffraganeorum diœcesibus, Diœcesano invito, vel inscio, erectam crucem habere, vel mozzettam deferre, sive benedictionem impartiri concedatur, præterquam, ubi jurisdictionaliter, metropoliticum jus exercendo, in ea diœcesi moretur; Putà occasione visitationis Provinciæ, quando illa sit in usu (quæ in Italia sine Apostolica commissione non habetur;) Sive quod occasione causæ in gradu appellationis, ad faciem loci, accessum fieri contingat, cum similibus.

5 Singulare autem privilegium est Archiepiscopi Nazareni residentiam habentis in Oppido Barolitano Tranen. diœcesis, ob sibi impeditum accessum ad propriam Ecclesiam, tam ab Infidelibus, quam a Schismaticis, ut ex ea peculiari ratione, quod sit Episcopus Patriæ Domini nostri Jesu Christi, ut ubique mozzettam deferre, & crucem erigere valeat. *a*

Dubitari autem quandoque contingit, an in Ecclesiis exemptis, intra diœcesim existentibus, de licentia Prælati ipsius Ecclesiæ exemptæ, per alterius diœcesis Episcopum,
6 honorificos, seu præeminentialis pontificalium usus haberi valeat? Atque ubi usus sit talis, quod jurisdictionem, ac diœcesanam potestatem denotet, putà pontificaliter celebrandi cum baculo, & mitra, aliisque vestibus pontificalibus, aut sedere sub baldachino, vel deferre mozzetam, seu cappam magnam, sive impartiri benedictionem populo, & tunc id fieri non posse; Secus autem ubi agatur de illis honorificis tractamentis, quæ dignitati Episcopali, ubique congrue videtur, putà parare genuflexorium cum strato, & pulvinaribus, quoties ipse Diœcesanus in ipsa Ecclesia non sit præsens, aut sibi præbere sellam magis honorificam in loco digniori cum aliquo strato, & scabello, ut ab alio reliquo populo distinguatur, cum similibus honorificis actibus, in quibus Episcopus habeat se merè passivè, illos recipiendo, ipse autem actus jurisdictionales, vel diœcesanos non exerceat, adeout eos denegare, potiùs incivilitatem, & incongruentiam redoleret, quoniam si ipse Diœcesanus in suis Ecclesiis vult esse incivilis, prohibere non debet Ecclesiarum exemptarum Prælatos, vel superiores, ne hujusmodi urbanitatis, & congruentiæ actus exerceant. *b*

Quoad secundum punctum super exercitio jurium Episcopalium, vel pontificalium cum propriis subditis in aliena diœcesi, distinctio est, quod; Aut agitur de actibus voluntariæ jurisdictionis, qui non exigãt usum pontificalium, Ut sunt, provisiones beneficiorum, ac deputationes Officialium, vel delegationes causarum, quarum cognitio in propria diœcesi à delegato facienda sit, cum similibus, & tunc id fieri potest. Unde propter ea prima tonsura proprio subdito conferetur, cùm illa juxta unam opinionem non sit ordo, sed introductio ad ordines, atque simplex adscriptio celesti, seu clericali militiæ; Ideòque etiam in camera privatim sine vestibus pontificalibus ea dari potest, & consequenter connumeratur inter dictos actus meræ voluntariæ jurisdictionis; Idemque in tonsura, quæ alterius diœcesis clerico cum licentia, seu literis dimissorialibus proprii Ordinarii conferatur. 7 8

Ubi verò agatur de actibus quamvis voluntariis, pro quibus requiratur usus pontificalium, ut sunt, collatio ordinum, ministratio sacramenti confirmationis, consecratio lapidum pro altaribus, seu vasorum sacrorum, cum similibus, & tunc id fieri non potest, atque est contravenire huic Decreto. *c* 9

Respectu verò actuum jurisdictionalium, non tamen pontificalium, ut sunt, citare, carcerare, reum constituere, testes examinare, seu cedulones censurarum affigere, cum similibus; Et tunc ipse Episcopus, qui in alieno territorio existat, id ibi demandare potest cum proprio subdito, qui in sua diœcesi existat, adeout in ea sequatur executio, seu exercitium actus. Secus autem si subditus in aliena quoque diœcesi moretur, ibique actus exerceatur, quoniam id fieri non potest, cùm sit exercere jurisdictionem in alieno territorio, atque id importet jus territoriale, quod sine licentia domini territorii fieri non potest. *d* 10

Atque hinc sequitur, quod hujusmodi licentia, sive ut vulgò dicitur, brachii impartitio super exercitio jurisdictionis cum proprio subdito, qui in aliena diœcesi moretur, quamvis actus sit expeditus in diœcesi propria, pertineat ad Diœcesanum seu Ordinarium, non autem ad Nuntium, vel alium Apostolicum delegatum ad certum genus causarum; Sive habentem jurisdictionem cum certo genere personarum, quoniam istud dicitur jus territoriale, ideoque pertinet ad Dominum territorii. *e* 11

Procedunt hæc ubi agatur de actibus, qui requirant executionem, vel coertionem de facto, ut sunt carcerare, torquere, fustigare, seu aliàs personam punire, vel bona ibi existentia exequi, & subhastare cum similibus; Si verò agatur de actibus merè verbalibus, ut est citatio per nuncium, seu cursorem, vel per edictum, & tunc si citatio decreta est in alieno territorio, invalida quoque censenda erit quoniam decernere importat jurisdictionem, quæ ibi non habetur; Sed si decernitur in territorio proprio, verbalis autem executio fiat in territorio alieno cum proprio subdito, qui moneatur ad comparendum coram proprio superiore, cum comminatione, quod alias contumax reputabitur, atque ad comminatas pœnas contumaciales procedetur, tunc DD. in diversas abeunt sententias; Alii enim negant; Alii verò affirmant; Istaque posterior opinio probabilior videtur, quamvis altera neque improbabilis dici valeat ideòque stylis, ac moribus locorum deferendum videtur. *f* 12

Cessant vero hæc, ubi de illo Judice, vel prælato agatur, qui jurisdictionem habeat in personis, quæ in alieno territorio pernecessè vivant, ut (ex. gr. sunt dictus Archiepiscopus 13

per Nazarenus in Oppido Barolitano, Episcopus Fesulanus in Civitate Florentiæ, ac Protector Almę Domus Lauretanæ in ipsa Lauretana, & Recanaten. dięcesi, vel in aliis respectu clericorum, ac inservientium, aliorumque subditorum, quoniam data jurisdictione, ac potestate puniendi, & coercendi, concessa censentur per necessarium antecedens omnia ea, sine quibus ad id perveniri non potest; Ut etiam exemplificari potest in Prioribus, aliisque Prælatis Hierosolymitanæ Religionis, cujus milites, vel capellani professi vivunt more sæcularium in privatis domibus in Civitatibus, & Oppidis extra Commendæ, vel Prioratus septa, & sic in alieno territorio, in quo tamen jurisdictio cum persona subdita sine licentia Ordinarii, Domini territorii exerceri potest.

14 Tertius casus est, ubi in aliena dięcesi, cum in ipsius Dięcesani subditis, pontificalia, vel alii actus jurisdictionales exerceant; Et tunc est casus indubitatus, cùm sit formiter usurpare alienam jurisdictionem, & authoritatem, unde proptereà de plano intrat utrumque decretum prædictum.

Idque verùm, quamvis ille, qui hunc usum exercet, aliquam jurisdictionem, tam in Ecclesia, quàm in personis habeat, atque in ordine Episcopali accidentaliter reperiatur, adeòut cumulentur tam jurisdictio, quàm potestas ordinis, quoniam sufficit, ut ista nó concurrant cumulativè in idem sed disjunctivè, ad effectum, ut id fieri non valeat, cum pariter esset usurpare jurisdictionem Dięcesani in iis, quæ illi specialiter competunt; Ut purà Prælatus inferior, qui sine vera qualitate Nullius, ac sine territorio verè separato, ordinariam quasi Episcopalem jurisdictionem habeat in Ecclesia exempta, ac etiam cum clero, & populo alicujus loci existentis intra limites alienæ dięcesis, ut sunt aliqui Archidiaconi, vel Archipresbyteri, seu Decani, vel Præpositi &c. ipseque Prælatus reperiatur quoque in ordine Episcopali constitutus; Vel quia (ut frequenter contingit) decoratus sit aliquo Episcopatu titulari in partibus infidelium; Vel quia dimissa Ecclesia Cathedrali quam habebat, de hujusmodi prælatura inferiori provisus fuerit, ut præsertim ego vidi practicatum in quodam Saluzzio Bituntino, qui prius fuit Episcopus Motulensis, deindeque pro meliori residentia, ac vicinitate propriæ patriæ, Episcopatum dimisit, atque obtinuit Prioratum Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Nicolai intus Civitatem Barii, de Regio jurepatronatus, quoniam non ea inde pontificalia hæc exercere poterit, dum in iis, quæ collationem ordinum, aliaque pontificalia concernunt, neque illi de clero, & populo dici possunt ejus subditi, cùm isti inferiores Prælati post Concilium Tridentinum nullam habeant potestatem in collatione ordinum, vel in aliis sacramentalibus, & pontificalibus, & consequenter est alienam jurisdictionem usurpare, vel turbare.

15 Quartus casus est, ubi in propria dięcesi conferantur ordines clerico alienæ dięcesis; Et tunc ubi aliqua non accedat circumstantia, ob quam ille, cui ordines conferuntur, ipsius collatoris subditus effectus fuerit, & pariter planum est, ut id fieri non possit, atque contravenire dicatur posteriori decreto *sess.* 23. c. 8. Ideòq; solent esse quæstiones quando alienæ dięcesis clericus effici dicatur subditus, ratione beneficii, vel familiaritatis, & de hoc agitur infra in loco peculiari collationis ordinum. *g*

16. In quinto demum; Aut agitur de aliis pontificalibus, ut sunt consecrationes Ecclesiarum, & altarium, ac vasorum, aliaque similia præter collationes ordinum; Et fieri possunt de licentia Prælati, qui est in omnibus Ordinarius, atque legem habet dięcesanam; Aut verò agitur de collatione ordinum, & de hac agitur addictam *sess.* 23. *de reformat. cap.* 8.

Item in hac materia usus pontificalium in aliena dięcesi, habetur frequens usus privilegiorum Apostolicorum, quæ concessa fuerunt aliquibus inferioribus Prælatis, ut in eorum Ecclesiis præsertim exemptis habeant usum pontifica-
17 lium, etiam cum throno, seu baldachino, mitra, baculo, faldistorio, & aliis more Episcoporum, ut præsertim pro frequentiori usu sunt Abbates Regulares Congregationum Sancti Benedicti, & similis; Ac etiam adsunt plures Dignitates principales in Ecclesiis Collegiatis exemptis cum jurisdictione, ac jure Prælaturæ; in Abbatibus enim Regularibus, per decreta Sacræ Congregationis Rituum statuta sunt certa tempora, ut scilicet non nisi in tribus anni solemnitatibus pontificaliter celebrare valeant. *h*

Quæstione cadente, an funera veniant sub nomine solemnitatum, quod in eadem Sacra Rituum Congregatione, quandoque disputatum fuit. *i*

Ubi verò de illis Prælatis sæcularibus agatur hunc usum habentibus, in quibus hæc restrictio non vigeat, adhuc tamen iste usus moderatus esse debet, adeò ut aliqus dignoscitur differentia inter ipsos, & Episcopum, cum in propria dięcesi, utpotè inferiorum Prælatorum habituali, ac etiam in pluribus actuali superiori, major utique præeminentia competit. *l*

a *sub tit. de jurisd. disc.* 20. *& in supplem.*
b *ita decisum fuit per S. Congregationem Rituum de ann.* 1672. *pro Archiepiscopo Nazareno contra Archiepiscopum Tranensem, ut insinuantur etiam in tit. Miscell. disc.* 1. *e d. disc.* 20. *de jurisd.*
d *d. disc.* 20. *de jurisd. & in Miscell. Ecclesiast. disc.* 22. *hoc eod. lib. e d. disc.* 22. *Miscell. Eccles.*
f *d. disc.* 20. *de jurisd. & disc.* 22. *Miscell. Eccles.*
g *ad sess.* 23. *de refor. cap.* 8.
h *tit. de praemin. disc.* 15. *& tit. de jurisd. disc.* 31.
i *eod. disc.* 31. *de jurisd.* l *d. disc.* 16. *de praem. &* 41. *de jurisd. & in Miscell. Eccles. disc.* 1.

Ad sessionem septimam de Reform. cap. 2.

SUMMARIUM.

1 *Non debent uni personæ conferri plures Ecclesiæ.*
2 *Commenda, vel administratio non causat, ut unus sit sponsus plurium Ecclesiarum, & de ratione.*
3 *De ratione unionis plurium Cathedralium.*
4 *De eodem quoque ista unio non causat inconvenientia, de quibus, n.* 1.
5 *De pluribus speciebus unionis.*
6 *Episcopus plurium Ecclesiarum unitarum, in una earum residere potest, ac Tribunal habere*
7 *Quomodo fieri debeat distributio Olei sancti confecti per Episcopum duarum Ecclesiarum unitarum.*

DISC. VII.

1 Nimiùm opportuna fuit ista Conciliaris provisio, ut unus Prælatus, duas, vel plures Ecclesias obtinere non possit, ita tollendo abusum, qui etiam in Italia, aliisque partibus, nimiùm irrepserat, ut uni quamplures darentur Metropolitanæ, & Cathedrales Ecclesiæ, in commendam, seu simplicem administrationem, absque onere residentiæ, eo modo quo dantur Monasteria, aliæque Ecclesiæ inferiores, ac etiam hodie in ipsis Metropolitanis, vel Cathedralibus ultra montes adhuc permittere congruit ex prudentialibus regulis, dum ita oves nunquam videbant faciem Pastoris, neque iste illas agnoscebat, unde propterea multa ea inde irrepserunt mala, & inconvenientia.

2 Quamvis etenim, ex legali subtilitate, seu fictione, tolli diceretur absurdum, quod ita resultet, ut unus vir plures habeat uxores, ex eo quòd non conferrentur in titolum, ideòque verum matrimonium non intercederet, sed darentur in simplicem administrationem, eo modo in dictis ultramontanis partibus, cernimus, quod Metropolitanæ, & Cathedrales (ultra pluralitatem,) committuntur etiam adolescentibus, atque constitutis in minoribus tantùm ordinibus, adeòut non sint vere Episcopi; sed Ecclesiæ vacare dicantur, earum provisione ea aliquo justo motivo interim suspensa; Ad instar illius administrationis, quæ Sede vacante committitur œconomo, & Vicario per Capitulum deputandis; Attamen spectato effectu, adest dictum absurdum, ut unus vir plures habeat uxores, quarum nulli incumbat; vel alterum resultat inconveniens, quod istæ spirituales mulieres longam, penèque perpetuam viduitatem patiantur, ipsique greges sint sine pastore.

3 Adhuc tamen, isto decreto non obstante, firma remansit plurium Metropolitanarum, vel Cathedralium antiqua unio fixa, & perpetua, quæ ea justo motivo tenuitatis, vel ex alia causa facta sit, ut frequens in Italia hujusmodi unionū usus habetur æquè principaliter, ut (ex. gr.) sunt Metropolitanæ Ecclesiæ Acheruntina, & Materanen. & Cathedrales Sutrina, & Nepesina, Cortonen. & Civitæ Castellanæ, Viterbien. & Tuscanen. Pistorien. & Praten. Avellina, & Frequentin. Melphien. & Rapollen. & pleræque aliæ similes in meis adnotationibus casuum particularium enunciatæ.

4 Isto verò casu non instant inconvenientia, quæ in alio urgent; quoniam committuntur personæ in Episcopali ordine constitutæ, cum onere residentiæ, adeòut matrimonium spirituale verè intercedat, ipseque provisus, verus pastor dicatur, seu vir, non plurium, sed unius uxoris,

quo-

quoniam quoad Episcopum, unio habetur, ac si esset incorporativa, & perindè, ac si ex duabus unica diœcesis affecta esset, quamvis quoad singularium Capitula, ac fines & prærogativas, ex pluries alibi enunciata natura, seu qualitate unionis æquè principali, dicantur inter se ita distinctæ, adeòut quælibet proprium, ac antiquum statum retineat, cùm id percutiat quosdam diversos effectus præeminentiales privilegiativos, potiùs Sede vacante, quam plena; Quamvis etiam sub utriusque Episcopo adhuc plures resultent effectus diversitatis, non tamen quoad regimen naturale, quod verè flaum, ac unicum est, atque quoad ipsum Episcopum ambu habentur pro unico, jure potius incorporationis. *a*

5 Ut enim pluries advertitur, plures species unionis in jure habemus; Alia enim est subjectiva, vel accessoria, per quam una Ecclesia omninò extinguitur, atque fit alterius nudum membrum accessorium, seu prædium; Alia è converso est æquè principalis, quæ ambas relinquit in primævo statu, cum omnimoda independentia unius ab altera, perinde ac si unio facta non esset; Et tertia per incorporationem, seu jure cujusdam coæqualis societatis, seu communionis, per quam duæ, vel plures personæ, eorum patrimonia, vel aliqua bona in communione ponunt, unicum sociativum corpus constituendo, seu unicum negotium sociale, quod ab omnibus insolidum pro eorum quotis obtineri dicitur; Istę siquidem duæ posteriores species sunt inter se compatibiles pro respectuum diversitate, ut scilicet quoad singularum præeminentias, ac privilegia, & jura, unio dicatur æquè principalis juxta tertiam speciem, pro effectu præsertim distincti regiminis Sede vacante, vel impeditâ, ut advertitur ad *sess. 24. de reform. cap. 16.* cum similibus; Sed quoad ipsum Episcopum, juxta secundam, adeòut censeatur (ut dictum est) unica Ecclesia, vel diœcesis.

6 Hinc proindè manat, quod (ut alibi advertitur) Episcopus in qualibet parte unius earum residentiam habere possit, cum unico Tribunali, & unico Vicario generali; Atque in iis temporibus, in quibus à Concilio demandatur præcisa residentia apud Cathedralem, sufficit id explere in una earum, cùm ita quoad Episcopum, cujus persona individua est, intrare, seu verificari dicatur illa propositio, quę pluries in meis casuum particulariū adnotationibus enunciata habetur, quod scilicet quamvis Ecclesia Cathedralis formalis unica, & individua sit, attamen ea repræsentari seu efformari potest à pluribus quodam sociativo jure, idem ac unicum corpus constituentibus. *b*

7 Et consequenter, præsertim functio consecrationis olei sancti, in una earum pro Episcopi libito fit, pro utraque diœcesi, quamvia super modo distribuendi controversiæ oriri soleant, quia nempè rectores Ecclesiarum unius diœcesis nolint accedere ad alteram magis incommodam Ecclesiam Cathedralem, in qua consecratio facta sit, sed illud transmittatur ab Episcopo ad aliam Cathedralem, à qua tanquam à propria matre aliæ Ecclesię inferiores accipiant, super quo certa non habetur regula, sed deferendum est consuetudini, et præsertim me practicante determinavit S. Congregatio Episcoporum in una *Acheruntina, & Materanen.* *c*

a *de præm. disc. 7. de benef. disc. 19. & sæpius.*
b *ibid. c agitur in Miscel. Eccles. disc. 26.*

Ad sessionem septimam cap. 6. sess. 21. cap. 5. sess. 23. cap. 18. sess. 24. cap. 13. & sess. 25. cap. 9. de Reform.

S U M M A R I U M.

1 *De quibus agitur in decretis.*
2 *Regula revocatoria unionum præstat magnum obstaculum.*
3 *Distinguuntur plures species unionum.*
4 *Quare hodiè non audiantur novæ uniones Cathedralium.*
5 *In quibus casibus etiam hodie istæ uniones Cathedralium fiant.*
6 *De quæstionibus cadentibus super confusione confinium.*
7 *Ex duabus Ecclesiis unitis una est in una provincia, & altera in alia.*
8 *De differentia inter unionem subjectivam, & æquè principalem.*
9 *Quod plures Ecclesiæ materiales constituant unam Cathedralem.*
10 *Unio Ecclesiarum Cathedralium fit solùm per Papam.*
11 *Illa Parochiarum, & Ecclesiarum inferiorum fit per Ordinarium.*
12 *De solemnitatibus necessariis in unione Ecclesiarum inferiorum ab Ordinario.*
13 *De justa causa pro eadem solemnitate.*
14 *De unione beneficiorum canonicatibus, & dignitatibus, ut fieri non possit de reservatis, etiam si adsit indultum.*
15 *Quid de non vacantibus, unde reservatio sit interta.*
16 *Quæ causa requiratur pro ista unione.*
17 *Debet fieri singulis præbendis, vel canonicatibus.*
18 *Beneficia unius diœcesis non uniantur illis alterius diœcesis.*
19 *Non potest fieri unio Ecclesiarum parochialium.*
20 *Neque libera possunt uniri beneficiis patronatis.*
21 *Facultas uniendi data Prælato, an sit personalis.*
22 *De regula revocatoria unionum, & de effectuatione?*
23 *An unio fieri possit dignitatibus Cathedrales?*
24 *De unione dispensativa ad tempus, vel personali.*
25 *De unione sociativa Ecclesiarum parochialium.*
26 *Ista unio solet laudabiliter dissolvi, & n. 35.*
27 *De unione seminarii.*
28 *Unio non præsumitur, & quomodo probetur.*
29 *Quod in hoc non detur regula certa.*
30 *Quid considerandum sit in hac probatione.*
31 *De præscriptione unionis.*
32 *De modo providendi Vicarium Ecclesiæ parochiali unitæ.*
33 *De dissolutione unionis Ecclesiarum Cathedralium.*
34 *De eadem dissolutione Ecclesiarum parochialium, & aliarum inferiorum.*
35 *Et de dissolutione, de qua, n. 26.*
36 *Quomodo ista tosa divisio facienda sit.*
37 *De eodem, & de speciebus hujus societatis.*
38 *De aliis ad materiam.*

D I S C. VIII.

AGitur in his Decretis, de Ecclesiarum, & beneficiorum unionibus, tam factis de tempore, quo eadem Decreta prodierunt, quàm etiam in futurum faciendis; De ista verò unionis materia frequentiùs in Rota, aliisque Tribunalibus in forma judiciaria agi contingit, ideòque in meis beneficialibus adnotationibus pluries de ea agitur, ibique latius in casus contingentia videndum est. *a* 1

Ipsarum autem unionum validitati, ac durationi praxis docet majus obstaculum præstare Regulam Cancellariæ revocatoriam quarumcunque unionum, quæ de tempore ejus editionis adhuc effectum sortitæ non sint, cùm ea per quoscunque Pontifices renovetur, & consequenter destruit non solùm uniones, quę per Ordinarios locorum factę sint; quas principaliter ista conciliaria Decreta percutiunt, sed etiam illas, quæ factæ sint authoritate Apostolica, cum amplissima derogatoria omnium obstantiarum; Sub qua etiam sine speciali mentione (ut initio dictum est) istius Concil. Tridentini decreta veniunt. *b* 2

De pluribus itaque unionis speciebus agitur, ex quibus diversæ oriuntur quæstiones; Ideòque de illis, pro clariori resolutione, distinctè inspiciendum est, Primò scilicet de unione duarum Cathedralium; Secundò de illa duarum parochialium, seu aliàs ęquè residentialium, & incompatibilium beneficiorum; Tertiò de illa unione beneficiorum simplicium, quę ad præscriptum hujusmodi Decretorum fiat canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis, aut alteri Ecclesię, vel Dignitati; Quartò de illa quæ fiat seminario; Quintò, ubi quęstio non sit de validitate, vel invaliditate unionis, sed de illius substantia, seu probatione, an scilicet, & quomodo unio probetur? Et sextò de unionis jam factæ dissolutione, an, & quando intret? 3

De prima specie agi, nimium rarò contingit in hac Sacra Congregatione Concilii; Quinimò neque in Congregatione Consistoriali, cui magis ea congruit, quoniam, ut docet praxis, à Concilii publicatione citra, frequenter agi contingit, præsertim in dicta S. Congregatione Consistoriali de novis erectionibus Ecclesiarum Cathedralium in locis Nullius, sive in aliqua parte diœcesis, quę ampla sit, cum istius, vel aliarum adjacentium dismembratione, unde propterea examinari solet, an concurrant debita requisita? *c* 4

Sed rarus est casus, quòd agatur de unione plurium Ecclesiarum Cathedralium, cùm ille frequens usus, qui habetur præsertim in Italia, sit antiquus ante Concilium. 5

Aliqui verò hujusmodi unionis casus, qui post Concilium ha-

habentur, ut plurimum non sunt de duabus Ecclesiis, quæ prius essent Cathedrales; adeout quælibet proprium haberet Episcopum, sed sunt occasione decorandi aliquem locum, qui prius esset Nullius, seu etiam in aliqua diœcesi cum prælato tamen inferiori exempto, habente jurisdictionem ordinariam in clerum & populum, unde propterea consuetæ adessent discordiæ inter talem prælatum, & Diœcesanum; Ideoque clerus & populus hujusmodi loci pati nolit subjectionem erga locum, in quo sit Ecclesia Cathedralis, & ea qua causa hujusmodi controversiæ inconvenientia parere solent; Tunc enim, cum pro frequentiori contingentia, ipse locus, tam in dote, quàm in qualitate non sit aptus erectioni novæ Cathedralis cum proprio, ac distincto Episcopo, idcirco, cum prudentissimo consilio factum est, quòd illa Ecclesia in Cathedralem erigatur, illeque locus civitatis prerogativa decoretur, sed unico contextu, eque principaliter uniatur Ecclesię antiquę, cum qua erant controversię, vel alteri pauperi Ecclesię pro facti & locorum qualitate, adeout in substantia, ac de facto unus sit Episcopus, quamvis quoad aliquas præeminentias, & prerogativas, inter se reputentur duæ omninò distinctæ cum omnimoda independentia. *d*

6 In illis autem, quæ aliàs ab antiquo essent Cathedrales, distinctos habentes Episcopos, posteà verò, ac etiam à tempore antiquo unitæ reperiantur, cadere quandoque solent quæstiones, vel super finibus, eò quia ob unius Episcopi præfactutam illi confusi fuerint, & de quo agi solet, vel ad effectum distinctionis jurisdictionum Capitulorum sede vacante; Vel ad effectum unionis beneficiorum, & Ecclesiarum inferiorum stante prohibitione ejusdem Concilii; ut beneficia unius diœcesis non uniantur illis alterius. *e*

7 Ac etiam quandoque ea jure Metropolitanatum, seu alicujus ex eis, quoniam praxis docet, quòd ex hujusmodi Ecclesiis ita principaliter unitis, una sit in una Provincia, & suffraganea unius Metropolitani, alia verò sit in altera sub diverso Metropolitano, seu etiam exempta, & immediatè subjecta Sedi Apostolicæ. *f*

8 Prout inter ipsas Ecclesias, vel diœceses, esse solent quæstiones, super ipsius unionis natura, seu qualitate, an scilicet illa sit coæqualis, & æquè principalis, adeout quælibet suas jurisdictiones, & prærogativas retineat, cum omnimoda independentia ab altera, perindè ac si nullatenus unitæ essent, vel potiùs esset unio accessoria, & subjectiva, cùm tunc illa Ecclesia, quæ alteri ita subjectivè unita est, supprimi dicatur, atque amittendo nomen ac essentiam Cathedralis, jure cujusdam alluvionis fiat pars, seu membrum illius, cui facta est unio, unde propterea antiqui fines confunduntur, atque illud territorium, quòd prius stabat de per se & constituebat unam diœcesim, efficitur pars alterius diœcesis, vel territorii, quoniam ubi est æquè principaliter, habetur, ac si facta non esset, qualiber Ecclesia, vel diœcesi in suo primævo statu continuante.

9 Audiuntur etiam aliquando quæstiones, in hoc proposito unionis, etiam in una, eademque Cathedrali, vel diœcesi, quæ ab ejus primæva erectione semper unica fuerit, inter duas scilicet, vel plures Ecclesias in eadem Civitate existentes, earumque clericos, quòd earum quælibet prætendit esse Cathedralis, dum in jure receptum est (ut aliàs insinuatur,) quòd quamvis Ecclesia Cathedralis formalis sit unica & individua, attamen ea constitui, seu effurmari potest per plures Ecclesias materiales, earumque Canonicos, & clericos, adeout una sit Ecclesia in tot membra distincta atque unum & idem sit Capitulum, cùm aliqua divisione exercitii jurium cathedraticorum, ipsa substantia indivisa remanente. *h*

Adinstar illius divisionis, quæ datur in exercitio jurispatronatus, vel juris conferendi, quòd est individuum, sive illius divisionis jurisdictionis, ac fructuum, quæ ex consuetudine Lombardiæ, aliarumque partium datur etiam in feudis dignitatis, quæ de sui natura individua sunt, cum similibus, *i*

10 Altera unionis species est illa, quæ fiat plurium Ecclesiarum parochialium; Notabilis autem differentia est inter hanc speciem, ac præcedentem plurium Ecclesiarum Cathedralium, quoniam illa Cathedralium per alium fieri non potest, nisi per Papam, ad quem unicè, ac privativè ad quoscumque pertinet diœceses, ac territoria unire, vel dividere, undepropterea quæstiones potiùs sunt in fieri, quàm in facto esse, in examine scilicet, quod fit in Sac. Congregat. Consistoriali, & quandoque etiam (licèt nimiùm raro) in ista Concilii super consultatione Papæ facienda an unioni, vel respectivè novę erectioni locus esse debeat, nec ne? *l* Sed postquam id jam secutum est, nullæ, vel nimiùm raræ sunt quæstiones super jam *factæ* unionis, vel respectivè novæ erectionis nullitate; Eo quia, cum prævio diligenti examine, ac informatione, & justificatione omnium circumstantiarum, & causarum, non autem ad Partium solam supplicationem, vel assertionem id fieri soleat, idcircò non de facili intrare potest obreptio, vel subretio, sive defectus intentionis, cujus tantùm questiones cadunt, cùm nulla cadat potestatis. *m*

11 Non sic est in ea unione, quæ fiat Ecclesiarum parochialium, seu aliarum inferiorum per Episcopum, seu alterum loci Ordinarium, quoniam potestatis etiam quæstio intrat, atque nullitas actus deduci solet, ex defectu solemnitatis, vel ex altero causæ,

Siquidem tam dismembratio, quàm respectivè suppressio, vel unio redolent speciem prohibitæ alienationis bonorum, ac jurium Ecclesiæ, ideòque ad validitatem copulativè requiruntur solemnitas, & causa.

12 Verùm solemnitates hujusmodi actus, in eo differunt a vera, & formali alienatione bonorum, in quibus non intrat dispositio Canonis *in cap. Terrulas*, quod scilicet ad præscriptum juris canonici novi *in Extrav. Ambitiosæ*, requiritur beneplacitum Apostolicum; In hujusmodi autem unionibus, vel dismembrationibus, istud non esset necessarium, sed sufficiunt solemnitates ad normam antiquioris juris canonici, nempè consensus Capituli, ac etiam ille Rectoris, & populi, aliorumque interessatorum. *n*

13 Causa verò juxta generalem regulam alienationum consistit in necessitate, vel in magna utilitate, ideòque desuper certa statui non potest regula generalis, cuicunque casui applicabilis, cùm pendeat ex facti, ac singulorum casuum circumstantiis, Illa verò generalis regula habetur, ut de justa causa constare debeat formiter cum processu servatis servandis desuper habito, non autem per assertionem ipsius Episcopi, vel Prælati, cui in hoc non creditur, nisi temporis antiquitas juncta cum observantia justificationis causæ, ac solemnitatis præsumptionem inducat. *o*

14 Tertia species unionis est ea quę fiat beneficiorum simplicium præbendis canonicalibus ad præscriptum alterius Conciliaris Decreti & tunc ut unio valida remaneat, suumque sortiatur effectum, plura desiderantur; Primò nempe, ut fiat de iis, quæ jam vacata sub reservatione, vel affectione Apostolica non cadant, sed fiat ad liberam collationem ipsius Ordinarii, qui unionem faciat; Itaque adeò verum, quod etiamsi ipse habeat indultum conferendi reservata & affecta (quod Cardinalibus, & aliquibus nimiùm qualificatis Prælatis concedi solet) non possit affecta, vel reservata unire. *p*

15 Si verò fiat de vacaturis, quæ nullam personalem, vel realem habeant reservationem, vel affectionem, neque illorum vacatio immineat, adeòut omninò incertum sit, de quo tempore illa sequi debeat, & tunc sustinetur dum contingere potest vacatio in mense Ordinarii; Secus autem, ubi probabiliter credatur, quod vacatio debeat cadere sub reservationibus, vel quia ex infirmitate, aliovè statu possessoris, vel ex tractatu matrimonii, aut militiæ, vel officii, adsit imminentia vacationis in mense reservato, tanquam per speciem earum, quæ habemus ad materiam Regulę de infirmis resignantibus; Sive earum, quæ habemus in materia fraudulentiæ subinfeudationis vel ubi (ut quandoque practicavi) possessor beneficii, occasione alicujus officii, vel exercitii, sive pro assequenda Episcopali dignitate, per plures annos moram traxerit in Curia Romana verisimiliter nunquam discessurus, nisi quatenùs occasio sperati Episcopatus causet residentiam, quoniam tunc beneficia per ipsum possessa, quamvis non subjiceant fixæ, ac invariabili reservationi, vel affectioni reali, vel personali, cùm possit ille deserere Curiam, egrediendo ad patriam, vel alium locum, atque ita tollere occasionem reservationis localis; Attamen sit casus verisimiliter non separatus, seu potius è converso verisimiliter speretur mors in Curia, seu vacatio per assecutionem Episcopatus, sed dispensativa retentio nascatur, quæ eumdem operatur effectum, quoniam tunc intrare videtur eadem ratio imminentiæ, vel fraudis. *q*

16 Alterum requisitum consistit in justa causa tenuitatis præbendarum, adeout saltem moralis necessitas servitii, ac decentioris cultus Ecclesiæ ita exigat, non autem si fiat ad dilationem, vel superabundantem provisionem possessorum. *r*

17 Tertium est requisitum, ut fiat singulis præbendis pro earum respectivè tenuitate, ac necessitate, non autem Capitulo, seu mensæ Capitulari in universum, cùm tunc unio non sustineatur. *s*

Quar-

18 Quartum est, ut sit de beneficiis illiusmet diœcesis, cùm Concilium expressè prohibeat unionem beneficiorum unius diœcesis, præbendis canonicalibus, vel parochialibus alterius diœcesis; Id etenim contingere solet, quando unus & idem Episcopus, duas, vel plures possideat Ecclesias simul unitas, adeout de facto quod earum regimen pro unica reputentur, justa primam speciem unionis, supra recensitam, quoniam si unio sit æquè principaliter, intrat etiam prohibitio. *t*

19 Quintò, ut non sit de Ecclesiis parochialibus, seu aliàs residentialibus, seu de simplicibus; Quamvis enim praxis doceat unionem plurium Ecclesiarum parochialium canonicatibus, vel dignitatibus Cathedralium, seu Collegiatarum, ipsisque mensis capitularibus, vel monasterialibus, ut patet ex iis, quæ insinuantur infra, *disc. seq.* occasione agendi de vicariis parochialium unitarum; Attamen id contigit antiquiori tempore ante Concilium; Atque si detur aliquis casus posterior, referendus est Apostolicæ authoritati, qua concurrente, prædictorum requisitorum
20 necessitas negligitur, cùm Papa bujusmodi prohibitionibus, absque dubio dispensare valeat, de iis verò agitur, quando uniones fiant per Ordinarios; Et sextò, ut beneficia liberæ collationis non uniantur beneficiis de jurepatronatus, ut ita servilem naturam non assumant. *u*

21 Et quoniam quandoque Ordinariis Sedes Apostolica concedit indulta faciendi uniones pro constructione, vel restitutione aliquarum Ecclesiarum, seu ecclesiasticorum locorum ut præsertim cum Sancto Carolo Borromeo (illorum temporum qualitate exigête) practicatum fuit, Hinc proindè quæstiones cadere solent, an concessio censeatur personalis, adeout ad successorem transeat, necne, sive quomodo talia indulta intelligenda & practicanda sint; Idque certam regulam generalem, cuicunque casui applicabilem non recipit, cum non sit punctus juris, sed facti, ex ipsius facti particulari qualitate, & circumstantiis decidendus, ut in meis beneficialibus, notis, seu observationibus advertitur. *x*

22 Quomodocunque autem unio fiat; Vel scilicet cum Apostolica authoritate, ubi quam dictis requisitis nõ subjaceat, vel cum illa Ordinarii, in qua dicta requisita verificentur, unde propterea valida & legitima censenda sit; Adhuc tamen alterum verificari debet requisitum, quod effectum sortita fuerit, antequam contingat novi Pontificis creatio; Illa etenim contingente, re adhuc integra, priusquam scilicet unio effectum sortiatur, tunc unio, ut plurimum, inutilis remanere solet, ob regulas Cancellariæ, quas novus Pontifex in crastinum suæ assumptionis edere solet, inter quas est regula, quarumcunque unionum revocatoria, quoties pro Divini cultus necessitate factæ non sint; Istoque casu necessitas non sufficit moralis pro Ecclesiæ majestate, ac decentiori cultu, ut pro facti circumstantiis sufficere videtur ad verificationem unius ex dictis requisitis; Sed debet esse vera & præcisa, quin nempe præbendæ canonicales, ac etiam distributiones quotidianæ essent adeò tenues, quod vel non reperiretur, qui eas acceptaret, ideòque vacationem paterentur, vel quod earum possessores cogerentur Ecclesiæ cultum, ac servitium deserere, ut victum sibi parare possent, idròque magna differentia est inter unam, & alteram speciem necessitatis. *y*

Quæstione cadente, an & quando servata dicatur effe-
23 ctuatio, in qua regula est, ut illa secuta in parte sufficiat in totum, quod aliquas recipere solet declarationes, ut in dictis beneficialibus adnotationibus advertitur. *z*

Cùm autem Decretum conciliare loquatur de præbendis canonicalibus, hinc orta fuit quæstio, an dignitatibus Cathedralium, seu Metropolitanarum, hujusmodi uniones fieri valeant, ubi eadem urgeat ratio; Atque licèt litera legis, negativam suadere videatur; Affirmativam tamen, probabiliùs suadet identitas, imò majoritas rationis, atque ita me scribente per Sacram Congregationem Concilii declaratum fuit, ut in eisdem beneficialibus notis advertitur. *a*

24 Ultra dictas unionis species, Altera dari solet unio dispensativa, ex Apostolica authoritate perpetua, vel temporalis putà dignitatis, & canonicatus ejusdem Ecclesiæ; Verùm desuper regula certa, & generalis non habetur, cùm sit quæstio voluntatis, nulla verò potestatis, quæ in beneficialibus absoluta est in Papa. *b*

25 Datur etiam, potiùs ex antiqua consuetudine, quædam alia species unionis Ecclesiarum, præsertim parochialium, quæ coæquali jure sociativo fit per quamdam speciem communionis, quod scilicet, absque distinctione finium, vel personarum, in aliqua Civitate, vel Oppido, duæ vel plures Ecclesiæ parochiales promiscuè curam exerceant; Idque ut plurimum contingere solet; Vel quia antiquiori tempore unica esset Ecclesia, postmodum verò populo excrescente altera constructa esset; Vel (& frequentius præsertim in aliquibus Apuliæ, & Calabriæ, vel Siciliæ partibus, in quibus id in usu esse videtur) id contigit ratione ritus græci, cum quo in illis partibus antiquiori tempore populus vivebat, eo quia Imperatore Constantinopolitano aliquam dominationem retinente in Italiæ partibus respondentibus ad mare Adriaticum, vel Jonium, Constantinopolitanus Patriarcha in eis se ingerebat, atque ritu græco, ut plurimum vivebatur; unde propterea, dicta intrusione cessata, Sedes Apostolica ejusdem ritus continuationem permisit, prudenter tamen curata fuit introductio ritus latini in alia Ecclesia ad hoc erecta, & cum diverso Rectore, usquequo paulatim universus populus Latinum ritum assumpsit; Idròque utraque Ecclesia eamdem sortita est naturam, atque continuavit idem promiscuum exercitium. *c*

In plerisque tamen partibus, ad ejusdem Conc. Tridentini monitum, finium divisio introducta est. *d* 26

De quarta inspectione super unione quæ fiat seminario agitur infra ad *sess.* 23. *de reform. cap.* 18. 27

Circa quintam inspectionem, quæ facti potiùs quàm juris est, super unionis scilicet probatione; Regula generalis est, ut ea non præsumatur, sed per allegantem plenè, & concludenter probanda sit, atque aliàs fundata est intentio ejus, qui dicit, ut beneficium, cujus unio negatur, stet de per se independenter. *e* 28

Quando autem adest illius titulus explicitus, tunc nulla cadit quæstio probationis, cùm ea non detur in claris, & expressis; Solùmque intrat quæstio potestatis, seu validitatis; Ideòque forenses quæstiones in hac materia cadunt, ubi de adminiculativa, seu præsumpta probatione agatur, quæ etiam admittitur, sed est difficilis, cum adminicula, & argumenta debeant esse univoca, non autem æquivoca, & referibilia ad juspatronatus, vel ad subjectionem, seu censuationem, &c. *f*

Atque hinc manat, ut certa regula generalis statui non valeat, cuicumque casui applicabilis, erroneumque sit cum regulis, ac propositionibus generalibus procedere, cùm totum pendeat ex facti qualitate, & circumstantiis Judicis arbitrio pensandis, cum solita regula, *ut singula, quæ non prosunt, &c.* 29

Illud autem potissimùm, pro bujusmodi arbitrio regulando, in consideratione habendum est, de qua scilicet specie unionis agatur, ex tribus plusies recensitis; Ubi etenim agatur de illa, quæ æquè principalis dicitur, sive de altera, quæ sit sociativa, vel coæqualis, tunc cum istæ species sint favorabiliores, vel minus præjudiciales, idcircò leviores probationes admittuntur; Secus autem ubi de accessoria, & subjectiva, quæ odiosa, magisque præjudicialis censetur. *g* 30

Si verò adsit unionis titulus explicitus, qui de stricta juris censura invalidus, vel aliàs inefficax dici mereatur. Quadragenaria verò, vel major pacifica observantia accedat, tunc id sufficit, nisi titulus adeò clarè infectus sit, ut malam fidem positivam ita inducat, quòd præscriptionem impediat. *h* 31

Inter plures autem unionis effectus, ille est præcipuus, circa modum providendi Ecclesiam, quæ sit unita, præsertim ubi animarum cura illi incumbat, & de hoc habetur infra; Et de aliquibus aliis effectibus *in cap. proximè sequenti.* 32

Demùm quoad sextam, & ultimam inspectionem, super unionis dissolutione; Ubi agatur de illa duarum Cathedralium, tunc nulla desuper juris regula statui potest, cùm id pendeat ab arbitrio, seu voluntate Papæ, qui pro facti qualitate, ex consultatione frequentiùs Sacræ Congregationis Consistorialis, in pleno Consistorio de ista agere solet; Nullus autem, vel nimiùm rarus est in Cathedralibus, ab antiquo unitis, casus dissolutionis, Secus autem ubi agatur de illis unionibus potiùs de facto, quàm de jure, quæ personales, vel accidentales tantùm sint, putà quia Episcopus unius Ecclesiæ ex justa causa altera commendetur, cum tunc verè non sit unio, & consequenter non intrat terminus dissolutionis, sed potiùs alter resolutionis actus, tanquam ex cessante causa. 33

In Ecclesiis autem inferioribus, præsertim parochialibus; Quando agatur de unione accessoria, & subjectiva, vel etiam de altera, quæ æquè principalis dicitur, adeòut de facto unus utriusque sit rector, tunc pariter nimiùm rarus est casus dissolutionis, quæ cùm species alienationis dicatur, 34

catur, exigit rigorosas solemnitates, & causam, ideòque ubi Apostolica authoritas non accedat, non de facili verificabilis est validitas illius dissolutionis, quæ cum sola authoritate Ordinarii fiat. *l*

35 Ubi verò de illa unione agatur, quæ sociativa, sit, in parochialibus frequenter contingibilis ut supra, quia nempè quælibet suos habeat rectores, ac ministros, exercitium autem sit promiscuum, & coæquale, absque finium, vel ovium distinctione, & tunc Sac. Conc. Trid. enixè laudat, quinimò præcipere videtur divisionem, ut oves certum ac proprium agnoscant pastorem. *l*

36 Quæstiones autem cadere solent super modo divisionis, an ista æqualis, vel inæqualis esse debeat, regula verò est pro æqualitate, nisi facti circumstantiæ limitationem suadeant, ideòque certa norma statui non potest. *m*

37 Atque in hoc major difficultas super ipsius sociativè unionis substantia, vel origine esse solet, an scilicet Ecclesiæ unitæ, ab initio essent æquè parochiales, eandem habentes jurisdictionem, seu prærogativam jure communia coæqualis explicitè, vel implicitè promiscuum exercitium habentes; Vel potiùs ab initio unica esset, a qua altera tanquam filia, seu adjutrix prodiisset, ut latiùs in meis beneficialibus adnotationibus habetur, cùm tunc diversa sit dividendi ratio ex ibi deductis. *n*

38 De aliis autem ad materiam unionis in rerum beneficialium adnotationibus agitur, ideoque ibi videndum est. *o*

a *sub t. de benef. disc.* 7. & 19. & *disc.* 43. *cum plurib. seqq.* & *de unione Ecclesiarum Cathedralium, sub titul. de praem. disc.* 7. b *supra in proœmio.*
c *d. disc.* 7. *de praeminentiis.*
d *eod. disc.* 7. *de praem.* & *de benef. disc.* 19. & *in Miscell. Eccles. disc.* 26. e *d. disc.* 19. *de benef.*
f *d. disc.* 19. *de benef.* & *disc.* 7. *de praem.*
g *eod. disc.* 7. *de praem.* & *disc.* 26. *in Miscell.* & *disc.* 19. *de benef.* h *sub t. de praem. disc.* 2. & 3. *cum seq.*
i *tit. de feud. disc.* 8. l *d. disc.* 6. *de praem.*
m *tit. de praem. disc.* 1.
n *tit. de alien. & contr. proh. disc.* 1. *de paroch. disc.* 34. & *seq.* o *ibidem* p *tit. de benef. disc.* 7.
q *eod. tit. de benef. disc.* 7. & 43. & *seq.*
r *eod. tit. de benef. disc.* 43. & *seqq.* s *ibid.*
t *eod. tit. disc.* 19. u *d. disc.* 19. & 43. & *seqq. eod. tit.*
x *eod. tit. de benef. disc.* 47. y *d. disc.* 43. *eod. tit.*
z *ibid.* a *eod. tit. disc.* 46.
b *tit. de Regal. d. disc.* 148. & *frequenter tit. de benef.*
c *tit. de praeminen. disc.* 9. & *in Miscellan. Ecclesiastic. disc.* 32. d *tit. de paroch. disc.* 27.
e *locis citatis de benef.* & *tit. de paroch. disc.* 12. & 13.
f *proximè supra, de paroch.* g *ibid.* & *de praem. disc.* 7.
h *tit. de benef. in supplemento in Nolana parochialis.*
i *d. disc.* 34. & 35. *de paroch.* l *eod. tit. de paroch. disc.* 33.
m *eod. disc.* 33. n *eod. disc.* 33.
o *t. de benef. disc.* 7. 19. & 43. *cum plurib. seqq.* & *in suppl.* & *de paroch. disc.* 12. & 13. & *de praem. disc.* 7.

Ad Sessionem 7. cap. 7. sess. 21. cap. 6. & sess. 25. cap. 16.

SUMMARIUM.

1 *De provisione Vicarii in Ecclesia parochiali unita cum assignatione congrua.*
2 *Etiam ubi Ecclesia sit unita Capitulo, vel Collegio.*
3 *Idque solet demandari per S. Congregationem Concilii.*
4 *An Vicarius debeat esse unicus, vel plures?*
5 *Quod hæc multiplicitas non adversetur unitati Ecclesiæ, ejusque Rectori, & de ratione.*
6 *An Vicarius debeat esse perpetuus, vel manualis? & regulariter debet esse perpetuus in secularibus.*
7 *Quanta sit congrua Vicarii.*
8 *Quænam incerta in congrua non computentur?*
9 *Quando possit esse minor, quàm quinquaginta, & quid in Ecclesia paupere practicetur.*
10 *Et quando debeat esse major.*
11 *Si loco congruæ assignentur certa bona, non curatur subsequens diminutio, vel augmentum.*
12 *Item si Vicario assignentur omnia bona cum certa pensione Curato habituali.*
13 *De ratione differentiæ inter Curatum actualem, & habitualem.*
14 *Hæc taxa pertinet ad Ordinarium, exemptione non obstante.*
15 *De aliis speciebus deputationis Vicarii.*
16 *An Vicarius deputet alium Vicarium?*

DISC. IX.

Præsupposita valida unione, juxta adnotationes in cap. proximè præcedenti; Præcipitur in hoc Decreto, Ecclesiæ unitæ visitatio, ac provisio, ut onera eidem injuncti, illud præsertim curæ animarum, non negligantur, sed ea actè impleantur, ideoque in eis, pro exercitio curæ, vicarius deputari debeat, qui rectoris vices suppleat, atque de facto parochi personam repræsentet, partesque gerat, congrua eidem vicario pro substentatione, ac laboris mercede assignanda per rectorem, vel prælatum Ecclesiæ, vel beneficii, cui parochialia unita sit, ideoque habitualis cura incumbat, quatenus jam per vicarium provideri solitum, istud onus expleatur. 1

Ubi verò id non practicetur, quia nempè (ut in plerisque partibus etiam hodierna praxis docet, atque antiquiori tempore frequentior erat) Ecclesia curata unita esset alicui Capitulo, vel Collegio sæculari, vel regulari, cum exercitio promiscuo penès omnes canonicos, vel collegiales; Tunc providetur, ut certus vicarius, sive sit de eodem corpore, sive extra, deputari debeat, ut ita oves certum habeant pastorem, quem agnoscere debeant; Et è converso certa sit persona, quæ sciat illud onus sibi incumbere, & a qua Episcopus in visitatione, seu aliàs, rationum redditionem de sibi commissis ovibus petere valeat. *a* 2

Hinc proinde, quando contingit, quòd occasione relationis, quæ fieri solet in visitatione liminum, Sac. Congr. Conc. ad istius notitiam deveniat, ut adhuc in eodem antiquo usu continuetur, quòd scilicet exercitium curæ sit promiscuum penès omnes de Collegio, vel Capitulo, per eam enixè præcipi solet hæc deputatio vicarii ex eodem Collegio, vel extra, prout facti qualitas exigat. *b* 3

Super vicarii autem unicitate, vel pluralitate, nihil statutum est, & meritò, cùm id ea facti qualitate pariter pendeat, an scilicet unus tantum supplere possit, vel potiùs duo, vel plures requirantur. 4

Quamvis etenim rectorum, seu parochorum pluralitas de jure prohibita sit ob inconveniens ne una mulier, duos, vel plures habeat viros; Attamen id procedit in eo, qui sit verus rector, ac sponsus Ecclesiæ, non autem in hujusmodi vicariis, qui potiùs famulorum, ac operariorum jure censendi sunt, cum id dictæ unicitati non adversetur, eodem modo quo eidem non adversatur, ut ipsamet cura habitualis sit penès aliquod Capitulum, vel Collegium, constitutum ex pluribus personis, quoniam unicus censetur parochus repræsentatus ab ipso corpore mystico, seu politico, constituente unam personam formalem, seu intellectualem, singuli autem non sunt parochi, ut de hoc advertitur supra in proposito ætatis, quæ in beneficiis necessaria est, quòd scilicet in singulis non desiderantur illa requisita, quæ necessaria sunt ad beneficii curati assecutionem. *c* 5

Minusque expressè, ac determinatè statutum est, circa vicarii qualitatem, an scilicet perpetuus, vel manualis esse debeat, cùm id Ordinarii arbitrio remissum sit; Concilii verò sensus, clarius, à Pii V. Constitutionibus comprobatus est, ut perpetuus esse debeat, quatenus ille particularis extra gremium Capituli, seu Collegii deputari soleat, vel expediat. Ubi verò de ipso Capitulo, vel Collegio, tunc destinetur canonicatus, cui fixa sit ista vicaria, ut præsertim super hujusmodi perpetuitate per Constitutionem Pii V. provisum est in Capitulis Ecclesiarum Urbis, quibus cura animarum incumbat; *d* in Ecclesiis autem regularibus manualitas magis congrua est. 6

Quo verò ad congruam vicario assignandam, Concil. in his nihil certum determinavit, sed Ordinarii arbitrio remisit, pro facti qualitate, ac oneris proportione; Desuper tamen providit Constitutio Pii V. ut scilicet congrua esse debeat certa, non major centum, sed non minor quinquaginta scutorum, seu ducatorum monetæ regionis; Remanente arbitrio circa medium inter utrumque extremum; 7 In ea tamen non computatis illis incertis emolumentis, quæ ratione merè personalis laboris habeantur, sive quæ ex merè voluntaria accidentali devotione obveniant, adeout ex plurium annorum experimento quandam certitudinem saltem moralem non habeant; Secùs autem, ubi dicta moralis certitudo accedat, cùm tunc in fructu, seu redditu veniant. *e* 8

Extensus autem congrua minor quinquaginta esse non potest, quatenus ipsius Ecclesiæ curatæ, quæ unita sit, emolumenta sint majora; Secus autem si ad hanc summam non ascea- 9

ascendant, cum tunc sufficiant Capitulo, vel alteri curam habitualem habenti, omnia emolumenta vicario assignare; Sive in quibusdam exiguis Cathedralibus, vel Collegiatis, loco congruæ assignari solet vicario, qui etiam sit Canonicus portio massæ grossæ distributionum, supplendo quod deest, admittendo servitium curæ loco servitii chori. *f*

10 Et è converso summa major centum, (cujus excessus prohibitus est) intelligenda venit de congrua pro ipsius vicarii mercede, ac substentatione, non autem, ubi populi numerus, vel Ecclesiæ qualitas, aliævè facti circumstantiæ, majores operarios, aliosque sumptus exigant, adeò ut quandoque praxis doceat, quod etiam ter, vel quatuor centum, aliavè major summa assignetur vicario, qui alia onera supportare debeat. *g*

11 Quandoque autem contingit, quod ad hujusmodi oneris annuam præstationem evitādam, ac etiam ad illas dirimendas lites, & controversias, quæ oriri solent præsertim super emolumentis incertis, usus inolevit, quod Capitulum, vel alter, cui habitualis cura incumbat, assignet vicario certa bona, vel jura, loco congruæ, per quamdam speciem transactionis, aliis bonis penès ipsum Rectorem habitualem remanentibus; Tractu verò temporis, bona, vel jura assignata, diminutionem recipiant, unde propterea vicarius suppletionem petere solet; Verùm ea regulariter negatur, quoniam in hoc attenditur tempus conventionis, non autē subsecuta eventualitas, quæ sicuti produxit decrementum, ita producere potuisset incrementum, quod ipsius Vicarii esset, nisi diminutio adeò magna esset, ut ea quæ remanent, non sufficiant ad substentationem, adeò ut cogatur vicarius curæ exercitium deserere, cùm tunc intret Judices arbitrium pro suppletione. *h*

Et è converso, idem usus præbuit, ut remaneant omnia Ecclesiæ bona, & emolumenta penès vicarium, qui certam quotam, vel certam quantitatem fructuum, vel pecuniarum singulis annis, vel temporibus præstare debeat Rectori habi-
12 tuali; Tractu verò temporis, bona, & emolumenta, magnum recipiant incrementum, unde propterea Rector habitualis, nimiùm modicam reputet ejus portionem, atque petat proportionatum augmentum; Verùm pariter illud regulariter denegandum est, nisi fortè tales sint facti circumstantiæ, ut magnam injustitiam, ac speciem iniquitatis redolcant, adeò ut Judicis officium, vel arbitrium intret. *i*

Ubi verò agatur de casu converso, quod scilicet bona assignata vicario cum onere certæ quantitatis, tanquam per speciem pensionis notabiliter diminuantur, adeò ut pensio nimiùm excessiva remaneat; Tunc, licèt eadem sit regula, attamen faciliùs intrat limitatio pro moderatione, quoties scilicet id, quod remanet, non sufficiat ad substentationem vicarii, aliasque expensas necessarias.

13 Ratio differentiæ inter unum casum, & alterum consistit, non in favore personæ, sed in favore Ecclesiæ, vel animarum, ne aliàs cura, & cultus respectivè deserantur; Ista enim ratio è converso non intrat, quoniam nihil refert, quòd illa Ecclesia, vel dignitas, cui facta est unio, atque habitualis cura competit, majorem, vel minorem habeat provisionem, cùm id personæ possessoris dignitatis, vel prælaturæ, privatam utilitatem concernere videatur; In casu autem converso, viget præjudicium tertii, ipsius scilicet Ecclesiæ ejusque cultus, vel animarum, quarum cura vicario commissa est. *l*

14 In his autem controversiis, ab Ordinario decidendis, Ecclesiæ, vel personarum privilegia exemptiva, nil suffragantur cùm in iis, quæ animarum curam concernunt, etiam cum Ecclesiis, vel personis exemptis, inter plures in præcedentibus insinuata jurisdictio à Conc. Tridentino delegata Ordinario loci, habita potiùs ratione ovium regendarum, quàm Rectoris.

15 Alia est vicarii, vel coadiutoris deputatoria, quæ præcipitur à Concilio ob Ecclesiæ vacationem pendente concursu, vel ob illiteraturam parochi, & de hac specie agitur *ad sess. 24 de reform. cap* 18. ubi de materia concursus ad parochiales, earumque provisione.

16 Regulariter autem vicarius alium non deputat vicarium, sed id pertinet ad Rectorem habitualem, nisi legitima consuetudo, vel conventio aliud suadeat. *m*

a *de paroch. disc.* 18. 20. 22 *& in aliis*. b *ibidem*.
c *sub tit. de benef. disc.* 53. *&* 95. d *tit. de paroch disc.* 22.
e *eod. tit de paroch. disc.* 17. *cum plurib. seqq. & de hac distinctione incertorum sub tit. de benef. dist.* 90. *& sub tit. de jurepatr. disc.* 10.
f *eod tit. de paroch. disc.* 20.
g *insinuatur locis citatis, ac etiam in Barchionen. eod. tit. in supplemento,*
h *eod. tit. de paroch. disc.* 10. *& in dict. Barchionen. in suppl.*
i *in dicta Barchionen. congrua in supplemento.*
l *in eadem Barchionen. in supplemento.*
m *d. tit. de paroch. disc.* 17.

Ad sess. 7. de Refor. c. 15. sess. 22. c. 8. & 9. & sess. 25. etiam de Reform. c. 8.

SUMMARIUM.

1 *De visitatione hospitalium, & piorum locorum.*
2 *In quibus cadat hæc visitatio, & potestas.*
3 *Ad quid prosit declarationes Sacræ Congregationis.*
4 *Quid obstet lex fundationis.*
5 *De eodem, de quo, n.* 3.
6 *De eadem lege fundationis.*
7 *De limitatione ubi fundator vivat, quomodo intelligatur.*
8 *Quomodo Episcopi in hoc se gerere debeant, & n.* 13.
9 *An Communitates veniant sub nomine fundatoris viventis?*
10 *De privilegiis exemptivis, præsertim illis Basilicæ Lateranensis.*
11 *De Confraternitatibus existentibus in Ecclesiis Regularium.*
12 *De præmissis ubi agatur de locis, in quibus istorum decretorum observancia negetur.*
13 *De eodem, de quo, n.* 8.

DISC. X.

De visitatione Ecclesiarum, & piorum locorum in genere agitur supra, In his autem decretis agitur de hospitalium, aliorumque piorum locorum, vel Collegiorum, & confraternitatum recta administratione, ipsiusque hospitalitatis congruo exercitio, ac rationum redditione; In primo etenim, Episcopis, aliisque Ordinariis injungitur cura, ut (exemptionis privilegio non obstante) hospitalia ab eorum administratoribus benè, ac fideliter administrentur; In secundo disponitur, ut ea visitare valeant; In tertio, ut administratores rationes reddant Ordinario, qui earum redditioni assistere potest; Et in ultimo præcipitur, ut ipsa hospitalitas bene, & cum debita charitate exerceatur, quatenus illam exercendi occasio adsit cum peregrinis, vel respectivè infirmis, juxta eorum qualitatem, seu fundationem; Quatenus verò pro locorum qualitate occasio desit, disponitur super fructuum, ac redditruum applicatione aliis piis operibus; Quare de his distinctè agendum. 1

Quatenus pertinet ad visitationem, ex qua de consequenti resultat, inspectio rectæ administrationis; In temporali Ecclesiæ Ditione, quæ sub Status Ecclesiastici vocabulo explicari solet, aliisque Ditionibus, in quibus hujus Sac. Conc. observantia vigeat, adeò ut non intrent illæ quæstiones, quæ in aliquibus Ditionibus cadere solent ratione limitationis contentæ in eodem Decreto conciliari ob immediatam scilicet Regis, vel alterius Principis protectionem, quando hæc verificari dicatur necnè sive ob contrariam consuetudinem, ob quam prætendatur hujusmodi conciliaria Decreta, in toto, vel in parte, non esse usu recepta. 2

Tunc nullæ, vel nimiùm raræ desuper audiuntur quæstiones super ipso jure visitandi in genere, ac super jure demandandi ea, quæ concernunt hospitalitatem, sivè Divinum cultum, aut circa ipsa ecclesiastica, vel pia opera, quæ instituto exercentur, sed cadunt quæstiones circa ea, quæ respiciunt meram temporalitatem; Sive quia Ordinarius velit, ultra contenta in his decretis, ejus dilatare fimbrias, atque sub prætextu visitationis, vel revisionis rationū, procurationis, vel alias contributiones exigere, aut de redditibus participare, ut in aliquibus diœcesibus vidi practicatum, adeò ut ea aliàs supra insinuatis, occasione agendi de visitatione diœcesis in genere, hujusmodi emolumenta haberi soleant in nota tanquam fructus certi, & corpora redditruum.

Super hoc enim desuper haberi solent recursus ad hanc S. 3
Congregationem Concilii, vel ad alteram Episcoporum, à quarum una, vel altera, opportunæ dantur provisiones, seu manant declarationes, quarum plures recensentur per consuetos Collectores, aliævè circumferri solent manuscriptæ, quarum notitia opportuna quidem, & cōgrua est, quoniam præcedētibus declarationibus nimiùm deferri solet pro decidendis casibus, qui jam decisi similes videantur; Non tamen (ut supra initio, seu in proœmiali parte advertitur) mordicus, ac ad literam in eis immorandum est per ipsammet

Con-

Congregationem, quoniam tot sunt casus, in quibus omnimoda verificetur similitudo, cum sæpius ex diversis locorum, ac personarum, & operum, ac temporum circumstantiis diversimodè decernere congruat, prudentialiter regulis quandoque id exigentibus, præsertim inspiciendo finem, seu animum, ex quo Ordinarius se ingerere velit, & quandoque inhibendo, & quandoque certum modum præscribendo.

4 Prout etiam quæstiones cadunt super altera limitatione in eisdem Decretis contenta, quando lex fundationis aliter suadeat, cùm desuper variæ habeantur resolutiones, ac etiam opinionum diversitates; super dictæ legis intelligentia & an respectu visitationis, specifica, seu individua mentio necessaria sit; Sive an, & quæ dignoscatur differentia inter dispositionem contentam in uno Decreto super visitatione, & contentam in altero super jure petendi redditiones rationum, sive illas revidendi; Ideòque revera nulla desuper certa, & determinata regula generalis cuicunque casui applicabilis statui potest. *a*

5 Hinc proinde, pro meo judicio, error est, quando aliqua desuper circumfertur declaratio, quæ alicujus particularis controversiæ occasione prodita sit, absque alio discursu, in eo firmiter, ac ad literam immorari, quoniam, ubi non sint declarationes generales, quæ pro alicujus decreti conciliaris interpretatione in genere prodierint, haberi quidem debent in consideratione pro quadam norma; Sed principaliter est reflectendum ad singulorum casuum individuas circumstantias, ex quibus super eodem puncto, qui penè identificus videatur, frequenter congruit diversimodè decernere.

6 Præsertim verò circa fundationis legem reflectendum est, an illa secuta sit ex causa onerosa, & correspectiva, adeò ut congruant ea, quæ habemus in legibus, quæ in limine fundationis adjiciantur etiam contra Canonum, vel Conciliorum dispositionem in Ecclesiis, ac beneficiis de jurepatronatus cum similibus.

7 Cumque in eisdem Decretis, altera contineatur exemptio, ubi fundator adhuc vivat, hinc propterea quæstiones pariter oriri solent, in quibus hæc exemptio intelligenda sit, an scilicet in temporali administratione tantùm, non autem in iis, quæ spiritualitatem, vel pietatem concernunt, ne sub illius nomine, vel pallio, ea fiant, quæ non licent, atque ita
8 abusus inducantur, Ideòque ubi locorum Ordinarii divina, spiritualia zelantes in his tantùm immorentur, non autem in temporalium administratione, pro lucro, & emolumento se ingerere satagant, tunc nullæ, vel nimiùm raræ sunt quæstiones, quæ cum laicis habeantur; Et præsertim circa istam exemptionem fundatoris viventis quæstiones cadant,
9 an ea sit adaptabilis illis personis fictis, vel intellectualibus, quæ nunquam moriuntur, ut sunt Communitates, aliavè similia corpora, ut in meis jurisdictionalibus annotationibus insinuatur. *b*

10 Exemptionum privilegia, hujusmodi quæstionibus frequenter ansam præbere solent, ubi præsertim, de illis hospitalibus aliisvè piis locis agatur, quæ in Lateranensis Basilicæ solo constructa sint, ob ejusdem Basilicæ Apostolica privilegia exemptiva, quibus regula assistit, quoties ratio curæ animarum, & administrationis sacramentorum contrarium non suadeant, ut in eisdem jurisdictionalibus annotationibus advertitur, ubi etiam de aliquibus hujusmodi privilegiorum declarationibus, sive quando talis constructio adesse dicatur, ut privilegia intrent. *c*

11 Idemque in iis confraternitatibus, vel piis locis, & institutis, quæ in regularium Ecclesiis exemptis, vel in Monasteriis existant, cum ex legibus fundationis, atque ex retroacta observantia, potissimum verò ex dicta distinctione eorum, quæ pietatem, & spiritualitatem, ac respectivè temporalitatem concernunt, decisio, pendere soleat pro facti qualitate, ideòque certa regula generalis cuicumque casui indefinitè adaptabilis non de facili statui potest. *d*

12 Ubi verò de illis temporalibus Ditionibus agatur, in quibus, ex consuetudine, vel particularibus privilegiis, seu legibus, & stylis, diversa habeatur prætensio, multò minùs certa desuper dari potest regula, ideòque integrum in hoc relinquendo locum veritati, prudentiales potius, quàm legales regulæ pro casuum contingentia, in hujusmodi quæstionibus decidendis adhiberi solent, ac debent, antiquæ observantiæ nimium deferendo, cum novitates frequentiùs inconvenientia producere soleant, cum praxis sæpius doceat, ut in eadem Ditione varia sit locorum, ac diœcesum observantia, sive in eodem loco sit lex fundationis, plurium quamvis consimilium piorum locorum, vel operum, ideoque observantia, sive in eodem loco varia sit lex fundationis, plurium quamvis consimilium piorum locorum, vel operum, ideoque observantiæ nimium deferendum videtur.

Potissime verò Ordinarii, aliique Prælati monendi sunt (atque aliàs agendo, severè corrigendi) ut bono animo, atque ex solo spiritualitatis, vel pietatis zelo, istorum conciliarium Decretorum praxim servent, cum zelantibus, ac 13
probis Prælatis, qui ex solo in hoc se ingerant, eò quia verè abusus existat, non de facili se opponant laici, ut egomet expertus sum, ideòque facti potiùs, quam juris istæ quæstiones videntur pro singulorum casuum circumstantiis decidendæ.

a *de his habetur sub tit. de jurisd. disc. 40. & 41. & seqq. & 95. & plura collegit Pignat. consult. can. 113. lib. 1.*
b *d. disc. de jurisd. c disc. 38. & 39. de jurisd.*
d *d. disc. 40. cum plur. seqq. de jurisd. & de Regul. disc. 50.*

Ad Sessionem septimam c. 13. sess. 14. c. 12. & 13. & sess. 25. de Reform. cap. 9.

S U M M A R I U M.

1 *DE iis quæ continentur in his Decretis.*
2 *In jurepatronatus privatorum Concilium nil innovavit, sed innovatio est in personis potentibus, & qui sint potentes.*
3 *Data potentia, requiritur situatio beneficii sub ejus jurisdictione.*
4 *Jurisdictio præterita quamvis cessata, induxit potentiam.*
5 *Qui sint Principes exceptuati à dispositione conciliari.*
6 *Ad effectum potentiæ attenditur origo.*
7 *An attendatur potentia si Episcopus sit potentiæ majoris?*
8 *Non datur potentia in personis Ecclesiasticis, licèt habeant jurisdictionem.*
9 *Ubi constat de titulo expresso fundationis, & dotationis non intrat Concilium.*
10 *Quod propriè inter dispositio conciliaris.*
11 *De signis probationis jurispatronatus privatorum, & ad quid hæc deserviant etiam in potentibus.*
12 *De forma probationis conciliaris, & præsertim de immemorabili, ejusque requisitis.*
13 *An testes vassalli sint idonei ad hanc probationem.*
14 *Quale tempus sit subducendum ratione litis.*
15 *An actus qui continent protestationes, debeant deduci?*
16 *De requisito immemorabilis, ut non constet de initio.*
17 *An immemorabilis possit probari per scripturas.*
18 *De altera specie probationis per plures præsentationes.*
19 *An sufficiant duæ ad pluralitatem?*
20 *Quomodo probetur effectuatio.*
21 *An media præsumatur?*
22 *De cautela habendi penes se acta, & processus.*
23 *Præsentationes an justificentur per scripturas privatas?*
24 *De causa universali, & an probatio quoad aliqua, suffragetur quoad omnia.*
25 *Quando causa universalis noceat ratione inverisimilitudinis.*
26 *Probatio rigorosa non requiritur inter compatronos agentes de pertinentia.*
27 *De institutione, a quo fieri debeat.*
28 *De rationibus, ob quas institutio est necessaria.*
29 *In beneficiis de jurepatronatus habentibus annexam curam animarum, quod agendum.*
30 *Capitulum Sede vacante habet jus instituendi.*
31 *De beneficiis ad nominationem, vel præsentationem Academiarum, & universitatum non potentium, quid Concilium innovet.*
32 *De prohibitione patroni ne se ingerat in administratione Ecclesiæ, & perceptione fructuum.*
33 *De revocatione facta per Concilium privilegiorum, & quando intrent Constitutiones revocatoriæ, vel reservationes Apostolicæ.*
34 *De eodem, & quando juspatronatus dicatur de justitia potiùs quàm ex gratia, & privilegio.*

D I S C. XI.

AGitur in his Decretis de materia jurispatronatus, tam 1
circa illius probationem, quàm circa modum instituendi eos, qui à patronis præsentati fuerint, ac etiam de patronorum prohibitione, ne se ingerant in administratione bonorum spectantium ad Ecclesias, vel in fructuum perceptione;

ne; Necnon de jurispatronatu privilegiorum revocatione; Ideòque de his distinctè agendo.

Quatenus pertinet ad primum; Receptum est, quod per ultimum Decretum contentum *in sess. 25. cap. 9.* circa probationem jurispatronatus privatorum, quales dicuntur omnes quibus potentium nomen non congruit, nihil innovatum est, sed integri remanent termini juris communis super hujusmodi justificatione per quascumque probationis species etiam per præsumptiones, & adminicula, ex iis quæ in meis annotationibus in sua materia habentur. *a*

2 Innovatio itaque solùm facta est respectu potentium, quorum nomine, illæ personæ singulares veniunt, quę jurisdictionem, in dominio pleno, vel utili tantùm, in loco habeant, sub Baronum & Domicellorum, vel consimili nomine explicari solitę, sive locorum Communitates, quę alicubi universitates dicuntur, sub quarum nomine in hoc proposito veniunt illi Magistratus, seu illa collegia, vel corpora ficta, quæ loci universum populum repræsentant; Secùs autem ubi agatur de aliqua communitate, vel universitate, quæ licèt plurium personarum constitutiva sit, attamen comparatione totius populi, privatam potiùs, quàm publicam personam repræsentat, quia nempè sit universitas aliquorum artificum, seu professorũ, aut aliqua pia confraternitas laicorum, aut aliquod collegium, &c. cum similibus; Cadente difficultate, ubi sit universitas alicujus partis, vel contratæ loci, seu populi, puta omnium habitantium intra limites alicujus parochiæ, vel in aliquibus viis, seu cõtratis.

Posita etenim qualitate universitatis, vel communitatis constitutivę totius populi, vel alicujus partis, ut supra, tunc non requiritur illa jurisdictio, quæ consistat in cognitione causarum, ac in imperio, & in gladii potestate eo modo quo in Baronibus, ac locorum Dominis, aliisque personis singularibus requiritur; Sed sufficit illa minor jurisdictio, quæ communitatibus inest, colletandi cives, & incolas, eosque convocandi ad consilia, seu parlamenta, aliasque publicas, & populares functiones, adeòut ei conveniant illa, quæ in jure communi disposita sunt de juribus universitatum, earumque Magistratibus, & Decurionibus. *b*

3 Respectu verò personarum singularium, jurisdictio, vel dominium publicum, ac territoriale loci, sive sit in feudum, sive in allodium, hanc inducit potentiam, quatenus in eodem loco existat beneficium, de cujus patronatu agitur; Secùs autem si ille, qui sit dominus aliquorum locorum, etiam cum aliquo dominio supremo, ac jure Principatus, jus patronatus possideat in diverso loco, in quo nullam habeat jurisdictionem, vel dominium publicum, ac territoriale, cùm ibi jure privati censeatur. *c*

4 Nisi de præterito tale dominium publicum, ac jurisdictionem habuerit ipse, vel illi, à quibus causam habeat, deindeque per devolutionem, seu alio modo cessaverit, quoniam adhuc sufficit illa antiqua qualitas, ex qua resultat alia mala præsumptio, de qua infra. *d*

5 Cùm autem in hoc Decreto excipiantur, non solùm Reges, sed etiam illi Principes, ac Duces & Domini, qui jura regni in suo dominio habent; Hinc difficultas intrat in possessoribus feudorum, quæ verè Regalia sint, & dignitatis, quia nempè præter illud dominium quod altum, seu altissimum dicitur, illamque superioritatem, quæ pro majori temporis parte habitualis, seu intellectualis, absque exercitio reamet vulgò *sovranità*, nuncupata, reliqua omnia regalia etiam majora, seu primi ordinis transeunt in feudatarium adeòut circa jurisdictionem, ac imperium absoluti sint, nullumque alium habeant superiorem, eisque congruat Juristarum assumptum, ut tantam habeant ibi jurisdictionem, quantam habet Imperator in suo Imperio; sive (quod magis est) si tale dominium non habeant, & possideant in eo puro, ac vero allodio, per quod alter recognosci non dicitur, nisi Deus. De facto tamen, atque communi æstimatione Baronum, seu Domicellorum potiùs, quàm Principum jure censeantur, quia nempè minoris potentiæ sint, neque exercitum habeant, neque jus belli, & pacis cum aliis Principibus de facto exerceant; Illi etenim, quamvis de stricta juris censura, abstractè, seu theoricè, eadem jura regni vel Imperii habeant, quæ habent alii consimiles feudatarii veræ dignitatis, eamdemque obtineant dignitatem, seu nuncupationem, adhuc tamen non veniunt sub nomine illorum Principum, & Ducum, ac aliorum, de quibus istud conciliare decretum loquitur; Eodem modo quo non veniunt sub illis præeminentiis, ac prærogativis, quæ hujusmodi Principibus per cæremoniale conceduntur, cùm jus Regni ad hos effectus propriè verificari dicatur in illa majori potẽtia, per quam de facto in supremorum Principum sphæra recenseantur, & quos in Italia vulgò Potentatus dicimus, non autem veniant alii inferioris ordinis, quamvis dominium sit in feudo, vel in allodio ejusdem qualitatis & naturæ, eademque jura regalia secum ferat. *e*

6 Item circa hujusmodi potentiam, ob quam istud conciliare decretum intret, attenditur origo, non autem status præsens, ideòque nil refert, quod de præsenti juspatronatus possideatur à persona potenti, si ad eam constet ex successione, vel alio titulo obvenisse à persona privata, de cujus legitima possessione constet, cùm tunc persona potens ejus authoris personam, ac jura repræsentare dicatur, ideòque privati jure potius censendus veniet; Et è converso nil refert, quòd ille, qui de præsenti possidet, sit persona privata, quinimò etiam pia, vel ecclesiastica, si causam habeat à potente, cujus personam ita repræsentare dicitur; Nisi diuturna possessio, aliæque circumstantiæ accedant, ex quibus dici valeat purgata macula illius malæ præsumptionis, quæ in potentibus causa fuit hujus legis, ut in meis singulorum casuum annotationibus in hac materia jurispatronatus advertitur. *f*

7 Et quamvis alias dubitatum sit, an jurisdictionalis, vel communitativa qualitas, ex qua ista potentia resultat in consideratione habenda sit, ubi agatur de beneficio sito in diœcesi, cujus Episcopus majorem jurisdictionem, majoremque potentiam habeat, quasi quod ita cessare dicatur legis ratio; Verius tamen est, magisque receptum, ut id non excuset. *g*

8 In sæcularibus tamen personis, vel communitatibus, ista potentia in consideratione habetur, secùs autem in ecclesiasticis, non quidem accidentaliter, quia nempè, Baro, seu loci dominus, in ecclesiastico statu jure personali sit constitutus, sed quia dominium, seu jurisdictio, ratione Ecclesiæ, seu ecclesiasticæ jurisdictionis competat, adeòut verè penès Ecclesiam residere dicatur ipsum dominium, cui annexum sit juspatronatus, persona verò Prælati habeat solum exercitium jurisdictionis ac imperii, cum in hac specie, dominorum potentiam coæqualem in loco habentium æquè ac domicelli, habeant illi Prælati. *h*

9 Posita verò hac potentia, adeòut ista conciliaris lex possessori congruat; Altera intrat distinctio, an jurispatronatus justificatio deducatur ex titulo explicito fundationis & dotationis; Et tunc pariter jus commune incorrectum remanet, neque desuper ab ista Conciliari lege aliqua statutum est, nisi circa modum probationis, hujusmodi expliciti tituli fundationis, & dotationis, per authentica scilicet documenta, seu per alias species probationis, alias tamen quam per testes, de quibus Concilium in hac materia confidere noluit, nisi quatenus illi deserviant pro documentorum adminiculo, seu corroboratione, quia nempè circa formam probantẽ aliquam pati valeant difficultatem, quæ per adminicula tollatur, juxta ea, quę generaliter in probationum materia habentur, cùm tali casu principale fundamentum, non in testibus, sed in documentis, consistere dicatur; Secus autem, ubi casus esset controversus, pro facti qualitate, & circumstantiis prudenti arbitrio pensandis, ideòque non de facili certa & determinata regula generalis, cuicunque casui applicabilis desuper statui potest, cùm veriùs videatur, ut ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis id pendeat. *i*

10 Istud etenim conciliare Decretum verè, ac propriè illum casum percutit, in quo, ex sola antiqua possessione, jurispatronatus justificatio à potenti persona deducatur, ejusdemque Decreti ratio ex communi, receptoque sensu consistit in mala usurpationis pręsumptione ratione potentiæ, ob quam ecclesiastici superiores contradicere ausi non sint, seu quod ob antiquiorum temporum qualitatẽ & circumstantias dissimulare, seu tolerare oportuerit; Ac propterea, quãdo ad solam possessionem justificatio non restringatur, sed allegetur titulus explicitus fundationis, vel dotationis, ad cujus probationẽ, publica producantur documenta, quę tamen aliquo indigeãt adminiculorum fomento, tunc nulla suppetere videtur congrua ratio, ob quam, etiam ex testibus, aliisque argumentis, hæc suppletio fieri non valeat, illa attendendo
11 argumenta, seu adminicula, quę in probatione jurispatronatus privatorum admittuntur, ut (ex gr.) sunt insignia in aliquibus Ecclesiæ partibus ab antiquo insculpta, vel depicta, seu Ecclesię nuncupatio, vel denominatio, ac similia in ejus propria sede recensita. *l* Ipsam quoque diuturnam possessionem capiendo tanquam unum ex adminiculis, cùm leges discretè intelligendæ sint ad limites earum rationum, spectato fine, vel effectu per eas contemplato, non autem grammaticali, vel judaico more in solo sensu literæ, præsertim si nunquam conferri consuevit tanquam liberum.

Ubi

12 Ubi verò cessante dicta via, tituli expliciti fundationis, vel dotationis, ex sola diuturna possessione, ista probatio desumatur tunc propriè intrat ista forma rigorosa, quam Concilium desuper introduxit, super copulativo scilicet concursu duplicis probationis; Primò nempè, immemorabilis benè probatæ cum suis requisitis; Et secundò plurium præsentationum per authentica documenta, quæ effectum sortitæ sint, continuato spatio annorum quinquaginta, ita que duo requisita copulativè desiderantur, adeòut unum sine altero non sufficiat.

Quatenus igitur pertinet ad primum immemorabilis; Quotidianum, nimiumque vulgatum est hodie, quomodo ea justificari debeat, cum tam occasione istius probationis, quàm etiam in materia decimarum, ac in altera jurisdictionis, vel exemptionis, cum similibus, nil fortè in Curia frequentius videatur, ut scilicet benè verificari debeant vulgaria requisita posita *per glossam in cap. 1. de præscript. in 6.* quæ sunt, ut testes aliàs ad probandum habiles, subducto tempore pupillaris ætatis, ac altero litis, deponant de visu super pacifica observantia, & possessione per annos quadraginta, ac etiam de auditu ab eorum majoribus, necnon de fama publica, de qua positivè, ac principaliter, per articulum, seu capitulum separatum deponere debent, adeout non sufficiat illa depositio, quæ fiat super illa fama, seu publicitate, ac notorietate, quæ in fine cujuslibet articuli pro quodam consueto formulario per causidicos adjici solet, quodque nunquam aliquod in contrarium gestum, dictum, vel auditum sit, adeout unus actus contrarius eam interrumpat, seu veriùs impediat, ne adesse dicatur.

Quamvis etenim vulgo aliud requisitum adjici soleat super auditu à majoribus, quod scilicet, illi ab eorum majoribus audierint, attamen verius est id esse ad superabundantem probationem, non autem ad necessitatem.

Super istorum itaque requisitorum verificatione, plures cadunt difficultates, vel quæstiones latiùs insinuatæ in meis annotationibus ad hanc materiam in judiciorum sede; *m* Primò nempè, circa testes, an scilicet præsupposita illa idoneitate, quæ in quacunque alia materia indifferenti pro concludenti probatione necessaria est, ac etiam ad minus dicta ætas annorum quinquaginta quatuor ante motam litem, ut ita subducto tempore ætatis pupillaris conclusa remanere valeat quadragenaria, obstet necne qualitas vassallagii, vel civilitatis respectivè, quia nempè testes sint subditi illius
13 Baronis, vel Domini temporalis, qui juspatronatus probare velit, vel cives illius loci, cujus diversitas, vel communitas eandem faciat probationem. Et quamvis non desint dubitantes, magis tamen receptum est, ut hæc exceptio non obstet, & probabiliter quidem, quoniam cùm agatur de facto, quod contigit in eo loco, non de facili, quàm ejusdem loci incolis id innotescit, non autem exteris; Est tamen qualitas, quæ aliqualiter de fide minuit, unde proptereà nimiùm prodesse solet mixtura testium non subditorum, quamvis ejusdem loci sint, ut (ex. gr.) sunt clerici, aliique exempti, vel quòd numerus, & qualitas, aliave adminicula, hanc suspicionem tollant; ideoque certa, & determinata regula desuper statui non potest; sed desideranda est prudentia juncta cum integritate in Judice, cujus arbitrio lex meritò reposuit, quanta fides testibus adhibenda sit.

Super altero item requisito subductionis litis, ac respectivè omninò pacifici status, quæstiones quoque cadunt, an & quæ lis, vel molestia, seu contradictio istum produ-
14 cat effectum impediendi immemorabilis probationem; Et quamvis pro generali Juristarum stylo, non desit opinionum diversitas; Probabilius pariter, magisque receptum est, ut ea lis, vel molestia, quam eventus calumniosam, vel injustam comprobet, quia nempè possessor jurispatronatus favorabilem rem judicatam reportaverit, huic probationi non obstet, sed potiùs suffragetur, secus autem, ubi id non verificetur. *n*

Prout controverti solet, an illæ protestationes, quæ pro aliquarum Episcopalium Curiarum stylo introductæ fuerunt, pro quadam cautela desumpta ex Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ stylo, quod scilicet Ordinarius insti-
15 tuendo præsentatum à patrono, in vim tamen præsentationis, non autem ex alio titulo, de ipso jurepatronatu dubitativè loquatur, quis nempè *prætensum* appellet, sive clausulam; præservativam adjiciat, *quod non exinde juspatronatus approbare intendat, quatenus de jure non competat;* Atque licèt pro eodem more dubitantes non desint, probabilius est, ut id obstare non debeat, cùm sit protestatio contraria facto. *o*

Super altero quoque requisito, quod non constet de initio, quæstiones frequentes cadunt, quod scilicet super eodem jurepatronatus aliquod Apostolicum privilegium, vel Ordinarii, sive alterius ecclesiastici superioris concessionem aliquam adesse dignoscatur, an scilicet, & quando id imme- 16
morabilis probationem destruat, vel impediat; Et licèt pariter non modica desuper opinionũ diversitas habeatur; Probabilius tamen est, magisque receptum, ut eatenus hujus tituli existẽtia hanc probationem destruat, vel impediat, quatenus duo copulativè accedant; Primò nempè ejusdem tituli productio purè, ac principaliter, ita ut per ipsum principalem, seu procuratorem, qui ad id expressum, vel præsumptum sufficiens mandatum habeat, dictus titulus ita productus sit, quod de jure denotet restrictionem ad illum tanquã unicum, sive tanquam meliorem; *p* Et secundò, idem titulus sit incompatibilis cum altero meliori, quam allegari posse, virtus immemorabilis concedit, quia nempè privilegium, ad morem alterius præsumpti tituli ac possessionis firmitatem, & corroborationem, pro majori cautela obtineri potuerit, sive quod ad alium compatibilem effectum referri valeat, cùm tota vis in incompatibilitate consistat, sive in mutatione. *q*

Atque hinc resolutum, quod licèt regula sit, ut immemorabilis per scripturas probari non possit, cùm ita dari dicatur initium, quod illi oppositum est; Adhuc tamen eadem probatio per illas scripturas fieri potest, quæ sint compatibiles, 17
quia nempè in ipsis ipsamet antiqua, & immemorabilis possessio enuncietur, vel canonizetur, adeout privilegium, non in ratione gratiæ, & privilegii, sed in ratione probativa deducatur; ideoque à facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis determinationem id recepit, neque de facili determinata regula generalis, cuicumque casui applicabilis desuper statui potest. *r*

Quo verò ad alterum requisitum plurium præsentationũ, quæ continuato spatio ad minus annorum quinquaginta effectuatæ sint, atque per authentica documenta justificentur, Cum aliquo forsan indiscreto rigore, atque ad sensum literæ 18
procedi solet, istudque requisitum frequentiùs hanc probationem impedire solet, quoniam receptum est, ut ipsæ institutiones, quamvis effectum sortitæ, ac univocæ, ad alium titulum non referibiles, ipsasque præsentationes enunciantes, ad id non sufficiunt, nisi ipsæmet præsentationes per authentica documenta justificentur exclusa testium, vel alterius speciei probatione, quod asperum quidem videtur, quoniam cùm præsentationes, quæ à patronis fiant, penès ipsos custodiendæ, & conservandæ non remaneant, sed in ipsius Ordinarii actis, ac processibus relinquantur, ita de facili inconveniens dari potest, ut Ordinarius, vel alter officialis, ad hoc, ut beneficiorũ libertatem obtineat, hujusmodi scripturas, quæ in sua potestate sunt, occultet, seu laceret; Sive quod ex Cancellarii, vel Archivistæ negligentia pereant, quodque ita jus tertii indebitè tollatur, ideoq; circumspectè in hoc procedendum videtur, spectato fine habito per Concilium, ejusque intentionis substantiam attendendo, non autem, judaico more, immorando in sola litera, cùm id ex facti qualitate cum prudenti arbitrio regulando, decisionem recipiat, ut in meis hujus materiæ particularibus annotationibus advertitur. *f*

Cadit etiam quæstio super earumdem præsentationum multiplicitate, seu pluralitate, an scilicet sufficiant duæ, quæ 19
adeo diuturno tempore effectum sortitæ sint, ut dictum quinquagenarium spatium concludant, atque verior videtur affirmativa; Unica verò non sufficit, quamvis idem tempus includat, cùm in ea verificari non possit numerus pluralis verbis à Concilio requisitus. *s*

Effectuationis probatio vulgatis est, ut scilicet constet, quod per mortem præsentati, vacatio respectivè secuta sit, 20
cùm id effectuationem denotet, quoties ejus possessio ad alium titulum non sit referibilis, Majorque difficultas cadere solet super verificatione continuationis, an scilicet obstet alterius intermedia possessio, de cujus causa non constet, atque probabile videtur, ut benè justificatis extremis, quæ dictum spatium includant, hujus medii præsumptio admit- 21
tenda sit; Ita tamen, quod ista præsumptio non suffragetur in dicti temporis calculo, sed solùm, ut ea suffragetur ne præjudicialem introductionem causet, quoniam aliud est, ut præsumptio non suffragetur ad probationem; Aliud verò, ut illa præservet ab illa interruptione, quæ ipsam probationem impediat, vel destruat, cùm in dubio præsumendum sit ut ille intermedius possessor, de cujus possidendi titulo, vel causa non constat, vel eodem jure præsentationis beneficium obtinuerit, vel ex Apostolica provisione, quæ cum explicita, vel etiam implicita jurispatronatus derogatione facta sit,

ex regula quod Apostolicę provisiones beneficii statum non
immutant, nec alterant, nisi quoties positivè tanquam de
libero, atque cum positiva negatione jurispatronatus illas
factas esse constat. *u*

Hinc proinde, hujusmodi rigoribus stantibus, prudens
cautela est patronorum ut singulorum processuum in quali-
22 bet vacatione, & institutione, fiat instrumentum, vel sum-
ptum authenticum penes se conservandum; Cùm etiam,
quando Ordinarii sententia jurispatronatus expressè cano-
nizativa habeatur, dubium cadat, an illa sine actis suffra-
getur; Atque regula est negativa, quoties temporis antiqui-
tas, aliisque adminicula non suadeant limitationem, super
cujus admissione, non leves difficultates haberi solent. *x*

An autem authenticorum documentorum nomine, per
quæ Concilium præsentationes justificari debere præcipit,
veniant solum instrumenta publica, vel sufficiant etiam
23 scripturæ privatæ, quarum veritas sufficienter justificata sit,
dubium est; Itaque posterior pars verior, magisque recepta
est, ut sufficiant etiam privata, cùm frequentior Baronum
& Magnatum stylus sit per eorum apochas in forma illa-
rum literarum, quæ patentes vulgò dicuntur, hujusmodi
præsentationes facere. *y*

Cùm autem frequenter contingat, ut omnium alicujus
Ecclesiæ beneficiorum juspatronatus prætendatur, ista ve-
rò rigorosa probatio, benè conclusa remaneat respectu ali-
quorum, non autem aliorum beneficiorum; Dubitari con-
24 tingit, an probatio benè facta quoad aliqua beneficia, suf-
fragetur quoad omnia? Et quamvis regula sit negativa,
super probationis extensione, non admittenda de casu ad
casum, vel de re ad rem; Ea tamen limitari solet, quando
causa universalis ita suadeat, quia nempè allegatio tituli,
quæ in vim immemorabilis fieri potest, percutiat ipsius
Ecclesiæ fundationem, vel dotationem, unde propterea
resultet causa universalis omnium beneficiorum; Fortius
autem si hæc allegatio, quæ ex virtute immemorabilis con-
ceditur, aliqua habeat extrinsecum adminiculorum fo-
mentum pro facti qualitate, & circumstantiis, à quibus
totum pendet, ideoque certam non recipit regulam. *a*

Quemadmodum autem proficua est causæ universalis al-
legatio, quoties ad unam, vel plures certas Ecclesias restrin-
25 gatur, ob fundationis, ac dotationis possibilitatem; Ita è cō-
verso est nociva, ubi ea sit nimium universalis, pro omnibus
scilicet alicujus loci, vel Ditionis beneficiis, ob nimiam im-
probabilitatem, quod ab eo omnes Ecclesiæ fundatæ, ac
dotatæ sint, cùm à nascentis, seu primitivæ Ecclesiæ ini-
tio, Ecclesiæ jam fundatæ, ac dotatæ supponendæ sint,
priusquam hujusmodi Baronum, ac Dominorum tempo-
ralium, præsertim utilium & subditorum, usus introdu-
ctus esset, circa Ecclesias parochiales, quæ decimarum, ac
parochialium jurium & emolumentorum connaturalem, &
quodammodo necessariam annexam dotem habeant; Ubi
etiam hæc adeò inverisimilis universalis possessio accedat,
tunc privilegio potiùs ea referenda est, atque impedita rema-
nere videtur illius præsumptæ, vel possibilis dotationis, vel
fundationis, quam in vim immemorabilis allegare licet. *b*

Omnium autem præmissorum rigorosa probatio, tunc
necessaria est, quando de beneficii statu cum Ordinario,
26 vel cum proviso tanquam de libero contentio sit; Secus au-
tem, ubi Ordinario in causa non existente, non de jurepa-
tronatus existentia, sed solum de pertinentia contendatur,
cùm tunc inter ipsos compatronos nulla potentium, ac pri-
vatorum differentia cadat, neque desuper per Concilium
juris communis dispositio alterata sit. *c*

Altera est lex Conciliaris circa instituendi potestatem, ac
modum; Siquidem quoad institutionem ad præsentationem
27 patronorum, nil de novo statuit, nisi quod præsentatio
fieri debeat coram Ordinario, vel alio superiore, ad quem
alias de jure beneficii collatio spectaret, ubi illud esset libe-
ræ collationis, atque in hoc Concilium in nihilo alteravit
dispositionem juris communis, seu legem particularem
fundationis, aut aliam consuetudinariam, seu privilegia-
tam instituendi potestatem, de qua in propria Jurispatrona-
tus sede agitur; Solumque istud decretum prodiit ad tol-
lendos abusus, qui forsan irrepserant, ut præsentati non ex-
pectantes legitimam ecclesiastici superioris institutionem,
in vim solius præsentationis in possessione beneficii, ac per-
ceptione fructuum se intruderent, quod utique abusum ma-
nifestum continebat.

Siquidem institutio ex pluribus causis de jure necessaria est;
Primò nempè, quia ubi agitur præsertim de beneficiis in ti-
28 tulum, laicali potestati concedenda non est institutio, nisi
Sedis Apostolicę speciale indultum accedat, quod rarum est;
Secundò, ne beneficia obtineantur per inhabiles, vel per in-
dignos, ideoq; per ecclesiasticum superiorem capacitas, tam
circa literaturam, quam circa mores investigetur; Tertiò, ne
absque legitimo jurispatronatus titulo in beneficiis liberæ
collationis, sæculares & præsertim potentes se intrudantur.
Quartò, ut ita non præjudicetur compatronis, vel aliis jus
habentibus, unde propterea secuta vacatione, factisque præ-
sentationibus per aliquos, praxis inolevit affigendi edicta,
pro jure, ac interesse aliorum, quoties de jurepatronatus pri-
vato agatur, cujus exercitium penes plures esse possit, quia
nempè sit gentilitium, vel hæreditarium, aut penes unum de
aliquo genere habentem certam qualitatem, quæ à pluribus
ejusdem generis personis prætendi potest; Secus autem, ubi
competat ratione Principatus, vel officii, seu dignitatis, ad-
eout notorium sit ad quem tantùm privativè competat; Et
quintò demùm, ad effectum inspiciendi, an infrà legitima
tempora, & juxta leges fundationis præsentatio fiat.

Adeòque verum est, ut in hac parte Concilium in nihilo
alteraverit juris dispositionem, quod licet agatur de benefi-
ciis habentibus annexam curam animarum, etiam de jurepa-
tronatus laicorum, cùm exemptionis privilegio, atque cum 29
institutione à Prælato exempto, adhuc tamen approbatio
ratione curæ pertineat ad Ordinarium, saltem de jure dele-
gatæ jurisdictionis, ut advertitur infrà occasione providēdi
beneficia curata; Adhuc tamen secuta Ordinarii approba-
tione, institutio facienda est per eum, ad quem aliàs ex le-
ge fundationis, vel ex consuetudinis, sed ex privilegio perti-
net, quamvis esset inferior Prælatus, imò etiam persona ec-
clesiastica, absque jurisdictione, ac formali Prælatura. *d*

Ordinarii autem appellatione in hoc proposito venit Ca-
pitulum sede vacante, tam circa approbationem, quàm
circa institutionem, quamvis in jure conferendi beneficia 30
libera, vel etiam de jurepatronatus devoluta, in Episcopali
jurisdictione non succedat, ut advertitur infrà agendo de
potestate Capituli, Sede vacante.

Illud autem, quod à Concilio de novo statuitur, consistit
in examine per Episcopum faciendo, ejusque approbatione,
in iis beneficiis, quę formiter non sint de jurepatronatus, sed
ex privilegio, vel consuetudine ad alicujus universitatis, vel 31
corporis, aut respectivè personę ecclesiasticę nominationem
vel electionem conferenda sint, quorum praxis nimiùm ra-
ra est in Italia, frequens autem in Hispania, præsertim in
diœcesi Calagurritana, & frequentior in Germania penes
illas præsertim universitates, vel academias, quarum plures
ex diversis privilegiis ab hoc decreto exemptæ sunt; ideòque
uniformis regula generalis non de facili desuper habetur; Il-
læ siquidem provisiones, quæ in Italia ad Capitulorum,
aliorumque corporum, vel personarum ecclesiasticarum
nominationem fiunt, ut plurimum sunt de perpetuis Vica-
riis illarum Ecclesiarum parochialium, quæ alicui Capitu-
lo, vel Monasterio, seu dignitati unitæ sint, unde pro-
pterea ad præscriptum Constitutionis S. Pii V. provideri de-
beant ad nominationem ejus, cui rectoria, seu cura habi-
tualis incumbat ratione unionis, juxta ea quæ inferiùs ha-
bentur agendo de modo providendi Ecclesias curatas.

Altera conciliaria provisio in his Decretis contenta, ad
tollendos pariter abusus, qui desuper irrepserant, strictam
continet prohibitionē patronis, ne in administratione tem-
porali, ac perceptione fructuum bonorum Ecclesię, vel be- 32
neficii de eorum jurepatronatus se ingerant, sub pęna priva-
tionis sui juris, de qua ejusque praxi, vel respectivè excusa-
tione in sua peculiari jurispatronatus sede habetur, & cùm ni-
mium rara sit in foro ista pœna, ex quo in privatis patronis
Episcopi, aliique Ordinarii invigilāt, ac non de facili id per-
mittunt; In Regibus autem, aliisque supremis Principibus,
qui Regum jure regulantur, Apostolicæ concessiones, seu
antiquæ consuetudines, diversam frequentiùs normam
præbent super jure administrandi, præsertim sede vacante.

Demū in hac jurispatronatus materia, ista lex conciliaris
de novo statuit revocationem omnium privilegiorum, quæ 33
desuper à quadraginta annis citra concessa essent, aliorum
antiquiorum revisionem demandando, istaque revocatio
innovativa est aliarum præcedentium, quas Innocent. VIII.
& Adriani VI. Constitutiones continent, Eaque de illis pri-
vilegiis intelligenda est, quæ purè, ac simpliciter sint talia,
adeout ex mera gratia, absque alicujus causę onerosę mixtu-
ra concessa sint; Secus autem, ubi dicta mixtura causę one-
rosę accedat, quamvis præponderantia non adsit, cum ista, ex
qua jurispatronatus natura metienda est, an ex gratia, vel ju-
stitia competat, non istum conciliaris revocationis effectum
percutiat, sed aliū diversum, exemptionis scilicet, vel respe-
ctivè subjectionis Apostolicis reservationibus, ac affectio-
nibus,

bus, quibus subjacent beneficia de jurepatronatus laicorum, ex gratia, & privilegio, non autem subjacent illa ex fundatione, vel dotatione, quæ de justitia competunt; Unde propterea quæstio cadit in casu mixto, qui de utroque extremo participet, quia nempè sit juspatronatus ex privilegio Apostolico concesso tamen ex aliqua onerosa, putà augmenti doris, vel restaurationis Ecclesiæ, vel simili, an scilicet, & de qua qualitate hoc juspatronatus participare dicatur ad dictũ effectũ subjectionis, vel respectivè exemptionis, quoniam licèt apud antiquiores id sub non modica quæstione fuerit, attamen hodie materia plana est, ut scilicet præponderantia attendi debeat; Si enim augmentum dotis sit inferius, quàm antiqua Ecclesiæ, vel beneficii dos esset, tunc dicitur competere ex gratia, & privilegio, secus autem, si è converso superaret, ex regula, quòd actio, vel qualitas desumitur à præponderanti; Ea benignitate cum laicis adhibita, ut data æqualitate, quia nempè tantum importet antiqua dos, quantum augmentum, istud præponderet, atque operetur, ut concessio potiùs ex justitia, quàm ex gratia censeatur. *f*

Super antiquę verò dotius regulationa ad effectũ metiendi dictam præponderantiam quæstiones cadere solent super
34 reddituum, ac emolumentorum qualitate, an scilicet, & quæ veniant in valore, seu calculo, dubitandi ratione manante, ex beneficiali regula, ut in valore veniant solùm certa, non autem incerta; Id autem ad hunc effectum recipiendum non est, cùm alia sit valoris regulatio, ad effectum satisfaciendi regulæ beneficiali, quæ in materia valoris habetur; Aliud verò ad hunc effectum regulandi Ecclesiæ dotem, quæ sufficiens, & congrua, quinimò pinguis esse potest, ita benè provisos habens rectores, aliosque ministros, cum illis emolumentis, quę licèt de stricta juris censura certorum fructuum nomen non mereantur, neque naturam habeant ad prędictę regulæ effectum, adhuc tamen ex eis resultat Eccl. provisio, pro qua dos desideratur; Et consequenter ad regulandam dotem pro isto effectu probabilius est, ut in consideratione haberi debeant, ut latiùs distinguendo in meis particularibus adnotationibus super jurispatronatus materia advertitur; Ibique etiam magis distinctè agitur de ista conciliari revocatione, ac etiam de altera contenta in insinuatis Innocentii Octavi, & Adriani Sexti revocatoriis Constitutionibus hujusmodi privilegiorum. *g*

a *sub tit. de jurepatron. disc.* 57. b *eod. tit. disc.* 58.
c *eod. disc.* 58. d *ibid.* e *eod. t. de jur. patr. disc.* 1. *&* 2. *&* 58. f *eod. t. disc.* 5. *&* 6. g *d. disc.* 2. *&* 3. *&* 58.
h *eod. disc.* 58. *& in aliis.* i *& eisdem disc.* 3. *cum seq. &* 58.
l *disc.* 3. *& disc.* 57. *eod. t.* m *sub t. de judiciis agendo de præscriptione disc.* 28. n *eod. disc.* 58. *& in aliis eod. tit. de jur. patr.* o *eod. t. disc.* 4. p *de hoc puncto productionis sub t. de Reg. disc.* 47. q *dec.* 29. *p.* 7. *rec. &* 218. *p.* 6. *& sæpius eod. t. de jur patr. disc.* 2. *& seqq.* r *ibidem.* s *eod. tit. disc.* 3. *& seqq.*
t *ibidem.* u *eod. tit. sæpius.* x *ibidem.* y *ibidem.*
a *d. disc.* 3. *& in Terracinen. jurispatr. de qua in supplemento eod. t. in qua ista consideratio canonizata fuit.* b *in eadem Terracinen. in supplemento.*
c *d. disc.* 58. *eod tit* d *sub tit. de Paroch. disc.* 37. *& in aliis ibid.* e *eod. t. de jur. patr. disc.* 12. *& in aliis.*
f *eod. t. disc.* 10. *&* 65. *& in aliis.* g *eod. tit. disc.* 10. *&* 65.

Ad eandem sessionem 14. cap. 7.

S U M M A R I U M.

1 *Agitur de clerico homicida pro dispensatione ab irregularitate, & incapacitate beneficiorum.*
2 *Quomodo dari soleat dispensatio ab irregularitate.*
3 *De declaratione super non incursu irregularitatis.*
4 *De incapacitate assequendi, vel retinendi beneficia ob homicidium.*
5 *Secus est in pensionibus Ecclesiasticis.*
6 *An, & quando per homicidium, vel per bannum capitale incurratur privatio beneficiorum?*
7 *De privatione per sententiam contumacialem.*
8 *Quare per militiam amittantur beneficia, & pensiones?*
9 *Pro assecutione diffamatio obstat.*
10 *Etiamsi adsit sententia absolutoria, & quando.*
11 *&* 12 *Et quando Episcopus dispenset huic irregularitati.*
13 *An dispenset subdito moranti extra suam diœcesim.*

D I S C. XIII.

De clerico homicida in præsenti Decreto agitur, tam ad effectum dispensationis ab irregularitate, quàm etiam circa beneficiorum capacitatem, vel incapacitatem. 1

Quatenus ergo ad primam partem, super dispensatione irregularitatis pertinet, dum ea in foro non agitur, quoniam, Aut homicidium est occultum, & tunc id pertinet ad Pœnitentiariam; Aut verò illud publicum est, & tunc illi non dispensatur nisi per Papam, per organum Datariæ vel Secretariæ Brevium, prævia tamen consultatione hujus Sacræ Congregationis Concilii, cui supplicatio remittitur, ideoque per eam examinantur delicti circumstantiæ, & an illud 2 sit commiseratione dignum, necne, ponderando, an ex improviso, vel appensatè, istoque secundo casu ponderantur circumstantiæ aggravantes, vel minuentes, præsertim diuturnitatis temporis, & majoris, vel minoris scandali in populis cum similibus; Cum præsupposito tamen, quod certus sit irregularitatis incursus.

Ubi verò ille per homicidam negetur, putà quia sit casuale, vel ad necessariam defensionem, idque ab Ordinario controvertatur, sive quod idem ejus conscientiæ magis 3 consulere velit, aut pro tollendo omnem occasionem scandali in populo, tunc proceditur per viam interpretationis, vel declarationis, quod scilicet cum distincta narratione casus, ejusque circumstantiarum; ipsa Sacra Congregatio consulitur, an adsit necne, incursus irregularitatis, ad sacrorum Canonum præscriptum, quorum vestigiis, absque alia innovatione, in hoc præsuppositivè inhæret istud conciliare Decretum.

Quo verò ad aliam partem capacitatis, vel incapacitatis assequendi, vel retinendi beneficia ecclesiastica; Distinctio est, an agatur de assequendis post homicidium, vel de iis, quæ priùs jam obtenta erant, ac possidebantur; In primo 4 enim casu, illud præstat inhabilitatem, eo modo quo præstant aliæ irregularitates, adeòut, non prævia dispensatione, provisio invalida sit, sive Apostolica, sive Ordinaria esset, & consequenter passim dantur impetrationes ex ista causa contra eos, qui de facto illa obtinuerint.

Non tamen hæc incapacitas obstat pro assecutione pensionum ecclesiasticarum, quoniam ut in sua sede, ac alibi pluries advertitur, pensiones verè, & propriè non habent 5 naturam beneficiorum, sed important quid merè temporale super fructibus, cùm nullum jus tribuat in, vel super Ecclesia, seu beneficio ejusque administratione, solumque ex quodam Curiæ stylo exigunt clericatum, atque redolent quodam jus spiritualitati annexum, ut prohibita sit contrectatio earum substantiæ, non autem commoditatis mediante pecunia, vel alia re temporali, impropriè, & per quandam similitudinem intrantibus terminis simoniæ. *a*

Ubi verò agatur de beneficiis jam assecutis, adeout non intrent termini inhabilitatis, sed illi privationis; Regula est, quod per homicidium, privatio non incurritur, nisi talem habeat circumstantiam, ut in ejus casu per sacros 6 Canones, ita dispositum sit, ut (ex. gr.) quando adsit qualitas assassinii, & consequenter, multò minùs admittitur pensio. *b*

Idque verum, quamvis pro delicto sententia banni capitalis accesserit, quoties illa hanc privationem expressè non contineat, quoniam homicidium pro ejus qualitate, & circumstantiis aggravantibus, est quidem justa causa, ut Judex contra homicidam inter alias pœnas, ad istam privationis beneficiorum quoque procedere valeat, sed si omittit, non resultat de jure privativo. *c*

Quatenus verò ad eam procedatur per sententiam contumacialem, adhuc vacatio in pendulo est infrà annum, intra quem locus est contumaciæ purgationi, eo autem elapso, 7 vacare dicitur cum aliquibus declarationibus, de quibus in meis adnotationibus in sua sede beneficiali. *d*

Quamvis etenim sola assumptio militiæ sæcularis, absque homicidio, vel sævis, adeout nulla incurratur irregulari- 8 tas, beneficiorum, ac pensionum amissionem causet, undè propterea à fortiori videatur, ut multò magis idem effectus resultare debeat ab homicidio voluntario, quod sine dubio inducit irregularitatem, cui quandoque ob ejus aggravantes circumstantias, nunquam dispensari solet; Non tamen hæc argumentatio intrat, quoniam amissio pensionis, vel beneficii propter militiam, non provenit ratione irregularitatis, sed ratione cessantis clericatus, qui in beneficiis de jure, in pensionibus autem de stylo Curiæ est necessarius, quasi quod clericus in minoribus se adscribendo militiæ

temporali, quæ omninò contraria est cœlesti, seu spirituali, statum omninò incompatibilem assumendo, censeatur dimittere clericatum, ex cujus cessatione, de consequenti cessant beneficia, & pensiones, non exclusis tamen aliquibus limitationibus, vel declarationibus, de quibus in eisdem meis particularibus adnotationibus in pensionum sede, præsertim verò ubi militia esset pro servitio Papæ, ac Sedis Apostolicæ sive pro defensione patriæ obsessæ, aut adversus infideles, ut ibi latiùs; *e*

Ubi verò in foro externo, ad effectum aliarum pœnarum corporalium, homicidium incertum sit, illius tamen diffa-
9 matio, seu vehemens suspicio habeatur, tunc id non præjudicat quidem beneficio ante delictum obtento, minusque alteri, quod postmodum verè obtentum sit, adeò ut impetrationem, vel collationem effectum non sortiri, redoleret pœnam formalem privationis; Secus autem ubi agatur de repellendo à beneficio assequendo cùm tunc talis diffamatio reputetur justa causa, ut in concursu, in quo de jure communi, vel conciliari, vel particulari, beneficium digniori, magisque idoneo debitum sit, ipsi diffamatus, quamvis aliàs digniori, negligi valeat, eique minus dignus, dummodò idoneus, præponatur, sive ut justam causam id præbeat denegandi institutionem illi, qui à patronis ad beneficium de jurepatronatus præsentatus fuerit. *f*

Idque verum, quamvis de tali crimine inquisitum, sententiam reportaverit absolutoriam, quoties ista, ex defectu
10 probationum, non autem ex capite innocentiæ prodierit; Multò verò magis, ubi tormenta substinuerit, cùm hæc aliquam majorem inducat diffamationem; Ista etenim species inhabilitatis non provenit ab ipso delicto tanquam pœna, cùm adhuc effectum ejus concludens probatio requiratur, sed à diversa provenit ratione, ut scandalum populo ita non resultet; Eademque distinctio intrat non solùm in homicidio voluntario, sed etiam in simonia, vel adulterio, aliisvè similibus criminibus, in quibus eadem urgeat ratio scandali. *g*

In Episcopis autem, aliisvè locorum Ordinariis, indefinitè, ubi de voluntario homicidio agatur, dispensandi potestas negatur, etiamsi de minoribus ordinibus, vel de
11 simplicibus beneficiis obtinendis agatur, ideoque irregularem promovere prohibentur, quamvis occulta esset irregularitas; Si tamen de facto promoveant, quamvis ipsi malè agant, atque sint correctione digni, ipsque promotus, ab exercitio ordinum suspendatur, adhuc tamen character ecclesiasticus pro exemptione fori laicalis (aliis requisitis concurrentibus) benè impressus est; Dispensatur autem in ea occulta irregularitate, quæ proveniat ab homicidio casuali, vel ab altero ad defensionem, quod tamen tales habeat circumstantias, ut ad sacrorum Canonum præscriptum ab irregularitatis incursu non excuset.

Ista verò dispensatio pro minoribus tantùm ordinibus, ac pro simplicibus beneficiis prodest, non autem, ultrà se
12 extendit, cum pro ordinibus majoribus, vel pro beneficiis curatis, seu pro Canonicatibus in Cathedrali, vel in Collegiata, aliisque similibus, quibus simplicium vocabulum non congruit, Apostolica dispensatio necessaria sit, quæ in occultis per Tribunal Pœnitentiariæ conceditur, vel respectivè denegatur, pro delicti qualitate, cum eisdem circumspectionibus. cum quibus in homicidio publico per S. Congregationem Concilii procedi solet.

An autem Episcopus concedat dispensationem proprio subdito extra ejus diœcesim, non derelicto domicilio, mo-
13 ranti, sub quæstione est, in qua probabilior videtur affirmativa. *h*

a *de hoc agitur sub t. de pensionib.* b *tit. de benef. disc. 70. & 71.* c *sub tit. de pensionib. disc. 49.* d *d. disc. 49. de pens. & de benef. disc. 73.* e *tit. de pension. disc. 46.*
f *d. disc. 70. & 71. de benef.* g *eodem disc 70. & 71. de benef.*
h *aliqua colligit Pignatell. consult. can. 20. apud quem concordantes,*

Ad sessionem 14. cap. 10. & 11.

S U M M A R I U M.

1 *De incapacitate Regularium obtinendi beneficia sæcularia.*
2 *Sunt etiam incapaces pensionum super sæcularibus.*
3 *Etiam signanter in Religionibus militaribus.*
4 *Declaratur de quibus militibus intelligatur.*
5 *An Canonici Regulares sint capaces.*
6 *Quid de professoribus Societatis Jesu.*
7 *Regularibus solet aliquando dispensari.*
8 *Regularia non nisi Regularibus debentur.*
9 *De sæcularizatione plurium Ecclesiarum Regularium.*
10 *De beneficiis, & dignitatibus Religionis Hierosolymitanæ, quomodo conferantur.*
11 *Non professis in hac Religione solent reservari pensiones.*
12 *An hæc beneficia dictæ Religionis sint perpetua, vel manualia.*
13 *Quare in aliis Religionibus non audiantur istæ quæstiones beneficiales.*

D I S C. XIII.

Disponitur in his Decretis, ut Regulares, beneficiorum 1
sæcularium, quamvis curatorum, incapaces omninò existant; Regularia verò non conferantur, nisi iis, qui illius ordinis habitum jam susceperint, ac religiosi sint, sive habitum suscipere, ac professionem emittere velint, eamque statutis temporibus emittant, undè propterea beneficialis propositio passim recepta prodiit, ut sæcularia sæcularibus, regularia regularibus conferenda sint, atque aliàs collatio invalida est, nisi Apostolica dispensatio accedat. *a*

Quinimò regularium incapacitas in beneficii sæcularib. 2
ad pensiones etiam Ecclesiasticas super iisdem extenditur, non solùm pro assecutione in futurum post professionem, sed etiam pro retentione beneficiorum, vel pensionum, quæ in statu sæculari legitimè obtenta sint, ac possideantur, cùm adhuc per professionem in Religione ipso jure vacatio beneficii, vel amissio pensionis resultet, nisi accedat Apostolica dispensatio præventiva, seu quæ futuræ vacationi occurrat, illamque impediat, antiquum jus conservando, potiùs in ratione curativa, quàm præservativa, quòd ad plures effectus nimiùm refert, ut in suis beneficiorum, ac pensionum peculiaribus sedibus advertitur.

Procedit autem hæc incapacitas regularium, respectu beneficiorum, vel pensionum sæcularium, ubi de illarum Religionum professoribus agatur, qui verè religiosi professi di- 3
cendi sunt, quia nempè prævio formali novitiatu, ad præscriptum hujus Trid. Conc. solemnis fiat professio, cum emissione trium formalium votorum, quamvis Religio sit militaris, ut præsertim est illa S. Joannis Hierosolymitani, dum professio in ea, eamdem producit incapacitatem, etiam respectu pensionum Ecclesiasticarum super beneficiis sæcularibus; *c* Secus autem, ubi de illis agatur militari- 4
bus Religionibus, aliisve institutis, quamvis à Sede Apostolica approbatis, in quibus id non verificetur, quia nempè per quamdam speciem, seu imaginem professionis, etiam cùm alicujus habitus particularis susceptione, quædam promissio obedientiæ, aliarumque virtutum fiat, ut (ex. gr.) est militia S. Stephani cum similibus, quoniam isti verè non sunt religiosi venientes sub clero regulari, ut pluries in meis adnotationibus advertitur. *d*

In Canonicis autem regularibus, adesse videtur quæ- 5
dam specialitas, ut servitio Ecclesiarum sæcularium curam animarum habentium addici valeant. *e*

Prout non circa novam assecutionem, sed circa retentio- 6
nem eorum, quæ in statu sæculari jam obtinebantur, specialiter habetur in Societate Jesu, non obstante prima professione, cum emissione trium votorum, quoniam donec fiat professio magis solemnis, cùm emissione quarti voti, per quam contrahitur omnimoda incapacitas, atque profitens constituitur in statu regulari irretractabili, videtur esse in quodam statu medio, ob facilem reversionem ad sæculum, non quidem ex propria electione, liberaque voluntate, ut est in iis, qui adhuc novitiatum peragunt, sed ob libertatem superioris eos dimittendi. *f*

Tam super retentione quàm etiam (licèt rarius) super 7
nova assecutione, dispensari solent regulares in pensionibus Ecclesiasticis fructibus beneficiorum sæcularium, occurrendo (ut dictum est) cessationi, quæ ex professione resultaret, nimiùm autem rarò in beneficiis in titulum collativum hæc dispensatio conceditur. *g*

Quo verò ad alteram partem, ut beneficia regularia, non 8
conferantur nisi actualibus regularibus ejusdem ordinis, vel saltem iis, qui Religionem ingredi, atque habitum suscipere, ac professionem emittere parati sunt; Exceptis illis Monasteriis regularibus, quæ Cardinalibus, ac Prælatis ex Apostolica dispensatione, ipsorum beneficiorum natura non alterata, commendari solent; Inibi alia nullus videtur hujusmodi quæstionum casus, quoniam, ut in regularium adnotationibus advertitur, omnes Religiones redactæ sunt ad formam

mam Reipublicæ, ac sociativi regiminis omnium Monasteriorum, cum distributione prælaturarum ad tempus per circulum, adeout non verificetur illa prælatura fixa Monasteriorum, quæ singulariter, ac independenter regantur, ut erat antiquitus, cum id solùm in aliquibus Germaniæ, & Galliæ, aliarumque regionum ultra montes, Monasteriis hodie praxis doceat, & quorum occasione de isto requisito, seu capacitate in Rota, vel in Sacra Congregatione Consistoriali agi solet. b

In Hispania verò, antiquiori tempore, etiam in Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis, aliisque Collegiatis, frequens erat usus Canonicorum regularium, qui ta-
9 men hodie nimiùm rarus remanet, cùm ad instar ejus, quòd prius in Italia practicatum est pro majori parte, illæ Ecclesiæ ad statum sæcularem redactæ fuerint.

Et quamvis occasione Commendarum, ac dignitatum, nempe Bajulivatuum, & Prioratuum, vel Marescialatuum Hierosolymitanæ Religionis, frequentes quæstiones bene-
10 ficiales audiri soleant, non tamen in eis iste punctus cadit, cùm ex ejusdem Religionis stabilimentis in non professis certa sit sæcularium, vel novitiorum incapacitas, hujusmodi commendas, vel dignitates obtinendi; Nisi Apostolica accedat dispensatio, quando Pontifex præveniendo ipsam Religionem; seu ejus Prælatos collatores hujusmodi beneficia confert, quandoque in titulum, & quandoque in commendam cum dispensatione dicti requisiti professionis.

In iis autem, quæ conferuntur ab ipsa Religione, ejusque M. Magistro, & Consilio, non datur iste casus, excepta quibusdam commendis, quæ militibus devotionis concedi solent, cùm hujusmodi collatio, non pendeat ab arbitrio, seu libera facultate Religionis, sed fieri debeat (respectu commendarum) per ordinem antianitatis, cùm pluribus requisitis, non solum professionis, sed etiam servitii militaris præstiti in caravanis, ac residentiæ conventualis, quodque non sit debitor ærarii, ac etiam ubi alia jam obtineatur commenda, cum ejus residentia, & melioratione; Respectu verò dignitatum, cum ordine benemerentiæ, ut latiùs magisque distinctè advertitur in meis adnotationibus bene-
11 ficialibus; l Unde propterea cum non professis, qui tamen habitum susceperint, pensionum, vel aliquorum inferiorum beneficiorum de mensa ipsarum commendarum, seu dignitatum quæstiones, quandoque audiri solent. m

De hujus autem Religionis beneficiis, aut prælaturis frequenter in foro disceptatur, eò quia licèt adhuc retineant,
12 qualitatem manualem, quæ regularibus beneficiis connaturalis est; Attamen cùm non ex gratia, sed ex justitia, conferri soleant, ut suprà, hinc proinde de facto perpetua sunt, neque amittuntur, nisi per optionem majorum.

In aliarum autem Religionum prælaturis, officium po-
13 tiùs temporalium, quam beneficiorum termini cadere videntur, ideoque super eis summariè quæstiones audiuntur solum in S.Congr. Regularium occasione electionis, quæ invalida prætenditur, sive malæ distributionis, aut remotionis infra tempus consuetum, ut in Regularium adnotationibus habetur. n

a *sub t. de benef. disc.64. & de pension. disc.44.*
b *dicto disc. 44. de pension.* c *ibid.* d *sub t. de jurisd. disc. 92. & sub t. de jurepatr. disc. 20.*
e *plura desuper colligit Pignatell. consultat. canon. 44.*
f *sub t. de Regul. disc. 63. ubi concordantes, & infra disc. 35.* g *d. disc. 44. de pension.* h *sub t. de jurisd. disc. 28. & sub t. de Reg. disc.19. & 53.*
i *t. de praeminent. disc.3. & seqq.* l *t. de benef. disc. 68. & 69. & in aliis Melev. eod. t. in supplemento.*
m *t. de pension. disc. 42.* n *sub t. de Regular. pluries.*

Ad sessionem 21. de reformat. cap. 1. & 2. & sessionem 23. cap.8. ac etiam sessionem 24. cap. 1. 2 & 3.

S U M M A R I U M.

1 *Collatio ordinum est de rebus gravioribus.*
2 *Recensentur plures provisiones conciliares in materia.*
3 *Accedente licentia proprii Episcopi nulla cadit dubitatio.*
4 *Certum est, quod in aliena diœcesi illius diœcesis clerico ordines conferri non possunt.*
5 *Neq; in aliena diœcesi conferri clerico diversæ diœcesis.*
6 *Quid de collatione facta subdito proprio in diœcesi aliena.*
7 *De collatione in propria diœcesi clerico alieno accidentaliter subdito.*
8 *De subjectione accidentali ratione domicilii, vel beneficii, aut familiaritatis.*
9 *Potest quis esse civis plurium locorum, ac subditus plurium diœcesum.*
10 *De domicilio, quando benè contractum censeatur.*
11 *De qualitate originaria quando adsit.*
12 *De familiaritate.*
13 *De beneficio ad hunc effectum.*
14 *De subjectione clerici alieni de diœcesi occupata ab infidelibus.*
15 *De Episcopis habentibus sedem fixam in aliena diœcesi.*
16 *De contentione inter Episcopos vicinores Sede vacante.*
17 *In locis inferiori Prælato subjectis, ad quem pertineat collatio ordinum.*
18 *Quid de Regularibus professis.*
19 *Episcopis titularibus interdicta est ordinatio etiam familiarium.*
20 *De Episcopis Græcis.*
21 *De ratione ritus græci etiam in Italia, & frequentia exiguorum Episcopatuum.*
22 *An dentur duo Episcopi in una Ecclesia?*
23 *Episcopus an sit vicarius alterius Episcopi.*
24 *De quæstione præcedentiæ inter Episcopos titulares, & actuales.*
25 *De ætate, aliisque qualitatibus pro prima tonsura, & minoribus ordinibus, & de differentia inter tonsuram, & ordines.*
26 *De diligentiis adhibendis in prima tonsura.*
27 *De ætate pro ordinibus sacris.*
28 *De literatura ad id necessaria.*
29 *De temporibus ordinationum, & interstitiis.*
30 *Ordinum Collatio debet fieri gratiis, & de fraudibus, quæ desuper committuntur.*
31 *Ad sacros ordines non fit promotio sine titulo beneficii, vel patrimonii.*
32 *Beneficium hoc non potest resignari.*
33 *Quale ad hunc effectum dicatur beneficium.*
34 *Pensio Ecclesiastica etiam sufficit.*
35 *Quid de Capellaniis manualibus, & servitoriis.*
36 *De patrimonio ejusque prohibita alienatione.*
37 *De fraudibus, quæ desuper committi solent.*
38 *Quando dicatur provisio sufficiens pro titulo.*
39 *De pœna Episcopi promoventis absque dicto titulo.*
40 *In quibus Regularibus iste titulus requiratur.*
41 *De pœnis Episcopi malè promoventis.*
42 *De pœnis male promoti.*

D I S C. XIV.

Cum Ordinum collatio, manuumque impositio, sit de 1
gravioribus materiis, quæ in Ecclesia Catholica habeantur, dum ex hujus potestatis non benè regulato usu, majora forsan inconvenientia resultant; Hinc proinde Sacrum Concilium, pluries dare curavit provisiones, ob quarum diversitatem, pro congrua adnotatione, & ne unus casus, cum altero confundatur, plures diversi casus distinguendi sunt; Primò scilicet ubi agatur de Episcopo conferente ordines in aliena diœcesi personæ subditæ illi Diœcesano, in cujus diœcesi id agat, absque aliqua
propria competentia; Secundò de Episcopo conferente ordi- 2
nes, pariter in aliena diœcesi, personæ ejus non subditæ, non tamen subditæ illius Diœcesani, sed alterius; Tertiò ubi de collatione ordinum etiam in aliena diœcesi cum proprio subdito; Quartò ubi de collatione ordinum in diœcesi propria, subdito alienæ, vel nullius diœcesis, Quintò ubi de collatione ordinum personæ, de qua sit quæstio, an unius vel alterius diœcesis subdita sit; Sextò in Episcopo titulari, nullam habentem diœcesim, sive in Episcopo ritus Græci; Septimò ubi certa sit potestas conferendi, adeout nulla ex dictis difficultatibus cadat, sed ea sit super modo conferendi; Et demum octavò super pœnis, quæ in præmissis casibus illicitis, injunctæ sint, tam ordinanti, quàm ordinato respectivè.
In omnibus casibus, ut supra, inspectio cadit, quando 3
collatio ordinum fiat absque licentia, & commissione ejus, ad quem legitimè pertineat illos conferre, vel alteri committere, ut conferat, quoniam ubi accedunt voluntas, & potestas, tunc nulla cadit ratio dubitandi, ut literaliter supponitur in his Decretis conciliaribus, ac probat vulgare axioma, quòd omnia nostra facimus, quibus nostram impertimur authoritatem; Quare de singulis agendo.

Quatenus pertinet ad primum, ille est casus indubitatus, cùm contineat positivam duplicem turbationem, ac usurpationem alienæ potestatis, & jurisdictionis, tam circa 4 personam, quàm circa territorium, ordinando scilicèt clericum alienum, atque exercendo pontificalia in aliena diœcesi, quòd generaliter etiam extra collationem ordinum, non dato legitimo titulo particulari, est prohibitum ex insinuatis supra, *disc.6.*

Quoad secundum casum, ordinationis non subditi proprii in aliena diœcesi, cujus neque sit subditus ille, qui 5 ordinatus est, puta quia Episcopus Tusculanus in diœcesi Albanen. ordinet subditum diœcesis Veliterni; Et tunc respectu Episcopi Albanen. in cujus territorio id gestum est, quamvis ordinatio facta sit cum licentia Episcopi Veliterni, illicitè actum dicitur ob genericam prohibitionem, de qua *dict. disc.6.* super exercitio pontificalium in genere, non autem super collatione ordinum, cùm in nihilo ei præjudicatum sit, atque de hoc pertinet ad superiorem personæ ordinatæ, cujus potestas turbata est, quatenus ejus licentiam accesserit.

Tertius est casus ordinationis factæ subditi proprii in diœcesi aliena, & tunc pariter ex alia causa actus dici non potest 6 illicitus, nisi ob usum pontificalium juxta præmissam genericam prohibitionem; Unde propterea si ageretur de concessione primæ tonsuræ, quæ nullum exigit usum pontificalium, sed etiam in cubiculo, privato more dari potest, si id cum proprio subdito fiat, una opinio credit, quòd Diœcesanus conqueri non potest, cùm in nihilo ejus jurisdictio turbari dicatur, superquo locus veritati relinquitur.

Quartus est ordinationis in propria diœcesi subditi alie7 ni, quoties ille dici non possit quoque subditus proprius, adeout practicari valeat cumulativa subjectio diversis respectibus; Et tunc pariter planum est quòd actus sit illicitus, quoniam licèt benè exerceantur pontificalia in proprio territorio, attamen malè fit collatio ordinum subdito non proprio, cùm non debeat unus pastor se ingerere in ovibus alieni ovilis, quæ alteri pastori commissæ sint.

Quare disputandi ratio cadit, quando prætendatur subje8 ctio accidentalis, etiam cum clerico alienæ diœcesis, putà quia esset quis ordinarius unius diœcesis, prætendatur autem effectus domiciliarius alterius; Sive quòd effectus sit subditus illius Episcopi, ratione familiaritatis, aut ratione beneficii, quòd in ea diœcesi quæsierit; Ista etenim sunt tria capita, ex quibus, uni diœcesano conceditur facultas conferendi ordines personæ, quæ naturaliter, ac inspecta origine, sit de diœcesi aliena.

Quemadmodum enim generaliter in prophanis receptum est, ut quis retinere possit compatibiliter duplicem veram 9 civilitatem, unam scilicet originariam, & alteram domiciliariam. *a* Ac etiam potest esse subditus plurium diversis respectibus, unius scilicet ratione originis, alterius verò ratione domicilii, & alterius ratione delicti, vel contractus, ac etiam alteriùs ratione rei sitæ. *b* Ita potest esse subditus plurium Episcoporum ex dictis diversis respectibus, originis, domicilii, familiaritatis, & beneficii. *c*

Verùm quia ex iis prætextibus, fraus dictis prohibitionibus de facili fieri solet; Hinc proindè nimiùm circum10 spectè procedendum est in istorum requisitorum verificatione, super quo frequentius cadunt quæstiones; Præsertim verò circa domicilium, quando scilicet istud ad hunc effectum, legitimè contractum dicatur necnè; Atque super hoc DD. nimiùm se involvere videntur cum consueta opinionum varietate; Aliis præcisè exigentibus decennalem habitationem; Aliis verò opinantibus, ut sola declaratio animi sufficiat etiam sine lapsu temporis; Et aliis credentibus, ut neutrum sufficiat sine aliis adminiculis facti, puta mediante acquisitione bonorum stabilium, ac formali apertura domus cum familia, tanquam verè in propria patria, ita verè sibi constituta.

Verius autem videtur, ut ista sit quæstio potiùs facti quàm juris, ideoque apta non sit certam recipere regulam generalem cuicumque casui applicabilem, sed ejus decisio pendeat ex facti qualitate, & circumstantiis, quoniam stant benè simul, ut quis non solùm per decem, sed etiam per viginti, & triginta annos, ac majus tempus in loco moretur cum familia, & domo formali, ac etiam cum acquisitione bonorum stabilium, & tamen illius loci domiciliarius non fiat, quia nempè ejus habitatio ibi fuerit occasionalis, ex causa officii, vel mercaturæ, aut alicujus muneris; Et è converso ejus habitatio non fuerit decennalis, sed tamen tales accedant circumstantiæ, quæ secum ferant verum domicilium fixum. *d*

Idemque dicendum est circa originem, quoniam licèt de jure ad alios effectus profanos, præsertim honorificos, ista civilitas non amittatur per habitationem, etiam verè 11 domiciliariam, quæ alibi sequatur, quinimò sufficiat origo patris, atque in plurium sententia, etiam illa avi quamvis ipse in patria domiciliaria natus esset; Clariùs verò ubi parentum, ac majorum habitatio fuisset occasionalis, cùm tunc retineatur civilitas originaria, perindeac si verè, & realiter secuta esset. *e* Adhuc tamen cum debita circumspectione procedendum est, ne sit color quæsitus, atque sit talis origo remota, ut deserta videatur; ideoque totum pendet ex circumstantiis facti.

Idemque quoad alterum subjectionis caput, ratione familiaritatis, non solùm ratione temporis triennalis continui, sed etiam, ut ea sit vera, & realis, cum copulativo con- 12 cursu duplicis requisiti, mensis scilicet, & dentis, de quibus requisitis frequentiùs in foro agitur in materia beneficiali ad effectum reservationis ratione familiaritatis Cardinalium, *f* adeò ut pariter non sit color quæsitus, in ne fraudem, quæ frequentiùs in hoc committi solet; ideoque pariter ex facti circumstantiis decisio pendet.

Et quoad beneficium, illud debet esse verè residentiale cum annexione ordinis, vel de præcisa necessitate, vel saltem de morali, putà quia sit provisus de Ecclesia parochia- 13 li, vel de canonicatu, alioque beneficio residentiali, & servitorio in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata; Secùs autem ubi (ut quandoque practicari vidi) agatur de beneficio simplici, nullam præseferente arctationem ordinum, & quòd affectatè ad hunc effectum procurari solet, quamvis exigui redditus, imò quandoque de novo erigi juxta illam frequentem praxim, quàm habemus in illis valdè exiguis, pœne idealibus beneficiis, quæ erigantur, vel acquirantur ad effectum gaudendi privilegio fori absque requisitis ab hoc S.Conc. præscriptis, cùm utique ista species beneficiorum ad id sufficere non debeat *g*; Quinimo neque altera residentialium, atque secum ferentium arctationem, nisi quando sincerè obtineantur animo retinendi, cùm frequens praxis doceat, quòd fraudulenter affectari soleant pro hoc solo fine obtinendi ordines, qui parum digno à proprio Diœcesano negentur, ut eis obtentis beneficium dimittatur, atque ad propriam diœcesim, seu consuetum domicilium semper animo retentum, reversio fiat, ideoque totum pendet ex facti circumstantiis, neque desuper certa regula statui potest.

Circa quintum casum supra distinctum, quòd collatio 14 fiat personæ, de qua sit quæstio, an collatoris, vel alterius subdita sit; Ultra dictas species accidentalis subjectionis in præcedenti casu recensitas, plures aliæ species dari possent; Primo nempè in illis personis, quæ nullam habeant actualem catholicam diœcesim, propriumque catholicum Antistitem, quia nempè, eorum originaria diœcesis, ab infidelibus, vel ab hæreticis occupata sit, undè propterea ad hoc ut catholicè vivere valeant, in alienas diœceses catholicas confugiant; Tunc etenim de jure efficiuntur subditi, ac Diœcesani illius diœcesis, in qua se receperint, sed quoniam postquam receperunt se in una diœcesi, se transferre solent in aliam, hinc proinde cadere solet ista quæstio, an Antistes istius secundæ, illum ordinare valeat, sine licentia ejus, cujus primò diœcesanus effectus est, idque pariter certam non recipit regulam, sed ex facti qualitate, & circumstantiis decisionem expectat, ut in jurisdictionalium rerum adnotationibus specialiter advertitur. *h*

Secundò, ubi agatur de illis Episcopis, qui ex conces- 15 sione Apostolica, fixam sedem habeant in aliena diœcesi, cum plena jurisdictione Episcopali, in aliqua Ecclesia, & clericis ibi inservientibus, undè propterea oporteat assumere ad servitium, & ordinare personas, quæ naturaliter, atque inspecta origine, sint subditæ Diœcesani, juxta aliàs insinuatum exemplum Episcopi Fesulani in Civitate Florentiæ, Archiepiscopi Nazareni in Oppido Baroli diœcesis Tranen. & Cardinalis Protectoris Almæ domus Lauretanæ cum similibus. *i*

Tertiò, ubi agatur de clericis alienæ diœcesis, super quorum ordinatione contentio sit inter duos Episcopos vicinos ob impedimentum proprii Diœcesani, ut contingit Sede va- 16 cante in proprio ejus anno, in quo per istud Concilium interdicta est Capitulo, vel ejus Vicario ista potestas, undè propterea desuper obtinentur literæ Apostolicæ directæ Episcopo viciniori, quòd etiam post annum sequi solet occasione dispensationis interstitiorum, vel similis, cum Papa ejusque Dataria, vel Secretaria Brevium non scribat Capitulo, vel ejus Vicario, undè propterea quæstio cadit quisnam sit vicinior, quod pariter facti quæstionem continet, cujus decisio

cisio pendet à mensura distantiæ, attendenda ab una Ecclesia ad alteram, non autem à loco, de quo sit ille qui ordinari debeat, cùm vicinitas reguletur à capite, non autem à membris. *l*

Et quartò magis, ac frequentiùs, ubi personæ ordinandæ habeant Prælatum inferiorem cum Ordinaria spirituali, seu quasi Episcopali jurisdictione, dictusque Prælatus alicui Episcopo licentiam concedat ordinandi proprium sub-
17 ditum, id autem impugnet Episcopus, in cujus diœcesi situs sit locus habens hunc inferiorem Prælatum, sive ille qui sit vicinior, atque contendat id ad se pertinere, neque alteri per Prælatum inferiorem committi posse.

In hoc autem distinctio est, Aut agitur de locis, vel Ecclesiis verè sitis in aliena diœcesi, unde propterea intret solùm ratio, tam exemptionis passivæ, à Diœcesano, quàm etiam jurisdictionis activæ Prælati inferioris cum illius loci clero, & populo, sive cum certo genere personarum; Aut verò agatur de illis locis, quæ sint verè Nullius extra omnem diœcesim, cum verò, ac materiali territorio separato, tanquam per speciem diœcesis illius inferioris Prælati, qui verus Ordinarius censendus veniat, juxta alias recensitas inferiorum Prælatorum species.

In prima specie illorum inferiorum Prælatorum exemptorum verè existentium intra fines alienæ diœcesis, distinctio est inter sæculares, & regulares; Ubi etenim agitur de
18 Regularibus professis, qui ad titulum Religionis, & paupertatis ad ordines promoventur; Tunc ad superiores regulares pertinet eligere Antistitem, à quo promoveri debeant, quoniam ob pluries insinuatam laudabilem introductionem regiminis Religionum ad formam universitatis, vel Reipublicæ cum crebris obedientiariis mutationibus Religiosorum de loco ad locum, ita Religiosi professi de nulla certa diœcesi esse videntur. *m*

Ubi verò agatur de illis, qui sint de clero, & populo sæculari, hodiè ex his conciliaribus Decretis, neglecta quavis ampla exemptione, extra controversiam est, ut hujusmodi inferiores Prælati istam non habeant potestatem, quæ pertinet ad Ordinarium, seu Diœcesanum jure delegationis factæ à S. Concilio Tridentino, adeout nulla desuper dignoscatur differentia inter exemptos, & non exemptos.

Ubi verò agatur de loco verè Nullius cum territorio separato; In illis primis temporibus post Concilii publicationem id in ambiguo fuit, unde propterea per hanc Sacram Congregationem provisionaliter Episcopo viciniori commissum fuit, donec punctus maturius decideretur; Deindeque aliquibus ex hujusmodi Prælatis instantibus, pro eis prodierunt resolutiones, ut scilicet ipsis facultas competeret concedendi literas dimissoriales cuicunque Catholico Antistiti eis benè viso directas, eo modo, quo cuilibet loci Ordinario licet; Aliqui verò id neglexerunt, unde propterea diù in dicta provisione continuatum est, ex verò moderno tempore idem petentibus per Sac. Congregationem denegatum fuit, cùm modernæ Congregationis sensus videatur, ut etiam in his Prælatis Nullius quod ordinum collationem ista conciliaris dispositio procedat, quod ad viciniorem Episcopum pertineat, ideoque observantia in hoc nimiùm conferre videtur. *n*

Sextus casus duplicem habet inspectionem, unam scilicet
19 Episcoporum titularium, & alteram Episcoporum ritus Græci; In prima specie, cautum est, ut nullatenus hæc facultas tribuatur Episcopo titulari, adeout nulla in eis competentia intret; Non potest enim intrare illa originis, minùsque domicilii, vel beneficii, cùm in Titularibus nullum ex his verificabile remaneat, quàvis aliquis de Ecclesia ab infidelibus occupata ad loca catholica veniat, ut catholicè vivat, quoniam efficitur subditus illius diœcesis, ut suprà insinuatur; Unde propterea remaneret solus titulus familiaritatis, qui per hoc Decretum conciliare sublatus fuit, dum sub hoc prætextu plures committebantur fraudes, atque multi, qui ob illiteraturam, vel ob vitam, & mores, aliasve justas causas per Ordinarium repellebantur, ita ordines assumebant.

De Episcopis autem ritus Græci, in his Decretis non dispo-
20 nitur, nisi implicitè sub nomine Titularium, quales aliquando esse solent illi, qui in Ecclesia Latina conversantur; Est benè verum, quod adsunt quoque illi, qui diœcesim actualem habent in illis partibus, in quibus eodem ritu retento, damnatoque schismate Græcorum, recognoscatur obedientia Papæ, ac unitas Ecclesiæ Romanæ; In Italiam verò venire solent, ibique aliquo tempore permanere, occasione certiorandi de statu Ecclesiæ S. Congregationem de Propaganda Fide, atque aliquam subventionem ab ea obtinendi; Sive etiam, quia in plerisq; partibus præsertim in Provinciis utriusque Calabriæ, Lucaniæ, seu Basilicatæ & Hydrunti, plura adsunt oppida, vel castra Græcorum, vel Albanensium ritu Græco adhuc viventium cum clericis in sacris ordinem habentibus, qui ritu Græco ordinantur, ideoque licèt subditi sint Episcopo Latino, in cujus diœcesi morantur, atque nonnisi de ejus licentia, & delegatione ad ordines promoveri possint, attamen eos recipere debent ab aliquo Episcopo Græco, eo quia diversa est forma collationis ordinum inter Ecclesiam Græcam, & Latinam. *o*

Ideoque antiquiori tempore, frequens erat usus ritus
Græci in Italia, præsertim in partibus respondentibus ad 21
mare Adriaticum, vel Jonium ob dominationem Imperatoris Constantinopolitani, qua durante, istæ partes, vel regiones, in schismate Græcorum vivere coactæ fuerant, sub obedientia Patriarchæ Constantinopolitani, qui plures Episcopatus erexit, unde provenit illud inconveniens, præsertim in Apulia, apud omnes alicujus admirationis, quod scilicet quilibet locus cum valdè exiguo territorio sive diœcesi proprium habet Episcopum, adeout eis Parochorum habentium usum Pontificalium, titulus magis congruat, quod scilicet postquam sequuta expulsione Græcorum per Normannos, istæ partes ad unitatem, ac obedientiam Ecclesiæ Romanæ redierunt, atque continuationem Episcopi Græci, ac etiam deputationem alterius Episcopi ritus Latini, per aliquod tempus practicare oportuit, quod tamen modernis temporibus ab aula recessisse videtur. *p*

Id autem unitati Ecclesiæ Cathedralis non adversatur, 22
quoniam licet regulariter non detur, nisi unus Ecclesiæ Cathedralis Episcopus, ea ratione inconvenientis, ne una sponsa duos habeat viros, sivequod unum corpus, duo habeat capita; Attamen, quemadmodum compatibiliter (ut alibi insinuatur) plures Ecclesiæ materiales, sociativo quodam iure concurrere possunt ad efformandam unicam Cathedralem absque unitatis præiudicio: *q*

Ac etiam plures personæ materiales constituere possunt unicam personam formalem, seu intellectualem rectoris Ecclesiæ parochialis; Ita pariter pro respectuum diversitate dari possunt in eadem Ecclesia Cathedrali, eademque diœcesi duo Episcopi, unus pro ritu Latino, & alter pro ritu Græco; Vel quia dicto sociativo iure, istæ duæ personæ materiales pro meliori administratione Ecclesiæ habentis utrumque ritum, efforment unam intellectualem; Vel, quia unus revera est Episcopus, & Ecclesiæ sponsus, ille scilicet ritus Latini; Alter vero adiutoris, ac vicarii potius partes gerat, qui in Episcopali ordine constitutus est pro exercitio Pontificalium præfati ritus diversi, quod Episcopo Latino non congruit.

Eo modo quo plures magni, & qualificati Præsules, 23
præsertim in Germania, & quandoque etiam in Hispania, & in Italia retinent pro Vicariis personas in Episcopali dignitate constitutas, præsertim Episcopos titulares, & quandoque etiam actuales aliquam exiguam adiacentem diœcesim habentes, quod etiam in Italia per Sac. Congregationem (licèt rarò) permitti soleat; Isque Episcopi adjutores vulgo præsertim in Germania appellantur, unde quan- 24
do Archiepiscopatum titularem habent, sive sint Episcopi antiquiores, oriri solent quæstiones præcedentiæ cum actualibus Episcopis suffraganeis illius Metropolitani, cui hunc famulatum præstant, ut in meis præeminentiarum rerum adnotationibus habetur. *r*

Septimus est casus collationis ordinum, quæ citra omnem potestatis quæstionem, per Episcopum in propria diœcesi fiat proprio subdito diœcesano; Et tunc intrat inspectio super modo tenendo, ut benè ista collatio sequatur, unde propterea per hæc decreta ad tollendos abusus, qui irrepserant, plures prodierunt provisiones; Primò nempè, circa habilitatem personæ, ut scilicet ordines non conferantur, nisi personis habilibus ac dignis, non autem indignis, vel incapacibus ratione ætatis, vel ratione illiteraturæ, sive natalium, aut criminis, & irregularitatis juxta ordinum qualitatem.

Ubi enim agitur de prima tonsura ex communi, ac recepto sensu DD. sufficit ætas septem annorum, atque alia non 25
desideratur literatura, nisi quod saltem sciant scribere, neq; ad hunc effectum obstat defectus natalium, vel irregularitatis, cum super eis Episcopus dispenset; Idemque in quatuor minoribus ordinibus, in quibus tamen aliqua major ætas non tamen certa, & præfinita, & aliqua major literatura super intelligentia linguæ latinæ, vel saltim quod adsit habilitas, ac aliqua honesta præparatio ad illam obtinendam.

Malè autem agunt Episcopi, si criminosos & inquisitos ad hujusmodi etiam minores ordines, ac præsertim ad primam tonsuram promovent, ut unde propterea S. Congre-

gatio

26 gatio Episcoporum, vel ista Concilii prudenter injunxit, ut adinstar matrimonii publicationes in Ecclesia fieri debeant de promovendis ad primam tonsuram.

Diversum autem est in ordinibus sacris, pro quibus, necessarii sunt legitimi natales eisque Episcopus nō dispensat, sed necessaria est dispensatio Apostolica, ac etiam obstat irregularitas, ideoque irregulares ad eos promovendi non sunt, nec non præfinita est certa ætas; Pro Subdiaconatu scilicet illa anni vigesimi primi completi, adeout sufficiat attigisse unam diem anni vigesimi secundi; Pro Diaconatu
27 initium anni vigesimi tertii; Et pro Presbyteratu initium anni vigesimi quinti; Nisi accedat dispensatio Apostolica, quæ regulariter pro tresdecim mensibus concedi solet, rarò autem, & ex gratia speciali pro tempore majori.

Obstat quoque pro his ordinibus illiteratura, quæ speciem irregularitatis causat, ubi ad minus non habeatur notitia linguæ latinæ, quamvis per Concilium aliqua major literatura, saltim in Theologia morali, seu in casibus conscientiæ desiderari videatur, idque diversam habet praxim, pro di-
28 versis locorum moribus, seu etiam ex majori, vel minori Episcoporum zelo, & diligentia; In illis enim partibus, in quibus incolę, ingeniosi, ac studiosi sint, unde propterea literatorum copia habeatur magis circomspectè, ac rigorosè procedi solet, atque sacri ordines non conferuntur, nisi benè versatis saltim in Theologia morali; In aliis verò, in quibus naturaliter incolæ sint grossolani, vel parum studiosi, ut præsertim est in Apulia, sive in parvis & obscuris locis, in quibus studiorū occasio non habeatur, nunc mediocris, ac talis qualis notitia linguę latinę reputatur magna literatura.

Aliud requisitum consistit in temporibus, quæ interstitia nuncupantur, siquidem prima tonsura, & quatuor minores ordines, quocunque tempore conferri possunt, cum ea differentia, quod prima tonsura (ut supradictum est) nul-
29 lum exigit usum Pontificalium, sed quacunque die, & hora, etiam in Camera, & privato more conferri potest, cum una opinio credat non esse ordinem, sed solum introductionem ad ordines, adscriptionem militiæ celesti; Alii verò ordines conferri debent diebus festivis, inter Missæ solemnia, vel in ejus celebratione.

Pro ordinibus autem sacris, statuta sunt certa anni tempora, extra quæ sine Apostolica dispensatione Episcopus ordinationes, quæ ita solemnes, ac publicæ dicuntur, tenere non potest, atque nonnisi unus ordo sacer, uni eidemq; personæ conferri potest, solaque potestas dispensandi, quæ Episcopo in his interstitiis conceditur, est circa illud spatium anni, quod ab hoc Sac. Concilio præscribitur inter diaconatum & præsbyteratum; Ac etiam promoti ad unum ordinem, non debent ad alium sacrum promoveri, nisi priùs in eo ministraverint, De facili autem ista promotio per saltum hodie practicatur ob nimiam facilitatem concessionis Apostolicæ dispensationis super his interstitiis, quodque in tribus diebus festivis omnes ordines obtineri possint.

Aliud est præcipuum requisitum à Sacro Concilio enixè
30 desideratum, ut ordinum quorumcunque etiam minorum collatio gratis, & absque aliqua mercede etiam à sponte dantibus fieri debeat, Verùm hoc Decretum parum servatur quoniam ultra munera & corruptelas, quibus improbi, ac simoniaci Episcopi nimium vacant; Adhuc etiam publicè, & sub specie licitæ rei, ex ordinationibus notabilia obtinent emolumenta sub nomine actorum judicialium, quæ facere oporteat pro justificatione vitæ, ac morum, & legitimorum natalium, aliorumque requisitorum, & præsertim sufficientis beneficii, vel patrimonii, idque causa est, ut Episcopi cum tam magno abusu sint adeò faciles, & frequentes in ordinum collatione, ac etiam dictorum requisitorum verificationem frequentiùs cum exacta diligentia affectare solent pro notabilibus emolumentis actorum, quæ pro majori parte tendunt ad ipsorum Episcoporum utilitatem; Vel quia Cancellariam locant pro annua, vel menstrua pensione Vel quia eorundem emolumentorum quotam obtineant, reliqua dimissa Vicario, & Cancellario loco salarii, seu mercedis, & consequenter collationes ordinum, isto decreto non obstante, recenseri solent inter corpora reddituum, eodem modo quo recensentur procurationes, ac alimenta visitationis, non obstantibus plerisque decretis, ac provisionibus Sac. Congregationis, quoniam punctus est circa observantiam, quoniam cùm non facilis sit continuus subditorum recursus ad Sac. Congreg. atque magis fortè expediens istas pati concussiones, quam recursuum incommoda & dispendia; Hinc secluso remedio timoratæ conscientiæ, ac honestatis ipsorum Episcoporum, quorum plures qualificati Prælati exactè id servant ista remedia non prosunt.

Quartum est requisitum, ut ad sacros ordines promoveri
non debeant, nisi sufficienter provisi de ecclesiastico benefi- 31
cio, vel de patrimonio, ex quo decenter vivere valeant, nè aliàs cum ordinis clericalis dedecore mendicare cogantur, cùm prohibitione resignationis hujusmodi beneficiorum, vel alienationis bonorum, ad quorum titulum promotio ad ordines facta sit.

Hinc ubi ad beneficii titulum id sequutum sit, ad istius decreti limites, recepta est beneficialis conclusio, ut in hujusmodi beneficii resignatione, quamvis in manibus Papę facta sit, specialis mētio hujus qualitatis fieri debeat, ac aliàs ea irrita cēseatur, ut in sua beneficiali sed latiùs advertitur. x

Quæstiones itaque in proposito cadere solent, quidnam 32
sub nomine beneficii ad hunc effectum cadat, ut ad ejus titulum promotio fieri valeat? Cumque Concilium patrimonio quoque contentetur, hinc proinde, veriùs, magisque receptum est, æquipollentē provisionem sufficere, quamvis in stricta juris censura, ecclesiastici beneficii nomen non competat, ut illæ sunt capellaniæ, quibus utpotè cum legitima authoritate non erectis, beneficii nomen non congruit, sed potiùs legati pii, unde propterea regulæ beneficiales non intrant, quoniam sufficit, ut ejus titulus quamvis prophanus perpetuus esset; Sive ubi etiam de sui natura manualis, atque ad nutum amovibilis adhuc tamen per accidens in ea persona perpetuus sit, quia nempè illi, ad quos amovere pertinet, id agere validè permittant. a

Prout etiam ecclesiastica pensio cum legitima authori- 33
tate reservata, ad id sufficiens reputatur æ; Secus autem, ubi de iis merè servitoriis, ac manualibus capellaniis, vel muneribus agatur, in quibus nullus accedat titulus, qui hanc securitatem inducat. y

Adhuc tamen in hac specie distinctio est, an de illa capel- 34
lania, vel alio servitorio manuali munere agatur, qui famulatus speciem redoleat, ut in illis clericis contingit, qui ex alicujus Ecclesiæ administratorum deputatione illius servitio sub menstruo, aut annuo, seu diurno stipendio adscribūtur, secus autem, ubi licèt nullus specialis, vel personalis titulus accedat, attamen promovendus tale jus habeat, ut titulo æquipolleat, adeout illud servitium, etiam ex parte recipientis necessarium sit, neque libera competat dimittendi facultas, juxta frequentem praxim, non solùm parochialium, sed etiam collegiatarum, & cathedralium, ad quarum servitium ex consuetudine cum nomero præfinito, vel sine, loci cives, seu nationales, qui certas habeant qualitates, recipiuntur ad quamdam massam, seu participationem, ut in capitularium rerum sede, ac notis advertitur z, quoniam ad hujus servitii titulum, promotionem fieri posse receptum est, cum beneficio, vel titulatæ perpetuæ capellaniæ, spectato effectu, id æquipolleat. a

Hujusmodi autem provisione cessante, alia succedit eu-
jus frequentior est usus, ad titulum patrimonii, temporaliū 35
scilicet bonorum ac redditųum, quorum alienatio, vel etiam obligatio interdicta est, spectato quoque effectu, ne scilicet exinde libera fructuum, vel reddituum perceptio impediatur, donec ipse clericus vivat, sive aliunde provisionem æquivalentem obtineat, spectato effectu, non autem verbali forma; Atque si bona magni redditus desuper assignata fiont, non in omnibus hæc alienandi, vel obligandi prohibitio urget, sed in ea rata, quæ congruæ sustentationi pro loci moribus adaptata sit, juxta declarationes, vel distinctiones, de quibus pro qualitate personarum in sede prohibitarum alienationum in meis adnotationibus actum habetur. b

Fraudes autem desuper committi frequens praxis docet, 36
ut scilicet clericis ad ordines promoveri cupientibus, istamque non habentibus provisionem, à conjunctis vel benevolis simulatæ fiant donationes bonorum, vel reddituum, simulationis expressæ declarationes per diversam scripturam reportatæ; Adhuc tamen, ubi effectus jam consummatus esset adeout re non integra simulatio detegatur, in nulla ratione habenda est, atque præcedens conventio, vel declaratio
donatorem non relevat, ob maturam juris tertii, Episcopi
scilicet promoventis, quem alias lex ad alimenta promoto 37
suppeditanda obligat, Vel etiam ut ob secundarium jus vel interesse ipsius ordinis clericalis donatio firmitatem habeat; Ad instar eorum, quæ in consimili prophana donatione habentur caroalis matrimonii contemplatione facta, ut hujusmodi occultæ, ac fraudulentæ conventiones, vel declarationes, seu etiam retrodonationes, quibus eadem congruat ratio, pro infectis haberi debeant. c

Super redditus, vel emolumenti quantitate, sive de be-
neficio, sive de patrimonio, aliavè æquipollenti provisione 38
agatur, certa regula desuper statui non potest, cùm ex regio-
num,

num, seu locorum diversa qualitate id pendeat, ratione majoris, vel minoris victualium affluentiæ, unde propterea ad congruam substentationem major provisio necessaria sit, vel respectivè minor sufficiat, ideoque cujuslibet diœcesis legi diœcesanæ, vel Synodali quatenus adsit, seu consuetudini deferendum est, cùm non implicet, ut in eadem met diœcesi diversa sit taxa pro locorum, vel regionum diversitate, ubi præsertim de ampla diœcesi agatur, cùm alter esse soleat victualium valor, seu vivendi honorificentior usus in Civitate, vel in conspicuis, ac civilibus oppidis, quam in castris, & pagis, ideoque prudenti Episcopi arbitrio id remissum est. *a*

39 Quamvis autem, Episcopo aliàs malè provisum ordinanti, lex onus imponat suppeditandi ordinato alimenta; Nunquam tamen praxis id docet, quoniam pro frequentiori contingentia, promoti non remanent in duobus primis sacris ordinibus, sed assumunt sacerdotium, quod sufficientem provisionem ad victum præbere solet cum eleemosyna celebrationis Missæ diurnæ; Adhuc tamen Episcopus malè agit, atque correctione dignus est, sub hac licèt probabili, ac frequentius contingibili spe provisionis, ad ordines sacros promovere, cùm extra quæstionem sit, ut in minoribus hæc provisio non requiratur ob libertatem redeundi ad statum sæcularem, atque artibus, aliisque mechanicis exercitiis pro victu comparando se abdicendi. *b*

40 In clericis sæcularibus hæc procedunt, ac etiam in illis Regularibus, qui licèt verbaliter paupertatis votum emittant, de facto tamen clericorum sæcularium more in privatis domibus proprio sumptu vivunt, unde propterea eadem congruit ratio (ut illi sunt clerici, qui servitio militarium Religionum addicti sunt, præsertim Hierosolymitanæ;) Secus autem ubi de illis agatur Religionibus, in quibus intra claustra communis vita agatur, atque Religio de omnibus ad victum, & vestitum necessariis pro ejus instituto provideat, cùm tunc ad titulum Religionis, ac paupertatis promotio fiat; Itaque novæ professionis, quæ prioris revalidatoria sit, vim, ac speciem habere videtur. *e*

Demùm ultima est inspectio super pœnis, quæ ubi præmissa non serventur, tam Episcopo collatori, quàm ipsis

41 malè promotis in his respectivè Decretis inferunt, præsertim ubi Episcopus in aliena diœcesi, vel respectivè in propria cum alieno subdito illud Pontificale exerceat, quoniam præsertim sibi injuncta est pœna suspensionis; Unde propterea, quandoque disputare occasio dedit, an Metropolitanus, cujus subditus ordinatus fuerit, ad hujus pœnæ declarationem contra suffraganeum procedere valeat, ut in jurisdictionalium quæstionum adnotationibus habuerit. *f* Licèt enim ut suprà, quandoque promovet non benè provisos de sufficienti beneficio, vel patrimonio, teneatur ipse Episcopus promotor ad illis suppeditandum alimenta, attamen quia nimiùm rarò, ac fortè nunquam id practicatur, idcirco alias pœnas arbitrarias, Apostolica Sedes, vel Sacra Congregatio Episcoporum hujusmodi Episcopos malè agentes condemnare solet, ac debet.

Ipsis autem malè promotis, quamvis malè agatur, adhuc ordinum character imprimitur; Verùm injungitur pœ-

42 na suspensionis, ne in illis ordinibus ministrare valeant, ac alias ministrando irregularitatem incurrant, aliasque patiuntur pœnas, de quibus frequenter apud consuetos Collectores, vel Morales habetur, cùm de his rarò in foro agatur, sed potiùs in Tribunali Pœnitentiariæ pro hujusmodi irregularitatis, vel suspensionis dispensatione, ideòque alia, quæ desuper cadunt, apud dictos Collectores, vel Morales videri possunt.

a *tit. de praeminent. disc. 36. & seqq.*
b *tit. de jurisdict. disc. 37. & seqq. & tit. de judic. disc. 3.*
c *plura colligunt Barbos. de Episc. alleg. 4. & alii moderni Collectores passim.*
d *De his agitur sub tit. de praeminen. disc. 36. & 37. & sub tit. de Regal. disc. 104. & sub tit. de Canon. & Capitulo disc. 21. e ibid. & sub tit. de Matrim. disc. 14.*
f *sub tit. de benef. disc. 6. & 11.* g *Barbos. & alii ibid.*
h *sub tit. de jurisdict. disc. 52.*
i *eodem tit. de jurisdict. disc. 20. & in ejus supplemento.*
l *eodem tit. de jurisdict. disc. 50.*
m *apud Barbos. dict. alleg. 4. & alios Collectores passim.*
n *tit. de jurisdict. disc. 16.*
o *sub tit. de Regalibus disc. 60.*
p *tit. de praeminent. disc. 3. & seqq. de hac materia, & de jurisdict. disc. 20.*
q *eod. tit. de praeminent. disc. 2. cum pluribus seqq.*
r *ibidem ut supra.* s *d. tit. de praeminent. disc. 16.*
t *tit. de benefic. disc. 37.* u *eod. tit. de benef. disc. 97.*
x *Barbos. dicta alleg. 4. & aliis communiter.*
y *dicto disc. 97. de benef.*
z *sub tit. de Can. & Cap. d. 17. cum plur. seqq.*
a *ibidem.* b *sub t. de alienat. & contract. disc. 38.*
c *tit. de donat. disc. 1. & seqq. & in specie disc. 11.*
d *dicto disc. 38. de alien. & contract.*
e *tit. de Regular. disc. 41.*
f *supra alleg. disc. 53. de jurisd.*

Ad sessionem 21. de Reformat. cap. 3. sessionem 22. cap. 3. & sessionem 24. cap. 12.

SUMMARIUM.

1 *Expedit Ecclesiarum servitio, ut distributiones sint pingues.*
2 *Pro fructibus sufficit residentia sine servitio.*
3 *Secus in distributiones pro quibus requiritur servitium.*
4 *Quod infirmitas caset lucrum distributionum.*
5 *De aliis impedimentis pro lucro distributionum.*
6 *Quando exercitium curæ animarum excuset.*
7 *De eodem, de quo num 5.*
8 *De conclusione quod distributiones massa grossa succedunt loco prabenda, quod declaratur.*
9 *De laudabili introductione reducendi omnia ad distributiones.*
10 *Isto casu faciliùs datur lucrum in absentia.*
11 *De differentia inter fructus, & distributiones pro lucro in absentia.*
12 *De alia differentia ad effectum regula de valore.*
13 *Et circa pensiones ecclesiasticas.*
14 *Et circa transmissionem intxactorum.*
15 *Circa decimas Papales.*
16 *Non possunt absentibus condonari distributiones.*
17 *Quod servitium debeat esse in omnibus horis.*
18 *De injusta carceratione, an excuset pro lucro distributionum.*
19 *De aliis ad hanc materiam.*

DISC. XV.

In istis Decretis pro Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, meliori servitio, ac decentiori cultu, prudenter disponitur, quod ubi distributiones quotidianæ tenues essent, adeout Canonicos, ac Beneficiatos, aliosque Ministros ad servitium non allicerent, quia nempè ob tenuitatem de facili negligantur, tunc tertia pars fructuum singulorum præbendarum, cum debita proportione, ut æqualis, non autem inæqualis contributio fit, quotidianis distributionibus assignari debeat. 1

Ea etenim inter fructus, ac distributiones differentia est, quod pro fructuum assequutione, sola residentia sufficiat, absque interessentiæ, vel servitii necessitate; Quinimò etiam præsentia, seu residentia ficta sufficit, quia nempè ex causa studiorum, vel pro Episcopi, seu Ecclesiæ servitio, vel ex alia justa causa quis absit; *a* Ac etiam sine causa, donec ad ejusdem Concilii præscriptum, Clericus non residens pœna privationis fructuum, vel eorum partis mulctetur, eos obtinet, ut alibi in his adnotationibus ad residentiæ materiam advertitur. 2

In distributionibus autem quotidianis secus est, quoniam pro earum lucro, præcisè interessentia, cum actuali servitio requiritur, neque illæ causæ, quæ à residentia excusant, sufficiunt pro distributionibus, sive sint minutæ, & verè quotidianæ, sive reducantur ad massam grossam, ac distribuantur in fine anni, seu in aliis statutis temporibus, quoties distributio fit per punctos ratione servitii, quoniam tunc licèt reducantur ad massam grossam, attamen dicuntur verè quotidianæ, ad instar minutarum, etiam ad effectum Regulæ de valore; Ac etiam ad alterum, ut pensiones super eis non substineantur absque speciali mentione, ut in suis sedibus advertitur. *b* 3

Ideoque pro frequentiori contingentia, sola causa infirmitatis excusat, atque fingit interessentiam, etiam ad effectum hujusmodi distributionum. Quoties tamen ille, qui infirmitatis impedimentum habet, de tempore valetudinis residere, ac inservire solitus esset, adeout cessante hoc impedimento pro ejus consuetudine servitium præstiturus esset; 4

set; Secùs autem in caso controverso, quod non esset solitus, quoniam tunc non intrat ficta suppletio, istudque impedimentum non prodest. e

5 Dantur etiam alii casus justi impedimenti, ob quod concedatur participatio distributionum, præsertim massæ grossæ cum excusatione à punctatoris, putà quia extra chorum Canonicus pœnitentiarius, vel alter, qui de mandato superioris, vel de consenso Capituli, pro majori Ecclesiæ cultu, in confessionario assistat, seu alteriùs sacramenti ministrationi incumbat; etiam extrà Ecclesiam, ut contingit in iis locis, in quibus consuetudo est, quod sacramentum Eucharistiæ pro viatico ad infirmos deferatur, à sola Ecclesia Cathedrali, vel ab alia Matrice, atque baculi baldachini pro decentiori associatione deferantur à Canonicis, vel Beneficiatis, aut quod aliàs sacramentum associentur; Sive quòd iidem exeant à choro Missam celebraturi in eadem Ecclesia pro commoditate populi, seu pro decentiori ejusdem Ecclesiæ cultu, cum similibus impedimentis pro Ecclesiarum, ac locorum moribus.

6 Secùs autem ubi non præstatur servitium, ut vacetur alteri muneri diverso; Putà (ex. gr.) pro exercitio curæ, & administratione sacramentorum in aliqua Parochia, quam Canonicus ex Apostolica dispensatione sive in solam administrationem, ac manualem vicariam habeat, ut in plerisque locis contingit; quoniam ita consideratur tamquam duplex, ac diversus homo, neque servitium unius Ecclesiæ operator, ut illud alteri Ecclesiæ præstari fingatur.

Quinimò etiam si agatur de exercitio curæ annexæ eidem Ecclesiæ Cathedrali, vel Collegiatæ, ubi Canonicatus annexam habeat vicariam cum ejus congrua distincta à participatione massæ distributionum ratione canonicæ, quoniam tunc non poterit utrumque lucrum facere, nisi ubi, (ut ex provisione Sacræ Congregationis frequenter practicatum vidi,) in congruam computetur participatio massæ, cùm tunc punctari non debeat. d

7 Sub quæstione autem est, an à punctaturis excusentur illi Canonici, qui ad Sacri Concilii præscriptum associantur Episcopum visitantem Civitatem, vel diœcesim; Sive illi, qui pro Episcopi, vel ipsiusmet Ecclesiæ servitio absint; Nimiùm verò consuetudini in hoc deferendum est; Sive Ecclesiarum, ipsorumque beneficiorum qualitati, & præsertim an Canonicatus habeat pinguem, seu honestam præbendam, unde propterea juxta istius conciliaris Decreti præsuppositum, distributiones fiunt potiùs modicæ, ac à præbendis distinctæ, vel potiùs nullis, seu nimium modicis existentibus præbendis, totum canoniæ emolumentū in participatione distributionum, præsertim massæ grossæ consistat, cùm tunc ista species distributionū loco præbendæ succedere videatur, ad hujusmodi effectus, non tamen ad alios, in quibus absentia, dici quidem potest justa pro excusatione à residentia, non autem pro altera interessentiæ. f

8 Quamvis etenim regula sit, quod in illis Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, in quibus nullæ distinctæ sunt præbendæ, sed totum reducatur ad massam grossam in fine anni, seu aliàs statutis temporibus distribuendam, hujusmodi distributio succedat loco præbendæ, sine qua canonia stare non debet, ideoque tam ad illum effectum lucri in casu justæ absentiæ, puta causa studiorum, vel simili, quàm etiam ad effectum pensionum, quæ reservantur, præbendarum naturam habeant; Attamen id intelligitur, quando hæc distributio non pendeat à punctaturis ratione servitii, unde propterea sit quædam species communionis, vel societatis, quam præbendæ faciant inter se pro meliori œconomica administratione; Secus autem ubi participatio sit per punctaturas ratione servitii, quoniam tunc etiam si nullæ adsint præbendæ, totumque emolumentum canoniæ consistat in hujusmodi participatione, ipsaque massa constituatur, non solùm ab iis emolumentis, quæ obveniant ab anniversariis, aliisque divinis, sed etiam à redditibus bonorum stabilium antiquorum mensæ capitularis, adhuc tamen distributionum quotidianarum in omnibus veram naturam habent, etiam ad effectum Regulæ de valore, vel ad alios quoscumque, præterquam ad illum, ut ipsæ in consideratione habendæ sint pro regulando dotem Ecclesiæ, & ne illa indotata dici valeat, ad effectum jurispatronatus concessi ob augmentum dotis. g

9 In plerisque etenim Ecclesiis, ut docet praxis Basilicarum, Patriarchalium, aliarumque Collegiatarum Urbis, ac etiam forte omnium Insignium Metropolitanarum, & Cathedralium Hispaniæ, & frequenter etiam in Italia, nimiùm laudabiliter, pro meliori Ecclesiarum cultu, & servitio, introductum est, ut abolito præbendarum usu, universus Ecclesiæ sive mensæ capitularis assis, ponatur in massa, sub annua, vel menstrua distributione, per punctaturas ratione servitii, adeout illi, qui in anno nullum præstant servitium, nullam habeant participationem, quoniam tunc pro veris distributionibus quotidianis habentur, ad omnes effectus. h

Benè verum quod isto casu, faciliùs ex causa studiorum, seu altera simili, ob quam Canonicus lucraretur fructus præbendæ, Sacra Congregatio indulgere solet participationem hujusmodi massæ in toto, vel in parte, pro Ecclesiarum, seu locorum, ipsiusque causæ qualitate. 10

Effectus qui ex hac distinctione præbendarum, ac distributionum resultant sunt quamplures, & præsertim; Primò jam dictum, ut sola residentia vera, vel ficta sufficiat pro lucro fructuum præbendæ, non autem pro illo distributionum, pro quo necessaria est interessentia cum præstatione servitii, neque causæ excusantes à residentia, excusant ab interessentia, nisi ubi agatur de infirmitate, vel de alia simili, ut supra. 11

Secundò ad effectum Regulæ de valore, & solutionis annatæ, quoniam distributiones quotidianæ, quamvis sint massæ grossæ ut supra, non computantur in valore. i 12

Tertiò circa reservationem, vel respectivè translationem pensionum Ecclesiasticarum, quoniam pariter distributiones non veniunt in valore respectu reservationis, minusque veniunt in facultate transferendi, nisi specialis mentio fiat. l 13

Quartò potissimùm, circa transmissionem ad hæredes, vel ad seipsum, per mortem naturalem, & respectivè civilem, pro fructibus inexactis, quoniam ubi verè fructus sunt, (quales dicuntur illi, qui obtinentur ratione præbendæ) non transmittuntur, sed pertinent ad Ecclesiam, sive ad Cameram Apostolicam, pro locorum diversis moribus, vel Apostolicarum Constitutionum usu, ut in beneficiali sede advertitur; Secùs autem in distributionibus, quæ transmittuntur, ex ea congrua ratione, quòd istæ non important emolumentum, cum quo beneficiatus assimilatus usufructuario, ex legato, vel donatione foveat causam lucrativam, sed dicuntur præmium, vel salarium laboris, & servitii, unde propterea illarum lucrum perficitur singulis diebus ac horis, in quibus servitium præstatur, dilata, solùm solutione, vel executione pro majori commoditate. m 14

Quintò eadem differentia dignoscitur de jure in decimis papalibus, aliisque oneribus, & contributionibus super fructibus beneficiorum, quoniam eis non subjaceant distributiones, nisi in Apostolico diplomate aliàs disponatur, ut sequi solet, cum similibus differentiis, ex rationis identitate resultantibus. 15

Cùmque Concilio cordi fuerit, ita distributiones impinguare pro meliori Ecclesiæ cultu, & servitio, ad alliciendum ad interessentiam, ac actualem servitii præstationem, unde propterea nimium commendabilis reputatur consuetudinis usus reducendi omnes præbendas, totumque mensæ capitularis assem ad formam distributionem; Hinc proinde ab eodem Concilio benè provisum est, ut adeò rigorosè solis interessentibus distributionum participatio concedenda sit, non autem illis, qui non inserviant, ut id quod amittant non inservientes, accrescere debeat inservientibus, qui propterea cum hoc majori lucro ad servitium magis alliciantur, adeout neque volentes eas remittere, vel condonare possint non inservientibus; Et meritò quidem quoniam, licèt regula sit, quod quilibet est rei suæ moderator, & arbiter, attamen id non conceditur, quando redundat interesse, vel præjudicium tertii, ut in præsenti sequi diceretur ob præjudicium Ecclesiæ, quæ ita cultu destituta remaneret ob hujusmodi reciprocam, ac vicissitudinariam urbanitatem, seu condonationem. n 16

Quinimò cùm idem conciliare decretum, distributionum lucrum decernat pro integro servitio in omnibus horis canonicis, idcircò hæc Sacra Congregatio Concilii, improbare consuevit illarum Ecclesiarum consuetudines excusantes Canonicos ab interessentia, & servitio in aliquibus horis; Dummodò excusatio sit generica, & continua, adeout dari valeat casus, quod nullus Canonicus in illis interveniat, dum cessat mulcta punctaturæ; Secùs autem si fiat distributio per dies, vel hebdomadas, cum aliqua majori dispensatione, seu laxiori turno in aliquibus anni temporibus, quoniam id conceditur, atque in omnibus statutis horis inservire dicuntur, & huic conciliari decreto satisfaciunt interessendo in omnibus horis sibi assignatorum dierum, vel hebdomadarum cadentium sub ejus turno. o 17

In-

Inter causas autem, quæ infirmitati assimilatæ, justi impedimenti productivæ reputantur, etiam pro lucro distributionum, recenseri solet injusta carceratio, vel detentio, quæ propriè sequi dicitur ad hunc effectum, quando de facto sequatur ex laicali potestate, sive etiam ex bannitorum, vel hostium detentione, adeout injustitia sit notoria, & incontrovertibilis, quæ tyrannidem sapiat; Secus autem, ubi de illa carceratione, quæ per Judicem competentem fiat pro delicto, vel debito, à quo deinde carceratus absolutionem reportet, quoniam tunc, nisi injustitia adeò notoria sit, ut nullo penitùs velamine occultari valeat, unde propterea eandem tyrannidem importare censeatur, non de facili id admittendum venit; Licèt id certam non habeat regulam, cùm diversimodè S. Congregatio pro facti qualitate respondere soleat. *p*

19 Pluresque alios casus magis distinctè recensent consueti Collectores; Quamvis, ut suprà, in proœmio insinuatum est, certa regula desuper statui non valeat cuicunque casui applicabilis, cùm frequentiùs ex locorum moribus, ac singularum Ecclesiarum qualitate, vel singulorum casuum circumstantiis decisio pendeat, ideoque erroneum est cum generalitatibus, sive cum aliquibus declarationibus peditis in casibus particularibus procedere.

a *sub tit. de Canon. & Capitul. disc. 12. cum seqq.*
b *sub tit. de pension. disc. 61.* c *eodem tit. de Canon. & Capitulo, d. disc. 12.* d *sub tit. de Paroch. disc. 20.*
e *ibid.* f *in eisdem locis supra citatis.* g *de his sub tit. de jurepatr. disc. 10. d. disc. 61. de pension. & in aliis locis supra cit.* h *ibid.* i *tit. de benef. disc. 90. & d. disc. 10. de jurepatron.* l *d. disc. 61. & in aliis de pension.* m *ibidem.* n *dictis tit. de Canon. & Capitulo, disc. 10. & seqq.* o *eod. disc. 10. & 11. de Canon. & Capit.* p *quandoque ob detectam innocentiam decrevit distributiones, & quandoque carceratis alimenta ex distributionibus.*

Ad sessionem 21. cap. 4.

SUMMARIUM.

1 *Quid faciendum sit in Parochialibus populo excrescente.*
2 *Quomodo ista materia decidi, seu regulari debet.*
3 *Regulariter est prohibita dismembratio, & quomodo potiùs providendum sit.*
4 *De circumstantiis prohibentibus divisionem.*
5 *Et è contra de illam exigentibus.*
6 *De novis erectionibus Cathedralium.*
7 *Quando præsertim erectio nova Cathedralis fieri debeat.*
8 *Et quandoque fit erectio Ecclesiæ Cathedralis in Metropolitanam.*
9 *& 10 De quæstionibus inter Ecclesiam matricem, & filialem.*

DISC. XVI.

1 Populo excrescente, seu aliàs tractu temporis immutato rerum statu, adeout, unus rector, vel parochus, vel respectivè una Ecclesia parochialis, universo populo non sufficiat, vel non congruat: tunc prudenter sacrum Concilium in hoc decreto providet, ut pro facti qualitate, Ordinarius, unum de duobus remediis adhibeat; Vel scilicet Vicarios, seu Adjutores, ac etiam unam, vel plures Ecclesias adjutrices deputet, Parochi, & Ecclesiæ parochialis unitate non immutata; Vel quod, prævia dismembratione partis populi, ac territorii, unam, vel plures novas Parochias erigat, quoties unnium opportuna provisio sit practicabilis.

2 In hoc autem, certa regula generalis cuicunque casui adaptabilis utique statui non potest, ideoque manifestus est error est illorum, qui cum aliquibus Sac. Congregat. declarationibus, vel cum Rotæ decisionibus, aut aliquorum Doctorum traditionibus, pro hujusmodi nova erectione facienda, vel deneganda, in sola litera procedunt, cùm sit potiùs quæstio nudi facti, ex singulorum casuum particulari qualitate, ac individuis circumstantiis decidenda. Quoniam possunt simul stare, ut in uno casu eadem populi multiplicitate, eademque distantia, vel itineris asperitate, aliisque causis accedentibus, id denegandum sit, ac in altero concedendum, eò quia diversi mores regionis, vel major, seu minor contiguæ parochialis majestas, vel decor, in uno casu permittant, & in alio prohibeant. *a*

Quoties enim sola ratio excreti populi, vel incommoditatis itineris in aliquibus anni temporibus urgeat, adhuc absque necessitate procedendi ad hanc dismembrationem, seu divisionem, quæ alienationem redolet, ideoque regulariter prohibita est, rectè consuli potest cum destinatione unius, vel plurium inferiorum Ecclesiarum, quæ per territorium jam sparsæ sint, ac existant, vel denuò construantur, cum deputatione Vicariorum, seu Coadjutorum, ut ita commodior sacramentorum, aliorumque divinorum administratio, præsertim infirmis, ac aliis respectivè sequi valeat, non diminuta Ecclesiæ parochialis unitate, ac majestate tam circa numerum clericorum, & inservientium, quàm circa populi majorem concursum, in aliquibus præsertim majoribus anni solemnitatibus, dum cum præfato remedio rectè consultum remanet, idemque obtinetur finis, vel resultat effectus. *b*

Multoties etenim Ecclesiæ parochiales, ob populi, & cleri copiam (ut plurium locorum praxis docet) collegiatarum etiam insignium figuram faciunt, quia nempè clerici naturales, seu patrimoniales, loci ejus servitio, ac massæ adscripti, quandam Capituli speciem constituunt, seu figuram faciunt, cum diurnæ massæ conventualis, aliorumque divinorum celebratione, ac etiam statutis diebus cum Missa solemni, & cum concionibus in Adventu, & Quadragesima, magisque exacto Doctrinæ Christianæ, aliarumque spiritualium rerum exercitio, quæ omnia cum hac scissura cessarent, vel diminutionem paterentur; Sive ubi etiam talis populi, & cleri copia sit, ut in utraque antiqua, & nova Ecclesia, pariformiter eædem functiones continuari valeant, atque emolumenta talia sint, ut omnium congrua provisio adsit; Adhuc tamen, quandoque non expedit, quoniam frequens experientia docet, quod hujusmodi Ecclesiarum parochialium duplicitas, scissuras ac factionarias æmulationes inter utriusque clerum, & populum respectivè causare solet. *c* 3

E converso autem, ob aliquarum regionum; Vel contratarum ejusdem Parochiæ antipariam; Vel quia una pars æmula alterius, in qua ipsa Parochia sita sit, illam subjectionem ægrè ferat, unde propterea resultent inconvenientia, quibus cum adjutricia Ecclesiæ, seu Vicariorum, & Coadjutorum deputatione consultum non sit; Ad hanc divisionem procedendum est adeout in uno casu, in quo major populi numerus, majorque territorii amplitudo adsit, divisio facienda non sit, in altero autem expediat; Et consequenter prudenti, benèque regulato arbitrio totum commissum est. *d* 4

Ad instar eorum quæ, cum debita proportione (à majoribus, minora regulando) habemus in novis cathedralium, ac diœcesum erectionibus, cum antiquarum dismembratione, statura *in Extravaganti Salvator.* atque frequenter, in forma potiùs extrajudiciali, & consultiva disponi, ac examinari solent in Sac. Congregat. consistoriali; Quamvis enim generales regulæ sint, ad ejusdem Extravagantis præscriptum, aliorumque antiquorum Canonum sensum, à quibus istud conciliare decretum quoque derivat, ut quando diœcesis amplitudo ea causet inconvenientia, quod oves faciem Pastoris non de facili videant, neque Pastor omnes oves frequenter recognoscere, ac personaliter visitare valeat, talisque sit provisio, & qualitas respectivè, ut antiquæ Ecclesiæ majestas non vilescat, atque nova debitam, ac proportionatam majestatem habere valeat, ad hujusmodi dismembrationes, novasque erectiones deveniri debeat; Unde propterea pluries contingit, ut ex una diœcesi quamplures constitutæ sint, ita temporum, aliarumque contingentiarum necessitate, vel opportunitate exigente; Attamen non omnium locorum, vel regionum, eadem est regula, quoniam frequenter praxis docet, quod in una regione non congruit diœcesim quantumvis amplam dividere, quia sic illius regionis mores exigant; In altera verò, etiam in uno loco, & absque alia diœcesi; Cathedralem erigi, atque Episcopum deputari non incongruum reputetur, quia nempè adjacentium Cathedralium eadem penè conditio sit, ut in aliquibus Italiæ partibus praxis docet, ideoque magna differentia est, ubi citra, vel ultrà montes de his agatur. *e* 5 6

Potissimè autem, præsertim in Italia, inspici solet, ea congrua ratio, quæ per dictam Extravagantem, & antiquiores Canones non de facili cognita est, ubi scilicet melior Ecclesiæ administratio, meliorque animarum cura, ita exigat, quoties scilicet de illis locis agatur, quæ cum territorio separato, quod *Nullius* dicitur, sub inferioris Prælati omnimoda, ac plenaria quasi Episcopali jurisdictione sint; Id etenim pro mea experientia, ut aliàs insinuatum est, parùm 7

com

commendabile videtur, ideoque, quando loci qualitas, congruave provisio ita pesmirtant, opportunum videtur, Episcopum ibi deputare, sive (ut ad materiam unionum insinuatum est) illam Ecclesiam Cathedralis titulo, ac Oppidum, seu locum Civitatis prætogativa decorare, eodemque contextu, cum alia adjacenti Cathedrali æquè principaliter unire, ut ita utriusque unus sit Episcopus, cùm meliori earundem Ecclesiarum, ac populorum regimine, ita quoque dirimendo frequentes scandalosas controversias, quæ inter viciniores Episcopos, ac hujusmodi inferiores Prælatos vigere solent; Ideoque totum pendet ea locorum moribus, aliisque facti circumstantiis absque eo quod certa regula generalis desuper statui valeat, cum ex prudentialibus potiùs, quàm legalibus regulis, ac principiis hujusmodi quæstionum decisio pendeat.

Unde propterea, quandoque praxis docuit, quod ad dirimendas scandalosas lites inter inferiores Prælatos, &
8 Episcopos, istud remedium adhibitum est; Et quandoque etiam ad tollendas pariter scandalosas lites ob populorum, præsertim æmulationem, vel antipatiam inter aliquem Metropolitanum, & suffraganeum de exemptione contendentem, ipsa Ecclesia Cathedralis, de cujus subjectione, vel respectivè exemptione quæstio erat, in Metropolitanam quamvis cum brevi diœcesi, ac sine provincia, per quandam speciem Archiepiscopatus titularis, ac honorifici erecta est, dum id in Italia non incongruit, cùm aliæ adsint Ecclesiæ Metropolitanæ, quæ ultra montes, via exiguæ, ac infimæ classis Cathedralem constituerent, ita regionum moribus exigentibus, ut quod in uno loco licitum est, illicitam, atque incongruum reputetur in altero. f

Posita verò, ad præscriptum hujus decreti, novæ parochiæ erectione, unde propterea resultat aliàs insinuatus
9 titulus, seu vocabulum, quod antiqua matrix, moderna verò filia seu filialis appellatur; Inter istas exoriri solent præeminentiales quæstiones, & quandoque etiam bursales, præsertim verò super jure decimandi, aliisque juribus, illo præsertim funerandi, quod pariter facti potiùs, quàm juris est; Quamvis etenim regula sit, ut data valida, ac legitima dismembratione, novaque respectivè erectione, habeantur ac si ab initio fuissent duæ omninò diversæ, cum omnimoda independentia penès antiquam, aliquibus honorificis remanentibus præeminentiis compatibilibus, putà circa præcedentiam, sive circa illas functiones, quæ unicæ, ac individuæ sint; Attamen, vel ea lege erectionis, vel ea consuetudine aliquod jus penès matricem remanere solet, ut præsertim comprobat aliàs insinuatum exemplum insignis Ecclesiæ parochialis S. Joannis majoris Neapolitanæ Civitatis, quod à moderno tempore ob Regum delitiosam residentiam, ac successivè Tribunalium sedem, majori, ac nobiliori illius Civitatis parte constructa in dictæ Pasochiæ aliàs desertis, & campestribus finibus, magnus supra vigesimum parochiarum numerus infra eosdem fines erectus est, quarum singulæ numerosæ, & qualificatæ dici possunt; Jure tamen funerandi penès ipsam Ecclesiam matricem, quæ collegiata quoque est, remanente, adeout associationis funerum emolumenta satis congruam plurium Hebdomadariorum substentationem, ac etiam alterius ibidem erectæ congregationis clericorum sub nomine *fratantia*, explicatæ producant, ut in parochialium annotationibus advertitur. g

Atque hujusmodi controversiæ præsertim audiri solent super jure decimandi, ut in propria decimarum sede advertitur. h

a *de his agitur sub tit. de Paroch. disc. 34. & 35.*
b *ibidem.* c *ibidem.* d *ibidem.* e *tit. de praemin. disc. 6 & in ejus suppl.* f *eod. tit. de praeminent. disc. 1. 2. & 6.* g *tit. de Paroch. disc. 28.*
h *sub t. de decim. in hoc eodem libro pluries.*

Ad materiam precedentis discursus facit sequens Decisio.

R. P. D. ANSALDO.

Faventina Jurium Parochialium.

Veneris 28. Junii 1697.

APpellantibus à sententia Vicarii Faventini Rectoribus Ecclesiæ S. Michaelis sitæ in Terra Bagnacabali sub asserto gravamine, quod idem Vicarius perperam definivisset, competere Archipresbytero alterius Ecclesiæ Sancti Petri in Sylvis nuncupatæ, propè Mœnia ejusdem Terræ existenti quamplura Jura honorifica, & præeminentialia non minùs extra, quàm intra præfatam Ecclesiam S. Michaelis in vim Unionis, & ex Titulo Matricitatis una cum simultanea Curæ Animarum administratione mediante Ministerio unius Capellani vicissim, sive per Turnum in hebdomadas tripartitum deputari consueti ab eodem Archipresbytero in Ecclesia prædicta, Domini reputarunt, injustam fuisse conquæstionem Rectorum, & Ideircò Dubio a me proposito respondentes diaerunt, *Constare de bono jure Archipresbyteri tam ad prædictum effectum Curæ, quàm Praeminentiarum.*

Prętermisso namque uti minùs necessario examine unionis Ecclesiæ S. Michaelis respectu Ecclesiæ Archipresbyteralis Sancti Petri, quantumvis eandem Unionem Domini existimarent abundè fuisse comprobatam pro parte Archipresbyteri, citrà dubium amplexi fuerunt titulum Matricitatis satis effulgentem, nedum ex antiquissima origine per Historias, & signantes per Rubeum, qui Fasta Ravennatensia compilavit; *lib. 5. fol.* 240. sed etiam ex Visitatione duobus ante sæculis, & ultra expleta per Episcopum Faventinum, videlicet usque de anno 1486. in qua præcisè habetur, *Archipresbyteros Ecclesia S. Petri in Sylvis Matricis semper fuisse, & esse Parochos veros, & principales Bagnacaballi, & Curatos S. Michaelis esse illius subsidiarios*; Quapropter constito de hoc antiquitatis primordio, & de hujusmodi declaratione in actu proportionabili emissa per Ordinarium, qui ad normam officii Pastoralis, quo posset, ritè, rectèque præsumimus non sine matura animi, ac rei perquisitione, & deliberatione, consimiles inire declarationes, ut sæpiùs dixit Rota, & præsertim in *dec.* 125. n. 4. post Vivian. *de Jurepatr. & dec.* 168. n. 13. *par.* 10. *& dec.* 436. *num.* 4. *&* 5. *par.* 18. *recent.* cum cæteris *in Urbanien. Archipresbyteratus* 17. *Maii proximè preteriti* §. *Validius coram Me*, sufficiens emergere ejusdem Matricitatis documentum, habetur in proposito *ex dec.* 724. *sub n.* 3. *vers. & demum par.* 1. *rec. & dec.* 397. *n.* 5. *& seqq. par.* 13. *& dec.* 284. *n.* 4. *par.* 14. *dec.* 39. *num.* 7. *& dec.* 281. *ante num.* 20. *par.* 15.

Nilque ad enervandam probationis hujusmodi efficaciam officere visa est objectio Rectorum, quòd de hac Visitatione non constet per Codices, & Monumenta ipsius particularis Visitationis, sed tantummodò per simplicem enunciativam editam sub anno subsequenti 1487. per Curatos, sive Presbyteros Ecclesiæ S. Michaelis, juxta Instrumentum publicum exhibitum in hodierna audientia per Archiptesbytesum *Summario*, *n.* 3. obsistente regula, sive Adagio, quod referens sine Relato non probat ad *Text. in l. si ita scripsero, ff. de condit. & demonstr. & in Autent. si quis in aliquo, ubi Doctores communiter, C. de eden.* Quoniam ultra quod antiquitas ipsa magnum de per se robur adjicere posse videbatur enunciativæ, ex recepta Theorica Aretini *in cap. cum causa n.* 9. *&* 10. *de probat.* de qua Rota coram Cavales. *dec.* 599. *n.* 6. & coram Buratt. *dec.* 536. *n.* 4. *& dec.* 240. *num.* 6. coram Card. Cerro, *& in Ampurien. seu Civitanen. Unionis* 18. *Junii* 1682. §. *firmato itaque*, *in fine*, coram Reverendiss. D. meo Decano.

Nihilominùs tunc sine relato referens non probat; quando dubitari contingit, vel de tenore, vel de circumstantiis actus relati, sed quando secundùm verba superiùs recensita tota emergit substantia ejusdem actus per orationem undequaque perfectam, & determinatam, non est necesse in medium exhiberi relatum, ex doctrina Bartol. *in Extravag. ad reprimend. in verb. prout*, *n.* 2. Surd. *cons.* 540. *n.* 7. de Angel. *de Confess. lib.* 2. *quæst.* 5. *n.* 1. Rota coram Merlin. *dec.* 652. *num.* 6. *&* 7. & coram Dunoz. Jun. *dec.* 375. *n.* 10. *& dec.* 729. *num.* 9. & coram Bichio *dec.* 55. *num.* 15. *& in rec. dec.* 182. *n.* 10. *par.* 9. *& dec.* 213. *n.* 7. *par.* 10.

Et ob id robustiùs urgebat hujusmodi enunciativa, quia legitur apposita, ut præmisimus, in publico antiquissimo Instrumento successivè confecto per Curatos S. Michaelis, quia præfatæ visitationi, sive declarationi proprii Ordinarii (ut par erat) inhærentes, verbo Sacerdotis confessi sunt, Ecclesiam S. Petri extitisse semper Matricem etiam ex ipsa observantia ab antiquissimo tempore, & de quibus non aderat memoria in contrarium subsecuta: Unde retenta semper illa Religione, quam secum fert ipsa Vetustas, magnum ex prædicta confessione pro Matricitate fulcimentum resultare, alias in specie respondit Rota *d. dec.* 397. *num.* 2. *& seqq par.* 13. *& dec.* 284. *sub num.* 4. *vers. cui adstipulatur par.* 14. *dec.* 39. *sub num.* 6. *vers. quod ipsum*, *& dec.* 281. *sub num.* 19. *par.* 15.

par. 15. & concordat Pignatell. *consult. Canonic. tom.* 9. *consult.* 109. *sub n.* 2.

Præcipuè verò, quando eadem confessio, quæ regulariter superat omne genus probationis, per Textum *in l. generaliter, Cod. de non numer. pecun.* communiter ex aliis probationibus, & adminiculis, in quibus sane terminis, licèt agatur de Rectoribus successoribus in dignitate dumtaxat, non autem in obligatione servandi, impediendique confessionem Defunctorum, veluti jure proprio venientibus, adhuc tamen confessionem plenè probare palàm est, ex deductis per Adden. ad Buratt. *dec.* 435. *num.* 11. Rota *dec.* 29. n. 7. apud Posth. *de manut.* & *dec.* 15. *num.* 16. & 17. *par.* 6. *recent.* & *dec.* 161. n. 6. coram Card. Cerro, & *dec.* 213. *num.* 41. & 42. *par.* 17. & in puncto Matricitatis eadem Rota *d. dec.* 307. *num.* 3. *vers. quinimò*, *par.* 13. *rec.*

Sentientes itaque vim hujus antiquissimæ enunciativæ, & respectivè confessionis, à qua validiorem impulsum recipiebant ceteræ probationes, & argumenta inferiùs adnectenda, magnum conatum ponebant Scribentes, pro Ecclesia S. Michaelis in negando, quod prædictum Instrumentum fidem aliquam mereri posset, ex quo noscebatur extractum, seu levatum à suo Originali, imò, & ipsum Originale confectum per Personas, quas neutiquam apparebat esse suffultas publica qualitate Notariatus, prout erant Annibal, & Sigismundus Fratres à Curru, quorum primus Originale ipsum examinaverat, & secundus exemplaverat, idque convinci subjungebant ex rimatione utriusque Archivii sæcularis, & ecclesiastici, in quibus nullum vestigium, nulla Scriptura quæ fuisset exarata per hos Fratres, asservabatur; Verùm objectionem hanc non subsistere, seu relevare compertum fuit, cùm enim præfatum Instrumentum à Sigismondo exemplatum in sui facie omnia teneret requisita publici Instrumenti, nimirùm diem, Mensem, Annum, Indictionem, locum, & reliquas alias solemnitates ex præscripto Jurium, & sacrorum Canonum requisitas, ut in *cap.* 1. & *in cap. cum P. Tabellio*, *de fid. Instr.* fueritque in filtia Instrumentorum repertum, & quod plus est, observatum, Domini non dubitarunt, quominus eidem Instrumento fides amplissima habenda esset, maximè in adeò antiquis, secundùm firmata sæpius per Rot. & præcipuè *in dec.* 21. §. *Ad secundum* coram Martin. Andr. & coram Buratt. *dec.* 611. n. 2. & coram Coccin. *dec.* 2358. n. 13. & *seqq.* & *dec.* 27. n. 4. & 5. coram Arguelles.

Siquidem illa negativa, videlicet quod præfati duo fratres Annibal, & Sigismundus non forent Notarii, ex quo nullum aliud Instrumentum appareret ab eis confectum, utique per plures possibiles, & simul juridicas responsiones valebat elidi, inter quos superabundabat illa, quod fortè, vel iidem fratres neglexerint redigere in volumina, seu Protocolla eorum Instrumenta, vel ex opposito eorum rogitus in unum, vel plures Codices colligendo, idcircò ansam præbuerint, quod vel singularia Instrumenta, vel Protocolla ipsa fuerint subtracta, combusta, vel alio casu, aut malitia per spatium unius, vel alterius sæculi deperdita, quando de natura negativæ est, ut nisi illa coarctetur per exclusionem possibilis in oppositum, in nihilo attendatur, teste Card. de Luca *de Parochis*, *disc.* 2. *n.* 10. Rota coram Ubald. *dec.* 884. *n.* 5. & coram Dunozett. jun. *dec.* 855. *n.* 9. & *dec.* 29 *n.* 70 *par.* 7. *rec.* & *dec.* 400. *n.* 15. & 18. coram Bichin.

Firma igitur remanente base visitationis, & confessionis; non defecerunt ulterius manifestiores etiam demonstrationes ab actibus ab indè citrà ex parte Archipresbyteri deductis, & justificatis. Primò etenim intercedit alia fortè efficacior Visitatio mandante san. mem. Gregorio XIII. de anno 1573. expleta per Episcopum Majoren. qui suam Apostolicam delegationem exercendo expressè pariter declaravit, Ecclesiam S. Petri principalem esse, ac Matricem Terræ Bagnacaballi; Quamobrem, & ex hac circa legalitatem incontroversa Visitatione, quæ adamussim in sui Medulla conjungitur cum altera, de qua suprà, sæculi præcedentis, magis corroborari eamdem Visitationem præcedentem, sed etiam de per se summopere prodesse ad ostendendam Matricitatem ultrà superiùs allatos videre est penès Rotam *dec.* 90. *sub n.* 15. *vers. quæ omnia*, & *num.* 16. *par.* 16. *rec.*

Absque eo, quòd audiri mereretur impugnatio facta per Rectores ad hanc posteriorem Visitationem sub prætextu, quod verba præfatæ posterioris Visitationis processerunt de ore, sive ad dictamen Archipresbyteri; Quia quatenùs pertinet ad Matricitatem, contrarium enitet ex ipsa lectura discretivè ad nonnulla alia, quæ Visitator fideliter expresserat, uti asserat per Archipresbyterum, & sanè nec etiam præsumi poterat, diversimodè se gessisse Visitatorem, quem Pontificia providentia selegerat, ut in specie de Visitatore Apostolico liquet, ex congestis per Rotam coram Durano *dec.* 23. *n.* 4. & 5. & *dec.* 144. *sub n.* 5. *vers. Præterea*, & coram Card. Cerro, *dec.* 40. *n.* 6. & 7. & *dec.* 234. *n.* 15. *par.* 16. *rec.*

Secundò, Probationem resultantem ex hisce Visitationibus concomitabantur Testes allati per eumdem Archipresbyterum, qui suprà hominum memoriam profitentur, Ecclesiam S. Petri agnitam extitisse semper pro Matrice, adeout ad novissima etiam hodierna tempora consueverint Habitatores, & Incolæ memoratæ Terræ Bagnacaballi Paschalia Sacramenta recipere veluti in propria Parochia in eadem Ecclesia S. Petri, quam utique probationem esse de urgentibus ad concludendam Matricitatem uno ore affirmarunt relati per Pignatell. *consult. canon.* 109. *num.* 4. *tom.* 9. Panimoll. *dec.* 5. *n.* 12. & 13. & *ibidem in annot.* 1. *n.* 10. Rota coram Pamphil. *dec.* 578. *n.* 7. ibique Adden. *n.* 10. & coram Peutinger *dec.* 17. *n.* 3. & 4. & coram Bichio *dec.* 97. *n.* 22. & *dec.* 169. *n.* 26. & *in rec. d. dec.* 397. n. 8. *cum seqq.* *par.* 13. & *dec.* 7. *sub n.* 2. *par.* 18.

Tertiò; In idem conspirat moderna relatio Vicarii Faventini, quam ante sententiam à Successore suo prolatam exhibuerat S. R. E. Cardinalibus Sacri Concilii Tridentini Interpretibus, in ea nanque relatione non solùm adhæret super hoc puncto Matricitatis Visitationi mox laudatæ, sed etiam testificatur ad præsens, idcircò Archipresbyterum S. Petri detinere ad exercendam Curam Animarum in ipsa Ecclesia Bagnacaballi Cappellanum à se deputatum cum turnaria partitione per hebdomadas; admodum autem attendendas esse consimiles relationes, quæ per Ordinarios ad Sac. Congregationes transmittuntur, respondit Rota *dicta dec.* 234. *num.* 16. & 17. *par.* 16. *dec.* 305. *num.* 15. & *dec.* 460. *n.* 9. & 10. *par.* 18. & *dec.* 685. n. 9. coram Card. Cerro.

Quartò; Magnum fomentum hisce omnibus adjicere visa est ordinatio cla. me. Cardinalis Cennini, quam de anno 1634. veluti tunc munus implens Episcopale, idem Cardinalis edidit ad obtruncandas controversias, non solùm eo tempore subortas, sed etiam in futurum occurrendas, dum in ea plura sanciuntur, quæ non possunt congruere, nisi Ecclesiæ Matrici, & Superiori, nimirùm, ut Archipresbyter præcedat Rectoribus tam in Ecclesia; quàm extrà, solemniter benedicat Fonti Baptismatis, & Augustissimum deferat Sacramentum in Processione SS. Corporis Domini; Hæc namque signa, juncta cum detentione Capellani ad exercendam Curam Animarum in ipsa Ecclesia Sancti Michaelis, undequaque saprre, ac præseferre Matricitatem frequenter patet, & præcipuè apud Vitalin. *in Clement. prima n.* 13. *de sent. excommunic.* Pignatell. *d. consult.* 109. *n.* 3. & *seqq.* & *consult.* 107. *n.* 2. & 5. *tom.* 9. Rota coram Seraph. *dec.* 185. *per totam*, & *in Romana Praeminentiarum* 16. *Junii* 1679. *ex* §. *Ceterum*, *cum pluribus seqq. confirmata* 13. *Junii* 1681. coram bon. mem. Rondinino.

Quintò; Tandem palpare quodammodo faciebat Matricitatis prærogativam rarius fortassè casus, cum quo procedebatur in Regimine Ecclesiæ Sancti Michaelis, & respectivè in administratione Curæ, cùm ex præmissa relatione Sac. Congregationi Concilii exhibita per Ordinarium, & ex unanimi Testium depositione constet, quod Ecclesiæ Sancti Michaelis nullis certis distinctis limitibus respectu Curæ separatur, sed adhæsivè ad Confinia Ecclesiæ Archipresbyteralis exercet Animarum Curam per suos Curatos, inter quos numeratur etiam Capellanus deputari assuetus, per Archipresbyterum; Cùm enim absonum, & monstruosum foret, si vel una Sponsa plures Viros, vel unum Corpus plura capita teneret, ut de primo casu Textus est *in c. primo*, *de Sponf. duor.* & de secundo *in c. plerisque de Offic. Ordin.* ita ad tollendam hanc mõstruositatem necesse est inferre, quod hi omnes in Ecclesia S. Michaelis figuram Parochi exercentes reputandi potiùs veniant (ut benè declarabatur in prædictis confessionibus, & Visitationibus) tanquam subsidiarii Ministri subalternãtes in exercitio Curæ alteri, qui sit habitu verus Parochus, verus Sponsus, & verum Caput ejusdem Ecclesiæ tanquam Prælatus, sive Archipresbyter Ecclesiæ Matricis, quemadmodum tradiderunt Gratian. *discept.* 865. *num.* 23. *cum seqq.* Gonzal. *ad regul. Cancell. gloss.* 6. *num.* 42. & *seqq.* latè Lotter. *de benef. lib.* 1. *quæst.* 20. ex n.

110.

110. *cum pluribus seqq.* Murg. *de benefic. q. 2. num. 351. & seqq.* Rota *dec. 52. num. 17. cum duobus seqq. par. 2. divers. & dec. 377. n. 9. & seqq.* coram Bichio, *& dicta dec. 397. num. 8. 9. & 10. par. 13. & dec. 284. num. 5. par. 14. & dec. 39 n. 2. & 3. & n. 12. par. 15. & dec. 90. n. 3. 4. & 5. par. 16. & dec. 516. n. 2. cum seqq. par. 18. & in Novarien. Portionum Parochialium 4. Julii 1696. §. Præterea*, coram R.P. D. meo Molines.

Non adversante, quod juxta firmata per Doctores *in cap. non ignores 15. de Prebendis*, nempè per Joan. Andr. Hostien. Innocent. Butr. & alios, quos refert Rota *dec. 90. n. 10. par. 16. & dec. 225. n. 2. par. 19.* contingat casus, quod Juri non repugnet, dari in eadem Ecclesia plures Curatos, apud quos in solidum Cura ipsa resideat; Siquidem quidquid sit, an ad effectum, ut plures exercere valeant Curam in solidum, de rigore exigatur, quod adsit tertius, penès quem radicetur, ac subsistat jus formale Parochialitatis, ex quo tunc certò certiùs actuales personæ administrantes Animarum Curam repræsentent figuram simplicium Adjutorum, ut censuit antiquioribus relatis Rota *d. dec. 90. n. 11. par. 16.* Sive potiùs substineri etiam valeat, quod illa Unicitas, quæ necessaria est in hoc sponsalitio spirituali inter Ecclesiam, & Rectorem, conservari possit in pluribus, qui se habeant ad modum unius, ut in suo casu existimavit Rota *dicta dec. 225. n. 3. & 4. par. 19.* hoc tamen congruere posse non videbatur præsenti hypothesi, ex quo inter istius Curatos adscribitur, & actu exercet eamdem Curam Capellanus ab Archipresbytero deputatus, signum evidens, quod Cura habitualis saltem in ea parte, quæ per hujusmodi Capellanum administratur, residet penès Archipresbyterum, ideoque cùm inter ipsum Archipresbyterum, & alios Curatos non possit dari perfecta societas collegiativa, Tum quia inter Inferiorem, & Superiorem non cadit ista Societas, sed unio tantùm Corporis moralis, sive intellectualis, sicut est illa Societas, quæ datur inter Caput, & reliqua membra; Tum ex eo, quia aliàs daretur, quod Archipresbyter S. Petri foret Curatus duarum distinctarum Parochiarum, quod sine dispensatione fieri nequit, ex sancitis *in cap. de Multa, de prabend.* & in Concil. Trident. *sess. 24. de reform. cap. 17.* Murg. *de Benef. quæst. 3. n. 442.* Card. de Luca *de Jurepatron. disc. 13. num. 9.* Rota *dec. 357. n. 6. par. 15.* Cogimur idcircò concludere, præsertim junctis aliis demonstrationibus, ut suprà, quod reverà unica sit Parochia, sed pro majori commoditate Oppidi, sive Terræ non exiguæ Bagnacaballi adducti fuerint alii Operarii ad Curam administrandam, ut est regulare in omnibus Ecclesiis filialibus, & dependentibus a sua Matrice, & quod una sit Parochia, & unus Parochus saltem habitu, optimè in simili animadvertit Tondut. *quæst. benefic. par. 1. cap. 56. n. 9.* Panimoll. *dec 5. adnot. prima n. 47. cum duobus seqq.* Pignatell. *dicta consult. 109. num. 1. tom. 9.* Card. de Luca *de Jurisdict. disc. 30. n. 5.* Rota *dec. 7. n. 7. & 8. & num. 10. par. 18.*

Ac demùm sextò præmissa omnia validabantur firmiori vi, perpendendo, quod Archipresbyter in actu capiendæ Possessionis suæ dignitatis non tantùm eamdem possessionem apprehendit quoad Ecclesiam Sancti Petri, verùm etiam idipsum facit in Ecclesia Sancti Michaelis, ut signanter practicavit Archipresbyter Actor in hac Causa. Nisi enim Ecclesia Sancti Michaelis ad se tanquam unita pertineret, vel esset dependens, ac filialis, utique non posset intromittere se circa possessionem Ecclesiæ non suæ, vel à se non dependentis, sicuti ad hanc circumstantiam reflectendo ponderavit Rota *in Gerunden. Hebdomadariæ 5. Maii 1690. §. Tertiò valdè conferunt*, coram Reverendissimo D. meo Decano.

Adversus hæc solidissima fundamenta allata per Archipresbyterum, nullum aliud ex parte Rectorum promovebatur, quod peculiari reflexione dignum videretur, nisi, quod illæ aliæ geminæ Rectoriæ, quæ per Turnariam divisionem, ut diximus, una cum Capellano deputato ab Archipresbytero Sacramenta administrant, veluti Beneficia Curata penitus independentia, ac libera prævio concursu conferuntur ab Ordinario, quando tamen regulariter nil magis repugnat Unioni, quàm status collativus in titulum, ad sæpè firmata per Rotam, ut in *Gerunden. Sacristia 28. Junii 1694. §. Quinimò, & 22. Martii proximè præteriti, §. Quibus præsuppositis*, coram R.P.D. meo Pio, *& in Gerunden. Parochialis 4. Junii 1696. §. Non obstat*, coram bo. me. Emerix, *& in ejus confirmatoria edita sub die 23. Januarii mox elapsi, §. Tum etiam quia*, coram R.P.D. meo Muto, nilque etiam magis adversatur matricitati, quàm quod Rector Ecclesiæ Matricis non præsentet, aut deputet sub alternom Rectorem, ut constat ex *cap. ad audientiam*, in quo Sedes est hujus materiæ, *de Eccles. ædificand.* Alexander enim Tertius ibidem rescribens Archiepiscopo Eborscen. eidem expressè mandavit, ut in Ecclesia noviter ædificata, ac filiali intra circumdatium alterius præexistentis ædificata *Sacerdotem ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris institueret*, ibique *gloss. verb. Præsentationem* rationem reddens subjungit. *Quia talis Sacerdos est eidem Rectori subjectus.*

Sed hujusmodi difficultas cæteroquin valdè perurgens minimè fuit reputata sufficiens ad prosternendam molem tot in unum conspirantium argumentorum, ac demonstrationum Matricitatis; Posthabita etiam namque huic eidem objecto responsione attributa per Rot. *in d. Novarien. Portionum Parochialium 4. Julii 1696. §. Nec obstant duo*, postmodum *confirmata sub die 26. labentis mensis*, coram R. P. D. meo Molines, scilicet, quod hujusmodi moderniores Concursus (prout quoque recentes sunt in casu nostro) potiùs ad majorem cautelam, vel errorem referendi veniunt, quàm quod præjudicium valeant inferre Archipresbytero; Attamen quia, ex huc usque singulariter observatis, in hac Ecclesia S. Michaelis ipsemet Archipresbyter retinet ex deputatione Capellani figuram procul dubio simultaneam Curati, hinc proinde cum amatitudo restringatur ad duos alios eamdem Curam insimul exercentes, tantùm abest, ut hoc indicium possit evellere jus radicatum circa Præeminentias, & Curam in persona Archipresbyteri, ut potiùs queat optimè conciliari cum eo, quod passim ad mentem Juris, & interpretationem *ejusdem c. ad audientiam*, notant Scribentes, nempè quod in tantùm jus præsentandi non spectet ad Rectorem Ecclesiæ majoris, in quantum hæ duæ Capellaniæ, seu Rectoriæ fuerint alienis sumptibus, & ære constructæ, & fundatæ, secundùm ea, quæ ad limitationem prætati *cap. ad audentiam* specificè tradit Gonzal. *ad regul. Cancell. gloss. 10. n. 7. & 8.* & conveniunt uno ore Card. Paris. *in cap. cùm Venerabilis sub n. 80. vers. circa illud de except. inter Repet. Canon. vol. 4. fol. 171.* Gata. *de Benef. par. 5. cap. 9. n. 56.* Barbos. ad Concil. Trident. *sess. 21. de Reform. c. 4. n. 13.* Vivian. *de Jurepatr. lib. 2. cap 7 n. 1.* Zipæ *consul. Canon. lib. 3. tit. de Eccles. ædifican. consult. unic. propè finem vers. & verò*, plenè Fagnan. *in dicto cap. ad audentiam n. 39. eodem tit.*

Cumque (ut probabile est) Piorum eleemosynis, ac Populi largitionibus absque determinatione particularis Personæ inita fuerit fundatio, nil mirum, quod Ordinarius liberam habeat potestatem conferendi easdem Rectorias citra ullam illationem, quæ sit apta nocere Ecclesiæ Matrici, ejusque Archipresbytero; Nam ubi Fundator non est certus, vel noluit sibi expressè, vel tacitè reservare jus præsentandi ad Beneficium sive simplex, sive Curatum, hoc spectat ad Ordinarium, ex plenè deductis per Cottad. *in prax. benefic. lib. 4. cap. 7. num. 25.* Card. de Luca *de Jurepatr. disc. 55. n. 20.* Rota *dec. 564. n. 7. ad finem vers. & hoc eo magis par. 4. divers.*

Diximus, quod nullum aliud fundamentum ex parte Rectorum admodum considerabile offerebant, quia literæ Cardinalis Aldobrandini tunc superintendentis Statui Ecclesiastico permissivæ, ut Homines Bagnacaballi repararent Ecclesiam S. Michaelis, consovere visæ sunt enunciatam verisimilitudinem, quod ab initio sumptibus aliorum, non autem Archipresbyteri fundatæ extiterint Rectoriæ; Confessio Antecessoris Archipresbyteri emissa in quadam transactione de anno 1635. super Præeminentiis sibi magis ex benignitate, quam de Jure concessis in eadem Ecclesia S. Michaelis, nullo ex jam firmatis communiter adminiculo, unde valeat præjudicare successori, quinimò destituitur per suprà enunciatum decretum Cardinalis Cennini prolatum de anno immediatè præcedenti 1634. Ac denique dimissio Rectoriæ quam junctim in Ecclesia Sancti Michaelis administrabat quidam Anichinus Archipresbyter Sancti Petri, ad summum poterat importare, quod Anichinus dimittendo hanc particularem Rectoriam, per necessarium antecedens fateretur, illam esse titulum distinctum ab ejus Dignitate, sive Cura habituali, quod jam agnovimus non implicare, ex proximè consideratis *in §. sed hujusmodi*.

Subsistente itaque non solùm unione, quæ fermè ex eisdem actibus, & documentis emergit, sed præcisius Matricitate Ecclesiæ S. Petri, responsum consequenter, & illativè fuit, constare de bono jura Archipresbyteri non tantùm respectu Curæ nulla data Territorii separatione penès eumdem jure existentis, & de facto exer-

citæ

citæ ex Persona Capellani, verùm etiam Præeminentiarum; Cùmque circa species, vel genera earumdem Præeminentiarum nulla præfulgeat determinata norma per Jura Sac. Canonum, excepta superioritate, præcedentia, & in suis casibus Jurisdictione, sicuti ad intellectum Constitutionis Honorii Tertii editæ pro Ecclesia S. Laurentii in Damaso de Urbe *in c. his quæ, de majorit. & obedient.* luculenter dictum fuit *in allegata Romana Præeminentiarum 16. Junii 1679. & 13. Junii 1681. cor. bon. mem. Rondinino*, ad præscriptum Alexandri Tertii nihil aliud insinuetur, nisi quod *in Ecclesia filiali competens honor pro facultate loci Matrici Ecclesiæ servetur*, potuit idcircò remanere ad favorem Archipresbyteri (interpretante id consuetudine, ac observantia) totum illud, quod jam fuit in decreto Cardinalis Cennini præfinitum, & nuper declaratum per sententiam Vicarii Faventini, contra quam injustà idcircò apud Dominos apparuit reclamatio,

Et ita, utraque, &c.

Ad sessionem 21. cap. 7.

S U M M A R I U M.

1 *De demandata demolitione Ecclesiarum collabentium.*
2 *Quæ regula desuper statui valeat.*
3 *Quando etiam Ecclesiæ non collabentes demoliri, vel profanari debeant.*
4 *Si Clerici sæculares, vel regulares transferantur ad alium locum, atque Ecclesiam trahant, an secum ferant legata, & jura pro Missis, & Anniversariis.*
5 *Quid in specie Monasterii Monialium.*
6 *De translatione Congregationis, vel Collegii, aut nationis de una Ecclesia ad aliam.*
7 *Quid ubi sequatur suppressio Conventus, vel Monasterii?*
8 *Ad quem pertineat refectio Ecclesiæ Cathedralis, vel Parochialis.*

D I S C. XVII.

1 Ecclesiarum vetustate, ac respectivè paupertate, vel indecentia exigente, adeout illæ restitui, vel ad decentiorem formam reduci non valeant; Benè ac nimiùm laudabiliter in hoc decreto provisum est, ut illæ profanari debeant, ac profanatæ destrui, seu aliis usibus applicari, ibique erecta Beneficia, vel Capellaniæ, vel Missarum onera, ad alias conspicuas, sive ad Parochiales, sive respectivè ad Matricem, aut majorem Ecclesiam transferendo, pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis; Ideoque pariter certa, & generalis regula, cuicumque casui applicabilis desuper statui non potest, idemque dignoscitur error proximè supra *disc. præced.* insinuatus, procedendi cum regulis generalibus, sive cum DD. traditionibus, aut cum aliquibus Sac. Congregationis declarationibus, vel provisionibus, quæ (ut pluries advertitur) pro diversorum casuum particularibus circumstantiis non semper sunt uniformes.

2 Quandoque autem, cessantibus etiam causis in isto conciliari Decreto consideratis, adhuc, ex prudentibus provisionibus Sacræ Congregationis Immunitatis, sive illius Episcoporum, aliquarum Ecclesiarum, quamvis aliàs benè, ac decenter constructæ sint; neque alia indigeant refectione, demolitio, vel profanatio demandari solet, quod etiam ipsi Ordinarii, quando facti circumstantiæ, ita exigant, in visitatione facere deberent; Putà ubi de Ecclesiis existentibus extra loca habitata, & in locis campestribus, seu aliàs ita situatis, ut pro delinquentium, ac facinorosorum hominum confugio cum publicæ quietis perturbatione deserviant.

3 Ubi verò Ecclesiæ demolitio, vel profanatio non sequatur, sed ea deseratur per Clericos sæculares, vel regulares ibi morari solitos, eique inservientes, qui alibi Ecclesiam fundent, seu alterius Ecclesiæ servitio addicantur, tunc cadit dubitatio circa onera Missarum, & Anniversariorum, an remaneant in ipsa Ecclesia, sub dispositione Ordinarii, qui alios deputet Clericos pro adimplemento, pro quo melius faciendo ad Ecclesiam Matricem, vel aliam, transferat onera, vel potiùs cum dictis Clericis, vel Religiosis eadem onera

4 transeant ad aliam Ecclesiam? Et tunc distinctio est, quod aut constat, quod Missarum, & anniversariorum legata facta non sint taxativè pro particulari devotione illius Ecclesiæ materialis, sed potiùs respectu clericorum, seu Religiosorum ibi morantium; Et tali casu

cùm eorum corpus sive universitas non dissolvatur, seu agatur, tantùm de translatione de loco ad locum, præsertim intra eamdem Civitatem, vel diœcesim, verius est, ut personæ secum trahant hæc bona, vel jura, cum oneribus, juxta celebrem *decisionem Seraphini a*, in qua agitur de translatione Monasterii monialium de uno ad alterum, ut secum trahant legata cum oneribus Missarum, quamvis in verbis concepta essent ad favorem antiquæ Ecclesiæ, quoniam ea stare censetur demonstrativè tanquam illa Ecclesia, in qua Moniales Missas audiunt, atque divinis assistunt.

Et meritò quidem (ut in me ipso experior) quoniam libentius in Ecclesiis Monialium fundari solent 5
Capellaniæ, pro celebratione Missarum, aliorumque divinorum; Tum ad sublevandum Monasterium ab onere aliàs necessario habendi proprios Capellanos, saltem pro Missa quotidiana, seu Conventuali; Tum etiam, quia ita magis certus redditur disponens de injuncti oneris implemento, quod tractu temporis in Ecclesiis Clericorum sæcularium, vel regularium, ob eorum multiplicitatem, negligi solet, quod à Monialibus negligi non solet; Ideoque Monasterium secum trahit hujusmodi bona, & jura cum annexis oneribus.

Ita pariter ubi de alicujus Collegii, vel Monasterii, aut alterius Universitatis translatione agatur, ut do- 6
cet frequens praxis Urbis in Ecclesiis nationalibus, in quibus nationalium Congregationes habentur, cum diligenti ipsarum Ecclesiarum cultu, ex legatis, aliisque dispositionibus, & oblationibus earumdem nationalium, vel aliorum, qui ipsis annexi sint, quoniam aliquando mutare solent situm, seu Ecclesiam materialem, ut nostris temporibus experti sumus in Urbe, præsertim in natione Picena habente Ecclesiam sub invocatione Almæ Domus Lauretanæ, quod ferè intra decennium, vel parum plus, plures mutavit Ecclesias.

Ubi verò id sequatur ob illius corporis, vel Universitatis dissolutionem, vel suppressionem; Et tunc pro facti qualitate onera remanent penès ipsam Eccle- 7
siam materialem, si in ea decenter, & commodè impleri possunt, sin minus ad aliam Ecclesiam transferuntur, ut melius videatur Ordinario, vel Sac. Congregationi; Prout praxis nostri sæculi docuit in suppressionibus Religionum in universum, sive parvorum Conventuum, quoniam Religiosi, bona, & jura, non traxerunt secum ad alios ejusdem Religionis Conventus, ut facere posse credebant, atque disputatum fuit cum fundamento dictæ decisionis Seraphini, sed super eis diversæ factæ fuerunt provisiones, rejectis pluribus prætensionibus excitatis per fundatores, vel benefactores super resolutione donationum, aliarumque dispositionum, ac bonorum reversione, ad eos, sive onerum translatione ad alias Ecclesias, eorum arbitrio, quoniam cessante expresso pacto resolutivo, sive ratione imperfectæ, ac verè non secutæ fundationis, hujusmodi prætensiones neglectæ fuerant, ut alibi in meis annotationibus advertitur. *b*

Ad quem autem pertineat refectio Ecclesiæ Parochialis, vel Cathedralis respectivè, non de facili, certa regula generalis cuicumque casui applicabilis statui potest; 8
Quamvis enim regulariter spectet ad Rectorem, vel Episcopum, aliumvè Prælatum respectivè; Attamen in plerisque partibus, ut præsertim frequentiùs est in Hispania, fabrica Ecclesiæ suam dotem, seu mansam distinctam habere solet, & in plerisque partibus ex consuetudine solet esse onus Communitatis, & populi, atque consuetudine cessante, inspiciendæ sunt vires ipsius Ecclesiæ, vel mensæ Episcopalis, aut Rectoris, quoniam si redditus non exuberant post necessariam ipsius Rectoris, vel Prælati substentationem, tunc populi, vel parochianorum onus erit *c*; Et in summa, decisio pendet ex facti qualitate, & circumstantiis particularibus.

a 1149. *& Rat. in Tudertina celebrationis Missar. 23. Maii 1653. coram Meltio.* b *sub tit. de donat. disc. 12. & seqq.* c *in tit. Miscell. Ecclesiast. disc. 28.*

Ad Sessionem 21. cap. 9.

S U M M A R I U M.

1 *Prohibitio quæstuariorum.*
2 *Ad quid in hoc adverti debeat.*
3 *De quæstionibus super quæstuatione inter Regulares.*
4 *Et alias inter Clericos sæculares, vel Confraternitates.*
5 *De oblationibus, et eleemosynis, ad quem pertineant.*

Aa DISC.

D I S C. XVIII.

1 INnovatur per hoc Decretum, antiquiorum Canonum, & Conciliorum, pia, prudensque prohibitio, illorum quæstuariorum, qui otiosam vitam ducere studendo, ex professione hoc munus agunt, atque catholicum Orbem peragrando, ut plurimum vagabundi, ac vitiosi sunt, atque idiotas præsertim personas, ac mulieres pias, ac devotas, ut pecunias extorqueant, decipere student, cum indulgentiarum, aliorumque spiritualium privilegiorum amplis assertionibus, & communicationibus, plures etiam errores disseminando.

Quamvis autem ita provisum sit, adhuc tamen eorum
2 usus, non omninò extirpatus est, quoniam præsertim, in vim facultatum, quas aliquæ piæ Confraternitates Urbis habent, alias aggregandi, cùm communicatione indulgentiarum, & privilegiorum, adhuc istæ personæ, quæ huic ministerio, seu vitæ modo deditæ sunt (ut ex frequentiori praxi, præsertim jure quodam hæreditario, seu naturali, esse videntur incolæ aliquorum castrorum, aliorumque obscurorum locorum Appennini) idem continuant; Ideoque totum pendet ex majori, vel minori vigilantia Ordinariorum super hujus decreti observantia; Potissimè quia Sac. Congregationes, præsertim illa Visitationis Apostolicæ super hoc invigilant, Ecclesiis, & confraternitatibus Urbis inhibendo ne hujusmodi quæstuarios transmittant, sed potiùs pro eleemosynis comparandis pro fabrica Ecclesiæ, vel pro implemento aliorum piorum, se commendent locorum Ordinariis; Specialiter verò inhiberi solet ne ad id deputentur personæ dictorum locorum etiam in casibus, in quibus videatur pro facti qualitate hujusmodi facultas concedenda; Verùm in hoc superiores decipiuntur, quoniam iidem alias supponere solent personas, sub quarum nomine istud connaturale ministerium exercent.

Super hoc autem jure quæstuandi, in Sac. Congreg. Regularium præsertim, ac in aliis, quæstiones adhuc audiri
3 solent, potissimè inter Regulares mendicantes per veritatem, quia nempè verè ex mendicitate vivant, quorum privilegia per istud decretum revocata non sunt, ut de his quæstionibus habetur in regularium adnotationibus. *a*

Ac etiam oriri solent inter alias Ecclesias clericorum sæ-
4 cularium, vel confraternitates laicorum sive alia pia loca, ne quæstuatio fieri possit sub invocatione alicujus imaginis, vel capellæ, aut Instituti, in præjudicium alterius, cui aliquod jus in hujusmodi quæstuatione sub ea invocatione quæsitum esset *b*; Super his tamen certa regula generali statui non potest, cùm ex privilegiorum tenore sive ex consuetudine, aut locorum, vel operum qualitate totum pendeat, ex quibus Superiorum arbitrium regulandum est.

De controversiis autem inter Parochos, & locorum Or-
5 dinarios, vel aliarum Ecclesiarum rectores super eleemosynis, ac oblationibus, quæ fiant per populum devotis, ac miraculosis imaginibus de novo repertis, agitur in Parochorum, & oblationum sedibus particularibus. *c*

a *sub tit. de Regular. disc. 28. cum seqq. & sub tit. de Regalib. disc. 37.* b *in Miscellan. Ecclesiast. disc. 31. & 32. & de Regul. d. disc. 28. & seqq* c *sub tit. de Paroch. disc. 30. & sub tit. de decim. disc. 19.*

Ad sessionem 22. cap. 1.

S U M M A R I U M.

1 *DE vita, & honestate Clericorum, & quid eis prohibeatur.*
2 *Quales sint vestes clericales.*
3 *De ludis, qui clericis sint prohibiti.*
4 *De mercatura clericis prohibita, & qua.*
5 *Damnatus usus Commissariorum, qui peragrantur diœceses ex causa illicitæ negotiationis.*
6 *An Contractus cambii sit licitus?*
7 *De pœnis illicitæ negotiationis.*
8 *In quo Concilium Tridentinum innovaverit jus commune.*
9 *An sit mercatura componere pharmaca, vel aquam vitam ex vino, & similia?*

D I S C. XXV.

1 SAcrorum Canonum dispositio, super vita, & honestate clericorum, generaliter in hoc decretum innovatur, tam circa habitum, quàm circa alia, quæ clericis illicita sint, præsertim, ut abstineant à Ludis alearum, & à choreis, aliisque sæcularibus luxibus, ac etiam à negotiatione, seu mercatura, nihil speciale, vel de novo desuper statuendo, sed solum innovando id quod jam per Canones provisum erat.

Circa vestes clericales, quales illæ sint, habetur *infrà* 2
disc. 24. Quo verò ad ludos alearum, & taxillorum, ac alios; Quamvis generaliter prohibiti sint; Attamen certa regula generalis desuper statui non potest, cùm totum pendeat à diversorum locorum moribus, & an indefinitè clerici lusores populo scandalum præbeant, quamvis occul- 3
tè, ac modestè recreationis gratia id fiat; Et è converso circa ludorum diversas species, etiam in eodem genere alearum, quod scilicet aliquæ scandalosæ reputentur, aliæ non, ut ipsiusmet Urbis, vel Romanæ Curiæ praxis docet, pro locorum, ac ludorum respectivè moribus, & qualitate prudens Ordinariorum, aliorumque superiorum arbitrium in hoc regulandum est quoad clericos sæculares, cum respectu regularium indefinitè, præsertim circa ludum alearum, nulla data distinctione, ille scandalosus videatur; Quamvis non desint aliqui volentes, ut eis permitti possit modernus ingeniosus ludus qui *omo*, seu *ombre* vulgò nuncupatur *a*; Quod tamen ita obiter insinuatur, referendo, quod aliqui dicunt, non autem id affirmando.

Majores itaque controversiæ, quæ desuper oriri solent, 4
percutiunt materiam mercaturæ, seu negotiationis, super qua, solent quidem aliquando Ordinarii locorum inquirere frequentiùs autem Diœceses cursitare solent camerales officiales, vulgò commissarii nuncupati, stantibus Apostolicis Constitutionibus applicantibus Cameræ Apostolicæ ea, quæ per clericos ex illicita negotiatione facta sint, quod juris communis dispositioni innixum est, ut scilicet fiscus tanquam ab indigno auferat omnia, quæ turpiter, ac illicitè quæsita sint; Verùm commendabilius videretur, ut hujusmodi commissariorum usus prohiberetur, quoniam fortè absque ulla, vel nimium exigua Cameræ utilitate, magna inconvenientia audiuntur, magnæque fieri solent extorsiones, adeout sine præjudicio proborum, qui tali sunt, videatur species itinerantiæ latronum, seu bannitorum.

Quamvis etenim S. Congreg. ut inconvenientibus oc- 5
curreret, plures dederit salubres provisiones, ac ediderit declarationes super actibus licitis, ex quorum prætextu hujusmodi Commissarii Clericos molestare solent, atque ut dictum est, absque aliqua Cameræ Apostolicæ utilitate, magnas, & scandalosas facere extorsiones, ubi scilicet de Ecclesiarum, vel Patrimonialium terrarum cultura agatur, sive de industria animalium pro stercoratione agrorum, aut pro pastura propriarum herbarum, seu glandium, vel pratorum &c. aut ubi bombices fiant pro reportando fructum foliorum propriarum arborum, cum similibus; Non tamen istud sufficiens remedium videtur, quoniam sub hoc prætextu examinandi, an dictarum declarationum requisita verificentur, necne, extorsiones fiunt; Ideoque usus hujusmodi Commissariorum omninò aboleri deberet, dum experientia docet, quod exinde, nulla, vel nimiùm exigua utilitas Cameræ resultat, ex ista illicitæ negotiationis inquisitione.

Disputari autem quandoque consuevit, an contractus 6
cambii in ea forma obliqui iniri solitus, ut mutuum, ac circulationem contineat, illicitam negotiationem redolere dicatur; Atque pro affirmativa, quandoque Rota respondit, cujus contrarium de stricta juris censura probabilius videtur, nisi, vel ratione communi opinionis, vel ratione modi, in formam scilicet, vel stylum campsoris, cum publicitate, ac multiplicatione contractuum, scandalum id præbeat, ut in cambiorum annotationibus advertitur. *b*

In tali casu autem, in quo illicita negotiatio exerceatur, 7
Jus quidem est Superioris, clericum negotiatorem punire, ac etiam lucra tanquam ab indigno auferre, atque Ecclesiæ, vel piis operibus, vel respectivè Cameræ Apostolicæ applicare, pro locorum, vel diœcesum diversis moribus, Aliamque Clericus pœnam sentit privationis ecclesiasticæ immunitatis realis in iis, quæ mercaturam concernunt *c*; Non tamen exinde acquirendi dominium lucrorum ex negotiatione resultantium incapacitatem patitur, quoniam benè acquirit, licèt malè retineat. *d*

Illud autem hoc decretum conciliare antiquorum Cano- 8
num dispositioni addidisse videtur, ut in iis, quæ morum correctionem concernunt, Ordinarius quodam Apostolicæ Sedis jure etiam delegato, appellatione remota procedat, ut supra *disc.* 5. occasione visitationis advertitur.

An autem mercatura clericis prohibita, dicatur compo- 9
nere pharmaca, ut vendantur, in Regularium sede advertitur;

tur e; Ac etiam in altera Regalium, an ea vino liceat componere illum liquorem, qui Aquavita appellatur. f

a tit. de alien. & contract. disc. 49. b sub tit. de cambiis disc. 18. & in supplemento. c in Miscell. Ecclesiast. disc. 2. & 5. d d disc. 18. de cambiis. e tit. de Regular. disc. 60. f tit. de Regal. disc. 53.

Ad Sessionem 22. cap. 4.

S U M M A R I U M.

1 *NOn existentes in sacris non habent vocem in Capitulo.*
2 *Non prohibentur habere votum consultivum.*
3 *An Dignitates habeant vocem in Capitulo?*
4 *De possessione adipiscenda capitulariter.*
5 *Consuetudo dandi votum in Capitulo, quomodo attendi debeat.*
6 *De consuetudine, ut Episcopus, vel Prælatus habeat votum duplicatum, vel præponderans.*
7 *An Beneficiati, vel Capellani, aut simplices presbyteri habeant vocem in Capitulo.*
8 *Distinguuntur actus capitulares.*
9 *De modo proferendi vota, & quæ debeantur computari.*
10 *De obligatione assumendi ordines.*
11 *A quo tempore currat terminus ad id præfinitus.*
12 *De beneficiis, quibus sint annexi ordines sacri, & qui.*
13 *Beneficia simplicia, quod sint sacerdotalia.*
14 *Quæ regulæ desuper statui valeant, & quomodo procedendum.*
15 *Qualitas sacerdotalis, de quo tempore adesse debeat.*
16 *Quod beneficia non possint stare in suspenso, & de differentia cum fideicommisso.*

D I S C. XX.

1 PRovisi de Canonicatibus, aliisque beneficiis capitularibus, seu collegialibus, quibus de ipsorum beneficiorum naturæ, jus competit votandi, seu vocem habendi in Capitulo, ut ad sacros ordines suscipiendos alliciantur, jure votandi privantur, per hoc Decretum, quousque in minoribus steterint, ideoque Apostolica dispensatione non accedente, jus habendi vocem in Capitulo, tam in electionibus, quàm in aliis actibus verè capitularibus à votorum majori parte conficiendis, solùm habent cum voto decisivo illi qui in sacris, saltem in ordine Subdiaconatus constituti fuerint, quod etiam in Cardinalibus non dispensatis procedit.

2 Non exinde tamen prohibentur alii, qui in sacris non sint, in capitulo intervenire, eorumque judicium tanquam votum consultivum proferre, cùm non sit prohibitum.

3 In hoc autem proposito habendi vocem in capitulo, inter ejusdem Ecclesiæ cathedralis, vel Collegiatæ Dignitates, & Canonicos, quæstiones cadere solent, quæ facti potiùs, quàm juris dicuntur, super justificatione scilicet consuetudinis, qua accedente, etiam Dignitas vocem habet, atque de capitulo dicuntur, ut præsertim in majori parte cathedralium, vel Collegiatarum Italiæ praxis docet; De jure autem in contrarium est regula, ut non dicantur de capitulo, neque vocem habeant. a

Atque exinde resultat modus capiendi possessionem,
4 quoniam canonicatuum, aliorumque beneficiorum capitularium, possessio capitulariter apprehendenda est, ac aliàs invalida, & inefficax censetur, nisi capitulum ad id requisitum se convocare noluerit; Id autem dicendum non est in dignitatibus, quoties juxta juris regulam non sint de capitulo, neque vocem in eo habeant, secùs autem in casu converso. b

Ubi verò dicta consuetudo non sit generalis, in omnibus actibus capitularibus, sed in aliquibus tantùm, & tunc, in
5 iis, in quibus inducta fuit, operativa est, in aliis autem firma remanet juris regula, ex consuetudinis natura, ut strictè in casu præciso attendenda sit, neque ejus extensio detur de casu ad casum, eodem modo quo non extenditur de persona ad personam, vel de loco ad locum. c

Idemque pluries decisum est in ea consuetudine, quæ in Hispaniarum præsertim Ecclesiis Cathedralibus, vel Colle-
6 giatis, viget, ut Episcopus, vel Prælatus, sive sit ratione ipsius Prælaturæ, sive ratione sibi annexi canonicatus, adeout potiùs tanquam Canonicus, quàm tanquam Episcopus intervenire dicatur, super ejus voti duplicitate, vel præponderantia, ad effectum, ut in paritate votorum, actum capitularem concludat; Quoniam nisi probetur consuetudo generalis, ejusque justificatio, quæ in aliquibus tantùm particularibus actibus accedat, in iis tantùm attendenda est, non autem in aliis, ex eadem regula prohibitæ extensionis de casu ad casum, cùm de jure tanta sit vox Prælati, quanta est illa cujuslibet canonici, vel capitularis, quoties in capitulo, tanquam unus ex capitularibus intervenit, quoniam ubi personam gerat Episcopi (ut in collatione beneficiorum simultanea cum capitulo contingit,) extra capitulum suum jus exercet, ejusque jus est coæquale, adeout tanta sit vox solius Episcopi, quanta est illa totius capituli; Quando verò tanquam Episcopus suũ jus exercet jure devoluto, tunc nulla capituli mixtura dignoscitur, sed integrum est jus ipsius Episcopi, ut latiùs in beneficialibus meis adnotationibus advertitur. d

In hoc item proposito habendi vocem in capitulo, quæ- 7
stiones haberi solent inter canonicos, & beneficiatos, vel hebdomadarios, aut Capellanos eidem Ecclesiæ inservientes, atque de communi massa participantes, quamvis revera nullum beneficialem titulum collativũ habeant, ut in plerisq; Ecclesiis, etiam Cathedralibus contingit, quæ pro locorum consuetudine, receptitiæ sunt, civium, seu naturalium, quibus aliqua requisita habentibus, jus competit, coæqualem, vel respectivè inæqualem participationem habendi cum Canonicis, & Beneficiatis, de communi massa capitulari; Atque licèt regula sit negativa, etiam respectu beneficiatorum, aliorumque portionariorum habentium beneficium in titulum, quoniam de jure Beneficiati, vel similes non dicuntur de capitulo, quod à Canonicis tantùm constituitur, non autem à Beneficiatis, qui Capituli Ministri, ac servitores de jure dicuntur; Adhuc tamen, ubi consuetudo vigeat, illi deferendum est, cùm eadem superiùs insinuata distinctione, an ea sit generalis, vel particularis, cum prohibitione extensionis ut supra. e

Potissimè verò attenta actuum capitularium diversa na- 8
tura, seu qualitate, quoniam alii sunt merè jurisdictionales, ut præsertim est electio Vicarii, aliorumque Officialium S. de vacante, vel collatio canonicatuum, aliorumque beneficiorum, cum similibus; Alii verò sunt œconomici, ut (ex. gr.) sunt deputationes, quæ singulis annis, vel statutis temporibus fiant de syndicis, seu procuratoribus, ac etiam de punctatoribus, aliisque Officialibus super administratione bonorum, vel massæ, quoniam ex interventu in hujusmodi actibus capitularibus œconomicis, inferri non potest ad alios actus capitulares jurisdictionales, ex ea differentiæ ratione, quòd in actibus œconomicis, congruum, ac rationabile est, ut ii audiantur, ac interveniant, qui sunt interessati, atque participationem habent. f

Super modo autem conferendi votum, atque concluden- 9
di actum capitularem, quænam vota computanda sint, quæ verò non, aliquid insinuatur infrà, *dec.* 31. occasione agendi de electione Vicarii capitularis, ac etiam habetur in adnotationibus ad materiam canonicorum, & capituli. g

In hoc decreto quoque injungitur provisis de canonicati- 10
bus, vel dignitatibus, aliisque beneficiis, quibus ordines destributi sint ut ad eosdem ordines sub pœna privationis promoveri debeant infra annum, quod etiam in provisionibus Apostolicis cum decreto annullativo injungi solet.

Quamvis autem, in dicto præsertim decreto, quod per Datariam adjici solet in provisione, in verbis dicatur, ut à
die provisionis, seu datæ gratiæ, annus computari debeat; 11
Usus tamen, rationabiliter recepit, ut hic terminus non currat, nisi à die adeptæ pacificę possessionis, adeout, tempus litis, vel aliorum impedimentorum, de facto non computetur, nisi cessante quocumque impedimento, per ipsum provisum culposè steterit, quominùs possessionem adipiscatur; Quod etiam in susceptione gradus Doctoratus, aliisque necessariis qualitatibus statutum est, quoniam arctari non debet quis ad suscipiendum certum statum, præsertim irretractabilem, ex causa illius beneficii, de cujus effectiva assecutione, ac retentione adhuc incertus vivat. h

Qualia verò sint hæc beneficia, quibus annexa sit sacerdo-
tii, vel aliorum sacrorum ordinum necessitas, aliquid insi- 12
nuatum est *disc.* 24. occasione agendi de ætate, quæ necessaria est pro beneficiorum assecutione, quod scilicet, ubi agatur de Ecclesiis Parochialibus principaliter in titulum conferri solitis, cum habituali, & actuali cura animarum, promoveri debeat ad sacerdotium, quod pro munere parochiali, ac administratione Sacramentorum, præsertim pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ unctionis requiritur, ideoque

justo impedimento cessante privatio incurritur ipso jure; Idemque in vicariis in titulum conferri solitis, pro ejusdem curæ exercitio; Secùs autem in iis canonicatibus, & beneficiis, quibus ratione unionis, habitualis cura tantùm incumbat, quoniam tunc sufficit habere ætatem, vel ordinem, qui requiritur pro ipsius beneficii qualitate.

In canonicatibus autem, vel dignitatibus in cathedrali, inspiciendum est, an adsit distributio ordinum in hoc decreto præsupposita, quod scilicet alii sint presbyterales, alii verò diaconales, & alii subdiaconales, ut ita munera distributa sint, quoniam habere oportet illum ordinem qui canonicatui annexus est; Ubi verò hæc distributio non adest, tunc contraria consuetudine non accedente (ut in Germania vigere supponitur,) magis receptum est, ut saltem ordo subdiaconatus sit necessarius; secùs verò in collegiatis, pro quibus sola ætas quatuordecim annorum sufficit, nisi lex fundationis, vel consuetudo aliter statuat. *i*

13 Pleraque tamen adsunt inferiora beneficia, sive servitoria sint, sive etiam simplicia, sub capellaniarum nomine explicari solita, in quibus ratione annui oneris celebrationis Missarum, quæstio frequenter cadit, an sacerdotalia dicenda sint, necne; Regula verò est negativa, quamvis annexum habeant onus celebrationis Missarum, quoniam illud rectè adimpleri potest per sacerdotem substitutum, nisi ex lege, fundatoris voluntate, etiam præsumpta ex conjecturis & argumentis deducta, sive ubi fundatio ambigua sit, adeout interpretationis capax dici valeat rectè eadem probatio resultat, seu desumi potest ex observantia tanquam optima interprete. *l*

Hinc proinde adinstar eorum, quæ generaliter habentur in materia fideicommissorum, aliarumque ultimarum vo-
14 luntatum, certa regula generalis, cuicumque casui applicabilis desuper statui non potest, ac propterea manifestus error est, cum aliquibus S. Congreg. declarationibus, vel Rotæ decisionibus, quæ in aliquibus casibus particularibus prodierint, indefinitè procedere, quoniam, ut advertitur in eadem ultimarum voluntatum materia, atque in omni alia, in qua ambiguæ voluntatis quæstio cadat, decisio in quibus libet casibus pendeat ex ipsorum individuis circumstantiis, ex quibus frequens praxis docet, quod in uno judicari debet album, & in altero nigrum, quamvis primò aspectu omninò similes videantur, ob aliquam alternativâ circumstantiam, quodque eadem individualia argumenta, in uno casu sufficiant, in altero autem, aliis quoque additis, in sufficientia sint, quia sic unius, vel respectivè alterius aliqua diversa qualitas exigat, In dubio autem inhærendum est regulæ.

Expedit verò notitiam habere declarationum, vel decisionum, quæ desuper prodierint, ad effectum illuminandi intellectum pro benè regulando arbitrium, cui totum commissum esse videtur.

Posita verò qualitate sacerdotali alia cadere solet quæstio,
15 an in concursu personarum certi generis, cui ea debita sit, ista qualitas verificari debeat de tempore vacationis, vel respectivè de tempore præsentationis, vel potiùs sufficiat habilitas ad illam obtinendam infra annum, juxtà ea quæ habemus in Parochialibus, aliisque beneficiis, quæ sacerdotalem ordinem annexum habeant; Atque pariter certa & determinata regula desuper statui non potest, quoniam licèt generaliter, seu abstractè, ea sit justà dictam ultimam partem, ut habilitas sufficiat de tempore, quo obtineatur; Nihilominus eadem intrat limitatio ex diversa lege fundationis expressa, vel conjecturali; Ideoque ex singulorum casuum qualitate determinatio pendet, quoties tamen, ut dictum est, infra annum eadem qualitas obtineri valeat. *n*

Quamvis etenim, ubi vocatio sit cum certo ordine prædilectionis, ad favorem unius generis personarum, in fideicommissis, aliisque indifferentibus dispositionibus, regula sit, ut sola potentia, seu habilitas etiam remota, imò in so-
16 la spe sufficiat, ut existentibus personis de genere prædilecto, non admittantur aliæ de genere minus dilecto, ac subsidiariè vocato, multoque minus extraneæ; Attamen in beneficiis, vel capellaniis id non admittitur, cùm non admittant hanc diuturnam vacationem; Ideoque remotiores, vel extranei admittuntur, neque superveniens habilitas personæ prædilectæ, illas jam admissas excludit, nisi lex fundationis aliter suadeat. *o*

a *tit. de Canonic. & Capit. disc. 4.* b *eod. disc. 4.* c *tit. de benef. disc. 30.* d *d. disc. 30. de benef.* e *de Canonic. & Cap. disc. 20.* f *eod. disc. 20. de Canon. & d. disc. 30. de benef.* g *tit. de Canonic. & Cap. à disc. 24. ad 30.* h *tit. de benef. disc. 42.* i *eod. tit. de benef. disc. 95. & 96.* l *eod. tit. de benef. disc. 57. & seqq. & 56.* m *ibidem.* n *sub tit. de jurepatr. & d. tit. de benef. disc. 96.* o *eod. tit. de jurepatr. & tit. de fideic. disc. 7. & seqq.*

Ad sessionem 22. cap. 6. & sess. 25. cap. 4.

S U M M A R I U M.

1 *De commutationibus ultimarum voluntatum per Ordinarios, & quid requiratur.*
2 *Pia dispositio non corruit, quia impleri non possit opus volitum, & de ratione.*
3 *De facultatibus Fabricæ S. Petri.*
4 *Quæ sint verè, & propriè commutationes.*
5 *De potestate Papæ, aliorumque Principum in commutatione, vel derogatione ultimarum voluntatum.*
6 *In spiritualibus est solius potestatis Pontificiæ.*
7 *De gratiis super subsidiis dotalibus.*
8 *De reductione Missarum.*
9 *De acceptatione onerum perpetuorum Missarum.*
10 *Quid in reductione onerum ponderandum sit.*

D I S C. XXI.

De ultimarum voluntatum commutationibus, in isto decreto agitur, ut per locorum Ordinarios non concedantur, nisi ex justa causa, unde propterea disputare solent Moderni, an necessitas, & justitia copulativè, vel alternativè requirantur, atq; probabilior videtur hæc posterior pars; Rari autem videntur casus, in quibus, præsertim in Italia, & in locis, in quibus adsit Tribunal Fabricæ S. Petri, ista facultas per locorum Ordinarios exerceatur; Ea etenim exerceri non potest pro mero arbitrio, sive ex aliqua causa, quæ ex quadam non scripta æquitate, vel alio cõgruo motivo justa videatur sed solùm ubi, vel ex insufficientia ejus, quod assignatũ est, vel ex aliis accidentibus, ultima voluntas effectũ sortiri nõ potest in eo opere, quod à disponente volitum sit, unde propterea, non per hoc pia dispositio caducata remanet, ut aliqui malè crediderunt, sed effectum sortiri debebit in alio pio opere, quod explicari valeat; Atque in ista, unius, vel alterius operis electione, vel destinatione, consistit Episcopi arbitrium, quod, ut dictum est, rarò ad praxim deduci solet, in iis locis, in quibus Fabricæ facultates intrent, cum ex Apostolicis Constitutionibus istud opus, loco eorum, quæ à defunctis volita sunt, subrogatum sit, quoties res sit integra, quia nempè Episcopus legitimè non prævenerit. *a* 1 2

Impropriè autem iste commutationis terminus adhiberi videtur, quoniam, posita impossibilitate adimplẽdi id, quod disponens voluit, suppletio, vel subrogatio, potiùs quàm commutatio dicenda videtur, ne aliàs dispositio caducata remaneat, ex ea congrua ratione, quòd pia dispositio, principaliter directa dicitur in Deum, propriamque animam; Unum verò, vel alterum opus, dicitur accidentaliter destinatum, ut ubi impleri potest, servetur defuncti voluntas, ubi verò non, id sequatur in eo, in quo sequi potest. *b* 3

Commutationes autem sunt illæ, quæ continent omnimodam immutationem pro voluntate, vel arbitrio, etiam in casibus, in quibus impleri possint, eo modo, quo per disponentes volitum est, adeout speciem dispensationis, vel derogationis redoleant. 4

Id autem in piis operibus, ac dispositionibus, solius Pontificiæ potestatis est; Quamvis enim rejecta dubitantiũ opinione in foro externo, ubiq; receptissimum sit, ut supremus Princeps, qui potestatem habet condendi leges, eisq; dispensandi, atq; tollendi jus tertii, possit in ejus ditione, cum propriis subditis, derogare fideicommissis, aliisq; ultimis voluntatibus, seu aliàs eas commutare, eo quia testandi facultas, suamque voluntatem conferendi in tempus inhabile, in quo per mortem annichilatus est, ac desiit esse dominus, non proveniat à lege Divina, vel naturali, cui lex positiva dispensare non valeat, sed proveniat à lege positiva, cui eadẽ derogare potest, & consequenter Princeps, qui lex animata dicitur. *c* 5

Attamen in iis dispositionibus, quæ Deum, & animam concernunt, id solius Pontificiæ potestatis est, ex quo secularis potestas in his non se ingerit. 6

Quare præsertim frequens praxis docet, quod illa dotalia subsidia, quæ pluribus pauperibus puellis ex testatoris judicio distribuenda sunt, ex Pontificia concessione dãtur alicui puellæ conjunctæ testatoris, quæ pro ejus qualitate majori indigeat dote cum similibus; Atque in hoc differunt Pontifex, & Episcopus, quod iste gerit solùm partes justitiæ tanquam Judex, ille autem partes gratiæ tanquam Princeps supremus. 7

Quamvis autem posterius decretum conciliare, ex eadem ratio-

ratione contenta in præcedenti, descendendo ad speciem ma-
8 gis explicitè, non solùm locorum Ordinariis sed etiam majoribus Prælatis regularibus facultatem concedat, ut Ordinarii in synodo, Prælati autem regulares in Capitulo generali, reductiones onerum Missarum facere valeant, quia sæpè, ob excretum victualium, aliarumque rerum valorem, illa eleemosyna, quæ antiquis temporibus assignata fuit; & quæ tunc, attenta illorum temporum conditione, sufficiens erat, de præsenti non sufficiat; sive quod bonorum, ac redituum desuper assignatorum accidentalis diminutio secuta sit, ut quotidiana praxis docet; Verùm quia nimia facilitas desuper irrepserat, unde propterea aliquis dignoscebatur abusus; Hinc proinde S. Congreg. Conc. in decretis generalibus de anno 1625. editis, quæ vulgo decreta de celebratione Missarum dicuntur, Pontificia authoritate Urbani VIII. roboratis, hanc facultatem ademit, ideoq; ipsi Congregationi reservatum est, quæ id concedere solet audita prius relatione Episcopi, vel respectivè Prælati regularis, ac recognitio statu Ecclesiæ, ita arbitrium diversimodè pro locorũ diversa qualitate, prudenter interponẽdo, adeout certa regula desuper statui nõ valeat, cùm ex regionum majori, vel minori victualium affluentia, seu vivẽdi commoditate id procedere soleat, ad effectũ decernendi majorem, vel minorem taxam eleemosynæ pro qualibet Missa, seu anniversario.

Eademque consideratio haberi solet circa acceptationem onerum perpetuarum Missarum, super quibus per eadem
9 decretum anni 1625. plures provisiones prodierunt; præsertim super modo investiendi pecunias ad hunc effectum relictas, ut scilicet investimentum fieri debeat in bona stabilia fructifera, vera non autem ficta (ut sunt census) absque speciali licentia ejusdem S. Congregationis, quæ diversimodè in hoc se gerere solet pro locorum qualitate, aliisque facti circumstantiis.

Præsertim verò ubi agitur de reductione, inspici solet,
10 an agatur de oneribus ex legatis, aliisque piis dispositionibus, vel è converso de adjectis in fundatione per speciem contractus, ut isto casu difficiliùs, quàm in præcedenti procedatur.

a *de facultatibus Fabricæ tit. de testam. disc. 22. & 23. tit. de legat. disc. 27. & de Regular. disc. 63.*
b *ibidem, & in aliis pluries in eisdem titulis.*
c *sub tit. de Regal. disc. 148.*
d *De hac potestate dec. 408. p. 12. rec.*

Ad sessionem 22. cap. 10.

SUMMARIUM.

1 *De examine Notariorum, & quare istud decretum sit parum in usu.*
2 *Notarii Apostolici an aliquibus Principatibus non admittuntur in rebus laicalibus.*
3 *Et quid è converso de Notariis laicis in rebus Ecclesiasticis.*
4 *An Clerico sit licitum Officium Notarii?*
5 *Et an dicatur illicita negotiatio?*
6 *De Notariis idest secretariis Regularibus.*
7 *An dari valeat de non usu titulus.*

DISC. XXII.

1 NOtariorum examen, quod per hoc decretum Episcopis committitur, saltem pro Italiæ moribus, nimiùm rarum est in praxi, quoniam, ut plurimùm Apostolica authoritate, vel ex illa superiori Principis creantur; Ideoque per inferiorum Statuta, vel provisiones, regulariter non impeditur exercitium illius facultatis, quæ a superiore concessa est; Atque in aliquibus Principum sæcularium Ditionibus, respectu Notariorum, qui ab eodem Principe creantur, id usu receptum non videtur; Occasione etiam deficiente,
2 quoniam quemadmodum Notarii Apostolica authoritate creati, ad acta judicialia fori laicalis pertractanda admitti non solent, quinimò neque ad instrumenta, aliaque acta extrajudicialia in eodem laicali foro expedienda, adeout pro scripturis privatis eorum instrumenta habeantur, ita è converso in spiritualibus, seu ecclesiasticis, tam judicialibus, quam extrajudicialibus actibus, non de facili admittendi sunt Notarii, qui cum sola authoritate laicali creati sint;
3 Quamvis desuper certa regula generalis cuicumque casui applicabilis statui non valeat; cùm diversi sint styli, seu mores principatuum, quibus ex legalibus, seu prudentialibus regulis deferendum videtur. a

Card. de Luca, Lib. XIV.

Super hoc autem Notarii munere, an scilicet clericis licitum sit, non est quæstio est inter Scribentes, nedum ad effectum, ut locorum Ordinarii, aliique superiores ecclesiastici id eis prohibere valeant, sed etiam, ad alterum amissionis, vel implicitæ dimissionis clericatus, in minoribus, unde propterea resultet vacatio beneficii ecclesiastici, vel amissio ecclesiasticæ pensionis. b

Ac etiam an illicita negotiatio dici valeat, adeout incurrat 5
pœnæ clerico negotiatori per sacros Canones inflictæ, illa præsertim spolii, quod per Cameram fieri solet de bonis, quæ ex illicita negotiatione quæsita sint; Atq; licèt dignoscatur opinionum diversitas; Ea tamen videtur verior, magisque recepta distinctio, ut in ecclesiastico foro, indistinctè id permissum sit, sive de civilibus, sive de criminalibus causis agatur profanis, & ecclesiasticis, cùm ecclesiastici superioris, ac Judicis servitium clerico non incongruat, potissimè cùm forus ecclesiasticus non tractet causas capitales, ab ipso exequendas, adeout ratio irregularitatis intret; Aut verò de profanis, seu laicalibus negotiis agitur, & tunc aut illa extrajudicialia sint, seu voluntariæ jurisdictionis, ut est cõficere instrumenta, aliaque documenta conventionalia inter partes, & pariter clericis prohibitum non videtur; Majorque difficultas in hoc provenit potius ab ipsa laicali potestate id non de facili de facto id permittente inter laicos; Aut verò de actibus laicalibus fori laicalis, & tunc aliqui distinguunt inter causas criminales, & civiles, sive inter clericos in sacris, & in minoribus; Alii verò melius distinguunt effectus superius insinuatos, vel similes; Aut etenim de illo agitur, ut ecclesiasticus superius clerico id prohibeat, & indefinitè affirmativè procedit; Aut verò ad alium effectũ pœnarum illicitæ negotiationis, & tunc distinctio inter clericum in minoribus, ac in majoribus intrare videtur; Aut demum ad alterum graviorem amissionis beneficiorum, vel pensionum; Et tunc licèt aliqui cum criminalium, & civilium causarum distinctione procedant; Veriùs tamen videtur, ut certa desuper statui non valeat regula generalis cuicumque casui applicabilis, sed ex facti qualitate pendeat, ejusque circumstantiis, quæ de officii natura per assumptionem status laicalis, redoleant hanc implicitã dimissionem clericatus, ex qua de cõsequenti resultet amissio beneficii, vel pensionis, ex eo quòd sine clericatu obtineri non possunt, ut latiùs in pensionum notis advertitur. c

Quia verò Regulares Prælati, Notarios ipsiusmet ordinis 6
regularis creare solent, pro ipsorum regularium negotiis pertractandis, quibus secretarii, vel socii, aut Scriptoris vocabulum pro Religionum diversis moribus congruit, Hinc proinde, aliqui Episcopi, huic decreto innixi, hujusmodi Notariorum examen facere, ac sufficientiam perscrutari posse crediderunt, sed malè, nisi quando in iis se ingerant litibus, & causis, ac negotiis ecclesiasticis, ac spiritualibus, quorum cognitio (exemptione nõ obstãte) ad ipsum Episcopum ordinario, vel delegato jure pertineat; Cùmque in his hujusmodi regulares Notarii, vel secretarii nullatenus se ingerant, ideircò ex facto cessat hujus quæstionis occasio.

Atque ex ratione provenit supra insinuatum assumptum 7
aliquorum, quod in sæcularium Principatibus, istud decretum in usu nõ sit cum illis Notariis, qui ipsius Principis laici authoritate creati sint, Id etenim non provenit ex illo nõ usu, qui legis authoritatem tollat, ut malè vulgus credit; Tum quia in laicorum potestate non est, hanc legem conciliarem tollere, ubi ipsum Concilium in genere receptum; Tum etiam ratione decreti irritantis contenti in Constitutione Pii IV. super Concilii confirmatione, & publicatione, per quod quicumq; contrarius usus impeditur, vel infirmatur; Sed provenit ratione deficientis occasionis, cùm Notarii laicali authoritate creati, adhiberi non soleant in causis ecclesiasticis ac spiritualibus, de quibus Concilium loquitur; Sed quando de facto adhibeantur, atque in eis se ingerant, tunc in iis, quæ ipsum exercitium hujusmodi causarum concernunt, de hac subjectione dubitandum non videtur, ex quasi eodem contractu, qui resultat mittendo manum in messem alienam, ut habemus de Regularibus, exemptis, qui se ingerunt in cura animarum.

a *de his sub titul. de jud. agendo de fide instrumentor. discurs. 26.*
b *sub tit. de pension. disc. 47. c eod. disc. 47. de pension.*

Ad sessionem 22. cap. 11.

SUMMARIUM.

1 *De pœna usurpantium bona Ecclesiæ, & patroni bona Ecclesiæ patronata.*

2 *De Ampliatione Bulla Cœna.*
3 *Quomodo in hujus decreti praxi debeant se gerere Episcopi, & Prælati?*
4 *An in hoc procedant ad censuras contra exemptos?*

D I S C. XXIII.

1 DE duobus in hoc decreto agitur; Primò nempè de occupatoribus, & usurpatoribus jurium, ac bonorum Ecclesiarum, tam sæcularium, quam regularium, vel Montium pietatis, aliorumque piorum locorum; Et secundò de prohibitione patroni laici ne se ingerant in perceptione fructuum, ac administratione bonorum Ecclesiæ, vel beneficii, cujus patronus existat, adjectis etiam pœnis clericis, qui hujusmodi usurpationibus, vel occupationibus assensum præbeant, seu aliàs cooperentur.

2 De secunda parte aliquid insinuatur *supra, disc. 11.* occasione agendi de Jurepatronatus; Quatenus verò ad primam partem pertinet, ea latiùs continetur in Apostolica Constitutione, quæ singulis annis, innovari, ac publicari solet in die Cœnæ Domini, à qua nuncupationem accipit.

3 Quemadmodum autem tam hujus Decreti, quam dictæ Constitutionis usus nimiùm frequens est apud Episcopos, aliosque ecclesiasticos superiores, ita è converso in Curia Romana, pro ejus prudentia, & circumspectione, idem usus nimiùm rarus est, damnando inferiorum facilem abusum, dum etiam contra privatos debitores, qui ex impotentia, vel ex aliqua prætensione, decimas, vel canones, seu livellos, aliasque præstationes statutis temporibus non solvant, ad has pœnas procedunt; Sive contra eos, qui ex privatis juribus, ac prætensionibus aliqua possideant bona, quę ad Ecclesias, vel pia loca spectare prætendatur, cùm in his alia juris remedia intrent, non autem istud, quod authoritativas, ac potentiales occupationes, & usurpationes percutit, adeout Episcopo, vel alteri ecclesiastico superiori aliud non suppetat remedium, quo mediante, Ecclesiarum, piorumque locorum indemnitati consuli valeat, unde proptereà cogantur ad censuras, aliaque Ecclesiastica remedia devenire tanquam per speciem defensionis, ita cum armis spiritualibus vim vi repellendo; Quod etiam in forma tamen potiùs extrajudiciali, quàm judiciali, ac in prædicta defensionis forma, cùm non subditis, ac pro bonis extra proprism diœcesim existentibus, pro facti qualitate, vel defensionis necessitate, quandoque conceditur.

Nimiùm itaq; salubre est istud remedium, quando opportunè illud adhibetur, sed è converso, Episcopi, aliique ecclesiastici superiores, nimiùm parcè, ac circumspectè in ejus usu se habere debent, ne aliàs ob assiduitatem, seu ob incongruum usum in casibus, in quibus non intrat, illud parum proficuum remaneat, atque laici opinentur, ut quemadmodum in aliquibus casibus malè adhibitum est, ita quoque male adhibeatur in altero, in quo in effectu intret, atque ex hoc indiscreto abusu pene omnia Ecclesiasticæ authoritati, vel Immunitati præjudiciali inconvenientia resultant.

4 An autem contra exemptos possit Ordinarius procedere ad hujusmodi censuras contentas in hoc decreto, & in Bulla Cœnæ, particulariter alibi advertitur. *a*

z *tit. de jurisd. disc 47. & 48.*
a *in Miscell. Eccles. in hoc eod. lib. disc. 14. & alibi.*

Ad sessionem 23. de Reform. cap. 6.

S U M M A R I U M.

1 *DE quibus agitur in hoc decreto, præsertim circa ætatem 14. annorum pro beneficiis.*
2 *De jure communi ad beneficia sufficit ætas septem annorum.*
3 *Decretum Concilii procedit etiam in beneficiis de jurepatronatus,*
4 *Etiam in Canonicatibus Collegiatarum, & similibus ista ætas sufficit, & in quibus requiratur ætas pro sacerdotio.*
5 *Quamvis Capitulo, vel Collegio sit annexa cura animarum.*
6 *De ætate requisita in Canonicatibus in cathedrali.*
7 *Quid in Germania.*
8 *In Canonicatu pœnitentiario requiritur ætas 40. annor.*
9 *Pro pensione ecclesiastica, quæ ætas requiratur, & an pensio sit jus Episcopale.*
10 *Beneficiorum appellatione quænam veniant, & quænam*
11 *De requisitis, ut clerici in minoribus gaudeant privilegia fori.*
12 *Quale sit beneficium quod eximat ab his requisitis.*
13 *An simplex exigui redditus sufficiat?*
14 *An sufficiat pensio ecclesiastica ad eumdem effectum?*
15 *De simplicibus Capellaniis, vel Coadjutoriis, & fratanetis.*
16 *An solus titulus absque possessione sufficiat?*
17 *Et è contra sola possessio sine titulo legitimo.*
18 *Quomodo in hac materia procedi debeat.*
19 *De verificatione requisitorum ad superiorem Ecclesiasticum cognoscere pertinet.*
20 *Unde proveniant inconvenientia in hac materia.*
21 *Quod super habitu clericali non detur regula certa, & quare*
22 *Vestis clericalis, quæ propria sit.*
23 *De toga doctorali, & de usu Urbis, & Status Ecclesiastici.*
24 *Episcopus potest prohibere laicis usum Vestium Clericalium, & quid de toga Doctorali.*
25 *In tonsura debet attendi usus regionis.*
26 *Idemque circa usum comæ.*
27 *De requisito servitii in divinis, quomodo intelligendum sit.*
28 *Quod sit error procedere cum declarationibus, vel doctrinis generalibus, vel particularibus aliquarum locorum.*
29 *De considerationibus, cum quibus est procedendum.*
30 *De eodem errore, de quo, n. 28.*
31 *Et quomodo procedi debeat in materia, & quod adscriptio non sit precisè necessaria.*
32 *De modo cum quo intelligendum sit requisitum delationis habitus.*
33 *An hæc requisita desiderentur pro aliis privilegiis clericalibus?*
34 *In specie circa onera realia, & expenduntur rationes, ob quas idem in aliis privilegiis est dicendum.*
35 *Privatio privilegiorum est ad tempus, donec non impleantur requisita.*
36 *Potest reassumi quandocumque habitus, etiam propria authoritate, non obstante inhibitione*
37 *Non potest Episcopus privare habitu, & declarare aliquem invitum*
38 *Quomodo debeant in hoc se gerere Episcopi abstinendo à collatione tonsuræ.*
39 *Quod habitus possit reassumi etiam post matrimonium, vel militiam.*
40 *Etiam matrimonio durante, si est cum virgine, potest reassumi habitus, secus autem per bigamum.*
41 *Non potest clericus propria authoritate dimittere habitum, atque adhuc remanere subditus.*
42 *Etiam si fiat coram non legitimo superiore.*
43 *De ratione, ob quam in dimissione requiratur authoritas superioris.*
44 *De Clericis conjugatis, quibus privilegiis gaudeant.*
45 *De Clericis Græcis, seu Orientalibus, eorumque exemptione.*
46 *Ad quem pertineat cognoscere de clericatu, & requisitis.*
47 *De probatione Clericatus, quomodo fiat.*
43 *De eodem, & de instructione, quæ desuper cadat.*

D I S C. XXIV.

DE tribus agitur in hoc Decreto; Primò nempè de ætate necessaria ad obtinenda beneficia Ecclesiastica. Secundò de requisitis necessariis in clericis in minoribus non beneficiatis, ad effectum, ut potiantur clericali privilegio fori; Et tertio de eodem privilegio fori respectu clericorum conjugatorum. 1

Quatenus pertinet ad primum, innovatur per hoc Decretum dispositio juris communis, atque ita restringitur ea libertas obtinendi beneficia, quæ priùs habebatur etiam in ætate septem annorum; Non quòd canones, vel antiquiora concilia aliquid desuper expressè disponant, sed ex recepto usu derivante a communi DD. sensu, præscribendo hujus ætatis annorum septem necessitatem potius argumentativè, seu illativè à prima tonsura, quæ ante dictam ætatem conferri non debet, cùm sine illa, ecclesiastica beneficia obtineri non possint. 2

Hujus autem ætatis conciliaris præfinitio ex magis recepta opinione, locum habet, etiam in beneficiis simplicibus de jurepatronatus laicorū, nisi voluntas fundatoria, seu lex fundationis aliter suadeat; Quia nempè fundator dixerit, ut præsentari possint etiam illi, qui minorem ætatem habeant; 3

t

beant;

beant; Atque ubi ipsa voluntas sit clara, & expressa, tunc nulla cadit dubitatio, cùm tali casu sufficiat, ut prima tonsura sit initiatus; Quæstio autem est in casu voluntatis ambiguæ, quæ deducatur per argumentum, quia nempè dictum sit, ut præsentari valeat clericus primæ tonsuræ; Ista etenim dispositio æquivoca est, utpotè duplicem habens intellectum, unum scilicet circa ætatem, ut sufficiat illa, quæ sufficit pro tonsura; Et alterum, ut id expressum sit ad tollendam ambiguitatem, seu quæstionem, quæ cadere solet, an beneficium sit sacerdotale necne, præsupponendo tamen in reliquis terminos habiles, & quamvis desuper opinionum varietas habeatur; Attamen magis recepta est distinctio, an fundatio facta sit ante, vel post Concilium, ut in iis, quæ sunt priores, hoc non obstante, ætas concilialis necessaria sit; Secùs autem in posterioribus, nisi alia accedant argumenta voluntatis, cujus reverà est quæstio. d

4 Quemadmodum autem ista ætas necessaria est, etiam in beneficiis simplicibus, ita sufficit etiam in residentialibus, & qualificatis, quoties non sit curata, seu aliquem ordinem sacrum annexum non habeant, seu alias certa ætas à jure vel à Concilio præfinita sit, ut contingit in principalibus Dignitatibus, vel in Abbatiis cum conventu, & administratione actuali, & consequenter etiam in Canonicatibus, ac inferioribus Dignitatibus in Collegiata, sive in beneficiis, vel portionariis, aut hebdomadariis Cathedralis eadem sufficit ætas, nisi Ecclesiæ Statutum, vel consuetudo, aut lex fundationis aliter disponat.

Idque verum est, quamvis illi Ecclesiæ, seu Collegio, 5 annexa sit aliqua Ecclesia parochialis, vel cura animarum totius populi illius loci, ut in plerisque partibus contingit; Licet enim pro animarum cura, necessarius sit ordo presbyteralis, & consequenter, in beneficiis curatis, illa saltem ætas requiratur, ut infrà annum ad sacerdotium promoveri possit e; Attamen id intelligitur, in ipsa principali rectoria, sive in vicaria, cui exercitium curæ incumbit; Sive in illis Canonicatibus, vel in aliis beneficiis, quibus idem exercitium annexum sit; In aliis autem, sola cura habitualis, quæ est penès Collegium, seu corpus universale, in singulis, hunc effectum non producit, nisi ex Ecclesiæ usu, (quem tamen Concilium non laudat,) idem exercitium sit penès omnes Canonicos, vel Beneficiatos. e

In Canonicatibus autem, vel Dignitatibus inferioribus in 6 Cathedrali, quoties ad ejusdem Concilii mentem, adest ordinum annexio, & distributio; Tunc extra controversiam est, ut ea sit necessaria ætas, quæ habilitatem contineat ad illum annexum ordinem obtinendum infra annum; Ubi verò hæc annexio non adsit, tunc quamvis variæ desuper habeantur opiniones, magis tamen receptum est, ut ea saltem ætas necessaria sit, ut infra annum ad primum sacrum 7 subdiaconatus ordinem promoveri valeat f; Nisi diversa alicujus Ecclesiæ consuetudo aliter suadeat, ut sola ætas quatuordecim annorum sufficiat, ut in Germania generaliter, vel in aliquibus ejus Ecclesiis vigore (non tamen extra quæstionem, ac variationem) Rota censuit. g

Pro Canonicatu autem pœnitentiario necessaria est ætas 8 quadraginta annorum, quoties in loco adsint personæ, quibus in hac ætate conferri possit, sin minus ætas, quò magis fieri potest aptior, & provectior. h

Quamvis autem pensiones super beneficiis ecclesiasticis, clericatum exigant, ad instar beneficiorum, quibus ad ali- 9 quos effectus exæquatæ sunt, præsertim (juxta unam opinionem,) etiam ad effectum hujus Decreti pro fori privilegio, sine aliorum requisitorum necessitate ut infra, adeout quemadmodum per matrimonium, vel per militiam vacant beneficia ipso jure, ita quoque (Indulto Apostolico non suffragante) cessent, ac extinguantur pensiones; Non tamen ad illas istud conciliare Decretum extenditur, ex ea ratione, quòd pensio de sui regulari, ac intrinseca natura est res merè temporalis, cujus est capax etiam laicus, vel infans, cùm pensionarius nullam habeat participationem in Ecclesia, vel in ejus administratione; atque præcisa necessitas clericatus provenit potiùs ex recepto stylo Curiæ Romanæ, ex quo etiam ob quandam annexionem spiritualitatis, provenit illa simoniaca infectio, quæ in pensionibus ecclesiasticis habetur circa earum substantiam, ne in conventionem deducantur cum pecunia, vel cum alia re temporali, secus autem ubi sola commoditas; Et consequenter illa sufficit ætas, quæ necessaria est ad obtinendum clericatum, tanquam requisitum necessarium, etiam de stylo Curiæ, non autem de intrinseca natura. i

Beneficiorum autem appellatione, ad hunc effectum, ea 10 solùm veniunt, quæ verè, ac legaliter talia sint, quia nempè,

cum Apostolica, vel Ordinaria authoritate, sive cum illa alterius Ecclesiastici superioris, ad id sufficientem potestatem habentis, legitimè, ac servatis servandis fundata sint; Secùs autem ubi agatur de capellaniis manualibus, sive de legatis piis, ex sola privata dispositione fundatis, quamvis cum onere celebrationis Missarum, quod per substitutos rectè impleri potest, adeout dicta formalis fundatio, seu erectio non accedat, cùm hujusmodi capellaniatum, ac piorum legatorum, etiam mulieres, ac infantes sint capaces. l

Quo verò ad dictam secundam partem hujus Decreti, ut 11 scilicet clerici in minoribus, nullum ecclesiasticum beneficium habentes, ad effectum privilegii fori, habere debeant requisita in hoc decreto præscripta; Primò nempè, ut habitum, & tonsuram clericalem deferant; Secundò, ut alicujus Ecclesiæ servitio per Episcopum adscripti sint; Et tertiò, ut actualiter inserviant; Plures desuper ob nimiam (parùm tamen commendabilem) frequentiam clericorum in minoribus, cadunt quæstiones; Primò nempè qualia sint ea beneficia, quæ ab hujusmodi requisitorum necessitate eximant, qualisvè titulus, vel possessio in eis requiratur; Secundò, posita dicta necessitate requisitorum, super ipsius clericatus probatione; Tertiò super habitu clericali, qualis dicatur, vel an continuus esse debeat; Et quartò super servitio in Divinis, ejusque adscriptione.

Ad primum, cum Decretum in verbis exigat beneficium 12 Ecclesiasticum, hinc sequitur, ut illud superius enunciatum requisitum habere debeat, legitimæ scilicet fundationis factæ, cum authoritate Ordinarii, non autem ubi sit capellania manualis, vel simplex pium legatum, ut supra.

Posita verò dicta qualitate beneficii, illud etiam simplex, 13 quod nullum annexum habeat servitiũ, vel residentiæ onus, etiam exigui redditus sufficere videtur, ex magis communi sensu scriptorum; Ideoque non audeo desuper aliquid in cõtrarium asserere, vel firmare; Verùm relinquendo locum veritati, insinuare cogor, quod ista opinio, mihi nullatenus placet cùm in non impleatur laudabilis finis à Concilio desideratus, ut clerici in minoribus, beneficium, vel dicta requisita habeant, ut scilicet, uno vel alio modo populo innotescat, quod ipsi sint clerici, non autem laici, atq; ita à sæcularibus distinguantur; Et consequenter de illis beneficiis Concilium sensisse videtur, quæ alicujus Ecclesiæ administrationem, seu actuale servitium annexum habeant, cujus occasione pernecesse, in illis saltem functionibus, quæ prædictæ administrationi, vel servitio annexæ sunt, faciant figuram clericorum, atq; ita eorũ qualitas, saltem aliquibus anni temporibus, ad populi, ac Magistratuum sæcularium notitiam deveniat, unde propterea sequatur dictorum requisitorum implementum per æquipollens; Secus autem ubi de illis parvis, ac omninò ignotis beneficiis agatur, quæ, etiam in remotis diœcesibus existentia, affectatè procurantur, facilis obtentionis, ob exiguitatem, quia penè derelicta sunt, adeout quodammodo titulus beneficii de pertica eis congruat, ut frequentissima praxis docet. Sive quod illi, qui licentiosam, & criminosam vitam ducere volentes, in habitu, ac statu de facto merè laicali, à sæculari tamen foro se assecurare volunt, curant, vel directè per se ipsos, vel per eorum conjunctos, fundari cum redditibus, alicujus derelicti prædioli, vel cum aliquo exiguo censu, aliquod ideale beneficium, ad meram fraudem, ac formalitatem; Lex enim imposita dicitur rebus, non autem verbis, ideoque spectari debet finis, seu effectus, ob quem illa emanavit; Et consequenter, pro meo judicio, id intelligendum est, de illis beneficiis, quæ residentiam, vel saltem aliquod personale servitiũ, ita annexum habeant, ut ista occasione, ita ille publicè dignoscatur clericus apud populum, ac apud Magistratus.

Atque hinc sequitur, quod (relinquendo pariter inte- 14 grum locum veritati, nihilque ex meo sensu firmando,) neque placet alterum assumptum, quod ex Scriptorum Ecclesiasticorum magis communi sensu receptum videtur, ut etiam pensio ecclesiastica ad hunc effectum beneficio æquipolleat, quoniam ut præmissum est, pensio verè, & propriè non est quid spirituale, sed merè temporale, atque accidentaliter ex stylo Curiæ, & pro quodam frequentiori usu, exigit clericatum, ac dicitur habere quandam annexionem spiritualitatis remotam, & impropriam; Ideoque nullatenus eis congruere potest dicta ratio, quæ à Concilio ad hunc effectum ponderata fuit.

Et quamvis aliqui ponderent quod dum magis receptum 15 est, ut etiam simplices capellaniæ perpetuæ ad id sufficiant, vel etiam coadjutoria per Papam concessa, sive illa fratantia, quæ in Civitate Neapolis in usu est, pro cadaveribus associandis in itinere; Attamen id clarum continet æquivo-

A a 4 cum,

cum, quoniam capellaniæ perpetuæ, & collativæ, sunt
vera beneficia, seu eorum jure regulantur, dictæque
fratantiæ pariter conferuntur in titulum. m

Posita verò qualitate beneficii veri, atque ad id sufficien-
16 tis: Quamvis aliqui credant, ut solus titulus, absque
possessione, ad id sufficiat, Attamen ex eadem superiùs
ponderata ratione, id parùm probabile videtur, cùm spe-
ctandus veniat effectus, vel finis à Consilio consideratus,
ut suprà, atque ita recepta praxis docere videtur.

E converso autem, sola possessio, ubi non sit notoriè in-
17 trusiva, sufficit quamvis titulus deinde detegatur minùs le-
gitimus, ut frequenter contingit in illis beneficiis, quæ ali-
quam habeant Apostolicam reservationem, vel affectionem,
eaque non obstante, conferantur ab Ordinario, quoniam il-
le status de facto sufficit; cùm ita dictus finis impleatur.

Commendabilis quidem, regulariter est ecclesiasticorum
18 Scriptorum, ac præsertim Moralium, zelus tuendi, quo ma-
gis fieri potest, ut clerici, laicis fori exemptionem obtineant,
sed cum præsupposito, ut illi retineant statum clericalem,
atque tales dici mereantur; Secùs autem, ubi ex verbis, vel
ex mente Concilii resultat, ut tales decidendi non sint, quo-
niam, tunc non est subjicere clericum foro laicali, sed est
eum declarare non clericum, sed laicum.

Nimiùm etenim improbabile est, ut per generale œcume-
nicum Concilium, in quo intervenientibus tot Episcopis, &
19 Prælatis, ac Principum Oratoribus, insinuantibus hunc abu-
sum, ut ei occurreretur, post maturam discussionem, ordina-
ri voluerit lex, quæ adeò de facili eludibilis esset, cum obtẽ-
tione alicujus ex dictis beneficiis de pertica, vel alicujus
modicæ pensionis, absque eo quod id præberet occasionem,
vel necessitatem, ut ille agnoscatur tanquam clericus, atq;
à populo distinguatur, quodq; sensus aliquorum Moralium,
vel Collectorum, ita destruere debeat id, quod per tot Pa-
tres in generali Concilio congregatos, sub inspiratione Spi-
ritus Sancti, statutum est, quoniam inspici debet finis, seu
effectus à Concilio consideratus, quodque ista non sit di-
cenda lex imposita verbis, sed rebus.

Quatenùs verò sine præjudicio veritatis ista, quæ insi-
20 nuantur, aliquam probabilitatem fortè habere viderentur;
Adhuc tamen, illud firmiter asserendum, ac tenendum est,
ut non exinde, laicalis potestas licentiam sibi assumat in his
jus dicere, atque sub hoc prætextu, manus apponere super
iis, qui clerici sint, vel supponantur, cùm de his cognosce-
re pertineat ad Episcopos, aliosque competentes superiores
ecclesiasticos, qui tamen justitiam, ac publicam quietem
ante oculos habere debẽt, ut delicta jam patrata puniantur,
atque futuris occurratur ne committantur; non autem affe-
ctare zelum immunitatis, vel fori, ad lucrum, & mercaturã,
ita malefactores, ac delinquẽtes alliciendo ad nova delicta.

Hinc proinde, malum consistit in utriusque extremi vi-
21 tio, quod scilicet, sęculares facere volunt id, quod non pos-
sunt, atque ecclesiastici facere volunt id, quod non de-
bent; Ideoque superiores majores, & præsertim S. Con-
gregationes, quemadmodum prudenter rigorosè procedunt
contra primos, ita rigorosiùs procedere deberent contra se-
cundos, quando in suo munere deficiunt.

Ubi verò prima pars hujus conciliaris Decreti non veri-
ficetur, quia nempe clericus in minoribus non habeat bene-
ficium ecclesiasticum, quod ad id sufficiens reputetur, unde
propterea (pręsupposito clericatu,) agendum sit de secunda
parte super requisitis, Quatenùs pertinet ad habitum, qualis
scilicet ille sit, qui clericalis dici valeat; Non de facili certa
regula generalis cuicũque loco, vel personarum generi ap-
plicabilis dari potest, unde propterea moribus regionis ni-
miùm deferendũ videtur, adeout ille adimpleatur finis, vel
sequatur effectus, qui à Concilio prudenter consideratus
fuit ut scilicet ita ille habitus cõtra distinguat clericos à lai-
cis, atque ita Magistratus seculares, eorumque familiæ ar-
matæ, dignoscant, ac videant, super quibus manus appo-
nere possint, & à quibus respectivè abstinere debeant, cùm
ad hunc etiam effectum probabiliter desiderata sit consura.

22 Vestis enim clericalis, ex sacrorum Canonum præscri-
pto, verè, & propriè illa est; quæ sit intra genua, & talis,
ut scilicet non sit nimium brevis more laicorum, neque
nimium longa, ut importet togam honorificam, & ad lu-
xum, quæ clericali humilitati incongrua sit.

Varius tamen est locorum, ac respectivè personarum usus,
quoniam in Civitatibus, aliisque locis civilibus, in quibus,
cum decora vivitur, adinstar usus Urbis, vestes clericales sũt
longæ ultra talos, ad formam togæ; In pravis autem, vel ob-
scuris locis, ob clericorum paupertatem, vix ad genua ascen-
dunt; Sive etiam in Civitatibus, contradistinctio esse solet,
inter constitutos in sacris, seu canonicatum, vel dignitatem
habẽtes, & clericos in minoribus, quod scilicet illi vestes ta-
lares deferre solent, illi verò breviores ad genua, adhuc ta-
men, ob diversum usum sęcularium, ita bene distinguuntur.

In Urbe autem, & Statu Ecclesiastico, aliisq; forsan Italiæ 23
partibus, nõ de facili hęc certa distinctio haberi potest, quo-
niam antiquus retinetur usus togæ in aliquarum scientiarũ
professoris, seu gradum Doctoratus habentibus, eodem ada-
mussim modo, quo utũtur clerici, adeout nullatenus distin-
guantur ratione habitus, sed pro diversis moribus diversa
habeatur distinctio; Idcircò jus non est in modo præciso, sed
in dicto fine, vel effectu, ad quem potiùs, quam ad genera-
les propositiones, vel formalitates reflectendum videtur. n

Hinc proinde receptum est, ut Episcopi, aliique Prælati, 24
sæcularibus sub censuris, aliisq; remediis, pro locorum sty-
lis, vel moribus, prohibere possint usum illius habitus, quem
solùm clerici, non autem laici deferunt, quamvis attenta
dispositione legis scriptæ, ille habitus laicis certam qualita-
tem habentibus, potiùs quam clericis congruat; Ut putà,
juxta casum, de quo agendi occasionem habui, quod laicus
gradum doctoratus habens, in legibus, vel in alia facultate,
longam, seu talarem vestem deferre velit, tanquam togam
doctoralem, eo modo quo in Urbe DD. deferunt, quoniam
si in ea regione DD. seculares vestibus brevibus, adinstar
aliorum sæcularium utantur, adeout toga non sit in usu, ni-
si apud clericos, tunc rectè prohiberi potest; Tum, quia jus
non scriptum, quod à loci consuetudine resultat, antiquum
jus scriptum abolevit; Tum etiam, quia apud populum præ- 25
sertim infimum, vel mediũ hujusmodi antiquæ eruditionis
ignarum, scandalum pręberet, videndo laicum, qui in eo ha-
bitu faciat eos actus, qui laicis licẽt, clericis autem omninò
illiciti sunt, Ut quotidiana probat experientia in illis adve-
nis, qui antequam de cõsuetudine informationem habeant,
in Urbe vident in curribus togatos publicè incedentes cum
mulieribus, ac adolescentulis, quia scilicet sint medici, vel
Advocati, seu Procuratores, aliive Curiales uxorati, more
laicorum incedentes cum uxoribus, ac filiabus, exteri autem
credunt, quod sint Parochi, vel in aliqua ecclesiastica di-
gnitate constituti, itaque materia regulanda videtur pro lo-
corum diversis moribus, dicto fine, vel effectu spectato. o

Idem quoque circa tonsuram, quoniam in plerisque par- 26
tibus, per clericos in minoribus, præsertim nobiles, seu alias
qualificatos, quinimò (ut præsertim in Urbe frequens pra-
xis docet,) etiam per illos in sacris, ea negligi solet; Ac etiã
circa usum comæ, quæ in aliquibus locis, & præsertim in
Urbe etiam per clericos in sacris more sæcularium præser-
tim togatorum, absque aliquo scandalo geritur; In aliis au-
tem locis in clericis etiam in minoribus, omninò illicita, &
scandalosa est, tanquam signum quod contra distinguat sæ-
culares a clericis, unde propterea locorum Ordinarii an-
tiquorum canonum rigorem in hoc benè adhibent.

Prout etiam, circa Ecclesię servitium, quoniam in plerisq;
partibus, præsertim verò in parvis Civitatibus, vel oppidis, 27
prima tonsura ad hunc effectum principaliter cõferri solet,
ut scilicet Missis, aliisque divinis inserviatur, cùm id per lai-
cos explicari non soleat, adeout in usu sit, quod Ordina-
rii, aliiq; superiores, clericos quamvis nullum beneficium,
vel officium, seu stipendium habentes, cogant etiam sub
pœnis, & mulctis ad præstandum istud quamvis gratuitum
servitium per hebdomadas, seu per alia tempora pro mori-
bus distributa, nemine excepto; Unde propterea ita resultat
distinctio clericorum a sæcularibus, cùm usus cottæ, seu
albæ vestis lineæ, quæ superpelliceum vulgò dicitur, non
permittatur nisi clericis, atque in laicis scandalosa esset; In
aliis verò partibus, præsertim in magnis Civitatibus, & in
ipsamet Urbe præstatur per ipsos sæculares conductos, qui
in actu inserviendi, quamdam adhibent longam vestem,
cum cotta, seu superpelliceo, postmodùm verò finito ser-
vitio, ea dimissa incedunt in consueto habitu brevi sæcu-
lari, adeout in personis præsertim nobilibus, vel civilibus
id incongruat, cùm speciem famulatus redoleat; Neque
in usu est adscriptio, quæ demandato Episcopi fiat alicui
Ecclesiæ, ut practicatur in dictis locis, in quibus tale ser-
vitium præstandum est, ut supra. p

Igitur manifestus error est, cum aliquibus declarationibus,
vel doctrinis generalibus Collectorum in hac materia pro- 28
cedere, quoniã stant bene simul, quod in uno loco dicta re-
quisita uno modo impleri dicantur, in alio autem altero; Et
consequenter retenta d. regula, quæ in omnibus facti quæ-
stionibus principaliter attendenda est, spectandi scilicet rei
substantiam, seu finem, ac effectum à lege consideratum, non
autem verborum formalitates, vel aliquas decisiones, quæ
par-

particulares circumstantias habere potuerunt, pro locorum, ac personarum qualitate id regulandum videtur.

29. Atque si (ex. gr.) juxta casus inferiùs insinuandos, in
Rota, vel in alio Tribunali Romanæ Curiæ, de aliquo clericali privilegio, vel effectu disputari contingat, an scilicet an sint, necne dicta requisita? Videndum est, an agatur de clerico, qui sit civis Urbis, vel incola, ubi ea de facto in usu non sunt; Vel de clerico, qui licèt in Curia litem habeat, seu incola loci, in quo requisita sint in usu, atque per ea ex communi opinione, clerici distinguuntur à laicis.

Atque in hoc præsertim consistere solet pragmaticorum ineptia, quæ tot æquivocorum productiva est, cum magno justitiæ detrimento, attendendi scilicet doctrinas, vel deci-
30 siones in sola litera, non distinguendo locorum, aliarumque circumstantiarum diversitatem, atque id, quod Hispanus, vel Gallus, aut Germanus Auctor, pro illarum respectivè regionum moribus, afferat, applicare cuicumque loco, ubi omninò diversi sint mores; Idemque in eadem provincià, vel regione pro locorum, vel personarum variis usibus.

Quodque substantia veritatis attendi debeat, inspiciendo scilicet finem, vel effectum, ad quem id ordinatum est, ex eo præsertim comprobatur, quòd licèt istud decretum in
31 verbis copulativè exigat habitum, & tonsuram, ac etiam servitium, & adscriptionem factam ab Episcopo; Attamen si verificetur de facto servitium more clericali, quamvis desit adscriptio, id non præjudicat, sive si deferatur habitus verè clericalis, qui dictam clericorum contradistinctionem inducit, unde propterea quis in loco pro notorio clerico habeatur, non ex eo, quòd tonsuram negligat, exindè sequitur quod sub hujus decreti pœnis cadere debeat, ut ex magis recepto sensu inconcussa praxis docet.

Prout circa delationem habitus, ea moraliter, non autem physicè intelligenda venit, pro frequentiori scilicet usu, adeòut dictus resultet effectus notitiæ, seu contradistinctio-
32 nis apud populum, vel apud Magistratus, Quoniam si de nocte recreationis, vel negotiorum causa, sive itineris, vel venationis occasione, aut aliàs accidentaliter in habitu sæculari incedat, non tamen exindè, fori privilegio, aliisque clericalibus privilegiis, vel effectibus privandus erit; Solùmque incessus in habitu sæculari pro facti qualitate excusatos reddere poterit illos Curiæ sæcularis ministros, qui in eos, occasione armorum, vel alicujus criminis, manus apponant, ab incursu censurarum, quoties tamen in bona fide sint, justeque crediderint, non autem ex affectata ignorantia, illum esse laicum, non autem clericum, dummodo post notitiam, illicò eum proprio superiori remittant.

Cùm autem istud decretum, dictis requisitis non accedentibus, privilegio fori eos privet; Hinc proindè inter modernos, qui post Concilium super his materiis scripserunt, (quorum major pars Collectorum, vel Moralium est, pauci autem videntur illi, quibus Doctorum nomen verè con-
33 gruat,) exorta est quæstio, an ad privilegii fori tantum privationem, conciliaris dispositio restringatur, aliis privilegiis, ac effectibus clericalibus firmis remanentibus; Puta circa exemptionem realem ab oneribus laicalibus, Sive circa privilegium *cap. Odoardus de solut.* Aut circa factionem testamenti, ac alia, quæ filiisfamilias clericis conceduntur, laicis autem denegantur, cum similibus; Et quamvis plurium sententia sit, capiendo conciliare decretum ad literam, ut alia privilegia firma remaneant.

Meritò tamen Rota Romana aliam probabiliorem secuta est sententiam, præsertim occasione dicti privilegii, *cap. Odoardus*, ac etiam occasione alterius, circa facultatem testandi de bonis adventitiis, patriæ potestatis impedimento non obstante; Sive circa exemptionem ab usufructu legali, qui patri in bonis adventitiis filii debetur, cum similibus. r

Potissimè autem, ista opinio probabilior est, atque omninò recipienda videtur, circa exemptionem onerum, dum ista denegatur etiam clericis, in quibus omnia requisita hujus decreti exactè verificentur, ex solo defectu cæli-
34 batus, quia nempè sint conjugati; Igitur multò magis in iis, qui ob requisitorum defectum, præsertim habitus, laicorum potiùs figuram de facto faciant.

Prorsus etenim improbabile est, ut denegari debeat illud privilegium fori, quod concernit præjudicium totius ordinis clericalis, adeòut, neque volens possit clericus illi renunciare, ac se laicali foro subjicere, retenta clerici figura, vel statu, adeòut possit ita per Magistratum sæcularem, furcis suspendi, atque in frusta scindi, seu ignominiosè fustigari, aliisque subjici pœnis, clericali statui omninò incongruis, & tamen ut ea retinere debeat privilegia, quæ interesse privatum concernunt, & quibus sine aliquo ordinis præjudicio, renunciare potest, ut est illud factionis testamenti, vel exemptionis ab usufructu legali, cum similibus; Ac etiam est illud *cap. Odoardus*, quod etiam clericis in factis, vel ratione doli, vel ratione arctioris obligationis, & in plerisque aliis casibus denegari solet.

Alia etiam valdè congrua, & convincenti ratione accedente, quod juxtà probabiliorem, magisque receptam opinionem apud ecclesiasticos, clericorum exemptio a foro laicali reputatur de jure Divino, da quo non sunt dicta alia privilegia minora; Ideoque dicendum non est, quod Concilium, cum quem supponat adhuc clericum, atque in clericali statu perseverantem, contra juris Divinis dispositionem, laicali foro subjicere voluerit, sed omninò verius est, ut de isto majori privilegio tanquam magis dubitabili locutum sit, ut ita generaliter non clericus, sed potiùs laicus declaretur. f

Hæc autem privatio, ob requisitorum defectum, perpetua non est, solumque durat, eorundem requisitorum deficiëtia durante; Cùm etenim juxta opinionem, in Romana Curia
magis receptam, tonsura (sive sit ordo, sive sit solùm intro- 35
ductio ad ordines,) imprimat characterem indelebile: Hinc proindè, licitum est, etiam post dimissum habitum, imò post expresse factam dimissionem ipsius clericatus, cum formali susceptione status incompatibilis matrimonii, imò post patratum delictum, ac inquisitione pendente, habitum quandocumque reassumere, atque requisita adimplere, ut proptereà privilegium fori, aliaque privilegia obtineat.

Quamvis enim, ubi de expressa dimissione clericatus agitur, soleant Episcopi, vel alii superiores, adjicere decretum
ut habitus clericalis reassumptio, nonnisi de ejus licentia 36
fieri valeat; Attamen, si de facto quis reassumat habitum & tonsuram, ac inserviat in divinis eo modo, quo locorum consuetudo exigit, adeòut impleri dicatur prædictus effectus, vel finis à Concilio desideratus, adhuc reputandus erit clericus, cùm non possit Episcopus, vel alter Prælatus hanc facultatem tollere.

Eo modo quo pluries ab hac S. Congregatione Concilii, & ab altera Episcoporum declaratum fuit, ut non possit
Episcopus, vel alter Prælatus tollere habitum clericalem, 37
seu clericalibus privilegiis aliquem privare, eò quia negligat assumere ordines sacros, vel ad eos assumendos omninò inhabilis deregatur.

Ideoque vigilantia, & charitas eorum, qui Episcopi, & Pastoris, non autem mercenarii, & mercatoris partes facere volunt, consistit in ingressu, idest non de facili conferendo tonsuram, cùm ea jam impressa, deleri ab eisdem
non valeat, neque procedi per viam privationis, sed solum 38
per viam declarationis, quando ad hujus decreti formam, aliorumque canonum, vel Apostolicorum decretorum in clericali statu, ejusque privilegiis de jure reputandus veniat, & sic declarare id, quod jam de jure inest, adinstar excutientis grana à spicis, non autem ea sua potestate de novo disponere, vel decernere.

Quinimò etiam si clericus assumpserit militiam sæcularem, vel alium statum omninò incompatibilem cum clericatu, qui proinde sit in minoribus, iste illicò cessat; Sive contraxerit matrimonium cum unica & virgine, quoniam
si militia, vel alio statu incompatibili dimisso, ad priorem 39
statum clericalem redeat, rectè id agere potest, neque irregularitas id impedit, minusque aliquod crimen commissum, quamvis inquisitio adsit cum ejus terminis & moderationibus, ne scilicet positivæ fraudis ratio id prohibeat. t
In caso autem matrimonii, eo durante, adhuc status cleri- 40
ci conjugati assumi poterit, ubi autem sit solutum, ille clerici cælibis pleno jure, cùm solum bigamia utroque casu id impediat, nisi Apostolica dispensatio accedat, quæ soluto matrimonio, dari solet, non autem eo durante.

Procedunt hæc omnia, contra ipsum clericum, ne foro, aliisque clericalibus privilegiis potiatur, non autem, 41
ut exinde licentia sibi tribuatur, proprio marte de facto deserendo habitum, vel non servando requisita, se eximere ab Episcopi, vel alterius ecclesiastici superioris jurisdictione, vel potestate, quoniam ita in ejus odium utriusque foro subjectus remanebit, ut pluries declaravit hæc S. Congregatio, ac etiam Rota. u

Quinimò etiamsi expressam fecerit dimissionem aliàs, quàm coram Episcopo, vel alio superiore, ad quem pertinet, eam admittente, vel admittere debente, adeout aliàs
à non admissione detur appellatio, vel recursus; Adinstar 42
eorum, quæ in jure habentur de resignatione beneficiorum, quæ fieri non potest, nisi coram superiore acceptante, ut

ita

ita ex mutuo consensu dissolvitur ille contractus, qui eo modo initus est.

Ac etiam quia, cùm clericatus in minoribus aliud non
43 sit, nisi quædam adscriptio militiæ cœlesti, idcircò quem-
admodum in militia terrestri ille, qui per Ducem, vel a-
lium officialem, ad quem pertinet, militum rotulo, seu
matriculæ adscriptus est, tanquam per speciem contractus,
non potest eam deserere absque ejusdem Ducis, vel alterius
superioris licentia, per quam ex mutuo consensu distractus
sequi dicatur, atque aliàs adhuc militia deserta, dicitur
foro militari subjectus; Ita à pari, cum in omnibus ea-
dem sit ratio.

Tertiò est pars hujus decreti circa clericos conjugatos,
quorum respectu innovata fuit Constitutio Bonifacii O-
ctavi, ut scilicet, præsuppositis à fortiori illis requisitis,
44 quæ pro locorum moribus, ut supra, necessaria sunt etiam
in clericis, qui sunt cælibes, gaudeant privilegiis clericali-
bus canonis, & fori criminalis, non autem aliis privile-
giis, præsertim illo exemptionis onerum laicalium, nisi
respectu merè personalium ac sordidorum, unde propterea
sub quæstione est, an id procedat in illis muneribus, quæ
sunt quidem personalia, sed non sordida, (ex gr.) est mu-
nus Decurionis, vel Magistratus Communitatis, vel Æta-
rii, Baronis, sive Exactoris publicorum vectigalium, vel
Præfecti publicorum onerum juxta varios regionum mo-
res; Atque in hoc aliqua opinionum diversitas dignosci-
tur; Veriùs tamen videtur, ut ex observantia, seu con-
suetudine loci decisio pendeat.

Eodemque modo decidenda videtur altera quæstio, su-
pra qua pariter habentur opiniones hinc inde per collecto-
res referri solitæ, an post istud decretum conciliare, in par-
te innovata sit dispositio juris communis quoad exemptio-
nem fori in civilibus, ut scilicet locorum consuetudini,
receptæque observantiæ potiùs deferri debeat.

Cùm autem Ecclesia Latina permittat etiam inter ejus vi-
scera, & in plerisque Italiæ partibus ritum græcum in iis,
qui græcorum schisma damnantes, ejus unitatem agno-
scunt, ac propterea clerici, etiam in sacris, cælibatus vin-
45 culo adstricti non sint, sed uxorem habeant unicam, &
virginem; Hinc proinde dubitari contigit, an hujusmodi
clerici ritus græci, qui Orientales appellari solent, in mi-
noribus constituti, ac uxorati, omnibus clericalibus pri-
vilegiis indefinitè potiri debeant, vel potiùs iis, quibus po-
tiuntur clerici conjugati ritus Latini, quibus assimilari de-
beant; Istaque secunda pars verior est, atque ita declaravit
Sacr. Congregatio Immunitatis. x

Præmissa omnia rectè procedunt, ubi nulla sit quæstio
clericatus in genere; Sed eo posito, agatur solùm de requi-
sitis ut supra; Ubi verò ipse clericatus in quæstione sit, at-
46 que de ejus justificatione agatur; Illud in primis de jure cer-
tum est, ut ista cognitio ad Episcopum, vel alium Eccle-
siasticum superiorem pertineat, non autem ad Magistratus
sæculares; Quamvis enim in aliquibus Ditionibus consue-
tudo diversa vigeat, quod scilicet, vel ex Apostolica con-
cessione, quæ in vim antiquissimæ consuetudinis allegati
valeat, seu ex aliis motivis (de quorum subsistentia meum
non est judicare) ista justificatio fiat coram illo sæculari
magistratu, à quo causæ remissio ad Judicem Ecclesiasti-
cum petitur; Attamen dicitur cognitio potiùs facti pro ejus
instructione, ac informatione, quàm juris. y

Super modo autem probandi clericatum, certa, & de-
terminata regula generalis tradi non potest, quoniam licèt
magis consueta omnium melior probatio sit illa, quæ fit
47 per literas testimoniales Episcopi, qui tonsuram proprio
diœcesano, vel alieno de proprii superioris licentia, con-
tulit, dummodo tamen ex vera, benèque recognita sit,
cùm frequentius in literis Episcoporum ultra montes ista
dubietas cadat, ideòque magis circumspectè procedatur,
magisque tanta legalitas exigatur, non tamen ad hanc so-
lam speciem probationis id restrictum est, cum per alias
species id justificare prohibitum non sit, etiam per præ-
sumptam, seu adminiculativam probationem, cujus suf-
ficientia certam regulam non habet, sed Judicis, vel Su-
perioris arbitrio commissa est. z

Ea tamen distinctio in facti contingentia adhibenda mi-
hi videtur, ut spectari debeat finis, vel effectus, ad quem
ista probatio facienda sit, an scilicet pro privilegio exem-
48 ptionis fori laicalis, vel pro aliis privilegiis, quæ ipsius cle-
rici commodum profanum, seu temporale contineant, putà
exemptionis onerum, sive pro factione testamenti non ob-
stante patria potestate, cum similibus; In primo enim casu
minus perfecta probatio sufficit, ex ea ratione, quòd in du-
bio eligenda est illa pars tutior, per quam totius ordinis cle-
ricalis, atque immunitatis Ecclesiasticæ præjudicium evite-
tur; Secus autem in altero, in quo, ista ratione cessante, ma-
gis concludens, & perfecta probatio desiderari debet. a

a tit. de benef. disc. 95. b dicto disc. 94. de benef.
c eodem disc. 95. d ibidem. e ibidem. f ibidem.
g eodem disc. 95. h eodem disc. 95 i sub tit. de pension. pluries. l eod. tit. de benef. d. 95. & 97. & in aliis.
m tit. de paroch. disc. 28.
n de hoc agitur sub tit. de jurisdict. disc. 93
o eod. disc. 93. de jurisdict. & disc. 21. de Regal.
p de hoc servitio & aggregatione agitur sub tit. de Canonic. & Cap. disc. 17. cum plur. seqq.
q ponderantur d. disc. 93. de jurisd. & sub tit. de testament. disc. 34. & in supplemento, & sub tit. de Reg. disc. 62 & tit. de credito disc. 119.
r in locis proximè supra allegatis s ibid. proximè supra.
t tit. de pension. disc. 49 u sub tit. de jurisd. disc. 55.
x tit. de Regal. disc. 60. & in ejus supplemento.
y sub tit. de jurisdict. disc. 64.
z tit. de testament. in supplemento ad disc. 34 & in eisdem locis, in quibus supra lit. Q. a ibidem.

Ad Sessionem, 23. de Reformat. cap. 18.

S U M M A R I U M.

1 *Demandatur erectio Seminarii puerorum:*
2 *Solet injungi Episcopis visitantibus limina:*
3 *Collectari possunt pro sobstentatione omnia beneficia, quandoque exemptione non suffragante, etiam Regularia, non autem Monasteria actualia, & quare.*
4 *Declaratur quando etiam Monasteria Regularia huic collectæ subjaceant.*
5 *Quod expediat Monasteria Regularium esse provisa copioso numero Religiosorum, & de ratione.*
6 *Quandoque loco seminarii cum eadem contributione erigantur collegia Societatis Jesu, vel similia.*
7 *De eodem, de quo num. 4.*
8 *Quid de Hospitalibus.*
9 *De exemptione beneficiorum Religionis Hierosolymitanæ, & de ratione.*
10 *Quando hæc exemptio cesset.*
11 *De aliarum militiarum commendis.*
12 *De confraternitatibus laicorum, aliisque piis locis:*
13 *Episcopus etiam huic contributioni subjacet.*
14 *Ad distributiones veniant in ista contributione, & quando.*
15 *De unione beneficiorum, quæ seminario fieri potest jam erecto, non autem erigendo.*
16 *Pro erigendo fieri potest collecta, seu contributio.*
17 *Quando dicatur erectum necne.*
18 *Quænam beneficia possint uniri.*
19 *De ratione ob quam hæc erectio in multis diœcesibus non est practicabilis.*
20 *De provisione adhibenda in isto casu.*

D I S C. XXV.

Seminarium puerorum, seu adolescentium, ut literis, 1
bonisque moribus, atque fidei catholicæ regulis, benè
imbuantur, atque ita, boni parochi, aliique spirituales ope-
rarii in vinea Domini, idonei, benèque instructi haberi va-
leant, prudentissimè in hoc Decreto disponitur, ut in qua-
libet diœcesi, quantum possibile sit, ab Episcopis erigatur
seminarium, illudque ab eodem, atque aliquibus Cathe-
dralis Canonicis regatur, ac administretur.

Hujus autem decreti observantia, præ cæteris Apostoli-
cæ Sedi, atque huic Sac. Congregationi nimiùm cordi est,
unde propterea in ejusdem Sacræ Congregationis Respon-
sis, quæ dantur Episcopis, qui per se ipsos, vel per substi-
tutos, intra montes singulo quoque triennio, & ultra sin- 2
gulo quinquennio, ad præscriptum Constitutionis Sixti
V. Apostolorum limina visitant, istaque occasione rela-
tionem Status Ecclesiæ, huic Sacr. Congregationi fa-
ciunt, præsertim injungi solet, seminarii erectio, quan-
do adhuc erectum non esset, vel restitutio, quando aliàs
erectum, dissolutum fuisset.

Pro hujusmodi autem proficuo opere adimplendo, Con-
cilium collectam, seu contributionem omnium beneficio-
rum simplicium imponi mandat, etiam illorum beneficio-
rum

3 rum regolarium, quæ absque actuali conventu in commendam, Cardinalibus, vel Prælatis, aliisque clericis sæcularibus, ex Apostolica dispensatione concedi solent, nulla exemptione ad id suffragantis, sùm solum exempta sint ea Regularium Monasteria, vel Conventus, in quibus religiosi actualiter vivant, adeout omnes redditus, in necessarios religiosorum usus, ejusdemque Religionis taxas, & collectas convertantur; Ac etiam exempta sunt Monasteria monialium, ex ea congrua ratione, quòd nihil, detractis necessariis oneribus pro Prælato, seu Rectore superest, dum in Monasteriis, vel conventibus actualibus, præsertim Italiæ (ubi omnia Monasteria, ut pluries insinuatum est Reipublicæ, vel universitatis more gubernantur,) tot religiosi assignari solent, quot ibi sustentari valeant, cum quadam verisimili taxa pro qualibet persona, juxta diversam locorum qualitatem, unde propterea nihil superest, quod ad instar beneficiorum sæcularium Prælati, vel rectoris commodo cedat, eo modo quo etiam hodie contingit in illis Monasteriis Regularibus, quæ in plerisque partibus ultra montes, singulari jure, ac independenter, per aliquem Prælatum administrantur, adeout Abbates, vel Priores, seu Guardiani, aliove nomine nuncupati, locales superiores, in iis, quæ redditus, & œconomicum regimen concernunt, administratorum personam verè gerant, cum obligatione, ad instar tutoris, exactæ redditionis rationum, ut nihil in eorum manibus remaneat, & consequenter nil superest, ex quo contributio facienda sit. *a*

Nisi fortè Monasteria, vel Conventus adeò divitiis af-
4 fluant, & è contra diœcesis, beneficiorum sæcularium copiam non habeat, ut Sedes Apostolica speciali jure, pro erectione, vel sustentatione seminarii, istam contributionem, dicta exemptione non obstante, opportunam reputet, ac demandet, quia nempè ob magnum religiosorum numerum, quem sustentare valet, parum, seu nihil referre judicetur, ut unius, vel duorum numerus diminuatur, ut ita istud proficuum opus impleatur.

Id autem, nimiùm rarò praxis docet, quoniam pro ca-
5 tholicæ fidei, & vitæ spiritualis conservatione, ipsarumque literarum doctrina, nimium proficere solent regularium Monasteria, vel Conventus, in quibus magnus religiosorum numerus vivat, cùm in hujusmodi Monasteriis, pro frequentiori contingentia, fundari soleant studia, quæ licet pro ipsorum regularium doctrina, & profectu principaliter destinata sint; Adhuc tamen adolescentes, tam clerici, quam sæculares Civitatis, vel diœcesis, in eisdem studiis nimium proficere solent, unde propterea quædam æquipollens seminarii species adesse videtur; Quoties tamen dicta ratio verificetur; Secus autem, ubi de illis numerosis Monasteriis agatur, in quibus, ut incumbatur vitæ contemplativæ tantùm, nullum peragatur exercitium ex iis, quæ sæcularibus proficiant, cùm tunc dicta arbitrii interpositio nimium opportuna, & commendabilis videretur, ut scilicet aliqua superflui numeri diminutio, seminarii sustentationi applicatur pro facti qualitate, & circumstantiis, ex quibus totum pendet; Ideoque certa regula generalis cuicumque casui applicabilis desuper statui non potest, cùm ex prudentialibus, more Principis potiùs, quàm ex legalibus regulis, more Judicis, id pendere videatur.

Aliquando autem, ex eisdem regulis prudentialibus, lo-
6 co seminarii, cum eadem contributione demandari consuevit per Sedem Apostolicam fundatio, seu pinguior provisio Monasterii, seu Conventus alicujus Religionis, cujus institutum sit, Grammaticæ, aliarumque scientiarum scholas, etiam pro sæcularibus exercere, adeòut illa contributio, seu collecta, quæ seminario facienda est, hujusmodi collectio, seu domui regulari fiat; Ut præsertim est Societas Jesu, cum qua id in specie, quandoque practicatum fuit, cum ita pinguius huic conciliari desiderio satisfieri videatur. *b*

Si verò de illis regularibus Monasteriis agatur, in quibus adsit quidem religiosorum conventus actualis, sed cum mensa pro istorum religiosorum sustentatione distincta
7 ab illa Commendatarii, qui cum bonis, ac redditibus sibi assignatis more beneficiorum sæcularium de privato lucro, privativè utilitate contendat, tunc contributio Commendatarii intrat, cùm eadem congruat ratio. *c*

8 Idemque, ex eadem ratione, procedit in hospitalibus, aliisve Ecclesiasticis locis, quocumque nomine nuncupari soliris, quæ in titulum, seu commendam uni personæ conferantur, absque actuali hospitalitate, vel etiam si actualis adsit, sed cum eadem distinctione mensarum, seu redditutum superiùs in regularibus Monasteriis enunciata, adeout eadem congruat ratio, quòd scilicet provisus, in eo excessu lucrativam causam foveat, atque privatam utilitatem reportet.

Solùmque ab hac regula, ex Apostolicis indultis, excepta sunt regularia beneficia Hierosolymitanæ Religionis, quæ sub Commendarum, vel Prioratuum, seu Bajulivatuum vocabulis explicari solent, quamvis possessor, in eo 9
quod consueta Religionis onera excedit, causam lucrativam favore dicatur; Istud autem privilegium, congruam quidem habet rationem, quia nempè hujus militiæ professores commendas, & dignitates, non obtinent per viam gratiæ, ac benevolentiæ superiorum, sed per viam justitiæ, cum ordine antianitatis, ac benemerentiæ, prævio implemento requisitorum nempè, servitii in caravanis, ac residentiæ conventualis, aliorumque Religionis munerum *d* pro beneficiorum qualitate; Unde propterea, quando ca- 10
sus præbeat, quod hoc ordine interverso, clericis sæcularibus istæ commendæ, vel dignitates, & quandoque etiam pueris in commendam, vel in administrationem concedantur, tunc tanquam ex cessante privilegii causa, vel ratione, huic contributioni locus esse deberet.

Aliarum autem commendarum possessores, huic contributione subjacere non solent, eo quia, sæcularia potiùs, quàm Ecclesiastica beneficia esse videntur, ut sunt militiæ 11
Sancti Stephani, & similes pro earum qualitate, ac privilegia, *e* unde propterea certa regula desuper statui non potest.

Ex eadem quoque ratione, aliqua pia loca per sæculares administrari solita, vel aliquæ piæ confraternitates, ab ista contributione, exemptionem obtinent; Non quidem in ratione privilegiativæ exemptionis, sed quia bona potiùs laicalia sunt; Sive quia omnes redditus, jure simplicis, ac 12
puræ administrationis, in opera sibi incumbentia erogentur, absque aliqua privata utilitate; Nisi aliquorum Ecclesiasticorum bonorum, vel beneficiorum annexio adsit; Aut quòd redditus adeò exuberantes essent, ut congruum censeatur, aliquid consuetis operibus subtrahere, ut istud, forte magis pium, ac opportunum opus impleatur; Super quo tamen, neque certa regula dari potest, præsertim in temporalium Principum ditionibus, in quibus ratione laicalis protectionis, sive ex consuetudine, vel ex privilegiis, diversa praxis esse soleat, neque congruat hoc prudens arbitrium interponere, onde propterea ex singulorum casuum circumstantiis, hæc determinatio pendere debebit.

Illum autem pro regula generali statuendum est, quod ubi 13
speciale indultum Sedis Apostolicæ limitationem non suadeat, nulla datur privilegiativa exemptio, etiam in ipsomet Episcopo, qui primus esse debet in contribuendo, aliisque exemplum præbendo, aliasque male se gereret, quòd scilicet alios invitando, vel cogendo, se ipsum eximeret.

Ex distributionibus verò quotidianis, ista contributio pro seminario, facienda non est, ex eadem ratione alibi assignata, quòd scilicet, non dicuntur fructus, seu emolumenta, ad lucrum, & utilitatem, sed potiùs mera, vel salarium laboris *f*

Id autem intelligendum venit, ubi tales sint, ut ad ser- 14
vitii proportionem recipiantur, adeòut præfata ratio adaptetur, quodque earum diminutio, non beneficiatorum, sed ipsius Ecclesiæ præjudicium concerneret, quia nempè alias ipsum servitium negligeretur; Secus autem ubi etiam redditus aliàs de sui natura certi, consistentes in fructibus bonorum stabilium in notabili quantitate more præbendarum, in quas fortè antiquitus distributio esset, ex majori, nimiumque commendabili motivo, majoris interessentiæ, & cultus Ecclesiæ, jure implicitæ societatis inter omnes canonicatus, & beneficia redacti essent ad massam per punctos, ad formam distributionum quotidianarum, inter inservientes tantum repartiendam; Portiones tamen sint tales, ut pinguem redditum restituant, longè excedentem proportionatum salarium servitii: Ut (ex.gr.) sunt Canonicatus, & Dignitates Ecclesiarum Toletanæ, & Hispalen. & similium Hispaniæ; Ac etiam illi Basilicarum, aliarumque Ecclesiarum Urbis, quoniam quemadmodum (ut quotidiana praxis docet) gravantur pensionibus, etiam in notabili quantitate, ita contribuere debent pro seminario, dum excepta illa rata, quæ congruæ, seu præmio laboris, & servitii proportionata est, excessus, quamvis ex ista causa, jure distributionum percipiatur, ne aliàs absentes, & non inservientes, de illis participent; Attamen in effectu, lucrum, & utilitatem importat; Talisque est praxis in collecta, seu contributione decimarum Papalium, quæ pro Ecclesiæ, vel Religionis catholicæ negentiis, quandoque imponi solent, quoniam verè, & propriè ad istos effectus distributiones dicuntur illæ, quæ pro locorum, & Ecclesiarum

fiarum qualitate necessaria sint ad sustentationem, non autem illæ, quæ in effectu sunt ad dilationem juxta distinctionem occasione concessionis jurispatronatus ex causa augmenti dotis, vel occasione unionum, quæ præbendis canonicalibus faciendæ sint, ut alibi insinuatum est. g

15 Ultra contributionem, ex omnibus beneficiis ut supra faciendam, datur etiam Episcopo, cum consensu tamen Capituli, qui per quamdam speciem formæ necessarius videtur, facultas uniendi seminario beneficia simplicia; Dummodo tamen ista unio fiat post seminarium jam erectum, cùm magis receptum sit, ut seminario erigendo, unio fieri non possit, atque facta invalida sit. h Secus autem in taxa, de qua supra, quoniam nil prohibet, ut ea

16 prius fiat; atque prudenter quidem; Tum ut dignosci valeat, an ea sufficiat necne; Tum etiam quia, oportet illam præparare, ac etiam exigere anticipatè, ut ita in eadem anticipata exactione continuetur, ad effectum, ut congrum provisiones victualium fiant, cùm venter non patiatur dilationem.

17 Erectio autem, quæ actu necessaria est, ad effectum sustinendi unionem formalis, non autem materialis requiritur, cum introductione scilicet puerorum verisimiliter duratura; Nil enim refert, quod domus materialis, cum omnibus necessariis officinis, jam constructa, & destinata sit, si puerorum vera, & formalis introductio secuta non sit; Vel si secuta, & non continuata, adeout, illud dissolutum dici valeat, quia nempè pueri ad proprias domos redierint; Et è converso, nil refert, quod domus non esset propria, sed conducititia, & variabilis, si pueri, in forma seminarii, in ea vivant, cùm effectus in hoc spectari debeat. i

18 Posita verò erectione; Quomodo unio fieri valeat, idest de qua specie beneficiorum, & quando, reservata, vel affecta uniri valeant, procedendum videtur cum eisdem distinctionibus, de quibus habentur in adnotationibus *disc.* 8. occasione unionis, quæ ad ejusdem Concilii præscriptum fieri potest, præbendis, vel distributionibus canonicatuum, aliorumque beneficiorum Cathedralium, ideòque ibi videri potest.

19 Quamvis autem Concilium enixe id præcipiat, atque ut dictum est, ista S. Congregatio, occasione visitationis liminum inculcare soleat; Adhuc tamen Italia, & fortè in majori parte diœcesum, hæc introductio secuta non est, vel ubi secuta fuerit, attamen intermissa fuit, ob impotentiam, dum diœceses exiguæ sunt, beneficiis Ecclesiasticis parum provisæ, atque ea, quæ adsunt, adeò tenues habeant redditus, in distributionibus quotidianis ut plurimum consistentes, ut vix ad congruam sustentationem, ac servitii strictam mercedem sufficiant, unde propterea canonicatus, & dignitates, aliaque beneficia residentialia, & servitoria subventione potiùs indigent, quàm ut aliis subvenire valeant.

Isto autem casu, ab eodem Concilio provisum adhuc est etiam remedium in præcedentibus sessionibus excogitatum, po-

20 tiusque istud adhibendum videtur, utpotè facilius, ut scilicet Episcopus curet, saltem introducere in loco magistros grammaticæ, & musicæ, ut ita pueri edoceri valeant, cùm id de facili practicabile sit, ut alibi advertitur. l Idque ubi cum debito zelo per Episcopos practicetur, nimiùm proficuum est, ut egomet practicavi,

a *de hac distinctione Monasteriorum sub tit. de Regul. disc.* 19. *& sub tit. de jurisdict. disc.* 29.
b *in specie agitur sub tit. de benef. disc.* 88.
c *advertit per Barbos. in annot. hic, atque ita servat praxis, & de ista distinctione mensurarum sub tit. locat. & conducto disc.* 25.
d *sub tit. de benefic. disc.* 68. *&* 69. *& in supplemento eodem tit.*
e *de his commendis sub tit. de jurepatr. disc.*20. *& sub tit. de fideicommiss. disc.* 8.
f *Barbos. in collectan. ad hoc decretum & cæteri Collectores communiter, & conferunt, quæ ad materiam distributionum pro exemptione à pensionibus habentur sub tit. de pension.*
g *tit. de jurepatr. disc* 10. *& tit. de benefic. disc.*43.
h *Cavaler decis.*372 *dec.* 373. *p.*4 *rec. com.* 2. *ubi latè Add. multa cumulant ad materiam.*
i *advertitur sub tit. de Regular. disc.* 33.
l *supra disc.* 2.

Ad Sessionem, 24. de Reformat. matrim. cap. 1. & cap. 9.

SUMMARIUM.

1 *De nova forma introducta super celebratione matrimonii.*
2 *Quæ sint quæstiones juris desuper cadentes.*
3 *Et quæ sint quæstiones facti.*
4 *In quo consistat forma præcisa, cujus omissio causet nullitatem.*
5 *Denuntiationis, & liber, vel descriptio in eo non sunt de forma.*
6 *Quomodo matrimonium probari possit.*
7 *De diligentiis super statu libero.*
8 *Forma, de qua n.* 2. *&* 4. *non procedit, ubi receptum non est Concilium.*
9 *An ista sit forma præcisa, vel probatoria?*
10 *Per quam habitationem efficiatur quis de parochia.*
11 *De eodem, & quando dicatur contractum domicilium.*
12 *Quomodo id decidi debeat.*
13 *De errore procedendi cum generalitatibus, vel cum aliquibus decisionibus diversorum casuum.*
14 *Quomodo legales quæstiones in foro decidi debeant.*
15 *An, & quando mutatio domicilii in fraudem obstet?*
16 *An Capellanus exercitus sit parochus militum?*
17 *De existentibus in Hospitalibus.*
18 *Vicarius, vel coadjutor parochi est sufficiens pro matrimonio.*
19 *Licentia dari etiam potest per Episcopum vel Vicarium Generalem, seu Capitularem.*
20 *Quid si Vicarius non sit in sacris?*
21 *De Archipresbytero Cathedralis.*
22 *An valeat delegatio, seu concessio licentiæ per parochum sine expressione nominum?*
23 *Quid ubi est expressum nomen, sed adest alteratio in cognomine.*
24 *Deferendum est potius Canonistis quàm Theologis in foro.*
25 *Licentia data per Ordinarium ad unum effectum, an suffragetur, &c.*
26 *An Vicarius parochi Vicarium deputet?*
27 *Non est necessaria solemnitas interrogationis, vel benedictionis.*
28 *Quomodo sufficiat explicari consensum contrahentium.*
29 *De matrimonio contracto per procuratorem.*
30 *An unus ex testibus sit procurator?*
31 *De tempore matrimonii mandatum non debet esse revocatum.*
32 *Mandatum debet esse datum ad contrahendum cum certa persona.*
33 *Quid ubi consensus extrinsecus detur simulatè?*
34 *Matrimonium invalidum habet vim sponsalium, quæ obligant.*
35 *Non requiritur consensus patris in matrimonio filiifamilias.*
36 *An pater denegee dotem, vel exhæredet filiam, absque ejus consensu nubentem?*
37 *&* 38 *De conditionibus libertati matrimonii præjudicialibus, & quæ non.*
39 *Quando Principes, & Magistratus seculares prohibeant matrimonia.*
40 *De sequestro puellæ pro exploratione voluntatis.*
41 *Quomodo in ista, & similibus quæstionibus jurisdictionalibus procedi debeat.*

DISC. XXVI.

POstquam Sacrosancta Synodus in eadem *sessione* 24. per duodecim Canones, plures determinavit quæstiones super hoc matrimonii sacramento; Ad consulendum frequentibus, atque scandalosis inconvenientibus, quæ à matrimoniis clandestinis resultabant, novam præscripsit formam celebrandi matrimonium in faciem Ecclesiæ, coram proprio scilicet parocho, & duobus testibus, sub decreto irritanti, adeout ista forma non servata, illud invalidum censeatur, atque pro infecto habendum sit; Demandando quoque denunciationes inter Missarum solemnia festivis diebus interpolatè faciendas, ad effectum, ut ad impedimentorum notitiam

tiam deveniri valeat; Ac etiam injungendo parochis confectionem, ac retentionem libri, in quo matrimonia, cum hac forma concepta describantur, prohibendo aliis quibuscunque sacerdotibus, vel clericis, in quavis dignitate constitutis, ne in hoc se ingerant, nisi licentiam habeant ab ipso parocho, vel ab Ordinario loci.

2 Super hujus autem formæ observantia, frequenter disputari consueverunt, atque in dies solent quæstiones, quæ sunt duplicis generis; Aliæ namque sunt juris, istæque hodie penè sopitæ videntur per plures declarationes S. Congregationis, & Rotæ Romanæ decisiones, seu communes, ac receptas traditiones Canonistarum, & Moralium, qui post hujus formæ introductionem adeò frequenter istam matrimonialem materiam pertractarunt.

3 Aliæ verò sunt quæstiones facti; Vel scilicet super probatione sufficienti, quod hæc forma servata sit; Vel super contrahentium subjectione, ut, propterea ille dici valeat proprius parochus, necne, Sive an legitimam, ac sufficientem habuerit facultatem à proprio parocho, vel ab Ordinario; Super his autem certa, & determinata regula dari non potest cuicumque casui applicabilis, quoniam juxta generalem naturam quæstionem facti, decisio pendet à singulorum casuum individuis circumstantiis.

4 Quatenus igitur ad illas primi generis pertinet; Illud in primis receptum est, ut non omnia, quæ in isto conciliari decreto continentur redoleant formam præcisam, cujus non implementum, ex decreto irritante, actum vitiet; Sed forma, cujus omissio actum vitiet, & in qua decretum annullativum cadit, solùm consistit in præsentia, & interventu proprii parochi, vel alterius de ipsius, vel de Ordinarii licentia, & duorum testium; Reliqua verò continent opportunas quidem, nimiumque laudabiles provisiones, quæ tamen non respiciunt formam, ideòque earum non implementum perfectioni ac validitati matrimonii non præjudicat, ut præsertim sunt denunciationes, quoniam licèt parochus ad id teneatur, adeòut aliàs voluntariè assistendo matrimonio, eis omissis, peccet, atque punibilis reddatur (cum Ordinario tantùm competat ex justa causa facultas eis dispensandi) Attamen earum omissio validitati matrimonii nullum causat præjudicium. *a*

5 Idemque circa non implementum confectionis, ac retentionis libri, vel descriptionis matrimonii, in eo qui retineatur, quoniam malè quidem parochus agit id negligendo, non tamen id præjudicat validitati matrimonii, minusque facultati illud probandi per testes, vel alias species probationes, cùm negligentia parochi præjudicare non debeat partibus, earumque jus tollere. *b*

6 Itaque probatio favorabilis est, adeò ut etiam per testes conjunctos, vel aliàs imperfectas species, pro facti qualitate, fieri valeat. *c* Unde propterea certa, & determinata regula desuper tradi non potest, cùm probationum materia arbitraria sit, ex facti qualitate, & circumstantiis regulanda, quia nempè, in uno casu patentes, vel conjuncti sint fide digni, in altero autem secus, quia sic unius, vel alterius qualitas exigat. *d*

7 Prout, licèt strictius per decreta generalis Sacræ Congregationis universalis Inquisitionis, tam parochis, quàm Ordinariis, aliquæ injungantur diligentiæ, super justificatione status liberi contrahentium, ad consulendum inconvenientibus polygamiæ; Attamen contraventio, reddit quidem parochum punibilem, quatenus voluntariè matrimonio interventum præbeat, non tamen nullitatem causat quatenus servetur forma, illudque legitimum impedimentum dirimens non adsit. *e*

8 Quo verò ad prædictam formam, præsentiæ parochi, & testium, ea necessaria est in illis locis, in quibus Concilium receptum fuit; In aliis autem, in quibus receptum non est, proceditur cum dispositione juris communis; Et consequentèr, licèt per istud conciliare decretum sublatum fuerit matrimonium præsumptum, quod de jure communi dabatur; Attamen illud adhuc hodie viget, ubi Concilium receptum non sit, ideoq; cũ dispositione juris communis procedatur. *f*

9 Opinantur aliqui, ut hæc forma sit probatoria potiùs, quàm solemnis; Verùm erronea opinio est, ideòque meritò rejecta, quoniam verius est, ut solemnis censenda veniat, ac propterea præcisum exigat implementum, neque istud admittatur per æquipollens. *g* Nil enim refert, quod matrimonium publicè, & palam, coram magno, & qualificato cætu celebretur, si proprius unius contrahentium parochus, vel alter de ipsius, aut Ordinarii licentia, desit.

10 Sufficit autem, ut unius contrahentium parochus interveniat, sive sit viri, sive sit mulieris, cùm in hoc nulla dignoscatur differentia; Ideòque dubitandi rationes cadere solent, super ipsius parochi interveniens qualitate, seu legitimatione, an scilicet, quando talis esse dicatur, quodque contrahentes, vel eorum alter sit ejus subditus, unde propterea per ejus interventum huic formæ satisfactum sit; Ista que dubitandi ratio cadere solet, quoniam non omnis materialis habitatio contrahentium intra parochiæ fines, parochianum, seu parocho subditum facit, ad effectum administrationis hujus sacramenti, quamvis pro aliorum sacramentorum administratione talis habitatio sufficeret, cùm ad hunc effectum, formale domicilium requiratur, animo ibi permanendi, ac vivendi, tanquam in domo habitationis, non autem accidentaliter gratia rurandi, vel se curandi, aut mutationis aeris, aliave simili ex causa accidentali, per quam de jure domicilium ad hujus jurisdictionis, vel Sacramenti effectum non contrahitur. *h*

11 Quando autem, & quomodo domicilium, quod ad hunc effectum sufficiat, contractum dicatur; Quamvis moderni Canonistæ & Morales, qui post Concilium scripserunt, nimium se involvere videantur; Verius tamen est, ut tanquam in quæstione, quæ facti, & voluntatis potiùs est, quàm juris, nulla desuper statui valeat regula certa & generalis, cuicumque casui applicabilis, cùm totum pendeat ex facti qualitate, ac particularibus circumstantiis, eam probantibus voluntatem, quòd illa ovis, discedendo ab alterius pastoris ovili, alteri ovili se addixerit, ejusque pastoris subdita effecta sit, adeòque illa novum pastorem agnoscat in suum, isteque in suam agnoscat ovem, unde propterea satisfiat fini, vel rationi, cum hæc forma innixa est, circa interventum proprii parochi pro forma solemni potiùs, quam probatoria, adeout parochus accidentalis, occasione rurandi, vel coloniæ, seu colligendi fructus, seu ceræ, ac mutationis aeris, cum similibus, ad id non sufficiat, quamvis per istum alia sacramenta ministrari valeant, quoniam requiritur illa determinata voluntas constituendi fixe in ea parochia domicilium, altero deserto. *i*

12 Ea verò, quæ circa alicujus temporis decursum, sive alia signa, quæ considerari solent, regulam certam non habent, sed sunt argumenta, seu adminicula, quæ pro facti qualitate ponderanda veniunt, cum illis generalibus regulis, quas in quibuscumque adminiculativis habemus, præsertim cum ea, *ut singula, quæ non prosunt &c.* ex prudentis Judicis benè regulato arbitrio; Ideòque vis non est in tempore, quoniam stant benè simul; ut illud breve sit, & tamen, ex aliis circumstantiis domicilium contractum dicatur; Et è converso, sit temporis considerabilis, & tamen illud non adsit, quoniam ita facti qualitas exigat. *l*

13 Erroneumque propterea est, (ut alibi advertitur,) in aliquibus declarationibus S. Congregationis, vel Rotæ decisionibus proditis in diversis casibus particularibus, fundamentum indefinitè constituere, nisi casus, de quo agatur, easdem omnino individuas habeat circumstantias, cum alias, etiam modica facti diversitas, totalem juris diversitatem causare soleat; Unde propterea partes Judicis in judicio vero consistunt, ut scilicet benè ponderatis circumstantiis facti illisque combinatis cum illis diversi casus, in quo declaratio sacræ Congregationis, vel alterius magni Tribunalis prodierit, congruè, ac judiciosè faciat applicationem.

14 Meritoque, (ut pluries advertitur) legalis facultas, in forensibus pro justitiæ practica administratione, jurisprudentia potiùs, quàm scientia dicitur; Iste siquidem scientiæ terminus per apices in abstracto scholasticis benè congruit, in quibus partes ingenii magis desiderantur, in forensibus autem partes judicii, ac prudentiæ, cum præsupposito tamen, ut dictas alias ingenii partes scientificas in scholis & academiis, jam benè quis exercuerit, ac expleverit, ut aliæ partes judicii per tramites juris, non autem pro sola cervice, seu lumine naturali rusticano more explicentur. *m*

15 Quamvis autem aliqui, istam domicilii materiam confundant cum altera fraudis, vel affectationis, ubi scilicet quis volens, parum dignum, seu aliis parentibus, vel conjunctis parum gratum contrahere matrimonium, ne ab eis impediatur, à propria patria discedendo, seu aliàs, antiquo domicilio deserto, ad aliam Civitatem, vel ad alium locum, seu diversam parochiam affectatè se conferat ad hunc effectum, dum pluries ista S. Congregatio Concilii declaravit in fraudis, vel affectationis circumstantiis matrimonii validitati non obstet. *n* Attamen clarum æquivocum est illos terminos confundere, quoniam, aliud est agere, an domicilium verè contractum sit, & taliter, quod (ut dictum est) illa ovis à priori ovili, ac primo pastore discedendo

fecjendu, verè de alterius pastoris ovili effecta sit; Aliud
verò, ut id in fraudem conjunctorum, ac affectatè factum
sit, dum aliud est considerare causam faciendi; Aliud ve-
rò considerare ipsum factum. a

Ubi verò de militibus agatur, qui in castris, atque in
exercitu sunt, ejusdem exercitus Capellanus, etiam pro
isto matrimonii Sacramento, parochi partes benè explicat,
eodem modo, quo in aliis Sacramentis & Divinis; Quæ-
16 stione cadente in eo tempore, putà hiberno, in quo mili-
tes, non in castris, ac papilionibus, sed in Civitatibus,
locisque habitatis, vulgò in quarteriis, vivant, an scilicet
idem capellanus hanc potestatem habeat, vel potiùs tunc,
parocho subjaceant, quod ab observantia, vel a tenore fa-
cultatum, eidem capellano, seu vicario exercitus attribu-
tarum, nimium pendere videtur. p

Si verò de illis agatur, qui ex causa infirmitatis, moren-
tur in hospitalibus, quæ proprios capellanos, vel mini-
stros habeant, qui omnia jura parochialia, cum eis donec
ibi sunt, cum omnimoda independentia à parocho, exer-
cere possunt, ut præsertim sunt professores Religionis Bea-
17 ti Joannis Dei istud habentes institutum. q Non tamen
hanc potestatem habent, cum ista sit accidentalis, non au-
tem domiciliaria mora sit, magnaque differentia est inter
potestatem administrandi alia sacramenta, & jura paro-
chialia, & istam assistendi matrimonio. r

Sed si parochus, alium pro ejus adjutorio in administra-
tione sacramentorum, & cura animarum, sub vicarii, vel
capellani, seu coadjutoris, aut substituti, vocabulo depu-
18 tet, Ista generalis deputatio, pro isto quoque Sacramento
matrimonii sufficit, cùm licentia, seu delegatio specialis
procedat in iis presbyteris, qui huic muneri generaliter
præpositi non sunt. f

Istaque licentia, seu delegatio specialis, non solùm à pa-
19 rochis tribui potest, sed etiam ab Ordinario, ejusque Vi-
cario generali, seu etiam à Vicario Capitulari, dum ipsi
quoque respectivè istam habent facultatem. t

Quæstione cadente, ubi Vicarius Generalis, vel Capi-
tularis in presbyteratus ordine non sit constitutus, cùm
tunc possit quidem ratione habitualis jurisdictionis hanc
20 facultatem alteri delegare, quamvis ipse per seipsum non
assistat. u

De Archipresbytero Ecclesiæ Cathedralis quæri solet,
an hanc potestatem habeat assistendi matrimoniis in uni-
versa diœcesi, ex ea dubitandi ratione, quod de jure dici-
tur Episcopi Vicarius natus in spiritualibus; Verùs autem
21 est, ut hanc non habeat potestatem, nisi quando particu-
laris consuetudo aliud suadeat, per quam cesset consuetu-
do generalis, atque antiquum jus conservetur dum aliàs
ex communi consuetudine, Archidiaconi & Archipresby-
teri hodierni, non habent illam nativam jurisdictionem,
quam ad sacrorum canonum præscriptum habebant; Unde
propterea, abusivè, ac impropriè tales hodierni dicuntur,
cum aliquibus præeminentiis, tanquam reliquiis pristinæ
dignitatis. x

In casu autem, in quo, non parochus, sed alter privatus
sacerdos, ex parochi, vel Ordinarii licentia, seu delegatio-
ne matrimonio assistat, tunc plures circa hujusmodi dele-
gationem quæstiones cadere solent; Et præsertim in facti
22 contingentia, prima notitia, dubitari contingit, an ea
delegatio, seu licentia sufficiat, in qua contrahentium no-
mina, & cognomina non exprimantur, sed indicantur per
adjecta, seu attributa generalia; Puta quia dicatur conceds
licentiam assistendi matrimonio contrahendo inter quen-
dam nobilem virum, & quandam nobilem mulierem eo-
rum nominibus non expressis; Quamvis enim juxta gene-
rales juris regulas, ista delegatio inutilis videatur; Tum
ratione incertitudinis; Tum etiam quia cum ea esset ad uni-
versitatem sacramentorum, ut est illa, quæ datur vicario,
vel coadjutori, sed sit ad unum matrimonium tantùm, ita
dari posset, quod delegatus, absque voluntate delegantis,
cum eadem licentia, centum, & ultra, matrimoniis in-
ter personas nobiles assistere posset.

Contrarium tamen in ea specie decisum fuit, ex eo quia ex
facti circumstantiis benè certificabatur voluntas delegan-
tis quod præcisè senserit de illis personis sibi benè cogni-
tis, tacitis nominibus ex aliquibus justis causis. y

Item in alio casu, Cùm Vicarius generalis Episcopi aliam
consimilem dedisset licentiam simplici presbytero, vel di-
verso parocho, conjungendi Titium cum Sempronio, alte-
23 ratu tamen viri cognomine, non autem nomine; Dubita-
tum fuit de matrimonii validitate, atque ista Sacra Congre-
gatio, non absque magna votorum scissura, pro invaliditate

respondit, ex natura delegationis non admittentis extensio-
nem de persona ad personam, vel de casu ad casum; Adeout
fuerit quædam generalis scissura inter Theologos & Cano-
nistas, sed istorum votum prævaluit, persistendo in dicta ri-
gorosa delegationis natura ad canonum præscriptum, Theo-
logi verò opinabantur, quod sufficeret, ut satisfactum esset
formæ; Tum quia, ut infra, parochi consensus in hoc non
requiritur, neque ab ejus voluntate matrimonii validitas,
ac perfectio pendet; Tum etiam, quia error in nomine, vel
cognomine non attenditur, ubi accedit veritas, quod sci-
licet verè, qui talem licentiam obtinuerat, erat ille, qui
matrimonium contrahere volebat, & contraxit.

Probabilior autem visa est opinio Canonistarum, juxta 24
quam resolutio prodiit; Tum quia juxta distinctionem in
iis, quæ concernunt forensia, & judicialia, & alia quæ con-
cernunt quæstiones fidei, vel forum internum in concer-
nentibus primam partem deferendum est potius Canonistis,
quam Theologis, quibus è converso deferendum est in alte-
ra parte. z Tum etiam, quia ultra prædictam rationem ge-
neralem à delegationis stricta natura, seu intelligentia re-
sultantem, duæ aliæ urgere videbantur: Prima nempè ejus-
dem inconvenientis supra considerati, quod in vim unius
delegationis multa matrimonia fieri possent: Ac altera
quoniam finis, ob quem parochi, vel Ordinarii præsentia
præcisè desideratur, adeout quodlibet aliud magnum æqui-
pollens non sufficiat, ille videtur, ut actus fiat cum inter-
ventu illius, qui cognoscit contrahentes, ut ita quo magis
fieri potest, occurratur fraudibus committi solitis: Unde
propterea quando neglecto proprio parocho, Ordinarius,
vel ejus Vicarius Generalis minus informatus aditur, ista
deceptio admittenda non est, ubi facti circumstantiæ do-
ceant, quod eidem deleganti cognita esset persona, adeout si
per verum cognomen expressum fuisset, licentiam fuisset
denegaturus, cùm tunc verè, ac propriè intrent termini er-
roris, cadentes quando verè faciens senserit de illa persona,
quæ ex errore sub diverso nomine, vel cognomine explica-
ta sit, sed intrant alii termini deficientis animi, ac volunta-
tis, ut in particularibus meis notis pleniùs advertitur. a

In eodem quoque proposito, licentiæ, seu facultatis con-
cessæ per Ordinarium, vel ejus Vicarium: Dubitari in ca- 25
sus contingentia pariter contigit, an hæc licentia data ei,
qui verè sit parochus, cum præsupposito quod contrahentes
essent de ejus parochia, ad alium diversum effectum, pro
certificatione scilicet status liberi ad præscriptum decreto-
rum generalium Sacr. Congregationis universalis Inquisi-
tionis, sufficeret, ubi revera ille non esset proprius contra-
hentium parochus: Atque licèt in eo casu, ex diverso præ-
supposito, quod domicilium per unum contrahentium in
ea parochia sufficienter contractum esset, pro validitate re-
sponsum fuerit: Attamen isto præsupposito cessante, omni-
nò probabiliùs pro invaliditate responderi debuisset, ex ea-
dem ratione deficientis voluntatis delegantis, cum licen-
tia concessa esset ad diversum finem, atque directa illi, qui
proprius parochus supponebatur, ut pariter in meis hujus
materiæ adnotationibus advertitur, ubi etiam de materia
domicilii, quando ad hunc effectum censeatur sufficienter
contractum, necne. b

Et quemadmodum, Concilio loquente de Ordinario, 26
receptum est, ut sub ejus nomine, veniat Vicarius Genera-
lis, qui denuntiationibus dispensare valet, ac etiam alteri
non parocho licentiam concedere possit: Ita si parochus vi-
carium, vel adjutorem ad universitatem curæ ac admini-
strationem Sacramentorum deputaverit, dicendum vide-
tur, ut iste, non possit quidem alium vicarium ad eandem
universitatem deputare, possit autem dare licentiam specia-
lem, suasque partes in negotio particulari alteri commit-
tere. c

Posito verò interventu ejus, qui unius contrahentium sit
legitimus parochus, vel qui ab eodem, sive ab Ordinario,
validam, ac sufficientem habeat authoritatem: Quamvis
conciliare decretum mandet, ut parochus debeat ipsas par-
tes interrogare, earumque consensu intellecto, debeat eas 27
conjungere cum illis verbis, adhiberi solitis, *Ego vos con-
jungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, vel simi-
libus, aliasque adhibere solemnitates in Rituali præscriptas:
Non tamen hæc ad matrimonii validitatem necessaria sunt,
quoniã etiam coram parocho cum fraude & dolo ad id vo-
cato, sive etiam expressè dissentiente, ac fugiente, aut per
vim detento, seu aures claudente, ut non audiret, validè
matrimonium contrahitur, cùm ejus præsentia, seu inter-
ventus materialis sufficiat, cõsensus autem non requiratur:
Dummodo tamen ipse, ac testes intelligant, seu intelligere
pos-

possit, affectent autem non intelligere id, quod agitur,
ad effectum, ut curam eis dormientibus, seu aliud agen-
tibus, atque ad id nullatenus advertentibus, id facere non
liceat. *d*

28 Minusque necessarium est, ut utriusque contrahentis
consensus in verbis exprimatur, quoniam etiam nutus &
signa ad id sufficiunt, dummodò ex eis certa & determina-
ta voluntas arguatur, vel resultet, cùm verba non sint
de substantia, dummodò consensus verè accedat. *e*

29 Per procuratores quoque matrimonium cùm hac forma
contrahi potest, quoties legitimum accedat mandatum,
quod duret, ac persistat de tempore quo actus explicatur
coram parocho; Ita tamen quod mandatarii interveniant,
qui consensum explicent, atque contractum perficiant,
juxta generales aliorum contractuum regulas; Unde pro-
pterea consensus per absentem præstitus per Epistolam dire-
ctam alteri contrahenti, sufficiens non videtur.

30 Ac etiam in facti contingentia dubitatum fuit, an ali-
quis ex testibus, istas mandatarii partes unius contrahen-
tium explicare valeat, atque probabilior videbatur negati-
va, licet casus adhuc pendet indecisus; Si verò de tempo-
re actus mandatum revocatum sit, quamvis clandestinè
id secutum esset, adhuc actus infectus remanet; Idemque
mandatum certæ personæ pro matrimonio contrahendo
cum certa, & determinata persona directum esse debet,
neque aliàs sufficit. *f*

Si verò, dum hæc forma adhibetur, per unum contra-
31 hentium, vel utrumque extrinsecus consensus detur, in-
trinsecus autem verè absit, illeque postea superveniat, hæc
ratihabitio absque alia solemnitate sufficit.

Quatenus autem, ex præmissis, vel aliis, ob istam for-
32 mam non benè servatam, matrimonium corruat, atque
invalidum censendum sit; Adhuc tamen, ubi alter non ac-
cedat defectus consensus, iste actus obligat, in ratione
contractus, ac sponsalium, ut propterea, ex eorundem
sponsalium jure, cum remediis, quæ apud sacros canones
habentur, ad matrimonium validè contrahendum cogi
valeant, juxta terminos generales, qui habentur circa i-
stam coactionis actionem resultantem à sponsalibus. *g*

In hoc eodem conciliari decreto, expressè damnatur
33 opinio volentium, ut ad matrimonii validitatem, quod
per filiosfamilias, vel eorum aliquem contrahatur, pa-
tris consensus necessarius esse debeat; Sive quod ob ejus
defectum, filius exhæredari valeat; vel alteri pœnæ sub-
jici, Cum præsupposito tamen, quod digne nubat; Si e-
nim ante ætatem annorum vigintiquinque, absque patris
culpa filia nubat, non exinde resultat juris civilis corre-
ctio super exhæredandi facultate, benè tamen super ea ma-
trimonii invaliditate, quæ ex defectu paterni consensus
resultabat. *h*

In casu autem non indignarum nuptiarum, Concilium
34 nihil statuit circa dotem, ad quam filiæ præstandam lex ci-
vilis patrem obligat, quamvis aliàs provisa sit; an scilicet
eadem lege correcta per sacros canones, & clariùs per hoc
decretum conciliare circa necessitatem paterni consensus,
ea in hac alia parte firma remaneat, quoniam licèt plures
id credant, ac etiam in facti contingentia judicatum sit,
omninò tamen pro meo sensu verius videtur contrarium,
35 quoniam tam per sacros canones, quàm per hoc decretum,
provisum est super matrimonii validitate, ac etiam super
libertate, & ne huic præjudicetur per ea quæ inducant spe-
ciem pœnæ, ac privationis ejus, quod aliàs de jure certè
competit, ut in casu exhæredationis dici potest, ac etiam
in casu denegationis dotis, quæ in filia aliàs non provisa
pro communi usu necessaria videtur pro ejus substentatio-
36 ne, cùm negotio alimentorum dicatur species negationis,
ideoque libertatem tollat, vel impediat; Secus autem ubi
agatur de quodam exuberanti, paternoque rationabili lu-
cro, quod lex civilis, seu verius ejus communis mala in-
telligentia filiæ quamvis provisæ defert, ut in dotalis ma-
teriæ annotationibus advertitur. *i*

Hinc proinde, in ea quæstione, an & quando conditio-
37 nes, aliæve leges, quæ filiæ, vel alteri puellæ in institutio-
ne, vel legato, seu in alia dispositione injunguntur quæ
matrimonii libertatem impediant, vel restringant; Quam-
vis non desint plures, qui hanc libertatem nimium zelan-
tes hujusmodi conditiones, seu leges indefinitè reprobent,
easque pro non scriptis haberi velint, adeòut eis vitiatis,
dispositio firma remaneat; Ex veriori tamen, magisque
communi sensu Canonistarum forensium (quibus in his
materiis externi, ac judicialis fori, ac administrationis ju-
stitiæ magis deferendum est;) Vera & recepta est distinctio
inter pœnam, & lucrum; Si etenim contraveniens speciem
pœnæ redoleat, quia nempè damnum in re propria causet,
sive etiam privationem illius juris quæsiti, quod aliàs qua-
si debitum sit; ut est legitima, vel etiam congrua, seu ne-
cessaria dos ejus quæ aliunde provisa non sit: Et tunc reje-
ctio, seu vitiatio intret; Secus autem ubi sit conditio, vel
qualitas invitativa ad lucrum, ut in hujus matrimonialis
materiæ annotationibus, ac etiam in illis ultimarum vo-
luntatum, & alibi advertitur. *l*

Ibidemque habentur etiam de distinctionibus, seu refle- 38
xionibus, circa hujusmodi leges, & conditiones, an scilicet
simpliciter, ac indefinitè, seu irrationabiliter, vel indiscre-
tè, hanc libertatem impediant, seu restringant, vel potiùs
alium habeant diversum finem, qui sit compatibilis cum li-
bertate. Puta quia adjiciatur laudabilis conditio, vel bo-
nus finis virginitatis, ac vitæ spiritualis. Sive quod eadem
lex, vel conditio, tam circa tempus, quàm circa locum,
vel personarum genus sit compatibilis cum libertate rectè
exercibili intra eandem restrictionem, atque ad ejus limi-
tes, quoties restrictio indefinitè ex alia ratione, putà ex
privilegio legitimæ non corruat. *m*

In isto itaque sensu intelligenda venit inhibitio in isto
Concilio contenta Principibus, & Magistratibus sæculari-
bus, ne matrimonii libertatem impediant: Sive abolitio 39
illarum legum temporalium, quæ desuper disponant; Ubi
scilicèt directè matrimonii libertatem percutiant, seu et-
iam ita per indirectum, quod directi speciem habeat; Se-
cus autem ubi id alium honestum habeat finem. Ut (ex.
gr.) sunt leges municipales prohibentes, ne bona præsertim
stabilia, vel æquipollentia in proprio territorio existentia
in forenses alienari, seu aliàs transferri possint etiam ex
causa dotis: Sive sunt prohibitiones, quas Domini directi
feudorum faciant mulieribus feudatariis, ne feuda in do-
tem dare possint: Sive ne extra Regnum, vel Principatum
nubant ob finem eorundem feudorum, vel aliorum bono-
rum jurisdictionalium, seu aliàs qualificatorum ne scili-
cet quamvis in dotem non dentur, adhuc tamen ex causa
illius quasi dominicalis possessionis, ac administrationis,
quam vir de facto pro frequentiori contingentia obtinet in
bonis etiam extradotalibus uxoris, in feuda, vel alia bona
hujusmodi, transeant ad inimicos, vel infensos, aut su-
spectos, sive potentiores &c. cum similibus; Quoniam
punctus est in fine, seu effectu per sacros canones conside-
rato, quos ita hæc decreta conciliaria, clariùs, magisque
præcisè declararunt, ad dirimendas tot diversas interpre-
tationes per scribentes datas, per quas eorundem canonum
dispositio circa matrimonii libertatem delusa, vel annihi-
lata remanebat. *n*

Atque cum eadem distinctione, seu discreto modo intel-
ligendi, & practicandi, decidenda videtur quæstio inter lai- 40
cos, & Ecclesiasticos, super potestate sequestrandi puellas,
ad effectum explorationis earum veræ, ac liberæ voluntatis,
ut occurratur seductionibus, ac violentiis, & sic circa me-
ram temporalitatem, ad prædictum tamen bonum, ac lau-
dabilem finem ejusdem libertatis directam, non autem ut
ita indirectè, atque sub hoc pallio libertas verè impediatur.

Hinc proinde, totum consistit in fine, ac moderatione, 41
non autem in formalitatibus, adeòut utrumque extremum
vitiosum sit, ut frequenter tam in Ecclesiasticis, quàm in
laicis scriptoribus contingit, qui sive ex bono animo, ni-
mioque zelo, sive etiam ex altero adulatorio, ad propriam
ambitionem, honoresque, vel dignitates, & officia ita ca-
ptandum, factionario more scribunt, atque extrema de di-
recto opposita sustinere volunt, quod utrique potestati po-
tiùs perniciosum est, ac præjudiciale. Unde propterea ab
ea potestate, cui adulantur, magis quàm ab altera, cui
infensi sunt, damnari, ac puniri deberent, cùm eam po-
tiùs offendant, eique præjudicent; Illaque, quo magis fie-
ri potest media via tenenda est, per quam, compatibiliter
(quoties bonus finis, rectaque intentio in idem tendant,)
verificari valeat, verè Divinæ Sapientiæ oraculum, tra-
dendi scilicet ea, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt
Dei, Deo, quod etiam ab Apostolo Paulo, adeò benè ex-
plicatum est, atque injunctum, ac docent justitiæ, ac ju-
ris præcepta, dandi unicuique quod suum est.

a *sub tit. de matrim. disc. 2. & 6.*
b *late dec. 233. p. 10. rec. Otthobon. dec. 251.*
c *Barat. & Adden. ad dec. 143. 530. 713. & 893. dec. 375 p. 11. rec. & hoc tit. disc. 2. in fine.*
d *apud proximè allegatos.*
e *hoc eodem tit. de matrim. disc. 1. & seqq.*

f *add.*

f *add. ad decis. 431. part. 4. rec. tom. 2. ubi multa cumulantur.*
g *hoc eod. tit. disc. 1. & seqq.* h *eod. disc. 1. & 4. eod. tit.*
i *eod. disc. 1. hoc tit.* l *eodem disc. 1.*
m *in relatione Curiæ agendo de Rota Auditorio, ubi de idea judicis.*
n *dictu disc. 1. hoc tit. de matrim.*
o *ibidem.* p *eodem, tit. disc. 4.*
q *tit. de parochial. disc. 23.*
r *dictu disc. 1. ac etiam dictu disc. 23. de paroch.*
s *eodem tit. disc. 6.* t *eodem tit. disc. 3.*
u *Sanchez & alii communiter agentes de hac materia.*
x *tit. de praeminem. disc. 20.*
y *dictu disc. 4. hoc tit.*
z *de usur. disc. 1. & seqq. & hoc tit. de matrim. disc. 3.*
a *dicto disc. 3. hoc tit.* b *dicto disc. 1. hoc tit.*
c *disc. 6. hoc eodem tit.* d *disc. 2. & 6. eodem tit.*
e *eodem disc. 2.* f *in supplementu, eodem tit. de matrim.*
g *disc. 3. & 8. eodem tit.*
h *de his & aliis infra sub tit. de dote, disc. 1.*
i *eodem disc. 1. de dote.*
l *hoc tit. de matrim. disc. 14. tit. de testam. disc. 73.*
m *dicto disc. 14. hoc tit. & disc. 73. de testam.*
n *tit. de feud. disc. 20.*

Ad Sessionem, 24. de Reformat. matrim. cap. 2. 3. 4. & 5.

SUMMARIUM.

1 *DE provisionibus circa impedimenta matrimonii.*
2 *Ad quid hac decreta prodierint.*
3 *In quibus Tribunalibus de his agatur.*
4 *Quare ad viros forenses hac non pertineant?*
5 *De quæstionibus forensibus desuper cadere solitis.*
6 *An in sponsalibus contractis ante dispensationem, ista obtenta, novus consensus requiratur, & n. 11.*
7 *De tractantibus de materia.*
8 *An de jure communi sponsalia invalida causarent impedimentum, & quid per Concilium.*
9 *Quando sint valida, quale impedimentum causent.*
10 *De impedimentu resultante à matrimonio ratu, non consummatu.*
11 *Si fiant sponsalia inter prohibitos, deindeque superveniat dispensatio, an requiratur novus consensus, & n. 5.*
12 *De obligatione resultante à sponsalibus ad contrahendum matrimonium, & qua causa excuset?*
13 *Ubi agi soleat de concessione dispensationis matrimonialis.*
14 *De invaliditate dispensationis ad effectus tertio prajudiciales.*
15 *De eadem pro annullatione matrimonii.*
16 *An dispensetur matrimonio ratu, & quando?*
17 *De dissolutione matrimonii propter impotentiam.*

DISC. XXVII.

1 DE impedimentis matrimonii, ex cognatione spirituali, vel ex publica honestate, sive ex illicito concubitu in bis decretis igitur, cum enixa prohibitione non contrahendi matrimonia, quoties hæc, aliave impedimenta dirimentia obstent, absque Apostolica dispensatione, super cujus faciliori, vel difficiliori usu, aliqua dantur monita, ac etiam provisiones super earundem dispensationum executione facienda per eos, quibus directæ sunt, ut gratis fiant.

2 Prodierunt autem hæc decreta, ad abusus tollendos, qui tunc irrepserant, sive ad plures quæstiones decidendas, ac aliquas opiniones, vel canonum interpretationes damnandas, sive ad eorundem canonum rigorem temperandum, circa aliqua impedimenta, ex spirituali cognatione, vel fornicatione, sive ex publica honestate resultantia. *a*

3 Nimium autem raræ, peneque nullæ in foro, ac etiam in Ss. Congregationibus, istæ quæstiones videntur, quoniam ubi de publicis impedimentis agatur, eorumque dispensationibus, ad Datariam potiùs de eis agere pertinet, illaque ex quotidiano frequenti, ejusdem Datariæ, & Cancellariæ stylo, seu praxi, plana reddita sunt. Ubi verò de impedimentis occultis agatur, ad Sac. Pœnitentiariam agere pertinet; Unde propterea viro forensi, exterioi fori contentiosas quæ-
4 stiones disputare, ac peragere profitenti, ista parum congrua sunt, magisque congrua, & adaptata sunt officialibus, ac expeditoribus Datariæ, & Cancellariæ, sive procuratoribus, aliisque officialibus Tribunalis pœnitentiariæ; Aut illis merè practicis Ecclesiasticis, qui in Episcopi, seu Vicarii munere versantur pro dispensationum executione, sive pro dignoscendi impedimenta, quæ occasione denuncia- 5
tionum à Concilio laudabiliter demandatarum detegi contingat; Aut per interni fori professores ad effectum dignoscendi circa impedimenta occulta, an oporteat Pœnitentiariam adire, necne, cum similibus, de quibus ad Collectores, vel nudos practicantes, sive ad rerum moralium professores agere pertinet.

In foro autem, quandoque in facti contingentia, circa 6
validitatem, vel operationem Apostolicarum dispensationum agere contingit, pro effectibus exinde resultantibus, pro nullitate scilicet, seu validitate matrimonii, sive pro legitimatione filiorum cum retractatione ad suum initiũ, atque ut vulgò dicitur, in radice, quando extrema sint habilia, cum similibus effectibus de quibus in profanis quæstionibus potiùs agitur. *b* Ideòque de his, ac similibus, in feudorum, vel fideicommissorum, ac successionum sedibus agitur, ac etiam in illa dotis. Ubi occasione agendi de tempore, ex quo hypotheca dotalis desumenda est, agitur præ- 7
sertim de quæstione inter Theologos, & Canonistas nimiũ controversa, an sponsalibus initis inter impeditos, ac prohibitos, dispensatione deinde obtenta novus requiratur consensus, vel potiùs prior sufficiat per remotionem obstaculi, atque prior opinio magis in foro recepta est; In reliquis autem, dicti Collectores practicantes, aut Morales consulendi in bis veniunt, sive illi, qui hanc materiam matrimonialem in copioso numero peragere professi sunt.

De jure communi quæstio erat, an per invalida sponsa- 8
lia, publicæ honestatis impedimentum contraheretur, atque probabilis magisque recepta reputabatur opinio affirmativa; Contrarium autem in hoc decreto statuitur, atque clariùs eandem dirimit quæstionem Motus proprius S. Pii V. ut in rerum matrimonialium annotationibus, particulariter in casus contingentia, advertitur. *c*

Ubi verò sponsalia valida sint; Altera quoque decidi- 9
tur quæstio varias habens opiniones, ut scilicet primum gradum excedat, ut etiam à dicto Motu proprio Piano declaratur. *d*

Adhuc tamen sub quæstione remanet an matrimonium 10
ratum tantùm, sed non consummatum, eodem jure debeat regulari, quo sponsalia valida, ne scilicet primum gradum rationc publicæ honestatis non excedant, vel potiùs inducant impedimentum affinitatis usque ad quartum gradum ad limites juris communis, adeò ut Concilium Tridentinum nil in hoc innovaverit, idque probabilius, magisque receptum videtur. *e*

Quando autem sponsalia inter prohibitos invalidè con- 11
trahantur, deindeque Apostolica dispensatio superveniat, quæstio cadit, an ille prior consensus sufficiat, vel novus ex integro potius requiratur? istaque posterior opinio in foro magis recepta est, ut supra etiam advertitur. *f*

De obligatione autem resultante à sponsalibus validè
contractis, & quando unus ex contrahentibus ad matri- 12
monium præcisè cogi valeat, vel debeat, sive quænam causa excuset, in eisdem rerum matrimonialium annotationibus peragitur.

De dispensationum matrimonialium concessione super 13
gradibus prohibitis, in Tribunalibus contentiosis agi non solet, minusque in Sac. Congregationibus, cùm de hoc tractare soleant Datariæ officiales in forma extrajudiciali, quando agatur de illis gradibus proximis, quibus regulariter dispensari non solet, cùm sit materia arbitraria Papæ, ideoque certam non habeat regulam.

Agi verò quandoque solet in foro de jam concessæ dis- 14
pensationis validitate, vel operatione, præsertim circa illam sibi connaturalem operationem, revalidandi matrimonium in radice, ad effectum legitimationis prolis, potissimè ubi exinde, in feudorum, & fideicommissorum successione tertio præjudicium resultet, ejusque jus tollat; Idque potestatis, ac voluntatis quæstionem habet. *g*

Ac etiam ad effectum validitatis ipsius matrimonii de 15
hoc agi solet, quando unus conjugum ab eo vinculo dissolvi cupiat, quod facti potiùs, quàm juris quæstionem continet, ideoque certam non recipit regulam.

Super ea verò dispensatione, quæ petatur pro dissolutio- 16
ne matrimonii validè jam contracti, quod tamen ratum sit, adhuc non consummatum, quandoque hæc Sac. Congregatio consuli solet, cùm isto casu apud forenses, certa hodie reputetur Papæ potestas, ideoque agi soleat de regulanda vo-
lun-

lunitate, ex aliqua justa causa, qua accedente dispensari solet. *b*

17 De illa dissolutione autem, cui locus de jure fiat, ob viri impotentiam, agi solet in foro contentioso, cùm à juris dispositione id proveniat; ideoque per ejus tramites, ac justitiæ terminos agitur; Atque disputari solet quæstio circa experimenti modum, vel triennalis cohabitationis computationem, vel probationem non consummationis, ut in rerum matrimonialium annotationibus etiam advertitur. *i*

a hoc tit. disc. 7. b sub tit. de dote, disc. 78. & 79. & sub tit. de feud. & de fideicommiss.
c dicta disc. 8. hoc tit. de matrim.
d eodem. disc. 8. e ibidem.
f dicte disc. 78. & 79. de dote.
g tit. de Regal. disc. 148.
h eod. tit. de matrim. disc. 9. i eod. disc. 9.

Ad eandem sessionem 24. de Reformat. matrim. c. 6.

S U M M A R I U M.

1 *De materia raptus, & de prohibito matrimonio cum raptore.*
2 *Ubi receptum non est Concilium, proceditur cum dispositione juris communis;*
3 *Quæ disputationes in Curia desuper cadant.*
4 *In statu Ecclesiastico isti casus non de facili dantur, & de ratione.*
5 *Distinguuntur plures casus.*
6 *Quando dicatur adesse raptus de jure civili.*
7 *Quid de jure canonico antiquo decretorum.*
8 *Quod decretum Gratiani non sit authenticum.*
9 *Quid disponat jus canonicum authenticum.*
10 *Quid disponat jus canonicum in hac materia.*
11 *Et in quo Concilium Tridentinum jus Canonicum alteret.*
12 *Puellæ sunt faciles seductionis.*
13 *Cessat raptus ubi precedat tractatus matrimonii.*
14 *De ratione.*
15 *Qualis debeat esse iste tractatus.*
16 *De eodem, et quomodo procedendum sit.*

D I S C. XXVIII.

1 Inter Raptorem, & raptam, donec ista in illius potestate sit, matrimonium consistere non posse, atque contractum irritum esse, in hoc decreto disponitur; Quamvis autem clara, & literalis sit ejus dispositio, adhuc tamen ea per Scribentes, nimium involuta fuit, ut recens praxis docuit in disputatione habita in Rota super ta matrimonii nullitate, quæ ex isto capite ex patre mulieris, ejusque parentia intentata fuit. *a* Non quidem circa theoricam in abstracto, ut scilicet posita qualitate raptus, matrimonium cum raptore irritum sit, cum expressa nimiumque literalia sit Concilii dispositio, ideòque in illis partibus, in quibus illud receptum est, id remanet extra omnem quæstionem, ac disputationem, quæ in claris, & expressis non intrant; Antiquis adhuc vigentibus que-
2 stionibus in iis partibus, in quibus Concilium acceptum non sit, unde propterea cum canonum dispositione procedatur, ut supra ac alibi, occasione præsumpti, seu clandestini matrimonii advertitur.

3 Quæstiones autem sunt potiùs facti, & applicationis, super verificatione qualitatis raptus veri, qui sufficiat ad matrimonii annullationem, ac incursum aliarum pœnarum in eodem decreto conciliari inflictarum; An scilicet, quando talis dicatur concurrere ratio, quæ hunc præsertim effectum annullationis matrimonii producat, & de quo effectu præsertim in Romana Curia disputare contingit potius quàm de aliis pœnis, de qui-
4 bus, proditionum, seu regionum diversis legibus, vel moribus, in particularibus agi contingit; tùm in temporali Ecclesiæ ditione, ob satis benè, nimiùmque commendabiliter refrænatam subditorum potentiam, vel licentiam, ad diligenter, & intrepide administratam justitiam, hujusmodi inconvenientia non de facili audiantur.

5 In hoc autem, quatuor casus constituendi sunt: Primò scilicet, ubi cum vera, & positiva violentia abducatur puella invita è domo patria, vel alterius conjuncti, seu educatoris etiam inviti, & contradicentis: Secundò ubi, absque matrimonii tractatu, puella volens abducatur è domo patria vel educatoris etiam positivè inviti: Tertiò ubi pariter absque matrimonii tractatu puella volens abducatur

Card. de Luca, Lib. XIV.

à domo patris, vel alterius ignari, vel absentis, aut dormientis, adeout positiva non accedat violentia: Et quartò ubi prævio matrimonii tractatu puella volens secundo, vel tertio modo abducatur; Istaque distinctio opportuna, imò necessaria videtur pro tollendis æquivocis.

In primo casu, nulla cadit ratio dubitandi, cùm in eo omnes concordent; Prout in secundo, quoties non adsit matrimonii præcedens tractatus; verius est, magisque receptum, ut raptus adesse dicatur; Idque verum, atque ab hac S. Congregatione declaratum; etiam si de tutore, vel alio educatore agatur, quoniam consensus puellarum, quæ nimiùm de facili ubi subjacent seductionibus, non videtur habendus in consideratione.

6 In tertio autem casu, aliqua dignoscitur opinionum diversitas. Verùm probabilius est, ut etiam raptus adesse dicatur; Siquidem, attenta juris civilis dispositione, indefinitè raptus dicitur illicitus, ac punibilis, quamvis de puella non invita, sed consentiente fiat, non solùm ubi expressa, & positiva violentia inferatur patri, vel alteri, sub cujus tutela, seu custodia, vel educatione sit, sed etiam ubi sit violentia interpretativa, seu præsumpta, quæ patre, vel tutore, seu alio educatore absente, vel dormiente, seu aliàs occupato, vel ignaro fiat, cùm illa ei inferri dicatur injuria, quæ inferri quoque dicitur Reipublicæ, ac Principis protectioni, publicæque quieti, adeout, jure civili attento, neque excuset præcedens tractatus matrimonii, cùm ex illius juris dispositione, absque patris consensu, id quoque prohibitum sit.

7 Opinantur aliqui, ut idem juris civilis rigor procedat de jure canonico Antiquo, innixi aliquibus canonibus registratis in Decreto Gratiani, atque pro consueto Legistarum abusu, ut unus alium transcribat, nulla habita consideratione, an benè, vel malè dicatur, plures cum hac opinione, seu traditione pertranseunt.

Continet autem id æquivocum manifestum, quoniam Decretum Gratiani non habet vim legis de per se, utpo-
8 tè continens privatam collectionem plurium sententiarum SS. PP. sive aliquorum decretorum Conciliorum generalium, vel provincialium, necnon registrationem aliquarum legum civilium, quæ antiquitus ante inventionem, vel communem receptionem, seu usum totius corporis civilis justa compilationem Justiniani, sparsim circumferebantur per manus aliquorum eruditorum, sive registrata habebantur in Codice confecto per Gothicos Reges, qui in aliquibus Hispaniæ partibus regnabant; Atque catenus aliqui es dictis canonibus vim legis habent, quatenus de per se, eam authoritatem secum ferant, ut sunt decreta aliquorum Conciliorum, sive illæ SS. PP. traditiones, quas Ecclesia recepit; Et consequenter non omne, quod in dicto decreto continetur, tale dici potest, vel debet, ut præsertim contigit in hac parte, quod sunt eædem leges civiles per Gratianum in isto volumine registratæ. *e*

9 Jus itaque canonicum authenticum propriè illud est, quod in quinque libris decretalium justa compilationem Greg. IX. continetur, & in Sexto Bonifacii VIII. necnon in Clementinis, & Extravagantibus post eumdem Sextum registrata, ac etiam in legitimis, ac receptis Conciliis generalibus, & in Apostolicis constitutionibus, Papali jure pro universa Ecclesia editis.

Atque per istud jus, quidquid sit respectu aliarum pœnarum, vel effectuum: Quatenus pertinet ad illum matrimo-
10 nii de quo agitur, rigor civilis temperatus est, ex motivo libertatis matrimonii: Ideoque, non solum ubi puella volens, cum expressa, vel interpretativa parentum, seu educatorum violentia, vel dissensu, sed etiam cum vera violentia illata etiam ipsi puellæ, juxta primum casum supra exemplificatum, adesset sine dubio esset raptus verus, ac punibilis, adhuc tamen, si deinde validus, ac legitimus puellæ consensus accederet, quamvis adhuc esset in potestate raptoris, neglecto parentum, vel tutorum, seu educatorum dissensu, rectè matrimonium sequi potest inter raptorem, & raptam, neque patris dissensus, seu vitiosum initium raptus validitati matrimonii præjudicat.

Quia verò ista juris canonici benignitas ex laudabili mo-
11 tivo libertatis matrimonii, ejusdemque juris satis lata interpretatio facta per Canonistas, & Theologos, eamdem libertatem relaxantes, raptus licitos, ac frequentes reddebat, multaque producebat inconvenientia nimium Reipublicæ præjudicialia; hinc proinde, Concilium Tridentinum, quemadmodum, ut occurreretur scandalis, & inconvenientibus,

quæ resultabant ex matrimoniis clandestinis, libertatem ex canonum dispositione provenientem, restrinxit cum nova forma, de qua supra, adeout contrahentium consensus quantumvis liber, perfectus, ac legitimus, absque dicta forma, non sufficiat; Ita in ordine ad raptum, quoties non verificetur quartus casus, de quo infra, super formali prævio tractatu matrimonii, juris civilis rigorem restituere prudenter voluit, tam circa pœnas, per ipsum adauctas, quàm etiam circa matrimonii prohibitionem, donec rapta in potestate raptoris fuerit, quamvis ipsius mutato consilio, liber, ac perfectus consensus accedat; Et consequenter probabilius est, ut abductio puellæ, quamvis volentis, invitis, vel etiam ignaris parentibus, vel aliis, in quorum potestate, vel educatione sit, raptum ad hunc effectum importet; Potissimè quia, etiam in ipsismet puellis, ob sexus, ac ætatis imbecillitatem, sedoctionibus de facili subjectis, violentia interpretativa quoque inesse videtur; Neque propterea recipienda est magis benigna, & excusativa opinio illorum, qui cum antiquorum canonum, vel antiquorum scriptorum sensibus procedunt, quùm ita istud decretum adeò accuratè editum, inane remaneret.

Ubi verò, de quarto casu agatur, quod scilicet matrimonii, verus, ac legitimus, & perfectus tractatus præce-
13 dat; Et tunc verius est, ut Concilium desuper nullam induxerit prohibitionem, neque innovaverit canonum dispositionem, quam potiùs ipsum Concilium, circa matrimonii libertatem ampliare, seu latiùs explicare, & confovere, enixè curavit; Et consequenter, neglectum parentum, ac aliorum, quamvis expresso dissensu, mulieris volentis licita est abductio, licetcùm positiva violentia parentibus illata, id sequatur.

Ex ea nimiùm probabili ratione, per antiquos Canoni-
14 stas benè ponderata, quod dicto legitimo tractatu posito, & concluso, ita contractum dicitur matrimonium; Et consequenter exinde resultat, quod uxor, invitis, vel ignaris parentibus, educatoribus, ab eorum domo discedit, ut virum sequatur, ipseque vir alienam puellam rapere non dicitur, sed propriam uxorem secum ducere, quodque illa violentia, sive sit vere, sive interpretativa, quæ speciem raptus habeat, adhibeatur, ut ita removeatur injustum impedimentum, quod matrimonii libertati per parentes, vel alios inferatur.

Hinc propterea, facti potiùs, & applicationis quàm ju-
15 ris quæstio remanet, an scilicet, & quando iste tractatus benè conclusus accedere dicatur; adeout inter dicta ratio per Canonistas ponderata, quod ea juris communis dispositione perfectum matrimonium ratum eainde resultet, unde propterea, vir uxorem abducere dicatur, atque uxor virum sequi.

Quamvis etenim hodiè post introductionem dictæ formæ conciliaris in faciem Ecclesiæ, coram parocho, & testibus, non detur amplius illud matrimonium ratum, quod priùs ex solo viri, & mulieris libero, ac perfecto consensu resultabat; Attamen illa sponsalia, quæ ea eodem consensu hodiè resultare dicuntur, eumdem effectum in hoc proposito producunt, ut scilicet quemadmodum antiquitus isto casu dicebatur, quod uxor sequabatur virum, isteque uxorem abducebat, adhibendo violentias, ut vim vi
16 repelleret, atque injusta tolleret impedimenta; Sic hodie à pari, quod sponsa sequeretur sponsum, isteque propriam sponsam abduceret, ut propriæ domi, seu in alio loco libertatis matrimonium juxta conciliarem formam solemnizari posset.

Et consequenter totus punctus est in facto, an scilicet, & quando accedere videatur iste tractatus, ita validus, ac perfectus, quod nisi opporteret servare formam conciliarem, ex tunc adesset matrimonium, jam ratum, & perfectum; Atque in hoc consistere videtur aliquorum æquivocum, quod scilicet illæ genericæ pollicitationes, quæ simplicibus puellis per viros, etiam ex causa libidinis fieri solent, de ipsas ducendo in uxores, ad id sufficiant, quoniam ita esset reddere nunquam verificabilem raptum, atque de facili eludere, inanemque reddere istam adeò prudentem, & commendabilem provisionem, quæ cum adeò accurato studio in generali Concilio facta fuit, ut latiùs in hujus matrimonialis materiæ annotationibus advertitur. *d*

a *tit. de matrim. disc.* 2.
b *eodem disc.* 5.
c *Penia disc.* 480. *n.* 18. *juxta Lugdun. impress. aliàs.* 377. *n.* 36. *& seqq. juxta Venetam, ac etiam habetur d. disc.* 3.
d *d. disc.* 5. *de matrim.*

Ad Sessionem 24. de Reformat. matrim. cap. 7. & 8.

DISC. XXIX.

SUper hoc decreto prohibente nè vagantes matrimonio conjungantur, non adhibitis priùs diligentiis, atque non habita Ordinarii licentia, pinguius providit 1
Sacra Congregatio universalis Inquisitionis, cum decretis generalibus, ac formulario; quomodo processus, super statu libero fieri debeat; Nullusque, vel nimiùm ratus est casus, ut in foro de hoc agatur; Istorum verò, qui certum non habent proprium Parochum, Or- 2
dinarius esse videtur parochus, ut satisfiat formæ conciliari. *a*

Super concubinatiis providetur etiam, sed praxis in foro judiciario hodiè, præsertim in Italia, nimiùm rara est, cùm apud Parochos, & Ordinarios circa dene- 3
gationem sacramentorum, de hoc agi soleat.

Solumque audiri solent forensesquæstiones cum clericis provisis de beneficiis Ecclesiasticis, quorum privatio ex isto capite prætendatur juxta posterius decretum; quod pariter est nimiùm rarum, ut ad praxim deducatur, atque de hoc agitur quoad clericos *a sess.* 25. *cap.* 14. *b*

a *ita firmant omnes adeò frequenter de hac matrimoniali materia agentes.*
b *tit. de benef. disc.* 75.

Ad Sessionem 24. de Reformatione cap. 2.

SUMMARIUM.

1 *DE duplici Synodo provinciali, & diœcesana.*
2 *De dissensionibus inter Metropolitanos, et suffraganeos ob facilitatem admittendi appellationem.*
3 *In concernentibus immunitatem Ecclesiasticam, et novas fundationes conventuum, Metropolitanus se non ingerit.*
4 *De ratione coarctationis potestatis Metropolitanorum in Italia.*
5 *De prohibitione convocationis Concilii provincialis inconsulta S. Congregatione.*
6 et 7 *Quare istud Decretum non practicetur in Synodo annali.*
8 *De deputatione examinatorum synodalium extra Synodum.*
9 *Constitutiones synodales in Italia debent approbari à S. Congregatione.*
10 *An omnes clerici diœcesis convocantur ad Synodum?*
11 *Quinam exempti teneantur accedere ad Synodum?*
12 *Et an illi Nullius?*
13 *De consensu Capituli in celebratione Synodi.*
14 *De efficacia Constitutionum synodalium.*
15 *Non cessant istæ Constitutiones per mortem, vel cessionem Episcopi.*

DISC. XXX.

DUplicis Synodi celebratio in hoc decreto præcipi- 1
tur; Provincialis scilicet per Metropolitanum, cum Suffraganeis singulo quoque triennio; Et diœcesana per quemlibet respectivè Episcopum singulis annis; Prima verò species, præsertim in Italia, nimiùm rara est, adeout in hac parte, præsens decretum penè ab aula recessisse videatur.

Experta verò Sacra Congr. inconvenientia, quæ desuper oriri solebant, ob dissensiones penè continuas, inter 2
Metropolitanos, & suffraganeos, super facilitate admittendi etiam frivolas appellationes, & concedendi inhibitiones, adeout penè omnium causarum cursus impediretur, multas provisiones fecit super metropoliticæ potestatis restrictione, & quando appellationes admitti, atque inhibitiones concedi debeant, necne, ut alibi advertitur; *a* Prout etiam eadem metropolitica potestas in plerisque casibus restricta fuit, præsertim in iis, quæ concernunt Ecclesiasticam immunitatem, *b* Vel ubi agatur de novis fun- 3
dationibus Conventuum, *c* cum similibus, quoniam ob facilem recursum ad istam S. Congregationem, seu ad alteram Episcoporum, aut ad alia Romanæ Curiæ Tribunalia, ita partibus intra montes existentibus consultum re- 4
manet; Atque id minus inconveniens est, quàm extranetam antiquam licentiam concedere Metropolitanis, quorum frequentia, nimiaque vicinitas majora inconvenientia producere solebat, ut omnes causæ præsertim criminales via initiatæ ab Ordinariis avocatæ remanerent, unde propterea Ordinariorum majestas vilueret. *d*

Quare,

5 Quare, ex eisdem, aliisque rationibus, prohibita quo-
que fuit convocatio Synodi provincialis, inconsulta hac
Sacra Congregatione, quæ aliquando, sed rarò, Suffra-
ganeorum informationibus priùs auditis, omnibusque di-
ligenter pensatis, id demandare solet.

6 Quo verò ad Synodum diœcesanam, pariter usus parum
recipit hujus decreti observantiam circa tempus, ut scilicet
singulis annis celebrari deberet, cùm ista frequentia, nedum
Episcoporum, sed etiam subditorum, superfluam incommo-
ditatem, aliaque inconvenientia potiùs producere videatur;
Ideoque rara pariter est praxis, ut scilicet Episcopus, penè
unica synodo, toto tempore præsulatus contentus esse so-
leat, atque plures omninò abstineant, demandando obser-
vantiam Constitutionum Synodalium prædecessorum.

Potissimè verò in illis diœcesibus, in quibus; Vel quia
non adsit parochiarum distinctio, unde proptereà unica ge-
7 neralis parochia sit in Cathedrali, unusque parochus sit E-
piscopus; e Vel quia ob annexionem parochiarum, Capi-
tulis, vel Dignitatibus, non subsit necessitas deputandi
examinatores synodales in numero opportuno, pro con-
cursu in parochialibus habendo. *f*

Quando autem ista necessitas adsit, tunc oportet convo-
care Synodum, quoniam licèt ubi examinatores jam depu-
8 tati defecerint, potestas subrogandi alios in locum defi-
cientium cum solo consensu Capituli, Episcopo competat;
Attamen ista facultas restricta fuit intra annum, quo elap-
so, Rota firmare consuevit, quod Episcopo imputandum
est, cur ad hujus decreti præscriptum, Synodum non cele-
braverit. *g*

Et quoniam id pariter cum diœcesanis, præsertim verò
9 cum exemptis, jurgia parere solet; Hinc proinde a S. Con-
greg. in Italia injunctum est Episcopis, ut jam editas Syno-
dales Constitutiones eidem examinandas, & confirmandas
transmittere debeant, itaque est praxis.

Super convocatione autem, sive interventu in Synodo,
controversiæ oriri solent cum Capitulis, & clericis oppido-
10 rum aliorumque locorum diœcesis, an scilicet omnes presby-
teri, & clerici ad Synodum convocari possint, ut ab aliqui-
bus Episcopis (& utinam non ad industriam, & occasione
mulctarum, & pœnarum, sive extorsionum & contributio-
num) fieri consuevit; Ideoque provisum est, ut sufficiat in-
terventus deputatorum cleri cujuslibet loci, & parochorum,
seu vicariorum, aut illorum, quibus aliàs exercitium cu-
ræ animarum, & administrationis sacramentorum incum-
beret. Licèt enim Capituli Cathedralis interventus requi-
ratur: Attamen id incommodum non præbet, ex quo in
eadem Cathedrali Synodus celebranda est.

11 Majores autem, ac frequentiores esse solent controversiæ,
cum exemptis, præsertim regularibus, an ipsi, eorumque Præ-
lati in Synodo intervenire debeant; Receptaque distinctio
est, ut in regularium annotationibus advertitur ut illi inter-
venire debeant, atq; cogi valeant, qui curam animarum ha-
beant, & administrationem sacramentorum exerceant, cum
in hac parte subditi sint, atque à primo pastore, qualis est
Episcopus, instruendi sint quomodo in sibi commissa
ovium cura, & regimine se gerere debeant; Quod etiam pro-
cedit in aliis sæcularibus exemptis, suum inferiorem Præla-
tum habentibus cum ordinaria quasi Episcopali jurisdictio-
ne: Potissime ubi de illis agatur, qui hanc jurisdictionem
habent in locis intra diœcesis fines existentibus. *h*

Majores enim difficultates cadere solent cum illis inferio-
12 ribus Prælatis, qui sint *Nullius* per veritatem, cum territorio
scilicet verè, ac materialiter separato, unde propterea adjacè-
ti Episcopo, Diœcesani, vel Ordinarii terminus non con-
gruat, an scilicet illi, penes quos exercitium curæ animarum,
& administrationis sacramentorum residet, ad Synodum ac-
cedere teneantur, ac successivè ad Synodalium Constitutio-
num observantiam obligentur, cum ista connexa sint, atque
vis non consistat in eo accessu, vel interventu materiali, sed
in isto effectu observantiæ: Et tunc distinctio est; an ille infe-
rior Prælatus cum ordinaria quasi Episcopali jurisdictione,
habeat, necnè ex privilegio, vel consuetudine hanc faculta-
tem celebrandi Synodum, talemque facultatem ad exerci-
tium deducere soleat, spectato effectu; Siquidem ubi pro-
priæ Constitutiones Synodales celebrentur, ac habeantur, il-
læ sufficiunt, Sin minus illas Episcopi vicinioris recipere, ac
observare oportet, ne absque hujusmodi legibus in loco vi-
vatur, quibus mediantibus provideatur iis, in quibus per
Canones, vel Concilia, seu Apostolicas Constitutiones,
aut decreta S. Congr. provisum non fit. *i*

13 Cum Capitulo Cathedralis controversiæ haberi solent, an
ejus consensus pro convocatione Synodi requiratur, seu qua-

le votum habeat, ut pro casus contingentia in meis ju-
risdictionalibus notis advertitur. *l*

In foro autem contentioso, de Synodalium Consti- 14
tutionum validitate, ac efficacia, quandoque disputari
solet, an scilicet illæ obligent, ac attendendæ sint in
iis, quæ sint contra jus; Præsertim verò, ubi occasio-
ne inducendi processum executivum, seu denegandi ap-
pellationem, in iis casibus, in quibus aliàs de jure com-
peteret; Atque regula est negativa, quoties legitima
consuetudo aliter non suadeat. *m*

Cumque hujusmodi leges ab universa diœcesi fieri di- 15
cantur; Hinc proinde, per Episcopi cessum, vel decel-
sum non cessant, ut sequitur in edictis, & bannimen-
tis, aliisque visionibus.

a *Decreta antiqua sub Clement. VIII. registrantur apud Quarant. in summa Bullar. verbo Archiepiscopi authoritas, & alia recentiora sub Urban. VIII. apud Barb. in adnot. ad sess. 13. de reform. c. 1.*
b *Miscell. Eccl. disc. 1. & 2. c e. de Reg. disc. 1. & 19.*
d *d. disc. 1. Miscellan. Eccl.*
e *tit. de decim. disc. 1. & seqq.*
f *tit. de paroch. disc. 37.*
g *eod. disc. 37. ubi Concordantes, & de jurisd. disc. 56.*
h *tit. de jurisd. disc. 37. & 38. & de Reg. disc. 1.*
i *locis proximè citatis, & in Miscell. Eccl. disc. 1.*
l *d. disc. 56. de jurisd.*
m *sub tit. de judic. in materia appellationis.*

Ad Sessionem 24. de Reformatione cap. 16.

S U M M A R I U M.

1 *De ratione ob quam etiam de jure communi, Sede vacante jurisdictio Episcopalis est Episcopi.*
2 *De jurisdictione actuali, quam habet Capitulum etiam sede plena, & in specie de simultanea.*
3 *Speciale est, ut membra sine capite constituant corpus operativum.*
4 *Jus Capituli residere potest in paucis Canonicis, etiam uno, aliis impeditis.*
5 *Praescribitur forma deputandi Vicarium, & Oeconomum Sede vacante.*
6 *Deputatio Oeconomi ad quem hodie pertinere soleat.*
7 *Quando audiantur quæstiones super administratione Oeconomica Capituli.*
8 *De consuetudine, quod Capitulum percipiat fructus Ecclesiæ Sede vacante.*
9 *Infra octo dies, antequam fiat electio Vicarii Capitularis, ad quem spectet jurisdictio, & de dignitate Archidiaconi, & Archipresbyteri.*
10 *Vicarius debet esse Doctor saltem in jure Canonico aliàs deputatio est nulla, secus autem si in Capitulo non adsint Doctores.*
11 *Qui veniant nomine Doctorum ad hunc effectum.*
12 *Et quid de licentiatis, quales sint illi, de quibus Concilium loquitur.*
13 *An Doctoratus in theologia, vel aliis scientiis sufficiat.*
14 *Episcopo solet demandari, ut teneat Vicarium generalem Doctorem.*
15 *An doctoratus in solo jure civili ad id sufficiat?*
16 *Quare in Italia non sit in usu doctoratus in uno tantùm jure?*
17 *Quando eligitur non Doctor, qualis effectus exinde resultet, & de resolutione Sacr. Congregationis Concilii.*
18 *De eodem, & quæ provisiones desuper adhibeantur per Sac. Congregationem, & an exinde prætendi valeat nullitas actorum?*
19 *De consuetudine Hispaniæ eligendi non Doctorem.*
20 *Potest eligi aliquis extra gremium Capituli, imò quod expediat.*
21 *Vicarius Capitularis subjacet syndicatui coram Episcopo successore, non autem Vicarius generalis.*
22 *De modo votandi, et qui habeant votum in Capitulo.*
23 *De quæstionibus super defectu electionis.*
24 *An fieri debeat per vota secreta.*
25 *An fieri possit deputatio ad tempus, vel cum certis restrictionibus.*
26 *De devolutione ad Metropolitanum, si electio non fiat vel male.*

27 *An in hac materia detur appellatio suspensiva.*

28 *Vicarius generalis in choro, & functionibus habet praecedentiam supra omnes Canonicos, & Dignitates.*

29 *Quid de vicario Capitulari.*

30 *Non concedit Vicarius Capitularis dimissorias ad ordines infra annum.*

31 *Concedere tamen potest literas testimoniales super requisitis.*

32 *Sede vacante non solet dari facultas promovendi ad primam tonsuram, & dispensatio super interstitiis directa vicinnori conceditur clericis tantùm.*

33 *Quandoque S. Congregatio communicat Vicario Capitulari facultatem, de qua n. 20.*

34 *Quod deberet ista facultas tolli pro toto tempore vacationis.*

35 *Concedit institutionem beneficiorum de jurepatronatus, sed se non ingerit in collatione, sed facit concursum in parochialibus.*

36 *Dispensationes materiales non diriguntur Vicario Capitulari.*

37 *An jurisdictio ex delegatione Apostolica concessa Episcopo, competat Vicario Capitulari.*

38 *Quod dicitur de Sede vacante, procedit etiam Sede plena Episcopo absente, vel impedito.*

39 *Idem quod in Episcopo, & Capitulo Cathedralis, procedit in Praelato, & Capitulo Nullius, vel excepto.*

40 *Capitula collegiatarum subditarum non habent hanc jurisdictionem.*

41 *Quid ubi agatur de pluribus Cathedralibus aquè principaliter unitis.*

42 *Sed quid si capitulum Cathedralis actualiter non adsit.*

43 *De casu quo adsint plura Capitula, & plures Ecclesiae materiales ejusdem Ecclesiae Cathedralis formalis.*

DISC. XXXI.

1 CUM sede Episcopali vacante de jure Episcopalis jurisdictio, atque Ecclesiae administratio, devolvatur ad Capitulum; Non quidem ex aliquo privilegio, vel speciali delegatione, sed ea ratione juris non decrescendi, eò quia Ecclesia Cathedralis efformatur conjunctim ab Episcopo, & Capitulo, ab illo scilicet tanquam capite, ab isto autem tanquam reliquo corpore, Ecclesiastica jurisdictione penes totum corpus habitualiter residente, exercitio autem in plerisque competente capiti. *a*

In aliquibus tamen actibus, eidem Episcopo cum reliquo corpore, hoc exercitium competit, pro Ecclesiarum diversa consuetudine, ut praesertim contingit in provisione cano-
2 nicatuum, aliorumque beneficiorum ejusdem Ecclesiae, quod de jure est ad Episcopi, & Capituli simultaneam, & coaequalem potestatem; In praxi autem diversum est exercitium; Quod alicubi haec juris dispositio viget; Alicubi verò exercitium totum est penes Episcopum privativè ad Capitulum, & alicubi è converso penes Capitulum privativè ad Episcopum, sive isto unius capitularis figuram agente. *b*

Et consequenter, defecto capite, jure consolidationis, vel ex jure non decrescendi universa jurisdictio, seu totum jus cathedraticum, tam in habitu, quàm in exercitio, remanet
3 penes Capitulum, tanquam reliquum corpus politicum, seu intellectuale, quod in hoc differt à corpore naturali, seu materiali, ut etiam sine capite vivat, omnesque faciat operationes quod in corpore naturali non datur.

Quinimò (quod magis est) ubi etiam omnia membra putrescant, seu pro defectis, ac putridia habenda sint, etiam
4 aliqua modica membra valida, quamvis essent duo, imo etiam unum, apta sunt operari, totumque corpus repraesentare, quia nempè, vacatis de facto pro majori parte canonicatibus vel existentibus de jure Canonicis impeditis, seu habitis pro non extantibus, putà per censuras, vel alia impedimenta, tunc totum Capitolum consolidatur in non impeditis, etiam in paucis, quinimò etiam in uno non impedito; Quoties tamen impedimentum respiciat personas, atque inficiat singulos, non autem ubi inficiat ipsum corpus politicum, seu intellectuale, quamvis aliqui capitulares singulari jure eximantur à censuris, aliisq; impedimentis, ut latiùs in rerum beneficialium adnotationibus advertitur. *c*

Quia verò ea ratio, ut id, quod commune est negligatur, sive factionatiç divisiones hujusmodi communitativis corporibus connaturales, malam ecclesiae, ac justitiae admini-
5 strationem producebant; Hinc proindè in hoc decreto conciliari, nimiùm prudenter Capitulo necessitas injuncta est, ut infrà octo dierum spatium (à die certç notitiae vacationis computandum) Vicarium pro administratione justitiae, ac exercitio jurisdictionis, & Aeconomum pro administratione bonorum Mensae Episcopalis deputare teneatur sin minus, hac deputatione nullatenus, vel nulliter facta, jus illius faciendi devolvatur ad Metropolitanum, quatenus in aliqua Ecclesia suffraganea, vacationis casus contingat; Eo autem contingente in ipsa Metropolitana, ad antiquiorem Episcopum suffraganeum; Si verò id sequatur in Ecclesia exempta, ad Episcopum viciniorem. *d*

Deputationis autem Aeconomi nimiùm rara est praxis, saltem spectato effectu, in Italia; Sive quia, ubi etiam fiat, 6
nimiùm brevis est personç deputatç administratio, quoniam in illis partibus, in quibus Camerae Apostolicç Collectores adsunt, unde propterea ex Apostolicis Constitutionibus fructus pro tempore vacationis ipsi Camerae applicantur, per Collectorem fieri solet deputatio; Ubi verò, ex consuetudine, vel ratione Regiae nominationis, vel Regii patronatus, Collector Apostolicus se non ingerit, neque iste oeconomus sed alter ab ipso Rege, seu ejus officialibus ad Apostolicarum concessionum praescriptum, administrat, adeòut istud jus Capituli exercibile remaneat pro illis provisionibus, quae necessariae sunt donec certioretur ille, ad quem pertinet, de casu vacationis Ecclesiae, vel de altero mortis, aut alterius impedimenti personae deputatç.

Hinc proinde sequitur, quod in ista Sacra Congregatione, vel in altera Episcoporum, nullae audiuntur quaestiones super deputatione, vel administratione oeconomi; Benè tamen audiuntur frequentes super altera deputatione Vica- 7
rii; Solumque in Rota aliquando, in Ecclesiis ultra montes, auditi solent istae quaestiones administrationis oeconomicae, ex eo praesertim, quòd in aliquibus Ecclesiis mos 8
inoleverit, quod Capitulum sede vacante sibi ipsi, atque ad Capitularium commodum Ecclesiae, seu mensae Episcopalis fructus, ac proventus applicaret, quod fieri non posse regula est, limitanda ex Apostolico indulto, explicito, vel ex illo implicito, quod in vim immemorabilis consuetudinis benè probatae allegari potest.

Omnes itaque, & quidem frequentes, sunt quaestiones super deputatione Vicarii, ejusque forma benè servata, sive super iis, quae Episcopalis jurisdictionis exercitium respectivè concernunt.

In primis etenim, in eo octo dierum spatio, quod conce- 9
ditur ad Vicarii deputationem, frequentiùs antiquiori tempore oriebantur controversiae, quae in Italia jam sopitae sunt, in aliquibus tamen Hispaniarum Ecclesiis, adhuc vigent, inter Capitulum, & primam Dignitatem, super dictae jurisdictionis exercitio, quod à prima Dignitate praetendi solebat, ubi praesertim (pro Italiae frequentiori usu) sit Archidiaconus, qui antiquiorum Canonum authoritati inniti solet, ex quorum dispositione, Vicarius natus in temporalibus esset. *e*

Veriùs autem, Capitulo regula assistit, quoniam haec antiqua Archidiaconi, ac etiam Archipresbyteri, nativa vicarialis potestas, Archidiaconi scilicet in temporalibus, & Archipresbyteri in spiritualibus, hodie de consuetudine ab aula recessit, atque moderni Archidiaconi, & Archipresbyteri sunt potiùs abusivi, & in sola nuncupatione: Nisi circa hoc breve exercitium, legitima consuetudo assisteret, nò in ratione Archidiaconalis dignitatis, sed potiùs in ratione primae Dignitatis, quae nomine Capituli individuos actus explicet, ut in ecclesiasticis, ac divinis functionibus Episcopo absente, vel impedito, vel sede vacante contingit, quoniam ad primam Dignitatem pertinet, non autem ad Vicarium, vel alium à Capitulo deputatum, nisi legitima consuetudo immemorabilis aliter statueret. *f*

Deputandus autem est vicarius, qui ad minùs in jure ca- 10
nonico Doctor sit, seu licentiatus, sin minùs (quoties in Capitulo ita graduati existant in aliquo competenti numero, juxta quem electionis libertas congruè exercibilis remaneat deputatio invalida pluries per Sac. Congr. declarata est; Secus autem, si in Capitulo graduati non adsint in dicto numero, intra quem dicta libertas cadat, quamvis in Civitate, vel dioecesi graduati idonei existant, quoniam potest quidem Capitulum aliquem ex eis deputare, sed non tenetur, ideoque unum de Capitulo, quamvis non Doctorem tali casu licitè deputare potest.

Doctorum autem nomine, veniunt illi, qui in aliqua pu-
blica Universitate, vel Collegio, solemniter isto gradu deco- 11
rati sint, non autem illi, qui ex aliquorum particulari privilegio, Doctores creati fuerint, cùm isti ad hunc, aliosque effectus à Sacro Concilio, vel ab Apostolicis Constitutionibus consideratos, pro Doctoribus habendi non sint.

Prout

Prout licentiatorum nomine veniunt solùm illi, qui pariter à publica Universitate, vel Collegio, juxta regionum
12 mores, ac stylos, licentiaturâ tanquam gradu solemniter decorati sint, ut præsertim contingit in Hispania, ubi licentiatura illam habet imaginem, vel speciem, quam habet doctoratus in Italia, in quo iste licentiatorũ usus non habetur, cum ibi doctoratus, non nisi provectis, cum magna solemnitate conferri soleat; Ideoque licèt in Italia illi, qui aliquo tempore studiis in aliqua Universitate vacaverint, atque ordinario cursu expleto, ab aliquo magistro licentiam reportent, vulgò licentiati de facto nuncupari soleant, verè tamen tales non sunt, neque istud decretum eos complectitur.

Doctoratus autem in aliis scientiis etiam in Sacra Theologia, in hoc proposito non habetur in consideratione, cum
13 ille requireretur in utroque jure, vel saltem in canonico, spectato fine, seu effectu, quod cùm Vicarius deputetur ad justitiam administrandã, atque ad decidendas causas tam civiles quàm criminales, & mixtas, idcircò debet esse versatus in ea facultate, quæ ad id necessaria est; Unde propterea (ut alibi advertitur) per Sacram Congregationem Episcoporum quando recursus habentur, demandari solet Episcopo, ut te-
14 neat Vicarium generalem Doctorem, & non diœcesanum; Et tamen nullibi cautum est, ut Vicarius debeat esse Doctor, neque quod Episcopus de necessitate teneatur deputare Vicarium, quem potest non habere multo magis, dum Concilium, agendo de Capitulo, utrumque præcipit.

In facti autem contingentia disputavi in Tribunali A. C. in una Maceratensi; Cùm electus fuisset in Vicarium quidam Canonicus, qui erat Doctor in solo jure civili, an iste docto-
15 ratus in jure civili tantùm sufficeret ad satisfaciendum huic decreto, adhibitisque diligentiis, per Scribentes hinc inde, inventa non fuit declaratio, vel doctrina, quæ ad istos terminos speciales descenderet, cùm omnes declarationes, & consequenter earum Collectores, seu relatores agant de doctorato in genere, & de deputatione non Doctoris, quando in Capitulo adsint Doctores.

Ratio autem, ob quam iste casus non contigit disputan-
16 dus, ea mihi videbatur, quod in Italia, ob adèo magnam facilitatem conferendi istum gradum, in utroque jure (quamvis pro frequentiori contingentia, in neutro aliqua peritia habeatur) non practicatur hæc distinctio.

Dicebam itaque scribens pro electo, quod cum decretum conciliare, præcisè, ac taxativè non se restringat ad doctoratum in Decretis, sed adhibeat dictionem *saltem*, ita excludere non videbatur istam aliam speciem doctoratus, qui causarum determinationi magis congruus est, ex vulgari dicterio, quod Legista sine Canonibus imperfectus Judex est, parumque valet, sed Canonista sine legibus nihil valet; g ideoque magis opportuna est peritia in legibus, quàm in canonibus.

Verùm reflectendo ad veritatem (Partibus pro stylo insinuatam) nimiùm dubitabam, quoniam dictio *saltem*, præ se ferre videtur, quod Concilium utrumque doctoratum in effectu exigere voluerit; Cum etiam illud in magna parte ex Italis Cardinalibus, Episcopis, & Prælatis constaret, ita secũdum Italiæ mores, sensisse visum est, quodque ad minus desideratur fuerit Doctoratus, in decretis tanquam præsuppositus necessarius, mysteriosè forsan non facta mentione doctoratus in legibus, eò quia plures Canonistæ & Morales in sensu antiquorum Canonum illicitum reputant in clericis studium legum civilium sine licentia Papæ, vel saltem Episcopi, unde propterea prudenter gradus, ac peritia in eis, sub silentio relicta fuerunt, ne canonizaretur id, quod reputatur prohibitum; Verùm quia casus erat novus, nunquam
17 adhuc in specie decisus, idcircò Judex remisit oppositores ad Sac. Congr. Concilii, quæ (me tamen non scribente) inhærendo antiquis declarationibus, ut doctoratus in Theologia, vel in aliis scientiis ad hunc effectum nõ sufficiat in concursu Doctorum in decretis, rescripsit hunc doctoratum non sufficere, atque ita etiam implicitè respondit, oppositorem, qui erat Doctor in jure canonico, atque à minori parte fuerat electus, censeri Vicarium legitimè electum, ita tamen, ut id non influeret ad nullitatem gestorum per electum, minusque ut iste teneretur ad emolumentorum restitutionem, dum controversia non habebat tractum successivum, ex quo jam Ecclesia provisa erat de Episcopo.

Eodem tamẽ veritatis sensu retento, dicebam quod prima pars resolutionis in genere, sive in abstracto videbatur probabilis, quòd scilicet, ubi habeantur in Capitulo Doctores in utroque jure, vel saltem in canonico, digni, & idonei, atq; in tali numero quod rectè remaneat exercibilis electionis libertas, non debeat eligi non doctor, quamvis iste sit graduatus in Theologia, vel in alia facultate, quæ à munere reputetur extranea, ut in clericis, & officiis Ecclesiasticis reputatur illa legum civilium tantum, nisi quatenus deserviant professori Canonum pro eorum meliori intelligentia, & praxi.

Non placebat autem altera pars resolutionis in concreto, 18
quod scilicet exinde resultaret, ut electio facta per majorem partem, ita irrita remaneret, quod propterea conclusa remanere deberet alia electio facta per minorem partem; Siquidem ista conclusio circa præponderantiam dignæ electionis, factæ per minorem partem, procedit, quando electio facta per majorem partem esset de scienter indigno, cum tunc intret ratio alibi insinuata, *h* ut eligentes scienter indignum, pro ea vice privati sint jure eligendi, quod propterea totum consolidetur in paucioribus, à quibus Capitulum constituatur; Secus autem ubi id excusabiliter sequatur, cum ista sit species pœnæ, ac injuriæ, quæ dari non debet sine culpa redolente delictum.

Id autem in dicto casu dici non poterat, quoniam in Hispania constans opinio est, ut ea consuetudine repositum sit in libertate Capituli eligere Canonicum, vel alium sibi visum etiam non doctorem, istaque consuetudo supponebatur etiam inconcussa, & certa in ista Ecclesia; Unde propterea quidquid sit, an ea in futurum toleranda esset necne, quod
adhuc pro mea notitia formiter in Hispania decisum non 19
fuit; Attamen negari non potest, ut ea excuset ad effectum prædictum, ex regula, quod etiam mala consuetudo excusat à culpa, & delicto.

Et clariùs quia etiam si essemus in Italia, seu quod aliàs dicta consuetudo non adesset, adhuc tamen casus erat justè excusabilis, stante gradu in jure civili, ob novitatem casus adhuc non decisi ut supra, ideoque non debent tam eligentes, quàm electus, ita gravi injuria affici sine causa.

Præterea erroneum, pro meo judicio videtur, quando hujusmodi casus contingunt, procedere generaliter cum
antiquis decretis, vel declarationibus, non reflectendo ad 20
particularium casuum individuas circumstantias, quoniam in primis videndum est qualis sit numerus doctorum existentium in Capitulo, ad effectum inspiciendi, an in eis rectè verificetur libertas electionis, quæ omninò necessaria est, atque essentialis.

Et ulteriùs, ac magis, videndum est de hujusmodi doctorum qualitatibus, quoniam possunt esse doctorati sed non doctores, ut frequens praxis docet; Sive possunt esse juvenes inexperti, vel male morigerati, aut diffamati, vel imprudentes, aut aliàs non habiles ad illud munus, quod spectato effectu est Episcopale, potissimè in metropolitnis Civitatibus, atque in faciem supremorum Magistratuum, & tribunalium, ut in præsenti casu.

Ideoque rectè congruere videntur à fortiori ea quæ habentur in materia concursus, qui ad formam S. C. T. habenda est in provisione Ecclesiarum parochialium; Quod scilicet quamvis Episcopus teneatur de necessitate præeligere digniorem, atque aliàs ab ejus irrationabili judicio appellari valeat, cùm ista dignoscatur differentia inter beneficia curata, & simplicia, ut in sua sede advertitur; Attamen non semper gradus, ætas, doctrina, nobilitas, & aliæ qualitates hujusmodi majorem causant dignitatem, quoniam attenduntur, mores, prudentia, & bona opinio apud populum, ex quibus, quoties adsit sufficiens literatura, minus nobilis, minusque literatus, vel non graduatus, vel junior præeligi mereatur. *i*

Et per consequens non est materia, quæ recipiat certam, ac generalem regulam cuicumque casui applicabilem, sed pro singulorum casuum circumstantiis est decidenda.

Hinc proinde Sacr. Congregatio Episcoporum, quæ frequentiùs hujusmodi negotia pertractare solet, quando adversùs electionem non doctoris, spretis doctoribus recursus habetur, non procedit ex abrupto ad annullationem, sed scribit pro informatione, atque partes audit; Et quatenus comperiat non benè processum fuisse, quodque non potuerint sperni doctores, ut supra digni, & idonei mandat denuò procedi ad electionem, vel ipsa deputat Vicarium Apostolicum; Ac propterea in isto casu, consului quod Capitulum peteret denuò audiri, idque pendet.

Quamvis autem Sacra Congregatio laudet, ut existentibus graduatis, vel aliàs idoneis de Capitulo, vel de gremio Ecclesiæ Cathedralis, in uno istorum deputatio cadere soleat; Si tamen eligatur doctor idoneus extra gremium, non exinde actus remanet invalidus; Quinimò id insinuat ipsũmet Concilium, dum primo locu agit de confirmatione

Vicarii Generalis Episcopi defuncti, qui in magnis diœcesibus pro frequentiori contingentia supponendus est exterus; Et quidem id potiùs commendabile videtur, ut Ego pluries sum expertus; Tum quia ita côciliantur factionariæ divisiones assumendo tertium, ut neutra canat triumphum; Tum etiam quia libentius recognoscitur, ac timetur ille superior qui non sit de Capitulo, unde propterea ejus præsentia rara sit, cum potiùs apud Capitulares vilescat illa persona, quæ quotidie in choro, & in sacristia cernitur in habitu Canonicali, serviendo in Divinis in suo loco, quandoque inferiori; Ac etiam quia ob dissensiones, quæ frequenter habentur in currentibus negotiis, & actibus capitularibus, displicet quod unus ex eis sit superior, ex generali axiomate, quod durú est servire, ac obedire conservis, ut de memetipso testari possum, quoniam cum in Capitulo Cathedralis propriæ patriæ plures adessent dignitates, vel Canonici, qui in retroactis vacationibus Vicarii capitulares fuerunt, ad componendas factionarias divisiones, ita contractas, Ego penè adolescens ex causa infirmitatis, a Tribunalium Neapolis praxi ad nativum cœlum ex consilio medicorum de proximo regressus, de omnium concordi consensu, electus fui Vicarius Capitularis, atque in spatio unius anni cum dimidio circiter, in quo vacatio duravit longè major quies inter Capitulares habita fuit, quam in præcedentibus, quamvis longè brevioribus, Atque ex illo exemplo illinc ad breve tempus idem practicatú fuit in metropolitana Ecclesia Sipontina, eligendo pariter non capitularem clericum in minoribus, qui nunc est Episcopus Alexanen. Et pariter (dum essem in partibus) Capitulum metropolitanæ Barensis, ad tollendas factionarias divisiones deputavit eumdem exterum non capitularem, qui erat Vicarius generalis Archiepiscopi defuncti; Est etenim commendabilius ex argumento à posteriori, sive ab effectu, adeout forsan deberet transire in præceptum, quoniam ita multis inconvenientibus occurreretur.

21 Licèt enim Concilium ad incutiendum Vicario deputato timorem, eisdem iniunxerit onus syndicatus coram Episcopo successore, cui ex veriori, magisque in praxi recepta opinione, non subjacet Vicarius Generalis Episcopi; Attamen, ut experientia me docuit, istud non est remedium sufficiens, quinimò est majus pabulum, ac fomentum inconvenientium; Tum quia factionariæ divisiones augentur; Tum etiam quia Vicarius Capitularis majores extorsiones facere studet, ut cum muneribus, Episcopi gratiam capiat: Unde propterea quemadmodum Episcopo præsente, atque ut plurimum extero, adhuc ob civitatis æmulationes, ac factiones, injungitur necessitas habendi Vicarium exterum, multò magis fieri deberet Sede vacante, quoniam ita eligerentur famosi Doctores, ac personæ, quæ ex aliis jam peractis muneribus in Regione sint in magna æstimatione.

22 Super ipsis quoque electionibus frequentes quæstiones contingere solent, vel super jure votandi in Capitulo; ex eo quòd in plerisque Ecclesiis Cathedralibus vigeat consuetudo, ut etiam beneficiati, vel capellani, aut illi simplices præsbyteri, qui aliquam habent participationem massæ capitularis, habeant vocem in Capitulo, quando alia negotia Capitularia pertractantur; An scilicet idem in isto actu dicendum sit; Atque regula est negativa, cum Capitulum constituatur à Canonicis tantum, qui in sacris existentes, vocem habeant in Capitulo, adeout neque de jure, de Capitulo dicantur Dignitates, nisi aliàs de consuetudine cautum sit; Dicta tamen regula ex legitima consuetudine limitationem recipere apta est. *l*

23 Prout super computatione votorum, & quando electio à majori parte conclusa dicatur, sive super aliquorum contemptu, vel non legitima convocatione capituli, aut super modo illam faciendi, sive super computatione voti ipsius electi; cum similibus, quæstiones oriri solent decidendæ cum terminis generalibus, qui in electionis materia habentur. *m*

24 Non tamen subest necessitas servandi illam scrutinii formam, quæ per sacros canones præscripta est in vera, & formali electione facienda de Prælato, vel Pastore Ecclesiæ viduatæ, cùm ista vere non sit electio, sed simplex deputatio per quamdam speciem traditionis mandati, adeout alia non exigatur superioris confirmatio, vel solemnitas, sive concessio literarum patentium, sine quibus deputatus illicò administrare potest. *n*

In plerisque Ecclesiis mos inoleverat, deputandi Vi-
25 carium ad tempus, putà ad annum, vel ad sex, sive ad tres menses, ac etiam, ut capitulum Vicarii potestatem in pluribus restringendo, aliqua graviora negotia sibi reservaret, pluresque alias leges, & restrictiones electo præscribendo.

Hæc autem omnia Sacra Congregatio improbavit, decernendo, ut electio pura, & generalis pro toto tempore vacationis fieri deberet, denegata Capitulo potestate pro libito revocandi deputationem jam factam, ad alteram faciendi, inconsulta ipsa Sacra Congregatione, quæ propterea in casibus, in quibus temporalis deputatio fiat cum hujusmodi restrictionibus, rescribere solet electo, ut per totum tempus vacationis continuet neglectis restrictionibus, & quandoque ex ista causa improbare solet electionem; deputando Vicarium Apostolicum pro facti qualitate, ex qua aliquando etiam ipsummet electum deputat, quamvis electio invalida esset, ideoque certa generalis regula cuicumque casui applicabilis desuper statui non potest, cùm totum pendeat ex singulorum casuum circumstantiis, & juxta Sacræ Congregationis leges prudentiales.

Ubi autem ob nullatenus, vel malè factam electionem, ad hujus decreti præscriptum, jus devolvatur ad Metropolitanum, vel respectivè ad antiquiorem, vel viciniorem, re- 26
ceptum est, ut id sequatur, tam ob non factam, vel non benè conclusam electionem infra octo dies, quam etiam, quod ea malè facta sit in persona ad id non idonea ex defectu doctoratus, vel clericatus, val consimili defectu, ob quem ille non sit ad hoc munus de jure idoneus: *o* Atque ubi unus ex prædictis superioribus, jure devoluto, manus desuper apponat, disputari quandoque consuevit, an appellatio, quæ ab eo interponatur, effectum suspensivum 27
causare debeat necne; in casus autem contingentia pro negativa per Sacram Congregationem resolutum fuit, ex rationibus insinuatis in meis annotationibus ad materiam Capituli, & rerum Capitularium. *p*

Quamvis autem, veriùs magisque receptum sit, ut Vica-
rius Generalis Episcopi, primum locum, ac digniorem 28
occupet post Episcopum, quando in habitu Vicarii, non autem Canonici in choro, aliisque functionibus intervenit, non tamen supra Assistentes, vel paratos, ut in præeminentiarum sede advertitur; *q* In Vicario tamen Capituli secus videtur, ut scilicet supra primam Dignitatem præcedentiam prætendere non valeat; Ex ratione, quod ipse est minister Capituli, quod in ipsa prima Dignitate in actibus præeminentialibus repræsentari videtur; Quando tamen Ego in hoc munere fui, studui effugere hunc actum positi- 29
vum occupandi locum post primam Dignitatem, sed sedem statui in loco tertio, in quo apud populum, major videbatur officii dignitas.

Capitulo Sede vacante, & consequenter ejus Vicario, af-
sistit regula generalis, vel causa universalis, in Episcopali 30
jurisdictione, etiam ea, quæ supra exemptos à Sac. Conc. Tr. & Apostolicis Constitutionibus delegata est, In plerisque tamen casibus restrictionem recipit, præsertim circa facultatem concedendi literas dimissoriales ad Ordines suscipien-
dos infra annum, quo elapso, ista facultas conceditur; Ipsoq; 31
anno durante, concedit literas testimoniales iis, qui pro ordinibus suscipiendis obtinere solent dispensationem Apostolicam super interstitiis; Verùm istæ literæ Apostolicæ diriguntur Episcopo viciniori, cum Dataria, val Secretaria brevium non rescribat Capitulo.

Itaq; dispensatio Sede vacante concedi solet pro aliis or-
dinibus, iis qui jam clericali charactere insigniti sint, non 32
autem laicis pro prima tonsura, cùm id nonnisi ex gratia speciali concedi solet; undè propterea, subreptitia, & invalida censetur ista gratia, sine hac speciali mentione. *r*

Prout etiam infra annum, Sac. Congr. ad supplicationem aliquorum particularium, per literas eandem facultatem Vicario capitulari communicare solet, ut Egomet practi- 33
cavi; Sanctius tamen esset, ut non solùm infrà annum ab hoc abstineretur, sed etiam pro toto tempore vacationis tam circa facultatem Vicarii capitularis, quàm etiam circa delegationem Episcopi vicinioris, cùm experientia probet, multa exinde resultare inconvenientia, quodque illi, qui ob defectum literaturæ, seu vitæ, ac morum per Episcopos ordinibus indigni reputati sunt, ita indignè, ac scandalosè, ad eos admittantur.

Quinimò (ut alibi advertitur) ob nimiam facultatem, quæ fortè in abusum transiit, oportebit etiam Episcopis id
prohibere generaliter, eo modo quo, hodiè cum aliquibus 34
singulariter, quandoque practicari solet.

Beneficium item liberæ collationis provisio, quæ cessantibus Apostolicis reservationibus, vel affectionibus,
Episcopo competit, denegatur Capitulo, seu ejus Vica- 35
rio sede vacante, qua durante, pertinet ad collationem

Papæ;

Papæ; Benè tamen concedit institutionem in beneficiis de jurepatronatus, ad patronorum præsentationem; Sed ubi in istis quoque fiat locus collationi Ordinarii ob devolutionem, intra idem, quod in beneficiis liberæ collationis.

In parochialibus autem, quamvis reservatis, vel affectis Capitulum succedit in jurisdictione Episcopi super jure habendi concursum, ac præeligendi inter approbatos magis dignum, dandique literas testimoniales Datariæ, ut provisio Apostolica sequatur; Id autem à Vicario faciendum est, improbata consuetudine, ut à Capitulo, vel ab aliquibus ab eo deputatis fiat. *f*

36 Dispensationum matrimonialium, aliarumque Apostolicarum gratiarum, seu literarum executio, Capitulo, seu ejus Vicario committi non solet, quoniam Dataria, vel Cancellaria Apostolica, vel secretaria Brevium illi non rescribit, unde propterea sede vacante rescribitur Episcopo viciniori.

Atque ex hoc stylo, resultare videtur decisio quæstionis, in qua Scribentes videntur se involvere, an scilicet in jurisdictione Episcopo, vel Vicario Generali delegata, Capi-
37 tulum, seu ejus Vicarius succedat, ut affirmativa intret in ea delegatione generali, quæ per Concil. Trid. & Apostolicas Constitutiones locorum Ordinariis conceditur, Secus autem in iis specialibus delegationibus, quæ Capitulo, vel ejus Vicario dirigi non solent; Pluresque alii habentur casus per particulares Constitutiones, vel decreta Sac. Congregationis excepti, qui apud solitos, ac notos Collectores habentur.

Id autem quod in casu vacationis sedis per Episcopi cessum, vel decessum, ut supra habetur, generaliter quoque procedit, quando Sede adhuc plena, eadem intret ratio, ut
38 oporteat in Ecclesiæ administratione, & Episcopali jurisdictione Episcopi absentis, vel aliàs impediti partes implere; Ut potissimum casus præbere solet, quando Episcopo in Nunciaturis Apostolicis, seu aliàs longa absentia impedito, sequatur mors; vel discessus, aut aliud impedimentum Vicarii Generalis per eum deputati, alia non facta provisione pro istius casus contingentia. *t*

Demonstrativè autem, ac pro frequentiori contingentia potius, quàm taxativè, de Capitulo Cathedralis, vel Metropolitanæ in hoc proposito habetur sermo, quoniam in
39 Capitulis collegiatarum sub Prælato inferiori Nullius, cum territorio separato, vel etiam respectiva exemptio, cum aliqua ordinaria jurisdictione, idem comparativè, seu proportionatè, singula singulis, congruè referendo, procedit; *u* Nisi contraria consuetudo aliter suadeat, atque isto Capitulo suas partes non benè explente, subintrat Metropolitanus, vel respectivè, in casu exemptionis, vicinior.

Denegatur autem hæc facultas Capitulis collegiatarum subditarum, quibus dicta ratio propter Prælati non con-
40 gruat, quamvis de consuetudine, vel de congruentia Episcopus solitus esset in eo loco, vel diœcesis parte, particularem deputare Vicarium, etiam cum titulo, & facultatibus Generalis, quoniam ex eadem justa causa, vel consuetudine, ex qua Episcopus non ex libera facultate, sed ex præcisa, vel morali necessitate id egit, facere debebit Capitulum, seu ejus vicarius eum deputatione etiam vicarii foranei, qui in effectu licèt generalis nuncupationem, & quamdam speciem habeat, foraneus potiùs censendus est, cum revera unicus tantum sit Vicarius generalis, sive sit Episcopi, sive Capituli, nisi privilegium Apostolicum explicitum, aut illud implicitum, quod ex immemorabili benè probata resultet, aliud suadeat. *x*

Ubi verò plures sint Ecclesiæ Cathedrales, quæ sub uno Episcopo æquè principaliter unitæ sint; Quamvis Sede ple-
41 na, unum sit regimen, unumque Tribunal, cum unico Vicario generali; *y* Adhuc tamen sede vacante, vel impedita, ut supra, quælibet Ecclesia, juxta naturam unionis æquè principalis pluries insinuatam, suum statum antiquum assumit, proindeque quodlibet Capitulum, cum omnimoda independentia, ejus proprium, ac diversum deputat Vicarium, aliosque officiales, in sua respectivè diœcesi; perinde, ac si quælibet haberet proprium Episcopum, atque uterque eodem tempore obiisset. *z*

Quandoque tamen, in facti contingentia sequitur, ut in una hujusmodi Ecclesiarum, Capitulum Cathedralis,
42 ob canonicatuum paupertatem, seu ex alio accidenti, de facto non adsit, ideoque intrat quæstio, ad quem Ecclesiæ unitæ administratio, ac jurisdictio pertineat, Respondi autem, quod nisi talis esset antiqua, & legitima consuetudo, ut Apostolicum privilegium redoleat, tunc ad Metropolitanum potiùs id pertinere debeat, non autem ad Capitulum, vel clerum alicujus Ecclesiæ inferioris ejusdem diœcesis. *a*

Quia verò, quandoque casus præbet, ut eadem Ecclesia Cathedralis efformetur per plures Ecclesias materiales cathedraticam prærogativam sociativo quodam jure haben- 43
tes, unde propterea, materialiter, ac de facto, plura sint distincta Capitula, cum distinctis mensis ac redditibus, cum aliqua etiam non levi æmulatione, inter eas, Hinc proinde in casu vacationis Sedis, coæquale est omnium hujusmodi Capitulorum jus, cum in effectu sit unum, & idem formale, ac individuum, idemque propterea sit jus habituale; Verùm quia super exercitio inconvenientia, quandoque cadere solent, idcirdò, cessante consuetudine (cui regulariter deferendum est) provisiones per Sedem Apostolicam, vel per Sac. Congreg. pro singulorum casuum particularibus circumstantiis, adhiberi solent, ut inconvenientibus occurratur, nullaque propterea certa, & determinata regula cuicunque casui applicabilis desuper statui potest. *b*

Ad instar autem hujus jurisdictionis Capituli Sede vacante (habita debita proportione, seu congrua relatione) dubitari quandoque contingit de jurisdictione, seu potestate Sacri Collegii Sede Papali vacante; Et de hoc aliquid insinuatur *l. sequenti de Judiciis*, occasione agendi de relatione, ac praxi curiæ Romanæ. *c*

Card. de Luca, Lib. XIV.

a *sub tit. de jurisd. disc. 2. sub tit. de praeminent. disc. 19. & 22. & in Miscell. Eccles. disc. 1. & saepius.*
b *tit. de benef.* 1. *& 30.* e *eod. tit. de benef. disc. 23.*
d *de his sub tit. de Canon. & Capitulo disc. 24. cum seqq. & de jurisd. disc. 54.* e *tit. de praemin. disc. 20.*
f *tit. de praeminent. disc. 19. cum seqq.*
g *Roman. singul. 660. Menoch. de arbitr. casu. 420.*
h *tit. de Canonic. & Capitul. dis. 27. et tit. de jurepatron. disc. 61. et alibi.* i *sub tit. de paroch. disc. 6. et 37. et infra in his annotationibus, disc. seqq.*
l *tit. de Canon. et Capitulo disc. 4.*
m *eodem tit. de Canonic. et Capitulo disc. 26. et seqq.*
n *d. disc. 26. de Canon.*
o *d. tit. de Canon. et Capitulo, disc. 24. et seqq.*
p *eod. tit. disc. 25.* q *sub tit. de praeminent. disc. 18.*
r *sub tit. de jurepatr. disc. 46.* s *sub tit. de paroch. dis. 5.*
t *tit. de jurisd. disc. 54.* u *d. disc. 54. de jurisd.*
x *d. tit. de jurisd. disc. 22. et 24.*
y *ibidem, et de praemin. disc. 7.*
z *eod. disc. 7. de praemin. et dis. 26. de Canon. et Capitul.*
a *dicto disc. 7. de praeminent.*
b *disc. 5. de praeminent.*
c *agendo de Collegio Cardinalium.*

Ad sessionem 24. de Reformatione cap. 18.

S U M M A R I U M.

1 *De forma provisionis Ecclesiarum parochialium.*
2 *Deputari debet Vicarius pro tempore vacationis.*
3 *De affixione edicti.*
4 *De forma examinis concurrentium, eorumque approbatione.*
5 *Super quibus desuper oriri soleant lites.*
6 *Quales debeant esse examinatores, et de eorum deputatione.*
7 *Quid ubi deficiant illi, qui deputati fuerunt in Synodo.*
8 *De juramento, quod examinatores praestare debeant.*
9 *Debent esse Congregati, et proferre vota collegialiter in ipso actu.*
10 *Quales dicantur approbati, et quales non.*
11 *In votorum aequalitate Ordinarius habet votum adhaesivum, et concludit actum, istaque adhaesio etiam in ipso actu collegialiter fieri debet.*
12 *De duplici persona quam in hoc gerit Ordinarius.*
13 *De prohibitione mixturae aliorum, qui non sint examinatores, quod declaratur.*
14 *Quomodo concurrentes debeant examinari, vel interrogari.*
15 *Examinatores non pertinet judicare quis sit dignior, sed solùm qui approbentur, et qui reprobentur.*
16 *Debet esse eorum munus omninò gratuitum, et quando aliàs interet nocnè simonia.*
17 *Episcopus tenetur praeligere magis dignum.*
18 *De quaestione an beneficia conferri debeant dignioribus*

19 *De appellatione ab irrationabili judicio Episcopi.*
20 *Hæc appellatio non operatur effectum suspensivum, ideoque rara est ejus prosecutio.*
21 *Præsumitur pro judicio Episcopi in prælectione, & quare difficile sit hanc irrationabilitatem convincere.*
22 *Diffamatio de crimine reddit minus dignum illum, qui aliàs esset dignior.*
23 *De aliis partibus, vel circumstantiis, quæ eundem producant effectum.*
24 *De provocatione quam appellantes faciunt appellati ad novum examen in Curia.*
25 *Quod Episcopus in prælectione non tenetur sequi majorem partem votorum.*
26 *Potest eligi unus ex approbatis, & cum minori numero votorum per solam adhæsionem.*
27 *Comparentes in concursu non possunt sperni, & quid si adscriptus non compareat.*
28 *De prorogatione termini concursus in edictis.*
29 *Quisnam in hoc veniat sub nomine Ordinarii.*
30 *Capitulum sede vacante, sed id pertinet ad Vicarium Capitulare.*
31 *In Ecclesiis de jurepatronatus laicorum non servatur, quid de mixto.*
32 *Non requiritur in Dignitatibus, vel Canonicatibus, quibus annexa sit Ecclesia parochialis, vel cura habitu, & non actu.*
33 *Neque in Vicariis.*
34 *Quando dicatur adesse unio, ob quam iste effectus resultet.*
35 *Etiam in casibus, in quibus concursus non requiritur, approbatio fieri debet cum examine examinatorum synodalium.*
36 *Ad hunc effectum non prodest exemptio Ecclesiæ, & quid agendum, ubi de Ecclesia exempta, & sub inferiori Prælato.*
37 *An Parochi, vel Vicarii, ita approbati, possint denuo per Episcopum examinari, & suspendi?*
38 *De aliis ad materiam.*

D I S C. XXXII.

1 Super parochialium Ecclesiarum provisionibus, ut digne fiant pro meliori animarum cura, Sacrum Concilium, restringendo collatorum antiquam libertatem, certam adjecit providendi formam, quàm amplixvit, seu magis declaravit subsecuta S. Pii V. Constitutio; *a* Sub decreto annullativo, quando talis forma non benè servetur; Unde propterea in dies praxis docet; adversus jam provisos parochialibus, Apostolicas fieri impetrationes certo modo, quæ ob non servatam formam Constitutionis Pii V. dicuntur, ac de facto multæ ex hujusmodi impetrationibus effectum sortiuntur, cùm ad hanc formam exactè servandam adverti non soleat.

Forma igitur est, ut secuta vacatione, Ordinarius, illi-
2 cò Vicarium provisionalem præficere debeat, congrua illi assignata, nè interim animarum cura detrimentum patiatur; Atque sive in mense ordinario, sive in Apostolico vacatio secuta sit, aut quod aliàs Apostolicæ reservatio, vel affectio intret, indici debeat concursus, mediante affixione edictorum in ipsa Ecclesia parochiali, & in loco solito residentiæ Episcopi, ejusque Tribunalis, in quibus statuto competenti termino, qui non debet esse minus dierum decem, protogari tamen pluries potest ex Constitu-
3 tione Pii V. (dummodo non excedatur terminus dierum viginti) concurrere volentes invitando, ut certo loco, certavè die, vel hora compareant, examini, & concursui se expositurі; ipsoque termino adveniente, & comparentibus oppositoribus, qui priùs descripti fuerint, examen
4 peragendum est coram ipso Ordinario, vel ejus Vicario generali, & Examinatoribus in proxima diœcesana Synodo deputatis, qui propterea synodales appellantur, qui non sint minùs, quam tres, per quos concurrentium inquisitio fiat, tam super literatura, mediante examine tunc peragendo, quam etiam super vita, & moribus, ac prudentia, aliisque partibus, quæ congruæ in hoc munere judicantur, hisque ponderatis, referant Episcopo, quos dignos, vel idoneos approbent, & quos indignos reprobent, ut ex iis, qui cum majori suffragiorum parte inter candidatos, seu approbatos adscripti sunt, Episcopus illum præeligat, quem magis dignum credat; Atque ubi ad ejus liberam provisionem collatio sit, illam sic prælecto faciat; Ubi verò ad datariam, vel Apostolicam Sedem, ex reservationis, vel affectionis causa id pertineat, tunc testimoniales literas concedat prælecto. Apostolicam provisionem, ita earum vigore obtinenti; Atque si provisio ad alium inferiorem pertineat, consimiles literas huic directas idem Ordinarius concedat, adeout provisio ad ita prælectum restringatur. *b*

Super hujus itaque formæ exacto implemento, forus in dies audit quæstiones. Vel occasione dictarum impetrationum, quæ adversus ita provisos ob eam non benè servatam fiant, vel ob lapsum termini sex mensium, intra quem id faciendum est; Vel ob appellationem ab aliquo concurrentium interpositam à judicio Examinatorum, qui ipsum indebitè reprobaverint, sive ab irrationabili judicio Ordinarii in prælectione, ideoque de his distinctè agendo. *c* 5

Quatenus pertinet ad formam, benè, vel male servatam, ejus defectus multiplex esse solet, adeout frequenter, atque de facili ejus violationem praxis doceat. Primò scilicet circa numerum, & qualitatem Examinatorum, quoniam, (ut dictum est,) deputati esse debent solemniter in proxima diœcesana Synodo, atque aliæ deputati minus idonei sunt; Idque adeò verùm, quod si sub uno Episcopo duæ Cathedrales Ecclesiæ æquè principaliter unitæ sint. Episcopus autem pro diversis locorum stylis, duas distinctas Synodos pro qualibet diœcesi celebraverit; Sive unam pro utraque, cum distinctæ tamen Examinatorum deputatione pro earum qualibet, tunc Examinatores deputati pro una diœcesi, idonei non sunt pro concursu ad parochialem alterius, quamvis unus, & idem sit Episcopus. *d* 6

Ubi verò casus præbeat, quod per mortem, vel per absentiam, aut aliud legitimum, nō tamen affectatum, ac fraudulentum impedimentum, haberi non valeat Examinatorum numerus, qui saltem trium ut supra necessarius est ad quoddam collegium constituendū, tunc in locum deficientium extra Synodum ab Ordinario alii subrogari possunt, aliqua tamen solemnitate quoque adhibenda, consensus scilicet Capituli, atque alias invalida est deputatio. 7

Id autem conceditur, quatenus infra annum à die ultimo celebratæ Synodi contingat: Secùs autem si post annum, quoniam tunc rectè Ordinario imputandum est cur ad præscriptum ejusdem Sac. Concilii Tridentini synodum non celebraverit, atque novos Examinatores non deputaverit. *e*

Non sufficit autem sola deputatio, quæ uno, vel altero modo, ut supra, secuta sit, nisi etiam deputati juramen- 8
tum solemniter præstent super hoc munere benè, ac fideliter peragendo; Super hujus autem solemnitatis implemento aliàs dubitatum fuit, an illud in singulis quibuscunque concursibus, toties quoties casus contingat, præstandum sit, vel potiùs sufficiat, ut una vice generaliter præstetur; Itaque posterior pars verior, magisque recepta est, ut unius juramenti generalis præstatio sufficiat. *f*

Peracto, itaque examine coram dictis Examinatoribus, non singulariter coram eorum quolibet, sed collegialiter in loco, qui in edictis deputatus est, iidem, collegiativo pariter jure, votum, sive secretum, sive publicum, aut in scriptis, vel oretenus, pro diversis locorum stylis in ipso actu proferre debent, quos scilicet ex concurrentibus approbent, & quos reprobent, ad effectum, ut inter approbatos Ordinarius dictam præeligendi facultatem exerceat. 9

Approbatio autem, vel reprobatio pendet à conclusione majoris partis votorum, juxta regulas generales, quas habemus in electionibus, vel præsentationibus, quæ universitatis, vel collegiativo jure fiunt, ut scilicet major pars dicatur ea, quæ medietatem congregatorum, etiam in uno, vel in dimidio voto excedat, habita comparatione omnium congregatorum, non autem comparativè ad minorem partem, quæ in diversam abeat sententiam, juxta dictas regulas electionis, ideoque si (ex. g.) Examinatores sint quinque, vel tres, tunc tres, vel respectivè duo concludunt. 10

Si autem vota sint æqualia, adeout neuter actus remaneat conclusus, ideoque ille concurrens juridicè nec approbatus, nec reprobatus dici valeat, tunc Ordinarius, vel ejus Vicarius generalis, qui examini præsideat, ubi qui alias (& vota Examinatorum actum pro majori parte concludant, nullum habet votum decisivum) habebit votum adhæsivum, seu præponderans, ut propterea illa pars approbationis vel reprobationis, actum concludat, cui ipse adhærebit. 11

Adhæsio autem hæc pariter in ipso actu, atque in forma collegiativa, tanquam per speciem electionis, vel actus capitularis fieri quoque debet, adeout actus approbationis, vel reprobationis singulorum, tunc remaneat conclusus, neque attendantur vota, quæ in diverso loco, vel tempore singulariter præstatur, juxta prædictam regulam,

quam

quam in electionibus, aliisque actibus collegiativie habemus. *g*

13 Duplicem etenim diversam personam Ordinarius in hoc gerere dicitur, quam etiam cum materialium personarum diversitate explicare potest; Una scilicet præsidentie in ipso Collegio, seu Concilio unà cum Examinatoribus cum dicto voto adhæsivo, atque hanc explicare potest, vel per seipsum, vel per ejus Vicarium generalem, non alium ad id specialiter delegatum; Istudque votum adhæsivum, tunc in ipso actu, collegiativo jure, proferre debet, ut ita actus capitularia, vel collegiativus, conclusus remaneat.

14 Altera verò persona est, circa jus prælectionis inter plures approbatos; Atque istem diverso loco, diversoque tempore, pro ejus libito explicare potest, dummodo intra statutum terminum sex mensium id faciat, ne alias devolutioni locus fiat; Unde propterea frequens praxis docet, præsertim in magnis diœcesibus, ut concursus fiat coram Vicario generali, vel altero præsidente ad id deputato, transmittantur autem vota approbatorum Episcopo, qui sive in eadem Civitate, vel loco concursus, sive in alieno, tam intra, quàm extra diœcesim, ex intervallo prælectionem, ad effectum propriæ, vel alienæ provisionis, ut supra faciat. *h*

15 In dicto Collegio, seu consessu, prohibita est mistura aliorum, qui non sint Examinatores synodales; Dummodò tamen, juxta easdem regulas electionis, sit mistura cum effectu, idest, quod aliæ personæ votum desuper non habentes, illud proferant, adeo ut in certum remaneat, an major pars conclusa sit ab examinatoribus legitimis necne? Ubi etenim ista dubitandi ratio cesset, tunc talis interventus validitatis actus non præjudicat; ut frequentior praxis docet, quod ipso Episcopo præsidente, interveniat quoque Vicarius generalis, ac etiam Cancellarius, aliique Officiales, vel familiares; Idque nil præjudicat, quoties isti votum decisivum non habeant, quamvis ad aliquam Episcopi satisfactionem alii, qui non sint Examinatores synodales aliquas examinandis faciant interrogationes, ac etiam peracto examine, eorum judicium in forma discursiva, vel consultiva proferant, Id etenim, quandoque, cùm essem Vicarius generalis, proficuum, expertus sum, ad occurrendum collusionibus, & machinationibus examinatorum, quia ita ausi non sunt reprobare illos, quos licèt, approbatione dignos, in animo tamen reprobare habebant, ad gratificationem eorum, qui illius obstaculi remotionem affectabant; Sive approbare eos, quos alii publicè viderant malè se gessisse; Et sic iste interventus potiùs prodest, quàm noceat.

16 Super modo autem peragendi examen super litteratura, an scilicet concurrentes eodem tempore super iisdem, vel super diversis interrogari debeant, vel potiùs singulariter, ac distinctè eorum examen faciendum sit, certa regula, seu forma desuper præscripta non habetur, ideòque locorum stylo deferendum est, sive Episcoporum placito: Idemque circa modum proferendi votum, an publice, vel secretè, sive an oretenus, vel in scriptis.

17 Ad Examinatores autem non pertinet judicare quisnam sit dignior inter plures, qui idonei approbati sint, sed eorum munus consistit in approbando, vel reprobando, seu denunciando quos credant idoneos, & quos non, cùm alia pars præeligendi inter plures approbatos pertineat ad Ordinarium.

18 Eorumdemque Examinatorum munus gratuitum esse debet, omneque emolumentum sub quovis prætextu simoniacum reputatur; Quatenus tamen hæc turpitudo ab eis, vel eorum aliquo committatur, id præjudicare non debet concurrentibus aliàs idoneis, quibus de justitia approbatio debita erat, qui conscii, ac participes non sint, quia nempè ab eorum conjunctis, vel benevolis, ipsis ignaris, ad evitandam injustam reprobationem factum sit; Adhuc tamen, quando de hoc aliqua habeatur diffamatio, quæ scandalum saltem de facto præbere valeat, istud justum motivum reputetur in prælectione postponendi eum, qui alias magis dignus præeligi deberet. *i*

19 Liberum verò non est Episcopo, seu Ordinario, inter candidatos, seu approbatos, præeligere illum quem maluerit, quoniam adhuc ejus arbitrium benè regulatum esse debet, præeligendo eum, quem reputet magis dignum, quoniam secluso etiam ista conciliari forma, attentisque terminis juris communis, cum quibus absque hujusmodi restrictionibus, etiam beneficia curata ad liberam collatoris provisionem erant; In ea quæstione, an beneficia conferri debeant dignioribus, vel potiùs in libito sit, eis neglectis, conferre dignis, & idoneis, magis communis, & recepta distinctio est inter curata, & non curata; ut ea de prima specie dignioribus conferri debeant, alia verò sufficiat conferre dignis, quales sunt omnes à jure non reprobati; *l* Quod etiam per istud Sac. Concilium antequam ista forma induceretur, statutum fuerat *sess. 7. de reform. cap.* 3.

Hinc proinde, ab ista prælectione, quatenus ea irrationabilis, malèque regulata videatur, licitum est iis, qui se magis dignos credant, appellare ab Ordinarii irrationabili judicio, atque quandoque casus præbet, ut per Judicem appellationis, irritata prælectione, appellanti Parochia decernatur. 20

Nimiùm autem rari videntur casus, in quibus id sequatur, quodque hujusmodi appellationes ad finem perducantur, quoniam licèt frequentissima sit earum interpositio, nimiùm tamen rara est prosecutio, & meritò: Tum quia appellatio effectum suspensivum non causat, neque prælectum impedit, quominus beneficii possessionem adipiscatur, atque in eo ministret; *m* Unde oportet prosequi causam appellationis in judicio ordinario per tres sententias conformes, & frequentiùs etiam per quartam executorialem, quod magnam temporis, ac pecuniæ jacturam redolet, magnaque producit incommoda, potissimè, quia in Italia hujusmodi beneficia non adeò pinguia sunt, ut id expediat, ac propterea appellationes, quæ in eo fervore exclusionis, nimiùm de facili interponuntur, raram habent prosecutionem. 21

Tum etiam quia, præsumptio assistit judicio Episcopi, nimiùmque difficile est, hanc irrationabilitatem convincere, quamvis appellans de majori literatura, vel gradu, seu nobilitate, aut ætate, aliave majori qualitate doceat, qua prælectus careat, quoniam, licèt generaliter, ac in abstracto habentes hujusmodi qualitates, vel earum aliquas, magis digni reputari debeant, quàm illi qui eis careant; Non tamen id per necessè concludit, ad reddendum hoc judicium irrationabile, dum illud rationabiliter, ita interponi potuit, ob alias qualitates in prælecto concurrentes magis, quàm in postposito, licèt magis qualificato: Putà majoris prudentiæ, seu vitæ magis exemplaris, aut quod alias populo sit magis gratus, vel magis proficuus, pro facti qualitate reputetur; Ideoque certa, & determinata regula, cuicunque casui applicabilis desuper statui non potest; Et consequenter nimiùm rarum, ac difficile est hujusmodi irrationabilitatem convincere. *n* 22

Istudque præsertim in hac prælectione advertendum est, an ille qui in literatura, aliisque partibus qualificatus, magisque dignus esset, de aliquo crimine sit diffamatus, quamvis talis probatio non accedat, ut condemnari valeat, Quinimo etiamsi, ex probationum defectu, absolutoriam reportasset, quæ tamen de facto sinistram opinionem, vel diffamationem non sustulisset, quoniam licèt id non sufficiat ad privationem beneficii, vel juris jam obtenti, seu quæsiti, benè tamen sufficit ad repellendum ab assequendo, justumque motivum præbere potest Superiori, ut eo neglecto, alter quamvis minus dignus, dummodò habilis, & idoneus præligatur; Multò verò magis, ubi ultra suspicionem, vel diffamationem, in populo, carceratio accesserit; Et fortiùs ubi tormenta substinuerit, quoniam invigilandum est ne scandalum populo de facto præbeatur. 23

Prout etiam, cessante positiva diffamatione criminis, aliæ partes ponderandæ sunt, quæ licèt positivè criminosæ non sint, adhuc tamen aliquod scandalum de facto præbeant, aut modicam ædificationem; Putà quia cum esset Sacerdos, non esset solitus celebrare, aliisque divinis interesse, atque sæcularibus rebus magis deditus esset, cùm id in assequendis quamdam speciem indignitatis præ se ferre videatur, cum similibus pro facti qualitate considerandis. *p* 24

Solent appellantes, in eo primo fervore, in quo æmuli prælatio eos constituit, Romanam Curiam adire, atque appellatum prælectum, ad novum examen in Curia peragendum provocare: idque regulariter admittitur, ubi præsertim agatur de Ecclesia citrà montes, quamvis ex parte appellantis, de Judicii Episcopi irrationabilitate doctum non sit, juxta opinionem, quam Rota, & Curia sequitur, aliquibus hujus Sacræ Congregationis declarationibus innixa; Parum autem probabilis hæc generalitas videtur, seu pro facti qualitate, & circumstantiis, prudenti arbitrio pensandis, circumspectè id practicandum est, quoniam cùm sæpiùs hujusmodi provocationes animosę sint, vel affectatæ, ut prælectus, cui nimiùm incommodum sit ratione ætatis, seu valetudinis, seu ex alia causa, Curiam adire, ita sequatur inconveniens, quod prælectus juri suo cedere cogatur, atque rejectus, obtentum indirectè assequatur; 25

tur;

tur, ideoque discrete pro facti qualitate id practicandum est, ut in meis annotationibus ad hanc materiam Parochialium advertitur. q

25 Non tenetur itera in hac prælectione, Episcopus, vel alter Superior, ad quem pertinet, sequi majorem numerum suffragiorum, sed sufficit, ut eligat unum ex jam approbatis; Ideoque si (ex. gr.) quinque existentibus examinatoribus, Aliqui ex concurrentibus cum plenis votis omnium approbationem habeant; Aliqui verò habeant quatuor, & alii tria vota, potest Episcopus præeligere unum ex his, qui trium tantùm votorum approbationem habeant, neglectis iis, quibus tota, vel major pars assistat, quoniam in hujusmodi actibus collegiativis, major pars concludit, atque minorem suffocat, seu ad se attrahit, adeout actus habeatur, ac si ab omnibus conclusus esset, ideoque sufficit præeligere unum ex iis, qui sint in albo candidatorum; Potissimè quia in hujusmodi collegiativis, vel capitularibus actibus, frequens praxis docet, quod aliqui, ut includant eos quos desiderant, omnibus aliis vota negativa præbere curant sive debita sint, sive non. r

26 Quinimò sufficit, ut prælectus sit de genere approbatorum, quamvis approbatio ex Episcopi, vel Vicarii adhæsione resultaverit, quia nempè ob votorum paritatem, approbationis, vel reprobationis actus conclusus non esset, nisi cum dicta adhæsione, ut moderno tempore, me scribente, non absque magna discrepantia per hanc Sac. Congregationem decisum fuit, ut in meis parochialium annotationibus advertitur, ibique resolutionis probabilia fundamenta recensentur. s

27 Si verò plures concurrere volentes comparuerint, atque descripti sint, omnesque statuta die, & loco comparuerint, ut examini se exponant, tunc omnes examinari debent, neque unus, vel aliqui contemni possunt, atque aliis ipso contempto reclamante, non dicitur benè servata forma, ideoque actus corruit, ratione decreti irritantis contenti in Constitutione S. Pii V. Secus autem si aliqui ex descriptis statuta die, & loco comparere negligant, quoniam expectandi non sunt, nisi aliquod injustum eis præstitum fuerit impedimentum, quod ex parte aliorum concurrentium affectatum sit; Vel quod alia accedat justa causa, ob quam Ordinarius illum, vel illos posteà venientes ad examen admittat pro facti qualitate, adeout dici non valeat tolli jus quæsitum iis, qui jam comparuerunt, & approbati sunt. t

28 Quamvis autem conciliare decretum, terminum statuas decem dierum in edicto præfigendum, atque Constitutio S. Pii V. concedat quidem facultatem illum prorogandi pluries, dummodò omnes prorogationis, terminum in totum viginti dierum non excedant, adeout novæ prorogationes fieri non valeant; Attamen id intelligitur, quoties prorogatio concerneret præjudicium eorum, qui jam in termino comparuerunt; Si verò nemo comparuerit, tunc non prohibetur Episcopus edicta renovare toties quoties ei videbitur, durante termino sex mensium sibi competente ad providendum, ex ea clara ratione, quòd tunc nemini præjudicat, nisi sibi ipsi, dum libertatem acquisivit providendi Ecclesiam ad ejus libitum, ita obtinendo restitutionem illius pristinæ facultatis, quæ de jure communi sibi competebat, ideoque laudabiliter id agit. u

29 Ordinarii autem nomine in hoc proposito, non solùm venit Episcopus, seu ex ejus delegatione, Vicarius, vel alter officialis, sed etiam quicunque alter Prælatus inferior, qui habeat territorium, verè, ac materialiter separatum, adeout verè *Nullius* dici valeat, cum plena quasi Episcopali jurisdictione independenter à quocumque Episcopo, vel Diœcesano; Dummodò tamen de jure, quàm de facto habeat jus indicendi synodum, adeout verificetur existentia Examinatorum synodalium, qui hujusmodi concursus Judices à Sac. Concilio constituti sunt; Sin minus, ad viciniorem Episcopum id pertinet; Nullatenus autem veniunt inferiores Prælati quantumvis exempti, atque jus conferendi, aliamve ecclesiasticam, seu ordinariam jurisdictionem habentes, cum clero, & populo alicujus loci intra diœcesis limites, adeout Diœcesani, vel Ordinarii attributum ei non congruat; Tunc etenim planum est, ut ad Ordinarium, seu Diœcesanum pertineat, indicere, ac perficere concursum, etiam cum prælectione; Inferior autem Prælatus, qui cessante Apostolica reservatione, vel affectione, jus conferendi habeat, collationem faciat in ea persona, quæ ab Ordinario prævio concursu prælecta fuerit, seu nemine in concursu comparente, ab eodem Ordinario fuerit electa, atque ab examinatoribus synodalibus approbata. x

30 Ubi verò Ordinarii sedes vacet, seu aliàs impedita sit, adeout in universa jurisdictione Episcopali subintret Capitulum, tunc ad illud quoque id pertinet, dummodò tamen (ut aliàs insinuatum est) id agat per Vicarium ab eo deputatum, ad præscriptum ejusdem Sac. Concilij, ideoque non potest id sibi reservare, ac per seipsum capitulariter, seu per aliquos Canonicos ad id deputatos hujusmodi actum explicare juxta hujus Sac. Congregationis declarationes. y

Plerique autem casus dantur, in quibus, licèt de Ecclesiæ Parochialis provisione agatur, tamen istam formam in concursu servare non oportet. Primò nempè ubi agatur de Ecclesiis de jurepatronatus laicorum, ad quorum præsentationem Ecclesiæ providendæ sint, cùm tunc requiratur quidem Ordinarii approbatio, prævio examine, sed non intrat concursus, cui locus aliquando esse solet, quando scilicet pluries coæquali jure, vel ratione cumulativæ, vel ratione scissuræ votorum præsentati fuerint; adeoot gratificationi locus daretur, cùm tunc concursui congruè locus esse debeat, illi tamen indefinitè locus est in Ecclesiis, quæ de jurepatronatus ecclesiastici essent, ob expressam hujus decreti conciliaris dispositionem; Sed si illud sit mixtum, tunc laicalis potiùs in hac parte naturam habet. z 30

Non requiritur secundò in illis dignitatibus, vel canonicatibus, aliisvè beneficiis, quibus accessoriè, ipsa Ecclesia Parochialis unita esset, cùm tunc provisio reguletur à natura beneficii principalis; a Multò verò minus, quando Ecclesia Parochialis unita esset alicui Capitulo, vel Collegio, ne in singulis canonicatibus concursus requiratur, dum (ut alibi in fortioribus terminis advertitur) quoties ipsi canonicatui, vel dignitati annexa non sit vicaria, pro exercitio curæ, nec ætas, nec ordo qui in Parochialibus requiruntur, in hujusmodi canonicatibus desiderantur, ex dicta ratione, quòd provisio regulatur a natura beneficii principalis, cùm Ecclesia unita reputetur membrum, seu accessorium. 31

Tertiò non requiritur concursus in vicariis, quamvis perpetuis, atque in titulum conferri solitis dictarum Parochialium, quæ alicui dignitati, vel canonicatui, seu Capitulo, vel Monasterio unitæ sint, cum ad præscriptum Bullæ S. Pii V. provisio fieri debeat ab Ordinario, ad nominationem, seu præsentationem ejus qui ratione dictæ unionis, habitualem curam habeat, non obstante, quod aliquando etiam pluries per concursum provideri consueverint, Vel quia actui facultativo id referendum sit, qui de sui natura non est in futurum obligatorius; Vel quia ob decretum irritans, quod in dicta S. Pii V. Constitutione continetur, quæcunque contraria possessio, vel consuetudo infecta sit. b 32

Hinc proinde, quæstiones quæ hodie desuper cadunt, inter Ordinarios locorum, & Prælatos, vel universitates, quibus Ecclesiæ Parochiales unitæ prætendantur, præsertim verò, & frequentiùs, Monasteriis regularium non sunt amplius juris, sed facti, super qualitate scilicet unionis, de qua supra alibi agitur, quoniam, ut ibidem advertitur, c non omne jus, quod aliquod Monasterium, vel Capitulum, sive aliqua Dignitas in Ecclesia Parochiali habeat, veram unionem, seu anexionem hujus effectus productivam importat, cum quandoque, vel jurispatronatus, vel tributum, seu censuationem, aut pensionem, seu protectionem, aliamvè dependentiam id importare soleat, atque una, vel altera ex his superioritatis speciebus concursus necessitatem non tollit. 33

In omnibus autem casibus prædictis, in quibus concursum servare non oportet, sive quòd eo intrante, desit occasio illum practicandi; eò quia in termino præfinito, nemo comparuerit, tunc licèt provisio libera sit Ordinarii, sive ejusdem libera sit electio illius quem providere debebit inferior Prælatus, ad quem jus conferendi pertineat; Aut quòd a patrono, vel à curato habituali præsentetur; Adhuc approbatio fieri debet prævio examine eorundem examinatorum synodalium, cum eadem forma collegiativæ discussionis, an ille, qui examini se exposuit, electus, vel nominatus, seu præsentatus, ut supra idoneus sit, necne, adeout non ab unius judicio hæc approbatio pendeat. d 34

Exemptionis autem privilegia, quibus gaudeant Ecclesiæ, vel Monasteria, quibus Parochiales unitæ sint, nõ suffragantur, quamvis etiam agatur de vicaria pro exercitio curæ annexæ ipsimet Ecclesiæ principali ipsius Monasterii, vel inferioris Prælati quantumvis exempti; Ex ea congrua ratione, pluries alibi, occasione visitationis, vel concionis, aut administrationis Sacramenti Pœnitentiæ insinuata, quòd scilicet jurisdictio, quæ Diœcesano commissa est, non percutit Ecclesiam materialem, in qua cura animarum exerceatur, minusque jurisdictionem, vel superioritatem personalem ejus, qui illam exerceat in ejus causis indifferentibus, quæ 35

cam

cum dicto exercitio connexionem non habeant, sed petetit ipsius Diœcesani Clerum, ac Populum, cum quo cura exercenda est, quoniam cum agatur de præficiendo ovibus particularem subordinatum Pastorem, idcircò congruum, ac rationabile est, ut ipsarum ovium prioius, ac principalis Pastor inquirat, an ille sit, necne idoneus Minister, cui propriæ oves custodiendæ, ac pascendæ committi valeant, atque ita successivè exemptionis privilegio non obstante, eumdem visitare, & inquirere, ac etiam corrigere potest in iis, quæ hoc munus concernunt, vel cum eo connexionem habeant; cùm eadem sit ratio in præponendo, quæ est, an præpositus benè se gerat, necne. *o*

37 Atque hinc manat, probabilius esse, ut facilius istos Vicarios perpetuos, vel temporales absque forma concursus præpositos; Quandoque autem etiam ipsosmet principales curatos, qui cum dicta solemnitate concursus, tanquam per speciem doctoratus approbari sint, possit Ordinarius, occasione visitationis, ac etiam extra eam, ex suspicione ab aliquo justo motivo concepta, (ad cujus formalem justificationem non tenetur,) examinare, ac etiam, ubi non benè versatus comperierit, suspendere, donec profecerint, Vicarium, vel Coadjutorem interim provisionaliter, non autem in titulũ deputando; Ex alias assignata ratione, quòd etiam docti ac literati, tractu temporis, desertis studiis, desertaque applicatione, indocti, minusque idonei effici possunt; Ad instar fertilis, beneque culti prædii, quod sterile, atque incultum efficitur, si cultura per notabile tempus deseratur, cùm idem in humanis ingeniis praxis doceat. *f*

De aliis autem agitur in propria Parochorum sede. *g*

a Constit. 47. b tit. de Paroch. disc. 37. & in supplemento, ubi de titulis Cardinalium. c d. tit. de Paroch. disc. 1. cum plurib. seqq. & disc. 37. d ibid. & præsertim, dict. disc. 37. c tit. de jurisd. disc. 56. & dict. tit. de Paroch. disc. 37. & alibi. f eod. tit de Paroch. disc. 3. g dicto tit. de Paroch. disc. 1. h eodem disc. 1. i tit. de benef. disc. 70. & 71. & dicto tit. de Paroch. disc. 8. l dict. disc. 1. & seqq. & 37. de Paroch. m eodem tit. de Paroch. disc. 1. cum plurib. seqq. & disc. 38. n ibid. o dict. disc. 9. dicto titul. de Paroch. & disc. 71. de benefic. p ibidem. q eodem tit. de Paroch. disc. 6. & seq. r disc. 1. eodem tit. de Paroch. s eodem disc. 2. t eodem tit. pluries, & præsertim disc. 37. u ibidem. x disc. 10. cum plurib. seqq. eod. tit. de Paroch. y eodem tit. disc. 5. z eod. disc. 38. de Paroch. & alibi pluries. a eodem tit. disc. 10. cum plurib. seqq. & dicto disc. 37. b ibidem. c ibidem. d eodem tit. de Paroch. disc. 22. & seqq. e tit. de jurisdict. disc. 1. cum plurib. seqq. tit. de Regul. disc. 1. & aliàs sæpiùs. f eodem tit. de Paroch. disc. 16. g eodem tit. de Paroch. præsertim. disc. 37. ubi Concordantes.

Ad materiam precedentis discursus faciunt sequentes Sacræ Rotæ Romanæ decisiones.

REVERENDISS. D. EMERIX DECANO.

Pisana Oeconomatus.

Super Jure deputandi Oeconomos,

Veneris 1. Julii 1695.

Occasione vacationis Parochialis Ecclesi. S. Euphrasiæ, orta inter Rev. Archiepiscopum, & Sac. Religionem D. Stephani Papæ, & Martyris controversia super Jure deputandi Oeconomum, eaque per SS. D.N. commissa Sac. Congreg. Conc. definienda cum Voto nostri Auditorii, proposui dubium die 23. Junii 1592. ad quem spectet deputatio Oeconomi; Et cum tunc ex parte Religionis petita fuisset remissoria ad probandam immemorabilem, seu centenariam quasi possessionem deputandi Oeconomos, visum fuis Dominis, suspensa in meritis resolutione, respondere pro concessione remissoriæ, cujus vigore confecto deinceps voluminoso Processu, & in actis exhibito, ab indeque citrà Defensoribus Sac. Religionis pluries ad novam Causæ disputationem monitis, eidemque subjici differentibus usque in præsens, repoposui tandem hodie ad instantiam Reverendiss. Archiepiscopi præmissum dubium, & Domini responderunt, deputationem Oeconomi spectare ad Archiepiscopum.

Habet enim ipse intentionem deputandi Oeconomos Parochialibus vacantibus intra limites suæ Diœcesis fundatam in dispositione juris communis, *cap. cum vos, de offic. ordin.* ubi Osticn. *sub num. 2. vers. tamen juris est, & num. 5.* Butr. *num. 7.* Fagn. *num. 1. & 6.* & magis specialiter in dispositione Sac. Concil. Trident. *sess. 24. de reform. cap. 18.* id Juris Episcopo tribuentis in Parochialibus etiam quomodolibet affectis, vel reservatis, non obstantibus exemptionibus, Indultis, Privilegiis, & aliis impedimentis quibuscunque ut illi inhærendo notat Garz. *de benef. part. 9. cap. 2. §. 1. n. 327.* Parif. *de resignat. lib. 8. qu. 9. n. 77.* Campanil. *divers. Jur. Canon. rubr. 7. cap. 6. sub num. 116.* Barbos. *de Paroch. cap. 22. num 33. & seqq.* & nuper dictum fuit in Ovetem. Parochialis 26. Junii 1693. §. *Ea potissimum, coram Reverendissimo D. Manuel. nunc Episcopo Zamoren.*

Non obstat, quod Parochialis, de qua agitur, unita sit Religioni, quia scilicet in quodam Diplomate san. mem. Alexandri III sumpto alterius sumpti literarum san. mem. Jo. XXII. referatur inter membra, seu pertinentias Monasterii S. Savini per san. mem. Pium IV. eidem Religioni uniti, quia quiquid sit, An Concilium loco supra citato locum sibi vindicet in Parochialibus unitis, unio non probatur ex præfato Diplomate san. mem. Alex. III. tanquam sumpto de sumpto; quod fidem non facit Grat. *discept. 859. n. 35.* Rot *dec. 781. n. 10* coram Buratt. & *dec. 185. num. 5. part. 10. rec.* tam & si aliàs primum sumptum foret legitimè extractum, ut *in dec. 469. & dec. 550. utrobique n. 2.* coram san. mem. Gregorio XV.

Non subsistente replicatione, quod literæ san. mem. Joan. XXII. sint originales, quia contrarium convincitur, tum ex eo, quòd scriptæ non sunt antiquo charactere, sed moderno, nec recursus in pergameno, sed in charta papyracea contra stylum Romanæ Curiæ, de quo Gen. *de script. privat. lib. 3. tit. de lit. Apost. n. 23.* Tum etiam ex eo, quòd carent consuetis subscriptionibus, ac signis tam in calce, quam à tergo, nec non sigillis SS. Petri, & Pauli in plumbo appensis cum Cordulis Rubei, & Crocei coloris, ut per Rebuff. *in prax. benef. tit. firma signand. simplic provis. part. 3. tit. Bull. nov. n. 10. & seqq.* Follet *de Cens. in verb non vitiatas, n. 2.* Rot. *decis. 667. in princ. & n. 1. coram Buratt.* Tum demum, quia oculis subjectæ fidelibus speciem non præseferunt ejus iniquitatis, quam præseferre deberent à tempore Pontificatus ejusdem san. mem. Joan. XXII. citrà, qui in Beati Petri Cathedra sedit anno 1318.

Eoque certiùs, quia pro iisdem literis non modò non adest favorabilis observantia, quæ requiritur ad effectum tribuendi fidem Scripturis informibus, ut tradit Felin. *in c. sicut sub num. 33. vers. med. de sent. & re judic.* Grat. *discept. 268. n. 55.* Patra *de edition. Instrum. tit. 1. resol. 3. §. 3 num. 56. & 130.* Rot. *dec. 224. num. 22. part. 6. rec.* Verum imò observantia prorsus contraria, quia nimirum annis 1441. 1485. & 1494. Parochialis in lite versans ab Ordinario liberè collata fuit, & ab anno 1501. usque in præsens ad præsentationem trium familiarum Malcondinæ, Griffæ, & Sancascianæ, cujusmodi collationes, & institutiones unioni repugnant juxta consilium Frideric. de sen. 200. Rot. *dec. 406. n. 4. part. 16. dec 31. n. 10. par. 18. dec. 135. n. 1.* coram Peuring. & in Pampilonen. Beneficii 15. Januarii 1687. §. *Collationes, coram me.*

Minùs probata fuit immemorabilis, seu centenaria deputationum Oeconomorum pro parte Religionis articulata ex viginti sex Testibus nuper in vim Remissoriæ Rotalis examinatis, nam ex iis tredecim videlicet 2. 3. 4. 7. 19. 20. 21. 22. 23 24. 25. 26. Nil omninò deponunt de immemorabili; seu centenaria, octo autem videlicet primus 4. 6. 7. 10. 13. 15. 17. & 18. vel absolutè carent ætate 54. annorum ad hunc effectum requisita juxta vulgat. gloss. *in c. 1. verb. memoria, de præscript. in 6.* Rot. *dec. 164. num. 1.* ibique Adden. *lit. A.* coram sanct. mem. Greg. XV. *decis. 370. num. 1.* coram Cardinali Celso, vel saltem carent, dempto (prout debet) tempore motæ litis, Rota *dec. 205. n. 4 & 6. & dec. 434. n. 12.* coram san. mem. Greg. XV. *dec. 248. sub num. 4. part. 2. rec.* Et alii, & si aliquid desuper afferant, deficiunt tamen in deponendo de visu per 40. annos ante motam litem, quod est unum de principalibus requisitis ad probandam immemorabilem, seu centenariam, Marescott. *var. resol. lib. 2. cap. 100. sub n. 9. & 10.* Rot. *dec. 431. n. 1. part. 3. & decis. 154. n. 14. & seqq. part. 11. rec.* Et quod plus est ex deductis pro parte Archiepiscopi immemorabilis, seu centenaria fit improbabilis, quia nempè constat de tribus Oeconomorum deputationibus Ecclesiæ, de qua agitur infra centum annos peractis per Archiepiscopos, de annis nimirum 1599. 1633. & 1635.

Et hanc ipsam relationem amplexi sunt Domini etiam quoad aliam Parochialem Ecclesiam SS Hippolyti, & Cassiani, cujus vacatio contingit pendente lite, nam recurrit

eadem

eadem assistentia Juris communis, nec non specialis Conc. Trid. fervore Archiepiscopi; Nec pariformiter ex adverso referri valet immemorabilis, seu centenaria, quoniam Testibus fuit superiùs abundè responsum, & scripturæ peculiariter in hac parte Religioni faventes non sunt attendendæ, quia incipiunt ab anno 1625. & sic longè infrà centum annos existunt. Maximè stante Decreto irritante in literis confirmatoriis Sac. Conc. Trid. contento, quod inesse censetur cuilibet ejus Capitulo, Gonz. *ad reg. 7. Cancell. gloss. 15 n. 37.* Rot. *dec.* 206. *n.* 3. cor. Peuting. Tollitque quamcunque contrariam quasi possessionem, & observantiam ad text. *in c. si eo tempore, de elect. in 6.* Rot. *dec.* 139 *n.* 14. & 35. cor. san. mem. Alexandro VIII. & in Colonien. Jurisdictionis 18. Aprilis 1679. §. *Nec suffragari*, & 29. Martii 1680 §. *Cum enim Sac. Conc. coram bon. mem. Albergato.*

Postremò non suffragatur Scriptura quædam ass. Concordiæ per Religionem initę cum clar. mem. Cardinali de Ileio Archiepiscopo Antecessore, sive quia non est concordia, sed simplex tractatus, sive quia caret Beneplacito Apostolico, quod cum justa causa requiritur ad effectum transigendi super Juribus Ecclesiæ *Clem. 1. de reb. Eccl. non alienan. Extravag. ambitiosæ eod. tit. can. sine exceptione 12. qu. 2.* Covarr. *var. resol. lib. 2. cap. 17. n.* 2. Rot. *decis.* 250. n. 5. & *per tot.* coram Duran. & in terminis Concordiæ super jurisdictione celebratę inter Episcopum Herbipolen & Abbatem Fuldæ, novissimè dictum fuit in Herbipolen. Rescissionis Concordiæ 5. Februarii 1692. §. *Moti*, & 21. Junii proximè transacti, §. *Certum coram me.*

Et ita decisum fuit altera tantum, &c.

EADEM CORAM EODEM.

Super Attentatis, & Manutentione.

Veneris 1. Julii 1695.

LAborante in extremis Dominico Nepetino Rectore Parochialis Ecclesiæ S. Euphrasiæ, Reverend. Archiepiscopus die 6. Martii 1691. deputavit illi quousque viveret, ac post ejus obitum, ipsius Ecclesiæ, & Populo in Oeconomum, seu Vicarium Alexandrum Tamburinum, qui eadem die possessionem Oeconomatus apprehendit, quoad ipsum Rectorem, præbendo illi Sacramentum extremæ Unctionis, explendoque Commendationem ipsius animæ, ac post ejus obitum eademmet die circa horam secundam noctis secutum die 10. & 11. ejusdem, quoad ipsam Ecclesiam, & Populum, exhibendo nonnullis infirmis in Parochia commorantibus Sacramentum Pœnitentiæ. Contendens autem Sac. Religio Equitum D. Stephani Papæ, & Martyris, deputationem Oeconomi præfatæ Parochiali Ecclesiæ pro tempore vacanti faciendam ad semetipsam spectare, ad id muneris nominavit Jo. de Balestris, qui cùm ad ejus exercitium admissus non fuerit per Archiepiscopum, ab ejusmodi non admissione appellavit ad Reverend. Nuncium Apostolicum Florentiæ residentem, & ab eo obtinuit consuetas literas inhibitoriales vigore appellationis, tam Oeconomo per Archiepiscopum deputato, quam Promotori Fiscali Sedis Archiepiscopalis personaliter præsentatas, ac successivè Decretum revocationis quorumcunque actuum post præsentationem hujusmodi gestorum per Oeconomum Archiepiscopi ex capite Attentatorum, una cum condemnatione in pœnis in eisdem Inhibitionibus contentis, & in expensis; A quo delata causa ad Curiam, eaque per SS. D. N. commissa S. Congreg. Concilii definienda cum voto Rotæ, dedi inter cætera dubium die 23. Junii 1692. An constet de Attentatis? Super quo nulla tunc per Dominos capta fuit resolutio ob concessam Religioni Remissoriam per ipsam super meritis petitam. Hinc cùm ab humanis excesserit Jo: per Religionem Oeconomus deputatus, & illius hæredes ob interesse pecuniarum versans in effectibus, seu sequelis revocationis Attentatorum admitti petierint ad prosequendam instantiam desuper cæptam per eorum Authorem, ac interim supervenerit vacatio alterius Parochialis Ecclesiæ SS. Hippolyti, & Cassiani, visum fuit DD. dandum alterum dubium: An & cui sit, vel fuerit danda manutentio tam respectu Ecclesiæ S. Euphrasiæ, quàm Ecclesiæ SS. Hippolyti, & Cassiani: Quo una cum alio, de quo supra, unitim hodie per me proposito, responsum fuit non constare de Attentatis, & esse, vel fuisse tam respectu Ecclesiæ S. Euphrasiæ, quàm etiam respectu Ecclesiæ SS. Hippolyti, & Cassiani manutentionem dandam Oeconomo deputato per Archiepiscopum.

Non constat siquidem de Attentatis, tam quia Oeconomus Archiepiscopi in possessione Oeconomatus reperiebatur, antequam ipsi præsentarentur Inhibitoriæ Nuncii, & sic potuit in ea continuare citrà vitium Attentatorum, nam qui continuat non attentat, Gloss *in c. non solum*, §. *Illa verò verb. reducendum*, *de appell. in 6.* Surd. *cons.* 160. *n.* 40. Rot. *dec.* 365. *n.* 5. cor. Coccin. & *dec.* 10. n. 1. cor. Merlin. Maximè quia continuavit per viam privatæ facultatis, non autem mediante aliquo facto Judicis, Rot. *dec.* 615. *sub n.* 3. *vers. ultrà quod* cor. Cavaler. *decis.* 22. *n.* 5. cor. Priol. & *dec.* 353 *n.* 5. *p.* 4. *rec.* Tum etiam quia ab ejusmodi deputatione Oeconomi Ecclesiæ Parochiali vacanti ob periculum salutis animarum, non datur appellatio suspensiva, Ricc. *in prax. for. Eccles. p. 1. tit. Praxis Episcoporum resol.* 495. *n.* 3. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. alleg.* 60. *n.* 1. *in fin. par.* 3. Castropal. *oper. moral. to. 2. tract. 13. disp. 3. punct.* 2. §. 1. *n.* 4. Tum demum quia in omnem casum attentavit etiam Oeconomus Religionis immiscendo sese actibus Oeconomatus Ecclesiæ post expedita Inhibitoria Nuncii; Inhibitio enim manus ligat, nedum inhibiti, verum etiam impetrantis, Rot. *dec.* 19. *n.* 3. cor. Arguel. & *dec.* 18 *sub n.* 1. cor. Bich. Unde petere nequit attentata revocari, in quæ, & ipse incidit, Rot. *dec.* 91. *n.* 5. cor. Merlin.

Danda quoque est, vel fuit manutentio Oeconomo Archiepiscopi tam respectu Ecclesiæ S. Euphrasię, quàm etiam respectu Ecclesiæ SS. Hippolyti, & Cassiani, nam quoad Ecclesiam S. Euphrasiæ possessio Oeconomi Archiepiscopi est anterior, ac titulata, ut ex decisione super bono jure emanata, & sic ex utroque capite manutenenda, ut de possessione anteriori, Post. *de manut. observ.* 71. *n.* & *seq.* Rot. *decis.* 223. *n.* 19. & *dec.* 401. *n* 1. *par.* 19. *rec.* & *de possessione titulata*, idem Post. *de manut. observ.* 71. *n.* 105. & *plur. seqq.* Et quoad aliam SS. Hippolyti, & Cassiani sufficit, quod constet de possessione, nam per Decretum irritans contentum in Bulla confirmatoria S. Conc. Trid. tribuentis Episcopis jus deputandi Vicarios, seu Oeconomos Parochialibus vacantibus infecta, & irrita remansisset quæcunque forsan contraria possessio deduci posset per Oeconomum Religionis juxta notam Virtutem, & efficaciam Decreti irritantis, ut per Text. *in c. si eo tempore, de elect. in 6.* Gabr. *de clauf. concl.* 3. *n.* 50. Rot. *dec.* 149. *n.* 2. *p.* 2. *div.* & *dec.* 312. *n.* 39. *par.* 4. *rec.* & per consequens nullo pacto manutenibilis, Lotther. *de re benef. lib. 2. q. 46. n.* 63. & 64. & 70. Vivian. *de jurepat. par. 2. lib 13. cap. 8. n.* 174. Rota post ipsum *dec.* 86. *num.* 41.

Et ita, &c. altera tantum, &c.

EADEM CORAM EODEM.

Super Jure, & Possessione deputandi Oeconomos.

Lunæ 12. Decembris 1695.

POstulante Sac. Religione Ordinis Militaris D. Stephani Papæ, & Martyris, iterum audiri adversus Decisionem editam in petitorio cor. me 1. Julii proximè præteriti, informante solùm Reverend. Archiepiscopo, unaque cum dubio boni Juris disputari etiam alterum in summariissimo possessorio manutentionis super quasi possessione deputandi Oeconomos in Ecclesiis S. Euphrasiæ, ac SS. Hippolyti, & Cassiani, placuit Dominis ejus votis benignè annuere, subscriptoque à me novo dubio, utrumque complectente, responsum fuit hodie stando in decisis, & concedendam esse manutentionem Archiepiscopo.

Constitit enim de illius bono Jure, nedum ex clara dispositione text. *in c. cum. vos, de offic. ordin.* ubi Ostien. *sub n.* 2. *vers. idem tamen juris*, & *n.* 5. Butr. *n.* 7. Fagn. n. 1. & 9. Verum etiam ex dispositione S. Conc. Trid. *sess. 24. de refor. c.* 18. literaliter loquente de Parochialibus etiam quomodolibet affectis, seu reservatis, non obstante quocunque privilegio, exemptione, vel indulto etiam ad favorem S. R. E. Card. sive Ecclesiæ vacent in mense Apostolico, sive sint de jurepatronatus laicorum, prout ultrà relatos in præterita decisione latè expendunt Ventrigl. *in prax. for. Eccl. p. 1. adnot.* 20. §. 2. *sub n.* 15. Germon. *de indult. Car.* §. *Quibusvis sub n.* 55. *cum seqq.* Pignatel. *consult. canon. lib. 7. consult.* 8. *n.* 16.

Nec iterum obstare visa fuit unio Ecclesiarum, de quibus agitur, facta Religioni uti justificari contenditur ex Bulla san. me. Alex. III. contenta in altera san. me. Jo. XXII. cujus sumptū nuper extractum fuit ex registro originali existente in Archivio Vaticano, quia quidquid sit de identitate Ecclesiarum enunciatarū in dd. Bullis, cum aliis modò controversis, ac signanter Ecclesiæ S. Euphrasiæ, quæ dicitur extitisse de tempore fundationis Abbatię S. Savini erectę sub Carolo Rege Longobardorum *Sum. Religionis, n. 1. in princ.* quorum Imperium desiit in Italia circa tempora Adriani I. Summi

Pon-

Pontificis, & Caroli Magni Imperatoris anno salutis 770. ut refert Anonymus *in Fasciculo temporum, for. 57.* & habetur *in Epitome Regum Galliæ impress. Lugdun. 1546. in Vita Caroli Magni, fol. 68.* Cum altera sub titulo pariter S. Euphrasiæ fundata an. 1124. per Caad. Chrysogonum de Malcondinis, ut inquit Troncius *in Histor. Pis. fol. 58. verb. Chrysogono Malcondini*, & annotatum legitur in libris Ecclesiæ compulsatis per Religionem, & ad dispositio S. Conc. locum sibi vindicet etiam quoad Parochiales unitas, prout de mente S. Congreg. Eminentissimorum Dominorum ipsius Interpretum tuetur Aldan. *in compend. can. resol. lib. 2. tit. 5. num. 5.* ubi de Ecclesiis unitis Religioni Hierosolymitanæ.

Domini animadverterunt non urgere objectum ea eo, quòd si quæ forsan ex dd. Bullis probata dici posset unio Religioni, ea non probatur subjectiva, & extincti tituli, cujus natura est omninò tollere tam essentiam, quam nomen, & titulum Ecclesiæ unitæ, eamque reddere membrum, & prædium alterius, cui facta fuit unio ad notata per Gonzal. *ad regul. 8. glos. 5. §. 7. n. 2.* Garz. *de benef. par. 12. cap. 2. & seqq.* Adden. ad Greg. *decis. 112. n. 5.* & dixit Rota in Tarracon. Prioratus 16. Febr. 1674. §. *Nec in contrarium coram me*, sed solùm annexiva fructuum, retento themate antiqui juspatronatus, ut plenè constat ex provisionibus in titulum de Rectoribus perpetuis, atque ex collationibus, annorum 1441. 1485. & 1494. per Ordinarium expletis jure devoluto, totidemque præsentationibus factis per illos de Malcondinis hæredes fundatoris, & successivè per Griffos, & Sancascianos eorum Donatarios; nihil enim magis repugnat unioni extinctivæ, quàm collatio ad firmata per Rot. *decis. 77. n. 4. & dec. 112. n. 1.* coram Gregor. *dec. 179. nu. 4.* coram Alexand. VIII. & in dicta Tarraconen. Prioratus 16. Februarii 1674. §. *Nec in contrarium, coram me*.

Nec subsistit replicatio, quod institutiones peractæ fuerint ab Ordinario ex falso supposito pertinentiæ jurispatronatus ad Griffos, & Sancascianos, cui postmodum Griffi solemniter renunciarunt in transactione inita anno 1568. addita ratione, quod Ecclesia S. Euphrasiæ spectabat ad Monasterium S. Savini unitum Religioni, *Summ. ejusdem, num. 5.* quoniam ex narrativa ipsius transactionis destruitur prætensa unio extinctiva Tituli, aliaque adstruitur annexiva solorum fructuum ex eo, quod exprimitur Monasterium fuisse Patronum dictarum Ecclesiarum, iisque vacantibus consuevisse præsentare Rectores, quod de directo pugnat cum unione extinctiva Tituli, in qua nec Ecclesiæ providentur de Rectore, nec datur vacatio, ad notat. per Rot. *d. dec. 77. n. 4.* cor. san. mem. Greg. XV.

Minùs etiam urget immemorabilis, seu centenaria quasi possessio juris deputandi Oeconomos adducta per Informantes pro Religione, quia ex viginti sex Testibus ad eam probandam examinatis, eorum aliqui, nihil omninò de illa deponunt, alii verò carent ætate 54. annorum requisita per Gl. *in c. 1. verb. mem. de præscript. in 6.* subducto præsertim tempore motæ litis, ut fieri debet ad tradita per Rot. *dec. 205. n. 4. & 6. & dec. 434. n. 12.* cor. san. mem. Greg. XV. nec referunt quoad Ecclesiam S. Euphrasiæ ullos actus particularium deputationum factarum à Religione per integrum spatium 40. annorum & quod plus est, convincuntur mendaces ex tribus deputationibus annor. 1599, 1633. & 1635. allegatis pro Archiepiscopo, ex quibus ea redditur improbabilis pro Religione, ad cujus exclusionem, unicus etiam actus sufficeret ad not. per Rot. *decis. 24. n. 34. & seq. part. 10. rec.* Imo etiam rumor in contrarium ex adductis per Marescot. *var. resol. lib. 2. cap. 190. n. 10.* Grat. *discept. 908. n. 39.* Rot. *dec. 159. n. 6. cum seqq.* cor. Alex. VIII. *dec. 153. n. 17. part. 11. rec.* & in Tarraconen. jurisdictionis 19. Junii 1673. §. *Eoque faciliùs, coram me*.

Non obstat, quod ex Instrumentis deputationum non constet, Oeconomos deputatos fuisse per Archiepiscopum, quia quod illi deputati fuerint ab eo, satis patet ex hoc ipso, quòd deputationes registratæ fuerint in actis Curiæ Archiepiscopalis, neque ulla in contrarium datur probatio, quod fuerint deputati per Religionem, ex cujus libris nulla per eam ostenditur facta deputatio, & signanter ubi (prout hic) Juris assistentia favet Ordinario, resistit Ordini Militari composito ex Uxoratis, & Bigamis, qui solùm improprie dicuntur Religiosi, ad tradita per Rot. cor. Seraph. *dec. 587. num. 2.*

Prout nec etiam suffragatur, quod Instrumenta deputationum non probent tanquam extracta sine citatione Partis, & compulsoria Rotali, quoniam objectum cessat in facto, ex quo constat, quod deputatio an. 1599. compulsata fuit ab ipsa Religione, ut legitur in Processu compulsoriali, *fol. 125 n.* aliæ verò annorum 1633. & 1635. extractæ fuerunt ex libris Ecclesiæ ab eadem Religione transportatis ad Urbem, neque subsistit in Jure, ubi (prout hic) extractio facta fuit ab Archivio publico, Adden. ad Pamphil. *dec. 102. sub n. 10.* Bich. *dec. 194. n. 4. & in rec. dec. 172. n. 21. par. 17.* quale procul dubio est Archivium Episcopi, ad adduct. per Adden. ad Buratt. *dec. 667. n. 15.* ad Pamphil. *d. dis. 102. sub n. 21.* Rot. *dec. 246. n. 7.* coram Bichin.

Atque ex his non relevant actus in contrarium cumulati pro Religione, non quidem deputationes Oeconomorum quoad Ecclesiam SS. Hippolyti, & Cassiani, quoniam illæ incipiunt solùm ab anno 1625. ideoque ex iis adstrui non valet asserta centenaria, sive immemorabilis per eam prætensa, minùs etiam alii quoad Ecclesiam S. Euphrasiæ, quia plures relatis *in Summ. à n. 20. ad 21.* respiciunt solùm exercitium jurisdictionis per modum emendationis, & mulctæ adversus subditos delinquentes; Geminæ verò deputationes Oeconomorum, quæ referuntur expletæ ann. 1583. & 1659. peractæ fuerunt de tempore, quo Ecclesia reperiebatur provisa de Rectore, uti justificatum fuit in facto, & consequenter etiam ex illis nulla resultat quasi possessio juris deputandi, quoad Ecclesias vacantes ad tradit. per Rot. *dec. 290. à n. 1. & per tot. part. 7. rec.* & quod plus est, secunda peracta fuit absente clar. mem. Card. de Ilcio Archiepiscopo, tunc munus Apostolici Nuncii obeunte apud Sac. Cæsaream Majestatem, quæ propterea non præjudicat, præsertim non probata illius scientia, & acquiescentia explicita, & indubitata ad text. *in l. de his, ff. de transact.* Rota *dec. 899. n. 1. & seqq.* coram Buratt. & in Melevitana Fideicommissorum 5. Junii 3671. §. *Non subsistit, coram me*.

Neque in contrarium quidquam prodest tractatus, sive Scriptura concordiæ inter Archiepiscopum, & Religionem ineundæ anno 1641. ubi asseritur, hanc existere in quasi possessione juris deputandi Oeconomos ad Ecclesias vacantes, quia Scriptura, sive tractatus non fuit subscriptus per Archiepiscopum, neque per eum acceptatus, sed fuit simplex propositio transactionis facta per Consilium Religionis ad dirimendas controversias tunc etiam vigentes, nec probat enunciata, tametsi reposita fuerit in Archivio, quod non dat robur Scripturis informibus, ad tradit. per Rot. *decis. 41. per tot. part. 1.* coram Caputaq. *dec. 1867. n. 7. & seqq.* coram Coccin. *& dec. 453. n. 3. part. 18. rec.*

Constito autem ex præmissis de bono Jure Archiepiscopi, ipsi quoque concedenda visa fuit manutentio, ad quem effectum sufficeret sola juris assistentia absque ulterioris probatione possessionis, ad text. *in c. cum persona, de privil. in 6.* Rot. *dec. 306. part. 1. & dec. 201. part. 2.* cor. Caputaq. *dec. 145. n. 6. par. 2. divers. & dec. 635. sub n. 2. & per tot. p. 4. rec.* Non obstante contraria possessione Religionis, & natura summariissimi Judicii manutentionis, quoniam possessio redditur turbida ex superius deductis, & possessorium absorbetur à petitorio, ad firm. per Rot. *dec. 167. sub n. 9. & 10. part. 2. divers. & dec. 198. n. 6.* cor. Dunozet. Jun. accedente præsertim clausula *sublata, & de. rete irritanti*, contentia in Bulla confirmatoria Sac. Conc. quæ inficiunt quemcunque ritulum, & contrarjam observantiam, ad text. *in cap. si eo tempora, de elect. in 7.* & not. per Lotther. *da re benef. l. 4. q. 46. n. 63. 64. & 70.* Vivian. *de jurepatr. part. 2. lib. 13. c. 8. num. 172.* Rot. *dec. 206. n. 2. & seqq.* coram Peuting. *& dec. 139. n. 14. & 15.* coram san. mem. Alex. VIII.

Denique nec officit, quod manutentio detur possidenti etiam adversus clausulam *sublata, & decretum irritans*, quousque doceatur intrare clausulam, & decretum, quia exclusis unione extinctiva, atque immemorabili, hic justificatum remanet illa intrare, ex adductis per Rot. *decis. 124. n. 3.* cor. bon. mem. Coccino.

Et ita, &c. Utraque, &c.

EADEM CORAM EODEM.

Super Attentatis, & Manutentione.

Luna 12. Decembris 1695.

IN sequelam Decisionis hodie pariter editæ coram me super bono jure, & manutentione Rever. Archiepiscopi in quasi possessione deputandi Oeconomos Ecclesiis Parochialibus S. Euphrasiæ, ac SS. Hippolyti, & Cassiani adversus, S. Religionem D. Stephani Papæ, & Martyris sibimetipsi illud asserere contendentis, visum quoque fuit Dominis standum in decisis die 1. Julii proximè præteriti super attentatis, & manutentione Oeconomorum ab eodem deputatorum adversus alios deputatos à Religione.

Non enim subsistere visa fuerunt attentata per eam præ-

tensa

tensa ob exercitium Oeconomatus peractum ab Alexandro de Tamburinis Oeconomo Archiepiscopi quoad Ecclesiam S. Euphrasiæ, postquam illi die 12. Martii 1691. personaliter præsentata fuerat inhibitio Reverendiss. Nuncii Apost. Florentiæ residentis ad instantiam Joan. de Balestris Oeconomi Religionis; Quia de tempore præsentatæ inhibitionis Alexander reperiebatur in pacifica possessione Oeconomatus, quam præcedentes adeptus fuerat sub die 6. ejusdem mensis, præbendo Sacramentum extremæ Unctionis Dominico Neperino Parocho ipsiusmet Ecclesiæ in extremis laboranti, & successivè post ejus obitum secutum circa primam horam noctis tumulando illius cadaver, aliisque infirmis in Parochia degentibus administrando Sacramentum Pœnitentiæ, ideoque continuando ejus Possessionem non dicitur attentasse juxta vulgatam regulam; qui continuat non attentat, de qua gloss. *in cap. non solum*, §. *Illa verò*, *verbo reducendum*, *de appellationib. in 6.* Surd. *consf.* 360. *n.* 40. Rot. *dec.* 14. *num.* 13. cor. Cels. *dec.* 3. *n.* 6. & 17. & *dec.* 384. *n.* 73. coram Bich.

Nec obstat, quod regula ista non procedat quando possessio redditur turbida, & nulla, qualis in hoc casu reddi prætendebatur possessio Alexandri, ex anteriori possessione Antonii de Catlinis Oeconomi Religionis, qui secuto obitu Dominici statim illam dicebatur apprehendisse, conficiendo Inventarium bonorum Ecclesiæ, ejusque claves immutando, quodque nec minus locum habere poterat ibi, ut hic, inhibitio respiciebat ipsummet exercitium Oeconomatus. Quia possessio Antonii non probatus anterior possessione Alexandri, qui (uti præmissum est) illam adeptus fuerat vivente adhuc Dominico, eodem administrando Sacramentum extremæ Unctionis, explendoque commendationem ipsius animæ. Nec probata relevaret, tanquam capta a persona inhabili ad exercitium curæ animarum, ut recognovis ipsamet Religio, quæ sub die 12. ejusdem mensis in ejus locum subrogavit Jo. de Balestris; inhibitio verò per ipsum obtenta expedita fuit vigore appellationis ab eo interpositæ adversus denegatam sibimetipsi admissionem ad possessionem Oeconomatus, & non inficit præcedentem alterius possessionem, adversus quam non admittitur appellatio suspensiva. Non subsistente, quod saltem admittatur à gravaminibus ei illatis per Archiepiscopum, quia nec ab istis admittitur hujusmodi appellatio propter imminens periculum salutis animarum, ad tradita per Ricc. *in prax. for. Eccl. p.* 1. *tit. proxxto Episc. resol.* 495. *num.* 3. Barbos. *de offic. & potest. Episc. allegat.* 60. *n.* 1. *in fin. part* 3. Castropal. *oper. moral. tom.* 2. *tract.* a 3. *disp.* 3. *punct.* 2. §. 1. *n.* 4. Eoque minus ubi (prout hic) per S. Congregationem Concilii circumscripta fuerunt omnia acta coram Nuncio Apostolico, ex hoc enim magis firma remansit possessio Alexandri, ac si nunquam adversus ipsum expedita fuisset inhibitio.

Atque ex his etiam Domini censuerunt concedendam esse manutentionem Oeconomis deputatis ab Archiepiscopo quoad utramque Parochiam. Quo enim ad illa S. Euphrasiæ Oeconomus Archiepiscopi docet, ut supra de anteriori ipsius possessione propter quam illi concedenda venit manutentio, ad Tex. *in c. licet causam* 8. *de probat.* Posth. *de manut. obser.* 71. *n.* 1. & *seqq.* Rot. *dec.* 223. *n.* 19. & *dec.* 401. *n.* 1, *part.* 19. *rec.* Accedente præsertim tit. boni juris ex adductis in altera decis. hodie pariter à me desuper extensa, Posth. *de manut. dict. observ.* 71. *num.* 42. 105. & 117. Rot. *dec.* 150. *n.* 21. *part.* 16. & *decis.* 240. *n.* 6. *part.* 19. *rec.* Quo verò ad aliam SS. Hippolyti, & Cassiani constat quoque de illius possessione non obstante contraria possessione adepta per Oeconomum Religionis, quoniam ista remansit irrita, & inanis ob resistentiam Sac. Conc. quod eam vitiat, redditque non manutenibilem juxta notam virtutem decreti irritantis appositi in Bulla ejus confirmatoria, & not. per Lotther. *de re benef. lib.* 2. *q.* 46. *n.* 63. 64. & 70. Vivian. *de jurepatr. part.* 2. *lib.* 12. *cap.* 8. *n.* 162. Rot. *decis.* 206. *num.* 2. & *seqq.* coram Pentinǵ. & *decis.* 139. *num.* 14. & 15. coram san. mem. Alexand. VIII.

Et ita, &c. Utraque, &c.

Votum Sac. Rotæ.

Rota est in Voto, deputationem Oeconomi spectare ad Archiepiscopum, eique concedendam esse manutentionem: Et non constare de Attentatis, ac esse, vel fuisse tam respectu Ecclesiæ S. Euphrasiæ, quàm etiam respectu Ecclesiæ SS. Hippolyti, & Cassiani dandam manutentionem Oeconomo per eumdem Archiepiscopum deputato ex rationibus deductis in suprascriptis Decisionibus.

Jacobus Emerix Sac. Rot. Decanus.

D E C R E T U M

Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium Sac. Concilii Tridentini Interpretum super executione præinserti Vot. Sac. Rotæ Romanæ.

Pisana Oeconomatus,

DEcedenti Parocho Ecclesiæ Parochialis S. Euphrasiæ, quæ Religioni S. Stephani Papæ, & Martyris olim unitam fuisse prætendebatur, deputavit Archiepiscopus in Oeconomum Alexandrum Tamburinum, que Administri dictæ Religionis ejicere curarunt nominando, juxta assertam consuetudinem immemorabilis possessionis deputandi Oeconomos, Joannem de Balestris, cui cum Archiepiscopus assentiri renuerit, delata fuit appellatio ad Nuncium Florentiæ residentem, qui relaxata inhibitione, cuncta per Archiepiscopum gesta revocavit. Verùm Archiepiscopo reclamante, Sacr. Congregatio die 22. Decembris 1691. rescripsit. Pro reassumptione, facto verbo cum Sanctissimo, & Nuncio Apostolico, qui abstineat, & amoveat impedimentum contra Parochum Oeconomum, metu mandati latitantem, & Archiepiscopus deputet alium Sacerdotem non Parochum amoto intruso, & die 30. ejusdem, facta relatione Sanctissimo, Decretum Sac. Congr. in omnibus approbavit, & exequi mandavit, & Eminentissimo Secret. Status mentem suam aperiri jussit. Quibus peractis causam eidem Sac. Congregationi cum Voto Rotæ definiendam speciali sua commissione Sanctissimus D. N. delegavit, ideoqui datis in Rota dubiis,

Primò, An, & ad quem spectet deputatio Oeconomi?
Secundò. An constet de attentatis?

Die 22. Junii 1692. nulla fuit capta resolutio, sed Religioni concessa compulsoria, & remissoria, quia pendente decessit prædictus Balestrius, & vacavit alia Ecclesia Parochialis dictæ Religionis, SS. Hippolyti scilicet, & Cassiani. Ideòque superadditum fuit alterum dubium, An & cui ex Oeconomis deputatis sit, vel fuerit danda manutentio tam respectu Ecclesiæ S. Euphrasiæ, quàm Ecclesiæ S. Hippolyti, & Cassiani? Et Rota coram Reverendiss. Emerix Decano die 1. Julii 1695. Archiepisc. tantùm informante, respondit: Deputationem Oeconomi spectare ad Archiepiscopum, & non constare de Attentatis, & esse, vel fuisse eam respectu Ecclesiæ S. Euphrasiæ, quàm etiam respectu Ecclesiæ SS. Hippolyti, & Cassiani manutentionem dandam Oeconomo deputato per Archiepiscopum.

Datoque subinde dubio, An standum, vel recedendum esset à decisis, & insuper, An & cui danda esset manutentio in possessione, seu quasi deputandi Oeconomos, Rota coram eodem Reverendissimo Decano, Parte utraque informante, sub die 12. Decembris proximi præteriti respondit: Standum esse in decisis, & dandam esse manutentionem Archiepiscopo, ac demùm juxta præfatas decisiones desuper editas prodiit Votum Rotæ tenoris sequentis. Rota est in Voto, Deputationem Oeconomi spectare ad Archiepiscopum, eique concedendam esse manutentionem, & non constare de Attentatis, ac esse, vel fuisse tam respectu Ecclesiæ S. Euphrasiæ, quàm etiam respectu Ecclesiæ SS. Hippolyti, & Cassiani dandam manutentionem Oeconomo per eumdem Archiepiscopum deputato, ex rationibus deductis in supradictis decisionibus.

I. Emerix Sac. Rotæ Decanus.

Perpensis itaque dictis Decisionibus, & Voto, Eminentissimi PP. decernere dignabantur,

An Votum Rotæ sit exequendum?

Die 17. Martii 1696. Sac. Congregatio Eminentissimorum S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium Conc. Trid. Interpretum censuit, exequendum esse Votum Rotæ in omnibus.

I. Card. Sacripantes Præfectus.

F. Neptius Secretarius.

Gratis etiam quoad Scripturam,

Locus ✠ Signi.

Ad

Ad Sessionem 24. de Reformatione cap. 20.

SUMMARIUM.

1 *De cognitione causarum in prima instantia coram Ordinario loci.*
2 *Quæ disponantur in hoc decreto.*
3 *Causæ criminales, & matrimoniales adimuntur Prælatis inferioribus, & delegantur Ordinario.*
4 *De praxi conclusionis, de qua, n. 1.*
5 *In quibus causis id procedat.*
6 *De eodem, & de quibus Ordinariis decretum Concilii loquatur.*
7 8 & 9 *De eodem de jure communi, & quid plus operetur Concilium.*
10 *Quæ sint causæ Ecclesiasticæ, de quibus loquitur Concilium.*
11 *De eodem, ubi causæ sint inter laicos super re Ecclesiastica.*
12 *Quales sint causæ spirituales.*
13 *An per istud decretum sit derogatum privilegio, l. unic. C. quando Imperator &c.*
14 *De privilegio electionis fori, quod producit obligatio Cameralis.*
15 *Quid de istius decreti praxi in causis beneficialibus.*
16 *Quomodo servetur intra districtum Urbis.*
17 *Tribunalia Ecclesiastica Urbis concurrant intra districtum cum Ordinario loci.*
18 *Legati, & Nuncius non se ingerant in causis primæ instantiæ.*
19 *De casu negligentiæ, ob quam Ordinarius amittit cognitionem in prima instantia.*
20 *De appellatione à denegata justitia.*
21 *De facultatibus legatorum.*
22 & 23 *De Nuntiis Apostolicis, eorumque diversis speciebus, & præsertim de Nuncio Neapolis, quam jurisdictionem habeat.*
24 *De eodem, & in quibus non possit se ingerere.*
25 *Quales dicantur appellationes frivolæ, & non admittendæ, & de decretis generalibus contra Metropolitanos.*
26 *In causis concernentibus Ecclesiasticam immunitatem Metropolitanus non se ingerit.*
27 *De obligatione terminandi causas infra biennium, & de peremptione instantiæ.*
28 *De jure Canonico instantia nunquam perit, & de lite derelicta.*
29 *De transportatione actorum, sine qua Judex appellationis non procedit.*
30 *Quando procedatur etiam sine hac transportatione.*
31 *De actorum integritate.*
32 *De sumptibus litis, & alimentis dandis pauperi collitiganti.*
33 *Quando quis dicatur pauper.*
34 *De requisito boni juris, quando verificetur.*
35 *Quando paupertas sit probanda.*
36 *Quando sine hac probatione hæc alimenta debeantur, & quibus.*
37 *De provisionibus fieri solitis in hac materia.*
38 *De eodem, de quo num. 3. super causis criminalibus, & matrimonialibus.*
39 *De quibus Prælatis inferioribus hoc decretum loquatur.*
40 *De probatione territorii separati cum qualitate Nullius, & quod interim Episcopo datur manutentio.*
41 *De probatione situationis loci intra diœcesim.*
42 *De causis gravioribus, quæ sint Curiales etiam in prima instantia.*

DISC. XXXIII.

1 Celeberrimum est illud decretum, omniumque in foro frequentiùs, præsertim autem in Romana Curia quotidianum, circa fori competentiam, ac remissionem causarum ad partes in prima instantia locorum Ordinariis; De quo tamen in utraque Signatura potiùs, quàm in Sacris Congregationibus agi contingit, ideòque ista materia, sub judiciorum, vel praxis Romanæ Curiæ sede congruentiùs cadit. *a*

2 Plura itaque in hoc decreto statuuntur, Primò nempè, ut causæ spectantes ad forum Ecclesiasticum, in prima instantia cognoscantur per Ordinarios locorum; Secundò consecutivè, ut Legati, vel Nuncii, seu Gubernatores, in eisdem primæ instantiæ causis, non se ingerant, nisi in casu negligentiæ; Tertiò, ut appellationes frivolæ, seu aliàs, quàm à diffinitiva, vel vim diffinitivæ habente, non recipiantur; Quartò, quod Ordinarii infrà biennium causas primæ instantiæ terminare debeant, Quintò, ut in casu appellationis legitimè interpositæ, Judex secundæ instantiæ non procedat, nisi omnibus actis transportatis; Sextò, ut pauperes, non trahantur extrà propriam Provinciam, quodque aliàs alimenta eis suppeditari debeant; Septimò, ut Decani, & Archidiaconi, aliique inferiores Prælati, aliquam Ecclesiasticam jurisdictionem habentes intra limites alienæ diœcesis, non possint cognoscere causas matrimoniales, & criminales, quamvis aliàs id in facultatibus haberent, cùm istæ ipsis locorum Ordinariis à Concilio saltem jure delegato, commissæ sint; Ac demum, à præmissis excipiuntur causæ, quæ ob earum gravitatem, curiales dici merentur; De singulis, itaque agendo; 3

Quatenus pertinet ad primum; Nil in Romana Curia frequentiùs, per forensium ora volitat, quàm hujus decreti dispositio; Cùm etenim, præsertim in eo judicio, quod jactationis, vel diffamationis dicitur, sive in alia specie, frequens sit usus monitoriorum Auditoris Cameræ, vel inhibitionum Rotalium, cum quorum clypeo, aliquorum bonorum, & jurium possessores muniri studeant; Ac etiam agendo in prima instantia, causas Curia introducere frequenter curetur, Hinc propterea, sive in Tribunali A.C. sive in Signatura Justitiæ, vel coram ejus Præfecto, quotidiè cum nimia frequentia petendo moderationem Inhibitionum, ac remissionem causarum ad partes, attenta prima instantia, decantatur hujus conciliaria decreti dispositio. Cumque frequentiùs, nudi practici, qui hæc tractant, de auditu, vel per traditiones, ea sciunt, quæ dicunt, vel petunt, sive decernunt, ideòque indefinitè quascunque remissiones causarum primæ instantiæ, huic decreto referunt. 4

Id autem æquivocum continet manifestum, quoniam, ut latiùs in relatione Curiæ advertitur, eadem Curia, ratione duplicis Principatus, Ecclesiastici, & temporalis, duplicem habet causarum cognitionem, ecclesiasticorum scilicet, quæ ab universo Orbe Catholico trahuntur ad Papam tanquam Papam, ac universalis Ecclesiæ Episcopum & Ordinarium, Ordinariorum, Et temporalium, quæ trahuntur ad eamdem, tanquam temporalis dominii, vel Ditionis Ecclesiæ Principem sæcularem, & ex quo titulo tot in dies Civitatis Bononiæ, aliarumque Civitatum, & locorum Status Ecclesiastici causæ fideicommissariæ, & peculiariæ, aliæque merè temporales inter laicos pertractantur. 5

Cùm itaque istud decretum, in verbis loquatur de causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, quarum cognitio 6 in prima instantia demandatur Ordinariis locorum, sub quorum nomine, Episcopi, aliique Prælati, & Superiores Ecclesiastici veniunt universi Orbis Catholici, cum quibus generale hoc œcumenicum Concilium loqui profitetur; Hinc proinde, erroneum est, idem decretum applicare, (ut frequentissimè, ac in dies auditur) remissionibus causarum merè temporalium, quæ petuntur ad Gubernatores, aliosque Judices sæculares Status Ecclesiastici, vel ad Barones, eorumque Curias.

Istis etenim, eadem remissio debita est, ex dispositione 7 juris communis, adeout, ubi præsertim de Baronibus agitur, neque litigantium consensus cognitionem causarum primæ, vel ulterioris instantiæ illis tollere valeat, juxta generales juris regulas, de quibus præsertim, omnium frequentiùs agunt Regni Neapolitani Doctores, ac decisiones, quoniam ob magnam Baronum frequentiam, adeout deplorabiliter totum illud Regnum infeudatum sit (paucis exceptis Civitatibus, quæ neque ab hac Baronali labe immunes fuerunt) sed ab eo proprio ære se eximere curarunt, frequenter idcircò, & quotidianæ sunt hujusmodi quæstiones, inter Curias Regias, & Baronales; Idemque in isto Principatu 8 contingit, cum ea differentia, quam respectivè leges, ac styli particulares inducant; *b* Sed nil commune hoc habet cum isto decreto conciliari, quod ab hujusmodi sæcularibus quæstionibus extraneum est.

Nimiùm autem refert, an istud decretum intret, necne, 9 ex ea notabili differentiæ ratione, quod cum Concilium Trident. munitum sit clausula sublata, & decreto irritanti contenta in Constitutione Pii IV. quæ ejus confirmatione, ac publicatione edita fuit, suffragari non potest contraria observantia, quæ ita infecta remanet, sive impedita, ne oriatur, juxta hujusmodi clausularum notoriam virtutem, ac operationem; *c* Id autem non urget in alio casu, in quo ex sola juris communis dispositione, vel intentione id pendeat; Et tamen

tamen non semel, cum ea patientia, quæ Advocatorum quotidianus cibus est, audire, ac tolerare oportuit responsiones ad hanc distinctionem, quod scilicet sapiat continerent Advocatorum subtilitatem.

10 Quidquid igitur sit de cognitione causarum primæ instantiæ Gubernatoribus, ac Baronibus localibus competente, ad terminos juris communis, de quo in jurisdictionalium, vel judicialium sedibus agitur; *d* Quatenus pertinet ad causas fori Ecclesiastici, de quibus hoc decretum loquitur, quales dicuntur omnes illæ, in quibus Clerici, & personæ Ecclesiasticæ à laicali foro penitus exemptæ sint, unde propterea in proprio foro Ecclesiastico conveniendæ sunt; Ac etiam inter laicos sunt illæ causæ, quæ de sui natura Ecclesiastici fori sunt, ut præsertim (absque limitatione) sunt causæ matrimoniales, in quibus de matrimonii fœdere, vel de separatione tori principaliter, ac de jure agatur, sive ubi agatur principaliter de jurepatronatus beneficiorum Ecclesiasticorum, cum similibus.

11 Licèt enim, juxta Canonistarum, ac Romanæ Curiæ receptum sensum, Ecclesiasticæ dicantur quoque illæ causæ, in quibus inter laicos tractetur de bonis temporalibus, ac indifferentibus, quæ sint de directo dominio Ecclesiarum, ac etiam reputentur causæ, sacrilegii, usuræ, concubinatus, ac similes, quæ mixti fori dicuntur, quamvis cum laicis agatur; Attamen diversi principatuum sæcularium mores, vel styli id in praxi de facto non admittunt, ideoque certa regula desuper statui non potest.

12 Et licèt in Rotæ pluribus decisionibus, nimium frequens distinctio habeatur inter causas spirituales, & prophanas, quodque sub spiritualium nomine veniant solùm beneficiales, in quibus de beneficii titulo agatur, omnes autem aliæ, quamvis fori Ecclesiastici, & inter Ecclesiasticas personas, prophanæ reputentur; Attamen, ut in judiciorum sede advertitur, ista distinctio, solùm effectum remissoriæ, & compulsoriæ percutit, non autem istum, vel similes. *e*

13 Illud decretum, disputandi ansam dedit, an per illud derogatum censeatur privilegio electionis fori, quod jus civile, pupillis, ac viduis, aliisque miserabilibus, personis concessit; Dubitandi rationem præbente, ampla derogatoria in eodem decreto contenta, quibuscunque privilegiis; Magis tamen receptum est, ut huic privilegio tanquam clauso in corpore juris, derogatum non censeatur illudque adhuc vigeat in suis terminis, unde propterea etiam in causis fori Ecclesiastici, istud practicari solet. *f*

14 Ut etiam illud electionis fori privilegium, quod etiam non privilegiatis tribuit obligatio in forma Cameræ Apostolicæ. *g*

15 In reliquis autem, cessantibus casibus limitatis, de quibus habetur in ultima inspectione super causis curialibus; Quotidiana praxis Curiæ est super istius decreti observantia, remittendi scilicet causas primæ instantiæ locorum Ordinariis, quamvis agatur de beneficialibus, in quibus idem conciliare decretum expressè loquitur.

16 Benè verum, quod nimiùm rara est ejusdem decreti praxis in causis beneficialibus, quoniam cùm illæ frequentiùs, ac penè semper oriri soleant à reservationibus, vel affectionibus Apostolicis, quarum vigore impetrationes fiunt contra provisos ab Ordinariis, ideoque super Apostolicis provisionibus expediuntur literæ, cum certis executoribus, dum congrua non est causarum cognitio coram Ordinariis, qui partis interessatæ figuram quodammodo gerere dicuntur, assistendo illis, qui ab eis provisi fuerint, idcircò, ut dictum est, nimiùm rara dignoscitur hujus decreti praxis in causis beneficialibus, quamvis de illis, idem decretum expressè loquatur.

17 Intra districtum tamen Urbis (qui juxta modernam receptam praxim, ad quadraginta milliarium ambitum circum circa se protendit, quamvis antiquitus ille centum milliarium esset, *h* illius decreti limitatio dignoscitur, quoniam etiam in prima instantia, aliqua Tribunalia Ecclesiastica Urbis, quæ causarum fori Ecclesiastici cognitionem habeant, ut est Tribunal Cardinalis Vicarii, ac etiam alterum Auditoris Cameræ, præventionem cum Ordinariis locorum habere prætendunt, unde propterea plures desuper oriri solent quæstiones, quæ in jurisdictionali materia, ac etiam in resolutione Curiæ insinuantur.

18 Hinc de consequenti, posita cognitione causarum primæ instantiæ coram Ordinariis locorum, resultat secunda pars superiùs distincta, quod scilicet Legati, vel Nuncii, seu Gubernatores, aliique Apostolicæ Sedis Officiales, cum Ordinariorum subditis, atque in cognitione causarum primæ instantiæ se ingerere non possunt nec debent, nisi ob Ordinarii diligentiam, cujus casus nimiùm rarò, ac ferè nunquam in praxi datur, cum vel à partibus, vel ex accidentalibus provenire soleant impedimenta, de facili hanc negligentiam excusantia, adeout pro meæ diuturnæ forensis vitæ tempora devolutionem causæ ad superiorem ex isto capite negligentiæ nunquam practicari viderim; Verùm in praxi inolevit usus melior appellationis à denegata justitia, faciendo scilicet tres instantias pro expeditione causæ, cum interpolatis diebus, & cum aliquo moderato intervallo inter unam, & alteram, in quarum singulis contineatur protestatio appellationis à denegata justitia; *l* Tunc etenim præsentatis dictis instantiis coram Judice appellationis, dari solet inhibitio cum compulsoria pro transportatione actorum, & sic per viam appellationis, non autem per viam reassumptionis causæ, ratione negligentiæ.

Benè verùm, quod penè in dies hujusmodi quæstiones audiuntur inter Ordinarios, & Legatos, vel Nuncios Apostolicos, super hujusmodi reassumptionibus; Respectu tamen Legatorum, ubi sint extraordinarii, & de latere, qui cum magna potestate, ex aliqua extraordinaria causa transmittuntur ad Reges, & magnos Principes, non potest dari regula, ob facultates, quæ eis dantur per brevia particularia, quorum tenor attendendus est; Idemque dicendum venit respectu Legatorum Ordinariorum Status Ecclesiastici, Bononiæ scilicet, Ferrariæ, Æmiliæ, & Urbini, & quandoque, (licèt rariùs,) Marchiæ, & Umbriæ, quoniam licèt de jure, sive per istud decretum, aliasque Apostolicas Constitutiones, intra certos limites eorum facultates restrictæ sint; Attamen per Brevia particularia, pleræque aliæ facultates illis concedi solent, cum instructionibus tamen, ut nonnisi moderatè, ac rarò ex aliqua urgenti causa eis utantur; Et consequenter neque certa regula desuper statui potest, cùm totum pendeat ex tenore facultatum. 19

Quo verò ad Nuncios, isti sunt de duplici specie; Alii enim qui sunt veri Nuncii ad Reges, & Principes cum facultatibus Legati, ac Judicis appellationum, & recursuum ab Ordinariis, & in illis, procedit penè idem, quod in Legatis, exceptis aliquibus majoribus, ac extraordinariis facultatibus, quæ per brevia particularia, ut supra, Cardinalibus Legatis, præsertim verò extraordinariis de latere, concedi solent, ideoque in eis praxis docet hujus conciliaris decreti observantiam. *m* 20

Altera verò nunciorum species est, potiùs impropria cum sola nuncupatione, quia non habent jura Legati, neque cognitionem appellationum, & recursuum ab Ordinariis, adeout in effectu sint solum collectores generales spoliorum aliorumque jurium Cameræ ac delegati, vel Commissarii ad certum genus causarum, ut est præsertim Nuncius Apostolicus Regni Neapolitani, in hoc statu, in quo, absente Rege, illud regitur per Vicarium, seu Proregem, quoniam ejus jurisdictio, cujus vigore, quandoq; inhibet Ordinariis, atq; ab eis causas avocat, seu reassumit, est in certo genere causarũ concernentium jus, & interesse Cameræ, ut sunt spolia Clericorum, & fructus Ecclesiarum, ac beneficiorũ vacantium, necnon causæ illicitæ negotiationis ac alia, in quibus Fiscus Apostolicus jus habeat, vel habere prætendat, juxta locorum praxim, ac stylos; putà in bonis vacantibus Clerici morientis absque legitimo herede, vel in thesauris, qui in fundo Ecclesiæ inveniantur, pro ea portione, quæ de jure debita sit, cum similibus juribus fisci Ecclesiastici, pro diversis locorum, vel Principatuum usibus, ac stylis, ex quibus hæc jura intrant, quoniam posita eorum competentia intrat Nuncii jurisdictio, quæ habet speciem privativæ ad Ordinarios in personis subcollectorum singularum diœcesum, aliorumque Cameræ, seu Tribunalis officialium, ac ministrorum. 21

Ac etiam ex aliquibus specialibus delegationibus est commissarius generalis regularium, aliorumque Ecclesiasticorum exemptorum in toto Regno; Necnon habet cognitionem aliquorum delictorum, quæ vulgò campaniæ dicuntur (sive monetæ falsæ, ac aliorum, quæ in facultatibus expressa sint. 22

In his tamen habet cum Ordinariis cumulativam, adeout sit locus præventioni, non autem privativam, ut non benè ab eo Tribunali prætenditur; Ideoque ex his causis frequentes controversiæ audiuntur super earum avocatione, vel reassumptione, quam etiam in prima instantia, ob prætensionem privativæ, tentare solet, atque cum debilibus Ordinariis frequenter practicat. *n* 23

In reliquis autem, nullam habet ordinariam jurisdictionem jure territoriali, adeout se ingerere valeat in iis, quæ ad Ordinarium loci pertinent, ultra casus sibi commissos, ut alibi advertitur. *o* 24

Quoad tertium hujus decreti caput, ut appellationes frivolæ non admittantur per Metropolitanos, vel per alios Judices
25 dices appellationis, Cùm istud decretum concaltate sufficientem non præbeat medicinam, eo quia super hoc puncto, an appellatio sit frivola, necne, seu quando dicatur talis, certa regula statuta non est, Hinc proinde ista Sacra Congregatio, vel altera Episcoporum, prius sub Clemente VIII, deindeque sub Urbano VIII, aliqua edidit decreta generalia desuper modum præscribentia, quæ registrata habentur apud aliquos elaboratos collectores, quorum labores pro publica commoditate commendatione quidem digni sunt; p Adhuc tamen inter Ordinarios, & Metropolitanos quæstiones, in una, vel altera ex prædictis Congregationibus audiri solent, ac etiam in Signatura Justitiæ, quando scilicet appellatio esset injusta, vel frivola ab aliquo decreto interlocutorio, vel alio incidenti, adeò ut causa remitti debeat Ordinario per eum terminanda, ut frequenter contingit.

Et quandoque recursus per Ordinarios adversus Metropolitanorum inhibitiones haberi solent ad S. Congregationem Immunitatis; eo quòd prætendatur agi de causis
26 immunitatem concernentibus, in quibus per ejusdem Sacræ Congregationis provisiones, Metropolitanis interdicta est, in his partibus, in quibus ipsa Sacra Congregatio manum apponere solet, atque occurrere potest, inhibendi, vel reassumendi facultas interdicta est. q

Quarta est provisio, ut Ordinarii, causas primæ instantiæ, infrà biennium terminare debeant; Itaque provisio aliquam originem trahere videtur à dispositione juris civilis qua tamen attenta, ubi causa intra præfinitum tempus non terminetur, resultat peremptio instantiæ, unde pro-
27 pterea invaluit usus, ut illa ex suprema Principis authoritate instauretur, quod sub infoirtationis speritus vel termino explicari solet, ac propterea multæ per DD. tractari solent quæstiones super effectibus ex peremptione instantiæ, vel respectivè ex ejus instauratione resultantibus, aut quando uni, vel alteri sit locus, necne. r

De his autem non agitur in foro Ecclesiastico, in quo vi-
28 vitur cum dispositione juris canonici; Quinimò neque in foro laicali dominii temporalis Ecclesiæ, vel Status Ecclesiastici, ea eadem ratione, quòd vivatur cum dispositione juris canonici, qua attenta, instantia est perpetua, nunquam perit, ideoque iste terminus biennii, potius consilium videtur, dum solum in foro Ecclesiastico datur desertio litis, cujus praxis etiam rara est, dum ad ejus effectum requiritur lapsus longissimi temporis 30. annorum, neque sufficit, nisi malum jus quoque accedat, ut in beneficiali materia præsertim de more agi solet; f

Frequentes autem in Curia sunt disputationes super quinto hujus decreti requisito, ut Judex appellationis, in causa non procedat non transportatis omnibus actis; Hinc pro-
29 inde, illa differentia dignoscitur, inter causas fori Ecclesiastici, de quibus istud conciliare decretum loquitur, & alias profanas, quæ ad Curiam per appellationem trahuntur, ratione principatus temporalis, & quæ, ut supra, sub isto decreto non cadunt; Quod scilicet, ubi agitur de hac secunda specie, ad limites juris communis, sufficit transportatio actorum relevantium tantum; Ubi verò de prima specie causarum decantatum sub hoc decreto agitur, requiritur transportatio integra omnium actorum, etiam irrele-
30 vantium tanquam de forma, adeò ut aliàs adesse videatur defectus jurisdictionis; Nisi agatur de aliquibus incidentibus, puta attentatorum, vel spolii &c. cùm tunc sufficiat exhibere illa acta, ex quibus id justificetur, cùm dicta for-
31 ma præscripta sit in expeditione causæ principalis, non autem super hujusmodi incidentibus, quibus promptè occurrere congruit, ut latius in relatione judicialium sede advertitur, ubi quomodo de integritate constet. e

Sexta hujus decreti pars, vel provisio est, ne pauperes extra provinciam trahantur, quodque aliàs litis expensæ de-
32 beant eis suppeditari; Super hoc autem Sac. Concilium, juris communis dispositionem non alteravit, sed quod jam dispositum erat, monuit, ideòque instant eadem requisita generalia, de quibus in judiciorum sede habetur, super suppeditatione alimentorum, & sumptuum litis collitiganti faciendа, qualia sunt paupertas, ac præsumptio boni juris, Remanente quæstione, pro Tribunalium diversis stylis decidenda, super qualitate causæ, an scilicet id procedat solùm in causa universali, ut de stricta juris censura verius videtur, vel etiam in particulari juxta æquiorem opinionem, quæ in Romana Curia magis recepta est. a

33 Desuper itaque regula generalis cuicumque casui applicabilis statui non potest, quoniam Judicis prudentiæ arbitrio remissum est dignoscere, quando dicatur adesse hæc vera paupertas, cùm id pendeat ex qualitate personarum, dum id, quod plebejum divitem reddit, in nobili, paupertatem importat. x

Idemque circa bonum jus, quod regulariter resultare solet, ex sententia quamvis per appellationem suspensa, 34
sive in Rota ex decisione, quamvis ea contineat actum merè extrajudicialem, adhuc tamen, etiam sine his aliqua summaria cognitio pro gustu ad hunc effectum incidenter haberi solet.

Et quoad paupertatem; Quamvis illa dicatur hominibus connaturalis, quoniam illi à natura nudi procreantur; 35
adhuc tamen ad istum effectum illa probanda est per allegantem, iis exceptis, quos lex, paupertas, ac aliundè non provisos præsumit, ut sunt, monachus qui litem habeat 36
cum Monasterio, uxor cum viro, a quo, imò etiam ab ejus patre, durante causa matrimoniali hæc alimenta obtinet, ac etiam filius cum patre; Nisi hæc præsumptio per contrariam probationem elidatur, ac propterea totum pendet ex facti circumstantiis. y

Quia verò ante sententiam, vel decisionem, quandoque 37
pro causarum qualitate non expedit, ut judex ejus sensum super bono jure aperiat, vel ostendat, hinc prudenter fieri solent provisiones, ut pauperi collitiganti absque declaratione, quod hæc alimenta debeantur, aliqua summa detur in causam declarandam, ut altiùs in dicta propria Sede judicii rerum; De his autem, nimium rarò, ac fortè nunquam in ista, vel altera Sac. Congregatione agi contingit.

Notabilior autem magisque antiqui rerum status alterati- 38
va est penultima hujus decreti conciliaris superius distincta pars, in qua inferioribus Prælatis aufertur cognitio causarum criminalium, & matrimonialium, eaque jure delegato conceditur locorum Ordinariis, eodem modo quo circa concernentia curam animarum, ac administrationem sacramentorum, seu publicas conciones, ac alia hujusmodi ab eodem Concilio alibi statutum est. z Id enim frequentes, & quotidianas producit quæstiones, inter locorum Ordinarios, & inferiores Prælatos, qui sub nomine Archidiaconorum, & Decanorum, in hoc decreto explicantur; Non quidem super ejusdem decreti observantia, quando certum sit, quòd de illis inferioribus Prælatis agatur, qui jurisdi- 39
ctionem aliquam ordinariam habeant in locis existentibus intra fines alicujus diœcesis; Sed potius super facto hujusmodi situationis, quæ negari solet, prætendendo aliquod territorium separatum, cum qualitate *Nullius*, quo casu eodem modo, quo de concernentibus curam animarum alibi advertitur, istos Prælatos, qui per veritatem sunt *Nullius*, cum materiali territorio separato, non veniunt sub hoc decreto, utpotè venientes potius sub nomine Ordinariorum, etiam cum ista jurisdictione delegata supra inferiores Prælatos, dum habentur tanquam Episcopi, vel Diœcesani in proprio territorio, ut alibi latius advertitur. a

Ubi quoque enuntiatur receptus hujus S. Congr. sty- 40
lus, quem etiam Rota reverenter in omnibus suscipit, quòd scilicet illa qualitas territorii separati non præsumitur, atque ubi non doceatur incontinenti de privilegio Apostolico claro, unde propterea recurratur ad immemorabilem, ad quam solùm, cessante privilegio, hæc probatio restringitur, tunc donec illa, per rem judicatam, vel per tres conformes canonizata sit; decernitur manutentio Episcopi in hujus delegatæ jurisdictionis quasi possessione. b

Ad hanc autem manutentionem impediendam, excitari solet quæstio incertitudinis, super situatione, vel finibus, quoties locus non sit undique à diœcesi circumdatus, sed alia adjaceat diœcesis, quo casu inspici solet, an alter Episcopus sit in causa, necne, ut latiùs in jurisdictionalis materiæ particularibus annotationibus. c

Demum quoad ultimam superius distinctam hujus decreti partem, causarum curialium graviorum, quia scilicet etiam in prima instantia, causæ in Curia committi, & cognosci debeant; Certa, & determinata regula statui non potest, cùm ex facti qualitate, & circumstantiis, id pendeat; Unde propterea videtur materia arbitraria utriusque Signaturæ gratiæ, vel justitiæ, in quibus Tribunalibus potiùs quàm in Sacris Congregationibus de hoc agi solet, ideoque relatio sufficiet ad ea, quæ in judiciorum Sede, vel in Romanæ Curiæ relatione, ac praxi agendo de utraque Signatura insinuantur.

a *sub tit. de judic. disc. 3. & sub tit. de jurisd. disc. 68. & in relat. Curia agendo de utraque Signatura.*

b *De aliis controversiis inter Barones status Ecclesiastici,* *& alia*

& alia Tribunalia Urbis, d. tit. de jurisd. disc. 53. & 88. c dec. 400. p. 9. & 599. p. 12. rec. ubi concordantes.
d dicta disc. 53. & 88. de jurisd.
e sub tit. de judic. disc. 3. ac etiam eo disc. in quo agitur de remissoria, & de benef. disc. 99.
f de hoc privilegio, d. tit. de jurisd. disc. 69. 70. & 80.
g eod. tit. de jurisd. disc. 71.
h de hoc districtu, sub tit. de regal. disc. 72. & 94. & sub tit. de praem. disc. 1. de jurisd. disc. 50.
i de jurisd. disc. 50. & 53 & in relatione Curiæ.
l tit. de jurisd. disc. 68. & sub tit. de judic. in disc. appellationum.
m de aliquibus facultatibus Nuncii Neapolis sub t. de jurisd. disc. 36 et in Miscell. Eccles. disc. 22. et 23.
n in eisdem locis proximè supracitatis, o ibidem.
p apud Quarant. in summa Bullar. verbo Archiepiscopi authoritas, et Barbos. in collect. ad Concil. sess. 13. de reform. cap. 1. q Miscellan. Eccles. disc. 2.
r tit. de judiciis, ubi de litis extinctione.
s ibidem de judic. et tit. de benef. disc. 92.
t de hac materia transportationis actorum sub tit. de jud.
u d. tit. de judic. agendo de transportatione actorum.
x habetur sub tit. de decim. disc. 19. et sub t. de judic. super hac subministratione alimentorum, et sumptuum.
y de his omnibus ad materiam alimentorum, et sumptuum litis, dictatis. de judic.
z sub tit. de jurisd. disc. 1. cum plur. seqq.
a d. tit. de jurisd. disc. 1. cum plur. seqq. et Miscell. Eccl. disc. 1. b eod. disc. 1. cum seqq. de jurisd. c ibidem.

Ad sessionem 25. de Regulat. c. 1. & 2.

S U M M A R I U M.

1 *DE observantia Regula per religiosos, et præsertim de vita communi monialium, quando demandari debeat.*
2 *Religiosi professi utriusque sexus, nil proprium habere possunt in particulari.*
3 *De eodem.*
4 *De consuetudine monialium habendi annuos redditus vitalitios.*
5 *Reputatur pars dotis, ejusque naturam habet.*
6 *De dote solita dari Monasterio.*
7 *Quando hæc alterationem recipiat, ut sit duplicata, seu aliter.*
8 *Et quando sit minor quàm solita.*
9 *In vitalitio redditu non adest uniformitas, quæ in dote.*
10 *An Monialis alienet, vel retrocedat hanc vitalitiam assignationem.*
11 *Super prohibita proprietate, Moniales non differunt à viris Religiosis.*
12 *Monialium nomine ad hunc effectum, quænam veniant.*
13 14 et 15 *De militibus Hierosolymitanis, an possideant proprium, et disponant, quomodo, et quando?*
16 *De diversis stylis Religionum claustralium.*
17 *Quomodo intelligi debeat licentia quæ conceditur Religiosis in particulari possidendi, & administrandi bona.*
18 *De dispositione favore Religiosi sub lege, ut non quæratur Religioni.*
19 *An Religiosus professus sit executor ultimarum voluntatum.*
20 *Religiosi sunt capaces successionum, et fideicommissorum.*
21 *Cui Monasterio bona religioso delata applicentur.*
22 *De peculiari instituto Societatis Jesu.*
23 *An Religio excludatur per dispositionem Religiosi ante professionem.*
24 *An Religiosus revocet testamentum factum, ante professionem.*
25 *Religioso translato de una religione ad alteram, vel exeunte à Religione, an secus trahat bona?*
26 *Quid ubi egressus est ex causa nullitatis professionis.*
27 *De facultatibus Prælatorum Regularium circa alienationes etc.*

D I S C. XXXIV.

1 IN primo istorum decretorum, generaliter injungitur Regularibus observantia regulæ, quam professi sunt, atque desuper, nulla forensis quæstio cadere solet, cum solùm in Sacra Congregatione Episcoporum, & regularium, circa moniales, aliquando, cum consueta forma extrajudiciali, atque cum solitis legibus prudentialibus, determinationes prodeant, super vita communi camerario plerisque, præsertim antiquis Monasteriis, non habentibus illam formalem, benèque regulatam fundationem, quam habent moderna, non de facili exactè, ut decet, servari possit; Ac propterea licèt Sacra Congregatio prudenter locorum Ordinariis, vitæ communis introductionem, vel observantiam injungere soleat; Attamen, ut pluries expertus sum, ejus prudentes sensus sunt, ut id cum debita discretione, per Monasteriorum qualitate, ac viribus intelligendum sit; Unde propterea pluries experientia docuit, quod aliquorum Prælatorum zelus indiscretus, inducendi novitates, Monasterii viribus incongruas, magna causavit damna, atque opportuit ad priorem statum, potius in deterius regredi; Est itaque res optima, & commendabilis, seu justa vires, & quando commodè practicari potest, sin minus majora producit inconvenientia.

In altero autem decreto disponitur, ut regulares utriusque sexus nihil habeant proprii, neque liceat superioribus bona stabilia, alicui religioso concedere, ad privatum usumfructum, vel usum; Quo verò ad mobilia, detur solùm aliquis usus permissivus, ad nutum superioris ita tamen, ut statui paupertatis non adversetur. 2

Super hoc autem decreto, pariter certa & generalis regula, cuicumque casui applicabilis, statui non potest; Non quidem theoricè, ac in abstracto, cum generaliter certum sit juris principium, ut religiosus professus, quoties Apostolica dispositio non accedat, nihil proprium habere valeat, cum id de directo adversetur statui regulari ob votum paupertatis, sed de facto, & practicè ob diversa Religionum instituta, vel diversas consuetudines ab Ecclesia toleratas, nimium diversa est praxis; Cum præsupposito tamen, quod agatur de religionibus, vel institutis capacibus in communi, adeout urgeat solum incapacitas in particulari, cum de Religionibus, quæ sint simpliciter incapaces, tam in communi, quàm in particulari, hæc inspectio non cadat. a 3

Distinguendo itaque moniales à viris regularibus; Quatenus ad moniales pertinet; Ex generali consuetudine ab Ecclesia tolerata quoties alicujus Monasterii particulare institutum, aliter non suadeat, monialibus assignari solet, ex obligatione, vel benevolentia, à conjunctis, vel benevolis, annua, vel menstrua vitalitia præstatio, ad earum liberã dispositionem, pro extraordinariis indigentiis, vel honestis usibus, absque eo quod superiores se ingerant: neque illa servetur communis depositi forma, quæ in regularibus viris servari solet ut infrà, adeout nimium rari sint casus, in quibus superioris hujusmodi assignationis usum, vel administrationem impediant; Nisi quoties imprudentia monialis, ita cogat, quia nempè abutatur, atque convertat in usus parùm honestos, seu statui religioso parum congruos. b 4

Adeòut communis est ista consuetudo; quod hujusmodi assignatio reputetur pars dotis, ideòque de necessitate præstanda est per eos, qui dotare tenentur, unde etiam pro ea intrat illud subsidiarium remedium, quod lex super bonis fideicommissi concedit; c Cùm etenim pro frequentiori usu, illa dos, quæ datur Monasterio, modica sit, ac rigorosè non proportionata suppeditationi omnium, quæ præsertim pro vestitu, aliisque extraordinariis indigentiis, vel honestis usibus necessaria sunt, unde propterea Monasterium in communi non suppleat sufficienter in omnibus, hinc proinde reputatur pars dotis, vel pars alimentorum. 5

Quamvis autem id, quod Monasterio præstatur sub nomine dotis, certam ac uniformem taxam habeat, absque licentia S. Congregationis inalterabilem in particulari, cum solùm Episcopo concedatur facultas ex justo motivo augendi, eandem taxam generaliter pro omnibus; d Solùmque augmentum, vel diminutio oriri soleat accidentaliter, & ex particularibus circumstantiis, putà quia agatur de supernumeraria, vel de tertia sorore, aut de muliere corrupta, seu aliquem patiente defectum, cum in his, ac similibus casibus pro facti qualitate, vel ex S. Congregationis arbitrio, dos duplicata, ac etiam major præstari soleat. e 6 7

Idque etiam, ex plurium Monasteriorum consuetudine practicetur cum mulieribus exteris, ut scilicet duplicatam, seu aliàs majorem solvant dotem, quàm cives, ex nimium probabili ratione, quod à civibus Monasterium fundatum fuerit: atque antiquam recognoscat dotem, Sive quandoque minui soleat ob personales virtutes puellæ recipiendæ, sive ob merita majorum, qui fuerant Monasterii fundatores, vel benefactores pro arbitrio S. Congregationis, cujus licen- 8

licentia in hoc requisitus, quoties certa lex fundationis
non accedat. *f*

9 Attamen in hujusmodi menstruis, vel annuis vitalitiis
assignationibus, non intrat hæc taxa uniformis, quoniam,
etiam de justitia intrat illa difformis taxa, quæ pro persona-
rum qualitate fieri debet, cum illis generalibus regulis, quæ
habentur super taxa dotis congruæ, vel de paragio. *g*

Super hujus præstationis alienatione, vel retrocessione,
10 seu dimissione quæstiones cadere solent, an scilicet id per
monialem sine consensu Monasterii, ac superiorum, aliis-
que solemnitatibus fieri valeat, quod certam non recipit
regulam cuicumque casui applicabilem, cum pluries de su-
per eadem distinctiones, recensitæ in rerum regularium
particularibus annotationibus, ubi videri potest. *h*

In reliquis autem, moniales non differunt à religiosis
11 viris professis, super dicta generica incapacitate habendi
proprium in particulari, cùm in eis pariformiter intret ea-
dem ratio voti paupertatis, quodque propterea omnia bo-
na, & jura, quæ ea ejus persona deferentur, eodem modo
quo in religiosis viris, directè, ac immediatè, independen-
ter à persona ipsius monialis, acquirantur Monasterio, jux-
ta opinionem Canonistarum receptam in Curia Romana,
atque generaliter tenendam in foro Ecclesiastico, adeout
nulla dignoscatur differentia.

Quando autem in hoc proposito monialium sermo ha-
12 betur, intelligitur de illis, quæ cum lege clausuræ in aliquo
formali Monasterio, prævio anno novitiatus, ad præscri-
ptum Sacri Concilii Tridentini, solemnem, ac validam
emiserint professionem, cum tribus votis substantialibus
castitatis, paupertatis, & obedientiæ; Secus autem ubi de
illis agatur mulieribus, quæ in aliqua domo formam Mo-
nasterii habentes, tàm in habitu, quàm in Instituto, religio-
sè vivant, atque pro monialibus publicè habeantur, nilque
ab eis de facto differre videantur; Vere tamen tales non
sint, quia dictam solemnem irretractabilem professionem
non emittant, quamvis quendam faciant promissionis
actum, qui professionis speciem redoleat (ut ex. gr.) sunt
Oblatæ celeberrimi Monasterii Turris Speculorum Urbis,
ad cujus instar alia per Orbem catholicum habentur, quo-
niam istæ revera non sunt moniales, sed potiùs personæ
sæculares, in quibus inspectio cadit, an dici valeant Ec-
clesiasticæ ad effectum exemptionis fori, ut in suis respe-
ctivè sedibus pluries advertitur. *i*

13 Quo verò ad religiosos viros, pariter Religionum diver-
sum institutum in hoc attendendum venit, Ubi enim agitur
de Religionibus militaribus, quæ sint veræ Religiones cum
solemni professione, ac formali emissione trium votorum,
prævio anno probationis ad præscriptum hujus Sacri Con-
cilii, ut est præsertim sacra Religio Hierosolymitana, &
tunc quamvis legitimè professi, in omnibus sint veri reli-
giosi, unde propterea sunt intestabiles, atque incapaces pos-
sidendi aliquid in particulari jure dominii, sed ad instar
aliorum religiosorum, omnia bona, & jura eis data, seu
aliàs quæsita directè acquirantur religioni; *l* Attamen,
14 quia vivunt extra claustra in privatis domibus more sæcu-
larium, & cum eodem sæculari fastu, seu decore; Hinc pro-
inde eis conceditur usus, ac libera administratio omnium
redditunm, & bonorum, tam commendatum, ac dignita-
tum ipsius Religionis, quam patrimonialium, & acquisito-
rum, adeout, de facto habeantur milites ditissimi, qui ma-
gnatium etiam more vivant; Moriendo autem, commenda-
bilis stylus Religionis est, negligendi sibi alias de jure debi-
tam successionem in bonis stabilibus, antiquis, & patrimo-
nialibus, unde propterea de facili M. Magister (qui hanc
potestatem habet,) cuilibet petenti, licentiam de his testan-
15 di, seu alias disponendi concedit; In acquisitis autem se-
cus, quoniam, licet possit, non tamen solet hanc licentiam
concedere, nisi aliquando per viam propositionis, ut fa-
cit Camera Apostolica Episcopis, & Clericis. *m*

Ubi verò agitur de religiosis claustralibus, pariter di-
16 versus est Religionum stylus, quoniam in plerisque tolera-
tur idem usus, de quo supra, in monialibus habendi ad
ejus dispositionem aliquem vitalitium annuum, vel men-
struum redditum; In plerisque autem non, sed eundem
redditum, aliasque obventiones tenere oportet penes supe-
riorem, sive in communi ærario Conventus, atque ubi
occasio præbeat erogandi aliquam summam pro religiosis,
honestisque usibus, ut ea petatur à superiore; Et in aliqui-
bus magis latè proceditur, quod scilicet, si religioso obve-
niatur aliqua hæreditas, vel alia successio, ei permittitur
usus, ac administratio fructuum, & emolumentorum ad
vitam; Idque etiam in Religionibus, in quibus id non sit

Card. de Luca, Lib. XIV.

in usu, quandoque per gratiam specialem à Papa per literas
in forma brevis, sive etiam per organum S. Congregatio-
nis Regularium concedi solet. *n*

In omnibus autem casibus prædictis, vel similibus, hæc 17
tacita, vel expressa licentia, intelligenda venit discretè, pro
necessariis, vel saltem honestis, ac piis usibus religioso pro-
fesso congruis, non autem pro iis, qui incongrui sint; Unde
propterea in facti contingentia cum religiosus cujusdam
ordinis Mendicantium dispensationem Pontificiam obti-
nuisset super administratione, ac dispositione cujusdam sibi
obvenientæ hæreditatis, donec viveret, independenter à supe-
rioribus ipse autem aliquas pecuniarum summas erogasset
in census vitalitios, ut ita majorem, obtineret fructum, per
ejus verò mortem sors principalis amitteretur, Rota cen-
suit istum contractum fuisse invalidum, ideoque per dicti
religiosi mortem factum non fuisse locum sortis lucro; Ve-
rum quod in eam imputari deberent aliqui fructus solu-
ti, assignata ratione prædicta, quòd scilicet hujusmodi
dispensationes, vel promissiones, intelligendæ veniunt
discretè, pro usibus piis, ac honestis, non autem cum ef-
frænata facultate dissipandi etiam sortem. *o*

Ut autem Religiosi aliquarum Religionum, in quibus 18
circa hoc strictius vivitur, effugiant hanc necessitatem te-
nendi has annuas, vel menstruas præstationes, aliosvè pro-
ventus, sub omnimoda dependentia superioris, qui pru-
denter aliquando inquirere solet, in quosnam usus ea pe-
cunia erogetur, vel eroganda sit, adhiberi solet cautela,
ut iidem testatores, seu elargitores, expressam adjiciant
legem, quod Monasterio, vel Religioni, ejusque supe-
rioribus nullum jus desuper acquiri possit, unde propte-
reà intrat quæstio, an hoc præceptum valeat, idque non
modicam habet opinionum scissuram; Aliquibus volen-
tibus, ut ista lex per disponentem adjecta, præcisè serva-
ri debeat, atque suprema voluntas non violari; Aliis au-
tem in oppositum volentibus, ut hujusmodi lex vitiata
remaneat, atque pro non scripta habenda sit, ac propte-
rea dispositio pura censeatur; Et aliis mediam conciliati-
vam tenentibus opinionem, ut dominium habituale bo-
norum, ac redditUum, ob incapacitatem religiosi in par-
ticulari, acquiratur Religioni, vel Monasterio, admini-
stratio autem, & actualis dispositio permitti debeat reli-
gioso, ut voluntas testatoris non violetur, ita tamen quod
remaneat superiori dicta facultas investigandi, in quid
scilicet erogetur. *p*

Ad id autem quoque evitandum, alia adjici solet cautela
ut per disponentem religiosus deputetur executor, ad effe- 19
ctum distribuendi illos redditus in occultos usus, sibi fi-
ducialiter commissos, cum liberatione ab onere reddendi
rationem, vel publicandi usus, quos ipse copiat remanere
occultos. Verum quia iste solet esse color quæsitus, vel af-
fectata cautela, ut legi fraus fieret; Idcircò pro facti qua-
litate, & circumstantiis, materia est regulanda, an scili-
cet ex eis constet, quod revera testator, illi religioso, pu-
ta confessario, aliquos commiserit usus, quorum publi-
catio defuncti famæ, ac existimationi præjudicare possit;
Vel è converso, sufficiens fumus habeatur, dictæ fraudis,
vel affectatæ cautelæ; Unde propterea facti potiùs, quàm
juris est quæstio, pro singulorum casuum qualitate, &
circumstantiis decidenda. *q*

Quia verò frequenter contingit, ut ex persona religiosi, 20
successiones directæ, vel fideicommissariæ deferantur; Dum
receptum est, ut cessante expressa, vel conjecturata volunta-
te testatoris professio in Religione capaci in communi, non
tollat jura sanguinis, ideoque religiosi professi succedant
in fideicommissis, ac majoratibus qui sæcularem admini-
strationem annexam non habeant, ut in fideicommissaria
materia particulariter advertitur. *r*

Sive quod ob prædictas vitalitias decursas annualitates 21
non exactas, aliquam notabilem summam conflari contin-
gat, quam non congruit esse ad religiosi liberam dispositio-
nem in particulari; Hinc proindè, quæstio intrat, super ap-
plicatione, cui scilicet Monasterio, vel Conventui, vel qui-
bus usibus id applicandum sit, & an ipse religiosus in hoc
aliquod habeat arbitrium, quod determinationem recipit
ex facti circumstantiis, diversisq; distinctionibus in Regu-
larium rerum particularibus annotationibus recensitis. *s*

Societas autem Jesu, quoddam peculiare Institutum ha- 22
bet, ab aliis Religionibus diversum, quod scilicet ejus a-
lumni, quamvis post legitimum peractum novitiatum eam
emittant professionem, quam alii regulares emittere solent,
cum tribus solitis, ac essentialibus, castitatis, paupertatis,
& obedientiæ votis, adeout, sæculares, vel novitii am-

plius non dicantur; Attamen quoad istam incapacitatem, non dicuntur verè professi, neque aliam contrahunt incapacitatem, de qua *in cap. seq.* nisi post emissum quartum votum, per quod verè, ac propriè professi censentur, cum interim liberum sit Superiori eos dimittere, unde propterea in quodam implicito statu sæculari esse videntur, cum data dimissione, illum per quandam speciem postliminii reassumant, ac propterea etiam pensiones Ecclesiasticas retinent. *t*

23 Super dicto autem jure, quod Religio, vel Monasterium, (juxta Canonistarum opinionem) directè, ac immediatè habet in successionibus, aliisque juribus religioso obventis, quæstio cadit, an illud, quod per ipsum religiosum jam professum impediri non potest, adeout etiam eo expressè recusante, Religio, vel Monasterium, agnoscere valeat, adhuc tamen impediri possit per ejusdem dispositionem factam ante professionem, per translativam, scilicet, vel extinctivam renunciationem, aliamvè dispositionem; Et licèt aliqui negent, quasi quod ista sit dispositio in tempus inhabile collata; Verior tamen, atque in

24 pass i recepta est opinio affirmativa. *u*

Quæstione cadente, an ipsi religioso, qui ante professionem testatus fuerit, seu aliam fecerit dispositionem, eam revocare liceat; Atque verior, magisque recepta videtur negativa, nisi de ambiguæ voluntatis declaratione agatur, quæ sibi permissa est. *x*

25 Contingente autem casu, quod religiosus, vel monialis de una Religione ad aliam, vel respectivè de uno Monasterio ad alterum transferatur; Atque præsupposito valido, ac licito transitu (cum eo illicito existente nulla cadat quæstio,) intrat dubitatio, an bona primæ Religioni, vel Monasterio jam delata, & quæsita, ipsius religiosi personam sequantur, necne? Rotæ verò solet hodie esse ista quæstio, quoniam cum hujusmodi transitus, licitus non detur sine licentia S. Congregationis, quæ superiorum consensum desiderare solet, vel saltem eos audire, ideircò hujusmodi quæstionibus præventivè occurritur expresse desuper providendo occasione concedendi dictam facultatem.

Quatenus verò casus præbeat, ut hæc provisio non adsit; Quamvis non modica desuper dignoscatur opinionum diversitas; Attamen distinctio est quòd; Aut agitur de illis bonis, quæ in eo statu religioso, atque illius occasione quæsita sint independenter à persona propria ubi consideretur tanquam sæcularis; Puta eleemosynis, aliisque elargitionibus piis, vel etiam (pro frequentiori contingentia) ex emolumentis ratione prædicationis, vel cathedræ; Et tunc penes primam Religionem, vel Monasterium remanere debeant, Ubi verò de aliis patrimonialibus, seu aliàs occasione personæ tanquam sæcularis, ista sequantur personam, atque ad aliam Religionem, vel Monasterium transeant. *y*

Illa verò non recuperat Monasterio, vel Religioni jam quæsita, si occasione Episcopatus, vel ex alia causa, quamvis licita, ad sæculum redeat, nisi Apostolica concessio aliter fundet, vel esset egressus ex causa annullationis professionis. *z*

26 Ea verò quæ post egressum acquirantur, vel obveniant, quamvis per illum religionis vinculum non solvatur, adeò ut adhuc religiosus de facto extra claustra, suæque Religionis gremium vivat, non tamen Religioni, vel Monasterio quæruntur, sed ex Apostolica Constitutione Gregorii XIII. acquiruntur Cameræ, quæ in eis succedit. *a*

27 De facultatibus autem superiorum regularium alienandi vel obligandi bona Religionis, vel Monasterii, sive contrahendi debita, in rerum Regularium, sive in alienationis bonorum Ecclesiæ, aut debiti, & crediti sedibus particularibus agitur, cum diversas hæc recipiant distinctiones, non de facili insinuabiles absque nimia digressione. *b*

a *de hoc agitur sub tit. de Regul. disc. 56. & 57.*
b *dict. disc. 56. de Regul. & tit. de donat. disc. 25. & 32.*
c *tit. de dote, disc. 155. & 177. & alibi.*
d *eod. tit. de dote, disc. 11. & 167.*
e *dict. disc. 167* f *eod. disc. 167.*
g *de dote, disc. 144.*
h *de Regul. disc 56. & 57. de donat. disc. 25. & 32. de dote disc. 167. & alibi.*
i *tit. de Regul. disc. 50. tit. de dote, disc. 5. & 167. tit. de jurisd. disc. 45.* l *tit. de testam. disc. 9. & 35.*
m *dict. disc 9. de testam.*
n *in casu de quo apud Bich. disc. 308. & sub tit. de fideic. disc. 64.* o *dicta disc. 308. Bich.*
p *sub tit. de don. disc. 26. & de testam. disc. 56. & 36. & disc. 56. de Regul.* q *dicto disc. 56. de testam.*
r *de fideicom. disc. 7. & 63. cum seqq.*
s *disc. 57. de Regul.* t *tit. de Regul. disc. 63.*
u *tit. de Renunc. disc. 7. & hoc in disc. seq.*
x *tit. de testam. disc. 35.* y *de Regul. disc. 39. & 57.*
z *ibidem.* a *dict. disc. 57. de Regul.*
b *tit. de alien. & contract. disc. 9. & de Regul. disc. 55.*

Ad sessionem 25. de Regular. cap. 3.

S U M M A R I U M.

1 *Statuitur generalis capacitas Religionum in communi possidendi bona duabus exceptis.*
2 *Non debet in Monasteriis recipi major numerus ultra vires.*
3 *De nova erectione Monasteriorum, vel Conventuum.*
4 *Regulares distinguuntur in Monachos, & Mendicantes.*
5 *Quales sint Monachi.*
6 *Et quales sint Mendicantes.*
7 *Canonici Regulares, de qua specie sint.*
8 *Distinguuntur Mendicantes in veros, et privilegiativos.*
9 *De eodem, de quo, n. 7.*
10 *Intrat regula generalis, quod omnis Religio est capax.*
11 *Quid de Theatinis, & Jesuitis, & in specie latius explicatur institutum Societatis Jesu.*
12 *De aliqua relaxatione in hoc Minorum Observantium, & quomodo.*
13 *In quibus incapacitas Capuccinorum, et Observantium intret.*
14 *De decreto, de quo n. 2 quomodo procedat in Monialibus.*
15 *Quid in Monasteriis, vel Conventibus virorum.*
16 *An redditus unius Conventus applicari possint alteri?*
17 *De requisitis novarum fundationum Monasteriorum virorum.*
18 *Et de illis Monialium, etc.*

D I S C. XXXV.

IN hoc decreto plura statuuntur. Primò nempè ad multas ambiguitates, ac scrupulositates removendas omnibus 2
Monasteriis, tam virorum, quàm mulierum, etiam Ordinum Mendicantium, conceditur facultas possidendi bona immobilia, & redditus, quamvis aliàs propriæ Constitutiones prohiberent, exceptis Capuccinis, & Minoribus Observantibus. Secundò ut in eisdem Monasteriis, ita effectis 2
capacibus, non recipiatur monialium, seu religiosorum major numerus, quàm Monasterii redditus substentare valeat. Et tertiò, ut in futurum Monasteria, vel domus regulares non erigantur, nisi cum licentia Episcopi, in cujus diœcesi erectio facienda est; Quare de his distinctè agendo; 3

Quatenus ad primam partem pertinet (ut alibi advertitur) duæ sunt regularium species; Monachorum scilicet, & Mendicantium,

Monachorũ autem nomine veniunt professores Ordinis S. Benedicti, qui primus fuit in Ecclesia Latina, illeque divi- 4
sus est in plures Congregationes, ut præsertim citra montes sunt, Cassinenses, Cistercienses, Cartusiani, Camaldulenses, 5
Olivetani, Vallumbrosani, Silvestrini, & Montis Virginis, aliæque plures adsunt Congregationes ultra montes præsertim in Germania Bruseldensis, & aliæ; Aliæque in Hispania; Ac etiam in plerisq; Germaniæ, Galliæ, & Poloniæ partibus idem antiquus ordo, qui Monachorum nigrorum dicebatur, retinet primævum institutum singularitatis Monasteriorum; Ac etiam Monachi dicuntur professores Ordinis S. Basilii, qui est primus in Ecclesia Græca. *a*

Mendicantes verò, originariè sunt quatuor Religiones, quæ attento saltem tempore Apostolicæ approbationis, ac reductionis ad formam Universitatis, vel Reipublicæ, sunt 6
coætaneæ; Prædicatorum scilicet Sancti Dominici, Minorum S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum; Ex quibus respectivè (prima excepta) aliæ prodierunt Religiones filiales, seu reformatæ per quamdam speciem restitutionis primi rigorosi Instituti; Deindeque plures aliæ exortæ sunt Religiones, vel Congregationes etiam sub nomine clericorum regularium, quæ sub hac specie mendicantium veniunt. *b*

Canonici verò regulares, sub clero sæculari potiùs recenseri solent, seu quemdam tertiam speciem constituunt, adeòut neque Mendicantes dicantur. *c*

Quamvis autem Mendicantium vocabulum, significet il- 7
lam mendicitatem, cum qua, ad differentiam monachorũ, isti

isti ordines fundati fuerunt; Attamen idem nomen retinet,
8 quodammodo in ratione privilegiativa quamvis immutato antiquo statu per indulta Apostolica particularia, deinde verò per hoc decretum conciliare, derelicta mendicitate, adinstar monachorum ex redditibus vivant; Unde propterea stante introductione Religionum reformatarum, veram mendicitatem profitentium, inolevit distinctio, per antiquiores etiam tradita, inter Mendicantes per fictionem, seu privilegium, & illos per veritatem; Ista etenim distinctio antiquiori tempore, ac ante hujus decreti editionem, magis frequens erat, quoniam in eadem Religione diversimodè vivebatur, quod scilicet in una provincia, vel regione, vel in aliquibus respectivè Conventibus vivebatur cum omnimoda mendicitate, in aliis verò secus, quod dissensionem, ac scandalorum occasionem præbebat, quasi quod alii, qui aliquos obtinebant redditus, Institutum violarent, & scandalosè agerent. *d*

Ut itaque hujusmodi, ac aliis inconvenientibus occurreretur, istud prodiit decretum, per quod (exceptis duabus Religionibus reformatis ejusdem Ordinis, Minorum Observantium, scilicet, & Capuccinorum, quæ primævum veræ mendicitatis, ac paupertatis Institutum profitentur)
9 generaliter alii utriusque sexus regulares redditi sunt capaces possidendi bona, & redditus in communi.

Et consequenter, ex vulgari axiomate, quod exceptio firmat regulam generalem in casibus non exceptis, statui
10 potest propositio generica, ut omnis Religio, seu omne Institutum, vel Monasterium respectivè, præfatis duabus Religionibus exceptis, capacitatem habeat, atque sub genere mendicantium per fictionem, vel privilegium veniat.

Et quamvis aliæ habeantur Religiones, quæ veram mendicitatem profitentur, ut præsertim est Religio Clericorum
11 regularium, qui vulgò Theatini nuncupantur, ac etiam est Societatis Jesu, in domibus tamen professis, non autem in Collegiis; Attamen est potiùs quædam mendicitas impropria, in ordine ad non retentionem bonorum stabilium, vel æquipollentium, ut ex eorum fructibus, vel redditibus vivatur, non autem circa illam mendicitatem de facto, quam profitentur Religiones in hoc decreto exceptæ; Siquidem Theatini profitentur quidem arctam paupertatem, adeout, etiam ostiaria mendicitas eis ex Instituto interdicta sit, ut Divinæ providentiæ omninò commissi vivant, sed non prohibentur obtinere legata, & hæreditates, etiam bonorum stabilium, vel æquipollentium, ad effectum vendendi, ut ex pretio vivant, & sic habendi saltem in sorte principali provisionem victus per tempus notabile, quod dictis Religionibus incapacibus est prohibitum; Quinimò etiam ad effectum retinendi, incapacitas est potius voluntaria, juxta Constitutionum declarationem, (me occasionem præbente) factam in quodam Capitulo Generali in vim suarum facultatum. *e*

Quo verò ad Societatem Jesu, ea dupliciter differt ab aliis Religionibus. Primò nempè quoad personas eam profitentes. Et secundò quoad domos, in quibus vivunt, ideòque ad hujusmodi distinctiones est reflectendum, ne aliàs incidatur in æquivoca.

Prima distinctio personarum est, quod post expletum tempus probationis (quod in hac Societate est biennii,) & quo tempore durante, juxta omnium novitiorum statum universalem sæcularium potiùs jure censentur, aliquibus tantùm privilegiis exceptis, pro quibus tanquam personæ Ecclesiasticæ reputantur; Quamvis in hac societate emittantur tria omnibus Regularibus communia vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, unde propterea quoad omnes alios effectus veri religiosi dicuntur; Attamen quia emittendum est quoque ad aliquod tempus cum maturiori consilio, quartum votum, per quod verè, & propriè in hac societate iniri dicitur perfectus, & irrevocabilis contractus reciprocus, hinc inde obligatorius inter Religionem, & professorem, antea verò adesse dicitur contractus, qui ad instar eorum, quæ habemus in materia alienationis bonorum Ecclesiæ obligant privatum contrahentem, non autem ipsam Ecclesiam ante beneplacitum Apostolicum. *f* Quod scilicet non potest quidem ipse religiosus exire à Religione, ac redire ad sæculum pro ejus libito; Benè tamen potest Religio eum ex aliquo motivo, cujus justificatio necessaria non est, eum dimittere, atque sæculo à dictis primis votis absolutum restituere; Hinc proinde quodammodo habetur tanquam adhuc existentes in statu probationis, cum habilitatione retinendi dominium, & possessionem bonorum, ac etiam de novo in hoc statu acquirendi ex testamento, vel ab intestato; Quinimò restituendi beneficia simplicia, & pensiones; Ac etiam retinent facultatem testandi, seu aliàs disponendi de bonis suis, compatibiliter cum voto paupertatis jam emisso, ob usum, & administrationem dependentem à voluntate superioris cujus nutui subjecti in hoc vivunt; Idque nullam continet implicantiam ob authoritatem, seu approbationem Pontificiam, cùm incapacitas professorum tota pendeat à jure humano, seu positivo, ut Papa sine dubio derogat, vel dispensat; Ac propterea in ipsa Societate, sive inter ipsos religiosos, isti potiùs dicuntur scholastici, non autem professi, quorum titulus congruit solùm magis solemniter professis, cum dicto quarto voto. *g*

Postquam verò ista professio secuta est, tunc contrahitur, circa paupertatem, quædam omnimoda incapacitas, per quandam speciem, vel assimilationem illius incapacitatis, quam contrahunt Minores Observantes, vel Capuccini, non quidem circa contrectationem, ac retentionem, & administrationem pecuniarum jure simplicis administrationis, ac precarii usus ad nutum superiorum, cùm id quod prohibitum est, Minoribus, & Capuccinis, non sit prohibitum professis hujus Societatis; Sed ad effectum, ut nil penitus retineant de bonis quæ priùs habebant, minùsque retineant habilitatem illa assequendi ex persona, & jure proprio, sive sit ab intestato, sive ex testamento condito ante professionem, quod posteà per mortem testatoris perfectionem recipiat, quoad dispositiones universales, vel particulares directas, aut ex eodem quoad obliquas, & fideicommissarias successiones; Et in summa, ut in iis quæ sæculum, ac personam concernunt, habeatur omninò pro mortuo tanquam religiosus professus Religionis incapacis etiam in communi; Et per consequens amittantur pensiones, atque vacent beneficia, ac etiam cesset omnis facultas testandi, vel disponendi, cum similibus effectibus ex vero, ac perfecto statu regulari resultantibus. *h*

Non tamen isti professi sunt incapaces obtinendi ex donatione, vel ex testamento, aliave dispositione, bona, hæreditates, & legata, quæ ex pietatis, vel benevolentiæ, aut gratitudinis motivo, stant ipsis jam religiosis professis, atque in hoc statu cõstitutis, ut directè eorum acquiratur Religioni, vel domui professæ in qua vivāt; Cum ea tamen capacitate, quam ipsa domus professa habet, acquirendi scilicet ad effectum vendendi, & erogandi pretiū in quotidianos usus currentes, nō autem perpetuū retinendi ad redditum, ut infra. *i*

Et quamvis aliqui id negent in hæreditatibus, admittant verò in legatis, ac donationibus, aliisque particularibus dispositionibus; Attamen hæc distinctio nullum habere videtur probabile fundamentum, ut in meis rerum regularium annotationibus advertitur.

Quo verò ad alteram distinctionis partem, super capacitate scilicet ipsius Societatis in universum, ejusque domorum respectivè; Quamvis per solam exceptuationem prædictarum duarum Religionum, nempè Capuccinorum, ac Minorum Observantium, Ista societas, absque dubio caderet sub regula generali per illud conciliare decretum constituta in omnibus aliis Religionibus; Attamen illi ejusdem Societatis professores qui in eodem Concilio, cùm tanto catholicæ Religionis, ac Sedis Apostolicæ profectu aderant, ex commissione totius Religionis, ejusque superiorum, huic capacitati renuntiarunt, atque nolle dictæ regulæ generalis beneficio uti declararunt. *m*

Verùm Concilium nullum facit actum acceptationis hujus renunciationis, nilve desuper statuit; Ideòque catenus istius Religionis incapacitas viget, quatenus eam inducant propriæ leges, & constitutiones, necnon Apostolica authoritas earundem legum, & constitutionum approbativa; Adhuc salva remanente illa potestate, quam eidem Religioni in Capitulo, vel in Congregatione generali, tam ipsæ leges, quam eadem Apostolica authoritas tribuunt, id declarandi, vel moderandi, ut temporum, & contingentiarum opportunitas exigeret. *n*

Cùmque illa omnimoda incapacitas, cum vera, ac diurna ostiaria mēdicitate, merèque eleemosynali sustentatione, quam profitentur Minores Observantes, & Capuccini, hujus Religionis Instituto omninò incongrua sit, cùm non possint adeò utrique spirituali, & temporali Reipublicæ proficua sacrarum, aliarumque literarum studia in hoc vitæ genere coli, suumque profectum, ac durationem, tam discendo, quàm alios docendo habere; Hinc proinde, cum summa prudentia, statuta est ejus domorum distinctio, seu diversitas, inter Collegia scilicet, & domos professas, ut illæ incapaces redditunm, ac bonorum retentionis, ac jurium stabilium, vel quæ pro stabilibus habentur, exista

tanquam de Religione verè, & propriè mendicanti, & incapaci etiam in communi; Illa verò capacia sint retentionis bonorum stabilium, aliorumque jurium æquipollentium etiam in redditu, compatibiliter tamen cum statu verè mendicanti ipsius Religionis, per quandam speciem illius capacitatis, quam habent simplices professi trium votorum ut supra, ad usum scilicet, ac administrationem precariam ad nutum superiorum, pro illis usibus, quibus cum incertis eleemosynis, & cum ostiaria quæstuatione, ac vera mendicitate occurri non potest. o

Quemadmodum etenim, etiam in Minoribus Observantibus, & Capuccinis, permittitur respectivè quædam capacitas pro sacristia, & infirmaria, & fabrica Ecclesiæ, vel Conventus, eò quia id respicit illos usus, quibus aliàs occurri non potest ita dicendum est de hoc usu studiorum adeò Ecclesiæ universali, utrique Reipublicæ etiam temporali proficuo.

Omnisque in hoc difficultas cessat, ob obscuras Apostolicas declarationes, vel concessiones, post Constitutionem primævi instituti confirmatoriam, quæ dubitandi ansam plerisque dedit, atque quæstiones desuper excitavit apud eos, qui ante dictas declarationes, vel moderationes, scripserunt. q

In Collegiis etenim non cadit illa dubitandi ratio, quæ cadit in Domibus professis, ut ista circa potestatem acceptandi hæreditates, & legata cum oneribus Missarum, & anniversariorum, (quidquid aliqui dubitent, sed malè, & absque fundamento,) quoniam ista incapacitas in Domibus professis non stat principaliter, ac de per se, sed accessoriè, & consecutivè tanquam consequens necessarium, quòd scilicet, dum istæ Domus sunt incapaces retinendi bona stabilia in redditu, de consequenti deficit subjectum necessarium pro hujusmodi oneribus perpetuis; Ista verò ratio cessat in Collegiis, ideòque nullum suppetit dubitandi fundamentum probabile.

Et quamvis ad sensum Regulæ, aut ad mentem S.P. Fundatoris, sive ex Constitutionibus, hujus Societatis institutum prohibeat acceptationes onerum perpetuarum Missarum, ac anniversariorum: Attamen id procedit circa illas acceptationes correspectivas, quæ fiant in forma contractus præcisi, & obligatorii, do ut facias, ut alibi de hac specie acceptationis particulariter agitur. r Adeòut exindè sequeretur violatio instituti, ut omnia spiritualia munia gratis ab ejusdem Instituti professoribus impendantur; Nil autem prohibere videtur, ut benefactore ejus desiderium, seu voluntatem explicante, quod aliqua suffragia pro ejus anima applicarentur, id sequi non valeat, cum id contineat expressionem ejus, quod inest, dum etiam sine hac expressione, donatario istud gratitudinis onus incumbit. f Omniaque sacrificia, & alia spiritualia officia, quæ in dies fiunt, seclusa conventionali, ac præcisa obligatione, ex debito charitatis, & gratitudinis, benefactoribus potiùs applicari debent, dum etiam in adeò prohibita materia usuraria, damnatum non est, sed potiùs laudabile, ut mutuatarius, mutuatori aliquod gratitudinis officium, impendat, quoties obligatoria pactio non accedat. t Idemque in materia beneficiali, vel simili spirituali, in qua simoniaca labes cadat, cùm totum consistat in pactione. u

Et nihilominus, in Collegiis, in quibus, ut supra, perpetuæ retentionis capacitas viget, nil prohibet, etiam onera obligatoria acceptari, quorum tamen implementum non ab ipsis professoribus, sed à clericis sæcularibus fiat, adeout non sequatur violatio Instituti præstandi gratis illud spirituale munus, cùm tunc in ea parte, executoris, vel debitoris vices, ipsum Collegium gerere dicatur.

Sicut enim nulla dignoscitur prohibitio acceptãdi ex donatione, seu legato, sive ex contractu correspectivo acquirendi bona stabilia gravata annuis censibus, vel canonibus, ac livellis, cum onere illa solvẽdi singulis annis, vel statutis temporibus eorum creditoribus; Ita non videtur quod prohibeat acceptare hæc onera, pro quorum implemento, singulis diebus, vel statutis temporibus congrua eleemosyna aliis clericis sæcularibus, vel regularibus Missas celebrantibus tanquam species solutionis census, vel livelli præstetur, cùm punctus verè consistat in eo, ut ipsorum professorum institutum non violetur, celebrandi scilicet Missas, aliaque divina in forma verè, ac præcisè stipendiaria.

Quatenus verò pertinet ad Domos professas; Ut in rerum regularium sede particulariter advertitur, x omnimoda incapacitas, ac summæ paupertatis, veræque mendicitatis Institutum percutit retentionem perpetuam, vel ad longum tempus, ne ita victus certitudo ex fructibus, vel redditibus sequatur, non autem percutit acquisitionem, ad effectum vendendi, ut pretium exindè redigendum, currentibus, & quotidianis usibus applicetur: Sive de legatis, ac particularibus elargitionibus agatur; Sive etiam de hæreditatibus (quidquid aliqui malè, ac sine probabili fundamento dubitent, atque inter hæreditates, & legata distinguant;) In spiritualibus enim, sive in piis, & Ecclesiasticis dispositionibus, per quas Deo elargiri dicitur, subtilitates, ac distinctiones Juris civilis, inter hæreditates, & legata, sive inter universales, & particulares, vel directas, & obliquas dispositiones non dantur, sed sola veritas naturalis attenditur, y Ideoque nulla subest probabilis differentiæ ratio, cur donationes, & legata præmisso modo acceptari valeant, non autem hæreditates.

Argumentum verò à Minoribus Observantibus, & Capuccinis non intrat; Tum quia istorum incapacitas à Concilio præscripta est ex necessitate; Illa verò hujus Societatis esse videtur potiùs voluntaria ut supra; Tum etiam quia si argumentum procederet, idem in legatis, & donationibus bonorum stabilium, vel æquipollentium, ac in hæreditatibus procedere deberet. z

Id autem in hoc Instituto practicabile nõ est, sed ei omninò congruunt loculi, quos ipse D.N. Jesus Christus ad informandam Ecclesiam habere voluit, ob omnimodam difformitatem institutorum; Illud etenim Minorum, juxta ejus originem in earundem rerum regularium annotationibus insinuatam, anachoreticam, & contemplativam vitam potius redolet. a Ideòque Ecclesiarum, & domorum humilis, ac exiguus status congruit, humileque, ac rudidum est vestitum, modicum sumptum exigens; Ac etiam connaturalis est ille cibus, & potus, quem hortorum ab eis cultorum olera, atque sinarciatum ostiaria quæstuatio fragmentorum tribuant, ut antiqui Anachoritæ in usu habebant.

Comparativè autem, istud institutum, compatibiliter cum paupertatis, ac religiosæ humilitatis observantia, aliquem ampliorem sumptum exigit, vel majori subsidio indiget, quoniam licèt vestitus, comparatione clericorum sæcularium, qui serico, ac pretiosis pannis licitè induuntur, sit rudis, & humilis, adhuc tamen est habitus clericorum, cum veste, palleo, ac pileo, & biretto, ac etiam cum tunica decentibus ultra alias vestes interiores, & calceamenta, ideòque aliquem majorem sumptum in pecunia exigit, neque ex ostiaria quæstuatione comparari valet; Prout etiam, licèt comparatione sæcularium, victus valdè sit moderatus, & parcus, adhuc tamen eum benè regulatum, ac uniformem esse necessitas cogit, cum de viris agatur saltem pro majori parte nobilibus qui sacrarum, aliarumque literarum studiis altissimis dediti sunt, atque vitæ activæ, ad proximorum salutem, & Catholicæ Religionis conservationem, & augmentum vacant, ideòque quodammodo impossibile est, ut diuturnum victum, irregularem, maleque compositum pati, vel sustinere possint, sed necessarii sunt loculi ad congruas provisiones.

Ac etiam quia nil fortè magis Religiones, in sui Instituti, ac disciplinæ regularis observantia conservat, nisi omnium professorum coæqualis, ac sufficiens in victu, & vestitu, aliisque necessariis provisio; Nihilque institutum, ac disciplinam adeò labefactat, quàm inæqualitas, ob quam verificatur Apostoli dictum, quod unus quidem esurit, alius verò ebrius est; Igitur præcisè necessaria est opportuna provisio, quæ non nisi ex legatorum, ac hæreditatum, aliarumque similium notabilium elargitionum pretio sortiri potest.

Potissimè, quia pro ejusdem vitæ activæ meliori exercitio, decentiorique Dei cultu, ac populorum allectione ad spiritualia officia, & exercitia, ad animarum salutem præordinata, magis decorum, sua minus depressum est institutum in Ecclesiis, earumque ornamentis, ac etiam in domibus; ideòque argumentum a Minoribus, & Capuccinis, omninò extraneum est, ac improprium, ob tot rationis diversitates, ac propterea ut supra advertitur, ea quæ etiam in Minoribus conceduntur pro fabrica, vel sacristia, & infirmaria, huic instituto generaliter, etiam pro substentatione congruunt.

Unica itaque dubitandi ratio respectu domum professarum, cadit circa eas dispositiones, quæ Missarum, vel anniversariorum onus annuum habeat, juxta casus particulares in dictis rerum regularium annotationibus recensitos. b In quorum illo, quem adhuc pendere indecisum ibi insinuatũ est, prodiit resolutio pro incapacitate, quòdque propterea Fabricæ facultates intrarent, in ea rata bonorum, quæ oneribus perpetuis respondeat; Verùm in resolutionis obsequium intellectus non de facili captivari potuit; Triplicem enim

ra-

rationem ista incapacitas onerum habere potest. Primò scilicet superiùs insinuatam, quod cum adsit incapacitas retinendi fundos in perpetuum, vel ad longum tempus, de consequenti non est practicabile hoc onus perpetuum ex defectu subjecti. Secundò quia, ut etiam supra advertitur, id instituto adversatur, ut sacrificia Missarum, aliaque divina in forma stipendiaria ministrentur. Et tertiò quod ista paupertatis, ac veræ mendicitatis institutum destrueretur, ut occasione Minorum, circa dispositiones favore sacristiæ alibi advertitur.

Nullum autē ex his subsistere videtur, quoties onus præcisè ipsismet societatis professoribus præcisè injunctum sit, per ipsos, & non per alios explicandum; & cum quo præsupposito fertur in dicta resolutione processum esse, (incertum mihi meo est, ex quo fundamento;) Siquidem quoad primum quemadmodum nil prohibet acquirere bona, censibus, & livellis, aut canonibus, aliisque annuis præstationibus onerata, eaque gravata vendere pro eo minus, ita in præsenti, ut supra insinuatur; Ad secundum responsum est supra occasione Collegiorum; Et ad tertium latiùs respondetur in præfatis rerum regularium particularibus annotationibus ad quod scilicet punctus est in fine, seu effectu, cui prohibitio innixa est, ne hujusmodi onerum emolumenta, in ipsorum professorum sustentationem tendant, unde resultet illa victus, & vestitus certitudo, quæ veræ mendicitati adversatur; Ad hujusmodi verò ambiguitates dirimendas, commendabile crederem, ut in vim ejus facultatum, ipsamet Societas in Capitulo, vel Congregatione generali, ista clariùs declararet, ut de meo consilio fecit altera Religio Clericorum Regularium, qui Theatini nuncupantur.

Ex dictis autem duabus Religionibus ab hoc decreto exemplificati exceptuatis, illa Capucinorum, adhuc rigorosum,
12 primævum retinet institutum; Sed quoniam altera Observantium, aliqualiter cœperat ab eo deviare; Hine propterea in eadem prodiit reformatio super Instituti rigorosa observantia, quæ si non de jure, saltem de facto, quandam diversam Religionem constituere videtur, sub nuncupatione Reformatorum, ad differentiam Observantium, qui nuncupantur de familia. *e* Dum in istis introducta fuerat retentio aliquorum stabilium, ac redditutum; Verùm in Capitulo generali, celebrato de anno 1626 editæ fuerunt Constitutiones Apostolica authoritate confirmatæ, in Bullario etiam insertæ, per quas hujusmodi redditus dimissi fuerunt unde propterea ex eorum aliquibus nonnulla beneficia Ecclesiastica tunc erecta fuerunt, alii verò applicati fuerunt Fabricæ Sancti Petri.

Sed postmodum iidem per Apostolicum decretum habilitati fuerunt ad exigendum eosdem redditus a sponte dantibus tantū, absq; facultate exigendi ab invitis, à quibus eadē Fabrica exigit; Et consequenter saltem de facto aliqua dignosci videtur veræ, ac rigorosæ mendicitatis relaxatio, cū ex primævo Instituto, quod Capuccini, & Observantes reformati profitentur, non solum adsit incapacitas hæreditatum, & legatorum, aliarumque dispositionum ad effectum retinendi, sed etiam ad effectum acquirendi, ut bona vendantur, atque pretium, in victum, & vestitum, aliaque necessaria erogetur, cùm ita cessaret, vel relaxaretur Institutum, quod est vivendi in dies, ex vera, & ostiaria mendicitate, adeò ut nihil proprium possideatur, dum etiam domus, in quibus vivunt, eorumque horti, & officinæ dominio Ecclesiæ universalis, vel Sedis Apostolicę esse dicuntur, ipsę autem Religiones, precarium usum tantùm habent. *f*

Procedit autem ista omnimoda incapacitas super iis, quę ipsorum religiosorum sustentationem concernunt, cui per
13 dictam veram, & ostiariam mendicitatem consultum esse potest, eleemosynaliter vivendo; Non autem in iis, quibus per hanc viam occurri non potest, sed necessarius est usus pecuniarum, etiam in aliqua notabili quantitate; Ut puta pro nova constructione, sive pro refectione, & congruo ornamento Ecclesiarum, & Conventuum, vel bonorum, aliarumq; officinarum; Necnon pro sacra supellectili sacristiæ, vel pro infirmaria, & libraria &c. Quoties tamen sincerè id sequatur, adeout non sit color quæsitus, ut regulæ fraus fiat, quia nempè, sub pallio Sacristiæ, vel Ecclesiæ, emolumenta convertantur in provisiones victualium pro ipsorum religiosorum sustentatione, super qua totus est punctus, ut scilicet, ista ex vera, & ostiaria mendicitate esse debeat, per quam dictis aliis usibus consuli non potest. *g*

14 Altera est hujus decreti pars, ut in Monasteriis, vel Conventibus capacibus in communi non adsit major numerus religiosorum quàm redditus ferant; Super hoc autem, in Monasteriis monialium, generaliter provisum est, cum præfinitione certi numeri, qui consulta Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium, augeri, vel respectivè reduci solet, prout redditunm excrescentia, vel decrescentia suadeat, neque ultra numerum moniales admittuntur, nisi soluta dote duplicata, ut ita supranumerariæ moniales Monasterio onerosæ non sint. *h*

In Monasteriis autem, vel Conventibus virorum, quoties singulari jure reguntur, eo modo quo faciunt Monasteria monialium, juxta praxim aliquarum partium, ultra 15
montes, ut supra. *i* Et tunc idem dicendum venit, ut si non præcisè, saltem moraliter, certus numerus, juxta capacitatem præscribi debeat ad istius decreti formam; Quamvis fortè praxis in oppositum se habeat, quod scilicet adesse solet longè minor numerus, quàm vires exigant, eo quia Abbatiæ illorum Monasteriorum, ad redditum, & locupletationem Abbatum, seu Commendatariorum conferri solent. *l*

Ubi verò, juxta usū inconcussum Italiæ, ac majoris partis Orbis Catholici, & præsertim Religionum Mendicantium ad quarum instar, etiam Religiones Monachales, laudabiliter quoque se regunt, regimen sit per viam Reipublicæ, seu universitatis, tanquam per communionem omnium Monasteriorum, vel Conventuum, constituentium unum corpus, seu unam universitatem, sub Generali, vel respectivè provinciali Rectore. *m* Et tunc certa, & determinata regula desuper cadere non videtur, adeout illud decretum, consilium potiùs redoleat, quoniam singulis annis, vel trienniis, aliisve statutis temporibus, in quibus comitia celebrantur, pro diversis Religionum legibus, vel stylis, varia esse solet assignatio religiosorum, in qualibet domo, juxta temporum contingentias, habita ratione, non solùm redditutum certorum, sed etiam incertorum ex quæstuatione, ubi ea in usu sit, aliisve eleemosynis, ac emolumentis incertis.

Ac etiam quia (ut in rerum regularium annotationibus advertitur) *n* in hujusmodi Religionibus, adeò præcisè ur- 16
gere non videtur illa prohibitio, quæ de jure viget inter singularia, & independentia Monasteria, ut bona, vel redditus unius, alteri non applicentur, cùm quandoque expediat pro bono publico Religionis, in aliquo Conventu, ad tempus, habere majorem numerum religiosorum, ultra solitum, atque ultra vires, subveniendo cum collectis, vel cum alio peculio totius Religionis, vel provinciæ. *o* Atque præsertim ego in praxi vidi in Civitate Salerni in primis annis meorū studiorum, quod cum in quodam Conventu conspicuæ Religionis grave scandalum contigisset, idcircò prudentissimè superiores, ibi introduxerunt noviciatum, atque collocarunt graviores, magisque probatos, & exemplares religiosos, continuo se exercentes in concionibus, aliisque spiritualibus exercitiis, vel piis operibus, cum maxima exemplaritate, adeout ad breve tempus, illa sinistra opinio penitus abolita fuerit, supplendo aliunde pro illis sumptibus, quos Conventus vires ferre non poterant, dum in hujusmodi Religionibus, quæ ita sociativo jure per modum Reipublicæ reguntur cum proficua obedientiaria mutatione religiosorum de loco ad locum, ista communicatio (justa causa accedente,) diffinitorio præsertim generali, vel provinciali, universam Religionem, vel respectivè provinciam in comitiis repræsentanti, prohibita non videatur, quamvis regulariter singulorum Conventuum, domorum redditus, ac vires attendantur, ut moderna praxis docuit in reformatione, ac respectivè suppressione parvorum Conventuum, in quibus ad minus sex religiosi sustentari non possent, facta per Innocentium X.

Tertia hujus decreti pars est, ut nova Monasteria, vel novi Conventus fundari non possint sine consensu Diœcesani;
Istud autem decretum aliquibus occasionem dedit opinādi, 17
quod per illud correcta esset dispositio antiquiorū canonū prohibentium novas fundationes, præsertim Mendicātium, absque beneplacito Apostolico, quasi quod ita solus consensus Ordinarii sufficeret; Contrarium autem verius, magisque receptum est, stantibus præsertim modernis Constitutionibus Apostolicis Gregorii XV. Urbani VIII. & Innocentii X. ut copulativè requiratur cōsensus Apostolicus explicari solitus per organum S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, ac etiam ille Diœcesani, necnon Parochi, & clerici, ac populi, atque etiam pro qualitate locorum, & Religionum respectivè consensus aliorum regularium existentium in eodem loco intra certum cannarum spatiū, juxta singularum regionū diversa privilegia, sive intra ambitum quatuor milliarium respectu mendicantiū per veritatem, neq; licentia Apostolica concedi solet, nisi ad præscriptum dictarum Constitutionum, duodecim ad minus reli-

giosorum numerus substantiari valeat, ut in rerum regularium annotationibus magis distinctè novarum fundationum requisita recensentur P. Magis autem exactè, ac rigorosè per dictam Sac. Congreg. proceditur in novis fundationibus Monasteriorum monialium, ne alias circa vitam communem, ac sufficientem substentationem resultent illa inconvenientia, quæ tolerare oportet in Monasteriis antiquis, absque congrua dote fundatis; ideoque congrua dos, vel provisio rigorosè requiritur,

a *tit. de jurisd. disc. 29. & de Regul. disc. 19.*
b *tit. de regul. disc. 63. & de regul. disc. 57.*
c *tit. de praem. disc. 24. & d. disc. 19. de regular.*
d *de distinctione Mendicantium, d. disc. 57. de regul.*
u *ita disponitur in eorum Constitutionibus, atque in earum moderatis declarationibus ex meo consilio secutis, & insinuatur sub tit. de fideic. disc. 45.*
f *sub tit. de alien. & contract. disc. 1.*
g *de his sub tit. de regul. disc. 62. & 63. & sub tit. de testam. disc. 36. apud Bich. 52. & dec. 101. p. 10 recent.*
h *dicto disc. 63. de regular. & disc. 36. de testam.*
i *eod. disc. 63.* l *eod. disc. 63.* m *eod. disc. 63.*
n *eod. disc. 63. & apud Buratt. dec. 245.*
o *eod. disc. 63. de Regul. latè, & ex professo Fagn. in c. in præsentia, de probat.* p *eod. tit. de regul. disc 35.*
q *dicta decis. 101. p. 10. rec. & dicta dec 245. Buratt. & dicto disc. 63. de regul.* r *eod. de donation. disc. 24.*
s *tit. de Regal. disc. 1.* t *sub tit. de usur. pluries.*
u *tit. de benef. disc. 63* x *dicto tit. de regul. disc. 63.*
y *tit. de fideicomm. disc. 108 & tit. de testam. disc. 13. cum plur. seqq.*
z *De legato particulari in Capuccinis sub tit. de fideic. d. disc. 108.*
a *tit. de regul. disc. 7. & tit. de praem. disc. 21. & alibi.*
b *d. disc 63. de regul.* c *sub dicto tit. de regul. disc. 35.*
d *dicto disc. 63 de regul.*
e *eod. tit. de regular. disc. 1. & in aliis pluries.*
f *dicto disc. 35. de regul.* g *eod. disc. 35. de regul.*
h *sub tit. de dote, disc. 167. ubi de dotibus monialium.*
i *sub tit. de jurisd. disc. 26. & sub tit. de regul. disc. 19.*
l *habetur sub tit. de locat. & conduct. disc. 25. ubi de distinctione mensarum Abbatis Commendatarii, & Monasterii, & alibi.*
m *tit. de regul. disc. 1. cum plurib. seqq. & per tot.*
n *ibidem proximè.*
o *Advertitur præsertim dicto tit. de regul. disc. 32.*
p *eod. tit. de Regular. d. disc. 32.*

Ad Sessionem 25. de Regular. cap. 4. & 5.

S U M M A R I U M.

1 *REligiosi debent servare clausuram, & vivere in claustris.*
2 *Dari solet religiosis licentia vivendi extra claustra.*
3 *Et tunc subjaceat Ordinario.*
4 *Religioso decedenti extra claustra, succedit Camera Apostolica, quod declaratur.*
5 *De restitutione, & conservatione clausuræ monialium commissa Ordinario.*
6 *Quod etiam ad Ordinarium spectet dare licentiam pro accessu ad Monasteria.*
7 *& 8 Assignantur rationes.*
9 *Quare exemptio non suffragetur in concernentibus curam.*
10 *Quod expediat etiam in hoc adhibere brachium sæculare tanquam personæ potentis.*
11 *Unio, seu bona lex utriusque potestatis opportuna est pro bono regimine.*
12 *De jurisdictione Ordinarii cum Religionibus accedentibus ad Monasteria monialium.*
13 *An hæc jurisdictio impediatur per Nuntium Apostolicum Commissarium generalem exemptorum.*
14 *An Magistratus, vel deputati sæculares jus habeant in custodia clausuræ monialium?*
15 *De introductione puellarum in clausuram gratia educationis, vel alia causa.*
16 *De aliis ad materiam clausuræ.*

D I S C. XXXVI.

1 REligiosorum utriusque sexus vita præscribitur sub clausura, ut ita tollantur abusus, qui potius irrepserant, præsertim in religiosis viris, qui more sæcularium, Principum, & Magnatum, vel Prælatorum, aulico servitio mancipati vivebant, seu alias extra claustra morabantur; Id autem hodie raras producit forenses quæstiones, cùm id cujus decreti normam, atque per singularum Religionum Constitutiones, ac provisiones Sac. Congregationis Regularium etiam in viridi, illa clausura quæ eis proportionata est, inconcussè servetur, adeout viventes extra claustra, severe puniantur; rarique sint casus, in quibus ex aliqua urgenti, & justa causa per Sanctissimum, prævia consultatione Sacræ Congregationis, aliquibus religiosis, con- 2
cedatur licentia vivendi extra claustra, habitu retento, vel etiam quandoque in habitu clerici sæcularis, regulari tamen statu firmo remanente; a Ubi vero extra claustra vivant, Episcopo, seu Ordinario loci subjiciuntur, ut in- 3
fra in hac eadem *sessione cap. 14.*

Nec non ex alias insinuata Constitutione 43. Greg. XIII. religioso extra claustra viventi, non succedit Monasterium, vel Religio, ut de jure succedere debet, potius ex ratione 4
occupationis peculii jure proprio, quam jure successorio, sed succedit Camera Apostolica; Quod tamen intelligendum venit in iis bonis, quæ ab eo quæsita sint, seu alias obvenerint, dum extra claustra viveret; Secus autem in iis, quæ priusquam à claustris exiret, Monasterio, vel Religioni jam quæsita erant, cùm factum culposum religiosi non debeat Religioni, vel Monasterio præjudicare, illique jus quæsitum tollere. *b*

Majores autem quæstiones, quæ in illa Sacra Congregatione Concilii, vel in altera Episcoporum, & Regularium, 5
& quandoque etiam in Rota, sive in partibus, coram Legatis, vel Nunciis Apostolicis haberi solent, percutiunt secundum decretum, super restitutione, & conservatione clausuræ monialium in Monasteriis exemptis, quæ sub regularium, vel aliorum inferiorum Prælatorum regimine, ac jurisdictione sint, qualis scilicet jurisdictio delegata competat Diœcesano, seu Ordinario loci, exemptivis privilegiis non obstantibus, circa materialem Monasterii visitationem, quæ Diœcesano competit, ad effectum recognoscendi clausuram, an benè custodita sit, cùm hoc jus hodie sit extra quæstionem, quamvis alter Apostolicus Visitator, vel superior adsit, ut in rerum regularium annotationibus, ac etiam in materiis jurisdictionalibus plenius, magisque distinctè advertitur. *c*

Et magis super custodia continuata clausuræ formalis, pro accessu scilicet sæcularium ad Monasteria monialium, 6
tam pro allocutione cum eis, etiam per crates extra clausuram, quàm etiam pro ingressu in clausuram medicorum, chirurgorum, & artificum, pro illis operibus, quæ necessaria sint, ad quem scilicet in Monasteriis exemptis sub jurisdictione, ac administratione regularium, aut alterius inferioris Prælati pertineat licentias concedere; Atque licèt pro locorum, vel ditionum diversitate, de facto diversa esse soleat praxis, adeout omninò certa regula generalis, quibuscumque Monasteriis, ac Religionibus applicabilis, non de facto statui valeat; Regulariter tamen, ubi diversa consuetudo limitationem non suadeat juxta declarationes Sacræ Congregationis, cum quibus hodie procedi solet, hujusmodi licentiæ concedi debent per Episcopum, seu Ordinarium, cum clausuræ custodia commissa est conjunctim cum Prælato Regulari, si ea consuetudine licentiam solius Ordinarii non sufficiat,

Itaque probabili non caret ratione quoniam accessus ad Monasteria, etiam pro allocutione cum monialibus extra 7
clausuram, concernit ejusdem clausuræ custodiam, dum per hujusmodi frequentes allocutiones contrahuntur illi amores, ex quibus clausuræ violatio resultat, quæ ita per easdem allocutiones præordinatur, idemque habet juris regula, quod concesso fine, concessa censentur illa omnia media, sine quibus ille finis obtineri non potest. *d*

Alia etiam convincenti ratione accedente, quod clausuræ custodia, non consistit solùm in ea jurisdictione, quæ habetur, ac exerceri valeat in ipso Monasterio, ejusque ambitu, sed consistit in reprimendo cum pœnalibus, & rigorosis 8
edictis, populum, & clerum sæcularem, ne ad Monasteria accedant, seu alias cum monialibus correspondentiam habeant cum epistolis familiaribus, vel cum fiduciariis missis, ac nunciis, seu cum muneribus, quoniam frequenter contingit, quod prohibito etiam accessu personæ, non exinde malo occurritur; Ac propterea rationabiliter, ita statutum est, ut etiam in Monasteriis exemptis sub regimine, ac jurisdictione inferioris Prælati, Ordinarius loci, qui habet jurisdictionem territorialem in universum, atque coercere potest clerum, & populum sæcularem, sciat quinam ad Mona-

steria

steria accedant, atque in eis conversentur, etiam extra clausuram, multò verò magis respectu eorum, qui clausuram ingredi debeant. *e*

Unde propterea adaptari videntur ea, quæ pluries insinuata sunt super exemptivorum privilegiorum moderatione prudentissimè ab hoc Sac. Concilio, ac re-
9 centioribus Constitutionibus Apostolicis post ejus publicationem editis præsertim S. Pii V. Gregorii XIII. & Greg. XV. super jurisdictione Ordinario loci delegata etiam in Ecclesiis, & personis regularium, aliorumque exemptorum in concernentibus curam animarum, & administrationem sacramentorum cum clero, & populo sæculari, quoniam jurisdictio in effectu non percutit ipsas Ecclesias, vel personas exemptas de per se consideratas, sed percutit ipsum clerum, & populum Ordinario commissum; Ideoq; istius respectu nimium opportunus, quinimò necessarius est iste saltem cumulativus interventus Ordinarii loci Prælato inferiori. *f*

Quinimò neque iste sufficere solet, quoniam in illis Principatibus, vel ditionibus, in quibus non permittitur
10 Episcopis liber usus gladii temporalis, ac familiæ armatæ cum laicis, eos carcerando, sive in bonis, vel in persona puniendo, ob accessum ad Monasteria monialium, vel ob aliam edictorum contraventionem, unde propterea concedi ut solùm usus gladii spiritualis cum censuris, qui à male morigeratis, atque cum depravata intentione affectantibus amicitiam monialium, non timetur, cùm ipse actus de sui natura præseferat contemptum timoris Dei; Hinc proinde (ut egomet expertus sum) melior medicina esse solet implorare auctoritatem Magistratuum sæcularium, non tanquam Judices competentes, sed tanquam personas potentes, ut cum pœnis personalibus, vel pecuniariis, quæ ob depravatos mores de facto magis timentur, ita cumulativè, atq; ad eumdem finem laici coerceantur; Non ut quidem ipsis aliqua jurisdictio, vel participatio concedenda sit in hoc spirituali regimine Monasteriorum monialium, sed (ut dictum est) tanquam per speciem assistentiæ, ac impartitionis brachii potentis, ut cum pœnis temporalibus coerceantur illi, qui cum spiritualibus coerceri non possunt, ut etiam habemus receptum in materia recursuum juxta *dec.* 38. Achill. *de appell.* cum distinctione, de qua apud Bich. *dec.* 282. *n.* 5. *& sub tit. de judic.* in materia recursuum.

Ideòq; cum in mea patria ob Episcopi prædecessoris nimiùm benignam naturam, quę quamdam ineptię speciem
11 redolere videbatur, aliquam licentiam sibi assumpsissent laici frequentandi Monasteria monialium; Ego electus Vicarius Capitularis, optimam expertus sui hanc medicinam, curando, ut eodem tempore, quo rigorosa edicta publicavi sub comminatione censurarum, per Magistratum sæcularem alia rigorosa edicta cum comminatione pœnarum temporalium publicarentur pro executione, ac observantia *Regiæ Pragm. prima de Monialibus*.

Hinc proinde, tam ista occasione, quàm alias frequenter expertus sum, quod bono subditorum regimini, ac justitiæ administrationi, nimiùm opportuna, & proficua est utriusque potestatis spiritualis, & temporalis bona correspondentia, & unio, quodq; è converso, perniciosus est ille indiscretus zelus, seu illa insulsa zelotypia, cum qua utriusq; fori Magistratus vivere solent; Id etenim subditis, malè vivendi licentiam tribuere solet, magnaque producit inconvenientia, dum iidem subditi, ut malè vivendi licentiam habeant, scissuras, & controversias jurisdictionales excitare student, ut ita, ad æmuli protectionem contra proprium superiorem recursum habeant; Non quod una potestas sibi præjudicare debeat, atque dare alteri, id quod de jure, vel de more regionis non competat, dum ipsummet Evangelium præcipit, ut dari debeat, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, sed ut ita, ex duobus gladiis concordibus, uno alterum juxta opportunitatem confovente, eisque ad unum eumdemq; finem tendentibus Reipublicæ quies, rectaq; justitiæ administratio resultet; Malum verò in eo consistit, quod utramq; potestatem respectivè repræsentantes, ac exercentes, dictum bonum non quærunt, neque curant finem, sed alterum proprium turpis lucri, & extorsionum.

Ex eisdem rationibus, de quibus supra, tam per hoc Sac.
12 Concilium, quàm etiam clarius, ac uberius per Apostolicas Constitutiones, illam præsertim Greg. XV. jurisdictio conceditur Ordinariis locorum coercendi, ac puniendi regulares exemptos accedentes ad Monasteria monialium, etiam gratia simplicis alloquutionis, seu aliàs contravenientes edictis eumdem finem percutientibus; Cùmque ob affectatas glossas, seu interpretationes, quas scriptores Morales propriam causam principaliter agentes, Concilii decretis, & Apostolicis Constitutionibus tradiderunt, controversiæ in dies orirentur, hinc ista Sacra Congregatio Concil. per viam decreti generalis, seu circularis omnem quæstionem in hoc proposito sustulit.

Atque prætendente Nuncio Neapolis, quod Archiepiscopus post editionem hujus decreti, quod ipso instante prodiit, quamvis generaliter ad omnes extensum 13
esset, non potuisset carcerare quemdam regularem ob accessum ad Monasterium monialium, ea ex quòd ipse esset in Regno Generalis commissarius regularium, & exemptorum; Re delata ad hanc eamdem Sac. Congregationem, per istam prodiit resolutio Archiepiscopo favorabilis, eò quia dicta Nuncii potestas non inducit privativam ad Ordinarios locorum in iis casibus, in quibus cum regularibus, ac exemptis ipsi jurisdictionem habeant, cum pariter ipsi Ordinarii sint commissarii, ac delegati Apostolici. *g*

In hoc item proposito clausuræ monialium (ut alibi in meis annotationibus insinuatur) tam ubi de exem- 14
ptis, quàm de non exemptis Monasteriis agatur, quæstiones esse solent inter Ordinarios locorum, & Magistratus sæculares Communitatum, vel alios hoc jus habere prætendentes, ut scilicet Ordinarius ingredi non possit clausuram, sive aliis ingrediendi licentiam concedere, absque illorum participatione, ac interventu; Quoties etenim id non proveniat à lege, quæ in limine fundationis legitimè de consensu Papæ, vel Ordinarii adjecta sit, sive quòd ob immemorabilem bene probatam, illa allegari valeat, veriùs est, ac certiùs per istam, vel per alteram Episcoporum, & Regularium Congregat. declaratum, ut id in ratione auctoritativa, & jurisdictionali contra Ordinarium invitum prætendi non valeat; Benè tamen sit prudens consilium eorumdem Ordinariorum, ut istam consuetudinem, ubi vigeat, servent, imò, ubi non vigeat, introducant, cùm ita magis eorum indemnitati, in casu quo scandala, & inconvenientia resultent, consultum remaneat. *h*

Super aliis autem, quæ in hoc decreto disponuntur, circa egressum monialium à clausura, vel introductionem sæcularium in eamdem, & præsertim puellarum gratia educationis, rarum est in foro agere, 15
cùm posteà per plures provisiones istius, vel alterius Sac. Congregat. Episcoporum, & regularium, aut per Constitutiones Apostolicas, satis provisum sit, dum Ordinariis interdicta fuit in magna parte illa potestas, quam alias ipsi habebant, neque licentia introductionis puellarum, gratia educationis, vel aliarum mulierum alias quam ratione susceptionis habitus, & monachali per eos conceditur, sed id pertinet ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, præterquam ubi urgens necessitas, quæ dilationem non patiatur, quandoque alias suadeat.

Circa verò introductionem puellarum in clausuram, seu aliquem egressum monialium ab ipsa, & super in- 16
cursu censurarum, aliarumque pœnarum, rarum est in foro contentioso agere, cùm potiùs ad professores fori interni de his agere pertineat, ideoque viro forensi parum congrua videntur, Potissimè, quia consueti collectores in his nimium se diffundunt, ideoque apud eos opportunè videri potest.

a *enunciatur casus sub tit. de Regul. disc.* 43.
b *Rot. dec.* 121. *n.* 17. *& seqq. p.* 7. *rec.*
c *sub tit. de jurisd. disc.* 26.
d *eod. tit. de jurisd. disc.* 18. *& eodem tit. in supplemento in Sublacen.*
e *eodem disc.* 18. *de jurisd. & in supplemento.*
f *d. disc* 18. *&* 26. *cum seq. & in supplemento, eod. tit. de jurisd.*
g *tit. de Miscell. Ecclesiast. disc.* 16. *ubi prosequitur, ubi cumque in casu, de quo d. disc.* 16. *S. Cong. Conc declarasset, quod Regulares etiam contravenientes peccarent mortaliter; Aliqui vero morales cum eorum subtilitatibus, ac inanibus argumentis praevenerunt id non subsistere, habita super hoc particulari disputatione in eadem Sac. Congregatione Concilii sub die prima Octobris* 1672. *hæc opinio damnata fuit, ac reputata temeraria.*
h *advertitur eod. tit. de jurisd. disc.* 27.

Ad

Ad sessionem 25. de Regular. c. 6. & 7.

S U M M A R I U M.

1 *DE jure communi, quando electio debeat esse secreta.*
2 *Quod non debet esse talis in electione Prælatorum Regularium.*
3 *Id innovatum est per Concilium quod dat hanc formam præcisam.*
4 *De ratione ob quam in Regularibus ita statutum est.*
5 *Quando in Curia audiantur quæstiones electionum.*
6 *Quomodo istæ quæstiones decidi debeant.*
7 *An jus eligendi acquiri possit per aliquam partem Religionis.*
8 *De electione turnaria inter nationes.*
9 *Electiones invalidæ, quando sanentur, vel confirmentur.*
10 *Eadem forma procedit in electione Abbatissæ, & quomodo.*
11 *In ista electione Abbatissæ, requiruntur duæ partes votorum.*
12 *Quid agendum, ubi vota non concludant.*
13 *Datur praxis, & quid facere debeat superior.*
14 *Superior non potest ingredi clausuram ob electionem.*
15 *An Ordinarius assistat electioni Abbatissæ Monasterii exempti?*
16 *De ætate quam debet habere Abbatissa.*
17 *Electa ante ætatem potest denuo eligi.*
18 *Non virgines, non possunt eligi in Abbatissam.*
19 *Prælatura in Regularibus utriusque sexus est solùm triennalis.*
20 *In aliquibus partibus Abbatissa est perpetua.*
21 *De Monasterio Turris speculorum, ejusque Prælata, & de similibus institutis.*

D I S C. XXXVII.

1 SUper electione Superiorum, seu Prælatorum regularium, per istud decretum inductum id, quod de jure communi dispositum non erat, quoniam ut advertitur pluries occasione deputationis Vicarii capitularis sede vacante, ac etiam occasione provisionis canonicatuum, aliorumque beneficiorum, quorum collatio pertinet ad Capitula, ratione simultaneæ de jure competentis, aut ex privilegio, vel consuetudine, forma electionis per scrutinium secretum in jure communi præscripta, servanda solùm est, quando agitur de electione Episcopi, vel alterius Prælati Ecclesiæ viduatæ, adeout agatur de formali electione ad prælaturam perpetuam in titulum, non autem in aliis actibus. *a*

2 Id autem congruere non videtur hujusmodi electionibus Superiorum regularium tam Generalium, & Provincialium quàm etiam hæc munera localium, cùm pro frequentiori usu, infra certum determinatum tempus durent, atque non infecant dignitatem, quæ imprimat characterem, seu immutet statum personæ, illumque in diverso hierarchico ordine constituat, ut præsertim est Episcopatus, vel Archiepiscopatus, multò verò magis Pontificatus, cum his casibus per electum contrahi dicatur formale sponsalitium, seu matrimonium cum Ecclesia viduata, quod non sequitur in his prælaturis regularibus, quæ non immutato statu personæ, officium potiùs redolent, absque impressione alicujus indelebilis characteris, ac propterea dicta forma, quæ per sacros canones inducta est, in eorum canonum dispositione necessaria non erat. *b*

Hodie verò ex hoc decreto, adeò dicta forma necessaria est, ut eam servare oporteat cum majori rigore, quàm in dictis formalibus prælaturis requiratur, cùm in eis prohi-
3 bitæ non sint aliæ species per acclamationem, vel per inspirationem, seu etiam per compromissum, præterquam in Summi Pontificis electione, in qua modernæ Constitutiones pariter unicam, ac præcisam formam præscripserunt ut *in relatione Curiæ*, *disc.* 3. & tamen per hoc decretum istæ aliæ species sunt prohibitæ.

Rationabiliter autem, summaque cum prudentia per istud conciliare decretum, ita statutum fuit, ad inducen-
4 dam majorem electionis libertatem quæ in aliis speciebus, quamvis a jure probatis, adesse non debet, præsertim in regularibus; Ex ea differentiæ ratione inter ipsos, & alios electores, quoniam isti nullum habent adstantem superiorem, qui expressam, vel interpretativam vim eis inferat, sed omnes, qui in comitiis interveniunt, coæquale jus habent, ut præsertim contingit in Capitulis cathedralium, quibus jus competat eligendi Episcopum, ut docet praxis aliquarum Ecclesiarum Germaniæ, ad quas hodie singulariter hoc jus eligendi, quod antiquitùs erat penè generale, restrictum fuit; c Siquidem, ubi (ex. gr.) agitur de electione superioris provincialis, seu localis adesse solet præsidentia superioris Generalis, vel alterius per eum deputati, cui Præsidentis nomen congruit, cum aliqua superioritate, adeout pro frequentiori contingentia (ut quotidiana praxis docet) quamvis etiam ista forma conciliaris per vota secreta exactè servetur, adhuc tamen quædam species violentiæ adesse videtur, ut eligatur ille, quem Generalis velit, & sic respectivè in electionibus localibus in illis Religionibus, in quibus in usu sit præsidentia ejusdem Generalis, vel Provincialis, seu deputati ab uno eorum.

Et quamvis ista ratio congruere non videatur comitiis generalibus, in quibus nullus inter ipsos regulares de jure adesse videtur superior, sed omnes vocales coæquale jus habent; Adhuc tamen, saltem de facto, idem verificari videtur; Vel ob prioris dignitatis reliquias, quæ remanent in immediato prædecessore Generali, cui Provinciales, aliique deffinitores, ex motivo gratitudinis, tanquam ab eo promoti, publicè contradicere non audent; Vel ratione præsidentiæ Cardinalis Protectoris ordinis, seu alterius præsidentis in majori statu, vel prælatura constituti, ac propterea ista forma est unica, & præcisa, & non sufficiunt aliæ, quamvis alias canonicæ, utpotè per sacros canones reprobatæ.

In electionibus præsertim Provincialium, occasione confirmationis per Generalem concedendæ, nimiùm fre- 5
quentes, penèque quotidianæ audiuntur quæstiones in Curia, adeout absint fortè Curiales, qui cum his negotiis regularium tantùm vivant, tam occasione disputationum, quæ haberi solent coram Generali super electionis confirmatione concedenda, vel deneganda, quàm etiam in S. Congregatione Regularium, quoties determinationi Generalis Partes non acquiescant.

In hac verò materia, certa juris theorica, seu juris regula, cuicumque casui applicabilia, statui non potest, cùm revera sint quæstiones, potiùs facti, ex singulorum casuum circumstantiis pro diversis Constitutionibus Reli- 6
gionum, vel stylis decidendæ, ut in regularium rerum particularibus annotationibus advertitur. *d*

Ibiq; etiam habetur, an ex consuetudine, seu aliàs induci valeat, ut activa electio Generalis, aliorumque superiorum, non ad universam Religionem, vel respectivè provinciam, ut regulariter spectare debet, sed ad aliquam 7
partem, vel ad aliquas provincias pertineat. *e*

Ac etiam circa alternatam, seu turnariam electionem passivam, inter provincias, vel nationes, aut alia perso- 8
narum genera, quoniam licèt de jure communi id cautum non sit, attamen in plerisque Religionibus, non damnabiliter, introductum est, ut ita quædam æqualitas servetur inter omnes provincias, vel nationes; Nulla tamen desuper certa regula statui potest, cùm ex singularum Religionum legibus, vel stylis totum pendeat. *f*

Quia verò electionum nullitates, non ex machinatione, seu malitia oriri solet, quia nempè ex quadam religiosa sim- 9
plicitate, non callendo juris apices, aliquæ nō servent formæ de jure servandæ; Electio autem, tà ratione personæ electæ emeritæ, quam etiam ratione sinceritatis actus, commēdabilis potiùs censenda sit; Hinc proinde S. Congr. inhærendo Sedis Apostolicæ, antiquo, ac moderno continuato stylo, confirmādi electiones, quamvis de stricto jure invalidas, per viam sanationis, aut per viam novæ deputationis ex integro ejusdem personæ electæ, idem facere solet; Quod etiam aliquarum Religionum Generales, qui hanc habeant facultatem, quandoque practicant, cum hujusmodi controversiarum species cum prudentialibus regulis potiùs, quam per rigorosos juris apices, decidi soleant, ac debeant. *g*

Eadem forma ab hoc decreto inducta, electionis per voca secreta, utriusque sexus regularibus communis est, ideoque procedit etiam in electionibus, quæ de Abbatissa, seu Priorissa, aliavè Prælata in Monasteriis monialium fiunt; 10
Cum duplici tamen differentia; Primò nempè, quod in illis non est de facili practicabilis forma scrutinii per schedulas, ut practicatur in viris, ratione illiteraturæ, quæ in monialibus ut plurimùm viget, unde propterea vota singulariter, ac secretò proferuntur coram Episcopo, vel altero Prælato, qui ea recipere solet.

Et secundò quod in viris, quando leges particulares Religionis aliter non disponant, innovata non est dispositio 11
juris communis, ut major pars concludi dicatur ab excessu me-

medietatis vocum, habita ratione, seu computatione omnium votorum, quæ de jure legitima sint, & computari debeant, quamvis excessus esset in modico, unius, vel etiam dimidii voti, juxta terminos generales juris; Secus autem est in electionibus faciendis per moniales, in quibus per provisiones Concilio posteriores statutum est, ut duæ ex tribus partibus necessariæ sint ad electionem concludendam. *h*

Ubi verò ita electio concludi non valeat, tunc per decreta Sacræ Congregationis injungitur Ordinario, vel alteri
12 Prælato, ad quem pertinet, ut pluries scrutinia repetere curet, præviis illis monitionibus, ac diligentiis, quæ citrà violationem libertatis adhiberi possunt, atque ubi non concordent, ipse Abbatissam deputet; *i* Ut ego practicavi in ipsomet initio, quo electus fui Vicarius capitularis in patria, quod cùm fieri deberet electio Abbatissæ in Monasterio in quo tres habebam germanas sorores moniales inter se
13 divisas, cùm duæ uni, & una alteri adhærerent, adeoque vota scissa essent, atque exactæ diligentiæ cum reiteratione quatuor, vel quinque scrutiniorum, omninò inutiles essent, adeout neque unum votum alterari potuerit; Ego deputavi in Abbatissam eam, quam reverà major pars eligebat, adeòut ad limites juris communis illa verè electa esset; Atque ita videtur, quod Prælatus se gerere debeat in isto casu omisso servando dispositionem juris, ac deputando illam personam, quam constet à majori parte volitam esse, non autem pro ejus libito, quoniam quamvis licitum sit, non tamen est honestum.

Non potest autem Episcopus, vel alter superior, ob istam electionem faciendam, ingredi clausuram, ibique
14 cum monialibus ratione scrutinii conversari, sed id faciendum est ex parte Ecclesiæ per fenestrellam communioni destinatam, per quam id congruè explicari potest, atque bene, nimiumque laudabiliter se geret, si confessarium, aliosque probatos viros secum assistentes habeat.

Ubi autem agatur de Monasteriis monialium exemptis?
15 Ex modernis Constitutionibus Apostolicis potest Episcopus, ubi velit, cum proprio Prælato regulari intervenire, ac assistere, non tamen jus confirmandi prætendere potest, si alteri aliàs competat.

Quo verò ad Abbatissæ passivam electionem; In secundo
16 ex his decretis dicitur, ut in moniali provecta cadere debeat, quæ annum quadragesimum excedat, atque saltem per octos annos professa sit, quatenus in Monasterio adsint plures moniales hujusmodi qualitatem habentes, in quibus libertas electionis practicari valeat; Sin minus, eligi valeat altera junior, quæ saltem trigesimum annum excedat, atque per quinquennium professa sit; Ideoque in facti contingentia hæc Sacra Congregatio invalidam declaravit electionem factam de Abbatissa, quæ dictam ætatem annorum 40. non expleverat ob existentiam plurium monialium, in quibus hoc decretum practicari poterat. *l*

Cùm autem, Sac. Congregatione demandante, ut ad electionem denuò deveniretur, atque hoc intermedio tem-
17 pore monialis electa, necessariam ætatem complevisset, eaque denuò pro majori parte electa fuisset, dubitandum fuerit, an hæc electio substineretur in eadem persona, dum præcedens cassata fuerat; Et pro validitate responsum fuit, fundatè quidem, quoniam conclusio, ut ille cujus electio cassata est, denuò eligi non debeat, de jure procedit, quando cassatio provenerit ex vitio personæ, vel ex alia nullitate culposa ex parte electi; Secùs autem, ubi ob istud, vel simile impedimentum naturale, quod culpam, vel demeritum personale non præseferat, quoniam eo cessato non prohibetur denuò eligi.

Atque ubi agatur de Monasterio, quod pro regulari ejus
18 statu virgines tantum admittat, jure tamen speciali, vidua, seu aliàs corrupta, admissa fuerit, ut quandoque per Sac. Congregationem concedi solet, cum obligatione tamen solvendi dotem duplicatam, & quandoque plus, vel etiam minus pro facti, vel causæ qualitate, ista tamen prohibetur eligi in Abbatissam. *m*

Prout per Apostolicas Constitutiones, post istud decretum editas, cautum est, ut hoc officium, ad instar regula-
19 rium virorum, temporale ad triennium tantum esse debeat, neque istud tempus prorogari possit per viam confirmationis, vel novæ immediatæ electionis, cùm saltem pro primo triennio vacare debeat, quamvis omnium monialium accedat assensus; *n* Benè verùm, quod ubi moniales id desiderent, atque Episcopus Sacr. Congregationi Episcoporum, & Regularium referat, quod ita Monasterii bona regimini expediat, de facili solet hæc Sac. Congregatio, in hoc dispensare, seu Episcopo pro ejus arbitrio dispensandi facultatem concedere. *o*

Si verò ex particulari consuetudine, adhuc continuata, vel ex lege adjecta in limine fundationis, à superioribus approbata, Abbatissa sit ad vitam, ista Sacra Congregatio in 20
eodem casu, in quo superius insinuata quæstio ætatis habita fuit, validam hujusmodi electionem censuit; *p* Quod tamen in aliquibus Monasteriis ultra montes practicatur; Secus autem citra, cùm fortè in Italia nullus detur casus, in quo post dictam Apostolicam Constitutionem, Abbatissa, seu Prælata, aut alio quocumque nomine nuncupata sit perpetua.

Quamvis enim in Urbe hanc perpetuitatem praxis quoque doceat in celebri Monasterio Turris speculorum, quod Superiorissa, cui Præsidentis nomen tribuitur, perpetua 21
sit; Attamen istud Monasterium, vel alia similis instituti, sub his, vel similibus decretis, seu constitutionibus regulariter istæ non continentur, quoniam in effectu non sunt moniales, quæ formalem professionem irretractabilē emittant, & per quam spirituale matrimonium contrahi dicatur, sed sunt potiùs personæ sæculares, sive oblatæ, quæ tanquam in conservatorio collegialiter sub pio, vel ecclesiastico instituto vivunt, clausuræ non subjectæ, quàm institutum strictissimum sit, (& quidem magnę exemplaritatis;) Unde proptereà ad sæculum pro libito redire valent, atque interim sunt capaces retinendi proprium, ac testandi, seu alias disponendi, ut pluries alibi advertitur. *q*

a *sub tit. de Canon. & Cap. disc. 26. cum seqq. & alibi.*
b *in ibidem allegatis, & supra.*
c *eod. tit. de Canon. & Cap. disc. 27. & 28. & seq.*
d *tit. de Regular. disc. 2. cum plur. seqq.*
e *eod. tit. disc. 2.* f *eod. tit. disc. 3. 4. 6. & 10.*
g *eod. tit. de Regul. disc. 1. & 23.*
h *plures declarationes S. Congregationis referunt Barbos. & alii Collectores, vel practicantes.*
i *proxime supra.* l *in casu illius Monasterii, de quo agitur sub tit. de Regul. disc. 24.*
m *apud eosdem Collectores habentur relata resolutiones.*
n *apud eosdem, atque docet inconcussa praxis.*
o *docet praxis quotidiana Sacra Congregationis Episcoporum & Regularium.*
p *in eodem casu, de quo d. disc. 24. de Regular.*
q *sub tit. de doto, disc. 5. & 167. & sub tit. de Regul. disc. 50. & alibi.*

Ad sessionem 25. de Regular. cap. 13.

S U M M A R I U M.

1 *Quæstiones præcedentiæ quomodo decidi debeant.*
2 *Regulares exempti tenentur accedere ad processiones publicas.*
3 *De ratione, ob quam hæc potestas Ordinario tribuitur.*
4 *De Constitutione Greg. XIII. in hac materia.*
5 *Per dictam Constitutionem præservatur consuetudo.*
6 *Quando in eadem Civitate adsunt plures conventus ejusdem Religionis, attenditur antiquitas primi.*
7 *Quid ubi religiosi conventuum recentiorum procedunt soli sine illis Conventus antiquioris.*
8 *Quando attendatur antiquitas receptionis in loco.*
9 *De materia præcedentiæ remissivè.*

D I S C. XXXVIII.

PRæcedentiæ quæstiones, quæ inter regulares in publicis 1
processionibus, aliisque ecclesiasticis functionibus, antiquiori tempore frequentius, quam hodierno usu, praxis docebat, decernit Sancta Synodus, ut per Episcopum, summariè decidi debeant, ex authoritate ab eodem Concilio delegata, per quam, privilegia exemptiva non suffragentur; Et meritò quidem, quoniam, cum eadem privilegia, ex alio conciliari decreto, atque ex multis declarationibus hujus S. Congregationis, vel alterius Regularium, quæ apud consuetos Collectores habentur, non suffragentur quoad 2
obligationem accedendi ad publicas processiones, ad quas ab ipso Ordinario, etiam cum pœnis, & mulctis cogi possunt, unde propterea in hac parte sunt ejus subditi. *a* Hinc de consequenti, congruum est, ut idem sit decisor controversiarum, quæ earumdem processionum occasione oriuntur; Ac etiam quia expedit, ut promptè ad occurrendum scandalis, quæ desuper oriri solent, provideatur; Multò verò magis hęc eadem potestas attributa est cum clericis sæcula-

cula-

cularibus, ac etiam cum confraternitatibus laicorum, quibus omnibus eadem incumbit necessitas ad processiones accedendi, illis exceptis, quibus specialis exemptio ab Apostolica sede concessa sit, quarum plures recensent Collectores super hoc eodem decreto. *b*

4 Cùm autem hæc provisio sufficiens non esset ad hujusmodi controversias, vel componendas, stantibus privilegiis, quibus aliquæ Religiones potiri prætendebant; Hinc proindè prodiit Constitutio Greg. XIII. quæ prudenter statuit, ut sola ratio antianitatis in loco haberi debeat, idest ut illi religiosi præcedant, qui prius recepti sunt, atque Monasterium, vel Conventum ibi fundarunt; Nisi de illis religiosis agatur, qui ex humilitatis motivo, infimum locum semper occupare profiteantur, omnibusque aliis cedere, quamvis in loco recentioribus, ut sunt præsertim Capuccini.

5 Per eamdem tamen Constitutionem reservatur localis consuetudo, quæ in ista præcedentiæ, omniumque aliarum præeminentiarum materia, potissimùm attendenda est. *c*

6 Ubi verò contingat, quod ejusdem Religionis plures Conventus in eodem loco diversis temporibus fundati sint; Tunc in processionibus generalibus, in quibus omnes interveniunt, cessat quæstionis occasio, quoniam omnes ejusdem instituti incedunt uniti sub unica cruce conventus antiquioris, illum repræsentantes, & consequenter præcedunt religiosos aliorum conventuum, qui intermedio tempore fundati fuerunt, cùm recentior conventus nullam in ea functione figuram faciat.

7 Controversiæ autem exuriri consueverunt, quando in funeribus, vel privatis processionibus invitantur solùm religiosi conventus recentioris sub propria cruce incedentes absque mixtura conventus antiquioris, an scilicet locum propriæ fundationis occupare debeant, vel retinere eumdem, quem in processionibus publicis occupant; Atq; juxta hanc secundam partem pluries per Sac. Congregationem Rituum, cujus istæ quæstiones sunt peculiares, decisum fuit; Et meritò quidem, quoniam dedecet, ut iidem religiosi modò unum, & modò alterum locum occupare certantur, cùm populus ad hujusmodi distinctiones non de facili reflectat, ut in meis annotationibus præeminentialibus advertitur. *d*

8 Iste autem ordo, qui ex antiquitate receptionis in loco regulatur, neglectis privilegiis generalibus, quoties ea consuetudinis confirmatione munita non sint, attenditur inter illos regulares, qui ejusdem hierarchiæ censentur, atque sub clero regulari incedunt; Secùs autem ubi de illis agatur, qui licèt regulare institutum profiteantur, attamen de ordine hierarchico clericorum sæcularium potiùs censentur, ut sunt Canonici regulares Lateranenses, qui cum rochetto discooperto, & biretto incedunt, adeo ut excepto colore vestis inferioris, à reliquis clericis sæcularibus non distinguantur; Secus autem, ubi de iis Canonicis regularibus agatur, qui cum scapulari, & cappa, ita cooperti incedunt, ut Monachi, seu de ordine hierarchico regulari potius censeantur. *e*

9 De plerisque autem aliis concernentibus hanc materiam præcedentiæ inter regulares, vel etiam inter sæculares, habetur in eisdem annotationibus præeminentiarum, vel in aliis rerum regularium. *f*

a *Barbos. de Episc. alleg. 105. tit. de Regul. disc. 19. & sæpius.* b. *Barbos. & alii.*
c *tit. de praemin. disc. 25. & de Regul. disc. 19.*
d *d. disc. 25. de praem.* e *eod. tit. de praem. disc. 24.*
f *d. disc. 24. & 25. de praem. & disc. 19. de Regul.*

Ad eamdem sess. 25. de Regular. cap. 15. & 17.

S U M M A R I U M.

1 *Professio fieri non potest ante annum 16. expletum.*
2 *Quæ ætas sufficiat de jure communi ad professionem.*
3 *Etiamsi dies deficiat ad dict. ætatem professio est nulla, nisi adsit Apostolica dispensatio, & quando hæc attendatur.*
4 *De jure, an annus novitiatus sufficeret discontinuus, sed ex Concilio debet esse continuus.*
5 *An, & quando egressus a novitiatu illum corrumpat.*
6 *Potest quis etiam ultra annum esse novitius, & in qua ætate possit suscipi habitus.*
7 *Si statuta Religionis statuant ætatem majorem, quam præfinitam à Concilio, an causet nullitatem.*
8 *Eadem forma novitiatus requiritur, ubi Religiosus transferatur de una Religione ad alteram.*
9 *An ista forma requiratur in Religionibus militaribus?*
10 *An professores militarium sint personæ ecclesiasticæ?*

D I S C. XXXIX.

Disponitur in hoc decreto, ut Regulares utriusque sexus sub decreto annullativo, ad professionem admitti nô debeant ante expletum annum decimum sextum, atque non peracto integro anno probationis, seu novitiatus. 1

Dupliciter itaque juris communis dispositio per hoc decretum alteratur; Primò nempe circa ætatem, quoniam illa in jure taxata non reperitur, ad hoc, ut in Religione solemnis professio emitti valeat, magisque communis DD. sensus est, juxta regulas generales, ut sufficiat illa ætas, quæ sufficit pro quocumque contractu, vel dispositione, seu obligatione apud Deum, & præsertim pro matrimonio, unde propterea exemplificatur in pubertate, quæ adesse dicitur in anno decimo quarto. 2

Quinimò, neq; hic præcisè, ac taxativè necessarius est, cùm ista præfinitio ex frequentiori contingentia, juxtà ordinem naturæ, pro quadam regula generali facta sit à lege civili in testamentis, aliisque actibus; Ista verò lex apud Deum, ac in spiritualibus non attenditur, cùm in his attendenda veniat veritas naturalis, ideoque si malitia supplente ætatem, ante dictum tempus adsit illa perfectio, quæ regulariter per dictam ætatem sequi solet, ista veritas attenditur, & è converso si post eam completam adhuc duret illa imperfectio judicii, quam lex civilis in ætate pupillari præsumit, potiùs veritas, quam fictio, vel præsumptio attendi debet. *a*

Verùm quia dicta ætas, adhuc tenera, & seductionibus subjecta visa est, ac etiam veritas opinionum inconvenientia producebat; Hinc prudenter ista major ætas præfinita est, cum decreto annullativo; Ideoq; etiamsi dies deficeret ad complementum dictæ ætatis, professio invalida est, Nisi Apostolica dispensatio accedat, quæ ab ipso profitente, vel eo de tempore professionis sciente, ac ratihabente obtenta sit, ut in regularium rerum annotationibus advertitur. *b* 3

Altera est dispositio circa continuationem integri anni novitiatus requisitam pro forma, quoniam de jure quæstio erat, cùm non modica opinionum scissura, an daretur conjunctio temporum interpolatorum, ad constituendum probationis annum, ut in eisdem rerum regularium annotationibus latiùs advertitur, ideoque Concilium ad tollendas hujusmodi quæstiones, desuper cum optimo consilio providit, ut ita continuatè, ac in omnibus anni temporibus novitius Religionis asperitates probet. *c* 4

Adhuc tamen remanent quæstiones, an, & quando egressus à novitiatu, vel desertio habitus, ipso anno probationis, adhuc durante, vel etiam eo expleto novitiatum corrumpat, adeout illum ex integro repetere oporteat, idque varias habet distinctiones in eisdem rerum regularium notis recensitas, ubi videndum est, ne eadem inutiliter repetantur. *d* 5

Quamvis autem pro frequentiori usu, juxtà ejusdem decreti conciliaris monitum, expleto anno probationis, novitius, vel novitia ad professionem admittatur, vel dimittatur; Non tamen id præcisè, ac de forma necessarium est, quoniam habitus religiosus etiam antea suscipi potest, dummodò, juxtà ejusdem Concilii decretum, puellæ ante annum duodecimum ad illum non admittantur; Et consequenter etiam in Religionibus claustralibus non implicat, ut persistatur in statu novitii, etiam per duos, aut plures annos, quamvis bonus ordo, juxtà Religionum varia instituta, id non de facili exigat, vel fiat, non sit circumstantia annullativa. *e* 6

In plerisq; Religionibus, ex earum statutis, major præfinita ætas ad professionem, ut præsertim ob nimiam instituti austeritatem, cautum est in Religione Minimorum, quod scilicet præfinita est ætas annorum 18. Ut etiam ex diversa ratione cautum est in Religione Hierosolymitana; Istud autem est consilium, non autem præceptum annullativum; Sive est præceptum obligatorium Superiorum, nè alias ad professionem admittant, quodque alias tanquam contraventores puniri valeant, sed si servata forma per Concilium præfinita circa novitiatum, ac ætatem, professio emittatur, illa valida erit. *f* 7

Eadem forma, præsertim circa novitiatum, servanda est, in iis utriusque sexus, qui jam validè, ac solemniter professi in una Religione, vel in uno Monasterio, ad aliam Religionem, 8

vel

vel ad aliud Monasterium transitum faciant; Quinimò etiamsi attenta origine, eadem sit Religio, quæ posteà ratione reformationis divisa sit, unde propterea de facto sint duo diversa Instituta, idem procedit; Benè verum, quod isto casu per sacram Congregationem Regularium dispensari solet tempori, ut scilicet aliquorum mensium, vel dierum noviriatus sufficiat, pro facti qualitate. g

9 In Religionibus militaribus quæstio est, an ista forma noviriatus continui requiratur? Recepta verò est affirmativa in illis Religionibus militaribus, quæ sint veræ Religiones, cum formali emissione trium votorum substantialium, adeout imprimatur verus status regularis, cum effectibus exindè resultantibus incapacitatis possidendi in particulari, ac omnimodæ mortis civilis ad effectus mundanos, ut est militaris Religio S. Joannis Hierosolymitani, vel alia similis, si quæ adest; Secus autem, ubi agatur de illis militiis quæ profitentur quidem pium, ac laudabile institutum à Sede Apostolica probatum, non tamen formalem statum regularem imprimunt; Ut (ex. gr.) sunt in Italia militares Religiones SS. Mauritii, & Lazari, & S. Stephani, & in Hispania sunt S. Jacobi de Spata, de Calatrava, & de Alcantara, Et pleræque similes in aliis regionibus, cùm verum sit, ut personæ hujusmodi

10 regulam profitentes non sint veri religiosi. h Sub quæstione autem est, an sint personæ ecclesiasticæ, ad effectum exemptionis à foro, vel ab oneribus laicalibus, ex iis, quæ in jurisdictionalibus notis, ac alibi advertuntur. i

a agitur sub tit. de Regul. disc. 41. b eod. disc. 41.
c eod. tit. de Regul. disc. 46. d eod. disc. 46. et in aliis eod. tit.
e eod. tit. de Regul. d. disc. 41. et 45.
f d. disc. 45. et 46. de Regul.
g eod. tit. de Regul. disc. 37. et seqq.
h tit. de jurisd. disc. 92 de jurep. disc. 20. et tit. de Regular. disc. 50. i ibid. et de Regalib. disc. 84.

Ad eamdem sess. 25. de Regular. cap. 16.

S U M M A R I U M.

5 *QUando renunciationes fieri possint.*
3 *A novitiis nihil recipi potest.*
3 *Quomodo intelligatur lapsus duorum mensium.*
1 *In qua ætate suscipi possit habitus.*
4 *De inconvenientibus circa renunciationes, etiam servata ista forma.*
6 *Servata ista forma, non requiruntur aliæ solemnitates.*
7 *An servari debeat hæc forma, ubi renunciatio fiat ante ingressum.*
8 *Quod non prosit ratio resolutionis in casu egressus.*
9 *Forma debet servari, ad favorem cujuscumque renunciatio fiat.*
10 *De casu mixto, quod quis sit ingressus Monasterium, sed non susceperit habitum.*
11 *De resolutione renunciationis, cessante causa.*
12 *De eodem, et de alia resolutione.*
13 *Quid Monasterio præstari possit.*
14 *Quando in hoc intret simonia.*
15 *An hæc forma servari debeat in contractu correspectivo et oneroso.*

D I S C. XL.

1 DE renunciationibus faciendis per eos, qui in Monasterio, vel in Religione profiteri volunt, in hoc decreto agitur, Ut scilicet, sub annullatione actus, renunciationes fieri non valeant, cujuscumque favore, etiam piæ causæ, vel cum juramento, nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii generalis, intra duos menses proximos ante professionem,

2 & non alias; Decernendo etiam, ut ante professionem, excepto victu, & vestitu, nihil à Monasterio, vel à Religione, de novitii bonis obtineri valeat, quandoq; novitio propositum mutante, atque exeunte à Religione, omnia integrè restituantur; Ita præsertim cavendo, nè novitii bonis cum hujusmodi renunciationibus, aliisve elargitionibus spoliati, inviti, cogantur professionem emittere, atque in statu religioso perseverare, nè alias in sæculo mendicitatem pati cogantur.

3 Super prædicti autem temporis duorum mensium præfinitione, antiquiori tempore, inter Scribentes certatum fuit, an scilicet istud spatium pernecessè intercedere debeat inter renunciationem, & professionem? Atq; affirmativam aliqui malè tenent; Veriùs autem, atque in praxi omninò receptum est, ut etiam expleto integro probationis anno, ipsa præambula professionis die, vel hora, id fieri valeat, cum dictus terminus ita præfinitus fuerit, ut non antea quam post decimum mensem novitiatus, renunciatio fiat, quasi quòd ita, perseverante novitio per tantum tempus in eo proposito, sufficiens resultet argumentum ejus vocationis, ac liberæ voluntatis, non tamen prohibitum est fieri postea, quoniam, quo serius, eo melius; Potissimè verò, quia (ut *disc. prec.* advertitur) quamvis hodie ad profitendum completa ætas annorum sexdecim præfinita sit, non tamen præfinita est illa suscipiendi habitum, & ingrediendi novitiatum, cùm in puellis tantùm provisum sit, nè ad habitum monasticum ante annum duodecimum admittantur; 4
Unde propterea non implicet, ut quis in statu novitii persistat duobus, ac tribus annis, imò pluribus, donec legitima ætas perficiatur, cùm annus integer, & continuus præfinitus fuerit, nè sufficiat spatium minoris temporis, sed prohibitum non est majus; Licet enim ejusdem sacri Concilii sensus videatur, ut expleto novitiatus anno, novitius, vel admittatur ad professionem, vel dimittatur; Attamen id consilium potiùs quam præceptum annullativum actus redolet, ut *disc. preced.*

Atque hinc aliquando sequi solet, (ut in praxi expertus sum) quòd suscipientes habitum in tenera, & puerili ætate annorum 13. vel 14. post expletos decem menses novitiatus, adhuc ignorantes quid agant, hujusmodi renunciationes faciant, favore conjunctorum, vel aliorum, qui alienorum bonorum captatores, pueros ita malis artibus cogunt, vel alliciunt, ut aliquem habitum religiosum suscipiant; Ac propterea (ut dictum est) quo magis in ætate provectiori tardiùs imminente professione hic actus fiat, eo melior censendus erit. a 5

Quando ista forma, vel solemnitas adhibeatur, tam circa lapsum temporis, quam circa licentiam Episcopi, vel alicuius ad id deputati (quæ certam præcisam formam non habet, sed per quamcumque speciem probationis justificari potest;) Tunc receptum est, ut desiderandæ non veniant aliæ solemnitates, quæ per jus commune, vel municipale generaliter in contractibus mulierum, vel minorum desiderantur, cùm ista sufficiat. 6

Quæstio autem est ubi renunciatio, vel alia dispositio per contractum fiat, adhuc habitu non suscepto, sed in statu sæculari, contemplatione tamen imminentis, ac futuri ingressus; Tunc etenim, licet non desint contradicentes; Receptum est, ut ista forma, vel solemnitas conciliaris non requiratur; Probabilior tamen pro meo sensu videtur opinio quam plerique DD. quoque habent, ac etiam aliquando Rota tenuit, ut aliæ solemnitates juris communis, vel statutariæ adhiberi debeant, nè ita utraque forma actus careat; Et quamvis Alii (cum quorum sensu hodie procedi videtur) contrarium teneant, ea ratione ducti, quod sacri Canones, ipsæque leges civiles, volentibus ingredi religionem, disponendi libertatem præbeant; Attamen hæc opinio non placet quoniam absonum atque contra Concilii mentem videtur, ut hujusmodi actus absque aliqua solemnitate fiat, cum ita nimium de facili eadem lex conciliaris eludi valeat; Si quidem adhibere unam, vel alteram formam, non percutit impedimentum libertatis, neq; disponendi potestatem restringit, sed ad majorem libertatem, ac sinceritatem tendit, ut ita adolescens, calliditatibus, ac seductionibus, vel violentiis, minus subjaceat; Ideoque nulla subesse videtur congrua ratio, quæ hanc opinionem probabilem reddat. 7

Et quamvis Aliqui aliam assignent rationem, quòd ingressuro non ingrediente Religionem, actus resolvatur tanquam a cessante causa, & consequenter non remaneat præjudicialis, unde propterea cesset necessitas solemnitatum, quæ in testamentis, aliisq; dispositionibus per ultimam voluntatem non requiruntur: Non tamen est ratio congrua; quoniam etiam postquam, elapso decimo mense novitiatus renunciatio, juxta istam formam conciliarem facta est, adhuc in casu egressus, vel non factæ professionis, intrat eadem resolutio; Et consequenter si ista ratio esset sufficiens, fatua censenda esset hæc provisio conciliaris, quod admittendum non est; Sed potiùs dicendum, quod prudenter a Concil. cogitatum fuit (experientia forsan illos Patres edocente) quod adolescentes, istas non callent subtilitates, sed eo ipso quod bonis renunciarunt, se illis spoliatos reputant, ideoque intrat ratio, quæ Concilium movit ad ita statuendum; Neque probabilis differentia dignosci videtur cur ille, qui habitum religiosum suscepit, prohibitus esse debeat renunciare ante completum decimum mensem novitiatus, quodque ingressurus, qui junior, minusque prudens est supponendus, hanc libertatem habeat. 8

Ratio

Ratio etenim illius restrictionis, sub qua novitii vivunt,
9 à magistri, aliorumque Superiorum nutu omninò pendentes congruere solùm ita videretur renunciationibus, quæ fierent ad favorem ipsius Monasterii, vel Religionis; Sed cùm receptum sit, ut ista forma conciliaris adhiberi debeat, etiam in ea renunciatione, quæ favore conjunctorum, vel cujuscumque alterius fiat; Ideircò ista ratio neque concludit; Quinimò benè retorquetur, quoniam conjunctorum, vel aliorum violentiis, vel seductionibus minus subjacent adolescentes, quando suscepto habitu in novitiatu vivant, quam ubi sint in sæculo. c

10 Mixtum casum quoque disputare occasio dedit, ubi scilicet adolescens in Religione acceptatus, atque de facto in novitiatu sub magistro aliorum novitiorum more vivens, ex Religionis commendabili instituto, vel stylo, adhuc per aliquos dies habitum sæcularem retinet, an scilicet ista forma conciliaris adhiberi debeat, atque mihi affirmativè respondere visum est, in rerum regularium annotationibus advertitur. d

Quidquid autem sit, ubi illæ adhibeantur solemnitates, quæ a communi, seu municipali lege præscriptæ sunt, utraque tamen forma deficiente, ubi de minoribus, agatur, nunquam intellectus huic opinioni acquiescere potuit, cùm nulla suppetat ratio, quæ id probet.

11 Quatenus verò pertinet ad aliam hujus decreti partem, super resolutione renunciationis, vel alterius contractus, non secuta professione, tanquam ex cessante causa; Aliquorum sensus est (quem Rota aliquando probavit) ut id non procedat, quando renunciatio expressam habeat declarationem, ut etiam in casu egressus à Religione, ac non secutæ professionis actus firmus remaneat. e

Id autem neque satisfacit, quoniam ita esset imponere legem verbis, & non rebus, nimium de facili huic decreto, cùm ista verbali cantela, ad quam adolescentes advertere non solent, fraus fieri posset; Ideoque dictum assumptum, pro meo sensu, eatenus recipiendum videtur, quatenus facti circumstantiæ illud probabile reddãt, qualis erat casus in quo Rota ita respondit, f quòd scilicet donatio à viro majoris, ac provectæ ætatis ex omninò libera electione facta sit, non autem ut principaliter, ingressus fuerit causa omninò finalis, ideoque discretè, ac pro facti qualitate id intelligẽdum est, principaliter attendendũ substãtiam veritatis potiùs quam verborum formulas, quæ Notariorum, vel sapientum potiùs, quàm ipsorum contrahentium esse solent; Quinimò pro meo sensu, quo majores, ac insolitæ sunt clausulæ, & cautelæ, eo magis actus redditur suspectus, ac propterea verisimilitudo, vel inverisimilitudo esse debet materiæ regulatrix.

12 Ejusdem resolutionis etiam post securam professionem, quæstiones cadunt quando casus egressum præbeat ob annullationem professionis, vel ob Episcopalem dignitatem, sive Religionis suppressionem, vel transitum ab una Religione ad alteram, potissimè verò ab incapaci ad capacem; Verùm hæc non percutiunt materiam hujus decreti super validitate, sed aliam diversam, de qua in renunciationis generica sede agitur, ubi etiam de hujusmodi interpretatione, vel operatione habetur. g

13 Cumque in hoc decreto disponatur, ut præterea, quæ ad novitii victum, ac vestitum necessaria sunt, nihil aliud recipiatur; Quæstiones promoveri solent an prandia, aliaque consorta munuscula prohibita censeantur, præsertim in Monasteriis Monialium, in quibus susceptio habitus monastici quamdam sponsalitiam solemnitatem præseferre videtur; Receptum tamen est, ut toleretur consuetudo, quoties debitæ moderationis limites non excedat, neque transeat in abusum, unde propterea totum commissum est prudenti Episcoporum, aliorumque superiorum arbitrium pro moribus regionis, ac personarum, & Monasteriorum qualitate.

Ita tamen ut munerum præstatio referri non valeat ad præmium illius acceptationis, quæ per moniales, vel reli-
14 giosos de professuro, vel ingressuro facienda est, juxta distinctionem in rerum regularium annotationibus traditam, super quæstione, an & quando id, quod per suscipientem habitum, vel profitentem, Religioni, vel monasterio datur, redoleat necne simoniam? h

Ista verò formam in renunciationibus servandam non requiri in contractibus onerosis, ac merè correspecti-
15 vis, vel factis in recognitionem veritatis, & bonæ fidei probabile videtur. i

a *De hac renunciat. sub tit. de Regul. disc. 58. & 59. & sub tit. de donat. disc. 15.*
b *ibid. & sub tit. de renunc. disc. 11.*
c *d. disc. 58. & 59. de Regular.* d *eod. disc. 59.*
e *d. disc. 15. de donat.* f *d. disc. 15.*
g *sub tit. de renunc. disc. 1. cum plur. seqq.*
h *tit. de Regul. disc. 47. & 48.* i *d. disc. 11. de renunc.*

Ad eamdem sess. 25. de Regul. cap. 19.

SUMMARIUM.

1 *DE annullatione professionis.*
2 *De forma allegandi, & tractandi hanc annullationem.*
3 *Quæ regula detur in hac materia.*
4 *De lapsu quinquenii quid operetur.*
5 *Quomodo rescribi soleat de restitutione in integrum.*
6 *De stylo particulari in Religione Hierosolymitana.*
7 *Lapsus quinquennii an operetur præsumptionem juris, & de jure.*
8 *Quomodo fieri debeat reclamatio infrà quinquennium.*
9 *De transitu ab una Religione ad alteram.*
10 *An in casu transitus, Religiosus secum trahat bona?*

DISC. XLI.

INter omnia decreta conciliaria; quæ de regularibus utri- 1
usque sexus agunt, omnium frequentius est illud, per quod certa præscribitur forma super annullatione professionis, quæ invalida prætendatur, utpotè emissa per vim & metum; Sive ante legitimam ætatem; Aut non benè peracto anno novitiatus; Vel eo peracto, & postea corrupto; Sive ex alia causa, ex qua, juxta diversa Religionum instituta, professio invalida prætendatur.

Forma enim est, ut reclamatio, seu oppositio nullitatis 2
sequatur intra quinquennium à die professionis, quo elapso admittitur judicibus facultas judicandi, si verò intra præfinitum tempus id sequatur, hoc judicium peragi debeat coram Ordinario loci, & coram proprio superiore locali, idest illius Monasterii, in quo professionem emiserit, seu ubi à superioribus collocatus fuerit, cum sub nomine superioris regularis, veniat ille, qui sit Prælatus illius Monasterii, vel conventus, non autem totius Ordinis.

Si verò contingat, ut religiosus spontè sua habitum dimiserit, seu aliàs claustris exierit, decernitur, ut audiri non debeat, nisi prius reassumpto habitu, ad claustra redierit sub disciplina regulari, ac superiorum obedientia, donec causa peragatur, atque si egressus cum dimissione habitus talem habeat circumstantiam, quod temerarius dici valeat, unde propterea apostasiæ crimen commissum sit, demandatur quoque istius criminis punitio. a

Quando itaque ista forma servetur, facti potiùs, quàm ju- 3
ris remanent quæstiones, super prætensæ nullitatis subsistentia, vel insubsistentia, cum totum pendeat ex probationibus ac facti circumstantiis, ideòq; desuper statui non potest certa regula generalis cuicumque casui applicabilis; Idemque circa invalidæ professionis, expressam, vel tacitam sufficientem ratificationem, cum totum pendeat à facti qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantiis, ex iis quæ pro diversorum casuum contingentia habentur in rerum regularium annotationibus, ubi videndum est. b

Majores autem quæstiones in hac materia esse solent, post 4
lapsum quinquennii; Tum ob adeptam judicibus aliàs competentibus jurisdictionem; Tum etiam ob ratificationis, vel tacitæ professionis præsumptionem, ex hoc quinquennali silentio resultantem.

Quatenus itaque pertinet ad jurisdictionem, seu ad judi- 5
cum habilitatem, necessaria est specialis commissio Papæ super restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, eaque diversimodè concedi solet; Pro frequentiori enim praxi, in Religionibus præsertim claustralibus, commissio remitti solet consultationi hujus S. Congregat. Concilii, & quandoque (licèt nimiùm raiò) alteri Regularium, in qua examinari solent istæ causæ pro hujusmodi concessione, pro qua S. Congregat. consulte signatur commissio ad hujus decreti formam Ordinario ac superiori locali directa, & aliquando Vicario Urbis, & superiori locali ejusdem Urbis, quando recurrens in ea reperiatur.

Quandoque verò (ubi præsertim agatur de iis, qui in S.
Religione Hierosolymitana professi sint) de hoc agitur co- 6
ram Sanctissimo in plena Signatura Gratiæ, in qua cum formali disputatione, examinato negotio quando creditur non adesse causa sufficiens *Nihil* rescribitur, atque commissio denegatur; Quando verò è converso causæ reputantur sufficientes, de commissione rescribitur, & quando id ambiguum sit, rescribi solet de commissione cum clausula

arbi-

arbitrio de voto Rotæ, ut scilicet in hoc Tribunali formiter examinentur, tam causæ restitutionis in integrum, quàm etiam ipsa nullitas, juxta plures casus in eisdem rerum regularium annotationibus recensitos, *c* & ad quas contingentes quæstione recurrendum est, cum non de facili in istis, quæ facti potiùs, quàm juris quæstiones videntur, certa determinata regula generalis statui valeat.

Quamvis etenim plerique opinentur, ut hoc decretum invalidæ professionis ratihabitionem firmam producat per quinquennale silentium, quod operetur præsumptionem juris, & de jure: Erronea tamen ac reprobata est hæc opinio, cum omninò sit veriùs, ut temporis lapsus, juris tantum inducat præsumptionem, contraria probatione elidibilem. *d*

Super modo autem reclamandi intra quinquennium, opinantur aliqui, ut eadem forma servari debeat, reclamationes scilicet faciendo coram Ordinario, & locali superiore conjunctim; Veriùs autem est, ut ista forma necessaria non sit, sed coram eorum uno, sive coram quocunque Judice, vel apud Acta Notorii, quinimò etiam coram honestis viris, vel amicis, & conjunctis id fieri valeat, cum in effectu quæstio, seu materia probatoria sit, ut in eisdem rerum regularium notis advertitur. *e*

Statuitur etiam in hoc decreto, ne religiosi professi transitus fiat à strictiori ad laxiorem Religionem, absque Apostolica dispensatione; Quinimò neque à laxiori ad strictiorem, libertas transeundi conceditur, sine licentia S. Congregationis Regularium, quæ audito superiore primæ Religionis, id concedere solet, certas præscribendo Religiones, in quibus benevoli receptores inveniantur, pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, ideòque certa regula desuper statui non potest, sed pariter in casus contingentia videndum est in præfatis eorum regularium particularibus annotationibus; *f* In quibus etiam agitur quid dicendum sit de bonis religioso quæsitis, vel ei delatis in casu transitus, vel respectivè in casu annullationis professionis. *g*

a *tit. de Regul. disc. 41.* b *eod. t. de Regul. disc. 40. & seqq.*
c *locis proximè citatis.* d *ibidem.*
e *ibidem, & præsertim, disc. 41. & 45.*
f *dict. disc. 41. & seqq.* g *eodem disc. 41.*

Ad sessionem 25. de Reform. c. 1.

S U M M A R I U M.

1 *INjungitur Prælatis modestia vitæ.*
2 *An Baronibus titulatis competat thronus, seu baldacchinum in Ecclesia.*
3 *De quæstionibus in spoliis clericorum, & Episcoporum.*
4 *Clerici habent duplex patrimonium, & duplicem hæredem, ut etiam habent milites, & feudatarii.*
5 *De quibus bonis præsumantur facta acquisitiones, vel respectivè præsumatur clericus alimentatus.*
6 *Qualis in hoc sit cautela.*
7 *De indulto testandi Cardinalium et aliorum, in quibus non suffragetur.*
8 *Quæ dicantur bona destinata cultui divino, debita Ecclesiæ.*
9 *De his indultis testandi sine solemnitatibus.*

D I S C. XLII.

1 IN hoc decreto injungitur Episcopis, aliisque ecclesiasticis Prælatis, ut modestè vivant, atque frugali mensa, modestaque suppellectili utantur, quodque ecclesiasticos redditus benè distribuant, non autem conjunctos ditare satagant.
Occasione primæ partis modestæ supellectilis, examinant aliqui, an id in Ecclesia, circa ornamenta throni, seu Baldacchini Episcopalis, aliaque decorem dignitatis, atque cultum
2 divinum concernentia intelligendum sit, & concludunt negativè; Itaque occasione, cum consuetis digressionibus, interunt, an Baronibus, aliisque temporalibus Dominis permittendus sit in Ecclesia usus throni, seu baldacchini, & pariter concludunt negativè, talisque est regulariter sensus S. Congregationis Rituum, ac etiam alterius Episcoporum; Verùm discretè id intelligendum est pro moribus regionum aliisque spectatis facti circumstantiis, ex quibus aliquando majora mala, & inconvenientia evitanda, id tolerare congruat, ut in meis præeminentiarum notis advertitur. *a*
Quo verò ad alteram partem, in qua præcipitur, ut ab avaritia abstinere debeant, atque redditus ecclesiasticos piis operibus distribuere, non autem conjunctis applicare; Id con-
3 cernit potiùs consilium, quàm præceptum, saltem quoad forum externum (cum de interno ex pluries protestatis agere, non sint partes viri forensis, ipsique videant.) Ideoque in ista, vel in aliis Sacris Congregationibus, aliisque Tribunalibus desuper nullæ audiuntur quæstiones, ipsis Prælatis viventibus; Eis autem defunctis, non ex istius decreti, sed ex antiquorum canonum dispositione, in bonis, quę beneficiorum ecclesiasticorum intuitu quæsita sint, intrat successio Ecclesię, tanquam hæres clerici in patrimonio ecclesiastico; Sive in locũ Ecclesiæ per Apostolicas Constitutiones, in iis locis in quibus adsint collectores Apostolici, intrat spolium ad favorem Camerę, ac propterea plures audiuntur quæstiones, quæ in Tribunalibus cameralibus pertractari solent.

Primò nempè inter testatos, vel intestatos hæredes patrimonii profani, & Cameram, vel Ecclesiam respectivè, super
patrimoniorum distinctè, & quænam bona ad unum, vel 4
ad alterum pertineant, & sic respectivè etiam onera, & debita cum in clericis detur illa duplicis patrimonii ac duplicis hæredis in solidum distinctio, *b* quæ de jure communi datur in milite, & de jure feudali datur in feudatario. *c*

Et præsertim, ubi acquisitiones factæ sint promiscuè abs-
que distinctione, unde propterea recurrendum sit ad præ- 5
sumptiones, quid scilicet potius clericus pro ejus substentatione erogaverit, & quid cumulaverit pro acquisitione, ad effectum conjiciendi, cui patrimonio acquisitio referenda sit, Et in hoc magis benigna pluriũ sententia est (quam Rota pluries probavit) favore hæredis profani, ut scilicet ex propositione, quod qui Altari servit, de altari vivere debeat, censeatur vixisse ex redditibus ecclesiasticis, quodq; propterea, cumulus fuerit ex patrimonialibus, vel alias profanis. *d*

Verùm Camerales non de facili hanc propositionem in praxi admittunt, ideòq; cautela esse solet, ut clericus vivens
in dies, & tempora declaret, ac initio suscepti Episcopatus, 6
vel alterius beneficii, inventarium faciat redditum, & bonorum, quæ tunc possideat, ac successivè, retinendo libros distinctos utriusque patrimonii, cum erogatione fructuum, redditunm respectivè; Et quoniam Cardinales præsertim,
plures Prælati obtinere solent indultum, seu facultatem te- 7
standi, idcircò cum Camera, vel respectivè cum Ecclesia quæstiones peragi solent super distinctione, ac pertinentia illorum bonorum, quæ dicto indulto non obstante, cadunt sub spolio, ut sunt fructus inexacti, seu non percepti vel etiam maturi, & percepti, non tamen cum patrimonio profano bene confusi, juxta plures distinctiones, de quibus in sede rerum beneficialium agitur, ubi in casus contingentia videri potest. *e*

Et quoniam per Apostolicas Constitutiones, bona destinata divino cultui; vel usibus ecclesiasticis, penès Eccle-
siam remanere debent, ideoque, neque ad Cameram, neque 8
ad hæredem pertinent; Hinc proindè quęstiones cadunt super hujusmodi bonorum separatione, & quæ destinatio ad hunc effectum requiratur, atque de hoc agitur in annotationibus super materia testamentorum, aliarumq; ultimarum voluntatum; *f* Ubi etiam de hujusmodi indultorum, &
facultatum testandi efficacia, & validitate, præsertim circa 9
remissionem solemnitatum a jure communi pręscriptatum, ibique propterea in casus occurentia pariter de his videri potest; *g* De quibus tamen, ut dictum est, in ista, vel aliis Sacris Congregationibus agi non solet.

a *sub tit. de præem. disc. 26.*
b *sub tit. de benef. disc. 81. cum plur. seqq.*
c *sub tit. de feud. disc. 21. et seqq.*
d *Rot. apud Rojas, dec. 280. et apud Cels. dec. 65.*
e *d. disc. 81. cum plur. seqq. de benef.*
f *tit. de testam. disc. 7. et 9. et in locis sup. tit. de benef.*
g *eod. tit. de testam. disc. 6. et seqq.*

Ad sectionem 25. de Reform. cap. 2.

S U M M A R I U M.

1 *EPiscopi, et Prælati non debent proferre censuras, nisi in subsidium.*
2 *Declaratur, quando iste casus subsidii intret.*
3 *Distinguuntur casus super eodem.*
4 *Censuræ ursenus proferri non possunt.*
5 *Aliæ sunt censuræ legis, et aliæ hominis.*
6 *Quæ sint censuræ legis, et in eis non procedit ordo subsidiarius.*
7 *An, et quando Ordinarius procedat ad has censuras contra exemptos.*
8 *Ut etiam in censuris legis detur quandoque abusus, et quomodo.*

9 & 10 *Pro debito pecuniario, an ad censuras deveniri valeat, distinguitur.*
11 *Assignatur ratio cur isto casu censuræ proferantur?*
12 *Quando de facto etiam cum non subditis ad censuras procedatur.*
13 *De censuris in pœnam delicti, & contumaciæ.*
14 *Damnatur lubricitas censurarum.*
15 *Quando Prælati excusentur non servando ordinem hujus decreti.*
16 *Quod non de facili censuræ debeantur proferri, & de ratione.*
17 *Saltem timeri magis pœna corporales, quàm spirituales.*
18 *Quid agere debeant Prælati Ecclesiastici, ut censuræ timeantur.*
19 *Quomodo debeant se gerere in applicatione mulctarum, & pœnarum in pecunia.*
20 *Excommunicari non possunt universitates, & corpora ficta, sed supponuntur interdicta, & quomodo.*
21 *De differentia inter has censuras.*
22 *Excommunicati ratione officii, vel quod sint de universitate, an solvantur, si desinant esse de illo corpore, & quid de aliis censuris.*
23 *De stylo Curiæ in declaratoriis contra Capitula.*
24 *Capitulum non censuratum est repræsentabile à paucis non censuratis, licèt major pars sit censurata, secus è converso.*
25 *De casu practico, ut Capitulum censuratum non sit repræsentabile à Canonicis non censuratis.*
26 *De alio casu ut censuræ communicativæ non afficiant in juribus propriis, & singularibus.*
27 *An censura communicativa suspensionis, vel interdicti, impediant collationem beneficiorum?*
28 *De interdescentia in censuris.*

D I S C. XLIII.

1 SAnctè, ac prudenter, injungitur Episcopis, aliisque Prælatis ecclesiasticis, moderatus usus censurarum, præsertim excommunicationis, ut ad eas deveniendum non sit, nisi in subsidium, quatenùs aliàs provideri non posset, adeout aliæ desint viæ, seu remedia, illud præsertim mulctarum, quarum applicatio ad proprium commodum prohibetur, eam piis operibus demandando.

In praxi autem forensi, istius decreti provisio recepta videtur, ubi agatur de illis censuris, quæ proferantur pro debito pecuniario, ex causa pensionis ecclesiasticæ, seu ex alio
2 titulo, etiam merè temporali, pro quo, ad eas, quandoque deveniri solet, ut nonnisi in subsidium, præviis diligentiis, executionis personalis, ac realis, ad id deveniri valeat; Secus autem ubi agatur de censuris, quæ comminentur in pœnatum delicti, vel contumaciæ, sive de illis, quæ per legem irrogatæ sint, ut tunc istius ordinis necessitas non urgeat, sed directè ad eas deveniri valeat. *a*

3 Quia verò hæc generalitas nimiùm vaga est, ejusq; prætextu, idem continuari videtur abusus cum aliquo censurarum vilipendio; Hinc proinde cum aliquibus distinctionibus in hoc proposito procedendum videtur, ut sciant illi, quibus Ecclesia hujus gladii spiritualis potestatem concessit, quomodo se gerere debeant in ejus usu, & ne transeat in abusum, quem non solùm istud Concilium damnat, sed perpetuò damnarunt sacri Canones, aliisque antiquiora Concilia, graves quoque pœnas pro hoc abusu irrogando, ubi præsertim oretenus, & ex abrupto sequatur, cùm nonnisi in scriptis, & causa cognita ad eas deveniri debere statutum sit, etiam sub pœ-
4 nis, nisi ubi de notoria rebellione, seu violentia agatur. *b*

Distinguendæ igitur in primis sunt censurarum, & excommunicationis species, quod scilicet; Aliæ sunt illæ, quæ
5 a lege inflictæ sunt, unde propterea, ob aliquod delictum vel contraventionem, earum incursus sequatur; Et aliæ sunt, quæ proferantur ab homine, id est ab Episcopo, vel ab alio Judice ecclesiastico, authoritate sua.

In prima specie, quæ pro frequentiori usu incurri dicitur, ob violentam manuum injectionem in clericos, vel ob vio-
6 lationem ecclesiasticæ immunitatis, localis, vel personalis, aut realis, sive ob duella, vel ob usurpationem bonorum, ac jurium ecclesiasticorum, aut ex aliis causis contentis in Sac. Canonibus, & Conciliis, vel Apostolicis Constitutionibus illa præsertim, quæ dicitur *bulla cœnæ*; Et tunc certum est, quod hunc ordinem servare non oportet, quoniam Episcopus, vel alter ecclesiasticus Judex, & superior, nullas isto casu infert, vel profert censuras, authoritate sua, cùm illæ jam incursæ sint, solumque eas declarat, ac detegit,

Unde propterea, ex pluries alibi insinuatis, Episcopo, vel alteri Prælato conceditur facultas istas censuras declarandi, etiam adversùs exemptos, quamvis Apostolicum indultum speciale habeant, ne ab Episcopis, vel ab aliis locorũ Ordinariis, excommunicari, seu aliis censuris innodari valeãt, cùm tunc nullus jurisdictionis actus in forma contentiosa exerceri dicatur, sed tantùm gerantur partes denunciatoris, vel publicatoris quæ a quocumq; fieri possunt; Multò verò magis ab Episcopo, vel Ordinario loci, Ex ea congrua ratione, quòd hæc denũciatio, seu declaratio ordinatur ad spirituale regimen propriarum ovium sibi commissarum, eas monendo, seu certiorando, à cujus morbidæ, ac infectæ ovis, quamvis externi, ac alieni ovilis conversatione, abstinere debeant, unde propterea non est exercere jurisdictionem cum dicta ove externa, & ovilis alieni, sed potiùs cum ovibus propriis.

Quod tamen recipiendum videtur, ubi ipsum factum certum sit, adeout nulla requiratur causæ cognitio, neque forma judicii, vel processus servetur; Secus autem, ubi probabile dubium cadat, an intret, necnè legis contraventio, ipsarumque censurarum incursus, adeout Ordinarius assumere debeat partes formales Judicis; Ad instar illius distinctionis, quæ præsertim in materia beneficiali habetur inter merum, & mixtum executorem, quoniam tunc est cognoscere, de causa, ac exercere jurisdictionem, super puncto, à quo pendet affirmativa, vel negativa incursus, nisi ipsum factum tale sit, ut exemptionem cessare faciat, eaque non obstante, jurisdictionem Ordinario tribuat; Puta ubi ejus majestas offensa sit, sive offensæ sint aures, cum similibus. *c*

Adhuc tamen, posita etiam jurisdictione, vel competentia abusus remanet verificabilis in hac specie, super mala scilicet interpretatione legum, ex quibus censuræ manant, præsertim super usurpatione, vel occupatione bonorum, & jurium Ecclesiæ. vel super violatione ecclesiasticæ immunitatis, vel jurisdictionis, quoniam ubi (*ex. gr.*) agatur de quæstione probabiliter dubia competentiæ fori; Sive ubi quis, possideat bona tanquam sua, ex titulo saltem probabiliter colorato; Aut quod ex probabili consuetudine, vel Apostolicis privilegiis, aut concordia, aliquæ franchitiæ ecclesiasticis denegentur; Sive quod agatur cum censuariis, & redditibus, qui debitis temporibus, census, vel canones, non solvant, cum similibus, de facto per aliquos Episcopos aliosque hujus gladii potestatem habentes, proceditur ad declarationem illarum censurarum, quæ continẽtur in isto Concilio, sive in dicta Bulla Cœnæ, aliisq; Apostolicis Constitutionibus, vel Canonibus loquentibus de positivis, ac potentialibus occupatoribus, vel usurpatoribus bonorum, ac jurium Ecclesiæ, seu violatoribus immunitatis, vel jurisdictionis, non autem ubi ex merè privato titulo, vel prætensione, sive impotentia, aut incommoditate id sequatur; Atqui hoc frequentem, pene que quotidianum experimur abusum, ex quo resultant ipsarum censurarum vilipendia, quæ sunt omnium ferè malorum, & inconvenientium productiva. *d* 8

Quo verò ad alteram censurarum speciem, quæ ab homine proferuntur, adhuc plures casus distinguẽdi veniunt. Primò nempe, ubi agatur de debito pecuniario, vel alio temporali implemento, ob cujus culposam denegationem, ad censuras, quandoque devenire oporteat; Et tunc; Aut agitur de illis personis, cum quibus, utriusque spiritualis, ac temporalis gladii, exercitium liberum sit, & rectè intrat ordo subsidiarius ab isto decreto præfinitus, nimiùmque rarum est, ut in Curia istæ censuræ sustineantur; Unde propterea, quando ad illas indebitè procedatur, Curiæ stylus est, ad earum annullationem de facili procedere; Intrat enim dilemma; Aut debitor idoneus est; Aut non: Si est idoneus, de facili, cum executione reali, & personali cogi potest; Et si non est idoneus, non intrant censuræ, ad quas deveniri non potest contra eum, qui ex impotentia non impleat. 9

Aut verò idoneus est, sed ex mera contumacia non impleat, neque ratione potentiæ propriæ, sive alterius, quæ sibi assistat, dictus ordo servari potest, adeò ut culposè, ac de facto, impeditum remaneat remedium executionis realis, & personalis, unde propterea excussio ita probata remaneat, utpotè impediat: Et tunc rectè ad censuras tanquam subsidiarium remedium proceditur. *e* 10

Et quamvis ignarum vulgus obloqui soleat, atque scandalum concipere de stylo Curiæ procedendi quandoq; ad censuras pro debito pecuniario, vel alio temporali impedimento: Attamen iste est positivus ignorantiæ effectus, ob clarum dilemma, quod: Aut est impotens ad implendum id, quod debet, & tunc excusatur, neque ad censuras proceditur, Aut est idoneus, sed ex ejus contumacia, & culposa potentia propria, vel aliena, ad quam recursum habeat, impedit ne implementum sequatur, & tunc censuræ inferuntur, 11

non

non ex ratione ipsius debiti, sed ex ratione talis delicti, & contumaciæ, & sic notitiæ perseverantiæ in peccato. *f*

12 Item quandoque, ex eadem ratione potentiæ, ad censuras, immediatè, ac de facto, etiam cum non subditis procedi solet, quando scilicet quia de facto, bona, vel jura Ecclesiastica usurpat, vel occupet, seu Ecclesiasticum Prælatum impediat, nè pacificè eadem bona Ecclesiæ possideat, ac fructus ex eis percipiat, cùm tunc censurarum usus concedatur in forma extrajudiciali, per quandam speciem necessariæ defensionis, vim vi repellendo, cum illis armis spiritualibus, quæ solùm habeantur, pro facti qualitate. *g*

13 Aut verò agitur de illis censuris, quæ ab homine proferantur in pœnam alicujus delicti, vel contraventionis; Et tunc, ubi agitur de clericis subditis, cum quibus libet sit gladii temporalis usus, cum pœnis scilicet temporalibus, vel realibus, utique damnabile est, illicò, ac directè censuras adhibere, idemque ubi, pro locorum, seu regionum moribus, & qualitate, idem liberum exercitium gladii temporalis, Episcopi, aliique Prælati habeant cum laicis, quoniam ubi per mulctas, aliasque pœnas temporales provideri potest, semper erroneum est, dictum spirituale remedium adhibere, cùm ad illud nonnisi in totale subsidium, ac nimium parcè, & circumspectè securri debeat, ut magis timeatur, atque in veneratione habeatur; Unde propterea magna reprehensione, imò punitione digni sunt Episcopi, aliique Prælati, & Officiales Ecclesiastici, præsertim verò quidam commissarii Cameræ Apostolicæ, vel fabricæ S. Petri, qui in hoc adeò lubrici sunt, cum maximo hujus Ecclesiastici remedii præjudicio.

In illis autem ditionibus, vel regionibus, in quibus de
14 facto non permittitur Episcopis, aliisque Prælatis, & Officialibus Ecclesiasticis, exercitium gladii temporalis, ac familiæ armatæ cum laicis, sunt excusabiles, cùm aliud non suppetat remedium, atque laici debent potiùs da se ipsis scandalum concipere, quòd non permittant id, quod sacri canones concedunt.

15 Adhuc tamen isto etiam casu, nimiùm parcè, ac circumspectè procedi debet, pro facti qualitate, comminando quidem, non tamen de facili exequendo censuras; Ad instar habentis sclopum in manibus, vel gladium in vagina, ut euter cum eo incurere timorem, cum potentia explosionis, vel extractionis respectivè, ab uno autem, vel altero actu, quo magis fieri potest, abstineat, ne aliàs ille, qui explosionem, vel evaginationem prius timebat, eam experiatur de facto magis levem, ac propterea illam contemnat; Siquidem, ut adver-
16 titur alibi in his annotationibus occasione agendi de custodia clausuræ monialium; Quoties ecclesiasticus superior, pro corruptis moribus regionis, videt, quod magis proficuus, ac operativus est gladius temporalis, quam spiritualis, illumque salva ejus dignitate, cumulare potest, procedendo scilicet unitim cum potestate laicali, (compatibiliter tamen, & sine ecclesiasticæ jurisdictionis, ac potestatis præjudicio,) tunc istud remedium negligere non debet.

Potissimum verò Episcopi, ac Prælati ecclesiastici habe-
17 re debent validam, ac robustam manum, cum qua istum spiritualem gladium exerceant, ex ea scilicet valida, & robusta qualitate quæ resultat ab eorum vita exemplari, bonisque moribus; Fortiùs autem à causa, ob quam istud remedium adhibeatur, seu ob quã hujus ligaminis solutio concedatur; Ubi etenim ex bono zelo id sequatur, quodque populus experiatur, quod istud remedium adhibeatur pro conservatione disciplinæ spiritualis, ecclesiasticæ immunitatis, non autem tanquam medium ad extorsiones, propriæque avaritiæ finem, tunc valdè illud timere solet, secùs autem è converso.

Quamvis autem quandoq; pro moribus regionis, lauda-
18 bile sit à contravenientibus, pro absolutione à censuris, vel pro abstentione ab earum prolatione, mulctas pecuniarias petere, ac exigere pro satisfactione Ecclesiæ, ad exemplum ac terrorem aliorum, qui magis timent amissionem pecuniæ, quàm alias pœnas, quantumvis graves, in corpore, vel in anima, sive in existimatione; Attamen omninò adimplere debet hujus decreti conciliaris præceptum, seu monitum, applicando scilicet hujusmodi mulctas, ac pœnas piis usibus, non
19 autem sibi ipsi, vel ejus Curiæ, sub prætextu actorum; Idque tunc, publicè, ac immediatè fieri debet, ut pluries ego à probis ac zelantibus Episcopis practicatum vidi & quãdoq; ego etiam practicavi cum magno profectu; Licèt enim huic decreto satisfiat, deputando, pœnarum, ac mulctarum depositarium, per cujus manus probi Episcopi, fideliter illas erogant, juxtà opportunitatem, in pauperum subventionem, vel in fabricam aut suppellectilem Ecclesiarum (quoties tamen istud non incumbat ex propriæ mensæ redditibus explendum;) Sive in alia pietatis opera, & præsertim prudenter, aliquam summam cumulando pro annis, vel temporibus penuriosis, seu aliàs calamitosis pro subventione Indigentium; Attamen id commendabile est, quoties fideliter, non autem pro colore quæsito id agatur, in pœnis, ac mulctis, vel compositionibus clericorum, vel etiam laicorum ex causis, non sint exemplares, & scandalosæ.

Ubi verò de istis agatur, adeout congruat, ita exemplum, 20
ac timorem aliis incutere, & tunc immediatè, ac publicè ista erogatio facienda est, adeout omnibus innotescat, ideoque laici concipere non valeant suspicionem quod applicatio sibi ipsi facta sit, cùm ipsi non distinguat, ac frequenter ignorent quid tractu temporis de hac pecunia agatur.

Excommunicationis item remedium, exerceri non po- 21
test, neque debet cum universitatibus, aliisque corporibus fictis, vel intellectualibus, ut sunt Capitula, Collegia, congregationes, Communitates, &c. sed cum istis adhibentur aliæ species censurarum, nempè suspensionis vel interdicti; *h* Atque ubi agatur de hac præsertim specie interdicti ecclesiastici, cui aliqua Civitas, vel oppidum ex delicto populi, & quandoque Domini, vel Magistratus, ad præscripta sacrorum canonum subjici solet, adhuc nimium circumspectè procedendum est, atque nonnisi ex magna, & gravissima causa in totale subsidium, quando scilicet omne aliud remedium desit, magnusque error est, severa punitione dignus, ubi aliàs fiat.

Magna verò differentia est inter istas censurarum species, 22
quoniam excommunicatio exigit proprium, ac singulare delictum, eique delinquentes tantum subjici debent, cùm personas singulares afficiat, eisque ligamen inferat; Aliæ autem censuræ, quæ proferunt contra corpus universale, afficiunt omnes, etiam innocentes, jure tamen universo, non autem personali.

Hinc proindè, si excommunicatio contra aliquos cives, 23
vel canonicos, etiam ex causa communitativa, vel capitulari, proferatur, tunc illæ personæ remanent affectæ, adeout quamvis desinent esse canonici, vel cives, sive officiales, adhuc censura duret, donec absolutionem obtineant, illaque eis impedimentum præstat, etiam in juribus propriis, quæ jure proprio, & singulari competant, independenter à Civitate, vel a Capitulo, seu ab officio, ideoq; nonnisi ex propria, vel particulari culpa hæc censura inferri debet; E converso autem, suspensio, vel interdictum contra corpus universale, seu politicum, afficit tantùm ipsam universitatẽ, & singulos, non jure singulari, sed tanquam hujus corporis membra, quamvis ipsi sint innocentes, undè propterea repræsentare nõ possunt ipsum corpus infectum; Verùm salva eis remanent jura competentia singulariter, ac independenter à corpore communitativo, quamvis adhuc sint canonici, vel cives, aut de magistratu, multò magis ubi desinant esse tales. *i*

Ac propterea; juxta frequentem praxim Curiæ, & præser- 24
tim Rotæ, in declaratoriis, quæ relaxari solent, contra Capitula, vel alia corpora communitativa, ob non paritionem, juxta ea, quæ in judiciorum sede habentur; Si non paritio vel alia contumacia provenit ab aliquorum Canonicorum, vel officialium protervia, sine culpa aliorum, qui parere prompti sint, sed eorum bona voluntas effectum paritionis non causet, tunc relaxatur censura communitativa, suspensionis, & interdicti contra ipsum corpus universale, adeòut sub ea, etiam innocentes, & prompti obedire veniant, ac etiam relaxatur excommunicatio contra singulares personas delinquentes exceptuando innocentes.

Notabilis autem est hujus distinctionis effectus, quoniam si (ex. gr.) etiam ex causa capitulari, multi Canonici, qui majorem partem constituant, ob non paritionem excommunicentur jure singulari, sed non proferatur censura communitativa interdicti, vel suspensionis contra corpus Capituli, tunc istud remanet integrum, & non infectum, ideoque repræsentabile est ipsum corpus, ab illis modicis membris, quæ valida, & non infecta sint, à quibus etiamsi sint duo, imò unus, totum corpus Capituli constitui, seu repræsentari potest, ideòque omnia jura capitularia ab eis exercentur; Id autem non sequitur, ubi totum corpus censuratum sit, quamvis aliqua membra à censuris exempta sint, quoniam non potest corpus infectum repræsentari per aliqua membra valida; Et è converso censura communitativa, vel universalis non afficit singulos in jure singulari. *m*

Unde propterea in facti contingentia; Cum quodam 25
Capitulum, ob non paritionem mandatorum Rotalium suppositum fuisset censuræ communitativæ suspensionis, & interdicti, ac etiam contra multas dignitates, & canonicos

contumaces relaxata esset excommunicatio, à qua aliqui canonici, & dignitates, qui erant obedire parati, exceptuati fuerunt (prævia magna disputatione) decisum fuit per Rotam, ut isti canonici exceptuati, non essent apti repræsentare Capitulum, & exercere jura capitularia, quoniam exceptuatio percutit censuram personalem, non autem communitativam. *n*

26 Et è converso, per S. Congregationem Concilii decisum fuit, ut suspensio à jure conferendi beneficia, incursa per Capitulum ob contraventionem Constitutionis Pii V. non impediat illam beneficiorum collationem, quæ singulis dignitatibus, & canonicis jure singulari non autem capitulari competat; *o* Atque cum eadem proportione idem dicendum est in Civitatibus, ac Tribunalibus, vel Magistratibus collegiatis respectivè.

27 An autem, & quando censuræ communitativæ, suspensionis, vel interdicti, impediant collationem beneficiorum aliosq; actus capitulares, in beneficiorum sede advertitur. *p*

Agitur etiam in hoc decreto, de insordescentia in censuris; Verùm de hoc rarum est agere in foro contentioso, in
28 ista S. Congregatione, vel in altera Episcoporum, quoniam quando per Episcopos, vel alios Ecclesiasticos superiores insordescentia declaratur, tunc desuper manus apponere solet S. Congregatio universalis Inquisitoria.

a *Ottobobon. dec. 75. in fin.* b *Lop. & Add. allrg. 73. Sperell. dec. 39.* c *tit. de jurisd. disc. 29. in Miscell. Eccl. disc. 24. & seqq.* d *Miscell. Eccl. disc. 27. & in aliis ibi proximis.* e *juxta casum, de quo disc. 165. post Zacch. de obl. Camer.* f *d. dec. 165. post Zacch.*
g *sub tit. de jurisd. disc. 47. & 4[illegible].*
h *cap. Romana, §. universitatem de sent. excom. in 6. ubi Buratt. & Addent. dec. 916.* i *tit. de benef. disc. 23.*
l *d. disc. 23. de benef. & sub tit. de judiciis.*
m *ibidem.* o *ibidem.* o *ita fuit declaratum per hanc Sac. Congreg. Concilii in una Leonien. de mense Apr. 1672. & de ista constitutione sub tit. de Canon. & Cap. dis. 27.*
p *Eod. disc. 23. de benef. & eod. tit. in supplem.*
q *ut agendo de ista S. Congregatione advertitur in relatione Curia.*

Ad Sessionem 25. de Reform. cap. 6.

S U M M A R I U M.

1 *De modo procedendi cum adjunctis.*
2 *Restringitur ita jus Capitulorum.*
3 *Non procedit nisi in Capitulis exemptis.*
4 *Exemptio non præsumitur.*
5 *In Italia est rara, & ubi sit magis in usu.*
6 *De quæstionibus desuper vadentibus.*
7 *De materia remissivè.*

D I S C. XLIV.

1 PRæscribitur in hoc decreto, quomodo Episcopus procedere debeat in visitatione Capituli, & in cognitione causarum capitularium, cùm adjunctis scilicet ab eodem Capitulo eligendis, juxta formam in eo contentam.

2 Opinantur aliqui, quod in gratiam capitulorum, & capitularium, istud conciliare decretum prodierit, quasi quod ita capitulum cathedrale, à reliquo clero contradistinctum, ac singularizatum sit; Sed malè, quoniam potius id, capitulorum jura, & privilegia restrinxit, atque Episcopis concessit id, quod non habebant. *a*

Verius enim est, ut hodiè extra omnem controversiam
3 receptum, ut ista conciliaris dispositio, procedat solùm, in illis Capitulis, quæ ex Apostolicis indultis exempta erant a jurisdictione Episcopi, atque immediatè subjecta Sedi Apostolicæ; Undepropterea, cum visitatore, ac superiore præsente carerent capitulares, id plura producebat inconvenientia, ideoque illa Capitula, quæ istud privilegium non habent, quod in usu sit, non differunt à reliquo clero circa
4 omnimodam subjectionem Episcopi, Istudque privilegium non præsumitur, sed ab allegante probandum est, sin minus fundata est Episcopi intentio super ejus plena, & ordinaria jurisdictione, ut in facti contingentia occasio dedit disputare in hac S. Congregatione. *b*

5 Nimiùm autem rarus est hujusmodi exemptionis usus in Italia, magis autem frequens in Hispania, aliisque partibus ultra montes in quibus tamen etiam jure singulari hæc exemptio competit cum pleraque adsint etiam Capitula non exempta, sed cadentia sub dicta regula generali, seu causa universali, quæ Episcopo assistit, quoties non doceatur de limitatione, cujus onus ora est, ut in dubio præsumenda non sit, sed per allegantem probanda, quodque aliàs fundata remaneat intentio habentis pro se regulam.

Posita itaque exemptione, nonnullæ oriri solent controversiæ, præsertim verò illam disputare in Rota occasio dedit; An tertius adjunctus, qui assumendus est in casu discordiæ inter Episcopum, vel ejus Vicarium generalem, & Judicem capitularem, debeat esse de ipsius Capituli gremio, vel potiùs assumi possit quicumque extra gremium? Et quamvis aliquæ non improbabiles rationes hanc secundam partem suadeant; Attamen ista S. Congregatio, cum cujus sensibus Rota processit, pluries censuit, ut de ipso gremio esset debeat; cadente quæstione an debeat esse verus capitularis, idest de canonicis, vel dignitatibus, vel sufficiat esse de portionariis beneficiatis habentibus vocem in Capitulo, super quo observantiæ deferendum videtur. *c* 6

Aliqua verò ad hujus decreti materiam pertinentia, utpotè rara in ista S. Congregatione, imo generaliter in Curia, ex dicta ratione quod rarus est hujusmodi Capitulorum exemptorum usus in Italia, videri possunt insinuata apud consuetos elaboratos Collectores. *d* 7

a *de Canon. & Capit. disc. 23. Miscell. Eccl. disc. 24.*
b *d. disc. 24. Miscellan. Eccl.*
c *d. disc. 23. de Canon. & Capit.*
d *& habetur etiam locis citatis.*

Ad Sessionem 25. cap. 7.

S U M M A R I U M.

1 *ABoliti sunt accessus, Coadjutoria, & expectativa, atque Papa potest huic prohibitioni derogare sed raro solet.*
2 *De pensionibus eventualibus.*
3 *An impediant facultatem transferendi?*
4 *An dicatur gratia pura, vel conditionalis, & an cesset per mortem Papæ?*
5 *De investituris abusivis, vel præventivis.*
6 *De accessu, vel regressu ad beneficia, & ad pensiones, & de diversis speciebus regressus.*
7 *Quæ Coadjutoria sint in usu, & quæ non.*
8 *De juribus, & prærogativis coadjutoris.*
9 *In quibus partibus vigeat usus coadjutoriarum etiam in Cathedralibus.*
10 *Quomodo practicari soleant istæ gratiæ coadjutoriæ, & qualis consensus Capituli requiratur.*

D I S C. XLV.

RAra hodie videtur in foro hujus decreti disputatio, in quo aboletur usus, qui frequens erat, accessuum, vel regressuum, ac etiam coadjutoriarum cum futura successione, vel expectativarum; Et quamvis (ut aliàs insinuatum est,) extra controversiam sit potestas Papæ dispensandi generaliter Conciliis generalibus, magis verò huic Tridentino, ob legem particularem in ejus confirmatione adjectam, ut veniant ejus decreta sub derogatoriis generalibus, atque necessaria non sit mentio specialis; Adhuc tamen, super istius decreti observantia insistitur, præsertim in gratiis expectativis, quarum usus, post Concilium minimum rarus est. 1
2
Solum etenim ab aliquo moderno tempore, hic usus invaluisse videtur, in pensionibus, eas reservando per quandam speciem expectativæ, postquam aliæ jam existentes cessaverint, quæ proptereà eventuales dicuntur; Ideoque super eis, aliquæ in foro oriri solent controversiæ, in sua pensionum sede insinuatæ; Et præsertim, an hujusmodi reservatio impediat, necne facultatem transferendi antiquam pensionem, atque probabilior est negativa, ubi alias Apostolica authoritate cautum non sit. *a* 3

Ac etiam, an ista gratia dicatur conditionalis, perfectionem obtentura à futuro casu vacationis, vel cessationis, vel potiùs sit pura, & perfecta ab initio, dilata solùm executione postquam casus cessationis antiquæ advenerit, cujus quæstionis effectus est, an tali eventuali reservationi obstet mors Papæ, conditione pendente; Atque probabilius est, ut gratia sit potiùs pura, & perfecta, quàm conditionalis, quodque futura cessatio pensionis antiquæ non percutiat substantiam gratiæ, sed potiùs executionem, seu effectum, ut in sua peculiari sede pensionum advertitur. *b* 4

Ea verò, quæ habentur apud antiquos Beneficialistas, qui ante hujus decreti promulgationem scripserunt de hac materia expectativæ, utpotè tunc frequenti hodiè, in foro, à simili deservire solent, in feudalibus, vel emphyteuticis concessionibus præventivis, seu abusivis, quæ fiant de feudo, 5

vel

vel de emphyteusi jam plena, ut in suis debitis advertitur.

6 Ille autem accessus, vel regressus, qui in hoc decreto prohibetur, percutit ipsa beneficia liberè dimissa ne ita detur species hæreditariæ successionis; Non autem ubi agatur de illis regressibus, qui reservantur in casu resignationis, sub reservatione pensionis in casu, quo ista non solvatur; De hoc autem regresso habetur pariter in sua peculiari pensionum sede, ubi de distinctione inter duas ejus species; Unam scilicet ex juris dispositione, & ob contumaciam, seu propter vitium non solvendi, & quæ justa formulam antiquam dicitur; Et alteram, quæ juxta formulam modernam, per viam conditionis; Cum ea notabili differentia inter has species, quod in prima, impugnatio pensionis ea causa nullitatis, vel diminutionis fructuum, sive ex alia justa causa, excusat regressum, qui proinde exigit formalem canonizationem in judicio ordinario per tres conformes; Secùs autem ubi agatur de secunda specie, in qua proceditur executivè atque nullitas, vel alia causa non excusat, ut ibi latius. c

7 Quo verò ad Coadjutorias, in Italia, & Hispania, aliisque partibus, in quibus Concilii observantia viget, nimium rarus, penèque nullus est earum usus in Ecclesiis Cathedralibus, vel Metropolitanis; Benè tamen, in Ecclesiis, ac beneficiis inferioribus, potà in parochialibus, vel in Dignitatibus, & Canonicatibus Cathedralium, vel Collegiatarum, quando justa causa infirmitatis, vel gravis ætatis accedat, ut in beneficiorum sede habetur, cum de hujusmodi controversiis peragi soleat in Rota, aliisque ordinariis contentiosis tribunalibus, non autem in Sac. Congregationibus, in quibus, præsertim in illa Rituum, agi quandoque solet de præcedentia, aliisque juribus, & præeminentiis Coadjutoris, & de quibus aliqui habentur in rerum capitularium vel canonicalium sede. ubi in casus contingentia videri potest. e

8 In Germania verò, & Gallia, aliisque partibus ultra montes, ut in quibus Concilii observantia adeò non vigeat; Vel etiamsi in aliis vigeat, in hac tamen parte usus aliter suadeat; Solet Sedes Apostolica facilius concedere, etiam in Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis, seu Monasterialibus istam Coadjutoriam, cum futura successione in Prælatura, ea justa causa, examinari solita in Sac. Congregatione consistoriali, ad cujus consultationem Papa gratiam concedere, vel denegare solet.

9 Hinc propterea in illis partibus, in quibus Ecclesiæ sunt ad electionem Capituli; Quamvis pro Coadjutoria non interet jus electionis, cùm totum pendeat à gratia & voluntate Papæ, ex aliqua causa concedendi coadjutorem non solum Prælato petente sed etiam quandoque invito; Attamen prudenter, ad occurrendum aliquibus inconvenientibus, id agere non solet, sine Capituli consensu, qui præstari solet per quandam formam, seu speciem electionis, super cujus forma benè, vel malè servata, in eadem Congregatione con-

10 sistoriali, peragi solent quæstiones, quarum aliquæ in capitularium, & canonicalium rerum annotationibus, ac etiam in illis Regularium insinuantur; f Ubi quod ista non est vera, & formalis electio, ideoque de facili sanari solent illæ nullitates, quæ de stricta juris censura obstarent, cùm sufficiat, ut Papa se certum quoque modo reddat de consensu capitularium, ut latiùs in dictis suis sedibus.

a *tit. de pension. disc. 1. cum seqq.* b *d. disc. 1. & seqq. de pension. in supplem.* c *tit. de emphyteus. disc. 1. & 2.*
d *tit. de pension. disc. 12. & seq* e *de Coadjutoria sub tit. de Canonic. & Capit. disc. 27. & de Regular. disc. 53.*
f *d. disc. 53. de Regul. & disc. 27. de Canon. & Capit.*

Ad Sessionem 25. de Reformatione cap. 10.

S U M M A R I U M.

1 *De judicibus synodalibus.*
2 *Quid ubi deputati in Synodo deficiant.*
3 *De eodem.*
4 *Datur ista casu cautela.*
5 *Quid operatur hæc deputatio.*
6 *De Conservatoribus privilegiorum, & Collectoribus Apostolicis, & an esse debeant in dignitate Ecclesiastica.*
7 *Dicuntur idonei, licèt non sint Doctores.*

D I S C. XLVI.

1 De Judicibus Synodalibus in isto decreto agitur, ut scilicèt in provinciali, vel in diœcesana synodo deputentur ad minus quatuor personæ in dignitate constitutæ, qui-

Card. de Luca, Lib. XIV.

bus Apostolica Sede committere valeat causas in gradu appellationis, ut ita certa reddatur de eorum integritate, & idoneitate, atque congrua fiat electio, cùm aliàs, ob locorum distantiam, ac negotiorum multiplicitatem, ista notitia impossibilis esse videatur.

Quatenus verò personas ita deputatas, deficere, vel abesse 2 contingat, in eodem decreto disponitur, ut ab Episcopo, cum consensu Capituli, aliorum suffectio fieri debeat, quod ex rationis identitate intelligendum videtur eodem modo quo supra *sess. 24. cap. 18.* dictum est de examinatoribus synodalibus, ut scilicet ista provisionalis suffectio extrà synodum rectè interet infrà annum, secus autem eo elapso, ex eadem ratione ibi insinuata, quod scilicet Episcopo imputandum est cur ad ejusdem Concilii præscriptum non congregaverit synodum singulis annis congregandam. a

Benè verùm, quod etiam in examinatoribus synodalibus, 3 ista provisio, quamvis per Rotam firmata sit, adhuc tamen, ex magis communi usu parùm rationabilis videtur; Quoniam ut advertitur supra, cum Synodi conventionem singulis annis superfluam experientia doceat, eò quia cum una synodo benè ordinata, per plures annos diœcesis rectè administratur, istaque conventio, incommoda, & dispendia, ac etiam quandoque inconvenientia parere soleat, adeout de facto ista frequentia non sit in usu; Hinc proinde dicta ratio parum concludens remanet.

Ad tollendum verò omne dubium, provida cautela est, 4 ut Episcopus, deficientibus hujusmodi examinatoribus, vel judicibus respectivè, de hoc certiorem istam S. Congregationem, vel alteram Episcoporum, à quarum una, vel altera oraculum accipiat, faciendi hujusmodi deputationes, etiam post annum.

Hujus itaq; decreti operatio est, quod cùm ad Canonum 5 præscriptum: Sedes Apostolica non soleat rescribere, neque causas, vel Apostolicarum literarum executionem committere, nisi personis in ecclesiastica dignitate constitutis, eis sub nomine dignitatis recipiendo, atque ita species dignitatis reputatur hæc deputatio, rescribendo non est Judicibus in diœcesano synodo legitimè deputatis, ut etiam in judiciorum sed advertitur. b

Ex præmissa verò insinuata sacrorum Canonum disposi- 6 tione, ut non nisi personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, Apostolica delegatio congruat, resultat, ut conservatores privilegiorum regularium per singula Monasteria, vel Conventus, & domos regulares ad præscriptum Constitutionis Gregorii XV. deputandi, in ecclesiastici dignitate constituti esse debeant, eò quia hujusmodi conservatores, Apostolici delegati dicuntur, ut de eis alibi particulariter agitur.

Atque ex eadem ratione, de stricto jure verius est, ut 7 nonnisi tales personæ in Apostolicos collectores deputari debeant, quoque aliàs deputatio invalida sit, adeout consuetum effectum Apostolicæ reservationis beneficiorum non causet; Id autem in Italia, respectu sub collectorum, ex diverso usu, difficultatem pati videtur, ut in rerum beneficialium annotationibus advertitur; d Reputantur autem ad judicandum idonei eo ipso quòd in synodo fuerint deputati. e

a *tit. de jurisdict. disc. 56. tit. de Paroch. disc. 37. Miscell. Eccl. disc. 1.* b *tit. de judic. ubi agitur de appell.* c *de conservatoribus privilegiorum, tit. de jurisdict. disc. 49. & Regul. disc. 51. & 52.*
d *tit. de benef. plurib.* e *Mantic. dec. 5. in fin.*

Ad Sessionem 25. cap. 11.

D I S C. XLVII.

Prohibentur per hoc decretum anticipatæ exactiones fructuum, vel pensionum ex causa locationis bonorum Ecclesiæ; De hoc autem nimiùm rarò, ac fortè nunquam in hac Sac. Congregatione, vel in alia Episcoporum agi contingit, cum de hujusmodi quæstionibus disputari soleat inter conductores, vel alios debitores, qui anticipatas fecerint solutiones; Et successores in Ecclesia, vel beneficio coram Judicibus ordinariis, & frequentes coram officialibus cameralibus, occasione collectionis fructuum pro tempore vacationis, petendo novam solutionem pensionis, vel alterius debiti, neglecta solutione anticipata, utpotè prohibita, cùm frequenter collusiva, seu fraudulenta esse soleat, quoties communis usus regionis, vel qualitas bonorum, seu aliæ facti circumstantiæ, bonam fidem non redoleant, atque justam non inducant excusationem; Ideoque non de facili certa regula generalis, cuicumq; casui applicabilis

Ad sessionem 25. de Regular. c. 6. & 7.

S U M M A R I U M.

1 *De jure communi, quando electio debeat esse secreta.*
2 *Quod non debet esse talis in electione Prælatorum Regularium.*
3 *Id innovatum est per Concilium quod dat hanc formam præcisam.*
4 *De ratione ob quam in Regularibus ita statutum est.*
5 *Quando in Curia audiantur quæstiones electionum.*
6 *Quomodo istæ quæstiones decidi debeant.*
7 *An jus eligendi acquiri possit per aliquam partem Religionis.*
8 *De electione turnaria inter nationes.*
9 *Electiones invalidæ, quando sanentur, vel confirmentur.*
10 *Eadem forma procedit in electione Abbatissæ, & quomodo.*
11 *In ista electione Abbatissæ, requiruntur duæ partes votorum.*
12 *Quid agendum, ubi vota non concludant.*
13 *Datur praxis, & quid facere debeat superior.*
14 *Superior non potest ingredi clausuram ob electionem.*
15 *An Ordinarius assistat electioni Abbatissæ Monasterii exempti?*
16 *De ætate quam debet habere Abbatissa.*
17 *Electa ante ætatem potest denuo eligi.*
18 *Non virgines, non possunt eligi in Abbatissam.*
19 *Prælatura in Regularibus utriusque sexus est solùm triennalis.*
20 *In aliquibus partibus Abbatissa est perpetua.*
21 *De Monasterio Turris speculorum, ejusque Prælata, & de similibus institutis.*

D I S C. XXXVII.

1 Super electione Superiorum, seu Prælatorum regularium,
per istud decretum inductum id, quod de jure communi
dispositum non erat, quoniam ut advertitur pluries occa-
sione deputationis Vicarii capitularis sede vacante, ac etiam
occasione provisionis canonicatuum, aliorumque benefi-
ciorum, quorum collatio pertinet ad Capitula, ratione si-
multaneæ de jure competentis, aut ex privilegio, vel con-
suetudine, forma electionis per scrutinium secretum in ju-
re communi præscripta, servanda solùm est, quando agitur
de electione Episcopi, vel alterius Prælati Ecclesiæ vidua-
tæ, adeout agatur de formali electione ad prælaturam per-
petuam in titulum, non autem in aliis actibus. *a*
Id autem congruere non videtur hujusmodi electionibus
Superiorum regularium tam Generalium, & Provincialium
2 quam etiam hæc munera localium, cùm pro frequentiori
usu, infra certum determinatum tempus durent, atque non
infitant dignitatem, quæ imprimat characterem, seu im-
mutet statum personæ, illumque in diverso hierarchico or-
dine constituat, ut præsertim est Episcopatus, vel Archie-
piscopatus, multò verò magis Pontificatus, cùm his casi-
bus per electum contrahi dicatur formale sponsalitium, seu
matrimonium cum Ecclesia viduata, quod non sequitur in
his prælaturis regularibus, quæ non immutato statu perso-
næ, officium potiùs redolent, absque impressione alicujus
indelebilis characteris, ac propterea dicta forma, quæ per
sacros canones inducta est, ex eorum canonum dispositio-
ne necessaria non erat. *b*
Hodie verò ex hoc decreto, adeò dicta forma necessaria
est, ut eam servare oporteat cum majori rigore, quàm in
dictis formalibus prælaturis requiratur, cùm in eis prohi-
3 bitæ non sint aliæ species per acclamationem, vel per inspi-
rationem, seu etiam per compromissum, præterquam in
Summi Pontificis electione, in qua modernæ Constitutio-
nes pariter unicam, ac præcisam formam præscripserunt
ut in relatione Curiæ, disc. 3. & tamen per hoc decretum
istæ aliæ species sunt prohibitæ.
Ratione ibiliter autem, summaque cum prudentia per
istud conciliare decretum, ita statutum fuit, ad inducen-
4 dam majorem electionis libertatem quæ in aliis speciebus,
quamvis a jure probatis, adesse non debet, præsertim in re-
gularibus; Ex ea differentiæ ratione inter ipsos, & alios
electores, quoniam isti nullum habent adstantem superio-
rem, qui expressam, vel interpretativam vim eis inferat,
sed omnes, qui in comitiis interveniunt, coæquale jus ha-
bent, ut præsertim contingit in Capitulis cathedralium;
quibus jus competat eligendi Episcopum, ut docet praxis
aliquarum Ecclesiarum Germaniæ, ad quas hodie singulari-
ter hoc jus eligendi, quod antiquitùs erat penè generale,
restrictum fuit; c Siquidem, ubi (ex. gr.) agitur de ele-
ctione superioris provincialis, seu localis adesse solet præsi-
dentia superioris Generalis, vel alterius per eum deputati,
cui Præsidentiæ nomen congruit, cum aliqua superioritate,
adeout pro frequentiori contingentia (ut quotidiana praxis
docet) quamvis etiam ista forma conciliaria per vota secre-
ta exactè servetur, adhuc tamen quædam species violentiæ
adesse videtur, ut eligatur ille, quem Generalis velit, &
sic respectivè in electionibus localibus in illis Religioni-
bus, in quibus in usu sit præsidentia ejusdem Generalis, vel
Provincialis, seu deputati ab uno eorum.
Et quamvis ista ratio congruere non videatur comitiis ge-
neralibus, in quibus nullus inter ipsos regulares de jure
adesse videtur superior, sed omnes vocales coæquale jus ha-
bent; Adhuc tamen, saltem de facto, idem verificari vide-
tur; Vel ob prioris dignitatis reliquias, quæ remanent in im-
mediato prædecessore Generali, cui Provinciales, aliique
deffinitores, ex motivo gratitudinis, tanquam ab eo pro-
moti, publicè contradicere non audent; Vel ratione præsi-
dentiæ Cardinalis Protectoris ordinis, seu alterius præsiden-
tis in majori statu, vel prælatura constituti, ac propterea ista
forma est unica, & præcisa, & non sufficiunt aliæ, quamvis
aliàs canonicæ, utpotè per sacros canones reprobatæ.
In electionibus præsertim Provincialium, occasione
5 confirmationis per Generalem concedendæ, nimiùm fre-
quentes, penèque quotidianæ audiuntur quæstiones in
Curia, adeout absint fortè Curiales, qui cum his nego-
tiis regularium tantùm vivant, tam occasione disputatio-
num, quæ haberi solent coram Generali super electionis
confirmatione concedenda, vel deneganda, quàm etiam
in S. Congregatione Regularium, quoties determinatio-
ni Generalis Partes non acquiescant.
In hac verò materia, certa juris theorica, seu juris re-
gula, cuicumque casui applicabilis, statui non potest,
cùm revera sint quæstiones, potiùs facti, ex singulorum
6 casuum circumstantiis pro diversis Constitutionibus Reli-
gionum, vel stylis decidendæ, ut in regularium rerum
particularibus annotationibus advertitur. *d*
Ibique etiam habetur, an ex consuetudine, seu aliàs indu-
ci valeat, ut activa electio Generalis, aliorumque superio-
rum, non ad universam Religionem, vel respectivè pro-
7 vinciam, ut regulariter spectare debet, sed ad aliquam
partem, vel ad aliquas provincias pertineat. *e*
Ac etiam circa alternatam, seu turnariam electionem
8 passivam, inter provincias, vel nationes, aut alia perso-
narum genera, quoniam licèt de jure communi id cautum
non sit, attamen in plerisque Religionibus, non damna-
biliter, introductum est, ut ita quædam æqualitas serve-
tur inter omnes provincias, vel nationes; Nulla tamen
desuper certa regula statui potest, cùm ex singularum Re-
ligionum legibus, vel stylis totum pendeat. *f*
Quia verò electionum nullitates, non ex machinatione,
seu malitia oriri solet, quia nempè ex quadam religiosa sim-
9 plicitate, non callendo juris apices, aliquæ nò serventur for-
mæ de jure servandæ; Electio autem, tàm ratione personæ ele-
ctæ ex merito, quam etiam ratione sinceritatis actus, commē-
dabilis potiùs censenda sit; Hinc proinde S. Congr. inhæren-
do Sedis Apostolicæ, antiquo, ac moderno continuato sty-
lo, confirmādi electiones, quamvis de stricto jure invalidas,
per viam sanationis, aut per viam novæ deputationis ex in-
tegro ejusdem personæ electæ, idem facere solet; Quod etiam
aliquarum Religionum Generales, qui hanc habeant facul-
tatem, quandoque practicant, cum hujusmodi controversia-
rum species cum prudentialibus regulis potiùs, quam per
rigorosos juris apices, decidi soleant, ac debeant. *g*
Eadem forma ab hoc decreto inducta, electionis per vo-
ta secreta, utriusque sexus regularibus communis est,
ideoque procedit etiam in electionibus, quæ de Abbatissa,
10 seu Priorissa, aliavè Prælata in Monasteriis monialium fiunt;
Cum duplici tamen differentia; Primò nempè, quod in
istis non est de facili practicabilis forma scrutinii per sche-
dulas, ut practicatur in viris, ratione illiteraturæ, quæ
in monialibus ut plurimùm viget, unde propterea vota
singulariter, ac secretò proferuntur coram Episcopo, vel
altero Prælato, qui ea recipere solet.
Et secundò quod in viris, quando leges particulares Re-
11 ligionis aliter non disponant, innovata non est dispositio
juris communis, ut major pars concludi dicatur ub excessu
me-

mediaetatis vocum, habita ratione, seu comparatione omnium votorum, quæ de jure legitima sint, & computari debeant, quamvis excessus esset in modico, unius, vel etiam dimidii voti, juxta terminos generales juris; Secus autem est in electionibus faciendis per moniales, in quibus per provisiones Concilio posteriores statutum est, ut duæ ex tribus partibus necessariæ sint ad electionem concludendam. *b*

Ubi verò ita electio concludi non valeat, tunc per decreta Sacræ Congregationis injungitur Ordinario, vel alteri
12 Prælato, ad quem pertinet, ut pluries scrutinia repetere curet, præviis illis monitionibus, ac diligentiis, quæ citrà violationem libertatis adhiberi possunt, atque ubi non concordent, ipse Abbatissam deputet; *i* Ut ego practicavi in ipsomet initio, quo electus fui Vicarius capitularis in patria, quod cùm fieri deberet electio Abbatissæ in Monasterio in quo tres habebam germanas sorores moniales inter se
13 divisas, cùm duæ uni, & una alteri adhærerent, adeoque vota scissa essent, atque exactæ diligentiæ cum reiteratione quatuor, vel quinque scrutiniorum, omninò inutiles essent, adeout neque unum votum alterari potuerit; Ego deputavi in Abbatissam eam, quam reverà major pars eligebat, adeout ad limites juris communis illa verè electa esset; Atque ita videtur, quod Prælatus se gerere debeat in isto casu omisso servando dispositionem juris, ac deputando illam personam, quam constet à majori parte volitam esse, non autem pro ejus libito, quoniam quamvis licitum sit, non tamen est honestum.

Non potest autem Episcopus, vel alter superior, ob illam electionem faciendam, ingredi clausuram, ibique
14 cum monialibus ratione scrutinii conversari, sed id faciendum est ex parte Ecclesiæ per fenestrellam communioni destinatam, per quam id congruè explicari potest, atque bene, nimiumque laudabiliter se geret, si confessarium, aliosque probatos viros secum assistentes habeat.

Ubi autem agatur de Monasteriis monialium exemptis?
15 Ex modernis Constitutionibus Apostolicis potest Episcopus, ubi velit, cum proprio Prælato regulari intervenire, ac assistere, non tamen jus confirmandi prætendere potest, si alteri aliàs competat.

Quo verò ad Abbatissæ passivam electionem; In secundo
16 ex his decretis dicitur, ut in moniali provecta cadere debeat, quæ annum quadragesimum excedat, atque saltem per octos annos professa sit, quatenus in Monasterio adsint plures moniales hujusmodi qualitatem habentes, in quibus libertas electionis practicari valeat; Sin minus, eligi valeat altera junior, quæ saltem trigesimum annum excedat, atque per quinquennium professa sit; Ideoque in facti contingentia hæc Sacra Congregatio invalidam declaravit electionem factam de Abbatissa, quæ dictam ætatem annorum 40. non expleverat ob existentiam plurium monialium, in quibus hoc decretum practicari poterat. *l*

Cùm autem, Sac. Congregatione demandante, ut ad electionem denuò devenirent, atque hoc intermedio tem-
17 pore monialis electa, necessariam ætatem complevisset, eaque denuò pro majori parte electa fuisset, dubitandum fuerit, an hæc electio substineretur in eadem persona, dum præcedens cassata fuerat; Et pro validitate responsum fuit, fundatè quidem, quoniam conclusio, ut ille cujus electio cassata est, denuò eligi non debeat, de jure procedit, quando cassatio provenerit ex vitio personæ, vel ex alia nullitate culposa ex parte electi; Secùs autem, ubi ob istud, vel simile impedimentum naturale, quod culpam, vel demeritum personale non præseferat, quoniam eo cessato non prohibetur denuò eligi.

Atque ubi agatur de Monasterio, quod pro regulari ejus
18 statu virgines tantum admittat, jure tamen speciali, vidua, seu aliàs corrupta, admissa fuerit, ut quandoque per Sac. Congregationem concedi solet, cum obligatione tamen solvendi dotem duplicatam, & quandoque plus, vel etiam minus pro facti, vel causæ qualitate, ista tamen prohibetur eligi in Abbatissam. *m*

Prout per Apostolicas Constitutiones, post istud decretum editas, cautum est, ut hoc officium, ad instar regula-
19 rium virorum, temporale ad triennium tantum esse debeat, neque istud tempus prorogari possit per viam confirmationis, vel novæ immediatæ electionis, cùm saltem pro primo triennio vacare debeat, quamvis omnium monialium accedat assensus; *n* Benè verùm, quod ubi moniales id desiderent, atque Episcopus Sact. Congregationi Episcoporum, & Regularium referat, quod ita Monasterii bono regimini expediat, de facili solet hæc Sac. Congregatio, in hoc dispensare, seu Episcopo pro ejus arbitrio dispensandi facultatem concedere. *o*

Si verò ex particulari consuetudine, adhuc continuata, vel ex lege adjecta in limine fundationis, à superioribus approbata, Abbatissa sit ad vitam, ista Sacra Congregatio in 20
eodem casu, in quo superius insinuata quæstio ætatis habita fuit, validam hujusmodi electionem censuit; *p* Quod tamen in aliquibus Monasteriis ultra montes practicatur; Secus autem citra, cùm fortè in Italia nullus detur casus, in quo post dictam Apostolicam Constitutionem, Abbatissa, seu Prælata, aut alio quocumque nomine nuncupata sit perpetua.

Quamvis enim in Urbe hanc perpetuitatem praxis quoque doceat in celebri Monasterio Turris speculorum, quod
Superiorissa, cui Præsidentis nomen tribuitur, perpetua 21
sit; Attamen istud Monasterium, vel alia similis instituti, sub his, vel similibus decretis, seu constitutionibus regulariter istæ non continentur, quoniam in effectu non sunt moniales, quæ formalem professionem irretractabilè emittant, & per quam spirituale matrimonium contrahi dicatur, sed sunt potius personæ sæculares, sive oblatæ, quæ tanquam in conservatorio collegialiter sub pio, vel ecclesiastico instituto vivunt, clausuræ non subjectæ, quàm institutum strictissimum sit, (& quidem magnæ exemplaritatis;) Unde propterea ad sæculum pro libito redire valent, atque interim sunt capaces retinendi proprium, ac testandi, seu aliàs disponendi, ut pluries alibi advertitur. *q*

a *sub tit. de Canon. & Cap. disc. 26. cum seqq. & alibi.*
b *in ibidem allegatis, & infra.*
c *eod. tit. de Canon. & Cap. disc. 27. & 28. & seq.*
d *tit. de Regular. disc. 2. cum plur. seqq.*
e *eod. tit. disc. 2.* f *eod. tit. disc. 3. 4. 6. & 10.*
g *eod. tit. de Regul. disc. 1. & 22.*
h *plures declarationes S. Congregationis referunt Barbos. & alii Collectores, vel practicantes.*
i *proxime supra.* l *in casu illius Monasterii, de quo agitur sub tit. de Regul. disc. 24.*
m *apud eosdem Collectores habentur relata resolutiones.*
n *apud eosdem, atque docet inconcussa praxis.*
o *docet praxis quotidiana Sacra Congregationis Episcoporum & Regularium.*
p *in eodem casu, de quo d. disc. 24. de Regular.*
q *sub tit. de dote, disc. 5. & 167. & sub tit. de Regul. disc. 50. & alibi.*

Ad sessionem 25. de Regular. cap. 13.

S U M M A R I U M.

1 *Quæstiones præcedentiæ quomodo decidi debeant.*
2 *Regulares exempti tenentur accedere ad processiones publicas.*
3 *De ratione, ob quam hæc potestas Ordinario tribuitur.*
4 *De Constitutione Greg. XIII. in hac materia.*
5 *Per dictam Constitutionem præservatur consuetudo.*
6 *Quando in eadem Civitate adsunt plures conventus ejusdem Religionis, attenditur antiquitas primi.*
7 *Quid ubi religiosi conventuum recentiorum procedunt soli sine illis Conventus antiquioris.*
8 *Quando attendatur antiquitas receptionis in loco.*
9 *De materia præcedentiæ remissivè.*

D I S C. XXXVIII.

PRæcedentiæ quæstiones, quas inter regulares in publicis processionibus, aliisque ecclesiasticis functionibus, antiquiori tempore frequentius, quam hodierno oriri, praxis 1
docebat, decernit Sancta Synodus, ut per Episcopum, summariè decidi debeant, ex authoritate ab eodem Concilio delegata, per quam, privilegia exemptiva non suffragentur; Et meritò quidem, quoniam, cùm eadem privilegia, ex alio conciliari decreto, atque ex multis declarationibus hujus S. Congregationis, vel alterius Regularium, quæ apud consuetos Collectores habentur, non suffragentur quoad 2
obligationem accedendi ad publicas processiones, ad quas ab ipso Ordinario, etiam cum pœnis, & mulctis cogi possunt, unde propterea in hac parte sunt ejus subditi. *a* Hinc de consequenti, congruum est, ut idem fit decisor controversiarum, quæ earumdem processionum occasione oriuntur, Ac etiam quis expedit, ut promptè ad occurrendum scandalis, quæ desuper oriri solent, provideatur; Multò verò magis hæc eadem potestas attributa est cum clericis sæcula-

cula-

cularibus, ac etiam cum confraternitatibus laicorum, quibus omnibus eadem incumbit necessitas ad processiones accedendi, illis exceptis, quibus specialis exemptio ab Apostolica sede concessa sit, quarum plures recensent Collectores super hoc eodem decreto. *b*

4 Cùm autem hæc provisio sufficiens non esset ad hujusmodi controversias, vel componendas, stantibus privilegiis, quibus aliquæ Religiones potiri prætendebant; Hinc proindè prodiit Constitutio Greg. XIII. quæ prudenter statuit, ut sola ratio antianitatis in loco haberi debeat, idest ut illi religiosi præcedant, qui prius recepti sunt, atque Monasterium, vel Conventum ibi fundarunt; Nisi de illis religiosis agatur, qui ex humilitatis motivo, infimum locum semper occupare profiteantur, omnibusque aliis cedere, quamvis in loco recentioribus, ut sunt præsertim Capuccini.

5 Per eamdam tamen Constitutionem reservatur localis consuetudo, quæ in ista præcedentiæ, omniumque aliarum præeminentiarum materia, potissimùm attendenda est. *c*

6 Ubi verò contingat, quod ejusdem Religionis plures Conventus in eodem loco diversis temporibus fundati sint; Tunc in processionibus generalibus, in quibus omnes interveniunt, cessat quæstionis occasio, quoniam omnes ejusdem instituti incedunt uniti sub unica cruce conventus antiquioris, illum repræsentantes, & consequenter præcedunt religiosos aliorum conventuum, qui intermedio tempore fundati fuerunt, cùm recentior conventus nullam in ea functione figuram faciat.

Controversiæ autem exoriri consueverunt, quando in funeribus, vel privatis processionibus invitantur solùm
7 religiosi conventus recentioris sub propria cruce incedentes absque mixtura conventus antiquioris, an scilicet locum propriæ fundationis occupare debeant, vel retinere eumdem, quem in processionibus publicis occupant; Atq; juxta hanc secundam partem pluries per Sac. Congregationem Rituum, cujus istæ quæstiones sunt peculiares, decisum fuit; Et meritò quidem, quoniam dedecet, ut iidem religiosi modò unum, & modò alterum locum occupare cernantur, cùm populus ad hujusmodi distinctiones non de facili reflectat, ut in meis annotationibus præeminentialibus advertitur. *d*

Iste autem ordo, qui ex antiquitate receptionis in loco regulatur, neglectis privilegiis generalibus, quoties ex consuetudinis confirmatione munita non fiat, attendi-
8 tur inter illos regulares, qui ejusdem hierarchiæ censentur, atque sub clero regulari incedunt; Secùs autem ubi de illis agatur, qui licèt regulare institutum profiteantur, attamen de ordine hierarchico clericorum sæcularium potiùs censentur, ut sunt Canonici regolares Lateranenses, qui cum rochetto discooperto, & biretto incedunt, adeo ut excepto colore vestis inferioris, à reliquis clericis sæcularibus non distinguantur; Secus autem, ubi de iis Canonicis regularibus agatur, qui cum scapulari, & cappa, ita cooperti incedunt, ut Monachi, seu de ordine hierarchico regulari potius censeantur. *e*

De plerisque autem aliis concernentibus hanc ma-
9 teriam præcedentiæ inter regulares, vel etiam inter sæculares, habetur in eisdem annotationibus præeminentiarum, vel in aliis rerum regularium. *f*

a *Barbos. de Episc. alleg. 105. tit. de Regul. disc. 19. & sæpius.* b *Barbos. & alii.*
c *tit. de præmin. disc. 25. & de Regul. disc. 19.*
d *d. disc. 25. de praem.* e *eod. tit. de præm. disc. 24.*
f *d. disc. 24. & 25. de præm. & disc. 19. de Regul.*

Ad eamdem sess. 25. de Regular. cap. 15. & 17.

S U M M A R I U M.

1 *Professio fieri non potest ante annum 16. expletum.*
2 *Quæ ætas sufficit de jure communi ad professionem.*
3 *Etiamsi dies deficiat ad dict. ætatem professio est nulla, nisi adsit Apostolica dispensatio, & quando hæc attenditur.*
4 *De jure, an annus novitiatus sufficeret discontinuus, sed ex Concilio debet esse continuus.*
5 *An, & quando egressus à novitiatu illum corrumpat.*
6 *Potest quis etiam ultra annum esse novitius, & in qua ætate possit suscipi habitus.*
7 *Si statuta Religionis statuant ætatem majorem, quam præfinitam à Concilio, an causet nullitatem.*
8 *Eadem forma novitiatus requiritur, ubi Religiosus transferatur de una Religione ad alteram.*
9 *An ista forma requiratur in Religionibus militaribus?*
10 *An professores militarium sint personæ ecclesiasticæ?*

D I S C. XXXIX.

DIsponitur in hoc decreto, ut Regulares utriusque sexus sub decreto annullativo, ad professionem admitti nõ debeant ante expletum annum decimum sextum, atque non peracto integro anno probationis, seu novitiatus. 1

Dupliciter itaque juris communis dispositio per hoc decretum alteratur; Primò nempe circa ætatem, quoniam illa in jure taxata non reperitur, ad hoc, ut in Religione solemnis professio emitti valeat, magisque communis DD. sensus est, juxta regulas generales, ut sufficiat illa ætas, quæ sufficit pro quocumque contractu, vel dispositione, seu obligatione apud Deum, & præsertim pro matrimonio, unde propterea exemplificatur in pubertate, quæ adesse dicitur in anno decimo quarto. 2

Quinimò, neq; hic præcisè, ac taxativè necessarius est, cùm ista præfinitio ex frequentiori contingentia, juxtà ordinem naturæ, pro quadam regula generali facta sit à lege civili in testamentis, aliisque actibus; Ista verò lex apud Deum, ac in spiritualibus non attenditur, cùm in his attendenda veniat veritas naturalis, ideoque si malitia supplente ætatem, ante dictum tempus adsit illa perfectio, quæ regulariter per dictam ætatem sequi solet, ista veritas attenditur, & è converso si post eam completam adhuc duret illa imperfectio judicii, quam lex civilis in ætate pupillari præsumit, potiùs veritas, quam fictio, vel præsumptio attendi debet. *a*

Verùm quia dicta ætas, adhuc tenera, & seductionibus subjecta visa est, ac etiam varietas opinionum inconvenientia producebat; Hinc prudenter ista major ætas præfinita est, cum decreto annullativo; Ideoq; etiamsi dies deficeret ad complementum dictæ ætatis, professio invalida est, Nisi Apostolica dispensatio accedat, quæ ab ipso profitente, vel eo de tempore professionis sciente, ac ratihabente obtenta sit, ut in regularium rerum annotationibus advertitur. *b* 3

Altera est dispositio circa continuationem integri anni novitiatus requisitam pro forma, quoniam de jure quæstio erat, cùm non modica opinionum scissura, an daretur conjunctio temporum interpolatorum, ad constituendum probationis annum, ut in eisdem rerum regularium annotationibus latiùs advertitur, ideoque Concilium ad tollendas hujusmodi quæstiones, desuper cum optimo consilio providit, ut ita continuatè, ac in omnibus anni temporibus novitius Religionis asperitates probet. *c* 4

Adhuc tamen remanent quæstiones, an, & quando egressus à novitiatu, vel desertio habitus, ipso anno probationis, adhuc durante, vel etiam eo expleto novitiatum corrumpat, adeout illum ex integro repetere oporteat, idque varias habet distinctiones in eisdem rerum regularium notis recensitas, ubi videndum est, ne eadem inutiliter repetantur. *d* 5

Quamvis autem pro frequentiori usu, juxtà ejusdem decreti conciliaris monitum, expleto anno probationis, novitius, vel novitia ad professionem admittatur, vel dimittatur; Non tamen id præcisè, ac de forma necessarium est, quoniam habitus religiosus etiam antea suscipi potest, dummodò, juxtà ejusdem Concilii decretum, puellæ ante annum duodecimum ad illum non admittantur; Et consequenter etiam in Religionibus claustralibus non implicat, ut persistatur in statu novitii, etiam per duos, aut plures annos, quamvis bonus ordo, juxtà Religionum varia instituta, id non de facili exigat, vel fiat, non sit circumstantia annullativa. *e* 6

In plerisq; Religionibus, ex earum statutis, major præfinita ætas ad professionem, ut præsertim ob nimiam instituti austeritatem, cautum est in Religione Minimorum, quod scilicet præfinita est ætas annorum 18. Ut etiam ex diversa ratione cautum est in Religione Hierosolymitana; Istud autem est consilium, non autem præceptum annullativum; Sive est præceptum obligatorium Superiorum, nè alias ad professionem admittant, quodque alias tanquam contraventores puniri valeant, sed si servata forma per Concilium præfinita circa novitiatum, ac ætatem, professio emittatur, illa valida erit. *f* 7

Eadem forma, præsertim circa novitiatum, servanda est, in iis utriusque sexus, qui jam validè, ac solemniter professi in una Religione, vel in uno Monasterio, ad aliam Religionem, 8

vel

vel ad aliud Monasterium transitum faciant; Quinimò etiamsi attenta origine, eadem sit Religio, quæ posteà ratione reformationis divisa sit, unde propterea de facto sint dua diversa Instituta, idem procedit; Benè verum, quod isto casu per sacram Congregationem Regularium dispensari solet tempori, ut scilicet aliquorum mensium, vel dictum novitiatus sufficiat, pro facti qualitate. g

9 In Religionibus militaribus quæstio est, an ista forma novitiatus continui requiratur; Recepta verò est affirmativa in illis Religionibus militaribus, quę sint verę Religiones, cum formali emissione trium votorum substantialium, adeout imprimatur verus status regularis, cum effectibus exindè resultantibus incapacitatis possidendi in particulari, ac omnimodæ mortis civilis ad effectus mundanos, ut est militaris Religio S. Joannis Hierosolymitani, vel alia similis, si quæ adest; Secus autem, ubi agatur de illis militiis quæ profitentur quidem pium, ac laudabile institutum à Sede Apostolica probatum, non tamen formalem statum regularem imprimunt; Ut (ex. gr.) sunt in Italia militares Religiones SS. Mauritii, & Lazari, & S. Stephani, & in Hispania sunt S. Jacobi de Spata, de Calatrava, & de Alcantara, Et pleræque similes in aliis regionibus, cùm verum sit, ut personæ hujusmodi

10 regulam profitentes non sint veri religiosi. h Sub quæstione autem est, an sint personæ ecclesiasticæ, ad effectum exemptionis à foro, vel ab oneribus laicalibus, ex iis, quæ in jurisdictionalibus notis, ac alibi advertuntur. i

a *agitur sub tit. de Regul. disc. 41.* b *eod. disc. 41.*
c *eod. tit. de Reg. disc. 46.* d *eod. disc. 46. et in aliis eod. tit.*
e *eod. tit. de Regul. d. disc. 41. et 43.*
f *d. disc. 43. et 46. de Regul.*
g *eod. tit. de Regul. disc. 37. et seqq.*
h *tit. de jurisd. disc. 92. de jurep. disc. 20. et tit. de Regular. disc. 30.* i *ibid. et de Regalib. disc. 84.*

Ad eamdem sess. 25. de Regular. cap. 16.

S U M M A R I U M.

1 *Quando renunciationes fieri possint.*
2 *A novitiis nihil recipi potest.*
3 *Quomodo intelligatur lapsus duorum mensium.*
4 *In qua ætate suscipi possit habitus.*
5 *De inconvenientibus circa renunciationes, etiam servata ista forma.*
6 *Servata ista forma, non requiruntur aliæ solemnitates.*
7 *An servari debeat hæc forma, ubi renunciatio fiat ante ingressum.*
8 *Quod non prosit ratio resolutionis in casu egressus.*
9 *Forma debet servari, ad favorem cujuscumque renunciatio fiat.*
10 *De casu mixto, quod quis sit ingressus Monasterium, sed non susceperit habitum.*
11 *De resolutione renunciationis, cessante causa.*
12 *De eodem, et de alia resolutione.*
13 *Quid Monasterio præstari possit.*
14 *Quando in hoc intret simonia.*
15 *An hæc forma servari debeat in contractu correspectivo et oneroso.*

D I S C. XL.

1 De renunciationibus faciendis per eos, qui in Monasterio, vel in Religione profiteri volunt, in hoc decreto agitur; Ut scilicet, sub annullatione actus, renunciationes fieri non valeant, cujuscumque favore, etiam piæ causæ, vel cum juramento, nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii generalis, intra duos menses proximos ante profes-

2 sionem, & non alias; Decernendo etiam, ut ante professionem, excepto victu, & vestitu, nihil a Monasterio, vel a Religione, de novitii bonis obtineri valeat, quandoq; novitio propositum mutante, atque exeunte a Religione, omnia integrè restituantur; Ita præsertim cavendo, nè novitii bonis cum hujusmodi renunciationibus, aliisve elargitionibus spoliati, inviti, cogantur professionem emittere, atque in statu religioso perseverare, nè alias in sæculo mendicitatem pati cogantur.

3 Super prædicti autem temporis duorum mensium præfinitione, antiquiori tempore, inter Scribentes certatum fuit, an scilicet istud spatium pernecessè intercedere debeat inter renunciationem, & professionem? Atq; affirmativam aliqui malè tenent; Veriùs autem, atque in praxi omninò receptum est, ut etiam expleto integro probationis anno, ipsa præambula professionis die, vel hora, id fieri valeat, cum dictus terminus ita præfinitus fuerit, ut non antea quam post decimum mensem novitiatus, renunciatio fiat, quasi quòd ita, perseverante novitio per tantum tempus in eo proposito, sufficiens resultet argumentum ejus vocationis, ac liberæ voluntatis, non tamen prohibitum est fieri postea, quoniam, quo serius, eo melius; Potissimè verò, quia (ut *disc. prec.* advertitur) quamvis hodie ad profitendum completa ætas annorum sexdecim præfinita sit, non tamen præfinita est illa suscipiendi habitum, & ingrediendi novi- 4
tiatum, cùm in puellis tantùm provisum sit, nè ad habitum monasticum ante annum duodecimum admittantur; Unde propterea non implicet, ut quis in statu novitii persistat duobus, ac tribus annis, imò pluribus, donec legitima ætas perficiatur, cùm annus integer, & continuus præfinitus fuerit, nè sufficiat spatium minoris temporis, sed prohibitum non est majus; Licèt enim ejusdem sacri Concilii sensus videatur, ut expleto novitiatus anno, novitius, vel admittatur ad professionem, vel dimittatur; Attamen id consilium potiùs quam præceptum annullativum actus redolet, ut *disc. preced.*

Atque hinc aliquando sequi solet, (ut in praxi expertus 5
sum) quòd suscipientes habitum in tenera, & puerili ætate annorum 13. vel 14. post expletos decem menses novitiatus, adhuc ignorantes quid agant, hujusmodi renunciationes faciant, favore conjunctorum, vel aliorum, qui alienorum bonorum captatores, pueros ita malis artibus cogunt, vel alliciunt, ut aliquem habitum religiosum suscipiant; Ac propterea (ut dictum est) quo magis in ætate provectiori tardiùs imminente professione hic actus fiat, eo melior censendus erit. a

Quando ista forma, vel solemnitas adhibeatur, tam cir- 6
ca lapsum temporis, quam circa licentiam Episcopi, vel alterius ad id deputati (quæ certam præcisam formam non habet, sed per quamcumque speciem probationis justificari potest;) Tunc receptum est, ut desiderandæ non veniant aliæ solemnitates, quæ per jus commune, vel municipale generaliter in contractibus mulierum, vel minorum desiderantur, cùm ista sufficiat.

Quæstio autem est ubi renunciatio, vel alia dispositio per 7
contractum fiat, adhuc habitu non suscepto, sed in statu sæculari, contemplatione tamen imminentis, ac futuri ingressus; Tunc etenim, licet non desint contradicentes; Receptum est, ut ista forma, vel solemnitas conciliaris non requiratur; Probabilior tamen pro meo sensu videtur opinio quam plerique DD. quoque habent, ac etiam aliquando Rota tenuit, ut aliæ solemnitates juris communis, vel statutarii adhiberi debeant, nè ita utraque forma actus careat; Et quamvis Alii (cum quorum sensu hodie procedi videtur) contrarium teneant, ea ratione ducti, quod sacri Canones, ipsæque leges civiles, volentibus ingredi religionem, disponendi libertatem præbeant; Attamen hæc opinio non placet quoniam absonum atque contra Concilii mentem videtur, ut hujusmodi actus absque aliqua solemnitate fiat, cum ita nimium de facili eadem lex conciliaris eludi valeat; Si quidem adhibere unam, vel alteram formam, non percutit impedimentum libertatis, neq; disponendi potestatem restringit, sed ad majorem libertatem, ac sinceritatem tendit, ut ita adolescens, calliditatibus, ac seductionibus, vel violentiis, minus subjaceat; Ideoque nulla subesse videtur congrua ratio, quæ hanc opinionem probabilem reddat.

Et quamvis Aliqui aliam assignent rationem, quod in- 8
gressuro non ingrediente Religionem, actus resolvatur tanquam a cessante causa, & consequenter non remaneat præjudicialis, unde propterea cesset necessitas solemnitatum, quæ in testamentis, aliisq; dispositionibus per ultimam voluntatem non requiruntur: Non tamen est ratio congrua, quoniam etiam postquam, elapso decimo mense novitiatus renunciatio, juxta istam formam conciliarem facta est, adhuc in casu egressus, vel non factæ professionis, intret eadem resolutio; Et consequenter si ista ratio esset sufficiens, fatua censenda esset hæc provisio conciliaris, quod admittendum non est; Sed potiùs dicendum, quod prudenter a Concil. cogitatum fuit (experientia forsan illos Patres edocente) quod adolescentes, istas non callent subtilitates, sed eo ipso quod bonis renunciarunt, se illis spoliatos reputant, ideoque intrat ratio, quæ Concilium movit ad ita statuendum; Neque probabilis differentia dignosci videtur cur ille, qui habitum religiosum suscepit, prohibitus esse debeat renunciare ante completum decimum mensem novitiatus, quodque ingressurus, qui junior, minusque prudens est supponendus, hanc libertatem habeat.

Ratio

Ratio etenim illius restrictionis, sub qua novitii vivunt,
9 à magistri, aliorumque Superiorum nutu omninò pendentes congruere solùm ita videretur renunciationibus, quæ fierent ad favorem ipsius Monasterii, vel Religionis; Sed cùm receptum sit, ut ista forma conciliaris adhiberi debeat, etiam in ea renunciatione, quæ favore conjunctorum, vel cujuscumque alterius fiat; Idcircò ista ratio neque concludit; Quinimò benè retorquetur, quoniam conjunctorum, vel aliorum violentiis, vel seductionibus minus subjacent adolescentes, quando suscepto habitu in novitiatu vivant, quam ubi sint in sæculo. *c*

10 Mixtum casum quoque disputare occasio dedit, ubi scilicet adolescens in Religione acceptatus, atque de facto in novitiatu sub magistro aliorum novitiorum more vivens, ex Religionis commendabili instituto, vel stylo, adhuc per aliquos dies habitum sæcularem retinet, an scilicet ista forma conciliaris adhiberi debeat, atque mihi affirmativè respondere visum est, in rerum regularium annotationibus advertitur. *d*

Quidquid autem sit, ubi illæ adhibeantur solemnitates, quæ à communi, seu municipali lege præscriptæ sunt, ultraque tamen forma deficiente, ubi de minoribus, agatur, nunquam intellectus huic opinioni acquiescere potuit, cùm nulla suppetat ratio, quæ id probet.

11 Quatenus verò pertinet ad aliam hujus decreti partem, super resolutione renunciationis, vel alterius contractus, non secuta professione, tanquam ea cessante causa; Aliquorum sensus est (quem Rota aliquando probavit) ut id non procedat, quando renunciatio expressam habeat declarationem, ut etiam in casu egressus à Religione, ac non secutæ professionis actus firmus remaneat. *e*

Id autem neque satisfacit, quoniam ita esset imponere legem verbis, & non rebus, nimium de facili huic decreto, cùm ista verbali cautela, ad quam adolescentes advertere non solent, fraus fieri posset; Ideoque dictum assumptum, pro meo sensu, eatenus recipiendum videtur, quatenus facti circumstantiæ illud probabile reddat, qualis erat casus in quo Rota ita respondit, *f* quòd scilicet donatio à viro majoris, ac provectæ ætatis ex omninò libera electione facta sit, non autem ut principaliter, ingressus fuerit causa omninò finalis, ideoque discretè, ac pro facti qualitate id intelligēdum est, principaliter attendendo substātiam veritatis potiùs quam verborum formulas, quæ Notariorum, vel sapientum potiùs, quàm ipsorum contrahentium esse solent; Quinimò pro meo sensu, quo majores, ac insolitæ sunt clausulæ, & cautelæ, eo magis actus redditur suspectus, ac propterea verisimilitudo, vel inverisimilitudo esse debet materiæ regulatrix.

12 Ejusdem resolutionis etiam post secutam professionem, quæstiones cadunt quando casus egressum præbeat ob annullationem professionis, vel ob Episcopalem dignitatem, sive Religionis suppressionem, vel transitum ab una Religione ad alteram, potissimè verò ab incapaci ad capacem; Verùm hæc non percutiunt materiam hujus decreti super validitate, sed aliam diversam, de qua in renunciationis generica sede agitur, ubi etiam de hujusmodi interpretatione, vel operatione habetur. *g*

13 Cumque in hoc decreto disponatur, ut præterea, quæ ad novitii victum, ac vestitum necessaria sunt, nihil aliud recipiatur; Quæstiones promoveri solent an prandia, aliaque consueta munuscula prohibita censeantur, præsertim in Monasteriis Monialium, in quibus susceptio habitus monastici quamdam sponsalitiam solemnitatem præseferre videtur; Receptum tamen est, ut toleretur consuetudo, quoties debitæ moderationis limites non excedat, neque transeat in abusum, unde propterea totum commissum est prudenti Episcoporum, aliorumque superiorum arbitrium pro moribus regionis, ac personarum, & Monasteriorum qualitate.

Ita tamen ut munerum præstatio referri non valeat ad premium illius acceptationis, quæ per moniales, vel reli-
14 giosos de professuro, vel ingressuro facienda est, juxta distinctionem in rerum regularium annotationibus traditam, super quæstione, an & quando id, quod per suscipientem habitum, vel profitentem, Religioni, vel monasterio datur, redoleat necne simoniam? *h*

Ista verò formam in renunciationibus servandam non requiri in contractibus onerosis, ac merè correspecti-
15 vis, vel factis in recognitionem veritatis, & bonæ fidei probabile videtur. *i*

a *De hac renunciat. sub tit. de Regul. disc. 58. & 59. & sub tit. de donat. disc. 15.*
b *ibid. & sub tit. de renunc. disc. 11.*
c *d. disc. 58. & 59. de Regular.* d *eod. disc. 59.*
e *d. disc. 15. de donat.* f *d. disc. 15.*
g *sub tit. de renunc. disc. 1. cum plur. seqq.*
h *tit. de Regul. disc. 47. & 48.* i *d. disc. 11. de renunc.*

Ad eamdem sess. 25. de Regul. cap. 19.

S U M M A R I U M.

1 *De annullatione professionis.*
2 *De forma allegandi, & tractandi hanc annullationem.*
3 *Qua regula detur in hac materia.*
4 *De lapsu quinquennii quid operetur.*
5 *Quomodo rescribi soleat de restitutione in integrum.*
6 *De stylo particulari in Religione Hierosolymitana.*
7 *Lapsus quinquennii an operetur præsumptionem juris, & de jure.*
8 *Quomodo fieri debeat reclamatio infrà quinquennium.*
9 *De transitu ab una Religione ad alteram.*
10 *An in casu transitus, Religiosus secum trahat bona?*

D I S C. XLI.

INter omnia decreta conciliaria; quæ de regularibus utriusque sexus agunt, omnium frequentius est illud, per quod certa præscribitur forma super annullatione professionis, quæ invalida prætendatur, utpotè emissa per vim & metum; Sive ante legitimam ætatem; Aut non benè peracto anno novitiatus; Vel eo peracto, & postea corrupto; Sive ex alia causa, ex qua, juxta diversa Religionum instituta, professio invalida prætendatur. 1

Forma enim est, ut reclamatio, seu oppositio nullitatis sequatur intra quinquennium à die professionis, quo elapso admittitur judicibus facultas judicandi, si verò intra præfinitum tempus id sequatur, hoc judicium peragi debeat coram Ordinario loci, & coram proprio superiore locali, idest illius Monasterii, in quo professionem emiserit, seu ubi à superioribus collocatus fuerit, cum sub nomine superioris regularis, veniat ille, qui sit Prælatus illius Monasterii, vel conventus, non autem totius Ordinis. 2

Si verò contingat, ut religiosus spontè sua habitum dimiserit, seu aliàs claustris exierit, decernitur, ut audiri non debeat, nisi prius reassumpto habitu, ad claustra redierit sub disciplina regulari, ac superiorum obedientia, donec causa peragatur, atque si egressus cum dimissione habitus talem habeat circumstantiam, quod temerarius dici valeat, unde propterea apostatæ crimen commissum sit, demandatur quoque istius criminis punitio. *a*

Quandu itaque ista forma servetur, facti potiùs, quàm juris remanent quæstiones, super prætensæ nullitatis subsistentia, vel insubsistentia, cum totum pendeat ex probationibus ac facti circumstantiis, ideòq; desuper statui non potest certa regula generalis cuicumque casui applicabilis; Idemque circa invalidæ professionis, expressam, vel tacitam sufficientem ratificationem, cum totum pendeat à facti qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantiis, ex iis quæ pro diversorum casuum contingentia habentur in rerum regularium annotationibus, ubi videndum est. *b* 3

Majores autem quæstiones in hac materia esse solent, post lapsum quinquennii; Tum ob adeptam judicibus aliàs competentibus jurisdictionem; Tum etiam ob ratificationis, vel tacitæ professionis præsumptionem, ex hoc quinquennali silentio resultantem. 4

Quatenus itaque pertinet ad jurisdictionem, seu ad judicum habilitatem, necessaria est specialis commissio Papæ super restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, eaque diversimodè concedi solet; Pro frequentiori enim praxi, in Religionibus præsertim claustralibus, commissio remitti solet consultationi hujus S. Congregat. Concilii, & quandoque (licèt nimiùm rarò) alteri Regularium, in qua examinari solent istæ causæ pro hujusmodi concessione, pro qua S. Congregat. consulte signatur commissio ad hujus decreti formam Ordinario ac superiori locali directa, & aliquando Vicario Urbis, & superiori locali ejusdem Urbis, quando recurrens in ea reperiatur. 5

Quandoque verò (ubi præsertim agatur de iis, qui in S. Religione Hierosolymitana professi sint) de hoc agitur coram Sanctissimo in plena Signatura Gratiæ, in qua cum formali disputatione, examinato negotio quando creditur non adesse causa sufficiens *Nihil* rescribitur, atque commissio denegatur; Quando verò è converso causæ reputantur sufficientes, de commissione rescribitur, & quando id ambiguum sit, rescribi solet de commissione cum clausula 6

aris-

arbitrio dè voto Rotæ, ut scilicet in hoc Tribunali formiter examinentur, tam causæ restitutionis in integrum, quàm etiam ipsa nullitas, juxta plures casus in eisdem rerum regularium annotationibus recensitos, *c* & ad quas contingente quæstione recurrendum est, cum non de facili in istis, quæ facti potiùs, quàm juris quæstiones videntur, certa determinata regula generalis statui valeat.

Quamvis etenim plerique opinentur, ut hoc decretum invalidæ professionis ratihabitionem firmam producat per quinquennale silentium, quod operetur præsumptionem juris, & de jure: Erronea tamen ac reprobata est hæc opinio, cum omninò sit verius, ut temporis lapsus, juris tantùm inducat præsumptionem, contraria probatione elidibilem. *d*

Super modo autem reclamandi intra quinquennium, opinantur aliqui, ut eadem forma servari debeat, reclamationes scilicet faciendo coram Ordinario, & locali superiore conjunctim; Veriùs autem est, ut ista forma necessaria non sit, sed coram eorum uno, sive coram quocunque Judice, vel apud Acta Notarii, quinimò etiam coram honestis viris, vel amicis, & conjunctis id fieri valeat, cum in effectu quæstio, seu materia probatoria sit, ut in eisdem rerum regularium notis advertitur. *e*

Statuitur etiam in hoc decreto, ne religiosi professi transitus fiat a strictiori ad laxiorem Religionem, absque Apostolica dispensatione; Quinimò neque à laxiori ad strictiorem, libertas transeundi conceditur, sine licentia S. Congregationis Regularium, quæ audito superiore primæ Religionis, id concedere solet, certas præscribendo Religiones, in quibus benevoli receptores inveniantur, pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, ideòque certa regula desuper statui non potest, sed pariter in casus contingentia videndum est in præfatis eorum regularium particularibus annotationibus; *f* In quibus etiam agitur quid dicendum sit de bonis religioso quæsitis, vel ei delatis in casu transitus, vel respectivè in casu annullationis professionis. *g*

a *tit. de Regul. disc.42.* b *eod. t. de Regul. disc.40. & seqq.*
c *locis proximè citatis.* d *ibidem.*
e *ibidem, & præsertim, disc.41. & 45.*
f *dict. disc.41. & seqq.* g *eodem disc. 41.*

Ad sessionem 25. de Reform. c. 1.

S U M M A R I U M.

1 *INjungitur Prælatis modestia vitæ.*
2 *An Baronibus titulatis competat thronus, seu baldacchinum in Ecclesia.*
3 *De quæstionibus in spoliis clericorum, & Episcoporum.*
4 *Clerici habent duplex patrimonium, & duplicem heredem, ut etiam habent milites, & feudatarii.*
5 *De quibus bonis præsumantur factæ acquisitiones, vel respectivè præsumatur clericus alimentatus.*
6 *Qualis in hoc sit cautela.*
7 *De indulto testandi Cardinalium et aliorum, in quibus non suffragetur.*
8 *Quæ dicantur bona destinata cultui divino debita Ecclesiæ.*
9 *De his indultis testandi sine solemnitatibus.*

D I S C. XLII.

1 IN hoc decreto injungitur Episcopis, aliisque ecclesiasticis
Prælatis, ut modestè vivant, atque frugali mensa, modestaque suppellectili utantur, quodque ecclesiasticos redditus benè distribuant, non autem conjunctos ditare satagant.

Occasione primæ partis modestæ supellectilis, examinant aliqui, an id in Ecclesia, circa ornamenta throni, seu Baldacchini Episcopalis, aliaque decorem dignitatis, atque cultum
2 divinum concernentia intelligendum sit, & concludunt negativè; Istaque occasione, cum consuetis digressionibus, interunt, an Baronibus, aliisque temporalibus Dominis permittendus sit in Ecclesia usus throni, seu baldacchini, & pariter concludunt negativè, talisque est regulariter sensus S. Congregationis Rituum, ac etiam alterius Episcoporum; Verùm discretè id intelligendum est pro moribus regionum aliisque spectatis facti circumstantiis, ex quibus aliquando ad majora mala, & inconvenientia evitanda, id tolerare congruae, ut in meis præeminentiarum notis advertitur. *a*

Quo verò ad alteram partem, in qua præcipitur, ut ab avaritia abstinere debeant, atque redditus ecclesiasticos piis operibus distribuere, non autem conjunctis applicare; Id con-
3 cernit potiùs consilium, quàm præceptum, saltem quoad forum externum (cum de interno ex pluries protestatis agere, non sint partes viri forensis, ipsique videant.) Ideoque in ista, vel in aliis Sacris Congregationibus, aliisque Tribunalibus desuper nullæ audiuntur quæstiones, ipsis Prælatis viventibus; Eis autem defunctis, non ex istius decreti, sed ex antiquorum canonum dispositione, in bonis, quæ beneficiorum ecclesiasticorum intuitu quæsita sint, intrat successio Ecclesiæ, tanquam hæres clerici in patrimonio ecclesiastico; Sive in locum Ecclesiæ per Apostolicas Constitutiones, in iis locis in quibus adsint collectores Apostolici, intrat spolium ad favorem Cameræ, ac propterea plures audiuntur quæstiones, quæ in Tribunalibus cameralibus pertractari solent.

Primò nempè inter testatos, vel intestatos hæredes patrimonii profani, & Cameram, vel Ecclesiam respectivè, super
patrimoniorum distinctè, & quænam bona ad unum, vel 4
ad alterum pertineant, & sic respectivè etiam onera, & debita cum in clericis detur illa duplicis patrimonii ac duplicis hæredis in solidum distinctio, *b* quæ de jure communi datur in milite, & de jure feudali datur in feudatario. *c*

Et præsertim, ubi acquisitiones factæ sint promiscuè abs-
que distinctione, unde propterea recurrendum sit ad præ- 5
sumptiones, quid scilicet potiùs clericus pro ejus substentatione erogaverit, & quid cumulaverit pro acquisitione, ad effectum conjiciendi, cui patrimonio acquisitio referenda sit; Et in hoc magis benigna pluriū sententia est (quam Rota pluries probavit) favore hæredis profani, ut scilicet ea propositione, quod qui Altari servit, de altari vivere debeat, censeatur vixisse ex redditibus ecclesiasticis, quodq; propterea, cumulus fuerit ex patrimonialibus, vel aliàs profanis. *d*

Verùm Camerales non de facili hanc propositionem in praxi admittunt, ideòq; cautela esse solet, ut clericus vivens
in dies, & tempora declaret, ac initio suscepti Episcopatus, 6
vel alterius beneficii, inventarium faciat redditum, & bonorum, quæ tunc possidet, ac successivè, retinendo libros distinctos utriusque patrimonii, cum erogatione fructuum, redditum respectivè; Et quoniam Cardinales præsertim,
plures Prælati obtinere solent indultum, seu facultatem te- 7
standi, idcircò cum Camera, vel respectivè cum Ecclesia quæstiones peragi solent super distinctione, ac pertinentia illorum bonorum, quæ dicto indulto non obstante, cadunt sub spolio, ut sunt fructus inexacti, seu non percepti vel etiam maturi, & percepti, non tamen cum patrimonio profano bene confusi, juxta plures distinctiones, de quibus in sede rerum beneficialium agitur, ubi in casus contingentia videri potest. *e*

Et quoniam per Apostolicas Constitutiones, bona destinata divino cultui; vel usibus ecclesiasticis, penès Eccle-
siam remanere debent, ideoque, neque ad Cameram, neque 8
ad hæredem pertinent; Hinc proindè quæstiones cadunt super hujusmodi bonorum separatione, & quæ destinatio ad hunc effectum requiratur, atque de hoc agitur in annotationibus super materia testamentorum, aliarumq; ultimarum voluntatum; *f* Ubi etiam de hujusmodi indultorum, &
facultatum testandi efficacia, & validitate, præsertim circa 9
remissionem solemnitatum à jure communi præscriptarum, ibique propterea in casus occurentia pariter de his videri potest; *g* De quibus tamen, ut dictum est, in ista, vel aliis Sacris Congregationibus agi non solet.

a *sub tit. de præem. disc. 26.*
b *sub tit. de benef. disc. 81. cum plur. seqq.*
c *sub tit. de feud. disc. 21. et seqq.*
d *Rot. apud Rojas, dec. 280. et apud Cels. dec. 65.*
e *d. disc. 81. cum plur. seqq. de benef.*
f *tit. de testam. disc. 7. et 9. et in locis sup. tit. de benef.*
g *eod. tit. de testam. disc. 6. et seqq.*

Ad sessionem 25. de Reform. cap. 2.

S U M M A R I U M.

1 *EPiscopi, et Prælati non debent proferre censuras, nisi in subsidium.*
2 *Declaratur, quando iste casus subsidii intret.*
3 *Distinguuntur casus super eodem.*
4 *Censuræ ventemus proferri non possunt.*
5 *Aliæ sunt censuræ legis, et aliæ hominis.*
6 *Quæ sint censuræ legis, et in eis non procedit ordo subsidiarius.*
7 *An, et quando Ordinarius procedat ad has censuras contra exemptos.*
8 *Ut etiam in censuris legis detur quandoque abusus, et quomodo.*

9 et 10

9 & 10 *Pro debito pecuniario, an ad censuras deveniri valeat, distinguitur.*
11 *Assignatur ratio cur isto casu censura proferantur.*
12 *Quando de facto etiam cum non subditis ad censuras procedatur.*
13 *De censuris in pœnam delicti, & contumaciæ.*
14 *Damnatur lubricitas censurarum.*
15 *Quando Prelati excusentur non servando ordinem hujus decreti.*
16 *Quod non de facili censura debeantur proferri, & de ratione.*
17 *Solent timeri magis pœnæ corporales, quàm spirituales.*
18 *Quid agere debeant Prælati Ecclesiastici, ut censuræ timeantur.*
19 *Quomodo debeant se gerere in applicatione mulctarum, & pœnarum in pecunia.*
20 *Excommunicari non possunt universitates, & corpora ficta, sed supponuntur interdicta, & quomodo.*
21 *De differentia inter has censuras.*
22 *Excommunicati ratione officii, vel quod sint de universitate, an solvantur, si desinant esse de illo corpore, & quid de aliis censuris.*
23 *De stylo Curiæ in declaratoriis contra Capitula.*
24 *Capitulum non censuratum est repræsentabile à partis non censuratis, licèt major pars sit censurata, secus è converso.*
25 *De casu practico, ut Capitulum censuratum non sit repræsentabile à Canonicis non censuratis.*
26 *De alio casu ut censura communicativæ non afficiant in juribus propriis, & singularibus.*
27 *An censura communicativa suspensionis, vel interdicti, impediant collationem beneficiorum?*
28 *De indefectentia in censuris.*

D I S C. XLIII.

1 SAnctè, ac prudenter, injungitur Episcopis, aliisque Prelatis ecclesiasticis, moderatus usus censurarum, præsertim excommunicationis, ut ad eas deveniendum non sit, nisi in subsidium, quatenùs aliàs provideri non posset adeout aliæ desint viæ, seu remedia, illud præsertim mulctarum, quarum applicatio ad proprium commodum prohibetur, eam piis operibus demandando.

In praxi autem forensi, istius decreti provisio recepta videtur, ubi agatur de illis censuris, quæ proferantur pro debito pecuniario, ex causa pensionis ecclesiasticæ, seu ex alio 2 titulo, etiam merè temporali, pro quo, ad eas, quandoque deveniri solet, ut nonnisi in subsidium, prævius diligentiis, executionis personalis, ac realis, ad id deveniri valeat; Secus autem ubi agatur de censuris, quæ comminentur in pœnarum delicti, vel contumaciæ, sive de illis, quæ per legem irrogatæ sint, ut tunc istius ordinis necessitas non urgeat, sed directè ad eas deveniri valeat. *a*

3 Quia verò hæc generalitas nimiùm vaga est; ejusq; prætextu, idem continuari videtur abusus cum aliquo censurarum vilipendio; Hinc proinde cum aliquibus distinctionibus in hoc proposito procedendum videtur; ut sciant illi, quibus Ecclesia hujus gladii spiritualis potestatem concessit, quomodo se gerere debeant in ejus usu, & ne transeat in abusum, quem non solùm istud Concilium damnat, sed perpetuò damnarunt sacri Canones, aliaque antiquiora Concilia, graves quoque pœnas pro hoc abusu irrogando, ubi præsertim oretenus, & ex abrupto sequatur, cùm nonnisi in scriptis, & causa cognita ad eas deveniri debere statutum sit, etiam sub pœnis, nisi ubi de notoria rebellione, seu violentia agatur. *b*

4 Distinguendæ igitur in primis sunt censurarum, & excommunicationis species, quod scilicet; Aliæ sunt illæ, quæ 5 à lege inflictæ sunt, unde propterea, ob aliquod delictum vel contraventionem, earum incursus sequatur; Et aliæ sunt, quæ proferantur ab homine, id est ab Episcopo, vel ab alio Judice ecclesiastico, authoritate sua.

In prima specie, quæ pro frequentiori usu incurri dicitur, ob violentam manuum injectionem in clericos, vel ob vio- 6 lationem ecclesiasticæ immunitatis, localis, vel personalis, aut realis, sive ob duella, vel ob usurpationem bonorum, ac jurium ecclesiasticorum, aut ex aliis causis contentis in Sac. Canonibus, & Conciliis, vel Apostolicis Constitutionibus illa præsertim, quæ dicitur *bulla cœnæ*; Et tunc certum est, quod hunc ordinem servare non oportet, quoniam Episcopus, vel alter ecclesiasticus Judex, & superior, nullas isto casu infert, vel profert censuras, authoritate sua, cùm illæ jam incursæ sint, solumque eas declarat, ac detegit.

Unde propterea, ex pluries alibi insinuatis, Episcopo, vel alteri Prælato conceditur facultas istas censuras declarandi, etiam adversùs exemptos, quamvis Apostolicum indultum specialed habeant, ne ab Episcopis, vel ab aliis locorū Ordinariis, excommunicari, seu aliis censuris innodari valeant, cum tunc nullus jurisdictionis actus in forma contentiosa exerceri dicatur, sed tantùm gerantur partes denunciatoris, vel publicatoris quæ à quocumq; fieri possunt; Multò verò magis ab Episcopo, vel Ordinario loci, Ex ea congrua ratione, quòd hæc denūciatio, seu declaratio ordinatur ad spirituale regimen propriarum ovium sibi commissarum, eas monendo, seu certiorando, à cujus morbidæ, ac infectæ ovis, quamvis externi, ac alieni ovilis conversatione, abstinere debeant, unde propterea non est exercere jurisdictionem cum dicta ove externa, & ovilis alieni, sed potiùs cum ovibus propriis.

Quod tamen recipiendum videtur, ubi ipsum factum certum sit, adeout nulla requiratur causæ cognitio, neque forma judicii, vel processus servetur; Secus autem, ubi probabile dubium cadat, an iotret, necnè legis contraventio, ipsarumque censurarum incursus, adeout Ordinarius assumere debeat partes formales Judicis; Ad instar illius distinctionis, quæ præsertim in materia beneficiali habetur inter merum, & mixtum executorem, quoniam tunc est cognoscere, de causa, ac exercere jurisdictionem, super puncto, à quo pendet affirmativa, vel negativa incursus, nisi ipsum factum tale sit, ut exemptionem cessare faciat, eaque non obstante, jurisdictionem Ordinario tribuat; Puta ubi ejus majestas offensa sit, sive offensæ sint aures, cum similibus. *c*

Adbuc tamen, posita etiam jurisdictione, vel competentia abusus remanet verificabilis in hac specie, super mala scilicet interpretatione legum, ex quibus censuræ manant, præ- 8 sertim super usurpatione, vel occupatione bonorum, & jurium Ecclesiæ, vel super violatione ecclesiasticæ immunitatis, vel jurisdictionis, quoniam ubi (ex. gr.) agatur de quæstione probabiliter dubia competentiæ fori; Sive ubi quis, possideat bona tanquam sua, ex titulo saltem probabiliter colorato; Aut quod ex probabili consuetudine, vel Apostolicis privilegiis, aut concordia, aliquæ franchitiæ ecclesiasticis denegentur; Sive quod agatur cum censuariis, & rendentibus, qui debitis temporibus, census, vel canones, non solvant, cum similibus. de facto per aliquos Episcopos aliosque hujus gladii potestatem habentes, proceditur ad declarationem illarum censurarum, quæ continētur in isto Concilio, sive in dicta Bulla Cœnæ, aliisq; Apostolicis Constitutionibus, vel Canonibus loquentibus de positivis, ac potentialibus occupatoribus, vel usurpatoribus bonorum, ac jurium Ecclesiæ, seu violatoribus immunitatis, vel jurisdictionis, non autem ubi ex merè privato titulo, vel prætensione, sive impotentia, aut incommoditate id sequatur; Atq; in hoc frequentem, peneque quotidianum experimur abusum, ex quo resultant ipsarum censurarum vilipendia, quæ sunt omnium ferè malorum, & inconvenientium productiva. *d*

Quo verò ad alteram censurarum speciem, quæ ab homine proferuntur, adbuc plures casus distinguēdi veniunt. Pri- 9 mò nempe, ubi agatur de debito pecuniario, vel alio temporali implemento, ob cujus culposam denegationem, ad censuras, quandoque devenire oporteat; Et tunc; Aut agitur de illis personis, cum quibus, utriusque spiritualis, ac temporalis gladii, exercitium liberum sit, & rectè intrat ordo subsidiarius ab isto decreto præfinitus, nimiùmque rarum est, ut in Curia istæ censuræ sustineantur; Unde propterea, quando ad illas indebitè proceditur, Curiæ stylus est, ad earum annullationem de facili procedere; Intrat enim dilemma; Aut debitor idoneus est; Aut non: Si est idoneus, de facili, cum executione reali, & personali cogi potest; Et si non est idoneus, non instant censuræ, ad quas deveniri non potest contra eum, qui ex impotentia non impleat.

Aut verò idoneus est, sed ex mera contumacia non impleat, neque ratione potentiæ propriæ, sive alterius, quæ 10 sibi assistat, dictus ordo servari potest, adeò ut culposè, ac de facto, impeditum remaneat remedium executionis realis, & personalis, unde propterea excussio ita probata remaneat, utpotè impediat: Et tunc rectè ad censuras tanquam subsidiarium remedium proceditur. *e*

Et quamvis ignarum vulgus obloqui soleat, atque scanda- 11 lum concipere de stylo Curiæ procedendi quandoq; ad censuras pro debito pecuniario, vel alio temporali impedimento: Attamen iste est positivus ignorantiæ effectus, ob clausum dilemma, quod: Aut est impotens ad implendum id, quod debet, & tunc excusatur, neque ad censuras proceditur, Aut est idoneus, sed ex ejus contumacia, & culposa potentia propria, vel aliena, ad quam recursum habeat, impedit ne implementum sequatur, & tunc censuræ inferuntur,

non ex ratione ipsius debiti, sed ex ratione talis delicti, & contumaciæ, & sic notoriæ perseverantiæ in peccato. *f*

12 Item quandoque, ex eadem ratione potentiæ, ad censuras, immediatè, ac de facto, etiam cum non subditis procedi solet, quando scilicet quia de facto, bona, vel jura Ecclesiastica usurpat, vel occupet, seu Ecclesiasticum Prælatum impediat, nè pacificè eadem bona Ecclesiæ possideat, ac fructus ex eis percipiat, cùm tunc censurarum usus concedatur in forma extrajudiciali, per quandam speciem necessariæ defensionis, vim vi repellendo, cum illis armis spiritualibus, quæ solùm habeantur, pro facti qualitate. *g*

13 Aut verò agitur de illis censuris, quæ ab homine proferantur in pœnam alicujus delicti, vel contraventionis; Et tunc, ubi agitur de clericis subditis, cum quibus libet sit gladii temporalis usus, cum pœnis scilicet temporalibus, vel realibus, utique damnabile est, illicò, ac directè censuras adhibere, idemque ubi, pro locorum, seu regionum moribus, & qualitate, idem liberum exercitium gladii temporalis, Episcopi, aliique Prælati habeant cum laicis, quoniam ubi per mulctas, aliasque pœnas temporales provideri potest, semper erroneum est, dictum spirituale remedium adhibere, cùm ad illud nonnisi in totale subsidium, ac nimium parcè, & circumspectè recurri debeat, ut magis timeatur, atque in veneratione habeatur; Unde propterea magna reprehensione, imò punitione digni sunt Episcopi, aliique Prælati, & Officiales Ecclesiastici, præsertim verò quidam commissarii Cameræ Apostolicæ, vel fabricæ S. Patri, qui in hoc adeò lubrici sunt, cum maximo hujus Ecclesiastici remedii præjudicio.

In illis autem ditionibus, vel regionibus, in quibus de
14 facto non permittitur Episcopis, aliisque Prælatis, & Officialibus Ecclesiasticis, exercitium gladii temporalis, ac familiæ armatæ cum laicis, sunt excusabiles, cùm aliud non suppetat remedium, atque laici debent potiùs de se ipsis scandalum concipere, quòd non permittant id, quod sacri canones concedunt.

15 Adhoc tamen isto etiam casu, nimiùm parcè, ac circumspectè procedi debet, pro facti qualitate, comminando quidem, non tamen de facili exequendo censuras; Ad instar habentis sclopum in manibus, vel gladium in vagina, ut curet cum eo incutere timorem, cum potentia explosionis, vel extractionis respectivè, ab uno autem, vel altero actu, quo magis fieri potest, abstineat, ne aliàs ille, qui explosionem, vel evaginationem prius timebat, eam experiatur de facto magis levem, ac propterea illam contemnat; Siquidem, ut adver-
16 titur alibi in his annotationibus occasione agendi de custodia clausuræ monialium; Quoties ecclesiasticus superior, pro corruptis moribus regionis, videt, quod magis proficuus, ac operativus est gladius temporalis, quàm spiritualis, illumque salva ejus dignitate, cumulare potest, procedendo scilicet unitim cum potestate laicali, (compatibiliter tamen, & sine ecclesiasticæ jurisdictionis, ac potestatis præjudicio,) tunc istud remedium negligere non debet.

Potissimùm verò Episcopi, ac Prælati ecclesiastici habe-
17 re debent validam, ac robustam manum, cum qua istum spiritualem gladium exerceant, ex ea scilicet valida, & robusta qualitate quæ resultat ab eorum vita exemplari, bonisque moribus; Fortiùs autem à causa, ob quam istud remedium adhibeatur, seu ob quã hujus ligaminis solutio concedatur; Ubi etenim ex bono zelo id sequatur, quodque populus experiatur, quod istud remedium adhibeatur pro conservatione disciplinæ spiritualis, ecclesiasticæ immunitatis, non autem tanquam medium ad extorsiones, propterque avaritiæ finem, tunc valdè illud timere solet, secùs autem è converso.

Quamvis autem quandoq; pro moribus regionis, lauda-
18 bile sit à contravenientibus, pro absolutione à censuris, vel pro abstentione ab earum prolatione, mulctas pecuniarias petere, ac exigere pro satisfactione Ecclesiæ, ad exemplum ac terrorem aliorum, qui magis timent amissionem pecuniæ, quàm alias pœnas, quantumvis graves, in corpore, vel in anima, sive in existimatione; Attamen omninò adimplere debet hujus decreti conciliaris præceptum, seu monitum, applicando scilicet hujusmodi mulctas, ac pœnas piis usibus, non
19 autem sibi ipsi, vel ejus Curiæ, sub prætextu actorum; Idque tunc, publicè, ac immediatè fieri debet, ut pluries ego à probis ac zelantibus Episcopis practicatum vidi & quãdoq; ego etiam practicavi cum magno profectu; Licèt enim huic decreto satisfiat, deputando, pœnarum, ac mulctarum depositarium, per cujus manus probi Episcopi, fideliter illas erogant, juxta opportunitatem, in pauperum subventionem, vel in fabricam aut suppellectilem Ecclesiarum (quoties tamen istud non incumbat ex propriæ mensæ redditibus explendum;) Sive in alia pietatis opera, & præsertim prudenter, aliquam summam cumulando pro annis, vel temporibus penuriosis, seu aliàs calamitosis pro subventione indigentium, Attamen id commendabile est, quoties fideliter, non autem pro colore quæsito id agatur, in pœnis, ac mulctis, vel compositionibus clericorum, vel etiam laicorum ex causis, non sint exemplares, & scandalosæ.

Ubi verò de istis agatur, adeout congruat, ita exemplum, 20
ac timorem aliis incutere, & tunc immediatè, ac publicè ista erogatio facienda est, adeout omnibus innotescat, ideoque laici concipere non valeant suspicionem quod applicatio ubi ipsi facta sit, cùm ipsi non distinguat, ac frequenter ignorent quid tractu temporis de hac pecunia agatur.

Excommunicationis item remedium, exerceri non po- 21
test, neque debet cum universitatibus, aliisque corporibus fictis, vel intellectualibus, ut sunt Capitula, Collegia, congregationes, Communitate, &c. sed cum istis adhibentur aliæ species censurarum, nempè suspensionis vel interdicti; *h* Atque ubi agatur de hac præsertim specie interdicti ecclesiastici, cui aliqua Civitas, vel oppidum ex delicto populi, & quandoque Domini, vel Magistratus, ad præscripta sacrorum canonum subjici solet, adhuc nimium circumspectè procedendum est, atque nonnisi ex magna, & gravissima causa in totale subsidium, quando scilicet omne aliud remedium desit, magnusque error est, severa punitione dignus, ubi aliàs fiat.

Magna verò differentia est inter istas censurarum species, 22
quoniam excommunicatio exigit proprium, ac singulare delictum, eique delinquentes tantum subjici debent, cùm personas singulares afficiat, eisque ligamen inferat; Aliæ autem censuræ, quæ proferuntur contra corpus universale, afficiunt omnes, etiam innocentes, jure tamen universo, non autem personali.

Hinc proindè, si excommunicatio contra aliquos cives; 23
vel canonicos, etiam ex causa communitativa, vel capitulari, proferatur, tunc illæ personæ remanent affectæ, adeout quamvis designent esse canonici, vel cives, sive officiales, adhuc censura duret, donec absolutionem obtineant, illaque eis impedimentum præstat, etiam in juribus propriis, quæ jure proprio, & singulari competant, independenter à Civitate, vel a Capitulo, seu ab officio, ideoq; nonnisi ex propria, vel particulari culpa hæc censura inferri debet; E converso autem, suspensio, vel interdictum contra corpus universale, seu politicum, afficit tantùm ipsam universitatẽ, & singulos, non jure singulari, sed tanquam hujus corporis membra, quamvis ipsi sint innocentes, undè propterea repræsentare nõ possunt ipsum corpus infectum; Verùm salva eis remanent jura competentia singulariter, ac independenter à corpore communitativo, quamvis adhuc sint canonici, vel cives, aut de magistratu, multò magis ubi desinant esse tales. *i*

Ac propterea; juxta frequentem praxim Curiæ, & præser- 24
tim Rotę, in declaratoriis, quæ relaxari solent, contra Capitula, vel alia corpora communitativa, ob non paritionem, juxta ea, quæ in judiciorum sede habentur; Si non paritio vel alia contumacia proveniat ab aliquorum Canonicorum, vel officialium protervia, sine culpa aliorum, qui parere prompti sint, sed eorum bona voluntas effectum paritionis non causet, tunc relaxatur censura communitativa, suspensionis, & interdicti contra ipsum corpus universale, adeòut sub ea, etiam innocentes, & prompti obedire veniant, ac etiam relaxatur excommunicatio contra singulares personas delinquentes exceptuando innocentes.

Notabilis autem est hujus distinctionis effectus, quoniam si (ex. gr.) etiam ex causa capitulari, multi Canonici, qui majorem partem constituant, ob non paritionem excommunicentur jure singulari, sed non proferatur censura communitativa interdicti, vel suspensionis contra corpus Capituli, tunc istud remanet integrum, & non infectum, ideoque repræsentabile est ipsum corpus, ab illis modicis membris, quæ valida, & non infecta sint, à quibus etiamsi sint duo, imò unus, totum corpus Capituli constitui, seu repræsentari potest, ideòque omnia jura capitularia ab eis exercentur; Id autem non sequitur, ubi totum corpus censuratum sit, quamvis aliqua membra à censura exempta sint, quoniam non potest corpus infectum repræsentari per aliqua membra valida; Et è converso censura communitativa, vel universalis non afficit singulos in jure singulari. *m*

Unde propterea in facti contingentia; Cum quodam 25
Capitulum, ob non paritionem mandatorum Rotalium suppositum fuisset censuræ communitativæ suspensionis, & interdicti, ac etiam contra multas dignitates, & canonicos

vel de emphyteusi jam plena, ut in suis debitis advertitur.

6 Illa autem accessus, vel regressus, qui in hoc decreto prohibetur, percutit ipsa beneficia liberè dimissa ne ita deur species hæreditariæ successionis; Non autem ubi agatur de illis regressibus, qui reservantur in casu resignationis, sub reservatione pensionis in casu, quo ista non solvatur; De hoc autem regressu habetur pariter in sua peculiari pensionum sede, ubi de distinctione inter duas ejus species; Unam scilicet ex juris dispositione, & ob contumaciam, seu propter viam non solvendi, & quæ juxta formulam antiquam dicitur; Et alteram, quę juxta formulam modernam, per viam conditionis; Cum ea notabili differentia inter has species, quod in prima, impugnatio pensionis ex causa nullitatis, vel diminutionis fructuum, sive ex alia justa causa, excusat regressum, qui proinde exigit formalem canonizationem in judicio ordinario per tres conformes; Secùs autem ubi agatur de secunda specie, in qua proceditur executivè atque nullitas, vel alia causa non excusat, ut ibi latius. *a*

7 Quo verò ad Coadjutorias, in Italia, & Hispania, aliisque partibus, in quibus Concilii observantia viget, omnium rarus, penèque nullus est earum usus in Ecclesiis Cathedralibus, vel Metropolitanis; Benè tamen, in Ecclesiis, ac beneficiis inferioribus, putà in parochialibus, vel in Dignitatibus, & Canonicatibus Cathedralium vel Collegiatarum, quando justa causa infirmitatis, vel gravis ætatis accedat, ut in beneficiorum sede habetur, cum de hujusmodi controversiis peragi soleat in Rota, aliisque ordinariis contentiosis tribunalibus, non autem in Sac. Congregationibus, in quibus, præsertim in illa Rituum, agi quandoque solet de præcedentia, aliisque juribus, & præeminentiis Coadjutoris, & de quibus aliquis habetur in rerum capitularium vel canonicalium sede, ubi in casus contingentia videri potest. *c*

8 In Germania verò, & Gallia, aliisque partibus ultramontanis, ut in quibus Concilii observantia adeò non vigeat, Vel etiamsi in aliis vigeat, in hac tamen parte usus aliter suadeat; Solet Sedes Apostolica facilius concedere, etiam in Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis, seu Monasterialibus istam Coadjutoriam, cum futura successione in Prælatura, ex justa causa, examinari solita in Sac. Congregatione consistoriali, ad cujus consultationem Papa gratiam concedere, vel denegare solet.

9 Hinc propterea in illis partibus, in quibus Ecclesiæ sunt ad electionem Capituli, Quamvis pro Coadjutoria non intret jus electionis, cùm totum pendeat à gratia & voluntate Papæ, ex aliqua causa concedendi coadjutorem non solùm Prælato petente sed etiam quandoque invito; Attamen prudenter, ad occurrendum aliquibus inconvenientibus, id agere non solet, sine Capituli consensu, qui præstari solet per quandam formam, seu speciem electionis, super cujus forma, benè, vel malè servata, in eadem Congregatione con-
10 sistoriali, peragi solent quæstiones, quarum aliquæ in capitularium, & canonicalium rerum annotationibus, ac etiam in illis Regularium insinuantur; *f* Ubi quod ista non est vera, & formalis electio, ideoque de facili sanari solent illæ nullitates, quæ de stricta juris censura obstarent, cùm sufficiat, ut Papa se certum quoque modo reddat de consensu capitularium, ut latiùs in dictis suis sedibus.

a *tit. de pension. disc. 5. cum seqq.* b *d. disc. 1. & seqq. de pension. in supplem.* c *tit. de emphyteus. disc. 1. & 2.* d *tit. de pension. disc. 12. & seq* e *de Coadjutoria sub tit. de Canonic. & Capit. disc. 27. & de Regular. disc. 53.* f *d. disc. 53. de Regul. & disc. 27. de Canon. & Capit.*

Ad Sessionem 25. de Reformatione cap. 10.

S U M M A R I U M.

1 *De judicibus synodalibus.*
2 *Quid ubi deputati in Synodo deficiant.*
3 *De eodem.*
4 *Datur ista casu cautela.*
5 *Quid operatur hæc deputatio.*
6 *De Conservatoribus privilegiorum, & Collectoribus Apostolicis, & an esse debeant in dignitate Ecclesiastica.*
7 *Dicuntur idonei, licèt non sint Doctores.*

D I S C. XLVI.

1 De Judicibus Synodalibus in isto decreto agitur, ut scilicèt in provinciali, vel in diœcesana synodo deputentur ad minus quatuor personæ in dignitate constitutæ, qui-

bus Apostolica Sede committere valeat causæ in gradu appellationis, ut ita certa reddatur de eorum integritate, & idoneitate, atque congrua fiat electio, cùm aliàs, ob locorum distantiam, ac negotiorum multiplicitatem, ista notitia impossibilis esse videatur.

Quatenus verò personas ita deputatas, deficere, vel abesse 2
contingat, in eodem decreto dispositum, ut ab Episcopo, cum consensu Capituli aliorum suffectio fieri debeat, quod ex rationis identitate intelligendum videtur eadem modo quo supra *sess. 24. cap.* 18. dictum est de examinatoribus synodalibus, ut scilicet ista provisionalis suffectio extra synodum rectè intret infrà annum, secus autem eo elapso, ex eadem ratione ibi insinuata, quod scilicet Episcopo imputandum est cur ad ejusdem Concilii præscriptum non congregaverit synodum singulis annis congregandam. *a*

Benè verùm, quod etiam in examinatoribus synodalibus, 3
ista provisio, quamvis per Rotam firmata sit, adhuc tamen, ex magis communi usu parùm rationabilis videtur: Quoniam ut advertitur supra, cum Synodi conventionem singulis annis superfluam experientia doceat, eò quia cum una synodo benè ordinata, per plures annos diœcesis rectè administratur, istaque conventio, incommoda, & dispendia, ac etiam quandoque inconvenientia parere soleat, adeout de facto ista frequentia non sit in usu; Hinc proinde dicta ratio parum concludens remanet.

Ad tollendum verò omne dubium, provida cautela est, 4
ut Episcopus, deficientibus hujusmodi examinatoribus, vel judicibus respectivè, de hoc certioret istam S. Congregationem, vel alteram Episcoporum, à quarum una, vel altera oraculum accipiat, faciendi hujusmodi deputationes, etiam post annum.

Hujus itaq; decreti operatio est, quod cùm ad Canonum 5
præscriptum: Sedes Apostolica non soleat rescribere, neque causas, vel Apostolicarum literarum executionem committere, nisi personis in ecclesiastica dignitate constitutis, eis sub nomine dignitatis recipiendo, atque ita species dignitatis reputatur hæc deputatio, rescribendo uni ex Judicibus in diœcesano synodo legitimè deputatis, ut etiam in judiciorum sede advertitur. *b*

Ex præmissa verò insinuata sacrorum Canonum dispositione, ut non nisi personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, Apostolica delegatio congruat, resultat, ut conservatores privilegiorum regularium per singula Monasteria, vel Conventus, & domos regulares ad præscriptum Constitutionis Gregorii XV. deputandi, in ecclesiastici dignitate constituti esse debeant, eò quia hujusmodi conservatores, Apostolici delegati dicuntur, ut de eis alibi particulariter agitur. 6

Atque ex eadem ratione, de stricto jure verius est, ut 7
nonnisi tales personæ in Apostolicos collectores deputari debeant, quoque aliàs deputatio invalida sit, adeout consuetum effectum Apostolicæ reservationis beneficiorum non causet; Id autem in Italia, respectu sub collectorum, ex diverso usu, difficultatem pati videtur, ut in rerum beneficialium annotationibus advertitur; *d* Reputantur autem ad judicandum idonei eo ipso quòd in synodo sunt deputati. *e*

a *tit. de jurisdict. disc. 56. tit. de Paroch. disc. 37. Miscell. Eccl. disc. 1.* b *tit. de judic. ubi agitur de appell.* c *de conservatoribus privilegiorum, tit. de jurisdict. disc. 49. & Regul. disc. 51. & 52.* d *tit. de benef. pluries.* e *Mantic. dec. 5. in fin.*

Ad Sessionem 25. cap. 11.

D I S C. XLVII.

PRohibentur per hoc decretum anticipatæ exactiones fructuum, vel pensionum ex causa locationis bonorum Ecclesiæ; De hoc autem nimiùm raro, ac fortè nunquam in hac Sac. Congregatione, vel in alia Episcoporum agi contingit, cum de hujusmodi quæstionibus disputari soleat inter conductores, vel alios debitores, qui anticipata fecerint solutiones; Et successores in Ecclesia, vel beneficio coram Judicibus ordinariis, & frequenter coram officialibus cameralibus, occasione collectionis fructuum pro tempore vacationis, petendo novam solutionem pensionis, vel alterius debiti, neglecta solutione anticipata, utporè prohibita, cùm frequenter collusiva, seu fraudulenta esse soleat, quoties communis usus regionis, vel qualitas bonorum, seu aliæ facti circumstantiæ, bonam fidem non redoleant, atque justam non inducant excusationem; Ideoque non de facili certa regula generalis, cuicumq; casui applica-

bilis desuper statui valeat, cùm ea singulorum casuum qualitate, & circumstantiis verius resolutio pendere videatur, Atque de hoc agitur in rerum beneficialium annotationibus, occasione agendi de divisione fructuum beneficii inter prædecessorem, & successorem, vel Cameram Apostolicam respectivè; Ac etiam in sede pensionum occasione agendi de pensionum repartitione. *a*

a tit. de benef. disc. 81. & seqq. & tit. de pension. disc. 23. cum plur. seq. & tit. de locat. disc. 25. ubi quando successor ligetur locatione prædecessoris.

Ad eamdem Sessionem 25. cap. 12. 13. & 14.

D I S C. XLVIII.

IN istis tribus decretis agitur de solutione decimarum, ac etiam de solutione quartæ canonicæ, & de clericis concubinariis; Verùm quia decimæ particularem habent sedem in hoc eodem libro, idcircò ibi videndum est; *a* Et de quarta canonica agitur in Parochorum sede, seu annotationibus.

In ultimo autem decreto agitur de clericis concubinariis, eorumque punitione; Nimium autem rara, ac hodiè forte nulla est citrà montes hujus decreti quæstio in foro, cùm etiam in laicis in Italia non de facili permittatur usus concubinatus, multò minus in clericis, Quandoq; autem in Rota auditi consueverunt istæ quæstiones in clericis ultrà montes, occasione privationis beneficiorum, ad quam procedi solet, cùm ista licentia in clericis ibi quandoque usurpari soleat ob eam potentiam, quæ resultat à Capitulorum exemptione, sive à conspicua qualitate possessorum illarum dignitatum, & canonicatuum magnam figuram facientium, ac fortè eamdem, & alicubi majorem, quàm in Italia faciant Episcopatus, & Archiepiscopatus, cum hæc dignitas in Italia ob nimiam frequentiam, & Ecclesiarum paupertatem, quodam modo viluisse videatur; Et è converso ibi istæ inferiores dignitates in magna existimatione sunt; Tùm ob divitias; Tùm etiam pro diversa regionum qualitate ob activum, ac passivum jus electionis Episcopi.

Nimiùm tamen difficile est, atque in praxi multum rarum convincere concubinatum sufficientem ad pœnas in isto decreto contentas, illam præsertim privationis beneficiorum. *c*

a sub tit. de decim. b sub tit. de Paroch.
c tit. de benef. disc 75.

Ad eamdem sess. 25. de Reform. cap. 19.

S U M M A R I U M.

1 *Filius non habet beneficium Patris, vel in eadem Ecclesia.*
2 *Quid è converso an pater, ubi adest filius.*
3 *Quomodo in hoc procedi debeat.*
4 *De Constitutione S. Pii V. ne conferantur conjunctis beneficia resignata.*

D I S C. XLIX.

1 FIlii illegitimi clericorum prohibentur habere simile, vel dissimil beneficium in ea Ecclesia, in qua pater de præsenti habeat, vel de præterito habuerit, minusque pensiones super ipsis beneficiis habere, quæ parentes obtinent, vel obtinuerunt, prohibitis etiam resignationibus, quæ desuper fierent.

Super istius autem decreti observantia, pariter rarum est agere, quoties non accedat Apostolica dispensatio quæ eamdem quæstionem, omnemque dubitationem juris dirimere videtur; itaque restringi solet ad tactum, Vel super ipsius dispensationis subreptione, Vel super ejusdem tenore, ac restrictione. quoniam cum generaliter ad sacrorum Canonum præscriptum, illegitimi sint incapaces beneficiorum, ideoque dispensatione indigeant, hinc proinde, ejusdem dispensationis tenor attendendus est.

2 Disputari autem solet, an ista prohibitio procedat in casu converso, ne scilicet pater obtinere valeat beneficium in ea Ecclesia, in qua filius obtineat, vel obtinuerit; Atque aliqua opinionum diversitas dignoscitur; Veriùs autem videtur, ut prohibitio in eodem beneficio procedat, in diverso autem secus, cum ubi agatur de eodem, etiam prohibita sit immediata successio filii, quamvis legitimi, utpotè ante clericatum, ex legitima uxore suscepti, ut in Ecclesiis, ac beneficiis tollatur species hæreditariæ successionis. *a*

Benè verum, quod etiam in casibus non prohibitis, & quamvis de filiis legitimis, ut suprà agatur, circumspectè in hoc procedendum est, circa collationem, cum apud populum, sive vulgus ignarum, id scandalum parere soleat; Ut etenim alibi advertitur; Aliud est formali prohibitio ad effectum incapacitatis, & consequenter nullitatis provisionis pro amissione, seu privatione juris quæsiti; Aliud verò considerare aliquem defectum productivum scandali, vel inconvenientis saltem de facto, ad effectum repellendi ab assequendo, ac reputando minùs dignum eum, qui alias magis dignus censendus esset, ut in facti contingentia praxis me docuit in his specialibus terminis non de facili admittendi patrem ad assecutionem beneficii in Ecclesia, in qua filius beneficium quoque possideret, vel ibi inserviret. *b* 3

Quo verò ad posteriorem decreti partem in materia resignationis, ad Datariam potiùs, quàm ad istam, vel alteram Congregationem de his agere pertinet; Et quatenus resignatio admittatur, super ejus validitate, vel invaliditate, agi solet in Rota, aliisque Tribunalibus juxta rerum beneficialium annotationes; Benè verum quod superveniente Constitutione S. Pii V. quæ strictius sub pœnis prohibet inferioribus collatoribus collationem beneficiorum vacantium ex causa resignationis ad favorem eorum conjunctorum, vel conjunctorum resignantium, ne ita resignationes ad favorem certæ personæ coram Ordinariis prohibitæ, indirectè sequantur; Quandoque super hujus Constitutionis intelligentia disputationes in ista Sac. Congregatione haberi solent, ut præsertim habita fuit superius alibi insinuata, an scilicet si Capitulum huic Constitutioni contraveniat, unde propterea resultet pœna suspensionis à jure conferendi, ista pœna sortiet in singulis Dignitatibus, & Canonicis pro eo jure conferendi, quod singulari, non autem capitulari nomine competat; Atque de hujus Constitutionis materia in rerum beneficialium sede potiùs agitur. *c* 4

a tit. de benef. disc. 66. b disc. 66. de benef.
c sub tit. de benef. pluries.

Ad Sessionem 25. de Reform. c. 17. 19. & 20.

D I S C. L.

IN primo istorum decretorum injungitur Episcopis, ut dignitatis majestatem tueantur, atque sæcularibus obsequii indecentia, vel famulatum non præstent, In secundò prohibetur usus duellorum; Et in tertiò eisdem Episcopis injungitur defensio, & conservatio ecclesiasticæ immunitatis, ac libertatis.

De primo, non pertinet ad forenses agere; Benè tamen cordi esse debet Sedi Apostolicæ, & SS. Congregationibus, desuper invigilare, præsertim in Italia, ob Ecclesiarum cathedralium nimiam frequentiam, & paupertatem, unde propterea cùm viris parum dignis, ac infimæ conditionis Episcopatus conferri, quandoque casus præbeat, hinc de consequenti praxis docet hujus decreti abusum, seu violationem.

De aliquibus autem controversiis inter Episcopos, & Principes, vel Dominos sæculares super usu throni elati, seu baldacchini; habetur in sede præeminentiarum. *a*

Super duellorum prohibitione, & quomodo illorum usus citrà incursum censurarum, aliarumque pœnarum sit practicabilis, particulares ediderunt tractatus aliqui moderni. *b*

Et de tertio decreto, super defensione, vel competentia triplicis immunitatis, localis, personalis, & realis, particulariter agitur in ecclesiastico Miscellaneo in hoc eodem libro contento, ubi videri potest. *c*

a sub tit. de præminent. disc. 26.
b Carafa in tract. de duello.
c Miscellan. Ecclesiast. disc. 2. cum plurib. seqq.

SUM-

SUMMA, SIVE COMPENDIUM

Eorum, quæ in foro magis practicabilia continentur in Parte V. Lib. XIV. Super annotationibus ad ea Tridentini Concilii decreta, quæ reformatione, atque externum judicialem, seu practicum forum tantùm concernunt,

I.

De pluribus Conciliorum speciebus, & præsertim de Concilio generali, quando tale dicendum sit, & de ejusdem Concilii generalis convocatione, auctoritate, privilegiis, & prærogativis, & præsertim circa derogandi, vel dispensandi potestatem? Et de aliis generalitatibus ad materiæ introductionem.

II.

De decretis, & provisionibus super Sacræ Scripturæ lectione, ac Theologica doctrina? Nec non super Grammaticæ schola, & puerorum seminario, & de Episcoporum, ac Parochorum residentia, atque de verbi Dei prædicatione.

III.

De Ecclesiarum, ac Diœcesum visitatione, & majori visitatoris potestate, & jurisdictione, ac modo in visitatione tenendo; Nec non de synodi diœcesanæ celebratione, & de vita & honestate Clericorum, & morum correctione.

IV.

De collationibus ordinum, ac de inhibitione Episcopis Pontificalia in aliena diœcesi exercendi; Atque de iis Ecclesiarum Parochialium, aliorumque beneficiorum provisiones vel uniones, sive divisiones, novas que erectiones concernunt; Ac etiam ad materiam jurispatronatus.

V.

De Regularibus utriusque sexus; Et de Matrimonio, & aliis quæ materiam reformationis concernunt.

I.

SUMMARIUM.

1 *QUatuor sunt species Conciliorum, & quæ sint.*
2 *De qua specie Concil. agatur, & cum quo themate.*
3 *Non datur legitimum Concilium sine convocatione Apostolica.*
4 *Papa est supra Concilium, eique dispensat, non autem Concilium, supra Papam.*
5 *Conciliorum generalium specialis derogatio requiritur, & quomodo.*
6 *Fallit in Concilio Tridentino, quod tamen est generale, & Oecumenicum.*
7 *De diversis speciebus decretorum Concilii Tridentini, & de qua specie in præsenti agatur.*
8 *De declarationibus S. Congregationis Interpretum Conciliis, & quomodo eis deferendum sit.*
9 *De Conciliis Provincialibus, & Diœcesanis remissivè.*

II.

10 *De provisionibus super schola Grammatica, & lectione S. Scripturæ, ac studiorum Theologiæ, & de prædicatione verbi Dei.*
11 *De provisione super residentia Episcoporum, & Parochorum.*
12 *De erectione seminarii, & collatione beneficiorum.*
13 *De unione beneficiorum seminario.*
14 *De eodem seminario erigendo in Provincia.*
15 *Quod opportuna sit provisio publicæ scholæ Grammaticæ.*
16 *Ubi magis expediat conferentia casuum conscientiæ quam lectio Scripturæ, vel studium Theologiæ.*
17 *An Parochi, & Rectores teneatur accedere ad illas conferentias, & quid de exemptis, & aliis Clericis.*
18 *De temporibus in quibus verbum Dei est prædicandum, & quæ licentia in concionatoribus requiratur.*
19 *Ad quos pertineat concionatori alimenta, vel eleemosynam præstare, ac respectivè illum eligere, vel nominare.*
20 *De Episcoporum, & Parochorum residentia.*
21 *De pœnis residentium, cum distinctionibus.*
22 *Quando Episcopus præcisè in Cathedrali residere debeat.*
23 *De lucro fructuum, & distinctionum, & de differentia inter residentiam, & interessentiam, ac de lucro distributionum per absentem.*
24 *De unione beneficiorum pro augmento distributionum remissivè.*

III.

25 *Tenetur Episcopus visitare diœcesim quolibet anno per se, vel per Vicarium.*
26 *An, & quando à decretis in visitatione detur appellatio?*
27 *Prohibetur exigi procurationes, aliaque emolumenta, & de alimentis.*
28 *Quod etiam pluries in anno visitare liceat, & quando à visitatione singulis annis facienda congruat abstinere.*
29 *Episcopus habet intentionem fundatam in jure visitandi omnesque Ecclesias, & loca Ecclesiastica, vel pia, omnesque personas suæ diœcesis, & quale debeat esse privilegium exemptionis.*
30 *Quando etiam exemptos visitet.*
31 *De visitatione hospitalium, & montium pietatis aliorumque piorum locorum laicalium.*
32 *De facultate visitandi titulus beneficiorum, non obstante regula de annali, vel triennali.*
33 *De visitatore, an examinare possit Parochos jam approbatos?*
34 *De vita, & honestate Clericorum, præsertim circa concubinatum, ac ludum, & illicitam negotiationem.*
35 *De obligatione incedendi in habitu, & tonsura, cum privatione privilegii fori.*
36 *Vicarius Capitularis sede vacante habet jus visitandi.*
37 *De declaratione synodi, & de aliis ad materiam.*
37 *Qui teneatur intervenire in synodo diœcesana.*
39 *De synodo provinciali.*

IV.

40 *Non potest exercere Pontificalia in aliena territorio sine licentia Ordinarii.*

I.

De pluribus Conciliorum speciebus, & præsertim de Concilio generali, quando tale dicendum sit; Et de ejusdem Concilii generalis convocatione, authoritate, & privilegiis, præsertim circa derogandi, vel dispensandi potestatem; Et de aliis generalitatibus ad materiæ introductionem.

1 QUatuor spiritualium, seu Ecclesiasticorum Conciliorum species, pro Catholicę Ecclesię antiquo usu, rectoq; regimine habentur; Quorum unum œcumenicum est, ac generale, Ecclesię universalis repręsentativum; Alterum nationale, seu Primatiale, quod per eam Nationem, vel Mundi partē celebretur, quod sub Primate fit; Tertium Provinciale, quod per Metropolitanum, ejusque suffraganeos Episcopos celebratur; Et quartum diœcesanum, quod per Episcopum, cum Capitulo, & Clero fit in qualibet Ecclesia, sive per illū inferiorem Prçlatum, qui proprium habeat separatum territoriū, quod Nullius dicitur, ubi in hujus juris possessione existat.

2 Secunda, & tertia species, nimiùm raram, pro fori judicialis præsertim quæstionibus, habent praxim; Prima tamen species, & quarta frequentes habent quæstiones.

De prima itaque Oecumenici, ac generalis Concilii specie in præsenti agendo, illis neglectis quęstionibus, quæ pro nostris moribus, scholis & circulis, vel Academiis potius congruæ sunt, iisque retentis opinionibus, quas Romana Curia, forusque catholicus ecclesiasticus externus judicialis recepit; Hodiè firmum est, ut nullum detur legitimum generale Concilium, nisi illud, quod Apostolicam habeat convocationem, quodque Papæ authoritas major sit, atque superior, ut propterea conciliaribus decretis deroget, vel dispenset; Concilium verò non sit suprà Papam.

Eam tamen Conciliis generalibus peculiarem prærogativam habentibus frequenter in foro canonizari solitam, ut 3
sub generalibus non cadant obstantiarum derogatoriis, sed
speciali indigeant mentione, pro Pontificiæ tamen voluntatis probatione, non autem pro potestatis coarctatione,
adeout ex ejusdem voluntatis argumentis, vel implicita,
seu præsumpta accedente probatione, adhuc sufficiat. a

Istius verò expressæ, vel præsumptæ voluntatis probatio, 4
quæ in aliis generalibus Conciliis desideranda est, necessaria
non reputatur in isto Tridentino Concilio, quamvis verius,
ac in foro magis receptum sit, ut illud verè generale, & œcumenicum sit, & sub generalibus cadat derogatoriis, ejus
Apostolica confirmatione ita disponente. b

Diversæ autem quæstionum species in hujus Concilii de- 5
creti continentur; Aliæ siquidem dogmata, seu articulos fidei continent; Aliæ materiam sacramentorum, aliorumque
divinorum, quæ ad interni fori regimen pertinent, seu aliàs
ecclesiasticum concernunt ritum; Et alia demum, quæ sub
reformationis genere cadentia, Prælatorum, & Clericorum
vitam, & mores, Ecclesiarum, & Populorum regimen,
beneficiorum provisiones, matrimonii formam, aliaque
hujusmodi quæ externum forum percutiunt; Eorum tamen,
quæ ad hanc posteriorem speciem pertinent, omni glossa,
vel interpretatione abhorrita, in sola relatione illarum interpretationum, quas sacra ejusdem Concilii interpretum
Congregatio dederit, tractatio est; Aliæ verò priores species forensi Scriptori non congruunt.

In ejusdem tamen Sac. Congregationis interpretum de- 6
clarationibus, cum duplici procedendum est regula; Primò nempe, ut iis tantùm præstetur fides, quæ authenticæ
sint, Præfecti nempè, & Secretarii subscriptionibus, ac sigillo munitis, ideoque relatis per Collectores, aliosque voluminum authores, nullam oportet præstare fidem.

Et secundò, ut illæ declarationes legis speciem pro alio- 7
rum casuum decisione habeant, quæ pro eorundem decretorum interpretatione, veraque intelligentia, seu praxi, genericè, ac in abstracto prodierunt, non autem quæ pro singulorum, ac particularium casuum determinatione, ex earum singularum circumstantiis regulatæ sunt, quoties eorundem circumstantiarum omnimoda non accedat identitas, quod nimiùm rarò praxis docet.

De ultima verò Diœcesani Concilii specie, ut etiam de 8
Provinciali inferius agitur in eo decreto, in quo hujusmodi
Conciliorum, vel singulorum conjungitur celebratio.

a in *Annot. ad S.C.T. disc. 1.* b *d. dis. 5. ubi concord.*
c *Fagnan. in c. quoniam, de Constit. n. 58. & d. disc. 1. in Annot. ad S.C.T.*

II.

De Decretis, & provisionibus super Sac. Scripturæ lectione, ac Theologica Doctrina, Nec non super grammatica schola, & puerorum seminario, Et de Episcoporum ac Parochorum residentia; Atque super verbi Dei prædicatione.

9
CUm Lutheranæ, aliarumque hæresum semina ex sacrarum literarum imperitia, & Sac. Scripturæ adulteratione, vel sinistra interpretatione, apud imperitos populos adeo magnum receperint incrementum; Potissimè verò pro ejusdem Sac. Scripturæ recta catholica intelligentia, & praxi linguæ latinæ, in qua solùm divina tractari justè ac prudenter cautum est, desideranda sit peritia; Hinc proindè in primis Concilii decretis reformationem concernentibus,
Episcopis injunctum est, ut in singulis diœcesium locis, pu- 10
blicas grammaticæ scholas, pro puerorum doctrina aperiri, beneque exerceri curare debeant, atque Sac. Scripturæ lecturam, sacrarumque literarum doctrinam pro locorum qualitate certis statutis temporibus in Ecclesiis, alioque publico congruo loco haberi, ac respectivè explicari debere, ut ita in Clero, & Populo boni seminis habita cultura zizanię superseminationi, quam inimicus homo facere solet, occurratur, super verbi Dei etiam prædicatione, ex eodem fine prudenter pluries decernendo provisiones. d

Cumque Pastoris præsentia, ad lupos arcendos, sive ad 11
ovilis conservandam valetudinem, nimiùm proficua sit, è converso autem, absentia præjudicialia, ac noxia; Hinc Episcoporum, aliorumque Prçlatorum, & Parochorum residentia

dentia injungitur, ac etiam aliis, quibus idem incumbat
residendi onus. *e*
12 Ut autem juventutis melius præmissa obtineatur in sacris
literis ac moribus instructio; Hinc collegium, vel semina-
rium in singulis demandatur diœcesibus, lege injuncta, ut
ex ipsius mensæ episcopalis, ac alterius capitularis priùs, ad
aliorum exemplum, deindeque ex omnibus diœcesis ecclesia-
sticis beneficiis, quorum fructus, ac emolumenta, in actualis
conventus, vel monasterii, vel actualis Hospitalis substenta-
tionem integrè erogari non contingat, sive in alia pietatis
opera, sed pro ea rata, quæ in Rectoris, vel administratoris
13 privatum commodum, ac utilitatem tendat, taxa fiat, seu
collecta, tandiu duratura, quandiu alia obtineatur congrua
provisio, quam ex simplicium, non autem curatorum bene-
ficiorum unione, per Episcopum facienda sequi posse decer-
nitur, sub ea tamen lege, ut præmissa procedat taxa, vel col-
lecta: quodque jam erecto, non autem erigendo seminario
fiat, de illis beneficiis, quorum jam vacatorum, ipsius Ordi-
narii, non autem Apostolicæ Sedis libera collatio sit, quia
nempè nulli subjaceant Apostolicæ affectioni, vel reservatio-
ni; Ubi verò de illorum unione agatur, quæ adhuc plena
sint, pro tempore secuturæ vacationis, sufficit quod fixæ,
reali, vel personali non subiaceant Apostolicæ reservatio-
ni, vel affectioni, ea contingibili ac incerta non curata,
quam casus ratione temporis loci producas, nisi fraudem
eius imminentia redoleat, ut in beneficiali sede latiùs.
Uniùs verò diœcesis viribus non suppetentibus ad proprii
14 seminarii sustentationem, quia nempè beneficiorum exigui-
tas non concedat, tunc metropolitano iniungitur, ut in pro-
vinciæ magis opportuno loco unum seminarium pluribus
diœcesibus commune, iuxta singulorum contributionem,
ac vires, cum iusta proportione erigi curet; Adhuc tamen ista-
rum præsertim cathedralium Ecclesiarum nimia frequentia
hanc non de facili permittit praxim, vel ea nimium incom-
moda, nimiumque exiguo puerorum, vel adolescentium nu-
mero proficua, ideoque opportuna, & non negligenda prior
15 Conciliaris remanet provisio pro publicæ grammaticę
scholæ apertura, ut omnibus pateat accessus; Inutilis tamen
adhuc una, vel altera seminarii, vel scholæ provisio rema-
net, nisi eiusdem Episcopi, eiusque officialium, ac Vica-
riorum accedat diligentia, ac vigilantia, ut ille obtinea-
tur finis, vel sequatur effectus, à Concilio desideratus. *f*
Sacræ verò Scripturæ lectura, vel sacrorum literarum do-
ctrina pro locorum, seu regionum diversis moribus, vel qua-
16 litate, diversam habere debet praxim; Ubi etenim de iis aga-
tur locis, vel diœcesibus, quæ hæreticorum, vel schisma-
ticorum patiantur vicinitatem, vel incursionem, ut propte-
reà pravi seminis, vel zizaniæ cadat superseminatio, ista dili-
gentia nedum commendabilis, & proficua, quinimò necessa-
ria censenda est; Ubi verò catholica religio habeat statū, atq;
Sacræ Inquisitionis diligentiæ, ab ovili, huiusmodi lupos,
vel ab agro zizaniæ super seminatores omninò arceant, a-
deout, in morum correctione, atq; ecclesiasticorū præcepto-
rum observantia, divinorumq; administratione, maior vel-
setur animarū cura; Tunc magis commendabilem magisque
proficuam experientia probat Theologiæ moralis, seu ca-
suum conscientiæ lecturam; Melior verò videtur altera stu-
dii species quæ fiat per modū circuli, seu Academiæ sub con-
ferentiarum magis usitato vocabulo, ut singulis hebdoma-
dis, vel aliis statutis diebus in opportuno loco per Episcopū
destinato, uno per circulum aliquos conscientiæ casus, sive
dubia super administratione sacramentorum proponente,
alii pariter iuxta turnarium, vel alias distributum ordinem,
desuper discurrant, ut nedum ipsi, sed alii auditores instruā-
tur, iuxta illum valde commendabilem stylum, quem S. Phi-
lippus Nerius, in Cōgregationis Oratorii ab eo institutæ cle-
ricis collegialiter viventibus introduxit, de manè, & de serò
circa finem mensæ; Ita enim ob maiorem applicationem pro
discursibus desuper faciendis, ac etiā ob facilitatem capacita-
tem auditorum in eo familiari discursu circulari, maior ab-
sque dubio resultat perfectus, quàm ubi cathedratico more
uno loquente, alii audiant, cùm frequens praxis doceat
formalitatem, seu cæremoniam id potiùs redolere. *g*
Ita quoque illa cessante quæstione, quæ cum parochis per
concursum, juxta Tridentini Concilii formam approbatis,
vel theologię, aut decretorum Doctoribus haberi solet an ad
17 interessendum huiusmodi lectioni cogi valeant, quasi quod
iam in dicto concursu, vel à publica universitate declarati
magistri, cogendi non sint discipulos denuo agere, dum ita
omnes æquè magistri, ac docentes dici valent, Ideoq; liben-
tius cogi possunt, minoremque habens iure ressentiæ excusa-
tionem. *h* Alii quoque clerici, ad id iustè cogendi sunt, quā-
vis actuale non habeant curæ animarum exercitium, ut ita
ad illud idonei, aptivè reddantur; Neque excusari possunt
exempti, qui animarum curam exercere, ac sacramenta
populo ministrare volunt. *i*
Prædicationem verbi Dei fieri debere in Ecclesia, adventus, 18
& Quadragesimæ præsertim temporibus, prudenter pieque
statuitur, Ita tamen, ut nonnisi per eos qui per locorum Epis-
copos, vel Ordinarios approbati fuerint, eiusque licentiam,
ac benedictionem habeant, id fiat, ut ita semen bonum, non
autem zizania superseminetur; Ea tamen constituta differen-
tia, inter Ecclesias ipsi Episcopo, vel Ordinario subiectas,
aliasque exemptas, eas Regularium præsertim ut in prima
specie, licentia omninò requiratur; In alteram illam pete-
re sufficiat, ubi proprii Regularis Prælati approbatio acce-
dat; Nisi justa causa ordinarium impellat, id expressè pro-
hibendi, cùm tunc ejus inhibitioni parendum sit.
Hujusmodi verò concionatorum, in Adventus præsertim, 19
& Quadragesimæ ordinariis temporibus, deputatio frequen-
tes quæstiones parit, super eorundem electione, seu nomina-
tione, ac alimentis, vel ea pecuniaria eleemosyna, quæ ali-
mentorum loco ex probata consuetudine præstari solet.
Id autem inter Ecclesiam cathedralem, aliasque Eccle-
sias inferiores distinctionem habet, ut in prima specie sem-
per quacumque non obstante consuetudine, electio sit epi-
scopi; Ejusdemque conversù sit onus alendi, vel præstan-
di eleemosynam; Ideoque correspectiva, & vel causativa,
ea est eleemosinæ, vel alimentorum suppeditatio, quam
sæcularium communitates cathedralis etiam concionatori-
bus facere solent, quia nempè per Episcopum, qui alimen-
torum onus pati nolit, nominandi prærogativam eis per-
mittat, vel patiatur, Ex utriusque tamen parte respectivè,
id arbitrarium est, ac facultativum.
In altera verò inferiorum Ecclesiarum specie; Quamvis
regula Episcopo assistat, nisi parochus ad id munus idoneus,
illud per se ipsum explicet, cum tunc, eo reluctante, alter
non deputetur concionator; Limitationem tamen ea pariter
ex diversa ātiqua immemorabili consuetudine, quę alimen-
torum, vel eleemosynæ onus absque nominationis commo-
do quoque requiret, adeout ambo actus, cum non habeant
necessariam correspectivitatem, quæ in cathedrali dignosci-
tur, ideoque consuetudo, solùm alendi, vel eleemosynam
præstandi, onus in populum, vel communitatem quando-
que transfert, absque nominationis prærogativa.
Ea quoque differentia constituta inter nominandi præro-
gativam, & alendi onus, ut ad primum effectum imme-
morabilis, ad alterum verò quadragenaria consuetudo suf-
ficiat, ob eam differentiæ rationem, quæ à majori, ac re-
spectivè minori juris resistentia resultat, quoties posterior
oneris consuetudo nuda sit, absque prærogativæ mixtura,
vel correspectivitate. *k*
Residentiam Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec-
non parochialium Ecclesiarum Rectoribus, atque cathedra-
lium, vel collegiatarum canonicis aliisque beneficiatis, 20
quorum vera, non autem causativa, vel impropria sit resi-
dentialis qualitas in beneficiali sede distincta, conciliaria
decreta præcipiunt, cum aliquorum mensium dispensatio-
ne, quando justa exigat causa; Diverso tamen pœnarum
genere ac modo adjectis; In Episcopis, & Archiepiscopis 21
etenim pro foro interno aliquæ adjiciantur pœnę per recen-
tiores Apostolicas constitutiones adauctæ; Pro externo ve-
rò, Papæ arbitrio id semissum est, ut propterea Ordinario-
rum Judicum contentiosus forus cum uniformibus regulis
hujusmodi non agat causas, In aliis verò inferioris ordinis,
juxta diversa tempora, vel diversas contumaciæ species, di-
verso adjiciuntur pœnæ gradatim augendæ, alicujus scilicet
mulctæ, ac respective, in toto, vel in parte privationis fru-
ctuum, aliis non præclusis coactionis, vel punitionis reme-
diis, demùm verò privationis beneficii; Itaque posterior
pœnæ species frequentes externi fori judicialis quæstiones
producit, beneficiali materiæ potiùs congruas, ibique re-
censitas cum distinctione inter curata, & non curata, sive
inter ordinem procedendi ab isto Tridentino Concilio, &
à canonum dispositione diversimodè manentem.
In qualibet vero diœcesis parte Episcopi residente, huic 22
oneri satisfieri dicitur; Adhuc tamen in aliquibus anni tem-
poribus præcisè in ipsa cathedrali residendum esse statuitur;
In Adventu scilicet usque ad Epiphaniam, in die Cinerum
ad octavam paschæ, in diebus Pentecostes, & Corporis
Christi, aliisque majoribus solemnitatibus.
In Cathedralium verò, seu Collegiatarum canonicis, vel 23
beneficiatis, sola residentia, fructuum quidem lucrum pro-
ducit, atque à non residentium pœnis excusat; Idemq; ficta,
vel

vel interpretativa residentia operatur, quia nempè absentia justam causam, vel justum habeat impedimentum, quamvis voluntarium, purà studiorum, aut piæ peregrinationis, vel associationis Episcopi aliavè similis causa; Quinimò etiam ubi a culposo facto necessarium proveniat impedimentum, puta carcerationis pro crimine, vel pro æra alieno ac simili.

Non tamen residentia vera, sortitur autem ficta quotidianarum distributionum lucrum producit, illæque omnes dicuntur, quæ ab actuali servitio, ac interessentia cum punctaturæ ordine pendent; Quamvis etenim quotidianarum, ac aliarum massæ grossæ, Canonistæ, ac morales adhibeant distinctionem, ut massa grossa, præbendis præsertim non extantibus, fructuum, seu præbendarum habeant speciem; Incongrua tamen distinctio est, ubi præmissum punctaturæ, ac servitii ordo accedat, cum tunc grossæ à minutis non differant, omnesque quotidianarum veram speciem habeant ut nonnisi verè interessentibus ac inservientibus competant in omnibus divinorum officiorum statutis horis, juxta dierum, vel hebdomadarum distributionem ab Ecclesiæ consuetudine inducta, quæ tamen non omninò ab aliquibus horis, vel temporibus eximat.

Atque solis interessentibus, ac inservientibus distributiones debitæ sunt, ut etiam voluntariā remissionem, vel condonationem per inservientes, quibus illæ non inservientium accrescere debent, Concilium expressè prohibeat; Eo tamen excepto justo impedimento, quod infirma valetudo inducat; Ubi tamen in statu valido, divinis interesse, atque ecclesiæ inservire solitus esset, ne fictio veritatem excedat; Sive ubi omninò injustæ, ac tyrannicæ carcerationis, aliudvè simile, pro facti qualitate, accedat impedimentum, quod ex magis recepto sensu infirmæ valetudinis assimilari mereatur; Aliis studiorum, vel similium impedimentorum causis ad hunc effectum neglectis, nisi Apostolicum gratiosum accedat indultum.

24 Illa verò provisio, quam idem Concilium, pro Ecclesiarum majori, ac decentiori cultu adhibet, super ecclesiasticorum beneficiorum unione, pro quotidianarum distributionum augmento, sub beneficiorum sede cadit ubi videndum est. *l*

a *in annot. ad S.C.T. disc.* 1. b *d. disc.* 1, *ubi concordantes.*
c *Fagnan. in cap. quoniam, de Constit, n,* 58. *&* *d. disc.* 1. *in Annot. ad S.C.T.*
d *disc.* 2. *&* 3 *in annot. ad S.C.* e *disc.* 4. *in eisdem Annot.*
f *disc.* 15. *in eisdem Annot,* g *disc.* 2. *in eisdem annot.*
h *d. disc.* 2. i *ibid.* k *disc.* 3. *in eisdem Annot.*
l *disc.* 4. *in eisdem Annot.* *&* *de Benef disc.* 77. 134. *&* 135. *&* *de Canon. et Capitulo, disc.* 12. *et* 13.

III.

De Ecclesiarum, et personarum diœcesis visitatione, ac majori visitantis potestate, et jurisditione. Et de modo in visitatione tenendo: Necnon de synodi diœcesanæ celebratione, et de vita, et honestate clericorum, ac morum correctione.

25 Singulis annis per se ipsum, universam peragendi, ac visitandi diœcesim, vel ubi ejus amplitudo id commodè non patiatur singulo quoque biennio, id perficiendi, Episcopis, aliisque Prælatis ab isto Concilio præciæ injungitur; Aliqua majori in isto visitationis munere eis attributa facultate, ut in iis quæ morum correctionem concernant, seu
26 alias pro facti qualitate celerem desiderent provisionem, illi non subjaceant eorum decreta suspensivæ appellationi, cui aliàs, juxta canonum, seu legum regulas subjacere deberent; Eisdem tamen firmis remanentibus regulis in aliis indifferentibus causis, vel negotiis, quibus dicta morum correctionis, vel celeris ac promptæ provisionis ratio non congruat, quamvis in hoc visitationis munere sententias, vel decreta proferri, aliasque provisiones capi contingat.

Ubi verò justum accedat impedimentum, quod per se ipsum id impleri non permittat, non exinde tamen, idem visitationis munus singulo quoque anno, vel respectivè biennio negligendum sit, sed per Generalem Vicarium, vel alium idoneum id specialiter deputatum impleri debeat.

27 Procurationum verò, aliorumq; emolumentorum, quamvis contraria reprobata consuetudine, interdicta est exactio; Ideoque exacti restitutionem Sacra Congregatio, in recursus vel notitiæ casu rigidè demandare solet, moderatorum alimentorum tantum subditis injuncta suppeditatione eo minori eorundem subditorum gravamine, quod possibile sit; Honesta tamen non damnata compositione, per quam certa suppeditetur quantitas, quam manu sua, in sui, suæque personæ, ac familiæ alimoniam eroget; Ita tamen, ut veritati hæc fictio æquivaleat, & ne præstanda quantitas verisimilem moderatorum alimentorum impensam excedat, ut aliàs prohibitam procurationis exactionem, talis concordia, non occultet, nec fraudet; Neque eadem præstanda est alimentorum quantitas Vicario generali, vel alteri delegato, cujus dignitas illam non exigat majoris comitatus, ac decentioris tractatus impensam, quæ ipsi Episcopo, pro majori dignitate congruat.

Anni verò, vel respectivè biennii terminus, non ita precisus ac taxativus est, ut pluries in eodem anno in toto, vel in
parte, quando necessitas, vel opportunitas exigat, visitationem repetere prohibitum sit; Et è converso ubi pro diœcesis 28
qualitate necessitas, vel opportunitas nō cogat singulis annis diœcesim peragrari, istudque visitationis munus peragere, ex isto charitatis motivo quandoq; abstinendo, ut subditorum incommodis, & gravaminibus parcatur, commendabile potiùs censendum videtur, atque Concilii legis spiritum, vel rationem, seu finem, ac effectum, non autem solam attendendo literam; Ideoque bonus, vel respectivè malus Prælati animus, vel finis, materiæ regulator esse debet, ne scilicet exacta conciliaris decreti observantia, necessitate, vel opportunitate non exigente, illum habeat finem, exactionis alimentorum, ac munerum, sive compositionum, Cenamque proinde id non habet regulam, nisi eam quam præfatum boni animi, rectique finis requisitum statuit.

Sub ista verò visitandi potestate, ac jurisdictione, pro generica regula, omnes diœcesis Ecclesiæ, & Ecclesiastica,
vel pia loca, vel opera, omnesque clerici, aliævè ecclesiasticæ personæ subjacent, ubi exemptionis privilegium Apostolicum, ejusdem regulæ non suadeat limitationem. Exemptio autem à visitatione specialem exigit mentionem, atque simplex, ac genericum exemptionis privilegium ordinariæ referendum est jurisdictioni, ac potestati, istamque non capit visitationem, quæ Apostolicam quoque delegatam potestatem admixtam habet, ideoque facti potiùs quàm juris quæstio est, ex tenore, vel amplitudine exemptivi privilegii decidenda, vel ex illa antiqua immemorabili, sive centenera consuetudine, quæ idem Apostolicum privilegium allegandi facultatem concedat; Sive ubi ambiguum sit privilegium, interpretationis capax, ut in eis propterea observantia cadat interpretativa. 29

Isto autem exemptivo posito privilegio, quod visitationem quoque complectatur, ut in Regularium privilegiis di-
sectis, vel communicatis contingit, adhuc ex ipsius Conciliaris legis dispositione, Episcopus, vel alter loci ordinarius, Ecclesias, vel respectivè personas ex Apostolica delegata authoritate visitat in iis, quæ animarum curam concernunt, atque administrationem sacramentorum, quæ clero, & populo sæculari in visitantis diœcesi, vel territorio viventi fiat; Ubi verò de monialium monasteriis agatur idem Apostolicum exemptivum privilegium habentibus, illarum clausuram adhuc visitat, & custodit Diœcesanus. 30

In iis autem piis locis, in quibus pietatis opera exercentur, ut præsertim sunt Hospitalia, & Montes pietatis, sub lai-
corum tamen administratione, Sive in eorundem laicorum 31
utriusq; sexus societatibus, vel congregationibus, aut scholis, & Conservatoriis, vel adunantiis, aliisque hujusmodi, majores ac frequentiores cum laicali potestate quæstiones cadunt super hoc jure visitandi; Quamvis etenim ab ista lege conciliari generica statuatur regula affirmativa; Ob aliquas tamen, ab eadem lege datas exceptiones; Immediatæ nempè regiæ protectionis; Vel legis adjectæ in limine fundationis: Aut quia vivat fundator: Sive ob antiquam consuetudinem universalem, vel particularem, ob quam eandem legem fundationis, vel Apostolicum privilegium, aliumvè meliorem titulum allegare liceat, hujusmodi producunt quæstiones, certam proinde, ac genericam non admittentes regulam utpotè facti potiùs, & applicationis quam juris, pro facti qualitate, & circumstantiis decidendæ.

De Ecclesiasticorum beneficiorum titulis, visitanti inquirere licet, an legitimi, & canonici sint, vel potiùs il-
liciti, & intrusivi, Cancellariæ regula non obstat, quæ 32
triennalem confovet possessorem, cum inter privatos de beneficii pertinentia contendentes, ista regula de triennali, ac altera de annali procedant, Episcopum autem, vel Ordinarium loci visitantem non impediant. *m*

Idem quoq; visitationis actus aliquam majorem Episco-
po, vel Ordinario facultatem tribuere videtur de parochorū 33
ac aliorum, qui animarum curæ, vel sacramētorum administrationi præpositi sint, non solum de vita, & moribus inquirendi, ut generaliter cum omnibus clericis, & ecclesiasticis

per-

personis etiam extra visitationem fieri potest, sed etiam de illa idoneitate, quæ circa literaturam, aliamvè ministerii peritiam versetur cum suspendendi potestate, solemni eorum approbatione in concursu facta non obstante, ubi deficientis idoneitatis probabilia argumenta, vel suspiciones accedant, quorum tamen extrinseca justificatio necessaria non est, sed illam admittunt justificationem, quæ ex ejusdem Episcopi assertione ob extrajudiciales informationes resultet. *n*

Circa ea verò, quæ vitam, ac mores clericorum concernunt, Concilium innovat, seu vetus observari in-
34 jungit ea quæ per antiquos canones, aliavè antiquiora Concilia demandata sunt, ideoque nil novi statuit, solumque pro concubinatus crimine, quod in clericis præsertim ex primitivæ ecclesiæ legibus omni tempore damnabile ac punibile est, aliquæ majores injunguntur pœnæ, illa præsertim, quæ beneficiorum ecclesiasticorum, vel dignitatum, & officiorum privationem concernit, subsidiariè tamen post monitiones aliaque remedia infligenda, ideoque nimium raram ejus praxim esse experientia docet; *o* Ludorum quoque, atque illicitæ negotiationis subjecta prohibitione. *p* Clericorum item vi-
35 tam, & honestatem, habitus, ac tonsuræ clericalis gestatio concernit, ut propterea in clericis in minoribus istis requisitis, ac alio servitii Ecclesiæ non accedentibus, fori clericalis privatio resultet, nisi ecclesiasticum obtineant beneficium. *q*

Episcopi verò, vel Prælati sede vacante, vel aliàs im-
36 pedita; ut propterea impedimento vacationi æquipollente, Capituli jurisdictioni, ac administrationi locus aperiatur, eadem quoque visitandi facultas competit, exercitium tamen Vicario generali ad hujus Concilii præscriptum deputato conceditur, non autem, ut particulares Visitatores pro libito deputet. *r*

Diœcesanam synodum singulis annis, quoque ab E-
37 piscopis aliisque Ordinariis, qui in hac existant possessione, celebrari debere idem Concilium statuit: Rationabiliter verò, diversa est istius legis praxis, ut rarius, juxtà singularum diœcesum necessitatem, vel opportunitatem id practicetur; Ubi etenim benè ordinata synodus jam habebatur, nullumque supperat novum grave emergens, quod hujusmodi exigat incommodum, ac dispendiosam convocationem, dilatio potiùs commendabilis censenda est, præsertim accedente circumstantia, quod intra montes potissimum, hujusmodi constitutiones Sac. Congr. hujus Concilii interpretum, examen ac approbationem habent: Ideoque synodalium examinatorum vel Judicum renovatio pro concursu parochialium hanc necessitatem quandoque inducit, etiam infra annum tantum Episcopo, cum consensu Capituli istius subrogationis facultas competat, ut in parochiarum sede advertitur, de istius concursus forma agendo: Istam verò necessitatem, dirimere solet facultas, quam eadem insinuata S. Congregatio, ex præmisso justo motivo, communicare solet.

Ad istius synodi interventum, ultra illum Capituli
38 cathedralis, qui necessarius est, invitari debent, ac respectivè cogi possunt omnes Parochialium ecclesiarum rectores, vel Vicarii, qui animarum curam exercent, exemptionis privilegio non obstante, ex eadem ratione, quæ visitationi eosdem supponit exemptos: Quinimò ubi etiam de iis locis agatur, quæ de territorio separato sint, atque nullius diœcesis, ubi proprius ordinarius Prælatus, propriam de facto non celebret, nec habeat synodum, ad illam Episcopi vicinioris animarum curam habentes, vel exercentes accedere debent, ipsæque diœcesanæ synodales leges in eo loco servandæ sunt.

Magis verò raram plerùm præsertim citra montes habet synodus Provincialis, quam à Metropolitano cum
39 suffraganeorum interventu celebrari debere idem Concilium præcipit, cum ob oracula à Romanæ Curiæ Sacris Congregationibus de facili expetenda, atque ob incommoda, & sumptus, aliaque inconvenientia, ab hujusmodi congressibus produci solita, ex hujus Congregationis Concilii pariter sensibus, rara effecta sit istius synodi praxis: Quandoque tamen ex ejusdem Congregationis placito, ubi justum impellat motivum, haberi solet. *s*

m De his omnibus quoad Visitationem in eisdem Annot. disc. 3. n disc. 32. n. 37. in eisdem Annot. o disc. 29. & 48. in eisdem Annot. p disc 19. ibid. q disc. 24. ex n. 19. ibid. r disc. 3. n. 23. ibid. s disc. 36. ibid.

IV.

De collationibus ordinum, ac de inhibitione Episcopis ne Pontificalia in aliena diœcesi exerceant; Atque de iis quæ Ecclesiarum parochialium, aliorumque beneficiorum provisiones, vel uniones, sive divisiones, novasque erectiones concernunt; Ac etiam de materia jurispatronatus.

Pontificalia, per Episcopos, aliosque Prælatos, in aliena diœcesi, vel territorio sine diœcesani, vel Ordina- 40
rii licentia exerceri prohibentur; Quæstiones cadere solent, cum exemptis, & regularibus præsertim Prælatis, qui intrà diœcesis fines existant, atque pontificalium usum ex Apostolica concessione habeant, tam super temporibus, quàm super modo illa exercendi, ne scilicet, ipso Episcopo diœcesano præsente, id sequatur, atque talis adhibeatur modus, ut inferior Prælatus ab Episcopo distinguatur; 41
Consuetudine tamen, vel observantia in hoc nimium attendenda; Cùm regularibus verò Prælatis, Sac. Congregationis Rituum decreta, hujusmodi quæstionibus pœnè omnimodum dederunt finem, certa anni tempora præscribendo, in quibus limitatè iste usus haberi valeat, ut in præeminentiarum, ac jurisdictionis sedibus advertitur. *t*

Majores autem quæstiones producere solet inter plures Episcopos, vel Prælatos, ille pontificalis actus, qui circa ordinum collationem versetur; Itque duas habet inspectiones; Unam scilicet loci, vel territorii ratione, quia in alieno territorio Episcopus propriis subditis ordines conferat; Et alteram ratione personarum, quia nempè in propria diœcesi, vel territorio, ordinet alienum subditum, vel diœcesanum.

Prima inspectio modicam admittit quæstionem ob præ- 42
missam hujus Concilii prohibitionem, exercendi pontificalia in alieno territorio; Ista siquidem prohibitione seclusa, cùm actus voluntariæ sit, non autem contentiosæ jurisdictionis, Juris communis inhibitio deest, ideoque primam tonsuram concedendi vetitum non est, dum pontificalium non requirit exercitium.

Major itaque controversiarum occasio, in altera cadit inspectione, quia nempe alieno subdito in suo territorio absque proprii ordinarii, vel Prælati talem habentis potestatem, licentia, quæ sub dimissorialium literarum ter- 43
mino explicari solet, ordines conferat, ex eo quod ea aliquo accidenti, suum effectum esse subditum prætendatur; Ubi etenim iste non intrat prætextus, extra quæstionem pariter est, actum illicitum esse, atque utrumque ordinantem, & ordinatum pœnas incurrere, ordinatum præsertim illam suspensionis ab ordinum exercitio.

Ex pluribus itaque causis, ille qui naturaliter de aliena sit diœcesi, subditus alterius Episcopi pro ista ordinandi facultate, effici, vel esse dicitur, ratione scilicet paternæ 44
quamvis non propriæ originis; Vel ex domicilii sive beneficii, aut familiaritatis ratione, sive ex altera confugii a propria diœcesi, quæ ab infidelibus, vel hæreticis occupata sit; Præmissarum verò causarum verificatio, quæstiones producit, certam non habentes statutam regulam, neque desuper ista conciliaris lex, aliud statuit nisi triennalis termini in familiaritate præfinitionem; Ideoque facti, & applicationis potiùs quam juris quæstio est, cum juris communis regulis, ex facti qualitate, & circumstantiis decidenda.

Subjectione posita, ut propterea, ordinandi facultas non desit, sive naturalis, sive accidentalis subjectio sit; Certas istius facultatis exercitium leges recepit; Illam præ- 45
sertim ut non nisi in sex præfinitis anni temporibus, vel diebus, sacros ordines conferre liceat; In Sabbato scil. quatuor temporum Quadragesimæ; In altero Sabbato ante Dominicam Passionis quæ *ad Sitientes* dicitur, & in Sabbato Sancto; Ac etiam vigilia Pentecostes, & in utroque Sabbato quatuor temporum, Septembris, & Decembris, cum spatiorum tamen, vel interstitiorum regula, ut plures sacri ordines in eadem ordinatione conferri non valeat; Pro consilio, non autem pro præcepto, injungendo, ut unus ordo sacer non conferatur, nisi in altero ministratum fuerit; Quodque inter diaconatum, & presbyteratum, anni saltem decurrat spatium, vel interstitium.

Ordinandorum item ætas præfinita est: Ut ad subdiaconatum ante vigesimum secundum saltem attinctum; ad dia- 46
conatum ante vigesimum tertium. Et ad presbyteratum ante vigesimum quintum attinctum, suspensionis perpetuæ si scienter, usque ad ætatem autem congruam si ignoranter assitecta pœna. Minores verò ordines hanc expressam non habent præfinitionem. Ex recepto autem sensu, prima tonsura ante

ra ante completam infantiam, minores verò ordines ante
pubertatem conferri non debent.

Congrua quoque in promovendo ad sacros ordines, ut-
47 potè personam in statu irretractabili constituentes, desidc-
ratur provisio, ad titulum scilicet beneficii, quod pro mo-
ribus regionis, honestam præbeat sustentationem, vel in
beneficii defectum, ad titulum patrimonii, beneficii re-
signatione, ac patrimonii alienatione prohibita, cum de-
clarationibus in suis respectivè sedibus contentis.

Inferioribus Prælatis, sive regulares sint, sive sæcula-
48 res, intra alienæ diœcesis fines, ordinariam spiritualem cum
certi loci clero, & populo, vel cum personarum genere juris-
dictionem habentibus, primam tonsuram, ac minores
ordines quos ex canonum dispositione, vel privilegiorum
ratione conferre poterant, ea hac nova conciliari lege con-
ferre inhibetur; Minusque pro eisdem, vel pro sacris ordi-
nibus ab alio Episcopo suscipiendis, licentiam, seu literas
dimissoriales concedere; Quæcunque etenim potestas aliàs
desuper competens, cum subditis cleri ac populi sæcularis
49 adempta est, atque ordinario, seu diœcesano delegata,
quamvis extensione non obstante, iis exceptis, qui in ali-
qua religione solemniter professi, ad religionis, ac pauper-
tatis titulum promovendi sint, ut cum proprii regularis su-
perioris licentia, & approbatione, ab eo Episcopo, quem
idem superior destinaverit, promoveri valeant; Religio-
nibus etenim juxta modernum commodabilem usum ve-
ram hodie constituentibus universitatem, seu rempubli-
cam; Ita sequi dicitur quod cùm religiosi certo non sint
perpetuò addicti monasterio, de nulla dicantur esse diœcesi,

In iis autem inferioribus Prælatis, qui proprium habeant
50 verè separatum territorium, quod propterea nullius diœce-
sis dicitur, magis receptum est, istam non cadere prohibitio-
nem eosque locorum ordinarios verè censendos, dimisso-
riales literas pro ordinibus suscipiendis propriis subdi-
tis concedere posse, nisi observantia, vel Sacræ Con-
gregationis provisio aliter suadeat. x

Super beneficiorum capacitate, ista conciliaris lex circa
51 ætatē, vel ordines, aut gradus plures induxit Innovationes,
in habentibus scilicet animarum curam, ut nonnisi per eos
obtineri valeant qui infra annum sacerdotium suscipere va-
leant; Idemque in Cathedralium majoribus, vel Collegiata-
rum principalibus dignitatibus, quæ aliquam habitualem,
vel jurisdictionalem curam annexam habeant; In quibus in
Decretis, vel in Theologia doctoratus quoque desideratur;
Ubi verò de iis agatur dignitatibus, vel canonicatibus, ac
beneficiis, quæ, sive in cathedrali, sive in collegiata,
certum subdiaconalem, diaconalem, vel presbyteralem
ordinem annexum habeant, ut nonnisi per eos obtineri va-
leant, qui infra annum ad annexum ordinem possint pro-
moveri, cum susceptionis obligatione; Ista verò ordinum
distributione, vel annexione cessante, in collegiatis, aliisq;
inferioribus Ecclesiis, dignitates, & Canonicatus, aliave be-
neficia quamvis residentiæ, ac servitii onus annexum haben-
tia, sub simplicium, ac indifferentium beneficiorum cadunt
genere, in quo ista Conciliaris lex eam induxit innovatio-
nem, ut nonnisi ante ætatis pupillaris complementum, &
sic annum decimum quartum, obtinendi incapacitas ob-
stet, quamvis de laicali patronatu beneficia sint, nisi fun-
dationis lex aliter statuat; In illis cathedralium, quamvis
Concilii litera non disponat, ex ejus tamen sensu, ubi con-
traria non vigeat consuetudo, magis receptum est, ut ea
requiratur ætas, quæ suscipiendi primum sacrum ordinem
infra annum præbeat habilitatem, ut in beneficiali sede la-
tiùs; Ubi etiam de provectiori ætate quadragenaria in Pœ-
nitentiario canonicatu desiderata. y

In aliorum beneficiorum, quæ principaliter curata non
sint (accessoriæ curæ annexione neglecta) collatione, vel
52 provisione, nil novi concilium statuit, de dignitatibus ta-
men, vel canonicatibus in cathedrali provisis onus emissio-
nis professionis fidei intra bimestrem terminum post ade-
ptam possessionem sub certis pœnis, illa præsertim amissio-
nis fructuum, injungendo.

In provisione autem parochialium, novam per concur-
sum statuit formam, in eadem beneficiorum, vel pa-
53 rochialium sede recensitam, ideoque ibi videndam. z

In cathedralium verò, & collegiatarum dignitatibus,
& canonicatibus, aliisque capitularibus beneficiis illud
quoque de novo statuit, ut in sacris ordinibus non con-
54 stituti in capitulo vocem non habeant. a

Super iis item beneficiis, vel ecclesiis, quæ jurispatronatus
subjectionem habere prætendatur, ubi de privatis agatur per-
55 sonis, quæ sub potentium genere non cadant, nulla ab ista
conciliari lege inducta est innovatio; Ea tamen notabilia di-
gnoscitur in illis, quæ potentes dicuntur, rigorosam pro-
bationis statuendo formam, in sua peculiari Jurispatrona-
tus sede latius recensitam, ideoque ibidem videndam inde-
finitè cuilibet Patrono interdicendo nè in Ecclesiæ admini-
stratione ac fructuum perceptione se ingerat. b

In altera item sede beneficiorum, & Parochiarum vi-
denda sunt, quæ ex hujus conciliaris legis præscripto statu-
ta sunt, super beneficiorum unione præbendis canonicali- 56
bus pro distributionum augmento, sive dignitatibus facien-
da, vel super parochialium ecclesiarum unione, ac respectivè
separatione, vel dismembratione, novaque erectione, vel
finium præfinitione; Sive super necessitate certum desi-
gnandi perpetuum, vel actualem Vicarium in illis paro-
chiis, quæ Capitulis, vel collegiis, seu monasteriis, a-
liisve similibus universitatibus, vel corporibus unitæ sint,
ut oves certum habeant ac agnoscant pastorem. c

Eademque beneficialis sedes alias recenset provisiones su- 57
per beneficiorum pluralitate prohibita, ac super expectati-
vorum reprobatione, & ne filius beneficium à patre obten-
tum habeat, sive ubi de illegitimis filiis agatur, ut neque
diversa obtineant beneficia in illis Ecclesiis, in quibus pa-
tres obtineant, vel obtinuerint. d

Atque in altera ecclesiasticarum pensionum Sede istius
Concilii provisio super excessivo Cathedralium, vel Paro- 58
chialium gravamine, ut in Cathedralibus saltem in mille
pro Episcopo, in Parochialibus autem saltem in centum
pro Rectore salva, & exempta remaneat congrua. e

x *Locis supra citatis, & signanter d. disc. 81. de Pension.*
y *Disc. 14. & 24. ibid.* z *sub tit. de Paroch. signanter d. 37.*
a *Disc. 20. ibid.* b *Tit. de Jurepatr. disc. 57. & 58.*
c *De Benef. disc. 43. & seqq. de Paroch. disc. 34. & seq. & 42. de Canon. & Capitulo, disc. 34. in Supplemento.*
d *De Benef. disc. 66. & disc. 49. in eisd. Annot.*
e *De Pension. disc. 16. cum seqq.*

V.

De Regularibus utriusque sexus: Et de Matrimonio: Ac de aliis quæ reformationis materiam concernunt.

Ultra ea quæ, damnando hæreticorum errores, falsas-
que opiniones, super utroque spirituali, & carnali
matrimonio, in Concilio statuta fuere, pro fidei dogmati-
bus, vel pro foro interno; Quatenus ad reformationem,
externumque pertinet forum; In spirituali matrimonio, seu
voto, quod per solemnem professionem in aliqua probata
religione, vel monasterio contrahi, vel respectivè emitti
dicitur, plura de novo statuta sunt. Primò nempè circa æta- 59
tem, quæ per canones non præfinita, ideoque carnalis ma-
trimonii, aliorumque humanorum actuum adinstar, in
pubertate sufficiens erat, provectior præfinita est, ut ad mi-
nus in decimo sexto anno completo esse debeat, sub de-
creto annullativo si prius facta sit; Habitus tamen suscepti-
ne, atque novitii statu non prohibitis, ante annum deci-
mum quintum completum, cùm probationis onus præ-
cisè requisitum sit, ne minor esse valeat, prohibitum ve-
rò non sit novitiatum majori tempore peragere. f

Quia verò ex aliquarum Religionum legibus provectior
ætas decimi octavi, seu vigesimi anni desideratur, hinc
dubitandi ratio cadit, an invalida censenda sit ea professio,
quæ ista majori ætate incompleta, sequatur, post comple-
tam tamen præmissam ætatem conciliarem: Verior autem,
magisque recepta est opinio, quæ validitati assistit, nisi lex
particularis, Apostolicæ Sedis authoritate approbata, ex-
pressum contineat decretum annullativum. g

Super novitiatu quoque, antiquas Canonistarum, ac
moralium scissuras sustulit, super anni probationis, ex ca- 60
nonum dispositione requisiti interruptione, temporumque
conjunctione ad illum perficiendum, ut integer, atque
continuus esse debeat, ex ea congrua ratione, ut in omni-
bus anni temporibus reciprocum sequatur experimentum,
ideoque, ubi talis sit egressus, vel interruptio, ut in pro-
babiliori sensu pro facti qualitate novitiatus corruptionem
inducat, nulla retroacti temporis ratio habenda est, sed
novus, & continuus annus ex integro perficiendus. h

In renunciationibus, aliisque dispositionibus, quæ per
novitios ante professionis emissionem, de eorum bonis, ac
juribus faciendæ sunt certa statuta est forma, ut nonnisi deci- 61
mo novitiatus mense jam peracto, atq; cum licentia Ordina-
rii loci, vel ejus Vicarii, & cum præsentia Superioris regula-
ris fiat: Ita tamen ut integrum ac liberum sit Novitio pro-
fessionem emittere nolenti, sed ad sæculum regredienti bona,
jura-

juraque renunciata reaſſumere, ne aliàs ita depauperatus cogatur invitus, in Religione, ſeu Monaſterio profiteri; Eidem Religioni, vel Monaſterio rectè inhibendo, ne Novitii egredientis bona, vel jura retineat, ac reſtituere tenuat; Quæſtione cadente, an iſta conciliaris forma in illis extenderetur renunciationibus, aliiſque diſpoſitionibus, quæ per adhuc exiſtentem in ſæculo ante ſuſceptionem habitus fiant, futuri tamen ingreſſus intuitu, idque opinionum ſciſſuram habet in renunciationem peculiari ſede recenſitam. s

Reclamationi, adverſus jam emiſſam profeſſionem, ejuſque annullationi, certa pariter præſcripta eſt for-
62 ma, ut quinquennii lapſu non accedente, ſive intra illud, quamvis poſtea decurſum, ſecuta reclamatione, adempta quidem non ſit ordinariorum Judicum facultas, vel juriſdictio; Privativè tamen ad quoſcumque, Ordinario loci, ac ſuperiori regulari, pariter locali, conjunctim talis facultas, ſeu juriſdictio competat; Non tamen exerceri valeat, ubi profeſſus habitu temerè dimiſſo, clauſtra ſit egreſſus, niſi ad ea reaſſumpto habitu redeat; Ac etiam aliquas temeræ dimiſſionis ſalutares luat pœnas; Poſt quinquenium verò, juriſdictio adempta eſt, atque denegatur audientia, niſi Apoſtolicæ reſtitutionis in integrum conceſſio, ſeu commiſſio ea juſta cauſa accedar, ut in Regularium ſede latiùs. k

Ad multas item tollendas ambiguitates, ac opinionum ſciſſuras, per duarum Religionum exceptuationem, Mi-
63 norum ſcilicet Obſervantium, & Cappuccinorum, generalis ſuper capacitate bonorum, ac redditunm in communi ſtatuta eſt in Religionibus regula, iis etiam, quæ ea inſtituto Mendicantes eſſent; Ita ea privilegio quoque remanentes, ut idem retineant vocabulum, eaſdemque prærogativas; Generica tamen ſtatuta incapacitate in particulari, ut nonniſi de ſuperioris licentia, atque ad ejus nutum aliqua pecuniarum, vel bonorum permittatur adminiſtratio, ac diſpoſitio. l

Antiqua item utriuſque ſexus regularium exempriva privilegia, aliquam receperunt moderationem in viſita-
64 tionis rubrica ſuperius inſinuata, licentia, quam huiuſmodi privilegiorum Conſervatores aſſumebant, in aliquo pariter refrænata, maiorem tamen deſuper moderationem, ac regulam recentiores Apoſtolicæ Conſtitutiones induxerunt. m

Monaſterium Monialium perpetuam, activam, ac
65 paſſivam clauſuram, à Bonifacii Octavi Conſtitutione demandatam, innovavit; Eam tamen ſtrictiùs poſteriores Apoſtolicæ Conſtitutiones præſcripſerunt, n

Ad publicas proceſſiones exemptivo particulari privile-
66 gio non accedente adſtrictos eſſe voluit, quandoque Epiſcopo, vel Ordinarii iudicio ſtetur ſuper illatum quæſtionum deciſione, quæ ſuper præcedentiis oriantur. o

Regularium quoque incapacitatem obtinendi beneficia ſæcularia ſtatuit, quodque eadem regularia, non-
67 niſi per profeſſos, vel profeſſuros obtineantur; Super novis Monaſteriorum, vel Conventuum fundationibus aliquibus ſtatutis regulis in eadem peculiari regularium ſede recenſitis: Super Regularium Prælatorum electione nova quoque inducta eſt forma, ut per ſecretum ſcrutinium eſſe debeat, eaque temporalis, non autem perpetua, niſi peculiare inſtitutum à Sede Apoſtolica approbatum aliter ſtatuat. p

In altero autem carnali matrimonio, plura quoque de
68 novo, ultra Canonum, vel antiquorum Conciliorum diſpoſitionem de novo ſtatuit, in matrimonio peculiari Sede quoque recenſita: Primò nempè ſuper eius omnimoda libertate, omnibus reprobatis laicalibus, vel editis, aliiſque proviſionibus, parentum, vel aliorum conſenſum ad matrimonii validitatem deſiderantibus, ſeu aliàs eius impedientibus libertatem. q

Ad illis item occurrendum inconvenientibus quæ clandeſtina matrimonia producere praxis docebat, nova ſta-
69 tuta eſt forma in eadem propria Sede latiùs explicata, ut in faciem Eccleſiæ, coram proprio, ſaltem unius contrahentium Parocho, duobuſque teſtibus, celebrari debeat, ſub decreto anullativo tali forma non ſervata: Aliis quoque demandatis diligentiis ſuper trina ſcilicet denunciatione in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia facienda ad canonica impedimenta detegenda, ac etiam ſuper matrimonii annotatione per Parochum facienda in libro ad hunc effectum conficiendo, ac retinendo; Formam tamen hæc non important, ideoque omiſſio actus validitati non præiudicat, ſi Parochi, & teſtium adhibeatur præſentia, quæ formam continet præciſam, non admittens æquippollentiam. r

Novum quoque iſta Conciliaris lex induxit impedi- 70
mentum irritativum in ſua pariter Sede latiùs recenſitum, quod ex raptu reſultat donec rapta mulier in raptoris poteſtate ſit, ſuæque priſtinæ non reſtituta libertati. ſ

Super impedimentis, quoque ex publica honeſtate ra- 71
tione ſponſalium reſultantibus, vel ex illa affinitate, quæ ab illicita oritur copula, ſive ex altera affinitate ſpirituali, antiquæ deciſæ fuerunt quæſtiones, certas deſuper ſtatuendo regulas in eadem præmiſſa Sede recenſitas. t

Pleraque alia minus in foro practicabilia ſtatuta ſunt 72
eandem concernentia reformationem; Præſertim verò pro forenſi praxi ſuper eccleſiaſticis cenſuris parcè, nimiumque circumſpectè, ac nonniſi in ſubſidium aliis adhibitis diligentiis inferendis, ut in ſua cenſurarum ſede, in qua declaratiuncs habentur. u

Super Eccleſiarum Cathedralium, ſeu Metropolitanarum vacantium adminiſtratione, per canones Capitulo 73
commiſſa, certa quoque ſtatuta eſt regula ſuper Vicarii Generalis, & Oeconomi deputatione intra octo dierum ſpatium facienda, quodque Vicarius, quatenus in Capitulo de hoc genere adſint, adeunt electionis libertas ſit exercibilis, decretorum ad minus doctor, vel licentiatus, ubi licentiaturæ uſus habeatur eſſe debeat; In caſu verò neglectæ deputationis, vel eius minus legitimè factæ, hanc facultatem tribuendo Metropolitano ſi de ſuffraganea Eccleſia agatur; Si verò de ipſa metropolitana, ad Epiſcopum antiquiorem; Et de exempta, ad viciniorem, tam Vicarium, quàm Oeconomum ad rationum redditionem novo Epiſcopo faciendam obligando. x

Super ultimarum voluntatum commutationibus, vel onerum miſſarum reductionibus, ac ſuper vagabundis, & concubinariis, & quæſtuantibus, ac notariis, & ſimilibus, necnon ſuper digna Epiſcoporum, aliorumque 74
Prælatorum electione, ac Epiſcopalis dignitatis conſervatione; Decimarum item, ac canonicarum portionum debita præſtatione, aliiſque ſimilibus, congruæ prodierunt proviſiones in foro tamen nimis raræ, ideoque pro caſuum contingentia in ſua ſede videndæ. y

In iudicialibus quoque plura per iſtud Concilium ſta- 75
tuta ſunt pro cauſarum congrua cognitione, ut ſcilicet in prima inſtantia coram locorum Ordinariis cauſæ cognoſcantur, neque ea finita aliarum inſtantiarum iudices, ac ſuperiores ſe intromittant; Quandoque appellationis iudex nonniſi integrè in eccleſiaſticis cauſis tranſportatis actis procedat. z

Inferioribus autem Prælatis criminalium, ac matrimonialium cauſarum alias competentem ademit iuriſdictionem, eamque Diœceſanis, vel Ordinariis locorum delegato etiam iure conceſſit; Id autem illis non procedit inferioribus Prælatis, qui territorium verè ſeparatum, cum qualitate Nullius habeant, a

f *diſc. 39. in eiſdem Annot.* g *d. diſc. 39.* h *diſc. 39. in eiſdem Annot.* i *de Renunc. diſc. 17. et ſub tit. de Regul. diſc. 58. et 59. et diſc. 40. in eiſd. Annot.*
k *de Regul. diſc. 40. et ſeqq. et diſc. 41. in eiſdem Annot.*
l *diſc. 35. in eiſdem Annot.* m *de Conſervator. prævil. de Juriſd. diſc. 49. et de Regul. diſc. 51. et 52.*
n *diſc. 36. ibid.* o *diſc. 38. ibid.* p *diſc. 37. ibid.*
q *de Matrim. diſc. 5. et diſc. 26. n. 45. ibid.* r *diſc. 26. ibid. et de Matrim. diſc. 1. et 4.* ſ *de matrim. diſc. 5. et diſc. 28. ibid.* t *diſc. 27. ibid.* u *diſc. 23. in eiſd. Annot. ubi concordantes.* x *diſc. 31. ibid. et de Can. diſc. 24 cum ſeqq. et in eod. tit. diſc. 33.* y *diſc. 1. 21. et 29. in eiſd. Annot.* z *diſc. 33. ibid.* a *d. diſc. 33.*




Finis Libri Decimiquinti.



